Digitized by Google

XLIX
G
6

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLIX
G
6
NAPOLI

ACTA
SANCTORUM
ORDINIS
S. BENEDICTI
IN SÆCULORUM CLASSES DISTRIBUTA.
SÆCULUM IV
QUOD EST AB ANNO CHRISTI DCCC AD DCCCC.

Colligere cœpit Domnus LUCAS D'ACHERY, Cong. S. Mauri Monachus;
D. JOHANNES MABILLON, ejuſdem Congreg. abſolvit, illuſtravit,
edidit, atque in duas partes diſtribuit.

PARS SECUNDA.



LUTECIÆ PARISIORUM,
Apud LUDOVICUM BILLAINE, in Palatio Regio.

CIↃ IↃC LXXX.
CUM PRIVIL. REGIS ET SUPERIOR. LICENTIA.

NAPOLI

PRÆFATIONIS
SÆCULI QUARTI
PARS SECUNDA.

1. AGGREDIOR alteram Præfationis partem, in qua de reliquis ſæculi noni controverſiis, quemadmodum in me reeeperam, tractandum ineumbit. Difficilis ſanè & invidioſa res, quæ ipſa eogitatione ſuſcepti muneris mentem fatigat : ſed durandum eſt, quia cœpimus; & ſi ad ea pro dignitate tractanda viribus impares ſumus, animo tamen perſeverandum. Aderit fortaſſe dicenti, ut quidem ſpero, favorabilis Lectorum æquitas, ut dicta à me non in ſequiorem rapiant partem; ſed ita ut ſimpliciter exponentur, ſimpliciter aeeipiant: id ſcilicet benignè reputantes, me nullo partium ſtudio adductum, ſed ſine fuco & affectatione ea quæ inſtituti mei ſunt, religioſè exſequi. Dabo certè operam, ut id quàm moderatiſſimè fiat, hiſtoricum acturus in factis exponendis, non theologicorum dogmatum arbitrum & aſſertorem. Agendum verò favente Deo primùm de eueharistieis ſæculi IX controverſiis: tum de Goteſcalci fortuna & turbis. Deinde de modo quo Chriſtus Dominus è Virgine proceſſit, qua de re libri ultro eitroque eonſcripti ſunt à Paſchaſio Radberto & Ratramno: qui Ratramnus itidem Monachum quemdam Corbeienſem, de animæ in diverſis hominibus ſingularitate pueriliter philoſophantem acriter confutavit. Denique de funeſto Græeorum diſcidio, eorumque objectis adverſus Latinos ſermo inſtituetur. His ſueeedet tractatio de converſione ſeptemtrionalium populorum ad Fidem facta per noſtros:

Dicendorum difficultas,

& argumentum.

itemque de Martyrologiorum Scriptoribus Benedictinis. Poſtremo loco ſubſequentur Obſervationes de rebus eccleſiaſticis, monaſticis atque hiſtoricis, quibus tota demum claudetur Præfatio.

CAPUT I.

De controverſiis euchariſticis ſæculi noni.

Controverſiarum origo ex libro Paſchaſii de Euchariſtia.

2. QUANTIS animorum ſtudiis ſæculo nono & inſequentibus euchariſticæ res agitatæ ſint, lucubrationes hoc de argumento relictæ abunde teſtantur. Earum contentionum origo nata videtur ex Paſchaſii Radberti Abbatis Corbeienſis libro, quem de corpore & ſanguine Domini per id tempus compoſuit.

3. Hic Paſchaſii liber varias ſubinde procellas ſuſtinuit, varioſque adverſarios, alios aliis non parum diſſimiles ac diverſos. Quidam enim Paſchaſii ævo extitere, catholici omnes, aut ferè omnes; alii ſæculo XI, auctore atque incentore Berengario, hæretici: quibus noviſſimè poſt longa tempora ſucceſſerunt noſtri temporis itidem heterodoxi, Lutherani & Calviniſtæ. Sed iſtius libri fortuna haud planè eadem fuit apud hos, atque illos. Ex Lutheranis quippe Hiobus Gaſtus Hagenoënſis Paſchaſii librum, de quo hîc agimus, vulgavit anno M D XXVIII, eumque penitus pervertere demum auſus eſt, pudendo planè ac deteſtando facinore. Cùm enim Paſchaſium non minùs tranſſubſtantiationis & ſacrificii, quàm realis præſentiæ patronum ubique animadverteret; eò proceſſit hominis impudentiſſimi temeritas, ut non ſolùm integra hujuſce libri capita expunxerit; verùm etiam alia ſubinde verba, aliaſque ſententias ſubornarit intruſeritque, quò Paſchaſium errori ſuo patrocinari perſuaderet. Hujus autem falſarii perfidiam ac depravationes Nicolaus Mametanus Lucemburgenſis detexit primus; ac Paſchaſii librum ſanum & integrum Coloniæ excudi curavit anno M D L. Sic reſtituto Paſchaſio, aliò ſe convertêre Calviniſtæ, qui Albertino potiſſimùm duce id ſcilicet adſtruere conantur, Paſchaſium in re euchariſtica novatorem fuiſſe, qui antiquam Eccleſiæ fidem ac traditionem novis commentis infecerit, ut realis præſentiæ ac tranſſubſtantiationis doctrinam æqualibus ac poſteris ſuis propinaret. Immo verò hæc commenta ſunt recentiorum hæreticorum, quibus jam copioſè & eruditè reſponſum eſt à Scriptoribus catholicis, ferè ut nihil reliqui hoc in negotio nobis ſupereſſe videatur. At quoniam libri illi pleríque Gallico idiomate conſcripti ſunt; in gratiam exterorum huc quædam conferre juvat ad vindicandam Paſchaſii doctrinam. Sed priùs in anteceſſum præmittenda ſunt nonnulla de ejus libro, quæ à viris doctis necdum ob-

ſervata, mihi aliquando veteres libros revolventi occurrerunt, celebri controverſiæ aliquid lucis, Deo dante, additura. Argumentum autem in varias ſectiones pro commodo Lectorum diſtribuemus.

§. I.

De Paſchaſii ſcriptis euchariſticis.

4. PASCHASIUS librum de corpore & ſanguine Domini compoſuit tempore exſilii cujuſdam Abbatis ſui, quem ipſe in prologo ARSENIUM, & alterum ſui ſæculi HIEREMIAM vocat. His nominibus ſanctum Adalhardum Abbatem Corbeienſem, qui ab anno DCCC XIV in annos ſeptem apud Herium inſulam exſulavit, deſignari hactenus eruditis viris perſuaſum eſt: qui idcirco Radberti librum de corpore & ſanguine Domini circiter annum DCCC XVIII ſcriptum fuiſſe communi conſenſu tradiderunt. Et mea quidem hæc perſuaſio fuit, dum Paſchaſii opus ſeu dialogum reperi de rebus geſtis Walæ Abbatis, fratris ac ſucceſſoris Adalhardi: quem Walam perpetuò ARSENIUM & HIEREMIAM; Adalhardum verò ANTONIUM vocat. Sanè idem Auctor in libro de vita ſancti Adalhardi Abbatis teſtatur, Adalhardum aliquando Aurelium Auguſtinum, aliquando Antonium cognominatum fuiſſe; Arſenium aut Hieremiam nuſquam. Hæc argumenta fateri nos cogunt, librum Paſchaſii de corpore & ſanguine Domini ſcriptum eſſe tempore exſilii Walæ Abbatis, quod ab anno DCCC XXX ad DCCC XXXII contigiſſe apertè colligitur ex Dialogo Paſchaſii de Walæ geſtis, qui in ſuperiori tomo editus, EPITAPHIUM ARSENII, id eſt laudatoria oratio Walæ, inſcribitur. Contigit iſtud Walæ exſilium per lubricas illas funeſtaſque tempeſtates, cùm Ludovici Auguſti filii & Francorum magnates de principatu digladiabantur. Eò ſine dubio reſpexit Paſchaſius in libello ſuo de Euchariſtia paullo poſt initium, ubi ait, *diſcordiarum anfractibus pæne labi orbem, effuſa ſuper magnates contentione imperii.* Porro iſtius Walæ exſilii, quod Nithardus in hiſtoriæ libro primo, & libellus de novæ Corbeiæ conſtructione leviter notant, triplicem locum deſignat Radbertus, nempe ad lacum Lemanum, in Herio inſula, & in quodam Germaniæ Monaſterio. Ex his conficio, Paſchaſii librum de corpore & ſanguine Domini ſeriùs annis tredecim, quàm hactenus creditum eſt, id eſt anno DCCC XXXI compoſitum fuiſſe. *Quo tempore ſcripſerit.*

5. Unum tamen his, quæ de Arſenio dixi, opponi poteſt ex optimæ notæ Corbeienſi codice membraneo, in quo libri de cor-

pore & ſanguine Domini præfatio continet nonnulla de Arſenio, quæ in pleriſque libris editis deſunt. Exemplaria edita initio hæc habent. *Novit igitur, nec ambigo, tua experimento diſciplinarum ſollertia, quòd* ARSENIUS *noſter, quem noſtra nunc nobis ſæcula Hieremiam alterum tulerunt ab illo, in fidei te mihi commiſerit ratione. Propter quod à primævo indefeſſus curavi te rapere de inter undas.* Poſtea ſubdit codex Corbeienſis. *Sed fateor tibi magis melotam Patris ſupra verticem profuiſſe, qua denique ſubvectum te congratulor evaſiſſe, me quoque jocundor non in vacuum cucurriſſe. Præfatus autem Pater,* SCILICET ADELARDUS, *uti juſtitiæ faventibus moris eſt, exſilium fert pro fide, illo ut utar Comici, quia plenus rimarum, veritatem ſciens ſilere noluit. Unde adhuc ſuſpecti ſumus, quid Dei diſpenſatio ex eo ulteriùs velit, quem jam inſpicimus promiſſionibus meritorum hinc inde divinitus agitari. Tu tamen non es ſecutus juvenilia*, & cetera ut in editis. Ex his inferas, Arſenium non alium hîc ſignificari, quàm Adalhardum ſeu Adelardum, ut communis hactenus ſententia tenet; traditque vetus Auctor in libello de vita Paſchaſii hîc edito, & Antonius de Caulincurte in Corbeienſi Chronico mſ. Neque dici poteſt hos verſus poſteriores non eſſe Radberti. Nam etſi in quibuſdam libris membraneis non habeantur; ſapiunt tamen ætatem ac genium Auctoris, qui Terentii ſententias non raro adhibet. Quia tamen conſtat ex ipſo Radberto, tum in Vita ſancti Adalhardi, tum in libris duobus de geſtis Walæ Abbatis, Adalhardo adſciticium nomen fuiſſe Antonium, Walæ autem Arſenium; dicendum eſt, ſuperiori ſententiæ verba hæc, *ſcilicet Adelardus*, explicationis gratiâ perperam interjecta fuiſſe ante annos ferè ſexcentos, quo tempore jam dictus Corbeienſis codex manu exaratus eſt. Et quidem in Colonienſi editione anni M D L ſuperius additamentum reperitur, at ſuppreſſis his verbis, *ſcilicet Adelardus*; atque etiam in exemplari Anicienſi, quod autographum eſſe puto, de quo inferiùs agendum erit. Wala itaque intelligendus eſt hoc loco, qui tum *exſilium ferebat pro fide*, ſcilicet in rem publicam, uti etiam legitur in ejus Epitaphio.

II.

an unicus. 6. Ludovicus Cellotius, eruditus Preſbyter Societatis JESU, in Notis ad Anonymum, quem edidit in Appendice ad hiſtoriam Goteſcalci, aſſerit Paſchaſium binos de Euchariſtia libros ſcripſiſſe, unum breviorem *de corpore & ſanguine Domini*, qui in omnium manibus verſatur: alterum prolixiorem, quem ait excidiſſe, *de ſacramentis* inſcriptum, uti eum citat Radbertus in Matthæum: qui liber centum ferè capitulis conſtaret, Anonymo teſtante.

7. Verùm unum & eumdem eſſe Paſchâſii librum, qui nunc *de*

ſacramentis, nunc *de corpore & ſanguine Domini* inſcribitur; nec alium, quàm qui in libris editis vulgatus eſt, perſuaſum habeo, aliiſque perſuaſurum me confido.

8. Primò enim utraque hæc inſcriptio iſti libro præfixa legitur in nonnullis codicibus mſſ. Utramque ſiquidem præfert Corbeienſe exemplar mox laudatum, in cujus initio cernitur Auctoris effigies, ſancto Petro librum offerentis, his verbis adjunctis: INCIPIT LIBER RATBERTI PASCHASII DE CORPORE ET SANGUINE DOMINI. Deinde poſt capitulationes: INCIPIT LIBER DE SACRAMENTIS. Nec inſolens eſt apud veteres, Euchariſtiam deſignari plurali ſacramentorum appellatione. Sic Fulbertus Carnutenſis Epiſcopus in epiſtola ad Deodatum, *duo vitæ ſacramenta, id eſt dominici corporis & ſanguinis* vocat. Quem loquendi modum explicans Algerus in lib. 2 cap. 8. *Dicuntur*, inquit, *duo ſacramenta panis & vinum, quantum ad diverſas ſuas ſpecies, cùm tamen ſint unum, quantum ad unam & eamdem ſuam ſignificationem.* Denique Paſchaſius ſe ipſe explicat in epiſtola, qua Carolo Calvo ſuum de Euchariſtia librum ſubmittit, quem *de ſacramentis ſacræ communionis* appellat.

9. Deinde numerus capitulorum prædicti Paſchaſii libri variat, cùm in libris mſſ. tum in editis. In duobus quæ penes nos ſunt exemplaribus membraneis, uno Corbeienſi, altero Sancti-Germanenſi, non eadem eſt capitulorum diſtinctio. Nam in Corbeienſi habentur capitula duo & viginti; totidemque in Thuaneo: in Germanenſi ſex ſupra quinquaginta.

10. Quinque verò iſtius Opuſculi vidi editiones, Rotomagenſem anni 1540, Lovanienſem anni 1541, Pariſienſem anni 1618, quæ viginti duobus capitulis conſtant; quartam Colonienſem anni 1550, quæ capitulis unde ſexaginta; quintam itidem Colonienſem anni ſequentis ſub nomine Rabani, diſtinctam in capitula 57.

11. Nullum verò exemplum, ſive manu exaratum, ſive typis editum, reperi, in quo numerus capitulorum propiùs ad centenarium accederet, quàm Laubienſis codex, in quo nonaginta novem capitula habentur. Iſtum codicem ſine dubio præ oculis habuit Anonymus Cellotianus, cùm ait Radbertum ſcripſiſſe libellum de corpore & ſanguine Domini *ad centum ferè capitula.* Quo ex loco conjiciebam aliquando, Anonymum iſtum non alium eſſe, quàm Herigerum Abbatem Laubienſem. quod verum eſſe poſtea deprehendi.

12. Ex his manifeſtè intelligitur, Radbertum non duos, ſed unicum librum condidiſſe de Euchariſtia, qui varias inſcriptiones & capitulationes ſortitus eſt in libris editis & manu-ſcriptis.

III.

quâ occaſione ſcriptus.

13. Iſtud Opuſculum aggreſſus eſt Radbertus rogatu cujuſdam diſcipuli ſui, in gratiam juniorum ejus Cœnobii Monachorum. Huc ſpectant ipſius verba in epiſtola nuncupatoria ſeu præfatione. *Quod ideo placuit ſtilo temperare ſubulco, & ea quæ de ſacramento ſanguinis & corporis tibi exigis neceſſaria, tui prætextatus amore itatenus perſtringere, ut ceteri quos necdum unda liberalium attigerat litterarum, vitæ pabulum & ſalutis hauſtum pleniùs caperent ad medelam.* Hinc in epiſtola ad Fredugardum profitetur, ſe *non temeritatis afflatu talia olim puero cudiſſe: ſed auctoritate divina & ſanctorum Patrum ea petentibus propoſuiſſe.* Ex quo intelligitur, cur Auctor etiam in ea epiſtola dicat, libellum hunc *cuilibet puero* fuiſſe dedicatum, id eſt cuidam filio ſeu diſcipulo ſuo. Sic enim pronomen *quilibet* pro *quidam* alibi uſurpat Radbertus, utputa in lib. 1 de Walæ epitaphio cap. 14, ubi Carolus Magnus Walam humiliaſſe dicitur *inſtinctu cujuſlibet*, id eſt cujuſdam ſeu alicujus. Fallitur ergo Anonymus Cellotianus dicendo incertum eſſe, utrum Radbertus libellum iſtum ſcripſerit *provocatus, an rogatus.* ſiquidem ex ipſius Radberti verbis conſtat, id operis ab ipſo ſuſceptum rogatu cujuſdam diſcipuli ſui, in gratiam juniorum Monachorum. An autem adverſarios quoſdam præ oculis habuerit, necne, inferiùs diſcutiendum erit.

IV.

Placidio nuncupatus.

14. Quis fuerit iſte Paſchaſii diſcipulus, cui libellum ſuum dedicavit, non fuit hactenus exploratum. Exiſtimaveram aliquando eſſe Adalhardum juniorem, qui teſte Radberto exſulantis Adalhardi ſenioris vices egit in regimine Monaſterii Corbeienſis: propterea quòd Abbatem eum, cui libellus nuncupatus eſt, fuiſſe apparet ex præfatione, quæ *Dilectiſſimo filio vice Chriſti præſidenti Magiſtro* inſcripta eſt. Ita, inquam, exiſtimaveram ante inventum opus de geſtis Walæ Abbatis. At perlecto hoc opuſculo ſententiam mutare neceſſe fuit: cùm ex eo conſtet, librum Paſchaſii de corpore & ſanguine Domini, non Adalhardo, ſed Wala Abbate exſulante conditum eſſe, uti ſuperiùs demonſtravi.

15. Conſultis hanc in rem veteribus libris, magnam inveni diſcrepantiam. In tribus, nempe in Metrenſi Monaſterii ſancti Arnulfi, in Gemblacenſi & Thuaneo, prædictum opus *Placidio Abbati* inſcriptum legitur. In Corbeienſi verò & Germanenſi noſtro nullius nomen in ſalutatione comparet. Mettenſis & Thuanei codicis titulus ferè conſimilis eſt. Thuaneus ſic habet: PROLOGUS PASCHASII RADBERTI AD PLACIDIUM DISCIPULUM SUUM. Utriuſque verò, atque etiam Gemblacenſis, ſalutatio præfert hæc verba: *Paſchaſius Radbertus Placidio ſuo ſalutem.*

tem. Dilectiſſimo filio, & vice Chriſti præſidenti magiſtro. Contrà verò in aliis duobus, Corbeienſi & Germanenſi, abſque alio titulo hæc legitur ſalutatio: *P. R. L. Monachorum omnium peripſema, dilectiſſimo filio,* &c. id eſt, *Paſchaſius Radbertus Levita Monachorum omnium peripſema.* qualem omnino inſcriptionem Auctor in libris ſuis adhibere ſolet. At duo poſteriores codices tanti non ſunt; ut fidem abrogemus ceteris numero & antiquitate potioribus, qui Paſchaſii librum de Euchariſtia *Placidio* nuncupatum commonſtrant. Certè Sigebertus in lib. de Scriptoribus eccleſiaſticis cap. 97, & Trithemius in lib. 2 de viris illuſtribus Ordinis S. Benedicti cap. 55 id tradunt; probantque inſuper duo codices Colonienſes, quibus uſus eſt Nicolaus Mameranus, aliique quos Sirmundus editioni ſuæ adhibuit: niſi quòd *Placidum* legunt, non *Placidium.*

16. Sed ne longiùs funem ducamus, nuper in manus meas pervenit copia membranei codicis Anicienſis Eccleſiæ pervetuſti, prædictum Paſchaſii opus continentis, in quo non ſolùm Placidii nomen reperitur, ſed etiam quis fuerit Placidius iſte, (quod nemo hactenus reſcierat) deſignatur. Et quia hæc res non levis momenti eſt ad euchariſticæ controverſiæ ſtatum probè intelligendum, paullisper ejus codicis auctoritatem explicare juvat. Is in fronte libri de ſacramento altaris exhibet primo verſus Radberti ad Carolum Calvum, tum ejuſdem Auctoris epiſtolam ad eumdem, quâ librum pridem ab ſe compoſitum ipſi tranſmiſit pro munere *ad ſuperventura diei dominici feſta*, hoc eſt (ſi non fallor) ad Natale Domini, pro more illius ætatis. Exordium hujus epiſtolæ, quam hîc in Paſchaſii Elogio integram referam, ejuſmodi eſt. *Domino præcellentiſſimo Regi humilis & exiguus* Paschasius Radbertus *veſter, etſi indignus Abbas ac Levita Domini, Monachorum omnium peripſema, ſalutem Rex inclite vobis. Hinc inde, ut condignum eſt, ad ſuperventura diei dominici feſta miſſuri ſunt auri, argentique, & vaſorum diverſi generis munera, necnon & variæ ſupellectilis veſtium ornamenta, atque falerata equorum, cæterorumque animalium quæque præcipua. Inter quos nimirum, etſi ultimus, fide devotus, quia monuiſtis, & mea, ut opto, vos delectant; decrevi, non ignavi ponderis metalli veſtræ majeſtati munus offerre; ſed libellum, quamvis exiguum corpore, magnum tamen de Sacramentis ſacræ communionis, quem dudum* Placidio *meo,* Warino *Abbati, devoto & fideli veſtro, conſecrans, ideo ſic communiùs volui ſtilo temperare ſubulco, ut ea quæ de ſacramento corporis & ſanguinis Chriſti ſunt neceſſaria reſcire, quos necdum unda liberalium attigerat litterarum, vitæ pabulum & ſalutis hauſtum planiùs caperent ad medelam. Nunc autem dirigere non timui vobis: quatenus nobis operis præſtantior per vos exuberaret fructus mercedis pro ſudore, cùm per vos ad plurimos pervenerit commendatus, & gratia nobis reſponderit oblati muneris. quia pecunia ver-*

Placidius idem qui Warinus.

bi, ſicut plenius, domine mi Rex, noſtis, quantos repleverit ſuis ſumtibus auditores, tantis copioſius in ſe amplificatur meritorum opibus. Qua de cauſa velim non levi animo iſta perlegat veſtræ ſollertiæ magnitudo, &c.

Notanda quædam. 17. Ex hoc fragmento & ex ſuperioribus intelligitur, primò Placidium, cui liber de corpore & ſanguine Domini nuncupatus eſt à Paſchaſio, eſſe Warinum, qui *ex nobiliſſimo Francorum atque Saxonum genere* ortus, veteris Corbeiæ primò Monachus, dein novæ Abbas fuit ab ineunte anno DCCC XXVI, quo ſancto Adalhardo ſucceſſit. Secundò Warinum jam Abbatem fuiſſe tum, cùm ei dedicatus eſt liber, qui *Placidio vice Chriſti præſidenti magiſtro* inſcriptus eſt: ac proinde librum poſt annum DCCC XXVI conditum fuiſſe, & quidem anno DCCC XXXI ex præmiſſis. Tertiò ſcriptum fuiſſe in gratiam juniorum Corbeiæ novæ Monachorum, *quos necdum unda liberalium attigerat litterarum*, Corbeiæ, inquam, novæ apud Saxones, qui recens ad Fidem perducti fuerant. Quartò tempus quo Paſchaſius opus ſuum denuo recognitum, auctumque, (ut inferius in ejus Elogio dicemus) Carolo Calvo tranſmiſit, non contigiſſe ante annum DCCC XLIV, quo veteris Corbeiæ Abbas dictus eſt: ſiquidem Abbatem ſe in ſuperiori epiſtola deſignat. Quintò denique nullos ſuper Paſchaſiano libro motus ante id tempus excitatos, ut ex epiſtolæ ſerie colligere licet. Ex his etiam conſequens eſt, Paſchaſium in epiſtola ad Frudegardum, ubi ait ſe *puero* edidiſſe hunc libellum; pueri nomine intelligere juniorem Monachum ac diſcipulum ſuum, eo modo, quo Alcuinus *Maurum* ſeu Rabanum *puerum* vocat in epiſtola 55, qui Rabanus tum Fuldenſibus ſcholis præfectus erat. Sanè Warinum Paſchaſii diſcipulum extitiſſe patet ex epiſtola ipſi inſcripta, in qua Paſchaſius Arſenium ſeu Walam laudans, ſubdit, *qui in fidei te mihi commiſit ratione*: nempe eo tempore quo Corbeiæ veteris cura, Adalhardo Abbate relegato, penes Walam præcipua erat ſub Adalhardo juniore, ex Epitaphii lib. I cap. 13. Ex veteri quippe Corbeia in novæ regimen anno DCCC XXVI tranſlatus eſt Warinus, ut docet libellus de conſtructione novæ Corbeiæ. Et quidem Monachum hunc, cui libellum ſuum dicavit Paſchaſius, jam tum promotæ fuiſſe ætatis, patet ex cap. 21. ubi ait, ipſum habere in ſacramento, quo *infantiæ*, id eſt adoleſcentiæ ſuæ, *abluat fœditates*. immo & Sacerdotem fuiſſe ſatis innuit his verbis: *Quia Deo ordinante jam ſacris adſiſtis altaribus, lava inter innocentes, non cum Pilato manus*. Quid multis? Placidius ſeu Warinus Abbas erat jam inde ab annis quinque, cùm Paſchaſius librum ſuum ipſi dedicavit.

V.

18. Præter hoc opus, quod anno DCCC XXXI ſcriptum eſſe prædixi, egit etiam Radbertus de ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento,

tum in libro 12 commentariorum in Matthæum, tum in epiſtola ad Fredugardum, (ſic libri mſſ. pingunt, editi Frudegardum) quem Corbeiæ novæ ſub Warino Monachum fuiſſe non dubito, cum nempe qui *Frithudagus* appellatur apud Meibomium in Chronico Corbeienſi. nam apud veteres proclivis eſt in nominibus propriis mutatio litteræ *d* in *th*, maximè apud Germanos, & litteræ *g* in *d*. Sic *Chrodegandus* ferè legitur pro *Chrodegangus*, uti pro *Fredugardus* hoc loco *Frithudagus*. Nunc quo tempore utrumque opus mox laudatum ab auctore prodierit, operæ pretium eſt inveſtigare.

Alia Paſchaſii ſcripta de Euchariſtia.

Fredugardus quis.

VI.

19. Commentarios in Matthæum aggreſſus eſt adhuc Monachus, id eſt ante annum DCCCXLIV, quo Abbas renuntiatus eſt. Librum quintum, poſt interpolatum aliquamdiu opus, inchoavit Abbas, ut patet ex prologo: nonum & reliquos poſt abdicatum munus abbatiale reſumſit, Odone Abbate. Is Paſchaſio ſucceſſit anno DCCCLI, quo Radbertus obiiſſe hactenus creditus eſt, tametſi non pauco tempore ſupervixit, ut ſuo loco demonſtrabo. Poſt illud enim tempus ſcripſit quatuor poſteriores libros in Matthæum, explanationem in pſalmum *Eructavit*, & (ſi non fallor) commentaria in Threnos Hieremiæ, cum epiſtola ad Fredugardum, & libro ſecundo de geſtis Walæ Abbatis, quæ omnia mediam ferè partem ejus operum efficiunt, adeo ut ad annum ferè DCCCLXV perveniſſe dicendus ſit, ut in ejus Elogio exponemus. Poſt abdicatum itaque Corbeienſis Monaſterii regimen, id eſt poſt annum DCCCLI, Paſchaſius à libro nono continuavit expoſitionem in Matthæum: deinde opus iterum intermiſſum reſumſit ab undecimo libro, & quidem *inter confinia ultimæ vitæ*, ut loquitur in prologo. Eodem tempore ſcripſit epiſtolam ad Fredugardum paullo ante ſuum ipſius obitum, qui ante annum DCCCLXV, ut jam dixi, non videtur contigiſſe. Ex quo intelligitur, ſub hunc annum ab ipſo conditum fuiſſe librum in Matthæum duodecimum, in quo diſſerit de Euchariſtiæ ſacramento.

VII.

20. Hinc etiam conſequens eſt, Paſchaſium Rabano Moguntino Archiepiſcopo, qui anno DCCCLVI deceſſit, ſuperſtitem fuiſſe: ac proinde Paſchaſio vivente ſcriptas eſſe Rabani epiſtolas duas, unam ad Egilem ſeu Egilonem, tum Abbatem Prumienſem: alteram ad Heribaldum Autiſiodorenſem Epiſcopum, in quibus agit de Euchariſtiæ myſterio. An verò etiam Ratramnus ſive Johannes Scottus de corpore & ſanguine Domini ante Radberti obitum ſcripſerint, poſtea expendemus.

§. II.

Paſchaſii libri auctoritas & fides.

Paſchaſii auctoritas in re euchariſtica.

21. IN negotio controverſiæ euchariſticæ tanta eſt neceſſitudo Radbertum inter & catholicam Fidem, ut ferè perinde ſit, hanc, an illum impugnare, aut defendere. Cùm enim Romana Eccleſia Radbertum velut apoſtolicæ Traditionis hac in cauſa eximium interpretem & defenſorem agnoſcat; eum ex adverſo hæretici ut Novatorem habent, laceſſuntque. Berengarius in primis in ipſum infenſiſſimus fuit, *ineptum* Paſchaſium, *erraticum*, & *erraticorum ducem* appellans, homo linguæ petulantioris. Neque reverentiores adverſus eum Calviniſtæ, qui Paſchaſium, ut realis Chriſti in Euchariſtia præſentiæ auctorem, conviciis onerare ſolent. Hinc varios ipſi adverſarios opponunt, quò probent eum contra receptam Fidem adinveniſſe novam, cui libris editis reſtiterint Rabanus, Ratramnus, Johannes Scottus, magna nomina, quos catholica Eccleſia tunc temporis in honore habuit: nec ullus tunc eos, inquiunt, ob impugnatum Paſchaſium arguit erroris. Etſi verò Paſchaſii ſententia ſenſim irrepſerit in animos vulgi; ſemper tamen uſque ad Berengarii tempus inventos eſſe viros doctos, qui pro avita religione ſteterint. quales ſæculo decimo Ratherium Veronenſem Epiſcopum, Herigerum Abbatem Laubienſem, & alios fuiſſe affirmant.

22. Jam quidem commentis iſtis (ut dixi) factum eſt ſatis, & inviciſſimis argumentis confirmata eſt catholica Fides & Paſchaſii religio: nec mihi tantum ſumo, ut operam meam hac in cauſa neceſſariam eſſe putem. At quoniam de Radberto, ejuſque ſanctitate dicere mihi incumbit; has ab eo calumnias propulſare cogit ipſa officii mei ac loci hujus neceſſitas.

23. Ut verò Paſchaſii libro ſua conſtet auctoritas, inquirendum eſt, an & quos adverſarios præ oculis habuerit, cùm eum ſcriberet: an receptam & communem ſui temporis Eccleſiæ Fidem declaraverit: quot & quales in ſe adverſarios excitaverit.

I.

An hæreticos impugnet.

24. Quid cauſæ impulerit ſive Paſchaſii diſcipulos, ſive Paſchaſium ipſum ad petendum ſcribendumve hunc librum, operæpretium eſt accuratè obſervare hoc loco: nempe ut exponeretur de Euchariſtiæ Sacramento catholica doctrina in gratiam Saxonum puerorum recèns ad Fidem converſorum, qui in Corbeiæ novæ Monaſterio educabantur. Hanc enim eſſe ejus libelli cauſam diſcimus ex ſuperiori Paſchaſii epiſtola ad Carolum Calvum. Nec obſtat, quòd

quoſdam hæreticos notare videtur Paſchaſius in cap. 21 his verbis. *Nos autem catholicè ſenſum ipſius Domini requirentes, non hæreticorum nænias ſequamur, ſed ejus qui ait: Accipite & comedite ex hoc omnes.* Quippe ita compoſita eſt tota ejus oratio, ut informantis ad pietatem, non decertantis ad refutationem, formam habere videatur. Procedit enim ſedato, ſimpliciique modo ad erigendum animum in tantum ſacramentum; non contento & concitato illo genere, quod in diſputationibus adhiberi ſolet.

25. Præter ea in exitu ſæculi octavi, aut noni initio nulla legitur exorta hæreſis contra Euchariſtiam, niſi quòd Alcuinus in Confeſſione Fidei, quam Petrus Franciſcus Chiffletius vulgavit, aliquam deſignare videtur his verbis, quæ habentur in parte 4. *Adverte jam tandem, ô perverſarum mentium perverſa doctrina, & noli ſurda aure & incircumciſo corde præterire quod dicitur: Qui manducat me. Suam nimirum, & non aliam carnem demonſtrat. Si enim hoc non eſſet, nequaquam myſterium illud tam mirabile & ineffabile atque incomprehenſibile dici poſſet. Qui Deum credit omnipotentem, credit utique eum facilè poſſe de re aliqua quod vult facere. Si hoc non eſſet ita, comprehendi ſenſu, & verbis dici certè potuiſſet. Verùm quia longè aliter ſe habet veritas tanti myſterii, quàm tu hæretico decepta ſpiritu arbitreris, rectè dicitur myſterium fidei.* Scio viros doctos nonnullos dubitare de hujus operis auctore. At eorum exceptiones tanti non ſunt, ut iis ſubſcribere cogamur, ut aliàs demonſtravi Diſquiſitione ſingulari in Analectorum tomo 1.

26. In his duobus locis etſi mentio fiat hæreticorum, & hæreticæ doctrinæ; non tamen nova hæreſis, ſed ad ſummum vetus aliqua deſignatur; aut potiùs dubia fides quorumdam falſorum Catholicorum, qui etſi hæreticum dogma publicè non profiterentur, haud tamen rectam fidem haberent. Certè hos tantùm, quos poſtremo loco dixi, intellexiſſe videtur Paſchaſius, ut fidem faciunt epiſtolæ ad Fredugardum hæc verba: *Et ideo quamvis ex hoc quidam de ignorantia errent; nemo tamen eſt adhuc in aperto, qui hoc ita eſſe contradicat, quod totus orbis credit & confitetur.* Aut certè hæreticorum nomine ambo, Alcuinus ſcilicet & Paſchaſius, veteres hæreticos intelligunt Neſtorianos, quos erraſſe circa hoc ſacramentum itidem exiſtimavit Lanfrancus in Dialogo adverſus Berengarium, ubi ait, *paucis annis poſt obitum beati Auguſtini*, immo vivente etiam tum Auguſtino, *tempore Cæleſtini Papæ & Cyrilli Alexandrini Epiſcopi*, ortas fuiſſe hæreſes duas; ſeu potiùs unius hæreſeos ſectas duas, quarum aſſeclæ conſentiebant quidem, *panem & vinum in veram filii hominis carnem verumque ſanguinem converti*; ſed alios hoc nomine *filii hominis* intellexiſſe *quemlibet hominem, ſive juſtum, ſive peccatorem, in cujus carnem & ſanguinem converſa terrena ſubſtantia ſumeretur in remiſſionem peccatorum. alios non hunc eſſe de turba quemlibet hominem; ſed virum juſtum, ſan-* Lanfrãci ſententia de Neſtorianis expenſa.

ſificatum, à communi hominum per ſuam celſitudinem ſegregatum. Adverſus quos Synodus Epheſina canonem ſcripſerit, & Neſtorio Epiſcopo, tamquam hæreticorum ſignifero, tranſmiſerit in hæc verba: *Ad benedictiones myſticas accedimus, & ſanctificamur, participes ſancti corporis & pretioſi ſanguinis Chriſti omnium noſtrûm Redemtoris effecti. non ut communem carnem ſuſcipientes, quod abſit, nec ut viri ſanctificati & Verbo conjuncti ſecundùm dignitatis unitatem, aut ſecundum divinam poſſidentis habitationem: ſed verè vivificatricem, & ipſius Verbi propriam factam, &c.* Et verò Neſtorianos non rectè omnino ſenſiſſe de Euchariſtiæ ſacramento opinatur eruditus vir Johannes Garnerius Societatis Jesu, in Diſſertatione 1 de hæreſi & libris Neſtorii: ubi Neſtorium impanationis errorem docuiſſe; Neſtorianos verò ſenſim ad recentiorum Calviniſtarum dogma defeciſſe colligere ſibi viſus eſt tum ex Theodoriti Neſtorio addicti argumento propoſito in dialogo Eraniſtæ; tum ex teſtimonio Leontii de Theodori Mopſueſteni ſectariis. Non ergo Neſtoriani admiſiſſent veram panis & vini converſionem in carnem & ſanguinem hominis cujuſcumque, ut putavit Lanfrancus. qui certè non bene intellexiſſe videtur dogma Neſtorianorum, cui Epheſinus hic canon opponitur. Quia enim duas in Chriſto perſonas admittebant Neſtoriani, purumque hominem ſola unione morali cum Verbo conjunctum confitebantur; conſequens erat, ut in Euchariſtia nonniſi hominis juſti, licèt non alterius quàm Chriſti, corpus & ſanguinem exſiſtere affirmarent. quod ipſorum dogma Epheſini Patres, & cum eis Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus impugnat anathematiſmo XI. Unde Vigilius Tapſenſis Epiſcopus in lib. 5 adverſus Eutychetem: *Cyrillus hoc catholicè præcepit.... ut carnem dominicam propriè Verbi, qui ex Deo natus eſt, eſſe credamus, & non alterius cujuſdam tamquam conjuncti ei ſecundùm dignitatem, in quo veluti extrinſecùs divinitas habitaverit, ſicut in unoquoque Sanctorum: & ob hoc nos vivificatricem dominicam carnem debere aſſerit confiteri, quoniam propria facta eſt vivificantis Verbi.* Denique ut ad propoſitum me referam, fortaſſe Alcuinus, Paſchaſiuſque in præcitatis locis non alios intellexerunt, quàm Neſtorianos, jure vel injuriâ erroris in Euchariſtiam à nonnullis affectos; aut falſos Catholicos, qui ſenſuum & pravæ rationis præſtigiis ſeducti, hæreſim mente facilè concipiunt, tametſi eam verbis non diſſeminent. Ego verò poſteriorem hanc de Paſchaſii mente ſententiam præferendam exiſtimo: propterea quòd de præmiſſo Epheſinæ Synodi decreto ipſe agens in epiſtola ad Fredugardum, hunc Neſtorianis errorem nullatenus imputat: ſed tantum ex illo Synodi decreto convinci ait (quod quidem apertum eſt) realem Chriſti corporis in Euchariſtia præſentiam.

Paſchaſii ſcopus.

II.

27. At quidquid demum his *hæreticorum næniis* intellexerit Paſchaſius; ſive malos Catholicos, ſive Neſtorianos, ſeu novos hæreticos deſignaverit; non aliam tradidit ſuo in libro de Euchariſtia doctrinam, quàm Eccleſiæ univerſæ.

28. Tria potiſſimùm docet hoc in opere Paſchaſius, quæ ſtatim ab initio libri exponit. nimirum verum corpus & ſanguinem Chriſti Domini exſiſtere in Euchariſtia: panis & vini ſubſtantiam facta conſecratione non ſupereſſe; ipſumque corpus non aliud eſſe, quàm quod de Maria Virgine natum eſt. Hæc paucis comprehendit in hunc modum. *Licèt figura panis & vini hic ſit, omnino nihil aliud, quàm caro Chriſti & ſanguis poſt conſecrationem credenda ſunt. Unde ipſa Veritas ad diſcipulos hæc inquit: Caro mea eſt pro mundi vita. Et, ut mirabiliùs loquar, non alia planè, quàm quæ nata eſt de Maria, & paſſa in cruce, & reſurrexit de ſepulcro.* Tria alia ex his conſequentia etiam docet, ſcilicet Chriſtum *in myſterio quotidie veraciter immolari* in capitibus 2, 4 & 9. Euchariſtiam *& veritatem eſſe & figuram* cap. 4. denique *ſeceſſui obnoxiam non eſſe* cap. 20. Libri ejus ſumma & fides.

29. Præſentiam (quam vocamus) realem & tranſſubſtantiationem ita aſſerit, ut ſi quis non credat, *impio deteriorem* eſſe pronuntiet cap. 12, & in epiſtola ad Fredugardum *Sanctorum fidem* appellet: ſecus ſentientes *contra ipſum Dominum & contra omnem Eccleſiam* agere. Denique in commentario ſuper Matthæum neminem eſſe, *qui in aperto hoc ita eſſe contradicat, quod totus orbis credit & confitetur.* Atqui non ignorabat Paſchaſius, quid de Euchariſtia tum ſentiret Eccleſia: neque verò eò impudentiæ prolapſurus fuiſſet, ut fingeret ita ſentire Eccleſiam omnem, ſi alia tum fuiſſet Eccleſiæ fides. Pronum quippe & familiare Novatoribus eſt, ſui temporis Eccleſiam arguere, Fideles à recepta perſuaſione revocare, & ſe primos demum rectæ Fidei jactitare auctores, aut certè avitæ religionis inſtauratores. Ut verò quiſquam à recepta Fide recedens dicere auſus ſit, ſe cum ſui temporis Eccleſia omni convenire; hactenus forſan inventus eſt nemo, niſi quidam recentiores Calviniſtæ, qui Græcos hodiernos, ſed longè diſtantes, ſecum de Euchariſtia conſentire auſi ſunt affirmare, reclamantibus undique Græcis, & teſtimonia publica proferentibus in exſecrationem malè impacti erroris. At verò Paſchaſius, non unum terræ angulum, ſingulareſve Eccleſiæ populos, ſed *totum orbem* Chriſtianum, nemine in aperto contradicente, confiteri dicit, quod ipſe ſentiebat, ſcribebatque. Denique Paſchaſium omnibus ſui temporis Gallicanis Epiſcopis venerabilem fuiſſe conſtat cùm ex aliis multis, tum ex privilegio, quod Synodi Pariſienſis Patres viginti ipſius rogatu Corbeienſi Monaſterio contulerunt, cum eximio elogio ejus Monachorum, qui ſine dubio Magiſtri ac Præceptoris ſui doctrinâ imbuti erant.

III.

Objectiones diluuntur.

30. Opponit multa Claudius Carentonenſis Miniſter, quibus ſuſpectam reddat Paſchaſii fidem, probetque eam cum ſui temporis Eccleſia non concordare. Neque hoc ſignificare Paſchaſium, cùm ait ſecum ſentire omnem Eccleſiam. Hoc enim dictum eſſe de priſca Eccleſiæ Fide, ſeu de Patribus antiquioribus, quos in partes ſuas Paſchaſius falſis commentariis detorquere conabatur. Hujus rei argumentum eſſe, quòd numquam in teſtimonium adducit ſui temporis Fideles, Epiſcopos nullos, non Abbates, Presbyteroſve, aut Monachos. quod tamen præſtare debuiſſet, ſi id quod de Eccleſiæ Fide aſſerit, ad præſentem retuliſſet.

31. Verùm ſi hæc argumentandi ratio valet, æquè pugnat adverſus Calviniſtas, qui Ratramnum ad ſe trahere conantur. Ratramnus ſiquidem, ut Calviniſtæ contendunt, nec diffitentur Catholici plerique, librum unum de corpore & ſanguine Domini ſcripſit adverſus Paſchaſium, Catholicus (inquiunt) adverſus Novatorem. Ut ſit ſanè. At oſtende quos Epiſcopos, quos Abbates, Presbyteros aut Monachos ſui temporis vocet in teſtimonium. Fruſtra quæras. Dicat ſaltem ſecum ſentire Eccleſiam omnem, ut Paſchaſius dixit. Ne verbum quidem. niſi quòd ait ſequi ſe *majorum auctoritatem*, id eſt antiquorum quos laudaverat Patrum, non propriam *præſumtionem*. quod Novatoris indicium & argumentum Claudius in Paſchaſio ſe deprehendiſſe putabat.

32. At videamus, Paſchaſius in præcitatis locis an Eccleſiam ſui temporis intelligat, an ſuperioris. Opponit errantes *quoſdam*, id eſt paucos, ceteris rectè ſentientibus. quos utroſque eodem tempore vixiſſe & oppoſitionis ratio, & contextus ipſe declarat. *Ideo*, inquit Paſchaſius, *quamvis quidam de ignorantia errent, nemo tamen eſt adhuc in aperto qui ita hoc eſſe contradicat, quod totus orbis credit & confitetur. Quoſdam* illos qui errabant, Paſchaſii tempore exſtitiſſe hinc manifeſtum eſt. Ergo id quod ex adverſo de totius orbis confeſſione affirmat, reliquis hominibus, id eſt univerſæ ejuſdem temporis Eccleſiæ, aptandum eſt.

33. Neque porro Paſchaſio neceſſarium erat, Epiſcopos, Abbates, Presbyteros, alioſve ſui temporis homines adſciſcere in teſtimonium. Satis enim comprehenduntur omnes *totius orbis* nomine: & perſonarum ſtudioſa illa enumeratio in re non dubia, qualis erat tum Eccleſiæ de Euchariſtia Fides, omnino ſuperflua, aut ſuſpecta fuiſſet. Nam omnes & ſingulos recenſere infinita res; & deſignare tantùm aliquos, partium ſtudiis obnoxia cenſeretur.

34. Quid? quod Epiſcopi Synodi Pariſiacenſis ſatis apertè conteſtati ſunt, ſe Radberti doctrinam fidemque probare: ſiquidem multis annis poſt ſcriptum librum de corpore & ſanguine Domini

privilegium ipſi conceſſerunt cum eximia commendatione. Quid? quòd Lupus Abbas Ferrarienſis, vir religioſiſſimus, eum *dilectiſſimum & bonis omnibus amplectendum* vocat in epiſtolis 56 & 57. Quid? inquam, quòd Engelmodus Epiſcopus in carmine de ejus laudibus condito, ipſummet *Eccleſiæ columen* appellat, *Religionis apicem, Fidei fortiſſimum umbonem & jubar;* virum, quem *non deturpet mentita fidem ſimulatio, ſed pia ſimplicitas & virtus recti conſcia* exornet. quem etſi *Imperii faſces & Regni fulgens gloria*, id eſt Rex & optimates, *venerarentur;* numquam tamen inflaret *ventoſus favor.* Nihil ſanè illuſtrius dici poterat ad commendandam probandamque Radberti fidem.

55. Hîc oſtendere poſſem multos ejus temporis Epiſcopos, in his Hincmarum Archiepiſcopum Remenſem, cum Radberto in Fide Euchariſtiæ conſenſiſſe, niſi actum agere viderer. Sed tamen duo illuſtrium iſtius temporis virorum teſtimonia prætermittere non poſſum, quæ jam in Diſquiſitione de Alcuini confeſſione commemoravi. Primus eſt Paulus Diaconus, Caſinenſis Monachus, Radberti natu major, qui in libello de vita ſancti Gregorii Papæ primi cognomento Magni, de Euchariſtia hæc habet. *Præſcius Conditor noſter infirmitatis noſtræ, eâ poteſtate quâ cuncta fecit ex nihilo, & corpus ſibi ex carne ſemper virginis Mariæ operante ſancto Spiritu fabricavit; panem & vinum aquâ mixtum, manente propria ſpecie, in carnem & ſanguinem ſuum, ad catholicam precem, ob reparationem noſtram Spiritus ſancti ſanctificatione convertit.* Nemo catholicam Fidem clariùs ſignantiúſve exprimere poterat. Alter eſt Haimo Halberſtadenſis Epiſcopus, qui in tractatu de corpore & ſanguine Domini, edito in Spicilegii tomo 12 ita effatur. *Credimus itaque & fideliter confitemur & tenemus, quòd ſubſtantia illa, panis ſcilicet & vini, per operationem divinæ virtutis ſubſtantialiter convertatur in aliam ſubſtantiam, id eſt in carnem & ſanguinem.* Hæc aliaque Haimonis verba manifeſtè demonſtrant, veram corporis Chriſti præſentiam veramque ſubſtantiæ panis & vini converſionem in Euchariſtia ab ipſo creditam: nec privatam dumtaxat, ſed publicam & communem totius Eccleſiæ perſuaſionem fuiſſe. Ex quibus perſpicuum eſt, Radberti majores & æquales hac in re cum eo penitus conſenſiſſe. Id verò confirmatur ex cap. 2 Concilii Celichitenſis anno DCCCXVI in Anglia celebrati, ubi Euchariſtia *corpus & ſanguis Domini noſtri Jeſu-Chriſti* eſſe aſſeritur. Luculentus hac de re locus eſt in Compendienſi commentario Anonymi in Pauli epiſtolas, ab annis ampliùs octingentis manu ſcripto, in quo ſuper epiſtolam ad Corinthios primam, in hæc verba, *Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum*, ita legitur. *Sicut caro Chriſti, quam aſſumſit in utero virginali, verum corpus ejus eſt, & pro noſtra ſalute occiſum: ita panis, quem Chriſtus tradidit diſcipulis* MS. Compend. n. 19.

ſuis, omnibuſque prædeſtinatis ad vitam æternam, & quem quotidie conſecrant Sacerdotes in Eccleſia, cum virtute divinitatis quæ illum panem replet, verum corpus eſt Chriſti. Nec ſunt duo corpora illa caro, quam aſſumſit, & iſte panis: ſed unum verum corpus Chriſti faciunt, in tantum ut dum ille frangitur & comeditur, Chriſtus immolatur & comeditur; & tamen vivus manet. Et ſicut illud corpus quod in cruce poſitum pro noſtra ſalute & redemtione eſt immolatum: ita quotidie ad noſtram ſalutem & redemtionem iſte panis Deo offertur. qui licet panis videatur, corpus eſt Chriſti. Nihil luculentius afferri poteſt auctoritate hujus Anonymi, quem tempore Paſchaſii vixiſſe conjicio ex illa quam aſſerit unius corporis (ut ſic loquar) identitate, de qua tunc lis erat.

36. Ad hæc duplex aliud argumentum in Paſchaſium urget Claudius ex illis verbis epiſtolæ ad Fredugardum. *Tu autem velim relegas libellum noſtrum de hoc opere, quem olim te legiſſe dicis: & ſi quid in eo reprehenderis aut dubitaveris, relegere non pigeat. quia etſi nihil in eo legentibus dignum ſcripſi, quem cuilibet puero dedicavi; tamen ad intelligentiam hujus myſterii plures, ut audio, commovi.*

37. Frigidum eſt quod primo loco hinc deducit Claudius, Paſchaſium, ſi ſui temporis doctrinam tenuiſſet, non poſtulaturum fuiſſe à Fredugardo, ut ſi quid reprehenſione dignum in ſuo ſcripto deprehendiſſet, ſibi ſignificaret. Frigida, inquam, eſt objectio hæc. Neque enim Fredugardi cenſuram poſtulat Radbertus ad examinandam Fidem ac doctrinam ſuam, ſed ad probandum modum tractandi res, qui obnoxius eſt erratis humanis. Sic Agobardus Lugdunenſis Antiſtes ſuum ipſius librum adverſus Felicem Urgelitanum Epiſcopum offert Ludovico Auguſto diſcutiendum, *ut veſtro*, inquit, *acerrimo ingenio probetur, aut improbetur.* non rem ipſam Imperatoris examini ſubjiciens, (neque enim dubitabat Agobardus eam eſſe catholicam Fidem, quam poſt Conciliorum definitionem propugnabat) ſed orationis ſeriem & argumentorum formam, ut probaret, an rectæ Fidei & materiæ dignitati conveniret. Infinita ſunt id generis veterum exempla, qui libros ſuos, de Fidei myſteriis quantumvis certiſſimis conſcriptos, aliis examinandos, corrigendoſque offerebant. Sic Theodoritus ſuum in Pauli epiſtolas commentarium amico ſuo direxit, *non ut prudenti auditori, ſed ut ſapienti veroque judici: Et quemadmodum*, ait, *aurifices ad lapidem aurum admovent, cum probare volunt, an purum ſit & excoctum: ſic ego ad pietatem tuam commentarium miſi, ſcire avens, rectene ſe habeat, an aliqua egeat purgatione.* Sic Eulogius Cordubenſis *Documentum martyrii*, in gratiam Floræ & Mariæ ſcriptum, fratris ſui Alvari cenſuræ ſubjiciens, *Tuum eſt*, inquit, *frater cariſſime, huic voluminı auctoritatem donare: quia priuſquam earumdem virginum adiret obtutus, tuo elimari eum judicio volui, ne fortè errore neſcientiæ in aliquibus repugnaret catholico dogmati.* Et in

Theodoret. epiſt. 1.

Eulog. epiſt. 2.

fine Apologetici Martyrum ipſos Martyres alloquens. *Et ſi fortaſſis error contrarius Fidei in qualibet parte libelli emerſerit, Dominus veſtro interventu mihi parcat, vos, quæſo, quibus innocentia cordis mei non latet: præſertim cùm non neſciam, prudentes plerumque incurrere ſermonis lapſum, ubi animus non gerit errandi affectum.* Egregia planè ſententia, quæ Paſchaſio jure aptari poteſt. Eodem modo affectus erat Alcuini animus, qui licèt prima religionis Chriſtianæ dogmata defenderet; humanæ tamen infirmitatis conſcius libros ſuos Carolo Magno in primis exigendos offerre ſolitus erat, ut libellum contra hæreſim adoptionis ex epiſtola 15. in qua David Regi, id eſt Carolo Magno, gratias agit, quòd libellum iſtum ſibi recitari feciſſet, *& quòd notari juſſiſſet errata illius, & remiſiſſet ad corrigendum.* Quantos egiſſet triumphos Claudius Miniſter, ſi idem de Paſchaſii libro contigiſſet. Et tamen errata illa non ipſam Fidei de Chriſto Dei filio ſententiam, quæ ſine dubio in Alcuino rectiſſima erat, attinebant; ſed humanos lapſus, qui ſcriptoribus in quovis argumento accidere ſolent. Edenda eſt propediem à V. Cl. Stephano Baluzio alia ejuſdem Alcuini epiſtola itidem ad Carolum Magnum, qua ejus examini eumdem libellum, id eſt opus librorum ſeptem adverſus Felicem, ſubjicit. Sed diutius hæreo in facili argumento, quod uno verbo confici ſatius erat. Sed quando huc nos adduxit adverſariorum objectio; longè validiùs hæc regeri poſſet in Ratramnum, quem partium ſuarum fautorem, tametſi perperam, jactitant Calviniſtæ: cùm librum ſecundum de corpore & ſanguine Domini ita concludit, Carolum Calvum affatus. *Quæ ſi probaveritis catholicè dicta, veſtræ meritis Fidei deputate, quæ depoſitâ regalis magnificentiæ gloriâ non erubuit ab humili quærere reſponſum veritatis. Sin autem minus placuerint, id noſtræ deputetur inſipientiæ, quæ quod optavit, minus efficaciter valuit explicare.* Hæc, inquam, cùm rem ipſam ſpectare videantur, validiùs in Calviniſtas retorqueri poterant, ſi ejuſmodi argutiis liceret immorari.

38. Aliud argumentum ex præmiſſis verbis deſumit Claudius, ut probet Paſchaſium fuiſſe Novatorem: quòd ſcilicet, uti ipſe dicit, *ad intelligentiam hujus myſterii plures commoverit.*

39. At ſi hoc nomine Paſchaſius dicendus eſt Novator, Novatores etiam dicendi ſunt, quicumque Eccleſiæ rude vulgus Fidei elementis informant, & verbis, & ſcriptis. Hoc enim modo commoventur, non ſolùm rudes & indocti, ſed etiam docti ad myſteriorum intelligentiam pleniorem, majoremque venerationem. Et certè eo loci Paſchaſium id ſolum velle conſtat, cùm ait, multos ex ſuo libro *ad intelligentiam hujus myſterii* fuiſſe commotos. Hanc enim intelligentiam in eo reponit, non ſolùm ut diſcernamus corpus Chriſti Domini à cibo communi, quod ad Fidem pertinet;

ſed ut intelligamus, *myſticum Chriſti corpus quanta polleat dignitate, quantaque præmineat virtute.* quod utrumque Catholicorum auribus ſæpius inculcatur, nec ab his umquam capitur ſatis. Neque verò mirum, ſi id ſuo tempore ex lectione & uſu libri ſui accidiſſe dicat Radbertus: cùm idem judicium de eo tulerit centum pòſt annis ſanctus Odo Abbas Cluniacenſis, qui relatis aliquot locis ex libro Paſchaſii in collationum lib. 2 capitibus 30 & 31, ita ſubdit. *Hæc & alia multo plura Paſchaſius ex dictis Patrum ad reverentiam ipſius myſterii commendandam, atque majeſtatem ejus demonſtrandam conſcripſit: quæ ſi quis licèt ſciolus, legerit; tanta, credo, diſcet, ut de hoc myſterio parum ſe eatenus cognoviſſe putet.* Certum eſt ſanctum Odonem hîc agere de Catholicis Euchariſtiæ fide imbutis: quibus tamen adeo proficuam fore dicit Paſchaſiani libri lectionem, ut eo perlecto de hoc myſterio parum ſe eatenus cognoviſſe confeſſuri ſint.

40. Urget Claudius, Paſchaſium loqui, non ſolùm de perfectiori Sacramenti notitia, verùm etiam de ipſa fide myſterii, ad quam multos fuiſſe commotos ſcribit. quippe qui in ſuo libro non tantùm *quid ad ſcientiam*, quæ rei perceptio clarior eſt; ſed & *quid ad fidem* Sacramenti pertineat, explicare intendit, ut patet ex capite 2, ubi ait neminem Fidelium ignorare debere, *quid ad fidem, quidve ad ſcientiam in eo pertineat.*

41. Ita quidem habet Paſchaſius in cap. 2. ſed locus alter, in quo ait plures *ad intelligentiam hujus myſterii* fuiſſe commotos, exſtat in epiſtola ad Fredugardum. Porro an hoc referendum ſit ad ipſam fidem, an ſolùm ad ſcientiam, nuſquam dicit Paſchaſius. Immo *intelligentiæ* vocabulum ſatis declarat, hunc locum de majori Sacramenti notione intelligendum eſſe. Quamquam etſi concedamus dixiſſe Paſchaſium, multos ex lectione libri ſui ad fidem hujus myſterii fuiſſe commotos; non video inde conſequi ipſum eſſe Novatorem. His enim verbis tantùm ſignificaret, multos Catholicos dubiæ fidei ex ea lectione adductos fuiſſe ad hujus Sacramenti veram, certamque perſuaſionem, tum ob traditionem & auctoritatem Patrum, tum ob argumenta & rationes pias ab Auctore propoſitas, quæ ipſis antea ignota fuiſſent. Nullus enim ante Paſchaſium tam accuratè, aut pias credendi rationes, aut Patrum teſtimonia in unum collegerat. Aut certè id intelligit de Saxonibus recèns ad Fidem adductis, in quorum maximè gratiam libellum ſuum condiderat.

42. Aliud argumentum objicit Claudius ex epiſtola Paſchaſii ad Fredugardum, dicentis, quoſdam circa hoc Sacramentum *de ignorantia errare.* immo non quoſdam tantùm, ſed *multos ex hoc dubitare, quomodo Chriſtus integer maneat, & hoc corpus Chriſti & ſanguis eſſe poſſit.*

43. At error quorumdam illorum erat *de ignorantia Fidei* & Traditionis Eccleſiæ, quam Traditionem non ſatis perſpectam habebant: & multorum dubitatio naſcebatur ex naturali conditione ingenii humani, quod rebus difficilioribus ægrè fidem accommodat. quale eſt illud quod ſubdit Paſchaſius, *quomodo Chriſtus integer maneat, & hoc corpus Chriſti & ſanguis eſſe poſſit.* Uno verbo ignorantia hæc erat maximè penes neophytos Saxones, ut mox dicebam.

44. Fatendum eſt tamen quoſdam Paſchaſii libro reſtitiſſe, quos ipſe deſignat in Matthæi caput 26, dicentes, *non in re eſſe veritatem carnis Chriſti vel ſanguinis, ſed in ſacramento; virtutem quamdam carnis, & non carnem; virtutem ſanguinis, & non ſanguinem.* Contra quos multa congerit Paſchaſius, *quia*, inquit, *audivi quoſdam me reprehendere, quaſi ego in eo libro, quem de Sacramentis Chriſti edideram, aliquid his dictis*, id eſt verbis Chriſti, *plus tribuere voluerim, & ejus per ſingulos membra dividere conciſa vel diſperſa.*

45. Ex his Paſchaſii verbis tria colligimus. Primum, aliquos homines non omnino probaſſe ejus librum de corpore & ſanguine Domini. Alterum eſt, eos ſenſiſſe, in Euchariſtia non contineri veritatem carnis Chriſti & ſanguinis; ſed utriuſque virtutem dumtaxat, figuramque. Tertium, id rumore delatum ad Paſchaſium, non editis libris, & quidem annis ampliùs viginti poſt ſcriptum librum. *Audivi*, inquit, *quoſdam me reprehendere*, &c. quibus verbis conſonant ea, quæ poſtea ſcripſit ad Fredugardum, neminem adhuc *in aperto* contradixiſſe. Unde inquirendum eſt, quos adverſarios habuerit Paſchaſius. quo tempore libros ediderint contra ipſum. ac demum qua in re eorum controverſia verſaretur. Quia verò hac in controverſia non levis momenti eſt Anonymi Cellotiani auctoritas, primùm agendum videtur de nomine & ætate hujus Auctoris.

§. III.

De nomine & ætate Anonymi Cellotiani.

46. ETSI Anonymus iſte ingenio planè mediocri & vulgari eruditione præditus fuerit; fatendum eſt tamen, ipſius teſtimonium non parum valere ad illuſtrandas ſæculi noni ac decimi controverſias: maximè ſi ſæculo decimo, ut quibuſdam viſum eſt, eum vixiſſe conſtet. Auctor enim iſte, qui Anonymus Cellotianus vulgo appellatur, propterea quòd ab erudito Cellotio vulgatus primùm eſt in Appendice ad hiſtoriam Gotheſcalci; quatuor potiſſimùm docet de his controverſiis. Primum, Rabanum Moguntinum Archiepiſcopum, & Ratramnum ſcripſiſſe adverſus Paſchaſii ſententiam, aſſerentis, in Euchariſtia idem eſſe corpus quod natum eſt

de Maria virgine. quod etiam Anonymus iſte impugnat. Secundum, Stercorariorum auctores eſſe Heribaldum Autiſiodorenſem Epiſcopum, qui *rem turpiter propoſuit* Rabano; & Rabanum ipſum, qui *turpiùs aſſumſit, & turpiſſimè concluſit.* quos etiam Auctor refutare conatur. Tertium, hoc commentum revixiſſe tempore ipſius Anonymi. Quartum, verè Chriſti corpus & ſanguinem nihilo minùs in Euchariſtia contineri. Hæc quanti momenti ſint nemo non videt. ac proinde aliquod operæ pretium fore putavi, ſi antequam agam de Paſchaſii adverſariis, hujus Anonymi nomen ætatemque, (quod utrumque apud ſtudioſos controverſum) ſignificem.

I.

47. Duobus modis perductus ſum ad notitiam iſtius Auctoris, conjecturis ſcilicet, & libris manuſcriptis. HERIGERUM Abbatem Laubienſem eſſe libri Cellotiani auctorem mihi ſuadebant conjecturæ tres. Prima ex Chronici Laubienſis Continuatore & Sigeberto, apud quos Herigerus *multa Catholicorum Patrum ſcripta de corpore & ſanguine Domini contra Radbertum congeſſiſſe* memoratur. qualia congerit Anonymus Cellotianus, Hieronymi ſcilicet, Auguſtini & Fulgentii, ad ſuadendum, non omnino idem eſſe in Euchariſtia corpus Chriſti, quod de Maria virgine natum eſt. Secunda ex prologo Gerardi Abbatis in vitam ſancti Adalhardi Corbeienſis Abbatis, Gerardus quippe laudato Paſchaſii libro de corpore & ſanguine Domini, ſubdit hæc verba. *Hic autem qualis fuerit & quantus, in quadam epiſtola teſtatur Abbas Laubienſis* HERIGERUS, *qui eo tempore inter ſapientes habebatur celeberrimus.* Et Paſchaſius multis laudatur in libro Cellotiano, qui juſtæ epiſtolæ modum, formamque non excedit. Vivebat porro Gerardus, Silvæ-majoris Abbas ſanctus, medio ſæculo undecimo, poſt Herigerum annis ferè quinquaginta. Tertiam conjecturam cepi ex quodam antigrapho noſtro, exſcripto ex Laubienſis Bibliothecæ exemplari: in quo Paſchaſii Radberti liber de corpore & ſanguine Domini, qui in aliis libris editis & MSſ. paucioribus capitulis conſtat, in nonaginta novem capitula dividitur. Ex quo conjiciebam, eſſe ipſummet exemplar viſum Anonymo Cellotiano, dicenti, Paſchaſii libellum *ad centum ferè capitula* protenſum fuiſſe. ac proinde locum, uti & cetera, Herigero Abbati Laubienſi convenire.

48. Hæc in primis cauſa fuit, ut in itinere Belgico, quod rei litterariæ cauſâ ante annos aliquot ſuſcepi, diverterim ad Laubienſe Monaſterium ad Sabim fluvium ſitum, in confinio Hannoniæ, Teoraſciæ, & ditionis Leodicenſis: ubi ægrè tandem inveni exemplar vetuſtiſſimum Ratramni libri de corpore & ſanguine Domini, quod etiam avidè perquirebam. De Anonymo Cellotiano nihil

occurrit, niſi quod in Indice librorum Monaſterii anno M XLIX ordinato adſcriptam reperi ERIGERI *Abbatis Exaggerationem Auctorum de corpore & ſanguine Domini.* Dein luſtrato Alnenſi Monaſterio Ciſtercienſis Ordinis, itidem ad Sabim ſito, in quo inſignis eſt Bibliotheca librorum cùm veterum, tum recentiorum, contuli me ad Gemblacenſe Brabantiæ Monaſterium, ubi votis meis factum eſt ſatis. Acceptus enim in Bibliothecam magna cum humanitate & comitate reverendiſſimi domini Abbatis & loci Monachorum, inveni quemdam librum ante annos quingentos manu exaratum, in quo ſubjecti Auctores & ſequentia opuſcula continentur. *Ambroſius de myſteriis & de Sacramentis. Radbertus de corpore & ſanguine Domini. Cujuſdam epiſtola* itidem *de corpore & ſanguine Domini;* incipiens ab his verbis: *Intuentes ſententiam Apoſtoli, qua dicitur: Animalis homo*, &c. quæ aliaque verba ab Anonymo Cellotiano referuntur ſub nomine *cujuſdam Sapientis.* Tum *dicta cujuſdam Sapientis de corpore & ſanguine Domini adverſus Ratbertum.* Alterius item Anonymi fragmentum de eodem Sacramento. Poſtea DICTA DOMNI ABBATIS HERIGERI *de corpore & ſanguine Domini*, hoc exordio: *Sicut ante nos dixit quidam Sapiens, cujus ſententiam probamus, licèt nomen ignoremus*, &c. quod initium eſt libri Cellotiani, cujus proinde auctorem Herigerum Abbatem Laubienſem affirmare non vereor, mecumque affirmare non cunctabuntur, ut ſpero, viri ſtudioſi. Sequuntur in eodem codice excerpta quædam tum *ex libro Confeſſionum domni Ratherii de corpore & ſanguine Domini*; tum ex commentariis Haimonis in epiſtolam ad Corinthios, cum Micrologo & Lanfranci Dialogo contra Berengarium. Hæc ſingillatim admonuiſſe juvat ad probandam fidem meam, ut in poſterum conſtet de nomine Anonymi Cellotiani, quem HERIGERUM eſſe idoneis, ut puto, argumentis oſtendi.

II.

49. Supereſt inquirere tempus, quo vixit Herigerus, cujus ætatem diſcimus ex Continuatore Chronici Laubienſis in hæc verba. *Obiit Fulcuinus Abbas anno dominicæ Incarnationis* DCCCC XC. *Poſt hunc* HERIGERUS *ſubſtitutus eſt, cujus virtutum dotes deſcribere ſuperfluum puto, cùm apud exteros etiam, & vitâ & ſcientiâ clarus extiterit. Scripſit geſta Pontificum Leodienſium .·.·. Congeſſit etiam contra Ratbertum multa Catholicorum Patrum ſcripta de corpore & ſanguine Domini. Obiit in ſenectute bona anno Incarnationis dominicæ* M VII, *pridie Kalendas Novembris*, &c.

III.

50. Qua occaſione libellum ſeu epiſtolam iſtam ſcripſerit Herigerus, docet initio his verbis. *Fidei integritate monente provocamur reſpondere, de quo dignum eſt non tacere: videlicet de myſterio corporis &*

ſanguinis Domini, dicentibus quibuſdam idem eſſe quod ſumitur de altari, quod & illud quod natum eſt ex Virgine; aliis autem negantibus, & dicentibus aliud eſſe: quibuſdam etiam diabolica inſpiratione blaſphemantibus, ſeceſſui obnoxium fore. id eſt *eſſe*, ne quis in verbo ludat cum nonnullis, quaſi id ex conſequenti tantùm dixerit Herigerus. Hoc enim ſenſu *fore* pro *eſſe* ſumitur paſſim apud infimæ Latinitatis Auctores; & quidem apud Herigerum ipſum in ejuſdem libelli cap. 4, ubi ait, *naturalem ſcilicet carnem Chriſti quæ ſumitur de altari, eamdem fore quæ de Virgine nata eſt.* Hinc intelligimus, eaſdem controverſias, quæ ſæculi noni homines diſtraxerant, denuo recruduiſſe, aut certè necdum ſopitas fuiſſe ſæculo decimo, quo Herigerus vivebat. Quia verò magni momenti eſt ſcire, quo in ſenſu hæc controverſia fuerit agitata, eam prius rectè ſtatuere oportet, quàm ad ſingulos Paſchaſii adverſarios deſcendamus.

§. IV.

In quo ſita fuerit controverſia Paſchaſii ejuſque adverſariorum, diſceptantium, an corpus Chriſti in Euchariſtia ſit illud idem quòd natum eſt ex Maria virgine.

Vocum pugnæ generant lites.

51. SÆPE contingit in re litteraria, ut nova & inuſitata quæſtione exorta commoveantur ſtudioſorum animi, & in varias factiones ſcindantur, non tam ſententiarum varietate diſtracti, quàm diſcrimine vocum, quæ litis materiam ferventioribus ſubminiſtrant. Id verò maximè advertere licet in negotio religionis, ubi ſuſpecta ſunt, & meritò quidem, ipſa etiam nova & inaudita vocabula, quæ contentiones in Eccleſia generare ſolent. Hoc cùm aliis propè infinitis, tum maximè ejus, quam præ manibus habemus, quæſtionis exemplo probari poteſt.

ut in hac quæſtione.

52. Quippe ante Paſchaſii librum de corpore & ſanguine Domini confitebantur Catholici omnes, Chriſti Domini verum corpus, verumque ſanguinem re vera exſiſtere in Euchariſtia; itemque panem & vinum in illa converti: at nemo Paſchaſii tempore illud corpus eſſe idem quod ex Maria virgine natum eſt, tam diſertè aſſerere auditus fuerat. Id quidem antea tradiderant ex Patribus non pauci: ſed ignota erant illo ævo, aut certè non obſervata eorum hac de re teſtimonia. Quapropter cùm Paſchaſius in libro ſuo tam fidenter & aſſeveranter illud docuiſſet; hujus rei novitate (ut ſibi videbatur) commoti ſunt quidam viri docti haud incelebres, qui ſcriptis editis hanc ejus ſententiam acriter impugnarunt. Eam tuebatur Paſchaſius Ambroſii teſtimonio, adverſariis non ita perſpicuo, ex libro de myſteriis cap. 9, ubi hæc legimus. *Liquet igitur*

Paſchaſii fundamentum ex Ambroſio,

quod

quod præter naturæ ordinem Virgo generavit, & hoc quod conficimus, de Virgine eſt. Quid hic quæris naturæ ordinem in Chriſti corpore, cùm præter naturam ſit ipſe Dominus JESUS *natus ex Virgine? Vera utique caro Chriſti quæ crucifixa eſt, quæ ſepulta eſt: vera ergo illius carnis ſacramentum eſt.* Ex hoc loco Paſchaſius ita ſententiam ſuam in cap. 1 expreſſit, citato ad marginem Ambroſio: *Unde ipſa Veritas ad diſcipulos ait, Hæc, inquit, caro mea eſt pro mundi vita. Et ut mirabilius loquar; non alia planè, quàm quæ nata eſt de Maria, & paſſa in cruce, & reſurrexit de ſepulcro. Hæc, inquam, ipſa eſt.* Ubi hæc ſententia prodiit in vulgus, nonnullis diſplicuit, in primis Rabano, Ratramno, Anonymo cuidam, aliiſque Paſchaſii ſæculo, nec omnino probata Herigero in ſæculo ſequenti: qui omnes eam ſententiam ſcriptis adorti ſunt, hac præſertim ratione commoti, quaſi Paſchaſius id commiſiſſet contra veterum auctoritatem, Ambroſii loco non ad verbum, ſed ad ſenſum allato, nec expoſito. Quin etiam eò progreſſi ſunt nonnulli, ut non ſolùm Paſchaſium hac de re vocarint in cauſam, ſed Ambroſium ipſum, veluti ejus patronum, minùs reverenter habuerint. In his occurrit Anonymus quidam, cujus ſcriptionem adverſus Paſchaſium reperi in mſ. codice Gemblacenſi. *Illud*, inquit, *in eo libro*, ſcilicet Paſchaſii, *mihi priùs fateor inauditum reperiri ſub nomine ſancti Ambroſii, quòd non ſit hæc alia caro Chriſti, quàm quæ nata eſt de Maria. Iſtud planè fateor numquam me priùs audiſſe; vidiſſe, legiſſe: multumque miratus ſum, hoc ſanctum Ambroſium dixiſſe; & inſuper etiam multo magis miror, auctorem hujus voluminis*, ſcilicet Paſchaſium, *iſtud ibi poſuiſſe.* Ex quibus apparet, perculſos fuiſſe Paſchaſii adverſarios ipſa vocum novitate, quas nuſquam audierant, viderant, legerant; adeoque aſſuevisse aliorum Patrum teſtimoniis, qui triplex Chriſti corpus diſtinguebant, ut Ambroſium ipſum ſecus non ſentientem, ſed loquentem tantumnon impetere auſi ſint. improbatum.

53. Non deerant alia Patrum loca, quibus Ambroſii teſtimonium fulciri & illuſtrari poſſet: Ignatii in epiſtola ad Smyrnæos, arguentis hæreticos, *eo quòd non confiteantur Euchariſtiam carnem eſſe Servatoris noſtri Jeſu-Chriſti, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quam Pater ſua benignitate ſuſcitavit*; Chryſoſtomi homilia 24 in priorem ad Corinthios, dicentis, *id quod eſt in calice, eſſe idem quod fluxit è latere*, &c. Auguſtini in ſermone ad Neophytos, ſic loquentis, *Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce; hoc accipite in calice, quod manavit de latere Chriſti*; quod iiſdem pæne verbis repetit in lib. 10 contra Fauſtum cap. 10; Gregorii Nyſſeni in Oratione catechetica cap. 37, aſſerentis, *nihil aliud eſſe quàm illud corpus, quod & morte oſtenſum fuit eſſe potentius, & noſtræ vitæ fuit initium.* Proferri poſſent inſuper auctoritates aliorum, qui unum & idem corpus eſſe ab aliis Patribus aſſertum.

ſignanter expreſſere. Sic Eligius Noviomagenſis Epiſcopus in homilia 15. *Nec ſunt duo corpora, caro quam aſſumſit, & iſte panis, ſed tantùm unum corpus.* Sic Johannes Damaſcenus tum in lib. 4 de Fide cap. 14, tum in epiſtola ad Zachariam, & in capitulo ſubſequenti. Sic Gregorius Nyſſenus in prælaudata homilia, ſic denique Chryſoſtomus in homilia 17 ad Hebræos.

Adverſariorum momenta.

54. Hæc cùm fortaſſe non legiſſent, aut certè non ſatis attenderent prædicti Auctores, Paſchaſium defeciſſe exiſtimarunt à modo loquendi Patrum, Auguſtini & Hieronymi, quibus inhærendum cenſebant; aut ſanè conciliandum cum ipſis Ambroſium, ne Patres diverſa de hoc Sacramento ſenſiſſe viderentur. Hinc, teſte Herigero Cellotiano, contra Paſchaſium *ſatis argumentantur Rabanus in epiſtola ad Egilonem Abbatem, & Ratramnus quidam libro compoſito ad Karolum Regem, dicentes, aliam eſſe* (carnem) *vel teſtimonio beati Hieronymi, qui dicit dupliciter corpus Domini; vel ex auctoritate beati Auguſtini, qui dicit tripliciter dici.* Hieronymi locum proferebant ex commentario in caput 1 epiſtolæ ad Epheſios, his verbis: *Dupliciter ſanguis Chriſti & caro intelligitur; vel ſpiritualis illa atque divina de qua ipſe dicit, Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus: vel caro quæ crucifixa eſt, & ſanguis qui militis effuſus eſt lancea.* De Auguſtini teſtimonio hæc habet Herigerus: *Auguſtinus autem ſcribens corpus Chriſti tripliciter dici poſſe Eccleſiam, id eſt nos, qui corpus Chriſti ſumus; & iſtud myſterium, quod ex ſubſtantia panis & vini per Spiritum-ſanctum conſecratur, ſubintulit dicens: Ceterum illud corpus quod de Maria virgine natum eſt, quod pependit in cruce, in quod iſtud transfertur,* &c. Ubi ad oram libri notat Cellotius, hunc locum non reperiri in libris Auguſtini qui exſtant, tametſi laudatur à Paſchaſio in cap. 4. Hæc fundamenta utriuſque partis.

Cardo difficultatis.

55. Jam verò expendendum eſt, qua in re verſaretur controverſiæ nodus: nimirum an Paſchaſii adverſarii veram Chriſti corporis impugnarent præſentiam, quam ipſe tum hoc loquendi modo, tum aliis verbis & argumentis aſſerebat. Mihi verò citra dubitationem aſſerendum videtur, ſuperiores illos adverſarios in re ipſa conveniſſe cum Paſchaſio, ſed tantùm in modo loquendi ab eo diſſenſiſſe. Utrique pia religione ducebantur. Paſchaſius corpus Chriſti naturale & euchariſticum non tantùm idem eſſe, ſed idem dici debere aſſerebat: ne aut hæreticis quibuſdam occultis, aut rudibus infirmiſve Chriſtianis offenſæ occaſio præberetur, quaſi alterum alterius dumtaxat umbra & vacua figura crederetur. Neque res levis momenti Paſchaſio videbatur: quippe qui Fredugardum in epiſtola monet, ut ne ſequatur *ineptias de tripartito Chriſti corpore.* Alii ex adverſo, quibus inuſitatus erat is loquendi modus, Hieronymi & Auguſti verba retinenda eſſe cenſebant, idque

exigere tum diverſum exſiſtendi modum, diverſamque ſpeciem, quæ Chriſti corpori competit in naturali ſtatu & ſacramentali; tum rationem modumque Sacramenti, cujus causâ quædam Chriſti corpori conveniunt in eo ſtatu, quæ ei præciſè non conveniunt in ſtatu naturali.

56. Ut hunc iſtius controverſiæ ſtatum eſſe demonſtremus, unum maximè exponendum incumbit, nempe Rabanum, Ratramnum, Anonymum, Herigerum, aliosque, ſi qui ſunt, Paſchaſii adverſarios in reali Chriſti corporis in Sacramento præſentia cum ipſo conveniſſe. Inde enim neceſſariò conſequetur id, quod modò aſſerebam, contentionem hanc in vocum pugna ſitam fuiſſe. Itaque Rabani catholicam de Euchariſtia fidem in ſequenti ſectione oſtendemus, Ratramni in ſeptima. Interim hoc loco Anonymi & Herigeri ſententiam adſtruamus. Probatur.

57. Anonymus iſte, cujus libellum (ut ſuperiùs dixi) in codice Gemblacenſi cum Herigeri opuſculo reperi ſub hoc titulo; *Dicta cujuſdam Sapientis de corpore & ſanguine Domini* ADVERSUS RATBERTUM, confutationem ſuam à confeſſione catholicæ veritatis orditur in hunc modum. *Quod corpus & ſanguis Domini vera ſit caro, veruſque ſanguis, unuſquiſque debet credere, noſſe, tenere, confiteri, pariter & incunctanter aſſerere fidelis. Prorſus quiſquis hoc negat, eſſe cognoſcitur & convincitur infidelis.* Et paullo pòſt. *Hoc ergo profectò fideliſſimè confirmo: & addo, quòd ſicut veritas eſt Chriſtus, & verus Agnus Dei, qui cotidie pro vita mundi myſticè immolatur: ita procul dubio ex pane vera caro, & ex vino verus ſanguis ejus conſecratione Spiritus-ſancti potentialiter creatur. Quæ cùm certiſſima omnino ſint, nec ullus hinc Chriſtianus Chriſto credens ambigere poſſit, quod & ipſum eſſe verum pars etiam gentilium ſcit. Nam quondam in terra Wlgarorum quidam nobilis potenſque paganus bibere me ſuppliciter petivit in illius Dei amore, qui de vino ſanguinem ſuum fecit.* Hæc confeſſio ſine dubio omnino catholica eſt, nec quiſquam magis dilucidè ſuam de realitate fidem exprimere poſſit. Anonymi ſententia expenditur.

58. Hac autem præſtituta confeſſione Anonymus Paſchaſium primò impugnat, quòd rem ſibi inauditam is aſſeruerit, nempe non aliam eſſe carnem in Sacramento, quàm quæ nata eſt ex Virgine. *Illud*, inquit, *in eo libro*, ſcilicet Paſchaſii, *mihi priùs fateor inauditum reperiri ſub nomine S. Ambroſii, quòd non ſit alia caro Chriſti, quàm quæ nata eſt de Maria, & paſſa in cruce, & reſurrexit de ſepulcro. Hæc, inquit, ipſa eſt. Et ideo Chriſti eſt caro, quæ pro mundi vita* " *adhuc hodie offertur. Hoc in capitulo poſitum eſt ſecundo. Similiter dicitur* " *& in octavo: Verè credo & hoc quod conficitur in verbo Chriſti per Spi-* " *ritum-ſanctum corpus ipſius eſſe ex Virgine. Iſtud planè fateor numquam* " *me priùs audiſſe, vidiſſe, legiſſe.* Deinde tamquam Ambroſium

ipſum arguens, ſubdit mirari ſe, quòd Ambroſius id dixerit, & poſt eum Paſchaſius. *Multumque miratus ſum*, inquit, *hoc ſanctum Ambroſium dixiſſe: & inſuper multo magis miror, auctorem hujus voluminis iſtud ibi poſuiſſe.* Tertiò ait Paſchaſii ſententiam non concordare cum ſententia Auguſtini. Nam ex Auguſtini ſententia à Paſchaſio relata in capite ſeptimo, (uti Anonymus numerabat, nobis nunc quarto) in qua dicit Auguſtinus: *Quia Chriſtum vorari fas dentibus non eſt, voluit in myſterio hunc panem & vinum verè carnem ſuam & ſanguinem conſecratione Spiritus-ſancti potentialiter creari*, &c. ex hac, inquam, ſententia ſic infert Anonymus. *Si enim verum, immo quia proculdubio verum quod tantus auctor faſſus eſt, quia Chriſtum vorari fas dentibus non eſt; quomodo hanc carnem Chriſti vorari fas, ſi de Maria nata, & in cruce paſſa, & in ſepulcro reſuſcitata eſt? præſertim cùm illa Chriſti caro reſurgens de ſepulcro ita glorificata ſit, ut jam vorari nullo modo poſſit.* Nimirum intelligebat Anonymus, alia Chriſti corpori, quatenus in Sacramento eſt, competere, alia ejus corpori in ſtatu naturali. Quippe ore ſumi, manducari, & alia id genus, ſacramentalis corporis ſunt, non naturalis. Hanc porro diſcrepantiam exigere, ut alterum ab altero quodam modo cum Auguſtino diſtingueretur. Quartò ſcribit Anonymus, ſe noluiſſe uti præmiſſo Ambroſii (quod Paſchaſius adhibuit) teſtimonio, niſi illud cum dictis Auguſtini & aliorum Patrum compoſuiſſet. *Prorſus ergo tàm contraria, ſicut iſta videntur, inter ſe dicta, numquam in ullo ſcripto meo de cetero voluiſſem ponere, niſi conſequenter ea noſſem ſimul & poſſem, Deo donante, protinus evidenter exponere.* Quintò revera idem Auctor adducit & aliud Auguſtini teſtimonium ex Paſchaſii capitulo duodecimo, nobis ſeptimo; illudque cùm Ambroſii ſententia conciliat. *Huc accedit & multo aliud moleſtius & omnino difficilius, illud videlicet quod in duodecimo capitulo, ubi ſcilicet tribus modis dicitur corpus Chriſti, id eſt Eccleſia, & iſtud myſticum, & illud quod ſedet ad dexteram Dei, ita diſputat B. Auguſtinus, quaſi non ei placuerit illud, quod ſanctus dixit Ambroſius. Ait enim illud corpus quod natum eſt de Maria, in quod iſtud transfertur*, &c. ſic, inquam, Auguſtinum cum Ambroſio conciliat. Hæc poſt Apoſtolos *omnium eccleſiarum* (ſicut ante nos dictum eſt) *Magiſtri*, id eſt Auguſtini, *dicta, ſi (velut nimis neceſſe) fideliter, ferventer, diligenter, intelligenter & frequenter legeritis; manifeſtiſſimè cognoſcetis, non quidem (quod abſit)* NATURALITER, *ſed* SPECIALITER *aliud eſſe corpus Domini, quod ex ſubſtantia panis ac vini pro mundi vita cotidie per Spiritum-ſanctum conſecratur, quod à Sacerdote poſtmodum Deo Patri ſuppliciter offertur: & aliud ſpecialiter corpus Chriſti, quod natum eſt de Maria virgine, in quod iſtud transfertur: & aliud ſpecialiter corpus Chriſti, ſanctam ſcilicet Eccleſiam, qui corpus Chriſti ſumus.* Itaque cenſet Anonymus,

corpus Chriſti euchariſticum cum naturali idem eſſe *naturaliter*; diverſum *ſpecialiter*: idemque de myſtico dicendum. Ubi vox *naturaliter* tantumdem ſonat atque realiter, ut loquuntur: & *ſpecialiter* idem valet ac quantum ad ſpeciem formamque conjunctam. Quippe corpus euchariſticum præter naturam & ſubſtantiam corporis Chriſti naturalis importat formam ac ſpeciem panis & vini: myſticum verò ſeu Eccleſia præter Chriſtum dicit etiam omnes Fideles, qui ſunt ejus membra. Sic Gotheſcalcus in ſchedula ſua de Trina deitate apud Hincmarum, ait deitatem unam eſſe *naturaliter atque eſſentialiter, perſonaliter* trinam. Longè ante eum Hilarius in lib. 8 de Trinitate aſſerit, Patrem in Chriſto eſſe *naturaliter*, & nos item in Chriſto *naturaliter*, cùm per incarnationem, tum per communionem. & in lib. 5 de vitis Patrum arguitur unus è Patribus, quòd diceret, *quia panis quem ſumimus, non naturâ corpus Chriſti, ſed figura eſt ejus.* Ergo hæc vox *natura* ſeu *naturaliter* opponitur figuræ; conſtatque eum qui aſſerit corpus Chriſti euchariſticum eſſe cum naturali idem *naturaliter*, confiteri realem Chriſti corporis in Euchariſtia exſiſtentiam: quod de Anonymo noſtro erat demonſtrandum. *Roſvveyd. pag. 63. a*

59. Ex his omnibus colligere licet ætatem ipſius Anonymi, quem Paſchaſii ævo ſcripſiſſe pro comperto habeo. Scribebat quippe eo tempore, quo Paſchaſii de uno & eodem Chriſti corpore ſententia, quæ multos adverſarios auctori ſuo viventi excitavit, ipſi Anonymo eatenus fuerat inaudita. *Iſtud planè fateor*, inquit, *numquam me priùs audiſſe, vidiſſe, legiſſe.* quæ verba rem omnino novam indicant. Deinde ſcribebat ante converſionem Bulgarorum, quos Nicolao primo Pontifice ad Fidem acceſſiſſe conſtat. Ut enim oſtendat, perſuaſionem de vero Chriſti in Euchariſtia corpore receptam apud omnes Fideles; ait adeo iſtud eſſe verum, ut *pars etiam gentilium ſciat. Nam quondam in terra Wlgarorum*, infit, *quidam nobilis potenſque paganus bibere me ſuppliciter petivit in illius Dei amore, qui de vino ſanguinem ſuum fecit.* Hæc ergo ſcribebat Anonymus, cùm Bulgari in *paganorum & infidelium* errore adhuc verſarentur, necdum eis Sacramentorum cognitione invecta. Aliàs non mirum eſſet, ſi poſt prædicationem eis factam aliquis ex reliquiis paganorum id reſciſſet. Denique vivebat Anonymus ante Herigerum, qui ex eo multa tranſtulit in libellum ſuum: qui libellus Anonymum ſubſequitur in codice Gemblacenſi. Porro Herigerus ſatis deſignat Anonymum in cap. 6. ubi habet. *Quod autem iterum objiciunt, eum* (Paſchaſium) *dixiſſe totiens Chriſtum pati, quotiens Miſſas contingat quotidie ubique celebrari; ego certè in libro ejus non reperi.* Hæc, inquam, deſignare mihi videntur Anonymum, cujus hæc verba. *Hîc ſi poteſt oculos & aures aperiat, & hæc videat & au-* Anonymi ætas.

diat, qui quotiens toto terrarum orbe Miſſarum ſollemnia celebrantur, totiens Dominum Chriſtum pati prædicat. Hæc ſanè probant, Anonymum Herigero ſuperiorem; immo Paſchaſii æqualem fuiſſe: nec ab eo diſſenſiſſe in Fide euchariſtica, ſed dumtaxat in modo loquendi & explicandi myſterium. Idem verò luculentiſſimè probat aliud fragmentum, quod ex eodem codice Gemblacenſi ad calcem hujuſce tomi referam cum prædicto Anonymo: quo in fragmento etſi *aliud ſpecialiter dicatur corpus Domini, quod glorificatum ſedet ad dexteram* Dei; tamen *naturaliter unum* eſſe aſſeritur, nimirum *unius Agni unum corpus & unus etiam ſanguis, qui effuſus eſt ab infidelibus, & nunc potatur à Fidelibus.*

An is Rabanus. 60. Ceterùm ex ſuperioris Anonymi ætate conjicio, cum non alium eſſe quàm Rabanum: & ſcriptum illud eſſe ipſammet Rabani epiſtolam ad Egilonem Abbatem Prumienſem, aut certè ejus fragmentum. In hanc autem conjecturam adducit me Herigeri libellus, in quo is Paſchaſii adverſarios de unico Chriſti corpore duos tantùm enumerat, Rabanum in epiſtola ad Egilonem, & Ratramnum. At verò notum erat Herigero ſectùmque Anonymi hujus opuſculum, ex quo ſcilicet non pauca totidem verbis mutuatus eſt; non omiſſurus iſtius Anonymi mentionem, ſi à Rabano diverſus fuiſſet. ſicuti alterius Anonymi non ſemel meminit ſub nomine *cujuſdam Sapientis*, cujus libellus à me repertus in eodem codice Gemblacenſi, modò exſtat in Spicilegii Acheriani tomo 12. Nec obeſt, quòd in codice Gemblacenſi, Anonymi, de quo hic agimus, lucubratio inſcribitur, non epiſtola, ſed *Dicta cujuſdam Sapientis de corpore & ſanguine Domini contra Ratbertum:* nec ullam habet epiſtolæ formam. Nam fortaſſe ſollemnes illæ epiſtolarum formulæ ex initio & ex fine detractæ ſunt à librariis, ut in aliis etiam evenit. Hujus porro Anonymi opuſculum habes in fine hujuſce tomi, quale refertur in codice Gemblacenſi: ne quis de eo ſubtracto cauſari poſſit. Quòd ſi eruditi conjecturæ meæ accedant de Rabano ejus auctore; eum cum Paſchaſio in realitatis doctrina apprimè convenire fatendum eſt. Verùm alia hac de re argumenta recurrent in ſequenti ſectione.

Herigerus vindicatus. 61. Interim Herigerus ab errore, quem ei perperam imponunt Novatores, nobis vindicandus eſt. quod quidem facili negotio licet. Illi cùm apud Sigebertum & Chronici Laubienſis Continuatorem legerent, Herigerum *multa Catholicorum Patrum ſcripta de corpore & ſanguine Domini contra Radbertum* congeſſiſſe; eum continuò pertraxere ad ſuas partes, quaſi Paſchaſio in dogmate catholico adverſarius fuiſſet. Ignorabant quippe Herigeri opus eſſe illud ipſum, quod Anonymi Cellotiani: quem Anonymum Paſchaſii doctrinæ patronum ac ferventiſſimum defenſorem ultro

agnoſcunt, in primis Claudius Carentonienſis Miniſter. Et certè qui verborum ſonum captare in controverſiis ſolent, lecto Sigeberto & Continuatore Laubienſi facilè in animum induxerunt, Herigerum de Euchariſtia non rectè ſenſiſſe cum Paſchaſio. Detecto Herigeri fetu, evaneſcit hæc accuſatio: palamque fit omnibus, Herigeri ſcopum non tam eò ſpectare, ut Paſchaſium errati accuſet, quàm ut excuſet, *librumque ejus plurimorum auctoritate* (nam & Patrum teſtimonia pro eo refert) re ipſa *defendat. Sed jam Paſchaſium Radbertum*, inquit cap. 6, *ſufficiat excuſatum, librumque ejus plurimorum auctoritate defenſum: qui in hoc tantùm peccavit, quia de ſententia B. Ambroſii, non verbum de verbo, ſed ſenſum de ſenſu expreſſit.* Denique nonnullis dicentibus, in Euchariſtia aut ſolam figuram, aut ſolam veritatem ſine figura exſiſtere, opponit cap. 4 Paſchaſium his verbis. *Sed Paſchaſius Radbertus, ſicut & alia multa in eodem libro ultra humanam exiſtimationem utiliter tractat, ita & huic ſophiſmati fortiter obviat, dicens, figuram non ſemper umbram eſſe; & jure ſimul hoc myſterium & figuram, & veritatem dici poſſe.* Sic Paſchaſii doctrinam omnino probat Herigerus, & *humana æſtimatione* majorem librum ejus exiſtimat: in eo unicum non planè probat loquendi modum, quem tamen excuſat. Tota ergo Herigeri collectio eo reducitur, ut ex una parte teſtimonia Patrum de duplici aut triplici Chriſti corpore conferat contra Paſchaſium: ex alia excuſet ejus *ſimplicitatem*, quòd ex Ambroſio *non verbum de verbo, ſed ſenſum de ſenſu expreſſit.* Hæc eſt Paſchaſii ſimplicitas, quam *maximè* aggreſſi ſunt (ut ſtudioſè obſervandum) Rabanus & Ratramnus, teſte ipſo Herigero. Is enim in cap. 2 relatis Ambroſii & aliorum Patrum pro Paſchaſii ſententia teſtimoniis, ita ſubdit. *Hæc ideo poſita ſunt, ſi fortè per ea ſimplicitas Paſchaſii Radberti poſſit excuſari, unde maximè ab obloquentibus Rabano & Ratramno ſuggillari videtur, quia dixerat eamdem eſſe carnem quæ de altari ſumitur, & de Virgine generatur; & quotidie adhuc pro mundi ſalute immolatur. Quia licèt nobis placeat gratiùs & jocundiùs, quàm quod de hoc myſterio valet dici ſublimius; tamen quid oblocutores ejus econtra afferant, quòd non ſit eadem, breviter ponamus.* Itaque à Rabano & Ratramno maximè arguebatur Paſchaſii *ſimplicitas*, nempe quòd *ſimpliciter* dixiſſet eamdem eſſe utrobique carnem: cùm alia Patrum teſtimonia in ſpeciem pugnantia referre debuiſſet, & cum Ambroſio conciliare.

62. Huc ergo vertebatur totius diſputationis ſumma, quòd Paſchaſius ſimpliciter & abſolutè hanc ſententiam pronuntiaſſet: cùm adverſarii ejus cum diſtinctione loquendum eſſe cenſerent, nempe eamdem eſſe carnem *naturaliter*, diverſam *ſpecialiter.* atque adeo non de re ipſa, ſed de modo loquendi & de explicatione Patrum inter ſe ſe diſſidebant. Præclarè & appoſitè

ad hunc locum Lanfrancus in Dialogo adverſus Berengarium ait, corpus Chriſti euchariſticum *verè dici poſſe & ipſum corpus, quod de Virgine ſumtum eſt; & tamen non ipſum. Ipſum quidem quantum ad eſſentiam veræque naturæ proprietatem atque virtutem: non ipſum autem, ſi ſpectes panis vinique ſpeciem.* Algerus etiam eodem modo Patrum ſententias in ſpeciem pugnantes ita conciliat in lib. 1 cap. 17. *Hanc duplicitatem non ſubſtantiæ, ſed formæ Sancti notaverunt, quotiens de corpore Chriſti ipſum, & non ipſum dixerunt: ut ipſum ſecundum ſubſtantiam, non ipſum ſit ſecundùm formam.* Ante utrumque Fulbertus Carnutenſis Epiſcopus eamdem explicationem adhibet in epiſtola ſecunda ad Einardum. Denique Rupertus Abbas Tuitienſis in epiſtola ad Cunonem, ait *re* idem eſſe corpus, ſed *ſpecie* differre. Lege Gerberonii noſtri caput ultimum Apologiæ pro Ruperto.

§. V.

De AMALARIO, RABANO, *&* FLORO: *ubi de Stercoraniſtis agitur.*

63. DUABUS in rebus (ſi Herigero credimus) à Paſchaſio diſſidebat Rabanus, nempe quòd diceret non eſſe idem in Euchariſtia corpus, quod natum eſt ex Maria, uti aſſerebat Paſchaſius: præterea ſeceſſui obnoxium eſſe, quod ille negabat. Poſterius hoc loco, alterum in conſequentibus expendemus.

Stercoraniſtæ quinam. 64. Stercoraniſtarum infame nomen inventum eſt ad deſignandum quoddam hominum genus, qui Euchariſtiam ſeceſſui obnoxiam eſſe ſentirent. Quidam ad Sectarios id traducunt, quo nomine Thomas Waldenſis Impanatores vocat Stercoraniſtas: de majoribus ſuis per convicium dictum contendunt Calviniſtæ plerique. E Catholicis nonnulli Stercoraniſmum de ſolis Euchariſtiæ ſymbolis, tamquam corpori Chriſti propriis, quæ egeſtioni quidam, cetera orthodoxi, ſuppoſuerint; nonnulli de ipſo Chriſti corpore intelligendum putant. Non deſunt tamen, qui ejuſmodi hominum ſectam, tam propudiosè de venerando Chriſti corpore ſentientium, extitiſſe pernegent, rati Stercoraniſmum hoc in ſenſu meri convicii, non verò ſectæ vocabulum eſſe. Extare quidem apud veteres loca non pauca contra ejuſmodi deliramentum: ſed ea potiùs infirmorum hominum inſanis cogitationibus occurrere, quàm arguere ſectam aliquam peculiarem. Senſiſſe verò nonnullos, ſpecies panis & vini communi ceterorum ciborum legi ſubjacere, uti hodieque ſentiunt Catholici non pauci: ſed longè abeſſe ab illa cœnoſa cogitatione, quæ tam indignè ſentit de ipſo Chriſti corpore. Denique Algerum, virum ſanè, ſi quis alius, probum ac

ſincerum, tum in lib. 1 de Sacramento, tum in lib. 2 cap. 1, ubi de ejuſmodi hæreticis agit, falſo rumore auctoreve deceptum in hanc claſſem involviſſe Græcos ſui temporis aut veteres aliquos, quibus hæc immeritò ſit impacta calumnia. Ego certè litem hanc ex toto dirimendam ſuſcipere nolim: ſed quando hîc ſe ſe offert occaſio, Catholicos quoſdam ab hac nota ipſis perperam inuſta, quoad res feret, liberare tentabo, citra cujuſquam injuriam. In his duplicis generis homines hoc nomine affectos legimus, quoſdam ſcilicet Latinos, & Græcos. E Latinis Heribaldus & Rabanus ab Herigero aliiſque reprehenſi ſunt: Græci ab Algero & Humberto. Quo jure id factum ſit, paulliſper inveſtigandum.

I.

65. De Græcis audiendus Algerus in lib. 2 cap. 1. *Non ſunt igitur obſervanda Græcorum hæreticorum, qui meritò Stercoraniſtæ vocantur, deliramenta: qui dicunt participatione corporis & ſanguinis Chriſti ſolvi eccleſiaſtica jejunia uſque ad crapulam & ebrietatem, ventriſque diſtenſionem; putantes cæleſtem eſcam, velut terrenam, indifferenter accipi, & in ſordidum ventris ſeceſſum emitti.* Algerus hæc acceperat ex Humberto Cardinale, qui acriùs quàm par eſſet, ac vehementiùs in eoſdem invehitur in reſponſione ad Nicetam Pectoratum. *Sed ô perfide Stercoraniſta, qui putas fideli participatione corporis & ſanguinis Domini quadrageſimalia atque eccleſiaſtica diſſolvi jejunia, omnino credens cæleſtem eſcam, velut terrenam, per aqualiculi fœtidam & ſordidam egeſtionem in ſeceſſum dimitti, plane ſentis cum Arrio.* Et paullo infrà rem ita exaggerat. *Ergo ô peſtifer leno antiqui ſerpentis, qui conaris aſtutiâ tuâ corrumpere ſenſus Chriſti ſponſæ, quæ eſt Eccleſia, ut eradatur à caritate tanti & talis ſponſi, credis nos vitam incorruptibilem comedentes corrumpere integritatem jejuniorum, velut aliquo cibo corruptibili?* Nemo ex hac tam vehementi oratione non exiſtimet, Græcos in ea tum fuiſſe perſuaſione, qualem eis exprobrat Humbertus: ſed tamen an ita ſit, non immeritò diſquiri poteſt. Et quia in Nicetam primùm cadit hæc criminatio, Nicetæ hanc in rem ſcripta & objecta conſideremus. an Græci.

66. Poſt reprehenſum ſabbati jejunium Nicetas carpit Latinorum morem horâ tertiâ Miſſam *perfectam* celebrantium in ſollemnibus Quadrageſimæ jejuniis: cùm Græci eam non celebrarent, niſi Dominica & ſabbato, quibus haudquaquam jejunabant; ceteris diebus uterentur *præſanctificatis*. Nicetæ verba hæc ſunt. *Quin etiam oblationem perfectæ Miſſæ per omnem diem facere in ſacris diebus jejuniorum, ſicut ſabbato, ſive dominico die, unde aſſuèviſtis, & à quo doctore accepiſtis? ex Apoſtolis? nullatenus. Apoſtoli enim ex hoc poſuere canonem ſic loquentem: Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, vel Diaconus, aut Lector, aut Cantor, ſanctam non jejunaverit Quadrageſimam, quartamque & ſextam feriam, deponatur, niſi infirmitate corporis impe-* " " "

» *diatur. Miniſtrantes ergo atque complentes miniſtrationem ſanctæ Miſſæ ſecus tertiam horam diei, in qua & promulgatum eſt ſanctum offerri ſacrificium; quomodo jejunium uſque ad horam diei nonam obſervatis, ſolventes hæc in tempore miniſtrationis Miſſæ? nequaquam. Si autem hoc impoſſibile eſt; maledictione plectemini.* Tum relatis variis canonibus, præcipuè canone 48 Concilii Laodiceenſis perhibentis, *non decere in Quadrageſima panem offerre, niſi in ſabbato & Dominico ſolo;* probat hac in re morem Græcorum, qui ſabbato & Dominica per Quadrageſimam convenientes ad ſacram ſynaxim, *horâ tertiâ ſanctificant munera, ex quibus ſufficientia in totam hebdomadam conſervant:* ceteris verò diebus horâ nonâ *præſanctificatis* communicant. *Et ita agentes,* inquit, *gratias Deo, relinquimus eos atque dimittimus ex congregatione, ſumentes nos communem menſam per folia & legumina, & calidam aquam qui voluerint. Sunt autem & alii, qui ſola communione & benedictione per totam perſeverant hebdomadam.* Tum ſubdit in Latinorum uſum: *Vos autem referentes per unumquemque diem perfectam in Quadrageſima* (Miſſam,) *quæ congrua eſt juxta tertiam horam diei offerri; poſitos tranſgredimini canones: & in hoc maledictioni Patrum ſubjicetis, ſicut dictum eſt.*

67. Hæc tota Nicetæ objectio in Latinos: in qua ne verbum quidem de Stercoraniſtarum errore deprehenditur; nec quidquam ex illa conficitur, quod eò referri poſſit. Videbat Nicetas cautum à Patribus, ne ſacrificium in Quadrageſima, præterquam die ſabbati & Dominica, offerretur: tum quia horâ tertiâ illud offerri præſcriptum erat, licebatque exinde ſolvere jejunium: tum quia ſacrificium feſtivam habet ſollemnitatem & lætitiam, quæ jejunio non conveniunt. Unde primis Eccleſiæ temporibus feſtivitates Martyrum in Quadrageſima celebrari vetitum erat ex canone 5 Laodicenſi: & ſi quæ proceſſu temporis inductæ ſunt, ut feſtum Annuntiationis; iis diebus jejunium ſolvebatur propter ſacrificium, cujus celebritas luctum, lacrymas, habitumque incultum, quæ jejunii inſignia ſunt, excludebat. Unde Balſamon rationem reddens illius ſanctionis, qua Patres ſolum Præſanctificatis locum in » diebus jejunii reliquerant; ait id ita factum, quia ſacrificium of» ferre, eſt feſtum agere, ſollemnem Eccleſiæ exſultationem cele» brare: ſic autem agere, non eſſe lugere, nec jejunare. Hæc apud Græcos etiam ſæculo XI religiosè ſervabantur. Unde Nicetas eo tempore contrarium morem in Latinis reprehendit, tamquam defectionem à priſca Patrum diſciplina. Quo jure id fecerit Nicetas, non inquiro; immo falſum eſſe in aſſignando tempore, quo Latini ſacra in Quadrageſima agebant, (agebant verò ad veſperam ex Theodulfo, Micrologo & aliis) ultro aſſentior: ſed ex ejus dictis id unum colligo, Græcos tum non fuiſſe verſatos in errore Stercora-

niſtarum, quem eis exprobrabant Latini, hac ſcilicet adducti ratione, quòd dicerent, Miſſæ perfectæ celebratione ad horam tertiam eccleſiaſtica ſolvi jejunia : cùm id non tam de jejunio ipſo, quàm de jejunii tempore dicerent ; & de ipſis pænitentiæ inſignibus mærore, luctu & habitu inculto, quæ omnia feſtivum Miſſæ ſacrificium reſolveret. Neque porrò exiſtimabant communione ſacra ſolvi jejunia, cùm alioqui Græci ipſi, qui à Miſſæ perfectæ celebratione abſtinendum diebus jejunii cenſebant, nihilo minùs Præſanctificatis quotidie participarent abſque detrimento (uti Nicetas ipſe cenſet) ſollemnis jejunii, quod nonnulli in totam hebdomadam producebant, contenti *ſola communione & benedictione*. Longè proinde aberant ab illo dedecore, quod ipſis improperabat Humbertus, nempe *fideli participatione corporis & ſanguinis Domini quadrageſimalia diſſolvi jejunia*, immo, ut addit Algerus, *uſque ad crapulam & ebrietatem ventriſque diſtenſionem*. Unde in commemoratione rerum ab Humberto Cardinale, aliiſque Legatis Romanis Conſtantinopoli geſtarum in Michaëlem Cerularium Patriarcham, ejuſque fautores, inter varios qui in ipſis damnantur errores, nulla fit mentio Stercoraniſmi. quod argumento eſt, Humbertum (quod etiam de Algero dicendum) id Græcis antea exprobraſſe, non tamquam dogma, quod ipſi profiterentur, ſed tantùm ut conſecutionem quamdam, quam ex Nicetæ objectis aliò detortis inferebat. Hæc de Græcis undecimi ſæculi, quos Humbertus in primis exagitavit.

68. Si verò ad antiquiores Græcos conſiderationem reflectamus, inveniemus neminem, qui tantam corpori Chriſti Domini labem inflixerit. Nec eſt quòd quis nobis hîc opponat Origenem, qui in commentariis ſuper Matthæum, ſub finem expoſitionis parabolæ de theſauro in agro abſcondito, de Euchariſtiæ cibo ita ſcribit. Εἰ δὲ πᾶν τὸ εἰσπορευόμενον εἰς τὸ στόμα, εἰς κοιλίαν χωρεῖ, καὶ εἰς ἀφεδρῶνα ἐκβάλλεται· καὶ τὸ ἁγιαζόμενον βρῶμα διὰ λόγου θεοῦ καὶ ἐντεύξεως, κατ' αὐτὸ μὲν τὸ ὑλικὸν εἰς τὴν κοιλίαν χωρεῖ, καὶ εἰς ἀφεδρῶνα ἐκβάλλεται. id eſt: Quòd ſi verò id omne quod intrat in os, in ven- «
trem vadit, & in ſeceſſum emittitur: & cibus ipſe per verbum Dei «
& orationem conſecratus, ſecundùm illud quidem ipſum quod ma- «
teriâ conſtat, in ventrem abit, & in ſeceſſum ejicitur. Secus verò «
accidere ait de corpore Domini. Unde non ipſum Domini corpus ſacroſanctum, (quod abſit) ſed quod eſt in Sacramento ſenſibus expoſitum, egeſtioni ſupponit. Audi Johannem Jeroſolymitanum Epiſcopum in homilia de Euchariſtia in Encæniis apud Chryſoſtomum. *Num vides panem? num vinum? num ſicut reliqui cibi in ſeceſſum vadunt? abſit, ne hoc cogites.* Eòdem fertur Johannes Damaſcenus in lib. 4 de Fide cap. 14 his verbis. *Corpus ac ſanguis Chriſti eſt, ad animæ & corporis noſtri incolumitatem tendens, quod nec*

conſumitur, nec corrumpitur, nec in ſeceſſum abit; (avertat hoc Deus) verùm ad noſtram ſubſtantiam & conſervationem tendit. Hæc de Græcis.

II.

69. Non levis eſt etiam difficultas de Latinis nonnullis, Heribaldo ſcilicet Autiſiodorenſi, & Rabano Magontiacenſi Antiſtite: quibus Amalarium Mettenſis eccleſiæ Abbatem adjungunt. Hæc propiùs conſideremus.

an Amalarius. 70. Procedente ſæculo nono Guntardus quidam litteris Amalarium pulſavit, *quare non ſe cum majori cautela cuſtodiret, ne ilico poſt conſumtum ſacrificium ſpueret: quaſi ſumtum corpus ſimul cum ſputo projiceret.* Reſpondit Amalarius, ſibi difficile eſſe *diu abſtinere à ſputo*: confidere ſe, modò *ſi mens pura fuerit & humilis in conſpectu ejus, ut quod exeundum eſt propter ſanitatem corporis, faciat exire ſine diſpendio animæ.* Et poſt aliquot facti ſui rationes: *Hæc propterea dico*, inquit, *ut ſi fortè me ignorante, aut non conſentiente exierit de ore meo ex corpore Domini; non me putes alienum à religione Chriſtiana, quaſi contemtui habeam corpus Domini mei.* Hinc apparet mentem Amalarii fuiſſe, aliquid de corpore Domini poſſe ejici cum ſputo, ſi quid ejus in ore ſpuentis remanſiſſet. Ex hac quæſtione progreditur ad aliam, à Guntardo etiam (ut conjicio) propoſitam, quam exponit & ſolvit in hunc modum. *Ita verò ſumtum corpus Domini bona intentione, non eſt mihi diſputandum, utrum inviſibiliter aſſumatur in cælum; an reſervetur in corpore noſtro uſque in diem ſepulturæ: aut exhaletur in auras, aut exeat de corpore cum ſanguine, aut per poros emittatur,*
,, *dicente Domino: Omne quod intrat in os, in ventrem vadit, & in ſeceſſum*
,, *emittitur. Hoc ſolum cavendum eſt, ne corde Judæ ſumam illud, & ne contemtui habeatur: ſed diſcernatur ſaluberrimè à ceteris cibis.* Sic Amalarius temperavit reſponſionem ſuam; ut Guntardum alioſque à curioſis illis quæſtionibus revocaret: nec quidquam ſuper hac re definiret. Sed quia tamen poſtremo loco ſubjecerat Chriſti vulgare effatum de communibus cibis; in eam nonnullis viſus eſt propendere ſententiam, corpus euchariſticum, quod ſputamento obnoxium dixerat, emitti etiam in ſeceſſum more ceterorum ciborum. Et ſunt qui huc trahant id, quod in eum ſcribit Eccleſia Lugdunenſis in lib. de tribus epiſtolis cap. 40, ubi Amalarii libri *mendaciis & erroribus, & phantaſticis atque hæreticis diſputationibus pleni* dicuntur. Verùm aliò hæc criminatio ſpectat, ut patet ex Agobardi libro *de correctione Antiphonarii*, & ex alio *contra libros quatuor Amalarii Abbatis.* Cùm enim Amalarius in libris de divinis officiis, & in libro de ordine Antiphonarii, Lugdunenſis Eccleſiæ morem aliquoties reprehendiſſet; Clericorum ejus Eccleſiæ, immo etiam Agobardi Antiſtitis, & Remigii ejus ſucceſſoris, ſtomachum in ſe excitavit, & pro cenſura liberiori duriora convicia reportavit. At

certè neque ex illis conviciis, neque ex prædicta epiſtola ad Guntardum, ullatenus conficitur, Amalarium ſeceſſui corpus ſanctiſſimum Chriſti Domini ſuppoſuiſſe : quin immo moderatè, ut par eſt, de hac quæſtione reſpondiſſe manifeſtum eſt.

71. Eodem tempore quo hæc geſta ſunt, regnante ſcilicet Carolo Calvo, Heribaldus ſeu Heriboldus, Autiſiodorenſis in Gallia Epiſcopus, varia dubia Rabano Moguntino Archiepiſcopo propoſuit, in his, an Euchariſtia in ſeceſſum egeſta, in naturam priſtinam rediret, quam ante conſecrationem habuerat: ſic enim quæſtionem propoſuiſſe videtur ex reſponſione Rabani, quæ in epiſtola ad Heribaldum cap. 33 ſic habet. *Quod autem interrogaſtis, utrum Euchariſtia poſtquam conſumitur & in ſeceſſum emittitur more aliorum ciborum, iterum redeat in naturam priſtinam, quam habuerat antequam in altari conſecraretur? Superflua eſt hujuſmodi quæſtio, cùm ipſe Salvator dixerit in Evangelio : Omne quod intrat in os, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur. Sacramentum corporis & ſanguinis id eſt, ex rebus viſibilibus & corporalibus conficitur : ſed inviſibilem tam corporis, quàm animæ efficit ſanctificationem & ſalutem. Quæ eſt enim ratio, ut hoc quod ſtomacho digeritur, & in ſeceſſum emittitur, iterum in ſtatum priſtinum redeat, cùm nullus hoc umquam fieri aſſeruerit?* Aliter ſe habet hic locus apud Stevartium, qui hanc epiſtolam primus edidit ſub nomine *Libri Pænitentialis* Rabani, inſertis his verbis poſt verbum *conſecraretur. Iſta ſententia contraria eſt ſententiis Clementis Papæ, & aliorum multorum ſanctorum Patrum, qui dicunt corpus Domini non cum ceteris communibus cibis per aqualiculos in ſeceſſum mitti.* At id gloſſema eſſe, quod è margine in textum irrepſit, ſcitè obſervarunt viri docti, in primis V. Cl. Stephanus Baluzius, qui expuncto gloſſemate textum hujus loci reſtituit modo præmiſſo.

an Heribaldus & Rabanus.

72. Hæc Rabani reſponſio ſic reſtituta, non parum ambigua eſt. Non enim ex ea ſatis intelligitur, an Heribaldus quæſtionem duplicem propoſuerit, nimirum utrum Euchariſtia ſeceſſui obnoxia ſit; tum utrum ſtomacho recepta & conſumta redeat in naturam priſtinam, quam ante conſecrationem habuerat. An verò propoſuerit unicam, nempe priori parte admiſſa, ſive ex ſua, ſeu ex aliorum ſententia, utrùm Euchariſtia in ſeceſſum egeſta redeat in priſtinam quam habuerat naturam. Herigerus quidem qui ſinceram (ut credere par eſt) hujus loci ſententiam legit, Heribaldum etiam primum quæſtionis caput Rabano propoſuiſſe affirmat, admiſiſſe autem Rabanum. Idem innuit auctor gloſſematis ſuperioris. At unica fuiſſe videtur Heribaldi quæſtio complexa, non duplex : quia itidem complexa eſt Rabani reſponſio. Verùm ſive quæſtionem de ſeceſſu propoſuerit Heribaldus, ſive ex ſua aut aliena ſententia eum admiſerit; omnino ab Stercoraniſmi errore im-

munis cenſendus eſt. Nam propoſuiſſe hominis eſt dubitantis quidem, ſed inſcientiam ſuam ſinceré ac modeſtè profitentis : & ſimpliciter pro confeſſo admiſiſſe lapſus forſan eſt, ſed humanus; immo verò erroris expers : tum quia id obiter attingit : tum quia ſeceſſum tribuit Euchariſtiæ ſecundùm ſymbola panis & vini, de quibus quærit, an redeant in naturam priſtinam, quam habuerant ante conſecrationem. qua in re nullum peccatum eſt contra fidem, nullum in corpus Domini probrum.

73. Rabano eadem ſolutio accommodari poteſt, cùm Heribaldo de ſymbolis interroganti reſponderit itidem de ſymbolis, ſi modò Euchariſtiam communi aliorum ciborum legi ſubjecerit, ut Herigerus opinatus eſt. Id porro in dubium meritò revocari poteſt, dum ejus reſponſio accuratè expendatur. *Superflua eſt, inquit, hujuſmodi quæſtio, cùm ipſe Salvator dixerit in Evangelio : Omne quod intrat in os, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur. Sacramentum corporis & ſanguinis id eſt, ex rebus viſibilibus & corporalibus conficitur: ſed inviſibilem tam corporis quàm animæ efficit ſanctificationem. Quæ eſt enim ratio, ut hoc quod ſtomacho digeritur, & in ſeceſſum emittitur, iterum in ſtatum priſtinum redeat, cùm nullus hoc umquam fieri aſſeruerit?* Rabani reſponſio (ut jam dixi) complexa eſt, adeoque non duplicem, ſed unicam arguit, & quidem complexam Heribaldi quæſtionem. ac proinde etiamſi ad quæſtionem accidentem reſponderet Rabanus, Euchariſtiæ ſeceſſum concedere non niſi obliquè cenſendus eſſet. At longè etiam ab hac conceſſione recedere videtur reſponſio. Rabanus quippe ſuperfluam eſſe Heribaldi quæſtionem probat duplici ratione. Altera eſt, quòd Chriſtus ſuo illo effato nullatenus dixerit, id quod in ſeceſſum vadit, denuo redire in priſtinam ſuam naturam. Altera, quòd nulla ſit unius ex altero conſecutio, nec umquam quiſquam id fieri aſſeruerit. Deinde ad quæſtionem particularem deſcendens Rabanus, ait magnum eſſe diſcrimen Euchariſtiæ à ceteris cibis: hos non niſi ad corporis incolumitatem, illam ad animæ maximè ſanctificationem inſtitutam. Non eſſe proinde humili modo de ea ſentiendum. Quin etiam aſſerere nonnullos idem eſſe corpus quod ex Maria natum eſt. ſic enim proximè addit poſt præmiſſa. *Nam quidam nuper de ipſo Sacramento corporis & ſanguinis Domini non rectè ſentientes, dixerunt hoc ipſum corpus & ſanguinem Domini, quod de Maria Virgine natum eſt;* &c. Et quidem hanc ſententiam ſibi non probari; ſed hinc tamen apparere, quàm longè abfuerit ejus auctor ab illa quam proponit Heribaldus opinione. Unde etiamſi cibi communes poſt egeſtionem reſumant priſtinum ſtatum : ſecus accidere de Euchariſtia. Explicatio genuina eſt, non contorta, ſed Rabani dictis conſentanea. Nec obeſt quod idem in lib. 1 de inſtitutione Clericorum

cap. 31 ſcribit, *Sacramentum redigi in paſtum & corporis alimentum.* Paſchaſius enim qui in cap. 20 Stercoraniſmum reprobat, ibidem ait *carnem & ſanguinem Chriſti in noſtram converti carnem & ſanguinem,* & cap. 19 *non animam ſolam hoc myſterio paſci, verum etiam & carnem noſtram per hoc ad immortalitatem & incorruptionem reparari.* Sed fac Rabanum ita ſenſiſſe, aut id ſaltem conceſſiſſe, ut Euchariſtia ſeceſſui obnoxia ſit; idque conſequi tum ex ſuperiori epiſtola ad Heribaldum, tum ex eo quod alibi dicit, *Sacramentum redigi in paſtum & corporis alimentum.* fac, inquam, ita eſſe: nec ſic tamen quidquam detrimenti patietur Rabani illibata fides.

III.

74. Atque ut res accuratiùs expendatur, in anteceſſum præmittenda eſt Rabani ſententia de reali corporis Chriſti præſentia in Euchariſtia, & de tranſſubſtantiatione. Utramque vero agnoſcit in lib. 7 de ſacris Ordinibus ad Theotmarum cap. 10. *Quis umquam crederet,* inquit, *quòd panis in carnem potuiſſet converti, vel vinum in ſanguinem, niſi ipſe Salvator diceret, qui panem & vinum creavit, & omnia ex nihilo fecit? Facilius eſt aliquid ex alio facere, quàm omnia ex nihilo creare.* Nihil manifeſtius ad utrumque probandum afferri poterat. Ecce converſionem habes, & panis in carnem, & vini in ſanguinem, non qualemcumque, ſed eam quæ nonniſi ab omnipotenti Dei virtute perfici poteſt, quâ aliud ex alio fit, quæ vera eſt ſubſtantiæ tranſmutatio. Ad hæc in fine commentarii in librum Joſuæ, quod manu deſcriptum præ manibus habemus, ait victimis legalibus ſucceſſiſſe *novi Teſtamenti ſacerdotium: ubi Agni immaculati caro & ſanguis in ſacris altaribus cotidie offertur, & Fidelium ore in paſtum animarum ſuarum ſalubriter percipitur: ut umbra legis recedente veritas pateat Evangelii per ipſum Dominum Jeſum-Chriſtum.* Quæ verba, ſi non ſubſtantiæ converſionem, certè realem præſentiam apertè ſignificant. Rabanus enim Chriſti carnem & ſanguinem *Fidelium ore* ſumi proteſtatur, non ſolùm fide, ut Calviniſtæ docent. Utrumque verò, realem ſcilicet præſentiam & tranſſubſtantiationem, non obſcurè iterum adſtruit in lib. 1 de inſtitutione Clericorum cap. 31, de pane & vino ita ſcribens: *Hæc autem dum ſunt viſibilia, ſanctificata tamen per Spiritum-ſanctum, in Sacramentum divini corporis tranſeunt.* Atque ne id referant Calviniſtæ ad converſionem moralem figuræ ac virtutis; occurrit reſponſio ad Heribaldum jam adducta: ubi negat, *Euchariſtiam*, id eſt ſymbola panis & vini, *redire in naturam priſtinam quam habuerat, antequam in altari conſecraretur.* Hic enim reditus quem negat, non moralis, ſed realis eſt. Non quidem moralis. Quis enim dubitaret ſymbola, ſiquidem verâ corporis Chriſti præſentiâ deſtituta eſſent, poſt conſumtionem non fore ampliùs figuram corporis Chriſti, nec ipſius virtute perfuſa? Nulli, ut

puto, Calviniſtarum aliud umquam venit in mentem. Rabanus ergo intelligendus eſt de reditu vero ac reali: cui proinde veram ac realem ſubſtantiæ converſionem reſpondere neceſſe eſt. Neque enim reditus ad id, quod amiſſum non eſt, fieri poteſt.

IV.

75. His conſtitutis, ulteriùs inquirendum, an Rabanus, ſiquidem ſeceſſum admiſerit, eum tribuerit ſymbolis ſolis, an ſymbolis cum corpore Chriſti conjunctis. Sanè Herigerus Rabani mentem videtur explicaſſe etiam de ipſo corpore Domini, cùm notat *quoſdam diabolica inſpiratione blaſphemantes* myſterium, corporis Chriſti *ſeceſſui obnoxium fore.* Qui fuerint illi aperit paullo pòſt his verbis: *Et his quidem qui dixerunt ſeceſſui obnoxium, (quod numquam antea eſt auditum) id eſt Heribaldo Autiſiodorenſi Epiſcopo, qui turpiter propoſuit; & Rabano Maguntino, qui turpiùs aſſumſit, turpiſſimè verò concluſit, ſuus ad reſpondendum locus ſervetur.* Patet verò in his quæ ex conſequentibus adverſus Rabanum ſcribit, eum non aliam ob cauſam ab ſe impugnatum, quàm quòd ipſum corpus Domini ſeceſſui obnoxium eſſe ſentiret. Id, inquam, patet ex hac Herigeri concluſione. *Quapropter cujus potenti virtute panis iſte communis, quem cotidie ſumimus, cùm ſit candidus, mutatur intra nos in colorem ſanguineum, vel alium humorem fluidum: ipſius potentiâ caro & ſanguis ejus ſumta, non in noxium & ſuperfluum humorem, ſed in carnem verè reſuſcitandam debet reſervari conformata.* Deinde ſententiam ſuam confirmat teſtimonio cujuſdam Sapientis, cujus integram hac de re lucubrationem habes in Spicilegii tomo 12. Sapientem hunc eodem quo Rabanum tempore, aut certè paullo pòſt vixiſſe puto, & ex occaſione Rabanicæ epiſtolæ ad Heribaldum conſultum adverſus Rabanum ſententiam protuliſſe, ſed longè modeſtiùs quàm Herigerum. En ejus quædam verba ab Herigero etiam relata. *Scimus hoc Sacramentum myſterio & reverentia à communibus cibis ſecernendum, qui naturali & neceſſario uſu ſumuntur .·. Non enim ejus excellentiam reveretur, qui ſeceſſui dicit obnoxium, ſicut cæteras eſcas. Sed tamen eodem modo quantum ad comeſtionem & hauſtum pertinet, percipitur, videlicet trajiciendo per os, & in ventrem mittendo. ubi quid Dominus de myſterio ſuo agere voluerit, ſuæ ſcimus tantùm cognitum voluntati. Scimus enim conſumi poſſe ſpiritali virtute: ſcimus & ſervari poſſe inconſumtibili perennitate. quia quæque ex his Chriſtus elegerit, de ſuo Sacramento perficit .·. Abſit tamen ut tantum myſterium ſeceſſui fiat obnoxium: in quo ſi fortè ordo naturæ ſervatur, myſterium quod ſola fide conſpicitur, humilietur. Si corpus in corpore ordinem ſervat; non violatur myſterium, quod divinitatis firmavit Sacramentum: nec ſpiritus amittit, quod fide integra in re corporali ſpiritaliter ſumſit.* His verbis diſtinguit auctor in myſterio corporis Chriſti rem corpoream ſeu ſenſibilem; & ſpiritalem, id eſt inviſibilem.

Ejus

Ejus verò ſententia eſt, ſi ordo naturæ ſervari dicatur in re corporea, ita ut ſeceſſui obnoxia ſit; inde conſequi, ut *myſterium, quod fide conſpicitur*, id eſt res ſpiritalis & inviſibilis, ſeu corpus Chriſti, pariter *humilietur*. Etſi tamen res ſenſibilis communem ordinem ſervaret, non violatum iri myſterium, quod ſpiritaliter ſumitur. Hunc Auctoris ſenſum, quantum ex ejus verbis paullo obſcurioribus intelligere licet, eſſe exiſtimo. Quod ſi probatur, probari etiam neceſſe eſt, eum quem hoc loco impugnat, non ſenſiſſe ipſum corpus Domini egeſtioni ſubjacere: ſed id tantùm inferri ex eo quòd diceret, ſymbola cum quibus Chriſti corpus conjunctum eſt, aliorum more ciborum abire in ſeceſſum. quo admiſſo conſequi putabant adverſarii, ut ipſum corpus Domini etiam ſimili modo *humiliaretur*.

76. Et certè Rabanus neutiquam ipſum Chriſti Domini corpus, ſed ad ſummum ſymbola ſola communi aliorum ciborum legi ſubjeciſſe dici poteſt. Id manifeſtè colligitur ex ejus verbis in epiſtola ad Heribaldum, ubi negat Euchariſtiam ſecundùm id, quod ſeceſſui obnoxium eſſe præmiſerat, *redire in naturam priſtinam quam habuerat, antequam in altari conſecraretur*. Atqui nemo dixerit id de corpore Domini intelligi poſſe, quod ante conſecrationem in ſacramento non exſiſtit: ſed tantùm de re illa, cujus *natura* conſecratione mutatur, hoc eſt de pane & vino, quorum ſymbola *in priſtinam*, quam ante conſecrationem habuerant, *naturam* redire negat.

Atque ut id clariùs elucescat, obſervandum eſt Rabanum diſtinguere in Euchariſtia ſacramentum à re ſacramenti, ut patet ex lib. 1 de inſtitutione Clericorum cap. 31. *Aliud eſt*, inquit, *ſacramentum, aliud virtus ſacramenti. Sacramentum enim ore percipitur: virtute ſacramenti interior homo ſatiatur. Sacramentum in alimentum corporis redigitur: virtute ſacramenti æterna vita adipiſcitur.* Hic *virtutis* nomine intelligit, non effectum ſacramenti, ſed rem ipſam ſub ſymbolis contentam, id eſt corpus & ſanguinem Chriſti Domini, uti apparet ex his aliis ejus verbis, quæ mox ſubſequuntur. *In ſacramento Fideles quique communicantes pactum ſocietatis & pacis ineunt: in virtute autem ſacramenti omnia membra capiti ſuo conjuncta & coadunata, in æterna claritate gaudebunt. Sicut ergo in nos id convertitur, cùm id manducamus & bibimus: ſic & nos in corpus Chriſti convertimur, dum obedienter & piè vivimus.* Sic *virtutis* vocabulum pro ipſa re uſurpavit cum aliis Græcis Chryſoſtomus hom. 17 in epiſt. ad Hebr. dicens, exemplaria habere *typum, non virtutem: quomodo in imaginibus figuram hominis habet imago, non virtutem.* Quin etiam hoc ſenſu eadem voce uſus eſt Lanfrancus in Dialogo, ubi ait, corpus Chriſti euchariſticum ipſum eſſe quod de Virgine ſumtum eſt *quantum ad eſſentiam, veræque naturæ proprietatem atque virtutem.* Rabanus ergo cenſet,

ſacramentum converti in ſubſtantiam ſumentium: rem verò ſacramenti non ita, ſed nos in eam transformari. ac proinde ejus ſententia eſt, ſacramenti rem ſenſilem digeri, & in ſeceſſum abire: non verò rem latentem ſacramenti, id eſt corpus & ſanguinem Chriſti Domini.

77. Quæ hactenus retuli, apertè (ni fallor) demonſtrant, Rabanum rectè cum Eccleſia Catholica ſenſiſſe de vera corporis Chriſti præſentia in Euchariſtia, ac de tranſſubſtantiatione: nec ipſum Chriſti corpus, neque (ut vero proximum eſt) ſymbola ipſa egeſtioni ſuppoſuiſſe. Etiamſi porro id de ſymbolis cenſuerit, nequaquam hac in re erraſſe. Scio quidem apud Algerum in lib. 2 cap. 1 *hæreſim fœdiſſimam Stercoraniſtarum* traduci etiam ad eorum ſententiam qui docebant, ſpecies ſacramentales ſeceſſui eſſe obnoxias. At ſi verba ejus attentè expendantur, quivis facilè intelliget, id ab eo dictum, non tam propter ſententiæ perniciem, quàm propter aſſerentium (ut putabat) temeritatem, qui quod in quæſtionem vocandum non erat, liberiùs ventilare, & audaciùs definire non dubitarunt. Eam verò eſſe Algeri mentem vel ex hoc patet, quòd relatis quæ contra iſtos aſſertores valere poterant argumentis ita concludit. *Quid deinceps de ipſo (ſacramento) fiat, ſi ſupradictæ rationes non videntur ſufficere, Deo cujus eſt, fideliter & honeſtè committatur. Melius eſt enim Deo humiliter committere quod ſcire non poſſumus, quàm perverſè contra eum fingere & ſentire, quod tamen neſcimus.* Et quidem ſatius fuiſſet ſi in ejuſmodi quæſtiones non proſiliiſſent homines. Sed difficile eſt rationi frenum imponere, cujus vaga curioſitas modum neſcit, niſi auctoritate divina penitus reprimatur.

Ex dictis conſequitur, Rabano perperam affingi non modò Stercoraniſmum, ſed etiam aliud erratum, quaſi omnem figuram & obvelationem removerit à ſacramento, ſenſeritque formas illas in Euchariſtia ſenſibus conſpicuas, corpori Chriſti Domini proprias & inhærentes fuiſſe. Cùm enim ex ſuperioribus conſtet, eum diſtinxiſſe ſacramentum à re ſacramenti; &, ſi quid Heribaldi quæſtioni conceſſit, ad ſummum ſymbola ſola, non ipſum corpus dominicum (ô abſit) egeſtioni addixiſſe; eumdem ſacramenti formas & ſpecies ſenſiles à corpore Chriſti ſeparaſſe fateri etiam neceſſe eſt.

V.

78. Unum ſupereſt, in quo Rabani fides impetitur, ex illis, quæ jam attigimus, verbis epiſtolæ ejus ad Heribaldum. *Quidam nuper de ipſo ſacramento corporis & ſanguinis non rectè ſentientes, dixerunt hoc ipſum corpus & ſanguinem Domini, quod de Maria virgine natum eſt, & in quo ipſe Dominus paſſus eſt in cruce, & reſurrexit de ſepulcro, [idem eſſe quod ſumitur de altari.] cui errori, quantum potuimus, ad Egi-*

lum Abbatem ſcribentes, de corpore ipſo quid verè credendum ſit, aperuimus. Ubi notandum eſt verba illa, *idem eſſe quod ſumitur de altari*, anſulis incluſa, deeſſe in editione Stevartiana; eaque eruditiſſimum Baluzium ſuppleviſſe ex libello Herigeri Abbatis, qui Rabani ſententiam exponens ita habet. *Dicentibus quibuſdam idem eſſe quod ſumitur de altari, quod & illud quod natum eſt ex Virgine: aliis autem negantibus & dicentibus aliud eſſe*, &c. Verùm hæc Rabani ſententia non eò ſpectat, ut veram corporis Chriſti in Euchariſtia præſentiam neget, cùm eam diſertè adſtruat, ut ſuperiùs vidimus: ſed eo modo explicanda eſt, quo Herigeri & alterius Anonymi ſententia de duplici triplicive Chriſti corpore, quod *naturaliter*, id eſt re ipſa, unum; *ſpecialiter*, ſeu ſecundùm ſpeciem apparentem, diverſum illi aſſerebant. Et verò eam eſſe Rabani mentem, facilè quivis concedet, ſi prædicti Anonymi opuſculum ſit ipſa Rabani ad Egilem (ut ſupra * conjiciebam) epiſtola, ex qua maximè pendet Rabani ſententiæ cognitio. * *num. 60*

VI.

79. Ceterùm epiſtola illa ad Heribaldum ſcripta eſt poſt epiſtolam ad Egilonem ſeu Egilem Abbatem: qui ſuam accepit non ante annum DCCC LIII, quo Abbas renuntiatus eſt. adeo ut altera ad Heribaldum, in qua prioris fit mentio, ſcripta ſit anno DCCC LIV, certè ante Februarium anni DCCC LVI, quo ejus anni menſe ineunte Rabanus è vivis exceſſit, ſuperſtite Paſchaſio Radberto.

VII.

80. Præter Rabanum alioſque ejus ſequaces, Auctor Homiliarii mſ. eccleſiæ Lugdunenſis, qui mihi videtur eſſe Florus Diaconus, duplex etiam Chriſti Domini corpus diſtinguit in expoſitione epiſtolæ in Cœna Domini recitari ſolitæ. Nam relatis Chriſti Euchariſtiam inſtituentis hiſce verbis, *Hoc eſt corpus meum*, inter alia ita commentatur. *Aliud erat corpus quod loquebatur, atque aliud quod tradebatur. Corpus quod loquebatur, erat ſubſtantiale: quod verò tradebatur, myſticum. Corpus ſiquidem Domini mortuum eſt, ſepultum, cæloſque aſcendit: corpus verò quod Apoſtolis in myſterio committebatur, cotidie per manus conſecratur Sacerdotum.* Ne quis autem veram ac realem corporis Chriſti præſentiam his verbis negari putet; quid hac de re ſentiret Auctor, in præmiſſis ita expoſuerat. *Fregit non ſine utili myſterio. Nam & hodie Sacerdotes corpus Domini conſecrantes, non antea illud percipiunt, nec Fidelibus tradunt, donec fregerint. ut oſtendatur, quia quicumque corpus Domini ad ſalutem vult percipere, primùm debet illud frangere, id eſt inveſtigare & diſcutere, quid in illo myſterio intelligatur. Quodammodo enim frangimus panem, quando ſub figura ejuſdem panis veritatem corporis dominici intelligimus.* Myſterium ergo illud agitur Flori ſententia.

ſub figura & ſpecie panis: at ſub illa *figura panis* continetur *veritas corporis dominici.* Sic Florus intelligebat, ſic credebat: ſic intelligebant & credebant, quotquot de duplici ſeu triplici Chriſti corpore cum Paſchaſio diſceptabant. Ex quo iterum apparet, (quod jam ſæpius dixi) controverſiam illam hæſiſſe maximè in modo loquendi. Porro vetuſtiſſimi illius Homiliarii copia mihi facta eſt ab humaniſſimo viro Stephano Baluzio, penes quem tum erat.

§. VI.

De RATRAMNO *Corbeïenſi Monacho: an auctor ſit libri vulgati ſub nomine Bertrami.*

Ratramni opera.

81. RATRAMNUS ſeu Rattrannus, Lupo Rotrannus, ab undecimo ſæculo (quo Francica vocabula corrumpi cœpta) Bertramus, Bertrannuſve, Monachus fuit Corbeïæ Gallicæ, ut temporibus illis doctus, & in Patrum lectione non mediocriter verſatus. Is non pauca ſcripſit, in quibus libellus de Nativitate Chriſti; Reſponſionum ad objecta Græcorum libri tres; de prædeſtinatione duo; unus de trina Deitate, Hincmaro teſtante, & liber de anima. Et tres quidem primos typis editos habemus, non quartum, nec quintum, quem præ manibus habemus. An etiam condiderit librum de corpore & ſanguine Domini, qui ſub nomine Bertrami vulgatus exſtat, nunc celebris quæſtio eſt inter eruditos.

Johanni Scotto tributus liber Bertrami.

82. Ante annum Chriſti concepti M D C L V I I recepta erat ſententia, etiam inter Catholicos omnes, librum hunc Ratramni verum eſſe fetum. Perſuaſionem auxit Anonymus Cellotianus, (is eſt Herigerus Abbas Laubienſis) qui librum iſtum Ratramno tribuere videtur. Anno jam dicto prodiit in publicum Spicilegii tomus ſecundus, in quo propter opus Ratramni adverſus Græcos ibi editum inſerta eſt epiſtola illuſtriſſimi Petri de Marca, tum Archiepiſcopi Toloſani, ad Acherium noſtrum Spicilegii editorem: qui cùm intellexiſſet Ratramnum ob vulgatum de Euchariſtia librum malè traducià nonnullis; quid de hoc Ratramni libro ſentiret eruditiſſimus Antiſtes, interrogaverat. Verbis reſpondit probè ſe ſentire: at ſententiam ſcripto proferre rogatus, in aliam partem abiit. In ea ſiquidem epiſtola contendit, non Ratramnum, ut recepta ferebat ſententia, eſſe prædicti libri auctorem, ſed Johannem Scottum: qui quoniam videbat ſe novitate ſua inceſſere vetuſtatem, diſſimulato Johannis proprio nomine, ſub larva Bertrami ſeu Ratramni latere curaverit, aſſumto nomine iſto, quod operi ſuo præfixerit. Eruditis nota loquor, ut clariſſimi viri argumenta huc

referre non ſit neceſſe. Nova hæc ſententia, ut fit, placuit non paucis; diſplicuit pluribus, receptæ perſuaſioni adhærentibus. Acceſſerunt in cauſam Calviniſtæ, quibus faventior viſa eſt Ratramni, quàm Johannis Scotti auctoritas. nam libri ſcriptorem, quiſquis ille tandem ſit, ſuis partibus vindicare conantur. Ventum eſt ad litterarium conflictum: repetitis hinc inde libris agitata eſt lis, quam Catholici quique ut meri facti diſceptationem ſpectabant. Diſtracta ſunt hac in cauſa Catholicorum ſuffragia, aliis pro Johanne, aliis pro Ratramno ſentientibus. Præceps fuit ante litis conteſtatæ definitionem occupatio Calviniſtarum, qui librum ſub Ratramni nomine Latinè & Gallicè recudi curaverunt, abſque nova veterum librorum aut teſtimoniorum auctoritate. Quid inter hæc ſenſerim, leve fuerit dicere: quid verò hoc de argumento invenerim, diſſimulare non ſinit veri ac ſinceri amor, ne qua lis in poſterum hac de re excitetur.

83. In Belgii partes profectus, ut jam dixi, Laubienſe adii Monaſterium, ubi inter codices manuſcriptos bene paucos qui reſtant, binos reperi, unum vetuſtiſſimum, ab annis ſanè octingentis exaratum, in quo continentur opuſcula duo, primum de corpore & ſanguine Domini, ſubſequens de prædeſtinatione; illud unico, hoc duobus libris conſtans. Utriuſque inſcriptio & exordia ita ſe habent in codice mſ. *Incipit liber* RATRĀNI * *de corpore & ſanguine Domini. Juſſiſtis, glorioſe Princeps*, &c. Poſt hunc librum, *Incipit liber Ratramni de prædeſtinatione Dei. Domino glorioſo atque præcellentiſſimo Regi Karolo* RATRAMNUS, &c. ut in editis. In alio codice legitur Indiculus librorum *Armarii*, id eſt Bibliothecæ Laubienſis, cum hoc titulo: *Anno Dominicæ incarnationis* M XLIX *Fratres Lobienſes ſecum recenſentes Armarium, hanc ſibi repererunt haberi ſummam librorum.* Et infrà, RATRAMNI *de corpore & ſanguine Domini lib.* I. *Ejuſdem de Prædeſtinatione Dei ad eumdem lib.* II. Ex quo intelligitur, ſuperiorem codicem, in quo Ratramni opuſcula hæc continentur, eſſe ipſummet qui in hoc Indiculo deſcriptus eſt anno M XLIX. ac proinde prædictum codicem ante illud tempus exaratum eſſe. Et certè ſcriptum eſſe ſub finem ſæculi noni facilè ſuadet ipſa ſcripturæ forma, quæ omnino Ratramni ætatem ſapit: nec dubito quin is ipſe ſit codex, quo uſus eſt Herigerus ejus loci Abbas in fine ſæculi decimi.

Ratramno adſcribendus.

* ſic

84. Ex his magna nobis præjudicia ſuppetunt, Ratramnum eſſe auctorem libri, qui ſub nomine Bertrami circumfertur. nimirum quòd in codice Laubienſi pervetuſto Ratramni præferat nomen: quòd continentes in eodem codice habeat genuinos libros duos de Prædeſtinatione, qui omnium conſenſu Ratramno adſcribuntur auctori: quòd denique Herigerus utrumque opus ipſi tri-

buat. His addo ſtili ſimilitudinem & ſcribendi modum cum aliis Ratramni operibus genuinis convenientem. quo vel unico primùm argumento librum Ratramno adjudicandum eſſe exiſtimaveram. Sed quilibet hac de re judicat pro ſuo ſenſu. Hæc tamen omnia non penitus evertunt conjecturam illuſtriſſimi Antiſtitis, ſentientis, librum hunc ab initio ſub Ratramni nomine vulgatum fuiſſe: poſtea verò tempore Berengarii, id eſt medio ſæculo XI, detractâ larvâ Johanni legitimo auctori ſuo reſtitutum.

85. Verùm ſi demonſtrari poteſt, utroque illo tempore duplicis hac de re libri, geminique auctoris, Ratramni & Johannis, factam eſſe mentionem; huic conjecturæ factum iri ſatis nemo non concedet. Atqui utrumque facile. Librum unum de corpore & ſanguine Domini ſub nomine Ratramni ſæculo nono ac decimo comparuiſſe in confeſſo eſſe debet, & probant in primis codex Laubienſis & Herigerus. Eodem porro tempore viſus eſt & alius liber de eodem argumento ſub nomine Johannis Scotti. Teſtis Adrevaldus Floriacenſis Monachus, qui de miraculis ſancti Benedicti librum ſcripſit regnante Carolo Calvo. Is enim collegit ſententias Patrum *contra ineptias Johannis Scotti de corpore & ſanguine Chriſti*: quod collectaneum in Spicilegii tomo 12 vulgatum eſt. Hunc Johannis librum notare videtur Hincmarus in libro de Prædeſtinatione: ubi Johannis Scottigenæ errata commemorans, ſatis innuit, Johannem circa hoc Sacramentum erraſſe, ut poſtea referam.

86. Deinde ſæculo undecimo utriuſque lucubratio, Ratramni ſcilicet & Johannis, de Euchariſtia nota fuit. Johannis quidem, ut conſtat teſtimonio Auctorum, qui contra Berengarium ſcripſerunt. Ratramni verò, teſte in primis Sigeberto Monacho Gemblacenſi in lib. de Scriptoribus eccleſiaſticis cap. 95. ubi Ratramnus, ſeu (ut nonnulli codices habent) Bertramus, librum de corpore & ſanguine Domini ſcripſiſſe dicitur. Porro ſub initium ſæculi duodecimi florebat Sigebertus, qui Berengario ſene juvenis erat. Hunc Ratramni librum legiſſe videtur Guitmundus, qui ſub finem libri 1 adverſus Berengarium, quatuor diſtinguit mutationum genera, iiſdem ferè verbis, quibus Ratramnus initio libri ſui tria commemorat. At ſi liber iſte Johanni Scotto tum adſcriptus fuiſſet, non facilè crediderim Guitmundum uſurum fuiſſe hoc libro, quo Berengarius in patrocinium ſui erroris abutebatur, quiſque flammis tum adjudicatus eſt. Hæc conjectura: cui longè præſtat Sigeberti auctoritas, qui licèt de Johanne Scotto agens, (agit autem duobus in locis) ejus libri de Euchariſtia non meminerit; numquam tamen commiſſurus fuiſſet, ut Ratramno tribueret librum, ſi is idem fuiſſet liber, quem Johannis Scotti eſſe, & flammis dignum ſuo tempore cenſuerant Patres Vercellenſes. Et hæc ſanè ratio apud me plurimum valet.

87. Si quis reponat, librum unum & eumdem utroque illo tempore, modò ab his ſub Ratramni; modò ab aliis, qui rem meliùs noſſent, ſub Johannis nomine memoratum fuiſſe; repono & ego, etſi unus idemque liber eſſet, judicandum ex indiciis certioribus, quis germanus libri ſcriptor. alienum eſſe ab ingenio Johannis Scotti, hominis audacis, ne dicam temerarii, librum ſuum, quantumvis à catholico ſenſu diſcrepantem, ſub alieno nomine publicare, & Carolo Regi offerre. cum hac fraude non uſum fuiſſe in vulgandis libris de naturis, qui graviſſimis alioqui erroribus ſcatent: denique hominem vix eo proceſſurum ſtoliditatis & impudentiæ, ut fetum ſuum alteri genii penitus diverſi ſupponat, & quidem adhuc viventi, qui falſarii fraudem ſola negatione refutare poſſit. Porro vixiſſe etiam tum Ratramnum, qui ſine dubio detexiſſet Johannis imposturam, quæ hominibus ſæculi inſequentis, (ut veri ſimillimum eſt) ac proinde Herigero ignota non fuiſſet. Itaque librum potiùs Ratramno, quàm Johanni tribuendum eſſe. Sive ergo unicus fuerit auctor, ſive geminus; Ratramnus Johanni Scotto præferendus eſt: id eſt, potiùs Ratramno quàm Johanni liber, de quo agimus, adſcribendus.

88. At verò duplicem fuiſſe cùm argumenta ſuperiora probent, nihil ſanè in contrarium opponi poteſt ſufficiens ad elevandam ipſorum argumentorum fidem. Non inſcriptio, quæ utraque Carolo Regi facta dicitur. Quidni enim uterque Caroli Calvi hortatu de eodem argumento interrogatus reſpondere potuit? Certè uterque de prædeſtinatione ſcripſit: & tam Lupus Abbas Ferrarienſis, quàm Ratramnus de eadem re Caroli juſſu ſententiam ſuam expoſuere. Non orâtio Gregoriana ab Johanne citata, teſtante Aſcelini epiſtola ad Berengarium; itidem in Ratramni libro laudata: tum quia familiare eſt illius ævi Scriptoribus in eadem materia eadem argumenta eaſdemque Patrum ſententias adhibere: tum quia hæc oratio aliter à Ratramno, aliter à Johanne expoſita fuit. Oratio hæc eſt: *Perficiant in nobis, Domine, quæſumus, tua Sacramenta quod continent: ut quæ nunc ſpecie gerimus, rerum veritate capiamus.* Johannis commentarium ita refert Aſcelinus: *Quam exponendo prædictus Johannes, inter cetera Fidei noſtræ contraria; Specie,* « *inquit, geruntur iſta, non veritate. Quod non catholicè dictum,* ſubdit Aſcelinus, *ſi bene tuam vigilantiam novi, non ignoras.* « Ratramnus verò hæc verba, *Dicit*, videlicet Eccleſia in hac oratione, *quòd in ſpecie geruntur iſta, non in veritate;* ſic exponit, *id eſt, per ſimilitudinem, non per ipſius rei manifeſtationem.* In hoc ergo differt Johannis expoſitio à Ratramni, quòd quæ verba Johanni commentarii locum habent, ea Ratramnus adhibet ut verba Eccleſiæ, quæ omnino catholicè explicat. *Dicit quòd in ſpecie geruntur iſta, non in veritate*, nempe Ec-

cleſia hoc dicit. Explicat Ratramnus & ſubdit, *id eſt per ſimilitudinem, non per ipſius rei manifeſtationem.* ſcilicet uſurpavit vocem hanc, *veritas* pro manifeſtatione. quo ſimili modo Lanfrancus exponit hanc orationem in Dialogo contra Berengarium: *Poſtulat quippe Sacerdos, ut corpus Chriſti quod ſub ſpecie panis vinique nunc geritur, manifeſta viſione, ſicut re vera eſt, quandoque capiatur. Veritas enim pro manifeſtatione in ſacris ſæpe litteris reperitur.* Denique ſilentium de libro Ratramni apud Berengarianos, non obſtat quo minùs Ratramno tribuendus ſit. Forſan enim aut librum hunc non legerant, qui in paucis admodum bibliothecis reperitur; aut ſi legerant, eum ſibi non favere exiſtimabant. Quippe neque Herigero catholicæ veritatis aſſertori hic liber venit in ſuſpicionem erroris contra præſentiam realem.

89. Erit forſan qui dicat, vulgatum Bertrami librum non videri eum, quem memorat Herigerus. ſiquidem Herigerus tradit, Rabanum & Ratramnum falsò reprehendiſſe Paſchaſium, quaſi diceret, *totiens Chriſtum pati, quotiens Miſſas contingit celebrari.* quæ objectio in vulgato Bertrami libro (ſi bene memini) non reperitur. Verùm fortaſſis hæc objectio non Ratramni erat, ſed quorumdam aliorum, quos verbo imperſonali deſignat Herigerus hoc modo: *Quod autem iterum objiciunt eum dixiſſe*, &c. aut potiùs ſolius Rabani in epiſtola ad Egilem erat hæc objectio, uti ſuperiùs * exponebam.

* *num.* 60.

90. Hîc ex abundanti juverit obſervare, in bibliotheca Thuanea exſtare quoddam exemplar mſ. de corpore & ſanguine Domini, quod Ratramno falsò tribuitur. Nam farrago eſt malè conſarcinata ex libro Paſchaſii & aliorum. Viros nihilo minus doctos aliquot fefellit farraginis concluſio ad Carolum Regem: quæ ipſiſſima eſt Hincmari peroratio libri de prædeſtinatione, quem Carolo Regi dedicavit. Hoc monuiſſe alicujus forſan momenti erat.

§. VII.

Examinatur doctrina Ratramni in libro de corpore & ſanguine Domini.

91. TRIA potiſſimùm hîc diſcutienda ſunt. primum, quos adverſarios hoc libro aggreſſus ſit Auctor. alterum, quæ libri doctrina & fides. tertium, quo tempore ſcriptus liber.

I.

Ratramni duæ quæſtiones.

Quales adverſarios hoc in libro impugnandos ſibi propoſuerit Ratramnus, intelligimus ex ſtatu quæſtionis, quam initio præfigit, dividitque in partes duas. Prima, *An quod in Eccleſia ore Fidelium ſumitur, corpus & ſanguis Chriſti in myſterio fiat, an in veritate.*

id eſt

id eſt utrum aliquid ſecreti contineat, quod oculis fidei ſolummodo pateat: an ſine cujuſque velatione myſterii hoc adſpectus intueatur corporis exteriùs, quod mentis viſus inſpiciat interiùs, ut totum quod agitur, in manifeſtationis luce clareſcat. Altera pars eſt, *Utrum ipſum corpus ſit quod de Maria natum eſt.* Utrumque negat Ratramnus, & quidem contra Paſchaſium Radbertum, ut multi volunt.

92. Certè poſterior pars contra Paſchaſium pugnat: at nequaquam prior, quam adeo diſertis verbis rejicit Paſchaſius, ut mirum ſit illuſtriſſimum virum ſcripſiſſe, hac in parte Ratramnum expreſſiſſe ſententiam Paſchaſii, qui videretur Rabano & aliis, Orientalium more, mutationem ſubſtantiæ & quantitatis in corpus Chriſti Latinis incognitam profiteri. Ego verò conſtanter aſſero, Paſchaſium in contraria ſententia fuiſſe. Deditâ ſiquidem operâ probat in libri ſui cap. 4, corpus Chriſti in Euchariſtia & veritatem ſimul eſſe & figuram. & in epiſtola ad Fredugardum: *Si quis dicit,* inquit, *hanc carnem & hunc ſanguinem ſic ipſa eſſe abſque myſterio & ſacramento, nec in figura ex parte ſumendam, totum diſſipat.* Tantum ergo abeſt ut Paſchaſius docuerit, corpus Chriſti abſque ullo myſterio, abſque ulla figura & obvelatione in Euchariſtia contineri, ut cenſuerit eos qui ita ſentirent, totum ſacramentum diſſipare. Prior non contra Paſchaſium,

93. Non igitur Paſchaſium, ſed alios adverſarios aggreſſus eſt in priori parte Ratramnus, quos plures fuiſſe intelligimus ex his ipſius verbis: *Dicunt quòd nulla ſub figura, nulla ſub obvelatione fiat, ſed ipſius veritatis manifeſtatione peragatur.* At qui demum illi fuerunt adverſarii? Forſan Haimo Halberſtadenſis Epiſcopus, aliique cum eo conſentientes, qui, quemadmodum apud Græcos Johannes Damaſcenus, ſic iſti apud Latinos figuræ vocabulum ab Euchariſtia ratione corporis Chriſti penitus removeri volebant. Plana eſt hac de re Johannis Damaſceni ſententia in lib. 4 de Fide cap. 14. Haimonis verò itidem in tractatu de corpore & ſanguine Domini. En ejus verba. *Et notandum quòd panis ille ſacratus & calix ſigna dicuntur. Non autem hoc quantum ad carnem Chriſti & ſanguinem accipiendum eſt. quod tamen quidam erronei ſenſibus carnis omnino dediti, mente cæcati, ſtolidiſſimè putant. Jam enim corpus & ſanguis Chriſti non eſſent. Nullum [enim] ſignum eſt illud cujus eſt ſignum: nec res aliqua ſui ipſius dicitur ſignum, ſed alterius. Et omnino omne ſignum, in quantum eſſe ſignum deprehenditur, diverſum eſt ab eo quod ſignificat. Corpus ergo Chriſti & ſanguis ſacramenta dicuntur, id eſt ſacrum ſignum, non ſui ipſius, ut præmiſſum eſt & probatum, ſed ad ſimilitudinem ſumentium re vera ſigna dicuntur.* Hic duo ſenſus latère poſſunt ſub his verbis: *Panis ille ſacratus & calix ſigna dicuntur, non autem hoc quantum ad carnem Chriſti & ſanguinem.* Prior eſt, ut panis ſacratus & calix ſumti ſecundùm ſpecies accidentarias ſint ſigna, non caro & ſanguis ſed contra Haimonem.

Chriſti. Poſterior, ut non ſint ſigna carnis & ſanguinis. Hunc poſteriorem ſenſum eſſe genuinum exiſtimo, & quidem Johannis Damaſceni ſententiæ conſentaneum, ut probant hæc ejus verba ex lib. 4. de Fide cap. 14. *Nec verò panis & vinum corporis Chriſti figura ſunt, (abſit enim hoc) verùm ipſummet Domini corpus divinitate affectum*, &c. quæ ferè verba ſunt Haimonis. Adeo autem id probat Johannes Damaſcenus, ut Baſilium alioſque ſecus loquentes ita explicet. *Quòd ſi nonnulli panem ac vinum corporis ac ſanguinis Domini figuram eſſe dixerunt, quemadmodum ille divinitus afflatus Baſilius; non hoc poſt conſecrationem dixerunt, ſed antequam ea oblatio conſecraretur, hoc vocabulum uſurparunt.* Ex his intelligimus, tempore Haimonis, qui Rabani & Ratramni æqualis fuit, controverſiam fuiſſe in Eccleſia, aliis dicentibus panem & vinum conſecratione facta eſſe ſigna carnis & ſanguinis, tametſi hæc continerent; quos *erroneos* Haimo appellat: aliis negantibus eſſe figuram ac ſignum reſpectu corporis Chriſti, quos impugnat hoc loco Ratramnus. Iſtorum fundamentum hoc erat, quòd *nullum ſignum eſt illud cujus eſt ſignum.* Ratramni verò momentum præcipuum hac ratione nitebatur. *Si nulla ſub figura myſterium illud peragitur, jam myſterium non rectè vocitatur. quoniam myſterium dici non poteſt, in quo nihil eſt abditum, nihil à corporalibus ſenſibus remotum, nihil aliquo velamine contectum.* Hunc eſſe ſtatûm prioris quæſtionis à Ratramno propoſitæ conſtat ex ejus libro: in quo ſi non Haimonem ipſum, at certè ejus ſequaces hac in parte aggreſſus eſt, fervore contentionis aliquoties abreptus (ut fit) extra metas juſtæ diſputationis. quod etiam ipſi accidit in libro de Nativitate Chriſti. Neque enim negabant Haimo eique adhærentes, corpus Chriſti Domini in Euchariſtia, ejuſque ſanguinem ſpeciebus alienis velatum eſſe. id enim in illo tractatu disertè confitetur his verbis: *In quo quidem Chriſti corpore & ſanguine, propter ſumentium horrorem, ſapor panis & vini remanet & figura, ſubſtantiarum naturâ in corpus Chriſti & ſanguinem omnino converſâ. Sed aliud renuntiant ſenſus carnis, aliud renuntiat fides mentis.* At nihilo tamen minus nolebat Euchariſtiam dici figuram & ſignum corporis Chriſti, ratus *nullum ſignum eſſe illud cujus eſt ſignum.* Qua re impugnanda Ratramnus eò progreſſus eſt, ut diceret inde conſequi, nullum eſſe in Euchariſtia myſterium, nihil velatum. quam tamen conſecutionem adverſarii negabant.

II.

94. Jam Ratramni hoc in libro doctrina & fides examinanda eſt. Id ut clariùs & faciliùs aſſequamur, maximè attendendum, quibus verbis controverſiæ ſtatum definiat & exponat; qua in re conſentiat cum adverſariis; qua in re diſſideat; quæ locutiones in argumentis ipſi familiares; quis earum ſenſus; denique quæ ejus argumenta & concluſiones.

95. Verba quibus quæſtionem primam definit, hæc ſunt: *An quod in Eccleſia ore Fidelium ſumitur, corpus & ſanguis Chriſti in myſterio fiat, an in veritate? id eſt utrum aliquid ſecreti contineat, quod oculis fidei ſolummodo pateat. an ſine cujuſque velatione myſterii hoc adſpectus intueatur corporis exteriùs, quod mentis viſus inſpiciat interiùs, ut totum quod agitur, in manifeſtationis luce clareſcat?* Et hoc quidem ea occaſione quærit, quia dicebant aliqui, *quòd nulla ſub figura, nulla ſub obvelatione fiat: ſed ipſius veritatis manifeſtatione peragitur.* Nemo non videt intereſſe quàm maximè, ut ſciamus, quid *veritatis*, quid *manifeſtationis* vocabulis, in quibus controverſia ſita eſt, auctor intelligat. Quæſtionis primæ ſtatus.

96. Qui Ratramni librum recens edidit, & Gallicè vertit Calviniſta, *veritatis* nomine *realitatem* ac præſentiam realem exprimi fatetur: errat verò, cùm *veritatis* hoc modo ſumtæ, & *manifeſtationis* vocabula hoc in libro ſynonyma eſſe dicit. Primò enim hæc *manifeſtationis* interpretatio apertè pugnat, non ſolùm cum communi vocis notione, quæ ipſam rei nudam exhibitionem ſignificat; ſed etiam cum mente auctoris inquirentis, an corpus Chriſti in Euchariſtia contineatur *ipſius veritatis nuda manifeſtatione.* Nam ſi *veritas* & *manifeſtatio* ſynonyma ſunt, & *veritas* realitatem ſignificat; perinde eſt ac ſi quæreretur, an corpus Chriſti in Euchariſtia contineatur *ipſius realitatis realitate.* (nam vocem *nuda* pro nihilo ducit interpres, cui ſat fuit quatuor hæc nomina reddere unicâ voculâ *réellement.*) quo ferè nihil abſurdius cogitari poteſt. Deinde etſi ambigua eſſet vox illa *manifeſtatio*; tamen addito *nuda*, reducitur ad propriam ſignificationem. At (quod omnem tergiverſandi locum præcludit) manifeſtationem uſurpat auctor, quatenus Fidei obſcuritati opponitur. Sic enim argumentum proponit adverſus eos, qui corpus Chriſti *nulla ſub figura, ſed nuda veritatis manifeſtatione* exhiberi dicebant. *Si ſecundùm quoſdam,* inquit, *figuratè nihil hîc accipiatur, ſed totum in veritate,* id eſt verè, realiter, ac manifeſtè, *conſpiciatur; nihil hîc Fides operatur.* Cur ita? *Quia cùm fides, ſecundùm Apoſtolum, ſit rerum argumentum non apparentium, id eſt non earum quæ videntur, ſed quæ non videntur ſubſtantiarum; nihil hîc ſecundùm Fidem accipiemus: quoniam quidquid exſiſtit, ſecundùm corporis ſenſus dijudicamus.* Quis, rogo, erit ſenſus hujus argumenti, ſi manifeſtationem pro realitate accipias? Certè ridiculus omnino erit, aut impius. Eò enim redigetur argumentum: Si corpus Chriſti in Euchariſtia in realitate exhibeatur, locum non habebit Fides, quæ eſt rerum tantummodo non realium. quod ſanè impium eſt. Si autem vertas hoc modo: Si corpus Chriſti in Euchariſtia in realitate exhibeatur, ceſſabit Fides, quæ circa res tantùm non apparentes verſatur. Perinde erit ac ſi dicas: Si dies eſt, ſol non lucet. Utrumque enim æquè

pugnat contra rectam rationem. Procedit ergo argumentum de nuda viſione. Neque enim Fides repugnat eorum quæ creduntur realitati, immo quæ creduntur pleraque realia ſunt: ſed nudæ exhibitioni opponitur, quoniam eſt argumentum rerum non apparentium. Itaque iſtud argumentum hunc habet ſenſum: Si corpus Chriſti in Euchariſtia nulla ſub figura, nulla ſub obvelatione exhibeatur, ſed in ea forma & ſpecie ſenſili, quæ ipſius propria ſit; locum non habet Fides. quia corpus ipſum exhibetur, non alia ſpecie, ſed propriâ formâ affectum. Hinc manifeſtè conficitur, Ratramnum pugnare, non adverſus aſſertores præſentiæ realis, ſed adverſus eos, qui nullam figuram, nullam obvelationem in ſacramento admittebant.

97. Errandi occaſio Calviniſtæ fuit, quòd Ratramnus veritatem ſeu realitatem aliquando pro manifeſtatione uſurpat: at non vice verſa manifeſtationem pro realitate, ut Calviniſta putavit. Quocirca obſervare convenit, *reale* rem exiſtentem ſignificare, non deſignando, an illa ſit evidens & oculis expoſita, necne: *manifeſtum* verò definitè utrumque deſignare, nempe rem & præſentem & evidentem. Uno verbo, *reale* genus eſſe complectens res omnes exſiſtentes, ſive evidentes ſint, ſive non ſint: *manifeſtum* eſſe ſpeciem, quæ ad res evidentes contrahitur. Quemadmodum verò genus Logicorum rectè pro qualibet ſpecie ſua uſurpari poteſt, at non ſpecies pro genere: ſic reale pro manifeſto, non manifeſtum pro reali ſumere licet.

98. Tres locos adducit interpres, quibus in errorem inductus fuit. Primus eſt in illa oratione Eccleſiæ ab Ratramno relata: *Pignus æternæ vitæ capientes humiliter imploramus, ut quod in imagine contingimus ſacramenti, manifeſta participatione ſumamus.* Ubi clarum eſt, inquit Calviniſta, manifeſtam participationem ſumi pro vera ac reali perceptione. Neque enim poſtularet Eccleſia Chriſti corpus palam & in aperto intueri. Et hoc aliud erratum eſt interpretis. Ut enim diſſimulem, quòd hæc verba non ſunt ipſius Ratramni, ſed Eccleſiæ; quòd extra ſtatum quæſtionis referuntur. ut, inquam, hæc aliaque diſſimulem, ſenſus Eccleſiæ in hac oratione is eſt, ut *quod in imagine contingimus ſacramenti*, hoc eſt ſub ſpecie panis & vini; *hoc*, id eſt corpus Chriſti, *manifeſta participatione ſumamus*, id eſt manifeſta viſione in cælo poſſideamus. Nec vacat quòd in mſ. codice Laubienſi legitur *in imagine*, pro eo quod in editis habetur *imagine*, ſublata præpoſitione.

99. Hunc verò eſſe Eccleſiæ ſenſum patet ex alia oratione, quam etiam tralator ex Ratramno adducit in hunc modum: *Perficiant in nobis, quæſumus, Domine, tua ſacramenta quod continent: ut quæ nunc ſpecie gerimus, rerum veritate capiamus.* Nam eò ſpectat hæc

oratio, ut *quæ nunc*, hoc eſt in hac vita, *ſpecie* & ſub myſterio *gerimus*; in alia vita *rerum veritate capiamus*, id eſt *manifeſta viſione*, uti explicat Lanfrancus. Audi Ratramnum eodem modo explicantem. *Dicit quòd in ſpecie gerantur iſta, non in veritate: id eſt per ſimilitudinem, non per ipſius rei manifeſtationem.* Ecce, inquis, veritas pro manifeſtatione uſurpatur. Rectè. ſed ita ut veritatis ſignificatio transferatur ad ſignificandam manifeſtationem; non manifeſtatio ad ſtrictim ſignificandam veritatem ſeu realitatem. Et tamen vice verſa explicavit Calviniſta, & contra Eccleſiæ ſenſum, & contra Ratramni propoſitum.

100. Secundus locus ab interprete prolatus eſt, quòd ex Ratramno pignus & imago *ſignificant rem cujus ſunt, non manifeſtè oſtendunt.* id eſt *non realiter*, inquit. Certè realitatem importat manifeſtatio, ſed realitati addit viſionem. Utrumque porro hoc nomine intellexit Ratramnus, ut patet exemplo allato corporis Chriſti, *quod nunc per ſimilitudinem*, id eſt per externam ſacramenti ſpeciem, *oſtenditur; in futuro per manifeſtationem revelabitur.*

101. Tertius locus deſumitur ex ſecunda oratione Eccleſiæ quam ſuperiùs retuli & expoſui. Quartus eſt ſub finem libri, ubi Ratramnus probare volens, aliud eſſe corpus Chriſti in Euchariſtia, aliud quod natum eſt de beata Virgine, ait, *quòd non parva differentia ſit inter corpus quod per myſterium exſiſtit, & corpus quod paſſum eſt & ſepultum & reſurrexit. quoniam hoc proprium Salvatoris exſiſtit, nec in eo vel aliqua figura, vel aliqua ſignificatio, ſed ipſa rei manifeſtatio cognoſcitur.* Quo in loco, inquit Calviniſta, ut in aliis, *manifeſtatio* pro *realitate* accipitur. Miror ſane eò uſque progredi hominem, ut tam apertæ ſententiæ fucum faciat. Quis bona fide auctoris verba legens ſtatim non concedat, hîc manifeſtationem in proprio ſignificatu ſumi oportere? Neque enim umquam vox aliqua detorqueri debet ad metaphoricum ſenſum, niſi manifeſta ratio perſuadeat, proprium loco non convenire. Jam vero dic, quæſo, quid obſtat, immo quid non cogit, manifeſtationis vocabulum in proprio ſenſu hîc uſurpari? Id exigit auctoris ſcopus generalis, ut ſuperiùs demonſtratum eſt. id etiam poſtulat conſequentia hujus loci. Auctor enim hîc totus eſt in aſſignando diſcrimine, quod intercedit inter corpus Chriſti in Euchariſtia, & corpus quod paſſum eſt. Unum verò in eo reponit, quòd corpus euchariſticum figurarum velamentis obtegitur; corpus quod paſſum eſt, manifeſtè conſpiceretur. Atqui quod conſpiciebatur, reale quidem erat, ſed realitati manifeſtam exhibitionem ſuperaddebat. Quòd reale erat, convenit cum euchariſtico: quòd manifeſtum & oculis ſubjectum, differt ab eodem.

102. Hæc fuſiùs tractanda fuere, quoniam ſemel conſtituto &

intellecto quæſtionis ſtatu, qui ex notione *manifeſtationis* & *veritatis* pendet, ut fatetur Calviniſta; planior eſt Ratramni hoc in libro doctrina & fides. Atqui certis ac neceſſariis, ut puto, argumentis demonſtravi, manifeſtationem à Ratramno in propria notione ſumi, id eſt pro nuda rei exhibitione. ac proinde conſtat eum agere, non contra realis præſentiæ aſſertores, ſed contra eos, qui omnem figuram à ſacramento removebant.

Conſenſus cum adverſariis.

103. Id etiam perſpicuum eſt ex iis rebus, in quibus auctor cum adverſariis conſentit. Nemo Calviniſtarum negaverit, Ratramni adverſarios realitatem admiſiſſe. At Ratramnus hac in re non modò non contradicit, ſed etiam declarat eos *fideliter* hoc credere: exprobrat verò quòd excludendo figuram à ſacramento, fidem ſuam evertant. En ipſius verba: *Cernit ſublimitas veſtra, Princeps glorioſe, quò taliter ſentientium intellectus evadat. Negant quòd affirmare creduntur; & quod credunt, deſtruere comprobantur. Corpus etenim ſanguinemque Chriſti fideliter confitentur, &c.* Qua ratione *fideliter confitentur?* nimirum in ſententia ipſius Ratramni. aliàs non diceret eos id *fideliter* credere. Atqui jam dicebamus eos realitatem admiſiſſe. Ratramnus ergo etiam admiſit. Id ampliùs declarat in poſteriori parte his verbis: *Corpus Chriſti quidem ſanguinemque fideliter credis: ſed ſi perſpiceres, quia quod credis, nondum vides.* In tantum ergo corpus Chriſti *fideliter* credere Ratramno cenſebantur adverſarii, ſi perſpicerent, hoc eſt crederent & intelligerent, quia quod in Euchariſtia credebant, necdum videbant. Itaque ſentiebat Ratramnus eos rectè ſentire credendo realem præſentiam; ſed errare in eo quòd putarent, illud ipſum quod videbant, eſſe veram corporis Chriſti formam.

104. At enim, inquis, utrique corpus Chriſti credebant, Ratramnus ſcilicet & ipſius adverſarii: ſed ſuo quiſque modo. Verùm ut quis aliquod myſterium *fideliter credere & confiteri* dicatur, non ſufficit, ut id quovis modo credat; ſed ut eo modo, quo credendum eſt, aut certè eo modo quo credi oportere putat is qui loquitur. Corpus Chriſti in Euchariſtia credunt Catholici, credunt & Calviniſtæ; ſuo utrique modo. Et tamen quis Calviniſtarum dixerit umquam, Catholicos id *fideliter*, id eſt rectè credere? Porro ſi Ratramnus Calviniſtarum errore tenebatur, longè aberat ab eorum perſuaſione quos impugnat, quos realis præſentiæ cultores fuiſſe concedunt Calviniſtæ: longè itidem ab ea confeſſione, ut adverſarios ſuos de Euchariſtia rectè ſentire fateretur. Fatetur tamen: ac proinde in realis præſentiæ fide cum illis conveniebat.

Locutiones orthodoxæ.

105. Et quidem eam fuiſſe Ratramni fidem probant variæ locutiones orthodoxæ, quibus uti conſuevit. Quis enim catholicè

ſenſiſſe neget eum qui dicit, in Euchariſtia *exteriùs* panem & vinum *in ſpecie prætendi*, *interiùs* carnem Chriſti & ſanguinem *contineri*; panem & vinum in Chriſti corporis carnem & proprii cruoris undam *omnipotenti virtute ſpiritaliter converti*, *transponi*; tum *verè per myſterium in corporis & ſanguinis converti ſubſtantiam*; *Chriſti corpus effici, non quidem viſibiliter, ſed inviſibiliter, operante inviſibiliter Spiritu-ſancto*; *figuram eſſe ſecundùm ſpeciem viſibilem, at ſecundùm inviſibilem ſubſtantiam corpus & ſanguinem Chriſti verè exſiſtere*; denique panem & vinum poſt conſecrationem *non hoc jam eſſe quod priùs fuere*. Quis, inquam, hæc legens non conſentiat, eum qui ſic loquitur, rectè de præſentia reali & de tranſſubſtantiatione ſentire? Atqui hæc apud Ratramnum in prædicto libro leguntur.

106. In prima enim parte ita ſcribit. *Exteriùs quidem panis, quod antè fuerat, forma prætenditur, color oſtenditur, ſapor accipitur: aſt interius longè aliud multoque pretioſius multoque excellentius intimatur, quia cæleſte, quia divinum, id eſt Chriſti corpus, oſtenditur, quod non ſenſibus carnis, ſed animi fidelis contuitu vel adſpicitur, vel accipitur, vel comeditur. Vinum quoque quod ſacerdotali conſecratione Chriſti ſanguinis efficitur ſacramentum, aliud ſuperficie tenus oſtendit, aliud interius continet. Quid enim aliud in ſuperficie quàm ſubſtantia vini conſpicitur? At interius ſi conſideres, jam non liquor vini, ſed liquor ſanguinis Chriſti credentium mentibus & ſapit dum guſtatur, & agnoſcitur dum conſpicitur, & probatur dum odoratur.*

107. Item: *Panis qui offertur, ex frugibus terræ cùm ſit aſſumtus, in Chriſti corpus, dum ſanctificatur, transponitur: ſicut & vinum cùm ex vite defluxerit, divini tamen ſignificatione myſterii efficitur ſanguis, non quidem viſibiliter; ſed ſicut ait præſens Doctor (Ambroſius,) operante inviſibiliter Spiritu-ſancto. Unde & ſanguis & corpus Chriſti dicuntur: quia non quod exteriùs videntur, ſed quod interiùs divino Spiritu operante facta ſunt, accipiuntur: & quia longè aliud per potentiam inviſibilem exſiſtant, quàm viſibiliter appareant.*

108. Ad hæc: *Tunc verè intelligetis, non, ſicut infideles arbitrantur, carnem meam à credentibus comedendam; ſed verè per myſterium panem & vinum in corporis & ſanguinis converſa ſubſtantiam, à credentibus ſumendam.* Præterea, *Ex his omnibus*, inquit, *quæ ſunt hactenus dicta, monſtratum eſt, quòd corpus & ſanguis Chriſti, quæ Fidelium ore in Eccleſia percipiuntur, figura ſunt ſecundum ſpeciem viſibilem: at verò ſecundùm inviſibilem ſubſtantiam corpus & ſanguis verè Chriſti exſtant.* Denique, ut alia id genus omittam, ſic de adverſariis loquitur: *Corpus etenim ſanguinemque Chriſti fideliter confitentur: & cùm hoc faciunt, non hoc jam eſſe quod priùs fuere, proculdubio proteſtantur*, &c. Hæ ſanè locutiones omnino ſapiunt catholicam Fidem: ſatiſque demonſtrant auctorem non aliter ſenſiſſe quàm Catholicos om-

nes, qui ſic eo tempore mentem ſuam de Euchariſtia exprimere ſolebant.

Ratramni argumenta & probationes. 109. Age nunc videamus quo ferant auctoris argumenta. Ea triplicis ſunt generis. Alia enim à ratione; alia à comparatione cum aliis ſacramentis & figuris; alia ab auctoritate Patrum deſumuntur.

110. Argumenta duo ſunt à ratione petita. Primum: *Si nulla ſub figura myſterium illud peragitur, jam myſterium non rite vocitatur.* Quid ita? *Quoniam myſterium dici non poteſt, in quo nihil eſt abditum, nihil à corporalibus ſenſibus remotum, nihil aliquo velamine contectum.* Hæc verba manifeſtè declarant, Ratramni intentum & argumentum non procedere niſi contra eos, qui nihil abditum, nihil à corporalibus ſenſibus remotum, nihil velamine contectum; ſed totum manifeſtum & propalatum in Euchariſtia eſſe contendebant, ut jam dixi.

111. Alterum argumentum profertur hoc ferè modo: Secundùm id corpus Chriſti dici non poteſt, ſecundùm quod in pane & vino *nulla permutatio facta cognoſcitur.* Atqui ſecundùm externam panis & vini ſpeciem nulla percipitur facta permutatio. *Nihil enim hic vel tactu, vel colore, vel ſapore permutatum eſſe deprehenditur. Si ergo nihil eſt hic permutatum, non aliud quàm antè fuit. Eſt autem aliud: quoniam panis corpus, & vinum ſanguis facta ſunt.* Ergo permutatio *facta non eſt ſecundùm ſpeciem formamque rerum viſibilium*, id eſt ſecundùm ſpeciem externam. Hîc duas permutationes diſtinguit Ratramnus, unam viſibilem, aliam inviſibilem; utramque veram atque realem, quippe qua *aliud fit quàm antè fuit.* Priorem negat in Euchariſtia, poſteriorem admittit: quæ non eſt aliud quàm permutatio ſubſtantiæ panis & vini, remanente ſpecie externa. Nam in pane & vino præter formam viſibilem nihil, in quo permutatio vera facta ſit, niſi ſubſtantia cogitari poteſt. Ad perſpiciendam vim hujus argumenti obſervandum eſt, triplicem à Ratramno diſtingui mutationem, nempe generationem, corruptionem, & tranſmutationem. Duas priores in Euchariſtia negat. Tertiam verò, nempe tranſmutationem, dividit in duas: unam accidentium, prout fit *in rebus qualitatis varietatem patientibus, verbi gratiâ, quando quod nigrum fuerat, in album tranſmutatur*: aliam ipſius rei, adeoque ſubſtantiæ. Primam in Euchariſtia non admittit, ſed ſecundam, quæ eſt ipſamet panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti tranſmutatio ſubſtantialis.

Nec aliò ſpectant auctoris argumenta ex comparatione petita, quæ tria ſunt. Unum eſt: Sicut aqua baptiſmatis *ſuperficie tenus elementum eſt, interiùs virtus vitalis eſt*: ita *Chriſti corpus & ſanguis ſuperficie tenus conſiderata, creatura eſt mutabilitati corruptelæque ſubjecta: ſi myſterii verò perpendis virtutem, vita eſt participantibus ſe tribuens immor-*

immortalitatem. In hoc ſita eſt comparatio, quòd ſicut virtus in aqua baptiſmali reſidens, quam multi Theologorum veram ac realem eſſe dicunt, ſenſibus non percipitur; ita nec corpus & ſanguis Chriſti in Euchariſtia. Eadem ratio eſt de ſequenti comparatione ſumta ex nube, in qua dicit Apoſtolus Patres antiquos fuiſſe baptizatos, quem baptiſmum verum fuiſſe Auctor exſtimaſſe videtur.

112. Tertia comparatio, mannæ ſcilicet cum Euchariſtia, plus difficultatis habet. Sic enim eam inſtituit Auctor, ut ſicut Chriſtiani in Euchariſtia, ita quondam antiqui Patres in manna corpus & ſanguinem Chriſti perceperint. Atqui, inquient adverſarii, Patres antiqui figuram dumtaxat & virtutem corporis Chriſti perceperunt in manna. Ergo etiam hoc ſolum Chriſtiani in Euchariſtia percipiunt.

113. Verùm ſi hoc argumentum aliquo modo pugnat contra Eccleſiæ catholicæ fidem, ad rectum ſenſum ex aliis Auctoris argumentis, & ex deſtinato ipſius ſcopo reducendum eſt. Deinde id æquè pugnat contra Calviniſtas, qui negant parem fuiſſe virtutem in veteris Teſtamenti figuris, atque in Euchariſtia: cùm in illis nonniſi vacuam ſignificationem; in hac virtutis abundantiam agnoſcant. Ad hæc forſan alludit Ratramnus ad illud Tertulliani in lib. de carne Chriſti cap. 6, ubi ait, Filium Dei in veteri Teſtamento jam tunc alloqui, & liberare, & judicare humanum genus edidiciſſe *in carnis habitu, non natæ adhuc, quia nondum morituræ.* Denique in eo comparatio inſtituta eſt, quod corpus Chriſti utrobique, id eſt in manna & in Euchariſtia, ſit *ſpiritaliter*; ſed non eodem modo. Nam in manna erat *ſpiritaliter* ſecundùm nudam figuram: in Euchariſtia itidem *ſpiritaliter*, ſed per ipſam ſubſtantiam, quæ ſpirituali, id eſt inviſibili modo ibi exſiſtit.

114. Poſtremò argumenta, quæ ex Patribus, ſcilicet Auguſtino & Ambroſio, depromit Auctor, id unum probant, myſteria corporis Chriſti *ſub figura* celebrari; & aliud eſſe ſacramentum, aliud rem ſacramenti: quod ultro fatemur Catholici omnes.

115. Jam tandem prioris hujus partis concluſionem conſideremus. *Ex his omnibus*, ait, *quæ ſunt hactenus dicta, monſtratum eſt quòd corpus & ſanguis Chriſti, quæ Fidelium ore in Eccleſia percipiuntur, figura ſunt ſecundum ſpeciem viſibilem: at verò ſecundùm inviſibilem ſubſtantiam, id eſt divini potentiam Verbi, corpus & ſanguis verè Chriſti exſiſtunt.* Concluſio hæc omnino catholica eſt, ut ex ſuperioribus ſatis intelligitur. Ex quibus omnibus infero, Ratramni ſententiam in hac priori parte à Fide catholica nequaquam recedere, ſive ſtatum quæſtionis, ſive loquendi modos, ſive conſenſum cum adverſariis, ſive argumenta & concluſionem ſpectes. Concluſio prioris partis.

116. In præmiſſa concluſione duo animadvertenda ſunt, nempe mentem fuiſſe Auctoris, Chriſti corpus & ſanguinem in Euchariſtia *Fidelium ore* percipi, & *ſecundùm inviſibilem ſubſtantiam* in ea exſiſtere. Ex primo convincitur mala fides aut temeritas Calviniſtæ interpretis, qui Gallicè vertit Auctoris hunc locum ad verba ſancti Auguſtini: *Cernimus quòd Doctor iſte myſteria corporis & ſanguinis Chriſti ſub figura dicit à Fidelibus celebrari. nam carnem illius ſanguinemque ejus ſumere carnaliter, non religionis dicit eſſe, ſed facinoris.* Hunc, inquam, locum ita Gallicè reddidit malè fidus interpres: *Chacun voit que ce Docteur veut que ce ſoit figurément, que les myſteres du corps & du ſang de Jeſus-Chriſt ſont celebrez par les Fidelles. Car il dit que prendre ſa chair & ſon ſang de la bouche du corps, c'eſt un crime, & non pas un acte de religion.* Uno in verſu duo ſunt facinora. Primum, quòd *ſub figura* vertit *figurément*, uti etiam pag. 2. Non enim ait Auctor hæc myſteria *in figura* celebrari, ſed *ſub figura*, quæ corpus Chriſti velet, non excludat. Alterum, quòd hæc verba, *carnem illius ſanguinemque ejus ſumere carnaliter*, ita reddidit, *prendre ſa chair & ſon ſang de la bouche du corps.* quaſi Auctor ſentiat facinus eſſe credere, corpus Chriſti *ore corporis ſumi.* cùm e contrario in præmiſſa concluſione diſertè profiteatur, corpus & ſanguinem Chriſti Domini in Euchariſtia *fidelium ore percipi*; & initio libri ſui *ore fidelium ſumi.* quod longè abeſt ab errore Calviniſtarum, qui cùm veram Chriſti corporis in Euchariſtia præſentiam negent, negant etiam illud *fidelium ore ſumi*, ſed tantùm *fide ac mente* percipi affirmant. Non dubito quin ea in verſione alia plura peccata ſint, quæ aliis examinanda relinquo.

Tralator arguitur.

pag. 24. & 25.

117. In eadem concluſione alterum obſervandum eſt, Chriſti corpus in Euchariſtia exſiſtere ſecundùm inviſibilem ſubſtantiam, id eſt divini potentiam Verbi. Quid *ſubſtantiæ*, quid *potentiæ* nomine hoc loco intelligat Auctor explicandum. Subſtantiæ vocabulum aliquando ſumit pro rei forma & ſpecie ſenſibili. ut, *Quid enim aliud*, inquit, *in ſuperficie, quàm ſubſtantia vini conſpicitur? Guſta, vinum ſapit: odora, vinum redolet: inſpice, vini color intuetur. At interiùs ſi conſideres, jam non liquor vini, &c.* Et in parte ſecunda relato ſancti Ambroſii teſtimonio: *Secundùm creaturarum ſubſtantiam quod fuerunt ante conſecrationem* panis & vinum, *hoc & poſtea conſiſtunt.* Ubi Auctor ſubſtantiæ nomen ſumit pro ſpecie externa & corporea (ut ita dicam) ſubſtantiæ. Unde & alibi dicit: *Corporaliter nihil in eis cernitur eſſe permutatum.* Aliquando verò idem vocabulum uſurpat tam pro re ipſa viſibili ſubſtantiæ, quàm pro ipſa inviſibili & occulta. Ut cùm initio libri ait *fidem eſſe non earum quæ videntur, ſed quæ non videntur ſubſtantiarum*, id eſt rerum. Aliquando denique pro ſola rei ſubſtantia inviſibili. Sic in medio primæ partis, de

Chriſto agens : *Sicut ergo* , inquit, *paullo antequam pateretur* , *panis ſubſtantiam & vini creaturam convertere potuit in proprium corpus* , *quod paſſurum erat*, &c. Et infrà ad locum Auguſtini ait, *verè per myſterium panem & vinum in corporis & ſanguinis Chriſti converſa ſubſtantiam à credentibus ſumi*. Quibus in locis ſubſtantiæ nomine cùm non ſignificet externam panis & vini formam, quam Chriſti eſſe negat; dicendum eſt deſignari utriuſque rei ſubſtantiam, quæ illâ formâ & ſpecie obvelatur.

118. Denique *potentiæ* nomine ipſam inviſibilem rei ſubſtantiam itidem intelligat in ſuperiori concluſione, atque etiam in his primæ partis verbis : *Secundùm namque quòd utrumque corporaliter contingitur, ſpecies ſunt creaturæ corporeæ*, ſcilicet panis & vinum : *ſecundùm potentiam verò quòd ſpiritaliter facta ſunt* , *myſteria ſunt corporis & ſanguinis Chriſti*. Hic *potentiæ* nomine ſignificat ipſam rei naturam & ſubſtantiam, cum ad modum quo vox *δύναμις* apud Græcos non rarò uſurpatur, & virtutis nomen apud Latinos, ſicuti apud Lanfrancum in Dialogo contra Berengarium : aut certè intelligit potentiam Verbi reſidentem & præſentem cum natura humana , id eſt ipſam Chriſti ſubſtantiam & eſſentiam , ipſam vitam, *quæ non oculis apparet corporeis* , *ſed fidei contuetur adſpectu*. denique ipſum *corpus Chriſti, non corporale, ſed ſpiritale*, ut paſſim in ſecunda parte loquitur, id eſt non viſibile, ſed inviſibile. Sic enim interpretanda eſſe hæc verba, docet Auctor his aliis : *Quòd ſi ſpiritale, jam non viſibile, neque palpabile*. Et infrà : *Quomodo ergo divini ſpiritus corpus eſſe dicitur ? ſecundùm hoc utique quòd ſpiritale eſt, ſecundùm quòd inviſibile conſiſtit & impalpabile, ac per hoc incorruptibile*. Hæc de priori parte hujus libri.

III.

119. In poſteriori parte id unum molitur Auctor ut probet, & ratione, & auctoritate, corpus Chriſti in Euchariſtia non idem eſſe quod natum eſt ex Maria virgine, quod paſſum, mortuum, ac ſepultum eſt. quia in corpore Chriſti naturali naturæ veritas erat manifeſta : in Euchariſtia ſub myſterio velata. hîc corpus inviſibile & ſpiritale : illic viſibile & palpabile. Illud *oſſibus & nervis compactum, & humanorum membrorum lineamentis diſtinctum* : hoc *nullis nervis oſſibuſque compactum, nulla membrorum varietate diſtinctum, nulla rationali ſubſtantia vegetatum, nullos proprios potens motus exercere*. Quæ omnia de Chriſti Domini corpore euchariſtico tradunt catholici Doctores. Etſi enim corpus iſtud cum tota membrorum integritate in Euchariſtia contineatur, inſitque anima corpori cum divinitate ; tamen neque membra in ſtatu naturali conſiſtunt, neque anima vitales actus exercet. *Quidquid enim*, ut ſubdit Ratramnus, *in ea carne vitæ præbet ſubſtantiam*, ſeu alimentum ; *ſpiritalis eſt*

Poſterior pars libri examinatur.

potentiæ & inviſibilis efficientiæ divinæque virtutis, non animæ vegetantis per actus vitales.

120. Unum hîc opponi poteſt, ſcilicet Auctorem eodem modo comparare panem cum Chriſti corpore vero & naturali, atque cum myſtico, quæ eſt Eccleſia. hæc enim ipſius verba ſunt. *Et ſicut non corporaliter, ſed ſpiritaliter panis ille credentium corpus dicitur: ſic quoque Chriſti corpus non corporaliter, ſed ſpiritaliter neceſſe eſt intelligatur.* Idem etiam ait de vino, *qui ſanguis Chriſti dicitur*; & de aqua, *quæ populi geſtat imaginem. Igitur ſi vinum illud ſanctificatum per miniſtrorum officium in Chriſti ſanguinem corporaliter convertitur; aqua quoque quæ pariter admiſta eſt, in ſanguinem populi credentis neceſſe eſt corporaliter convertatur. Ubi namque una ſanctificatio eſt, una conſequenter operatio: & ubi par ratio, par quoque conſequitur myſterium. At videmus in aqua ſecundùm corpus nihil eſſe converſum. Conſequenter ergo & in vino nihil corporaliter oſtenſum. Accipitur ſpiritaliter, quidquid in aqua de populi corpore ſignificatur. Accipiatur ergo neceſſe eſt ſpiritaliter, quidquid in vino de Chriſti ſanguine intimatur.*

121. Hæc verba, fateor, duriuſcula ſunt, ſi crudè ac rigidè accipiantur. Sed ſi pugnant contra Catholicos, certè Calviniſtis non favent magis. Nullus enim Calviniſtarum dixerit, eodem prorſus modo myſticum Chriſti corpus, id eſt Eccleſiam, in Euchariſtia ſignificari & exſiſtere, ac verum Chriſti corpus. At videndum eſt, in quo ſita ſit comparatio. Huc totus incumbit Ratramnus, ut probet corpus Chriſti euchariſticum non eſſe omnino idem atque illud, quod natum eſt ex Maria virgine. nempe quia illud nudum & oculis ſubjectum erat in ſtatu naturali: hoc verò non ita, ſed modo ſpiritali in ſacramento exſiſtit ſub ſpecie panis & vini. Ex quo infert, hîc corpus eſſe non *corporaliter*, ſcilicet quantum ad ſpeciem corpoream; ſed *ſpiritaliter*, ſecundùm exſiſtendi modum; adeoque converſionem eſſe non *corporalem*, ſed *ſpiritalem*: qualis reperitur in pane & in aqua ratione Eccleſiæ ſeu populi credentis, cujus figuræ ſunt. Ratramnus ergo utrumque, id eſt corpus Chriſti verum ac myſticum, ait eſſe in Euchariſtia *ſpiritaliter*, ſed non in eodem gradu. Corpus quippe Chriſti myſticum eſt in ſacramento per ſymbolorum ſignificationem: corpus Chriſti verum etiam per ipſam ſubſtantiam, ſed ſpiritali modo exſiſtentem. Siquidem ex ipſo Ratramno in priori libri parte, panis & vinum *verè in myſterio in corporis & ſanguinis convertuntur ſubſtantiam.* Unde ſic loquitur in poſteriori: *Exteriùs igitur quod apparet, non eſt ipſa res, ſed imago rei: mente verò quod ſentitur & intelligitur, veritas rei.* quod nuſquam de Eccleſia dicit.

122. At, inquis, corpus Chriſti & ſanguinem quod Eccleſia celebrat, dicit eſſe *tamquam pignus & imaginem.* Reſpondet Johannes

Damaſcenus in lib. 4 de Fide cap. 8, figuras rerum futurarum idcirco illa dici, *non quòd non verè corpus ac ſanguis Chriſti ſint, ſed quòd nunc quidem divinitatis Chriſti per ea participes efficiamur: tunc autem intellectuali modo, ac per ſolum adſpectum.* Hæc dicta ſint de illa comparatione, in qua ſi Ratramnus tantiſper juſtæ comparationis modum exceſſit, eam ad rectum ſenſum & ad rectam rationem explicari par eſt: uti explicari debent verba Jacobi à Vitriaco in Hiſtoriæ occidentalis cap. 38. ubi ait, *formas panis & vini utrumque Chriſti corpus, verum ſcilicet & myſticum deſignare.* Neque enim Auctoris cujuſquam ſententia expendenda eſt ex uno aliquo argumento, multo minùs ex comparatione, quæ ſæpius iniqua eſt: ſed ex ipſius diſputationis ſcopo, principiis, argumentis, & concluſione. quæ omnia in Ratramni libro collimant ad catholicam Fidem, id eſt ad doctrinam veræ ac realis præſentiæ & tranſſubſtantiationis.

123. Hoc ipſi adverterunt & confeſſi ſunt Centuriatores Magdeburgenſes, in cent. 9 cap. de Doctrina, his verbis: *Tranſſubſtantiationis habet ſemina Bertramus. utitur enim vocabulis commutationis & converſionis.* Sic illi ingenuè. Quo magis mirari ſubit, Calviniſtas realis præſentiæ & converſionis hoſtes, tam iniquè nunc ſibi vindicare Ratramnum.

124. Dicent forſan, Ratramnum ſibi concedi à nonnullis Eccleſiæ catholicæ Doctoribus, qui Bertrami librum ut catholicæ Fidei oppoſitum habent. Verùm alii ex adverſo, non minùs religioſi & catholici, repugnant: utrique verò conſentiunt, non pauciora in eo argumenta pro reali præſentia & converſione reperiri, quàm pro dogmate Calviniſtarum. Quapropter non debebat ab iis afferri pro defenſione ſui erroris, tamquam palmarius auctor, ex quo totius controverſiæ cauſa decernenda ſit ac dirimenda: at ſummùm ut medius ac dubius, qui catholicam ſententiam verbis identidem ſubobſcuris implicarit.

125. Ad noſtros, id eſt Catholicos quod attinet, liberaliores quidam fuere in hæreticos, eis permittendo Auctorem, quem majores noſtri catholicum ſemper habuere. Dura ſunt aliqua & ad explicandum difficilia in Ratramno. ſed tota controverſiæ moles & vis in catholicam veritatem incumbit. Porro non *ex levi ſono verborum, ſed ex intentione dicentis æſtimanda ſunt quæ dicuntur. Dicentis autem intentio, cùm jam perſona defuncta eſt, ex communione religioſiùs æſtimatur,* ut rectè docet Facundus Hermianenſis in lib. 10 cap. 5. Quippe, ut idem in lib. 9 cap. 15 habet, *ſolitum eſt prudentiæ ac pietatis catholicæ ex indubitatis atque evidentibus, & firmare ambigua, & latentia declarare:* non verò, *quemadmodum calumniantium hæreticorum mos eſt, ex dubiis & obſcuris quæ certa & manifeſta ſunt malè interpretari.*

Duacenſium judicium de Ratramni libro.

126. Hanc regulam ſecuti ſunt Doctores Duacenſes, in Indice librorum expurgatorio ita ſcribentes de Ratramni libro, de quo agimus. *Nihil reprehenſibile in eo eſt præter obſcuritatem elocutionis hominis, & vocum quarumdam ſententiarumve ineptam vel uſurpationem, vel interpretationem: quæ ſi ſcholio marginali aut præfixo, aut ſubjuncto exponerentur; & ſenſus, & ſcopus Auctoris judicarentur. Denique quædam videntur ab hæreticis aſſuta ſub libri finem. Ex Scripturis & Patrum monumentis probat in Euchariſtia figuratum quiddam agnoſcendum diſtinctum à Chriſto. Docet catholicam tranſſubſtantiationem. Quapropter quæcumque alia de differente corpore, figura, imagine, potentia, virtute loquitur, non ſunt Calviniſticè accipienda de energia & vi Euchariſtiæ: ſed de eo quod per omnipotentiam Dei effectum ſit intrinſecùs; deque Deo ipſo omnipotente, ut ſeſe declarat in fine prioris quæſtionis. Porro duo illa difficillima, partim quod videtur ſenſiſſe, non magis Chriſti corpus in Euchariſtia eſſe quàm populi; & quòd in myſterio geritur in Eccleſia, non poſſe Deum dici; de externa ſpecie ſunt item accipienda. cùm toties verum Chr.ſtum poſt conſecrationem aſſeveret, & tranſſubſtantiationem doceat: vel ſunt ab hæreticis inſerta atque aſſuta.* Hæc genuina Doctorum Duacenſium cenſura, quam vellem ut ſequerentur alii catholici Doctores: ut certè ſecuti ſunt hoc ſæculo Scriptores non pauci, ex quibus eſt Miræus in Notis ad Sigeberti librum de Scriptoribus eccleſiaſticis, & Mauguinus in Apologia Gotheſcalci. Scio Bertrami librum in Indice juſſu Clementis octavi edito repudiatum, & in ſecundam claſſem relatum. At cùm hæc claſſis contineat libros, *qui propter doctrinam quam continent non ſanam, aut ſuſpectam, aut quæ offenſionem etiam in moribus tantùm fidelibus afferre poteſt, rejiciuntur, etiamſi Auctores à quibus prodiere, ab Eccleſia numquam deſcierint;* nihil inde in Ratramni fidem inferri poteſt, niſi quòd ob duriores quaſdam & obſcuriores ſententias, ſuſpectam doctrinam viſus eſt continere.

127. Ceterum ut ad id unde digreſſus ſum, me referam, quod in hac poſteriori parte contendit Ratramnus, corpus Chriſti eucharisticum non eſſe idem quod ex Maria virgine natum eſt; nequaquam officit catholicæ veritati: cùm hæc quæſtio maximè ſita ſit in modo loquendi, non in re ipſa, ut ſuperiùs demonſtravi. Neque enim Ratramnus eam alio modo intellexiſſe videtur, quàm Herigerus & alii realis præſentiæ & converſionis defenſores: ſiquidem utrorumque eadem ferè ſunt argumenta, & Herigerus ipſe numquam alio modo Ratramnum intellexit. Certè Ratramnus ipſe qui in poſteriori parte negat, corpus euchariſticum eſſe idem quod paſſum eſt, id non obſcurè admittit in priori parte circa medium his verbis: *Sicut ergo paullo antè quàm pateretur, panis ſubſtantiam & vini creaturam convertere potuit in proprium corpus, quod*

paſſurum erat, & in ſuum ſanguinem, qui pòſt fundendus exſtabat: ſic etiam, &c. Cùm ergo hunc loquendi modum aliquando admittat Ratramnus, aliquando rejiciat; manifeſtum eſt eam controverſiam in modo loquendi hæſiſſe. Neque verò mirum videri debet, veteres illos ante invectas damnataſque in Euchariſtiam hæreſes, cùm primùm philoſophari hac de re Theologi cœperunt; non ita accuratè aliquando fuiſſe locutos de quæſtionibus accidentariis, tametſi in veri corporis, veræ præſentiæ & converſionis confeſſione omnes convenirent. *Improbatio quippe hæreticorum facit eminere quid Eccleſia ſentiat, & quid habeat ſana doctrina*, inquit Auguſtinus in lib. 7 Confeſſionum cap. 19. Optandum quidem fuiſſet, ut de modo quo Chriſti corpus eſt in Euchariſtia, non fuiſſent agitatæ quæſtiones, cùm *modus ejuſmodi* ſit, ut loquitur Johannes Damaſcenus, *ut nulla ratione indagari queat*. Sed quando huc ſe ſemel intruſit humana philoſophia, ſimul exortæ ſunt lites infinitæ, quibus reprimendis utilius fuiſſet vacaſſe Theologos, quàm iis dirimendis & explicandis. Ceterùm nemini incredibile videbitur, quòd tantopere diſceptarit Ratramnus cum aliis de hoc modo loquendi, ſi animo recogitet, eum hæreſeos inſimulaſſe Monachum quemdam, qui animam in univerſis hominibus eamdem eſſe aſſerebat, ut inferiùs videbimus. quod modò ſub diſtinctione Philoſophi docent.

IV.

128. Supereſt inveſtigandum, quo anno librum ſuum ſcripſerit Ratramnus: quod difficile eſt accuratè definire. Crediderim id factum eodem tempore, quo Johannes Scottus ſuum edidit. Quippe veri ſimile eſt, Carolum Calvum, cùm de Euchariſtiæ ſacramento exortæ eſſent diſputationes, iſtud argumentum eodem tempore ambobus illis Auctoribus tractandum propoſuiſſe. Atqui Johannes ſuum vulgaverat ante annum DCCC LIX, ut patebit ex iis quæ mox dicturus ſum. Ratramni liber quo tempore ſcriptus.

129. Antequam Ratramnum dimittamus, paucis agendum eſt de inſcriptione vulgata & de integritate editionum libri ejus, quæ hactenus factæ ſunt. In editis libris habetur hic titulus: PRÆFATIO AD CAROLUM MAGNUM IMPERATOREM. Ratramnus non videtur hujus inſcriptionis auctor. tum quia Carolus, quando hic liber ſcriptus eſt, nondum erat Imperator: tum quia in pervetuſto codice Laubienſi alia legitur in hunc modum: INCIPIT LIBER RATRAMNI DE CORPORE ET SANGUINE DOMINI. Deinde incipit contextus: *Juſſiſtis, glorioſe Princeps, &c.* Quidam priorem titulum rejiciunt ob eam rationem, quòd Carolus Calvus appellatur *Magnus*. At alia exempla non deſunt, in quibus hoc elogium huic Regi tribuitur, uti alibi demonſtro.

130. Ad integritatem editionum hujus libri quod attinet, exemplum codicis Laubienſis contuli cum vulgatis: in quibus ſana eſt lectio præterquam in aliquot locis mendoſis, quæ ope exemplaris Laubienſis optimæ notæ reſtitui. Attamen ſub libri finem habetur unius voculæ diſcrimen, quod alicujus momenti eſſe videtur. Nam ubi in editis legitur, *Addamus etiam quòd iſte panis & calix, qui corpus & ſanguis Chriſti nominatur*, in codice Laubienſi qui integerrimus eſt, additur *& exſiſtit*. Neque tamen id mala fide omiſſum dicere velim à primis editoribus hæreticis: cùm ferè in aliis, ut dixi, non appareat mala fides. Alias emendationes hîc omitto.

§. VIII.

De JOHANNE SCOTTO, *ejuſque libro de corpore & ſanguine Domini.*

131. RATRAMNO Johannem Scottum ſeu Erigenam proximè jungit cauſa & tempus. Hunc ſcripſiſſe librum de corpore & ſanguine Domini ſuperiùs oſtenſum eſt. Scripſiſſe verò *precario* ſeu rogatu *Caroli Magni*, id eſt Caroli Calvi, tradit Berengarius in epiſtola ad Richardum Abbatem. Nunc de ejus fide & doctrina, de adverſariis, de tempore ſcripti libri, & de aliis ejus opuſculis agendum eſt.

Johannis doctrina de Euchariſtia.

132. Qualem doctrinam Johannes in libro de Euchariſtia tradiderit, non ex propria operis lectione, quod excidit, ſed ex aliorum teſtimoniis colligere licet. Plures in Johannem & Prudentium accuſationes refert Hincmarus in lib. de Prædeſtinatione cap. 31. quibus commemoratis hæc ſubdit: *Sunt & alia quæ vocum novitatibus delectantes, unde ſibi inanes comparent rumuſculos, contra Fidei catholicæ veritatem dicunt: videlicet quod trina ſit Deitas: quòd ſacramenta altaris non verum corpus & verus ſanguis ſit Domini, ſed tantùm memoria veri corporis & ſanguinis ejus: quòd Angeli ſint corporales: quòd anima hominis non ſit in corpore: quòd non aliæ pœnæ ſint infernales, niſi tormentalis memoria conſcientiæ peccatorum.* Si unum aut alterum excipias, alii ferè errores habentur in Johannis libris de Prædeſtinatione, & de naturis: nec dubito quin eidem etiam Hincmarus tribuat errorem prædictum de ſanctiſſimo Sacramento. Neque enim ulla cauſa eſt, cur in Prudentium Tricaſſinum Epiſcopum rejiciatur, cùm nihil ejus hac de re ſcriptum habeamus præter id quod legitur in ſermone de ſancta Maura, ex quo eum rectè de Euchariſtia ſenſiſſe non obſcurè colligitur. Is cùm à Maura indumentum lineum, quo *inter ſacra Miſſarum ſollemnia* indueretur, accepiſſet;

ſet; *Dominici corporis ſacramentum*, inquit, *cum raro devotionis butyro tractabam, quando veſtem contulit memoratam; ſine lactucis agreſtibus agnum edebam, ſine pane lacrymarum ad panem accedebam Angelorum .:.:. Non abſcondam ampliùs, Domine, miſericordiam tuam à conſilio multo: narrabo altiſſima quæ feciſti magnalia per famulam tuam Mauram. Nam receptum indumentum ſtatim illius antiquæ virgæ virtutem habuit, & aquam copioſam de me duriore quàm petra produxit: quantæque poſtea efficatiæ fuerit, quotiens eo plures noſtrûm inter ſacra Miſſarum ſollemnia ſunt induti; quod tam notum eſt & expertum, commemorare & diſplicet pro titillatione inanis gloriæ, more fragilitatis humanæ, & placet pro Deo & Dei laude.* Tanta lacrymarum & devotionis ubertas non facilè caderet (ut puto) in eum, qui nihil niſi panem in Miſſa tractari crederet. Ergo veri ſimillimum eſt (ut dixi) hunc errorem ab Hincmaro Johanni adſcribi. Huc ſpectare videntur etiam Annales Bertiniani ad annum DCCCLV. quo anno *multa catholicæ Fidei contraria in regno Karli, ipſo quoque non neſcio* (nam Johannes ab eo provocatus ſcripſerat) *concitata* dicuntur. Accedit quòd Johannis liber de Euchariſtia flammis addictus eſt à Patribus Synodi Vercellenſis, ſcilicet ob errores, quos Berengarius inde hauſerat, & eo auctore propugnabat. Aſcelinus in epiſtola ad Berengarium tradit, Johannem ipſum *toto niſu, totaque intentione eò tendere, ut perſuadeat, hoc quod in altari conſecratur, neque verè corpus, neque verè Chriſti ſanguinem eſſe.* Aſcelinus in eadem epiſtola (ut id obiter dicam) Willelmum quemdam à Berengarii cenſura vindicat circa neceſſitatem communionis Paſchalis: quem Willelmum eſſe puto illum, cui Anaſtaſius Monachus litteras ſuas inſcribit in notis Acherii noſtri ad Vitam Lanfranci. Nam in codice mſ. qui nunc eſt venerabilis viri Claudii Jolii Cantoris Eccleſiæ Pariſienſis, ubi in editis legitur in titulo, *Domino Geraldo Abbati*, in Joliano exemplari ſcriptum eſt, *Domino* W. & in contextu, *Pater Willelme*, non *Gerarde*, ut in vulgatis. Quis verò fuerit Anaſtaſius iſtius epiſtolæ auctor, quiſve Willelmus Abbas, an Cornelienſis, de quo in Vita & epiſtolis Lanfranci, aliàs expendemus.

133. Johannes Scottus ſuum de Euchariſtia errorem non tulit impune. Ipſum ſiquidem nonnulli Catholicorum, præter Hincmarum & Radbertum, ſcriptis editis reprehenderunt. Hos inter invenio Adrevaldum Floriacenſem Monachum, qui veterum Patrum ſententias collegit *de corpore & ſanguine Chriſti contra ineptias Johannis Scotti.* hic enim eſt titulus ipſius libri. Nec quemquam moveat, quòd graviſſimum errorem Adrevaldus *ineptias* molliori vocabulo appellet. Eadem enim voce uſa eſt Eccleſia Lugdunenſis in libro edito *adverſus ineptias & errores* ejuſdem Johannis de Prædeſtinatione: & quam Stercoraniſtarum *blaſphemiam* Herigerus, poſtea Improbata.

ineptiam vocat cap. 6. Berengarius item Paſchaſii *ineptiam* eodem ſenſu ſuggillat in epiſtola ad Richardum Abbatem. Guitmundus verò ipſius Berengarii errores *nugas* dicit initio libri primi. Quid in Euchariſtiam peccaverit Johannes, ex Adrevaldi collectaneo libello non ſatis intelligitur: tum quia iſte libellus quem in Spicilegii tomo 12 habes, integer eſſe non videtur: tum quia meras ferè Patrum ſententias refert nulla addita expoſitione. Sed tamen ex illis ſententiis innoteſcit eò ſpectare hominem, ut probet Chriſti corpus & ſanguinem in Euchariſtia verè contineri. Hunc Johannis errorem forſan arguit Nicolaus Papa I, qui cùm reſciviſſet Dionyſii libros ab eo in Latinum eloquium tranſlatos, eos ad ſe mitti rogat epiſtolâ ſcriptâ ad Carolum Calvum, ut ſcilicet verſio illa examinaretur. *præſertim cùm Johannes*, inquit Pontifex, *licèt multæ ſcientiæ eſſe prædicetur, olim non ſanè ſapere in quibuſdam frequenti rumore diceretur.*

Tempus conditi libri.

134. Tempus libri ab Johanne ſcripti colligimus ex prælaudato Hincmari teſtimonio in libro de Prædeſtinatione: qui liber Carolo Regi directus eſt anno DCCC LIX, ut diſertè habet Hincmarus. adeoque veri ſimile eſt, Johannis librum paullo ante illud tempus conditum fuiſſe.

Alia ejus opera.

135. Præter hunc librum Johannes duos edidit de Prædeſtinatione; quinque περὶ φύσεων ſeu de naturis; item alium de viſione Dei, præter verſionem librorum Dionyſii de Græco in Latinum; itidemque Scholiorum S. Maximi in quædam loca Gregorii Nyſſeni. Duo libri de Prædeſtinatione typis vulgati ſunt: reliqui adhuc in Bibliothecis latent. Et quidem libros de naturis continent duo codices Monaſterii Corbeienſis, Auctoris ætate ſcripti abſque Auctoris nomine: qui libri in provinciali Synodo ab Archiepiſcopo Senonenſi ejuſque Suffraganeis ſub initium ſæculi XIII damnati ſunt, confirmante Honorio Papa tertio anno M. CC XXV, ut ex Alberici Chronico mſ. obſervavit eruditus vir Pariſius in reſponſionis ſuæ de Johannis Scotti libro capite ultimo. Librum de viſione Dei ego deprehendi in mſ. codice Claromariſcenſi prope Audomaropolim, cum hoc titulo & initio: TRACTATUS JOHANNIS SCOTTI DE VISIONE DEI. *Omnes ſenſus corporei ex conjunctione naſcuntur animæ & corporis, &c.* In eo tractatu Auctor idem argumentum tractat (ſi bene recolo) quod Lupus Abbas Ferrarienſis in epiſtola 30 ad Gotheſcalcum Monachum Orbacenſem. Scholia in Maximum ex codice Cluniacenſi accepi à reverendiſſimo Patre Petro Simone Superiore Generali Congregationis Cluniacenſis.

Johannes an Abbas Æthelingiæ & Martyr.

136. Nunc locus poſtulat ut inquiramus, an Johannes Scottus idem ſit atque Johannes Abbas Æthelingiæ, & qui Martyr colebatur in Cœnobio Malmeſburienſi apud Anglos. Hoc argumentum, quod copioſè & eruditè jam tractavit mox laudatus Pariſius,

doctiſſimus Canonicus Regularis Ordinis S. Auguſtini Congregationis Gallicanæ ; hoc in tomo perſequimur, nempe in Elogio Johannis Æthelingiæ Abbatis, quem à Johanne Scotto diſtinguimus tribus argumentis. Primum eſt, quòd hic (ut cognomen ipſum indicat) *Scottigena* fuit, teſte Hincmaro, id eſt *genere Scottus*, uti explicat Nicolaus Papa I. at Johannes Æthelingiæ Abbas *Ealdſaxo* ex Aſſero in Vita Ælfredi Regis, non *Eaſtſaxo*, ut quidam interpretantur. Ealdſaxones porro *antiquos* Germaniæ *Saxones* eſſe probat idem Aſſerus præter alios : cùm *Eaſtſaxones* ſint Angloſaxones Orientales. Alterum argumentum eſt, quòd Johannes Æthelingiæ Abbas, Preſbyter ac Monachus exſtitit, non Johannes Scottus. Tertium, quòd ille ab Ælfredo in Angliam accitus ſit doctrinæ causâ, non Johannes Scottus, qui in Francia perſeveraſſe videtur. Hæc fuſiùs diſſeremus in Elogio Johannis Æthelingienſis Abbatis, ubi Johannem Scottum à Malmeſburienſi illo vulgato Martyre ſecernendum eſſe demonſtrabimus. Jam tandem ad Ratherium (quod ultimum caput eſt de rebus euchariſticis) progrediamur.

§. IX.

De RATHERIO *Epiſcopo Veronenſi.*

157. RATHERIUM Veronenſem Epiſcopum Calviniſtæ ſuis partibus vindicare conantur, ſed obtorto collo, ut ſolent. Quæ ad id probandum affert Auctor euchariſticæ hiſtoriæ, Calvinianus Miniſter, adeo infirma ſunt, ut refutatione non indigeant. Revincendæ calumniæ ſufficiet una Ratherii epiſtola Patrico Sacerdoti inſcripta : cui interroganti, cur in quadam hebdomada Miſſam non celebraſſet Ratherius ; curve *in vigilia Circumciſionis* Domini balneo corpus abluiſſet ; reſpondet id ſe feciſſe, quo purior ad ſacra myſteria accederet. Dein occupata objectione ſubdit : *Sed fortè tranſitoriè accipis, aut etiam figuratè te dicere putas, dum accipienti loqueris : Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti propitietur* « *tibi in vitam æternam. Quod ſi ita eſt, cæcitas tui intellectus magis eſt* « *dolenda & inſtruenda, quàm miranda & irridenda : qui ſcilicet præſumtionis foveam declinare neſciens, frequentare quod ignoras cujus virtutis ſit, minimè ceſſas. Sed credo, frater, quia ſicut in Cana Galilææ vinum Dei imperio verum & non figurativum fuit ex aqua factum : ita iſtud Dei benedictione vinum verus & non figurativus efficitur ſanguis, & caro panis. Quòd ſi ſapor idem manet, & color ita ſe haberi diſſuadet ; propono tibi aliud.* Poſtea facta comparatione hominis formati ex limo, addit : *Ita ergo & hîc manente colore atque ſapore, eadem ſapientia ope-*

rante veram carnem & ſanguinem, quod percipis eſſe crede. Integram epiſtolam vulgavit noſter Acherius in tomo 12. quæ una ſufficit ad aſſerendam Ratherii fidem: qui licèt ad ſæculum decimum pertineat, hîc tamen vindicandus fuit ut in loco, uti etiam Herigerus Abbas Laubienſis, de quo ſuperiùs actum eſt.

138. Hæc ſunt quæ de euchariſticis controverſiis ſæculo nono exortis obſervaſſe mihi contigit, utinam non vacuo labore. In his omnibus tametſi cum ſumma religione verſari conatus ſum, vereor tamen, ne qua non ſatis ad veritatis regulam accurata mihi etiam nolenti exciderint: quæ quidem pro indictis eſſe volo, & catholicæ Eccleſiæ cenſuræ lubens ſubjicio.

CAPUT II.

De GOTHESCALCI *fortuna & turbis ab eo excitatis.*

Gotheſcalcus Monachus Orbacenſis. 139. NON minùs procelloſa fuit cauſa Gotheſcalci Monachi Orbacenſis, quæ ſæculo noſtro magna animorum contentione recruduit. Fuit is, ut nomen ipſum indicat, origine Germanus aut Alamannus, altero nomine Fulgentius dictus, teſte Walafrido Strabo in carmine laudatorio ad ipſum. Sunt qui puerum in Augienſi apud Alamannos Monaſterio educatum tradunt, & inde jam adoleſcentem ad Orbacenſe tranſlatum, qui locus eſt provinciæ Remenſis in diœceſi Sueſſionenſi. Iſtic ſub Bavone Abbate multam dedit operam legendis ſanctorum Patrum libris, maximè Auguſtini, cujus ſententias, teſte Hincmaro, totas dies memoriâ proferre ſolitus erat.

In Italia ſeria lues. 140. Romam peregrinationis causâ profectus ſub annum DCCC XLVI, Sergio Pontifice; in reditu adiit Eberardum Comitem, unum è primis Lotharii Auguſti Optimatibus in Italia, apud quem Eberardum aliquantiſper hoſpitatus eſt. Ut erat multa lectione præditus, factum eſt, ut ſive in publicis concionibus, ſeu in privatis colloquiis, quædam miſceret de prædeſtinatione, quam docebat geminam eſſe, ſcilicet bonorum ad vitam, & malorum ad interitum, id eſt ad damnationem, ad æternæ mortis ſupplicium, ad mortem ſempiternam, ut ejus verbis explicat Hincmarus in lib. de Prædeſtinatione cap. 5. Id ubi rumore vulgante comperit Rabanus jam Archiepiſcopus Moguntinus, litteras dedit ad Eberardum, in quibus hæc verba legimus. *De cetero quoque, quia divul-* (à Rabano correptus.) *gatum in iſtis partibus conſtat, quemdam ſciolum, nomine Gotheſcalcum, apud vos manere, qui dogmatizat, quòd prædeſtinatio Dei omnem hominem ita conſtringat, ut etiam ſi quis velit ſalvus fieri, & pro hoc fide recta atque bonis operibus certet, ut ad vitam æternam per Dei gratiam ve-*

niat ; fruſtra & incaſſum laboret, ſi non eſt prædeſtinatus ad vitam. quaſi Deus prædeſtinatione ſua cogat hominem interire, qui auctor eſt ſalutis noſtræ, non perditionis. Et jam hinc multos in deſperationem ſuimet hæc ſecta perduxit, ita ut dicant : Quid mihi neceſſe eſt pro ſalute mea & vita æterna laborare ? quia ſi bonum fecero, & prædeſtinatus ad vitam non ſum, nihil mihi prodeſt : ſi autem malum egero, nihil mihi obeſt ; quia prædeſtinatio Dei me faciet ad vitam æternam pervenire. Tum oppoſitis Auguſtini quibuſdam teſtimoniis, in fine Comitem monet, prohibeat Gotheſcalcum ab hac ſecta, ne hac licentiâ in prædicando ſcandalum fiat infirmis. Litteræ datæ ſunt x *Kal. Maii* apud Ughellum, anno (ut puto) DCCC XLVIII, cùm nondum anno ſolido ſedem ſuam Rabanus occupaſſet, qui eodem tempore alias etiam ejuſdem argumenti dedit ad Notingum Veronenſem Electum. *Ital. ſac. to. 3 col. 696 & ſeqq.*

141. His litteris pulſatus Gotheſcalcus Eberardi ædibus exceſſit : tum peragratis Norico, Suevia, & aliis quibuſdam Germaniæ partibus, (Noreïam, Pannoniam & Dalmatiam ſuggerunt Annales Bertiniani) Moguntiam tandem acceſſit. Id ubi comperit Rabanus, qui hominem ex fama noverat, ſtatim Moguntiæ Synodum indixit, celebravitque anno DCCC XLVIII, circiter Kalendas Octobris, Ludovico Rege præſente. Tum Rabano atque Synodo Gotheſcalcus *libellum ſui erroris porrigens*, ut habet Hincmarus de Prædeſtinatione cap. 2, *damnatus, cum litteris ſynodalibus ad Remorum metropolim eſt remiſſus.* Id ſignantiùs explicat Hincmarus in cap. 5, ubi ait Gotheſcalcum *librum ſuæ viroſæ conſcriptionis* Archiepiſcopo Rabano porrexiſſe, ejuſque librum reprehendiſſe, *in quo poſitum reperit, quòd impii ſive reprobi non ſint divinitus ad damnationem prædeſtinati :* itemque *chartulam ſuæ profeſſionis* eidem Rabano obtuliſſe. Quas ſynodicas dicit litteras Hincmarus in cap. 2, eaſdem ibidem, ſed nomine tantùm Rabani poſt Synodum ſcriptas refert, quarum hæc ſumma eſt : nempe quemdam gyrovagum Monachum, nomine *Gotheſcalc*, qui ſe aſſerebat Sacerdotem in Remenſi parochia ordinatum, de Italia veniſſe Moguntiam, novas ſuperſtitiones, & noxiam doctrinam de prædeſtinatione Dei introducere, & populos in errorem mittere, dicentem, quòd prædeſtinatio Dei ſicut in bono ſit, ita & in malo. Qua de opinione hominem in Synodo Moguntina correptum, at incorrigibilem repertum, annuente atque jubente Ludovico Rege damnatum ad Hincmarum mitti, quatenus eum recluderet in parochia ſua, & non ſineret eum ampliùs errorem docere, & ſeducere populum Chriſtianum. Litteris acceptis Hincmarus Gotheſcalcum ſiſti juſſit in Synodo apud Cariſiacum habita anno DCCC XLIX, in qua iterum accuſatus, cùm à ſententia ſua revocari non poſſet, iterum damnatus eſt judicio

Moguntiæ ab eo damnatus,

remiſſuſque ad Hincmarum.

Cariſiaci iterum damnatus.

(ut legitur) tredecim Epiſcoporum, duorum Chorepiſcoporum, & Abbatum quorumdam, quos Hincmarus commemorat in lib. de Prædeſtinatione cap. 2, in quibus Paſchaſius Radbertus Abbas unus erat. Hinc eſt quòd hic in libro 8 in Matthæum, Gotheſcalcum vellicat his verbis. *Quapropter ſcire certò debemus, quotiens aliquis perit, non ex prædeſtinatione Dei, ut quidam malè ſentiunt, neque ex voluntate Patris perit, ſed proprio ſuo peccato juſtoque Dei judicio.* Quæ apud Sirmundum prædictæ Synodo ſubjiciuntur capitula quatuor, de unica prædeſtinatione, de libero arbitrio, de voluntate Dei ſalvandi omnes homines, & de redemtione omnium hominum per Chriſtum; in Cariſiacenſi altera Synodo edita ſunt anno DCCCLIII, & quidem poſt Sueſſionenſem, ut conſtat ex Annalibus Bertinianis.

Altumvillare retruditur. 142. In priori Synodo Cariſiacenſi ſacerdotii gradus Gotheſcalco abrogatus, decreta in eum verberum pœna, ſtatutumque, ut in Monaſterium Altumvillarenſe ſub Alduini Abbatis cuſtodia retruderetur. Neque enim Hincmarus ſatis fidebat Rothado Sueſſionenſi Epiſcopo, eam ut ipſi curam committeret. Recluſus in carcere Gotheſcalcus, non ſic tamen principio artatus eſt, ſeu indulgentiâ Hincmari, ſeu commiſeratione Alduini Abbatis, ut libris & calamo eſſet ipſi penitus interdictum. Edita eſt tum ab eo Confeſſio duplex, brevior una, altera prolixior. Hinc factum eſt, ut quidam ſua ſponte, alii Caroli Calvi aliorumque hortatu, de capitulis in poſteriori Synodo Cariſiacenſi ab Hincmaro conditis ſcripſerint. Ratramnus in primis Gotheſcalcum duobus libris Carolo Regi oblatis defendendum ſuſcepit: cui rogatu Wenilonis Senonum Archiepiſcopi acceſſit Prudentius Tricaſſinus Epiſcopus, (tametſi priùs Hincmari partibus faviſſet) duobus libris (quos Recapitulationem & Correctionem vocat) editis adverſus Johannem Scottum, qui juſſu Hincmari Remenſis & Parduli Laudunenſis Epiſcoporum, quæſtiones agitatas tractaverat, uti & Amalarius. Libellis ultro citroque ventilatis Hincmarus epiſtolam ſcripſit ad Recluſos ſeu Monachos diœceſis ſuæ, ut eos à ſententia Gotheſcalci avocaret.

Confeſſionem duplicem edit. — *Prudentius ei favet,*

Rabano improbante, 143. His acceptis Rabanus jam ſenio & morbo confectus, epiſtolam direxit ad Hincmarum, in qua Prudentium arguit, quòd in epiſtola ad ipſum Hincmarum & Pardulum ſcripta, geminam prædeſtinationem tueretur, tametſi Deum peccati auctorem negaret. qua in re à Gotheſcalco recedere ipſum credit. Hinc eſt, quòd Annales Bertiniani ad annum DCCCLXI, quo Prudentii, alio nomine Galindonis dicti, obitum reponunt, eum ſuggillant, „ quòd cùm ante aliquot annos Gotheſcalco Prædeſtinatiano reſti„ tiſſet, pòſt felle commotus contra quoſdam Epiſcopos ſecum hæ-

retico reſiſtentes, non modica inter ſe diverſa, & Fidei adverſa "
ſcriptitarit. Ex quo intelligas, quàm malè audierit geminæ præ- "
deſtinationis vocabulum, cùm apud alios, tum maximè apud Rabanum: qui iteratis litteris Hincmarum hortatur, ut Gotheſcalcum à ſcribendo compeſcat: mirari ſe, *quòd iſtum noxium virum*, hoc eſt Gotheſcalcum, qui nec Monachi votum, nec ſacri ordinis ritum, neque *prædicandi officium* legitimè obſervavit, ſcribere aliquid permiſiſſet: denique ſe nolle eſſe auctorem, *ut Communio ei tribuatur*: ad hæc obſtupeſcere, quòd homo erroneus petat examen ignis, paratus ſubire coram omnibus quatuor dolia aqua ferventi & oleo plena *ad probandam ſuam ſectam*. In Gotheſcalcum Amolo Lugdunenſis Pontifex ſcripſit, eodemque tempore Florus, ejuſdem Eccleſiæ Diaconus: qui tamen poſtea, auctore Pontifice Remigio Amolonis ſucceſſore, humaniùs de Gotheſcalco ſenſiſſe fertur, cùm aliquid minùs ſiniſtrum accepiſſet de ejus doctrina.

& Communionem Gotheſcalco negante.

Libri ultro citroque editi.

144. Remigius ſiquidem jam dictus, mox ut ſedem Lugdunenſem iniit poſt Amolonem, adjuncto Ebbone Gratianopolitano edidit libellos duos, unum de tribus capitulis, Hincmari ſcilicet & Parduli: alterum de tenenda veritate Scripturæ contra capitula poſterioris conventus Cariſiacenſis: quos Synodi Valentina anno DCCC LV, & Lingonenſis anno DCCC LIX confirmarunt, approbante Nicolao Papa. Acceſſit etiam Lupus Abbas Ferrarienſis, unus omnium modeſtiſſimus, qui fervente controverſia librum de tribus quæſtionibus edidit, cùm comperiſſet *primùm in Italia, deinde in Gallia, ſi non concuti Fidem, turbari certè quorumdam intentionem, quòd de libero arbitrio, & de prædeſtinatione bonorum & malorum, ac de ſanguinis Domini taxatione hactenus inaudita jactarentur*. Dein Caroli mandato mentem ſuam iterum aperire juſſus, collectaneum de tribus quæſtionibus compoſuit: quo in utroque opere rectè catholicam ſententiam explicat, ſicuti etiam in epiſtola ad Hincmarum.

145. Gotheſcalcus interim dum omnes aut prò eo, aut contra eum decertant, in artiſſima cuſtodia detinetur, venitque in notitiam Nicolai Papæ primi ipſum duriùs tractari. Indignatum ob id Pontificem lenire ſtuduit Hincmarus, ſcriptis litteris, quibus ſignificabat, ſe curaſſe ut neceſſaria omnia benignè homini ſuppeditarentur; at eum his præfractè uti nolle. Cùm jam Gotheſcalcum deficere cernerent Altivillarenſes Monachi, conſulunt Hincmarum, quid facto opus eſſet, ſi ipſum morti proximum fore contingeret. Reſcripſit, non niſi reſipiſcenti Viaticum concedendum. Sic Gotheſcalcus ſilere, an ſententiam refutare juſſus, ſed nolens, abſque ſubſidiis Chriſtianæ religionis in ergaſtulo diem obiit circi-

Nicolaus P. ſcribit ad Hincmarũ de Gotheſcalco.

qui ſine Viatico moritur.

ter annum DCCC LXVIII. Eo mortuo exſtincta fuiſſe videtur hæc procella, quæ ab Hiſpania ſub finem ſæculi VIII initium duxit, ut Hadriani Pontificis epiſtolæ teſtantur.

Hadriani epiſt. 95, 96, 97 cod. Carol. in tom. 3 Cheſn.

146. Hic finis miſerabilis illius Monachi: cui Fulgentii cognomen ideo arriſiſſe, aut certè ab aliis tributum eſſe puto, quod ſuam de gemina prædeſtinatione ſententiam maximè tueretur auctoritate ſancti Fulgentii ex libris de duplici Prædeſtinatione ad Monimum, teſte Hincmaro in lib. de Prædeſtinatione cap. 3. ubi hoc Fulgentii dictum non probat, obſervatque ejus elogium ab antiquis inter Scriptores eccleſiaſticos fuiſſe prætermiſſum; nec tamen eum ſibi videri *per omnia improbabilem*, quoniam *in reprobandorum deſcriptione* illum non reperiebat. Forſan non legerat Hadriani Papæ primi epiſtolam ad Hiſpaniæ Epiſcopos, qua in epiſtola Pontifex beati Fulgentii de hac quæſtione ſententiam & explicationem ex alio loco laudat. Idem Hincmarus in cap. 14 Gotheſcalci *ſcholam dyſcolam* hortatur, ut cùm ipſo Fulgentio agnoſcant *prædeſtinationem ſemper in bono*; & cap. 15 ſubdit non ſufficere quod dicunt, *Deum prædeſtinaſſe reprobos ad interitum, non ad peccatum: cùm nonniſi per peccatum*, inquit, *perveniri valeat ad interitum*: his quidem verbis eorum ſententiam *colore* mutari, non *odoris atque ſaporis intelligentiâ*. Er id quidem ita diſtinxit Gotheſcalcus in duplici Confeſſione. Nam in priori ait, dæmones reproboſque *propter præſcita futura mala merita prædeſtinatos ad mortem ſempiternam*. & in prolixiori profitetur, Deum *prædeſtinaſſe tantummodo bona, non mala; & quos præſcivit per ipſorum propriam miſeriam in damnabilibus perſeveraturos eſſe peccatis, illos prædeſtinaſſe ad interitum*. Verùm hæc ſubdolè dici cauſabatur Hincmarus, ideoque prædeſtinatos ad interitum dici non probabat, *quia hoc poſito conſequens arbitrabatur, ut etiam ad peccatum prædeſtinati crederentur, qui error fuit veterum Prædeſtinatorum*, inquit eruditiſſimus Sirmundus in hiſtoriæ Prædeſtinatianæ capite ultimo.

Ibid. epiſt. 97.

Quæſtio de trina deitate

147. Eodem ſæculo orta eſt non abſimilis, ſed non ita fervens de trina deitate contentio. Delenda ex hymno Martyrum hæc verba, *Te trina deitas*, cenſebat Hincmarus, ne tres dii induci viderentur. Repugnabat Gotheſcalcus cum Ratramno. Hinc arrepta occaſione Hincmarus Gotheſcalcum traducit, quaſi triplicis divinitatis aſſertorem: quo etiam nomine hæreticus audit apud nonnullos. tametſi hanc conſecutionem totis lacertis à ſe amoliri conatus eſt Gotheſcalcus, ut ex ejus verbis ab Hincmaro relatis colligitur. Sic ferè in verbis homines plerumque inchoant ludos, qui paullatim in exitiales pugnas deſinunt.

Gotheſcalcus

148. Scio non defuiſſe hoc ſæculo, qui Gotheſcalcum in omnibus perpurgatum velint: ſed hæc extra meas metas. Gotheſcalci doctrina

doctrina de gemina prædeſtinatione, an fuerit ſana, necne, hîc non diſputo. at quid hæc in aures vulgi effundere competebat Monacho, prohibentibus Epiſcopis? Immo ſi nihil ſubdoli in ejus mente latebat, tantumne intererat rei Chriſtianæ incumbere in vocabulum prædeſtinationis malorum ad interitum, ſi modò aliis verbis catholica ſententia teneretur? aut demum quid hac de re tempeſtates ciere neceſſum erat cum vulgi ſcandalo & offenſione? *Facile eſt enim, immo & utile, ut taceatur aliquid verum propter incapaces*, inquit Auguſtinus in lib. de dono perſeverantiæ cap. 16, *maximè ſi timendum inde ſit, ne pejores faciamus eos, qui non intelligunt, dum volumus eos qui intelligunt, facere doctiores, qui nobis aliquid tale tacentibus doctiores quidem non fiunt, ſed nec pejores fiunt.* Scio Auguſtinum in cap. 14 probare, ut prædeſtinationis doctrina etiam rudi populo nonnumquam prædicetur. At prædeſtinationem bonorum intelligit, non malorum ad mortem, quam verbis minùs crudis explicari fas erat. Meritò proinde à Rabano reprehenſus eſt Gotheſcalcus, quòd *nec ſacri ordinis ritum, neque prædicandi officium legitimè obſervavit.* Certè Gotheſcalcus paullo jactantior & audacior fuiſſe videtur, atque inutilium quæſtionum ſectator, ut patet ex Lupi Abbatis epiſtola 30, ubi ejus nimiam impetiginem reprimit. Quæſierat ab eo Gotheſcalcus, num Beati poſt reſurrectionem oculis corporeis Deum viſuri eſſent. Quid ad hæc Lupus? *Ni veritus fuiſſem*, inquit, *ut me ab obſervatione caritatis averſum, nullius flecti precibus putando, eamdem caritatem offenderes; etiam nunc ſilentii latebras fovens, nihil ad ea quæ conſuluiſti, reſpondiſſem, duabus videlicet ex cauſis: alterâ, ne otio tuo materiam exercendi ingenii vel imminuerem, vel detraherem: alterâ, ut habita conſideratione illorum quos ſuper eadem quæſtione te ſollicitaſſe olim cognovi, mediocritatem meam non præjudicare quorumdam excellentiæ æſtimatione propria comprobarem.* Et ſub finem eum exhortatur, *ut nequaquam ultra in talibus ſuum ingenium conterat: ne his ultra quàm oportet occupatus, ad utiliora veſtiganda ſive docenda minùs ſufficiat.* Et tamen quæſtio hæc à Gotheſcalco ſemel propoſita, nonnullos per ea tempora detinuit, in primis Johannem Scottum, qui tractatum de viſione Dei, cujus ſuperiùs * mentio facta eſt, compoſuit. De hac quæſtione non de controverſis capitulis intelligendus mihi videtur Gotheſcalcus in carmine ſuo ad Ratramnum, in quo ait ſe datis epiſtolis ad Marcaudum, Jonam atque Lupum inquiſiſſe quid ſentirent de propoſita quæſtione; ac ſolum Lupum ſic reſponſa tria ſui libelli temperaſſe, ut neutri parti acceſſiſſe videretur. Nam & in Lupina illa epiſtola tres quæſtiones propoſitæ fuerant. Hæc ſatis dicta de Gotheſcalco, qui ſi animum tantiſper continuiſſet, meliùs famæ, meliùs ſaluti ſuæ conſuluiſſet.

meritò improbatus.

* num. 135

CAPUT III.

De modo quo Chriſtus è Virgine natus eſt: ubi de animarum diſtinctione in hominibus.

Controverſiæ hujus origo ex Germania.

149. ALIA iſtius ſæculi controverſia fuit de nativitate Chriſti Domini, quo modo ſcilicet ex utero beatæ Mariæ virginis prodierit, via communi an ſingulari. Hæc controverſia, uti & ſuperiores duæ, originem cœpit ex Germania, in Galliam deinde per Ratramnum Corbeienſem Monachum invecta: cui Ratramno adverſus fuit Paſchaſius Radbertus ejuſdem loci Cœnobita. Contentionis principium Ratramnus in libello de nativitate Chriſti, quem ignoto cuidam Monacho, & quidem (ut credere pronum eſt) Germano, nuncupavit, obſecrans, ut ſibi hoc de argumento reſpondere non gravaretur, ſic breviter exponit. *Fama eſt, & quorumdam non contemnenda cognovimus relatione, quòd per Germaniæ partes ſerpens antiquus perfidiæ novæ venena diffundat, & catholicam ſuper nativitate Salvatoris fidem, neſcio qua fraudis ſubtilitate ſubvertere molitur, dogmatizans Chriſti infantiam per virginalis januam vulvæ, humanæ nativitatis verum non habuiſſe ortum, ſed monſtruosè de ſecreto ventris incerto tramite luminis in auras exiſſe. quod non eſt naſci, ſed erumpi.* Hoc in libello, quem Ratramnus *de more ſtudentium luſit*, ut in fine teſtatur, liberiùs aliquando invehitur in adverſarios ſuos, quos novæ hæreſeos inſimulare audet.

Ratramnus de ea ſcribit.

Radbertus ei adverſatur.

150. Mox in Ratramnum inſurrexit Paſchaſius Radbertus, ratus ex ejus libro Deiparæ virginitatem ex obliquo ſeu ex conſequenti impugnari. Et primo quidem hominem adortus eſt ſcripto libello *de partu Virginis*, quem *matronæ Chriſti*, id eſt Theodradæ Abbatiſſæ, & *ſacris Virginibus Veſona*, hoc eſt Sueſſione, *monaſticè degentibus* dedicavit hoc exordio. *Quæſtionem, cariſſimæ, de partu beatæ Mariæ virginis mihi nuper allatam vobis perſolvere decrevi, quoniam vos eam plurimum amare non ambigo: ut ex hoc ſciatis, quantum vos diligam, longè diu à puero veſter alumnus, multo jam ſenio confectus.* Ex his poſterioribus verbis intelligitur, eam controverſiam natam eſſe Paſchaſio Radberto jam ſene, ſed tamen ante annum DCCC XLVI, quo Imma Abbatiſſa Theodradæ matri ſuæ ſucceſſit. Nam *matronæ Chriſti* nomine ſignificari Abbatiſſam, quæ olim in ſæculo conjugata fuerat, (qualem fuiſſe Theodradam conſtat ex Vita S. Adalhardi Abbatis) pro comperto habeo. Certè Paſchaſius in libelli ſui inſcriptione ſe, non Abbatem, (quod munus iniit anno DCCC XLVI) ſed *Monachorum omnium peripſema* dicit: & nulla (quæ ſciam) opuſcula compoſuit Abbas, præter aliquot libros in Matthæum.

151. Primum ſcripſiſſe Ratramnum, non adverſus Paſchaſium, ſed adverſus Germanos quoſdam, ex initio jam relato, aliiſque locis conſtat. Paſchaſii verò librum in Ratramnum conditum fuiſſe hinc apparet, quòd cùm dixiſſet Ratramnus initio capitis primi adverſarios ſentire Chriſtum *monſtruosè* natum eſſe; id refellit Paſchaſius ſub finem libri 1 his verbis: *Non dicimus, ut aiunt, quòd monſtruosè ſit natus, &c.* Deinde cum Ratramnus cap. 3 paullo fuſiùs ſcripſiſſet de natura & ſexu mulierum, eum hoc nomine reprehendit Paſchaſius. Accedit quòd ad Ambroſii & Hieronymi auctoritates, quas pro ſua ſententia Ratramnus adduxerat, datâ operâ reſpondet Radbertus. Jam verò vulgato Paſchaſii libro non ſtatim adquievere adverſarii, ſed novis eum reſcriptis denuo exagitarunt. Hinc data ipſi occaſio ſcribendi alium *tomum* ſeu librum, in quo conqueritur, quòd ſuis non adquieſcant dictis, ſed ea audire dedignentur: hortaturque eos ad auſcultandum B. Auguſtino, cujus ex Enchiridio teſtimonium profert in ſententiæ ſuæ patrocinium. *Si*, inquit Auguſtinus, *vel per naſcentem corrumperetur ejus* (Virginis) *integritas, non jam ille de virgine naſceretur, eumque falsò (quod abſit) natum de virgine Maria tota confiteretur Eccleſia.* Quid ex eo poſteriori libro, quem dumtaxat imperfectum habemus, conſecutum ſit, ex relictis ejus ſæculi monumentis divinare non poſſumus. nam & Ratramni ejuſve ſequacium poſteriora (ſi qua fuerint) adverſus Paſchaſium opera intereiderunt.

152. Erit fortaſſe cui mirum videatur, Ratramnum & Paſchaſium ejuſdem (ut de Ratramno conſtat ex Hincmaro) Cœnobii Monachos mutuis inter ſe ſe ſcriptis tam ſæpe decertaſſe. Verùm præterquam quòd diverſas inter ejuſdem ſocietatis ac familiæ homines oriri ac fervere ſententias inſolens non eſt; certè præſentis argumenti controverſia nata eſt ex Germanis, quæ deinde ſcriptis ventilata, varios pro hominum ſtudiis motus etiam in Cœnobio Corbeienſi excitavit. Alia ratio eſt de rebus euchariſticis & prædeſtinatianis, de quibus ut ſententiam ſuam ferret Ratramnus, à Carolo Calvo ſollicitatus eſt. Deinde non conſtat, an tum in Corbeienſi Cœnobio reſideret Ratramnus, qui poſtea de eodem loco ſcribens ad Odonem Corbeiæ Abbatem & Epiſcopum Bellovacenſem, Monaſterium *veſtrum*, non noſtrum appellat. Unde quis ſubdubitet, an Ratramnus de quo agimus, ſit à Ratramno Orbacenſi Præpoſito diverſus. Quamquam eo tempore Ratramnum non longè à Corbeienſi Monaſterio deguiſſe intelligitur ex Lupi Abbatis Ferrarienſis epiſtola 79 ad ROTRANNUM Monachum, quem rogat ut litteras ſuas ad Hincmarum Remorum Antiſtitem directas oſtendat Hilmerado Ambianenſi electo, in cujus gratiam eas ſcripſerat. Ex quo apparet, Ratramnum initio Hilmerardi pontificatûs,

Monachi ambo Corbeiæ.

quem ſub annum DCCC XLIX iniit, vixiſſe prope Ambianos, ſi tamen tum ibi jam reſidebat Hilmeradus.

Controverſiæ caput.

153. Verùm ut ad præſentem controverſiam revertar, unum erat in quo conveniebant adverſæ partes, nimirum Deiparam perſtitiſſe virginem ante partum, in partu, & poſt partum. Sed tamen Radbertus id ita ab adverſariis adſtrui dicit, ut idipſum quod confitentur, evertant. Totam igitur quæſtionem tribus in rebus reponit Ratramnus, nimirum Chriſtum *per naturæ januam, per ſollemnem parturitionis viam* ex utero ſacratiſſimæ Virginis proceſſiſſe cap. 1. & ſequenti *vulvam aperuiſſe*; ac demum ita aperuiſſe, *non ut clauſam corrumperet, ſed ut eam ſuæ nativitati oſtium aperiret. non quo violaret integritatem uteri, ſed quo ventris palatium vacuaret* ex cap. 5. Ex his omnibus in fine concludit, Chriſtum naturaliter natum eſſe. Huc tota incumbit Ratramni oratio, tametſi adducto Gregorii Magni teſtimonio, in quo dicitur corpus Domini introiſſe ad diſcipulos januis clauſis, quod ad humanos oculos *per nativitatem ſuam clauſo exiit utero Virginis*; ita reponit cap. 8. *Dicitur quòd quemadmodum Dominus Jeſus-Chriſtus poſt reſurrectionis gloriam cum corporis veritate diverſorium diſcipulorum, non per parietem, nec per poſtica, ſed per januam, non tamen reſeratam ingreſſus eſt: ita de matris alvo procedens, non aliunde, ſed per vulvam, clauſam tamen exivit, &c.* Verùm hac in re ſibi contrarius eſt Ratramnus. Nam ſi aperuit, ut in ſuperioribus probat, quomodo per clauſam exivit? Et hoc ſanè videtur hominis non ſatis ſibi conſtantis aut ſincerè agentis effugium.

Ratramnus ſibi non conſtat.

154. Hinc eſt quòd Paſchaſius Radbertus nulla habita ratione hujus ſolutionis, Ratramnum impugnavit, quaſi omnino ſentiret Chriſtum communi omnium lege natum eſſe: *neque aliter beatam virginem Mariam parere potuiſſe, neque aliter debuiſſe, quàm communi lege naturæ, & ſicut mos eſt omnium feminarum.* quod poſterius ſatis intelligitur ex Hieronymi loco, ita ut à Ratramno exponitur in cap. 9. Paſchaſii ſententiam præter veteres pleroſque tuebatur in multis Hincmarus, aſſerens beatam Virginem *clauſo utero* peperiſſe.

Hinc. tom. 1. p. 631.

155. Eſt & aliud in quo Ratramnus aut non verè adverſariorum mentem expreſſit, aut non plenè aſſecutus eſt, ubi innuit cap. 5 adverſarios ſenſiſſe, Chriſtum non per viam communem, ſed per aliam corporis partem penetrando prodiiſſe. Neque enim aliam fuiſſe puto Germanorum ſententiam, quàm Paſchaſii, qui omnes id unum volebant, Chriſtum via quidem communi, ſed clauſo virginali ſigillo, non communi modo proceſſiſſe.

Ratramnus de

156. Tolerabilior quidem, ſed non moderatior fuit Ratramni cenſura in commentum cujuſdam Monachi Corbeienſis, qui unam

in omnibus hominibus animam eſſe contendebat. Hujus quæſtionis originem & ſtatum mihi indicavit membraneus codex Bibliothecæ Monaſterii S. Eligii apud Noviomum: quo in codice exſtat Ratramni tractatus adverſus prædictum Monachum, inſcriptus Odoni Epiſcopo Bellovacenſi. In eo libro Ratramnus ſignificat, primo ſe ab Odone ſollicitatum, ut ejuſdem Monachi Anonymi inſanam opinionem refelleret. Deinde ſe jam id præſtitiſſe dicit ſcriptâ ad eumdem epiſtolâ, cui Monachus ille aliâ redditâ reſponderit. Tertiò Monachum illum hanc opinionem hauſiſſe à Macario Scotto, quem idcirco ejus *magiſtrum* vocat. Quartò præceptorem ac diſcipulum erroris ſui occaſionem ſumſiſſe ex loco malè intellecto S. Auguſtini in libro de quantitate animæ, in quo ſanctus Doctor de unitate in diverſis hominibus animæ dubitanter ſcripſiſſe videtur. Hæc omnia accuratè ac fusè diſcutit Ratramnus, profeſſus initio libri ſui, Monachum hunc *magis dignum eſſe auctoritate paſtorali reprimi, quàm diſputatione convinci.* Porro ſæpe dictum Monachum Corbeienſis Cœnobii alumnum fuiſſe intelligimus ex initio tractatûs Ratramni, quod ſic habet. *Domino ſancto, ſummæque venerationis honore proſequendo Patri* ODONI *reverentiſſimo Præſuli,* RATTRAMNUS *ſervus ſervorum Chriſti noviſſimus. Suſcepi veſtræ ſanctitatis debita cum veneratione litteras, quibus præcipitis poſtulantes, ut reſpondeam cujuſdam Monachi de Cœnobio veſtro ſcriptis, quibus de anima contra catholicam Fidem perverſa ſentiendo diſputare non timuit.* Fuit Odo Monachus, & poſt Paſchaſium Abbas Corbeienſis, ac demum Bellovacenſis Epiſcopus; idemque mortuo Traſulfo Abbate, qui ei in Cœnobii regimine ſuffectus fuerat, rurſus in Abbatiæ dignitatem reſtitutus. Cùm ergo Monachus ille de Odonis Cœnobio fuiſſe dicatur à Ratramno, id ſine dubio de Corbeienſi intelligendum eſt. Anima ſcribit contra Macariû.

157. Quæſtionis controverſæ ſtatum exponit in conſequentibus Ratramnus his verbis. *Dicit namque, quòd omnis homo unus homo ſit per ſubſtantiam, & omnis anima rationalis una ſit anima per ſubſtantiam. Quod ſi ita eſt, ſequitur ut non ſit niſi unus homo, & una anima: quod abſurdiſſimum fore conſpicit prudentia veſtra.* Et de eadem quæſtione, ſimulque de ejus auctore poſt multa ita ſubdit. *Videte quid Macarius ille Scottus, vel ille qui librum quem noſtis, ſcripſit, ex hoc loco dixiſſe beatum Auguſtinum excogitaverint. Et Macarius quidem hoc loco,* nimirum Auguſtini de quantitate animæ, *ſic ait ſcribens ad illum, qui ſibi quæſtionem hanc propoſuerat. Hæc autem non ideo propoſui,* « *Frater, ut ſapias quod voluit Auguſtinus: unam animam noluit, multas* « *animas noluit. quod in medio poſuit, hoc voluit, hoc eſt ut ſit una anima* « *& multa, quamvis ille dixit: Ridebis, nec mihi facilè unde riſum tuum* « *comprimam ſuppetit. Non eſt mirum, quia iſtam quæſtionem difficillimam* « Quæſtionis ſtatus.

» *ſuadere vix potuit. quanto magis neque nos poſſumus.* Ad quod Ratramnus ita reponit. *Cernitis itaque, quod hoc quod dicit Macarius, nequaquam dixerit Auguſtinus. Macarius namque dicit, hoc quod in primo & ultimo loco poſuerit Auguſtinus, noluerit affirmare; ſed illud quod in me-*
» *dio, hoc eſt ut ſit una anima & multa. cùm dicat Auguſtinus: Si unam*
» *ſimul & multas dicam eſſe, ridebis. quo dicto manifeſtè inſinuat, nullomodo ſe confirmare voluiſſe, quod una ſimul ſit anima & multa: quia ſic dicere vel ſentire, non prudenter eſt intelligere, ſed ridenda potiùs talis intelligentia. Ille verò qui ſcripſit libellum, in eadem eſt ſententia, qua & magiſter ejus Macarius. quod totus libelli textus evidentiſſimè declarat. Potuiſſet etiam Macarius, ſi conſiderare prudenter valuiſſet, aut certè voluiſſet, ex his quæ ſubſequenter poſuit, non ita ſenſiſſe Auguſtinum, cùm dicat:*
» *Quamvis ille dixit, nimirum Auguſtinus, ridebis, nec mihi facilè unde*
» *tuum riſum comprimam ſuppetit. Si enim voluiſſet hoc affirmare, quod Macarius falsò ſuſpicatur; nequaquam dixiſſet, Ridebis, quoniam ſententia prudenter dicta non ridenda eſt, ſed ſuſpicienda.*

Macarius quis.

158. Ceterum de Macario Scotto, ſi conjecturis indulgere licet, cum non alium eſſe puto, quàm aut Johannem Scottum, qui ſimilibus Dialecticæ argutiis maximè laſcivicbat, incautoſque prenſabat: aut certè Macarium Monachum, cui Rabanus librum ſuum de computo nuncupavit. Hunc Macarium per deridiculum *Baccharium* vocat Ratramnus, *quoniam non beatus*, inquit, *ſed ſtultus & ebrius talia ſomniavit.* Siccine philoſophari licet? ſcilicet tunc temporis, hæc quæſtio ad religionem pertinere videbatur, timendumque cenſebant, ne ex hac animarum confuſione, aliquid detrimenti Fides recta caperet. Eadem mens fuit Concilii Lateranenſis ſub Leone X, quod quorumdam de unica in hominibus anima ſententiam damnavit. Nunc totis id pulpitis decantant Philoſophi ſub ſollemni ſua diſtinctione *unitatis ſpecificæ & numericæ.*

Concil. Lateran. ult. Seſſ. 8.

Uſſerii erratum.

159. Dum hoc argumentum perſequor, memini legere apud Uſſerium, (qui Ratramni libros præmiſſos, alterum de Nativitate Chriſti ante editionem Acherianam, alterum de Anima in manu-ſcriptis Anglicanis legerat) Ratramnum in illo de Chriſti Nativitate libro eamdem, quàm in alio de corpore & ſanguine Domini tradidit, doctrinam propugnaſſe. Unde præclarum continuò momentum colligebant heterodoxi ad vindicandum Ratramno librum de corpore & ſanguine Domini, ſub Bertrami nomine vulgatum. Ubi verò libellus ille de Chriſti Nativitate prodiit in lucem, ſtatim evanuit tota illa argumentatio: propterea quòd in eo libro ne hilum quidem de Euchariſtia habeatur. Nec Calviniſtarum quiſquam, quorum maximè intererat, inventus eſt, qui Acherium noſtrum hac in parte omiſſi inſimularet, cùm & ipſi præ manibus

haberent ejus opuſculi exempla ex Anglicanis codicibus deſcripta: maluerunтque confugere ad neſcio quas illationes, aut potiùs cavillationes, ne Uſſerii fidem quaſi profligatam deſerere viderentur. Quippe fatetur Alixius in Diſſertatione Gallica de libro Bertrami, nullam de Euchariſtia mentionem fieri in opuſculo de Chriſti Nativitate: ſed tamen rectè dici ab Uſſerio propugnari eamdem quàm in Bertramo vulgato doctrinam: quoniam utrobique aſſeritur, unum & idem corpus non poſſe exſiſtere in duobus locis. Ita minimè ſuſpectam habet Alixius Acherii editionem, & ſartam tectam Uſſerii fidem præſtare conatur. Ego verò exiſtimem ſubreptum fuiſſe Uſſerio, homini ceteroquin erudito, nec indiligenti, ſive id ex præjudicio quodam ipſi contigerit, ſive ex feſtinata lectione codicis antiqui, ſeu ex qualibet alia cauſa. Neque enim malam hominis fidem ſuſpicari velim. Unus omnium Hermannus Conringius, à ſacramentis noſtris alienus, ſed (ut ingenuè profitear) inter Germanos haud incelebris, Acherio noſtro id obſtrepere auſus eſt, vero ſimilius eſſe id ab eo prætermiſſum in edendo hocce Ratramni libro, quod Uſſerius in illo de Euchariſtia deprehenderat. ſic enim ille librum, qui ſub Bertrami titulo dudum prodiit, Ratramno vindicare conatur in Supplemento 39 ad Diſſertationes de Antiquitatibus Academicis, cujus Supplementi folium ex Germania per amicum accepi, cùm hæc prelo ſubjicerentur. *Fruſtra ſanè ſunt, inquit, qui ſuſpicantur, librum qui hodieque ſupereſt Ratramni nomine, eſſe Johannis Scoti: cùm jam Sigeberti Gemblacenſis ævo Ratramnus illius auctor citra controverſiam fuerit habitus: & doctiſſimo Uſſerio cap.* XI *Hiſtoriæ Gotteſchalcianæ teſte, tum in Sariſburienſi, tum in Benedictini collegii apud Cantabrigienſes Bibliotheca ſuperſit Ratramni, præter alterum de Anima, unus de Nativitate Chriſti liber, in quo eamdem quàm* « *in libro de corpore & ſanguine Domini tradidit, doctrinam propugnat. Non* « *enim à vero id alienum eſſe dixerim, etſi liber ille, qualis eſt editus Spicilegii tomo primo à Luca Dacherio Benedictino Monacho, nihil tale habet: ſed illaudabili, haut inſolito tamen ſtudio, id eſſe omiſſum, vero eſt ſimilius.* Dura certè in virum de re publica litteraria bene meritum cenſura, ſed homine liberali prorſus indigna. Nam quandoquidem ejuſce opuſculi exemplaria ſuperſunt in Sariſburienſi & Cantabrigienſi Bibliotheca, quid attinebat præcipitare cenſuram? Annon ſatius erat priùs conſulere forulos illarum Bibliothecarum: & ſi qua fraus editori obrepſiſſet, jam demum illum vocare in cauſam? Sed facilè retundi poteſt inofficioſa hominis animadverſio, neque neceſſe eſt ut in Angliam ejus rei gratiâ pergamus. Quippe Albertinus famoſus ille Euchariſtiæ adverſarius, exemplum libelli ex Anglicano codice acceptum habuit, quale ab Acherio noſtro editum eſt: & ſi Albertino jam mortuo non credatur, habet etiam

Alix. pag. 22 *&* 23.

Conringii cenſura refellitur.

ejuſdem apographum Dallæus Miniſter Carentonienſis. quod neſcio qua occaſione mihi aliquando videre contigit, ſtatimque contuli cum editis: in quibus nulla eſt ab exemplo diſcrepantia, ſi quaſdam minutiores typothetarum mendas exceperis. Inſignior eſt præ ceteris illa, quam adverti ad pag. 333 lin. 9, ubi poſt *genitale ſecretum*, ita addit apographum. *Quo myſtico dicto teſtatur, Matris virginis quòd immaculatæ fecunditatis aperuit genitale ſecretum.* Ubi vides, librarios fallente oculorum jactu, ob repetitas *genitale ſecretum* voces, verſum unum tranſiliiſſe. In aliis perfecta eſt editorum cum apographo convenientia; præter quædam minutiſſima (ut mox dicebam) typographorum errata. Hæc à me dicta nemo non intelliget, non ut argumentum quo Ratramno liber de Euchariſtia aſſeratur, adverſariis præripiam: ſed ut explodatur indigna Conringii cenſura, quam in ſe ipſe præcipitando retorſit. Nunc ad ordinem revertor.

CAPUT IV.

De Græcorum diſcidio, & objectis eorum adverſus Latinos.

Photii capitulis reſpondere juſſus Odo.

160. POSTREMA denique contentio fuit Græcorum adverſus Latinos, quibus illi varia capitula ſuggerente Photio pſeudo-Patriarcha objecerunt. Photius quippe cùm deturbato Ignatio ſanctiſſimo viro, in ſedem Conſtantinopolitanam à Michaële & Baſilio intruſus fuiſſet, nec intruſionem ſuam Romano Pontifici potuiſſet approbare; in tantum contra Latinos excanduit, ut quidquid ſiniſtrum corradere potuit, ipſis objiceret ad faciendam invidiam Eccleſiæ Romanæ. Capitula illa numero erant omnino decem, nempe de proceſſione Spiritus-ſancti ex Patre Filioque, de jejunio ſabbati, de cælibatu Preſbyterorum, de chriſmatione frontis baptizatorum Preſbyteris vetita, de abſtinentia octo hebdomadarum ante Paſcha non inchoata, de barbæ raſione Clericorum, de Epiſcoporum ordinatione per ſaltum, de primatu Romani Pontificis, de confectione chriſmatis ex aqua fluminis, & de oblatione agni in feſto Paſchæ. Hæc capitula Nicolaus Papa Hincmaro & ceteris Archiepiſcopis & Epiſcopis in regno Caroli conſtitutis tranſmiſit, dato mandato, ut de his ſinguli in ſuis diœceſibus propriis unà *cum ſuffraganeis convenienter tractarent*, & ſibi quæ reperiſſent ad reſpondendum, *ſuggerere curarent*. In provincia Remenſi hæc cura demandata eſt Odoni Bellovacenſi Epiſcopo, teſtante Frodoardo in lib. 3 cap. 23, ubi Hincmarus Odoni ſcripſiſſe memoratur *de quibuſdam ſcriptis & Græcorum quæſtionibus. item de reſponſionibus ad objecta Græcorum, quas idem Odo colligens deſcri-*

deſcripſerat, & Domno Hincmaro miſerat. Et aliâ epiſtolâ agit *de libello ipſius* Odonis contra Objectiones Græcorum, quædam ſe in eo commemorans adnotaſſe, *quæ retractanda & corrigenda forent.* Erit forſan qui ſuſpicetur hoc Odonis opuſculum non aliud eſſe, quàm Ratramni: tum quia cùm Odo Monachus fuiſſet & Abbas Corbeienſis, facilè rejicere potuit hanc operam in Ratramnum virum doctum: tum quia veri ſimile non videtur, Epiſcopos ejuſdem provinciæ, id eſt Metropolis Remorum, idem argumentum duobus ſimul tractandum commiſiſſe. Verùm diverſa forſan aliis videbuntur Odonis & Ratramni opuſcula. Nam Odonis libellus vocatur ab Hincmaro in epiſtola mox laudata: Ratramni verò opus quatuor libris conſtat. tametſi nonnumquam liber libelluſque appellatur apud veteres illud opus, quod pluribus libris conſtat. Ad hæc, non mirum videri debet, ſi idem argumentum, quò accuratiùs & diligentiùs expendatur, diverſis ſcriptoribus tractandum committatur. Certè ſimili compendio potuiſſent Gallicani Epiſcopi id officii demandare uni cuidam auctori. Et tamen in Æneam Pariſienſem Epiſcopum conſenſerunt Senonenſis provinciæ Antiſtites; Remenſis in Odonem, prout Nicolaus Papa dederat in mandatis. Denique Ratramnus in fine libri 4 innuit ſe hortatu Epiſcoporum id ſuſcepiſſe. *Egimus*, inquit, *prout potuimus, reſpondentes ad ea quæ nobis ſcripta miſiſtis. Quæ ſi placuerint, Deo gratias agimus: ſi verò diſplicuerint, veſtræ correctionis cenſuram poſtulamus.* Quæ tamen ſi quis dicta velit nomine Odonis ad Hincmarum, vel Epiſcoporum ad Nicolaum Papam, nolim hac in re contentioſus eſſe.

Ratramno an cuiam hanc commiſerit.

161. Ceterum ſi quis Ratramni opus cum Æneæ Pariſienſis Epiſcopi libro conferat, quantum ille doctrina, eruditione & eloquentia præſtet, facilè animadvertet. Æneas quippe nuda ferè ac jejuna Auctorum teſtimonia abſque propriis commentis adducit: Ratramnus verò longè plura & potiora, prolatis ex proprio genio validis ratiociniis, quæ argumentis & auctoritatibus adductis lucem ac robur concilient. Antè verò quàm hoc argumentum dimittamus, juverit nonnulla, quæ ſanè animadverſione digniora videntur, ex Ratramno decerpere, & cum Æneæ dictis aliquando comparare.

Ratramnus Æneæ præſtat.

162. In primis Ratramnus Michaëlem & Baſilium Græcorum Imperatores, ejuſmodi oppoſitorum architectos, arguit in hunc modum in lib. 1 cap. 2. *De ſacris dogmatibus, de eccleſiaſtico ritu, non Imperatorum, ſed Epiſcoporum fuerat diſputare. Diſcendi illis, non docendi in Eccleſia miniſterium commiſſum eſt. Nam quamvis imperiali dignitate præcellant, res illis publica commiſſa eſt, non epiſcopale miniſterium: Imperatores de ſæculi legibus tractare debent, Epiſcopi verò de divinis*

Notatu digniora in utroque.

dogmatibus diſputare. Tum in lib. 4 cap. 3 obſervat, morem tum fuiſſe apud pleraſque Occidentales Eccleſias, ut in Quadrageſimâ ſabbato non jejunarent: & in inſula Britannica, ut omni ſexta ſabbati, id eſt hebdomadæ, jejunaretur. Et in cap. 4 Romanos caput jejunii à Dominica Quadrageſimæ (ut tempore Gregorii Magni actitatum docet Menardus noſter in notis ad librum ſacramentalem) inchoaſſe, non à feria quarta Cinerum, ut poſtea uſus obtinuit. Ad hæc in cap. 8 illam Græcorum objectionem, quaſi Latini agnum ſimul cum Chriſti corpore & ſanguine ſuper altare ponerent, & more Judæorum offerrent, cum Ænea rejicit ut falſam. Et tamen Walafridus Strabus, qui ante has turbas deceſſerat, fatetur morem offerendi & conſecrandi agni de Judaïcarum „ ſuperſtitionum ſeminario natum, quorumdam ſimplicium errore ad „ ſua uſque tempora perſeveraſſe. & in libro de vita S. Udalrici Auguſtani Epiſcopi cap. 4 auctore Anonymo, eumdem uſum ſæculo x apud Auguſtenſes in Paſchate obtinuiſſe legitur. Denique in Ordine Romano notatur agni benedictio pro die Reſurrectionis, iſque mos hodie uſque in nonnullis locis viget. Si hanc benedictionem improbabant Græci, rem quidem veram, ſed gratis impugnabant: at ſi huc ſpectat eorum objectio, quòd ſuper altare agnus offerretur, mera calumnia eſt. Non ergo agnos Eccleſia Latina aut ſuper altare collocabat, aut ſimul cum Chriſti corpore offerebat ſeu benedicebat, ſed ſeorſum. tametſi hunc etiam ritum Walafridus Strabus reprehendit, ratus fortaſſe non decere, ut ſimul cum verâ Chriſti corporis & ſanguinis hoſtia agnus umbraticus benediceretur. Denique Ratramnus in eodem capite negat Diaconos per ſaltum (quod etiam improperabat Photius) eſſe ordinatos Epiſcopos: quod tamen Æneas aliquando factum admittit in objectione ſeptima.

Menard. in not. ad Sacr. p. 52.

Walafr. in lib. de reb. eccleſ. cap. 18.

163. Hæc ſunt quæ de ſæculi noni controverſiis mihi dicenda occurrunt, quæ ſane prolixiùs ac ſolidiùs tractari potuiſſent, ſi mihi vel in rebus communioribus hærere licuiſſet, vel tanta dicendi ſuppeteret facultas, quantam argumentorum dignitas poſtulabat. At quantumvis mediocria ſint quæ attuli, ea tamen ad propoſitum meum ſufficiunt, nimirum ut omnibus conſtet, quantum in eccleſiaſticis negotiis collaboraverint majores noſtri, quorum citra operam nullæ cujuſcumque momenti controverſiæ dirimi ſolerent. Nunc quantum etiam ad infidelium converſionem per id tempus contulerint, breviter conſiderandum eſt.

CAPUT V.

De Septemtrionalium populorum converſione, maximè per ANSCHARIUM *ejuſque ſocios.*

164. GERMANORUM converſio auctore S. Bonifacio ejuſque ſociis, ut in Sæculi tertii Præfatione diximus, procurata, aditum patefecit Aquilonarium gentium converſioni, cui exſequendæ majores noſtri mirum dictu quantum laboris ac ſudoris impenderint. Harum gentium nomine hîc complector maximè Saxones, Danos, Sueones, & Sclavinos, pro innata feritate à Chriſtianis moribus non minùs abhorrentes, quàm pro ſua levitate faciles ad relapſum.

165. Saxones armis primùm adortus eſt Carolus Magnus, quibus per annos triginta ſæpiſſime devictis, ſed toties rebellantibus, tandem jugum Chriſti feliciter impoſuit. Hoc in opere præcipuos è noſtris miniſtros Willehadum & Sturmium, viros ſanctiſſimos adhibuit. Cùm enim alios atque alios prædicatores huic expeditioni fruſtra dediſſe operam intelligeret; compertâ Willehadi famâ, eum ad ſe accivit, *probatumque ſanctis moribus, ac Fidei non fictæ conſtantiâ, miſit in partes Saxoniæ, quò inibi auctoritate regali & eccleſias inſtrueret, & populis doctrinam ſanctæ prædicationis impenderet.* Res ferè pro voto proſperè ſucceſſit, *ita ut in ſecundo anno tam Saxones, quàm & Freſones in circuitu commorantes, omnes ſe pariter promitterent fieri Chriſtianos*, & quidem *anno incarnationis Domini* DCC LXXXI. Saxones per Willehadum converſi.

166. Effectum remorata eſt Witikindi infeſtatio, qui atrocem in Willehadum ejuſque ſocios tyrannidem exercuit, eoſque ſolum vertere compulit. At Willehadus Româ denuo reverſus in Saxoniam, intermiſſum opus ſtrenuè proſecutus eſt, tandemque effecit, ut gens Saxonum Fidem Chriſtianam, quam abjeciſſe videbatur, denuo reciperet, ſed & totius mali auctor Witikindus Baptiſmi gratiam conſequeretur Attiniaci anno DCC LXXXV. Hinc Carolo jubente Willehadus Bremæ ordinatus Epiſcopus, religionem verbis & factis in iis partibus conſtanter aſſeruit. Willehado Sturmium Fuldenſem Abbatem adjungere licet, quem Carolus Magnus ſemel & iterum in Saxoniam deduxit, *eique partem maximam populi & terræ illius ad procurandum commiſit.* Poſt multiplicem huic operi impenſum laborem Sturmius in ſecunda ad Saxones profectione incidit in extremum morbum: ut certè in ſalutem ejus populi vitam profudiſſe dici poſſit. Huic etiam negotio adjutor datus eſt à Carolo Liudgerus Epiſcopus, qui non tantùm Friſiis verbum Dei

prædicavit, ſed & Occidentalibus Saxonibus præfectus eſt apud Mimigarnefordum.

Dani & Sueones per Anſcharium.

167. Sed nulla alia eſt noſtrorum miſſio tam illuſtris, quàm Anſcharii ejuſque ſociorum ad Danos & Sueones, quorum indomitam pertinaciam neque Ebo Remenſis Archiepiſcopus, neque alii qualeſcumque penitus ſuperare potuerant. Quippe mortuo Carolo Magno cùm Ludovicus Auguſtus ejus filius patris in rem Chriſtianam ſtudium hereditario quaſi jure ſibi vindicare ſatageret, cœptum ab ipſo opus latiùs perſequi animo deſtinavit. Quapropter Danorum converſionem à S. Willebrordo olim tentatam Eboni Remorum Archiepiſcopo, natione Germano, demandari curavit, accedente Paſchalis Papæ auctoritate. Et quidem multos ex eis ad Fidem venientes baptizavit Ebo anno DCCC XXIII, ut referunt Annales Eginhardi & Bertiniani. Adjutore Halitgario, poſtea Cameracenſi Epiſcopo uſus eſt, ſimulque Gautberto, quem mutato in Simonem nomine creatum Epiſcopum, unà cum Nithardo nepote ſuo vice ſua Legatum ad Sueones direxit. Horum exemplis Anſcharius Corbeiæ veteris in Gallia Monachus, cùm eam provinciam Ludovico Pio proponente, omnes rei difficultate deterriti detrectarent; aſſumto ſecum Autberto ſocio, anno DCCC XXVI cum Herioldo Danorum Rege recèns baptizato *ad confinia profectus Danorum*, Fidei Chriſtianæ apud illos populos ſeu inſtituendæ, ſeu propagandæ indefeſſum laborem impendit. Hinc multi ad veram Religionem adducti; pueri quos Chriſtianis inſtitutis informaret, comparati; ſcholæ publicæ apertæ, quæ novæ miſſionis ſeminarium exſtitêre. Interim Autberti ſocii morbo ſupremo interveniente Corbeiam novam anno DCCC XXIX revertitur. Neque verò hîc diu moratus, iterum à Ludovico Pio mittitur ad Sueones cum Witmaro Monacho, eoſque per dimidium annum primis Fidei Chriſtianæ rudimentis imbuit, ut fusè in ejus Actis legitur. Dein Hammaburgenſis ab Imperatore deſignatus Epiſcopus, anno DCCC XXXI, ætatis ſuæ XXX conſecratus eſt: tum Romam profectus, pallium à Gregorio Papa IV accepit, atque Legati apoſtolici ad Danos, Sueones, Sclavos, aliaſque Aquilonares gentes auctoritatem accepit anno DCCC XXXIV, litteris pontificiis & imperialibus munitam. Demum cùm Hammaburgenſem eccleſiam, quæ ſanè modica erat, Anſcharii apoſtolico ſtudio non ſufficere intelligerent Pontifices, interveniente etiam ejuſdem loci clade à piratis illata, in publico conventu ſtatuerunt Bremenſem Epiſcopatum cum Hammaburgenſi conjungere in gratiam Anſcharii quantumlibet repugnantis. Reſtitit etiam plurimum Guntharius Colonienſis Archiepiſcopus, cui Bremenſis eccleſia ſubjecta erat: ſed tamen evicit Epiſcoporum ac Ludovici Regis auctoritas, Nicolai Papæ dein litteris confirmata.

168. His ita geſtis Anſcharius, Horico Danorum Regi perquam familiaris, cum ejus favore & gratia Slefwici eccleſiam conſtruit, multos Chriſto in ea gente lucratur, & cum Baptiſmo etiam ſanitates divinitus impertit. Inter hæc de Sueonum, à quibus Gautbertus pulſus fuerat, ſalute maximè ſollicitus, eumdem ad illud opus iterum inducere conatur. Sed eo recuſante, legationem hanc à Ludovico Rege impoſitam ipſe ſubit, comitante Horici Danorum Regis Legato, acceptis etiam regiis litteris ad Olefum Sueonum Regem: quem diabolico vaticinio efferatum ſibi conciliat, & eccleſiæ conſtruendæ facultatem ab eo accipit. Rebus apud Sueones diſpoſitis, novellæ eccleſiæ curam committit Erimberto Preſbytero, Gautberti Antiſtitis nepoti, quem Regi Olefo commendat, ad ſuam ſedem reverſurus. Sed ecce iterum in Dania ambages. Mortuo quippe Horico, ejus ſucceſſor Horicus alter bellum eccleſiæ Sleſwici inſtigantibus nonnullis Principibus indicit. Verùm ab Anſchario & ipſe flexus, non ſolùm perſecutionis reſcindit conſilium, ſed etiam Ripæ alteram eccleſiam concedit. Aliunde Gautbertus, qui quondam Sueonum curam in Anſcharium rejecerat, cùm ejus ſtudiis eam gentem in Chriſtiana religione adoleſcere cerneret, non tantùm hanc gloriam non invidit Anſchario; quin immo adjutoribus Clericis eò miſſis præclara hæc initia promovere ſategit. Inſigne profectò Clericos inter ac Monachos Chriſtianæ concordiæ exemplum! quod utinam, ubi de Dei rebus agitur, apud omnes etiamnunc obtineret, & non magis privata atque affectata inter utriuſque ordinis ſectatores æmulatio, Chriſtiano certè nomine prorſus indigna. Hæc de Anſcharii noſtrorumque Apoſtolatu breviter exponere viſum eſt, prolixiorem ejus narrationem remittendo ad ejus Acta, quæ non magis rebus piè geſtis, quàm hiſtoricis factis illuſtria ſunt. *Clerici adjutores.*

CAPUT VI.

De veterum martyrologiorum ſcriptoribus Benedictinis.

169. PROXIMO poſt ſacros heroas loco cenſendi ſunt, qui eorum præclara facta, vel ſanè memoriam tranſmiſere ad poſteros. Hoc in genere veniunt ſcriptores, qui concinnandis faſtis ſacris, in quibus virorum ſanctitate illuſtrium nomina & geſta paucis perſtringuntur, operam navarunt.

170. At qui poſt Euſebium & Hieronymum, à quibus quid hoc in argumento re vera effectum ſit, haud ſatis conſtat, primus martyrologium privato ſtudio contexuit Venerabilis Beda, cujus martyrologium Uſuardus in ſuo laudat. Sed & ipſemet Beda in *Bedæ martyrologium proſâ.*

operum ſuorum catalogo illud cenſet. Etſi enim in editione Baſileenſi anni 1563 nulla de ejus martyrologio mentio fiat; in aliis tamen editionibus diſertè habetur, immo & in Alfredi Regis verſione Saxonica, quam Abrahamus Whelocus protulit in lucem. Sic verò habet Bedæ Epitome: *Martyrologium de natalitiis ſanctorum Martyrum diebus, in quo omnes quos invenire potui, non ſolùm qua die, verùm etiam quo genere certaminis, vel ſub quo judice mundum vicerint, diligenter adnotare ſtudui.* Attamen Beda plures dies intactos reliquit teſte Uſuardo, ejuſque genuinum opus diu eruditi viri deſideraruntː ſed tandem ab ſe repertum, & à variis interpolationibus, quoad ejus fieri potuit, repurgatum, Socii Bollandiani cum Flori Diaconi Lugdunenſis aliorumque Auctariis ediderunt in Martii tomo 2.

Aliud metro. Aliud metricum ſub Bedæ nomine vulgatum eſt in Spicilegii tomo 10, quod aliquando erui ex pervetuſto codice Remigiano. An verò metricum hoc martyrologium verè Bedæ ſit, an alicujus ſtudioſi, qui proſaïcum verſibus reddiderit, non facilè definierim. Certè Remigianus codex qui annos minimùm octingentos præfert, hunc habet titulum. *Incipit Martyrologium quod Beda heroïco carmine compoſuit.* Quamquam Beda in ſua Epitome non metricum, ſed proſaïcum deſignare videtur; nec penitus convenit metricum cum proſaïco illo, quod à Bollandianis Patribus impreſſum eſt. Verùm metricum illud fortaſſe ipſemet Beda poſt abſolutam Epitomem condiderit. Sanè Remigianum exemplar annis non amplius centum ab ejus obitu exaratum eſt ſtudio Bertigarii Monachi, pontificatu Ebonis Remorum Epiſcopi.

Wandalberti. 171. Bedæ adjungo Wandalbertum, Prumienſem Monachum, qui metricum martyrologium, Bedæ olim perperam adſcriptum, concinnavit, ſubſidio præcipuè uſus *ſancti & nominatiſſimi Flori, Lugdunenſis eccleſiæ Subdiaconi*, id eſt ejus ad Bedam Auctario; illudque *illuſtri viro Otrico Clerico* nuncupavit, & Lothario Auguſto Ludovici Pii filio commendavit: qua in commendatione tempus conditi martyrologii deſignat his verſibus.

Luſtra per orbem
Quinque recurrunt,
Nomine poſtquam
Clarus & armis,
Cæſariana
Jura retentas.

Si quinque hæc luſtra, id eſt annos viginti quinque, numeres ab anno DCCC XVII, quo Lotharius à patre deſignatus eſt Imperii ſocius; incidet Wandalberti epocha in annum DCCC XLII; ſin verò ab anno DCCC XXIII, quo Romæ Imperator renuntiatus eſt, (ut quidem ſtatuenda videtur) ad annum DCCC XLVIII eſt re-

ferenda. Hoc martyrologium integrum exſtat in Spicilegii tomo
5. Nec plura hîc commemoro de auctore, quem in Sæculo 2 ad Vi-
tam S. Goaris ampliùs laudavi.

172. Eodem quo Wandalbertus tempore Rabanus ex Fuldenſi Rabani.
Monacho & Abbate Moguntinus Epiſcopus, itidem ſacros fa-
ſtos ordinavit, ab Henrico Caniſio vulgatos in Antiquarum Le-
ctionum tomo 6. Hi faſti, tametſi aliis præcedentibus prolixio-
res, dubito an aliquam obtinuerint in publicis officiis auctori-
tatem.

173. Eam verò paſſim non modò per omnes Gallicanas, verùm Uſuar-
etiam aliarum provinciarum eccleſias obtinuit Uſuardi Monachi di.
martyrologium: immo ipſomet aucto Romanâ uſa eſt Eccleſia
ante recentius Romanum, teſtante Johanne Molano in præfa-
tione ad martyrologium Uſuardi cap. 4. Hoc autem martyrolo-
gium Carolo Francorum Regi nuncupatum eſt. quod alii ad Ca-
rolum Magnum, alii ad Calvum referunt. Nec minùs litigant de
auctore, quem nonnulli Abbatem Monaſterii S. Salvatoris in Neu-
ſtria, quidam Fuldenſem Monachum, alii Pariſienſem S. Germani
Cœnobitam fuiſſe contendunt. Neutrum ſatis apertè definit Uſuar-
di prologus, qui ſic habet. *Domino Regum piiſſimo* CAROLO, *Uſuar-
dus indignus Sacerdos ac Monachus*, &c. Primum explicat mſ. co-
dex S. Germani, in quo poſt prologum hæc clauſula legitur. *Ex-
plicit prologus Uſuardi Monachi S. Germani Pariſienſis.* Alterum verò
jam dudum collegit ex Uſuardi ipſius ætate vir magni nominis
Hadrianus Valeſius in Diſceptatione de Baſilicis: quem Uſuar-
dum principatu Caroli Calvi floruiſſe conſtat ex Aimoino in
libello de tranſlatione ſanctorum Martyrum Georgii & Aurelii,
cujus tranſlationis *Uſuardus Pater* auctor anno DCCC LVIII fuiſſe
memoratur. Et ſanè antiquiſſimum ejus martyrologii exemplar
habemus, eo tempore exaratum cum ſubjecto necrologio, in quo
primaria manu mors Irmintrudis Reginæ, uxoris Caroli Calvi, ſigna-
ta eſt Nonis Octobris, obitus verò Caroli II Imperatoris pridie
Nonas Octobris, manu recentiori. Itaque hic codex ſcriptus eſt eo
temporis intervallo, quod effluxit inter annum DCCC LXIX Irmin-
trudis ſupremum, & annum DCCC LXXVII, quo Carolus Calvus
defunctus eſt. Idem etiam confirmatur ex Ebroini Epiſcopi & Ab-
batis S. Germani obitu, qui anno DCCC LVIII contigit, prima
manu XIV Kal. Maii conſignato: cùm ſucceſſorum ejus Hilduini
& Gozlini XVI Kal. Maii, atque Eboli VI Non. Octobris obitus
ſecunda manu conſcripti ſint. In illo Uſuardi (ſic enim appellare
licet) autographo nonnulla paſſim additamenta reperiuntur, quæ-
dam etiam lituræ & ſcripturæ eodem (ut videtur) tempore ſuper-
inductæ, fortaſſe ipſius auctoris manu, qui opus ſuum identidem

recognoverit. Porro in eo autographo deſiderabatur auctoris prologus à corpore avulſus, quem nobis ex alio veterrimo codice ſupplevit vir longè doctiſſimus Petrus Pithœus, in quo habetur ſuperior clauſula à nobis relata, quæ Uſuardum S. Germani Pariſienſis fuiſſe Monachum adſtruit. Ejuſdem USUARDI SACERDOTIS memoria majuſculis rubeiſque litteris Idibus Januarii in prælaudato necrologio adnotatur. Apage ergo eorum opinionem, qui Uſuardum Monaſterii S. Salvatoris in Neuſtria, aut Fuldenſis Abbatem dicunt, decepti videlicet auctoritate Alcuini, cujus epiſtola 79 exſtat inſcripta *Pio Patri Uſualdo & ſanctæ Congregationi ſancti Salvatoris.* quod de Monaſterio S. Naboris, alio nomine Monaſterio novo ſeu Cella-nova ſancti Salvatoris dicto, intelligendum eſſe aliàs probavi, ſumto inde argumento, quòd in ea epiſtola teſtetur Alcuinus, ſe ſe jam illis commendaſſe *per Angelramnum Archiepiſcopum, & ſanctæ Capellæ Primicerium*, qui tunc præerat Mettenſi eccleſiæ, ad cujus diœceſim pertinet iſte locus. Certè nullus eo tempore Uſualdus præfuit Fuldenſi Monaſterio S. Salvatoris, neque aliud ejus tituli in Neuſtria tum exſtabat. Ceterum qui Uſuardum ad Caroli Magni tempus revocarunt, eo inducti ſunt auctoritate Sigeberti, qui Uſuardum *juſſu Magni Caroli Imperatoris* martyrologium ſuum condidiſſe ſcribit in cap. 85. At vel Magni Caroli nomine Calvum intellexit, ut aliàs in cap. 99, ubi ait Hincmarum reſcripſiſſe ad Eccleſiam Ravennatem *ſub perſona Magni Caroli Imperatoris*; aut certè cùm Carolum Regem in prologo Uſuardi legiſſet, id perperam retulit ad Carolum Magnum, quod Calvo tribuendum erat.

Adonis. 174. Ad Uſuardi auctoritatem propè accedit Adonis martyrologium, quod in nonnullis Gallicanis eccleſiis olim receptum fuiſſe conſtat, ſed paſſim nonnihil abbreviatum. In eo condendo uſus eſt alio vetuſtiori Ado, quod Roma Aquileïam tranſmiſſum, & Ravennæ à quodam Monacho ſibi præſtitum mutuo ad deſcribendum acceperat. Iſtud unà cum Adonis martyrologio publici juris fecit Roſweydus, & ipſum Romanum vetus eſſe, de quo Gregorius Magnus in epiſtola ad Eulogium Alexandrinum agit, opinatus eſt. In contrariam abeunt ſententiam quidam viri docti, cenſentque „ in uſu quidem, ut in aliis, ita & in Romana Eccleſia fuiſſe Kalen„ daria, in quibus & Epiſcoporum nomina, & Martyrum qui apud „ ipſos paſſi fuerant, natales dies perſcripti habebantur: nullum ve„ rò umquam fuiſſe proprium ac peculiare martyrologium Eccleſiæ „ Romanæ ante illud, quod juſſu Xyſti quinti Pontificis Maximi „ editum eſt hoc titulo, & Baronii notationibus illuſtratum; neque „ id confici aut ex Gregorii epiſtola ad Eulogium, aut ex præfatio„ ne Adonis ad martyrologium ſuum. Gregorii hæc verba ſunt in

lib.

lib. 7. epiſt. 29 Indict. 1. *Nos pæne omnium Martyrum diſtinctis per dies ſingulos paſſionibus, collecta in uno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Miſſarum ſollemnia agimus : non tamen in eodem volumine quis, qualiter ſit paſſus, indicatur, ſed tantummodo nomen, locus & dies paſſionis ponitur. Unde fit, ut multi ex diverſis terris atque provinciis per dies (ut prædixi) ſingulos cognoſcantur martyrio coronati.*
Quibus verbis concedunt ſignificari martyrologium quoddam :
ſed illud Romanæ Eccleſiæ proprium ac peculiare fuiſſe negant. «
Idem ſentiunt de illo quo uſus eſt Ado, quod *venerabile & perantiquum martyrologium* appellat, idque ab urbe Romana Aquileiam «
cuidam ſancto Epiſcopo à Pontifice Romano directum, & ſibi poſt- «
modum à quodam religioſo Fratre aliquot diebus præſtitum ait.
quod ego, inquit, *diligenti cura tranſſcriptum poſitus apud Ravennam in capite hujus operis*, id eſt martyrologii, *ponendum putavi*. Ubi non di- «
cit Ado, inquiunt, hoc martyrologium fuiſſe Romanum, ſed tan- «
tùm miſſum à Pontifice Romano Aquileiam. Verùm Monachum «
illum qui hoc Adoni affirmabat, ei procul dubio impoſuiſſe, ut «
majorem ſuo codici auctoritatem compararet, & munus ſuum ac «
deſcribendi copiam, quam Adoni fecerat, venditaret. Non enim «
Romæ, ſed Aquileiæ compoſitum eſſe illud martyrologium, quod «
Ado præfixit ſuo, ac Roſweydus pro vetere Romano edidit : id- «
que argumento eſſe, quòd totum ferè illud martyrologium de- «
ſcriptum ſit ex eccleſiaſtica hiſtoria Rufini Preſbyteri Aquileien- «
ſis, cum ipſis etiam mendis, quæ in Rufino habentur. Hanc viri «
eruditiſſimi & mihi maximè ſuſpiciendi ſententiam penitus refutare nolim : ſed tamen diſſimulare non poſſum auctoritatem Concilii Cloveshovienſis anno DCC XLVII celebrati, in quo diſerta de martyrologio Romano mentio habetur in canone 13 definiente, *ut per gyrum totius anni natalitia Sanctorum uno eodemque die* JUXTA MARTYROLOGIUM EJUSDEM ROMANÆ ECCLESIÆ *cum ſua ſibi convenienti pſalmodia ſeu cantilena venerentur*. Nihil hoc teſtimonio apertius. En *martyrologium Romanæ Eccleſiæ* nominant Patres, & ad ejus normam natalitia Sanctorum celebrari decernunt. Et fortaſſe illud ipſum erat, quod Auguſtinus & primi Prædicatores à Gregorio Magno eam in inſulam miſſi ſecum attulerant. At inquies, non erat illud martyrologium Eccleſiæ Romanæ ab origine proprium, ſed illud, quod Hieronymo à multis retro ſæculis ſuppoſitum, poſtea ſibi Romana Eccleſia uſurpaverit. Verùm ſive ita, ſive aliter res habeat, concedant neceſſe eſt illud martyrologium Romanæ Eccleſiæ tum fuiſſe peculiare, non toti Latinæ Eccleſiæ commune. aliàs ſanè fruſtra *martyrologium Romanæ Eccleſiæ* ab Anglicanis illis Patribus appellaretur. Jam verò an martyrologium illud, quod ſuo præfixit Ado, fuerit ipſum Romanum, in promtu non eſt ut affirmem.

tametſi quòd Româ Aquileiam à Pontifiee Romano directum ſit, non levem affert conjecturam, iſtud non aliud eſſe quàm Romanum. Etenim quod opponit Bollandus in Præfatione generali ad
» Vitas Sanctorum, in Roſweydiano illo non niſi unicum Sanctum,
» ſemper pauciſſimos referri; contra verò in eo quod Gregorius me-
» morat, multos ex diverſis terris atque provinciis Sanctos per dies
» ſingulos commemorari; non puto ſatis validum eſſe ad id evineendum. Nam paſſim in illo Roſweydiano plures Sancti ſingulis diebus occurrunt, quod ſufficit conciliando Gregorii teſtimonio. Hæc dicta ſint oceaſione Adoniani martyrologii, de quo plura hîc obſervo in ejus Sancti Elogio, quem Ordinis noſtri, & quidem Ferrarienſis Cœnobii Monachum ante initum pontificatum fuiſſe perſpicuis demonſtro argumentis.

Notkeri. 175. Ultimo loco commemorandum Notkeri Monachi Sancti-Gallenſis martyrologium, quod apud Caniſium in tomo 6 publicatum eſt, ſed imperfectum à die 27 Octobris. Hîc de Notkero ipſiuſque martyrologio plura dicere ſuperſedeo, ejus geſta & ſcripta, Deo dante, illuſtraturus in Sæculo inſequenti.

& Nevelonis. 176. His omnibus adjungere poſſem (ut Maurolycum alioſque recentiores martyrologiorum ſcriptores è noſtris omittam) Nevelonem Corbeienſem Monachum, qui ſub finem ſæculi XI Adonis martyrologium ſive ab ſe, ſeu ab alio contractum, aliquot Sanctorum nominibus auxit, quale habetur manu deſcriptum in Bibliotheca Corbeienſi. Verùm hæc ſufficiunt ad demonſtrandam noſtrorum piam ſollicitudinem in rem Chriſtianam, cujus haud multo minus intereſt Sanctorum memoriam & facta ſcriptis perennare, quàm Sanctos habuiſſe.

CAPUT VII.

Obſervationes eccleſiaſticæ, monaſticæ & hiſtoricæ.

Approbatio librorum per Papam. 177. HAs Obſervationes ordior à ſummo Pontifice, à quo librorum ſuorum approbationem primùm ſe poſtulaſſe teſtatur Ambroſius Autpertus in ſuperiore Sæculo laudatus, ut probat ejus præfatio ſeu epiſtola ad Stephanum Papam III, commentariis in Apocalypſim præfixa, in qua *defendit totius Eccleſiæ libertatem, ut* ſcilicet *unuſquiſque prout deſuper accepit, ſine alterius controverſia volumina condat:* eumque affirmat damnandum cenſeri, *quiſquis hanc libertatem ſpiritûs abolere conatur.* Deinde quod huic obſervationi materiam dedit, ita ſubinfert. *Et quamquam ſufficeret mihi, quia ſanctarum Scripturarum teſtimoniis veræ Fidei congruentibus roborati erant, quia præcedentium Tractatorum ſenſu vigebant; humilitati*

tamen meæ proſpiciens peto, ut veſtro etiam decreto profuturi firmi maneant. quod videlicet nullum præter me Tractatorem feciſſe reperio. Sed non ideo libertas ſuccubuit, quia humilitas ſemetipſum liberè proſtravit. Semper quidem Romano Pontifici in Eccleſia, nedum Epiſcopis in ſua cuique diœceſi, competere viſa eſt librorum cognitio ac cenſura, ut probat Index ille Gelaſianus: at qui libris ſuis approbatorii decreti auctoritatem à Papa flagitaverit, nullum ante ſe extitiſſe *Tractatorem* Autpertus exiſtimavit. Quo nomine ſine dubio ſacrorum librorum commentatorem intelligit. Hanc verò in omnes ſcriptores auctoritatem Papæ cælitus conceſſam fuiſſe tradit Johannes Diaconus in Præfatione ad Gregorii Magni Vitam, ubi Romano Pontifici *Deus omnipotens probandorum ſeu repellendorum ſcriptorum omnium ſpecialem dediſſe poteſtatem* perhibetur. Hinc eſt, quòd Nicolaus Papa I in epiſtola ad *Carolum majorem*, id eſt Calvum, verſionem librorum *beati Dionyſii Areopagitæ* ab Johanne Scotto factam ſibi de more mitti petit. *Quod juxta morem*, inquit, *nobis mitti, & noſtro debuit judicio approbari: præſertim cùm idem Johannes, licèt multæ ſcientiæ eſſe prædicetur, olim non ſanè ſapere in quibuſdam frequenti rumore diceretur.* Et infrà. *Itaque quod hactenus omiſſum eſt, veſtra induſtria ſuppleat, & nobis præfatum opus ſine ulla cunctatione mittat: quatenus dum à noſtri apoſtolatùs judicio fuerit approbatum, ab omnibus incunctanter noſtra auctoritate acceptius habeatur.* Itaque ante iſtud tempus id in more jam poſitum erat, ut ad Romanum Pontificem librorum cenſura & approbatio deferretur. Autpertus ante ſe factum negat ab ipſis Tractatoribus. Sed aliud eſt à Scriptoribus ipſis ſuos Papæ judicio ſubmitti libros: aliud illorum libros ejus cenſuræ eſſe ſubjectos. quod jus Romano Pontifici ſemper competiit.

178. Jam venio ad Epiſcopos ex Monachis, quibus in pontificatu priorem vitæ formam prioremque habitum retinere mos erat; idque non arbitrarii, ſed neceſſarii officii eſſe ducebant. Multa hujus rei exempla in his Actis occurrunt diſertè obſervata ab Auctoribus, qui de geſtis ſanctorum Cæſarii Arelatenſis, Leobini Carnutenſis, Germani Pariſienſis, Fructuoſi Bracarenſis, Cuthberti Lindisfarnenſis, aliorumque Epiſcoporum libellos ediderunt. Idem elogium tribuitur Ælberto Eboracenſi Epiſcopo in Poëmate ſuperiùs edito de Epiſcopis Eboracenſibus. *Epiſcoporum ex Monachis vita.*

Nec Pater adveniens in tantum culmen honoris,
Veſtibus atque cibis veterem mutaverat uſum.
Deliciosa nimis fugiens, nec vilia valde
Sectatus fuerat, medio moderamine gaudens.

Et quidem Epiſcopi ex Ordine noſtro aſſumti à carnium uſu more ſolito abſtinebant. Hinc eſt quòd Pardulus Laudunenſis Epiſcopus Hincmarum Remenſem ex morbo recens convaleſcentem mo-

net, *ne à lardo ſive quadrupedibus abſtineat, donec ſanitas confirmetur: & ſic ad ſiccos & miſeros tardioreſque monaſticos cibos redeatur.* quod argumento eſt hanc ei conſuetudinem aliàs fuiſſe. Eadem familiaris fuit Elfego Wintonienſi Epiſcopo. Is enim, teſte Willelmo Malmeſburienſi, *carnibus numquam niſi æger indulſit.* quod etiam de Baldrico Dolenſi Archiepiſcopo affirmare licet, qui in epiſcopatu *monachatum ſervaſſe* apud Ordericum Vitalem memoratur.

& habitus.

179. Ad monaſticum habitum quod attinet, cum etiam Epiſcopis Monaſticen priùs profeſſis penitus abjicere religio erat jam inde à ſæculo v. Eorum exemplo cùm Gallicani Epiſcopi nonnulli, monaſticæ profeſſionis expertes, eumdem habitum ſuſcepiſſent; eos ab hac novitate revocare tentavit Cæleſtinus Papa I, ſcriptâ epiſtolâ ad Epiſcopos provinciæ Viennenſis & Narbonenſis, in qua hæc verba. *Unde hic habitus in eccleſiis Gallicanis, ut tot annorum tantorumque Pontificum in alterum habitum conſuetudo vertatur? Diſcernendi à plebe vel ceteris ſumus doctrinâ, non veſte; converſatione, non habitu; mentis puritate, non cultu. Nam ſi ſtudere incipimus novitati, traditum nobis à Patribus ordinem calcabimus, ut locum ſupervacuis ſuperſtitionibus faciamus.* Iſtius autem novitatis originem ad Epiſcopos ex Monaſteriis aſſumtos refundit, eoſque ex obliquo reprehendere videtur his verbis. *Sed non mirum, ſi contra eccleſiaſticum morem faciunt, qui in Eccleſia non creverunt, ſed alio venientes itinere, ſecum hæc in Eccleſiam, quæ in alia converſatione habuerant, intulerunt.* Neque tamen hic uſus adeo novus inſolenſve erat, ut non aliquando uſitatus; aut verò ita Cæleſtini litteris caſtigatus, ut in deſuetudinem ſubinde mox abierit. Nam (ut hîc Orientalium ex Monachis Epiſcoporum vetuſtiſſima exempla prætercam) S. Martinus Turonum Epiſcopus, Cæleſtino ſuperior, in epiſcopatu *idem conſtantiſſimè perſeverabat, qui priùs fuerat; eadem in corde ejus humilitas, eadem in veſtitu ejus vilitas erat.* quod etiam de ejus diſcipulis ad epiſcopatum promotis credere par eſt. Et poſt Cæleſtinum S. Germano Autiſiodorenſi, tametſi nuſquam Monachus extitiſſet, *indumentum cuculla & tunica indiſcretis fuêre temporibus.* Procedente porro tempore adeo hic uſus invaluit penes Epiſcopos ex Monachis, ut Ravennates litteras hac de re ſcripſerint ad *Carolum juniorem*, id eſt Calvum, conqueſti, quòd Monachi ad cathedram Ravennenſem provecti, *ſcapulare* monaſticum retinerent: illi verò cenſebant melius eſſe, *ut* Epiſcopi omnes *uniformi ſacerdotalis veſtis æqualitate commune miniſtrandi Eccleſiæ miniſterium ſortirentur, quàm amictu ſub honore pontificatûs pallio ſingulari, ab utriuſque ordinis, ſingularitatis ſiquidem & epiſcopalis, profeſſione, vita & moribus diſcreparetur.* His litteris Hincmarus Remenſis juſſu Caroli reſponſum dedit teſtante Frodoardo. Et licèt ejus reſcriptum exciderit, eum tamen in gratiam

Monachorum ſententiam tuliſſe credere licet. Fortaſſe ſimilis occaſio fecit, ut in octava Synodo generali, quæ anno DCCC LXIX Conſtantinopoli celebrata eſt, ſtatutum ſit ultimo loco, *ne Monachi ad epiſcopatum aſſumti, monaſticum habitum deponant.* Id quod ratum habuit Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III, ubi Epiſcopis præcipitur, ut in eccleſia ſuperpelliceis induti ſint, *niſi Monachi fuerint, quos oportet deferre habitum monachalem.* At ſingulare eſt hanc in rem S. Remberti Bremenſis Epiſcopi exemplum, qui cùm amplexandi monaſtici inſtituti voto aliquando ſe obſtrinxiſſet, ſtatim atque ordinatus fuit Epiſcopus, *communicato cum Pontificibus qui ipſum conſecrarant, conſilio, ad novæ Corbeiæ Monaſterium properans, illius profeſſionis habitum ex integro ſuſcepit. Converſationis autem illius profeſſionem ita fecit, ut converſationem ſuam, & ſtabilitatem morum ſuorum, & obedientiam ſecundùm Regulam S. Benedicti exhiberet, quatenus labores & occupationes ſuſcepti epiſcopatûs permitterent*, ut fuſiùs hîc in ejus Actis legitur.

180. Neque verò ſolùm Epiſcopi, ſed etiam Pontifices Romani eadem religione tenebantur. Sanè de Gregorio Magno id intelligimus ex Johanne Diacono in lib. 4 cap. 80, ubi agens de ſanctiſſimi Pontificis elevatione corporis, innuit cum ipſo inventum non ſolùm pallium & phylacteria, ſed etiam baltheum, qui *ſpeciem propoſiti regularis olim à S. Benedicto ſtatuti manifeſtat.* Conſimili more Fulgentius Ruſpenſis Epiſcopus ex Monacho, *orario ſicut Epiſcopi numquam utebatur, ſed pelliceo cingulo tamquam Monachus.* Et de Eugenio Papâ III ita legimus in lib. 2 de vita S. Bernardi cap. 8. *Adhærebat carni ejus lanea tunica, & diebus ac noctibus cucullâ veſtitus ſic ibat, & ſic cubabat: intus Monachi habitum retinens, extra ſe Pontificem & moribus & veſtibus exhibebat: rem difficilem agens, diverſarum in uno homine proprietatem exprimens perſonarum.* Nimius ſim, ſi cuncta ejus argumenti exempla perſequi velim: ſed tamen hoc loco præterire non poſſum decretum Inſtitutorum Ciſtertienſium, in quorum cap. 59 hæc leguntur. *Epiſcopi de Ordine noſtro aſſumti conſuetudinem noſtram tenebunt in qualitate ciborum, in forma indumentorum, in obſervatione jejuniorum, in officio horarum regularium: excepto quòd mantellum de vili panno & pelle ovina, & pileum ſimilem aut ſimplicem habere poterunt qui voluerint. cum quibus tamen rebus clauſtra noſtra minimè intrabunt, nec conventibus noſtris intererunt propter diſſimilitudinem.* Cæſarius Heiſterbacenſis ejuſdem Ordinis Monachus idem aſſerit, nempe *ad quodcumque officium, ad quantamcumque dignitatem, ſive ſit Epiſcopatus, vel Patriarchatus, vel Papatus*, Ordinis ſui perſonæ eligantur, *non licere eis habitum deponere; ſed regulariter vivere, regulariter pſallere & manducare* ipſas teneri. Unde in variis Capitulis generalibus ſæculi XIII arguuntur nonnulli Ciſtertienſium Epi- *Cæſar. homil. Dom. 3 poſt Pent.*

M iij

ſcopi, quòd à regulari habitu & victu deſciſcerent; & ſi facta in poſterum non emendent, Ordinis ſocietate privati denuntiantur.

181. Ad eumdem morem, ut id obiter obſervem, Canonici qui ad monaſtica vota convolabant, ſi quando in eccleſias ſuas reverterentur, cucullam deinceps ad memoriam geſtabant ex Urbani II decreto. Unde Gaufridus Vindocinenſis lib. 2 epiſtola 7 ad Ivonem, Ernaldum Carnutenſem Decanum monaſtico Ordini vindicabat *teſte floccello. Domnus Ernaldus*, inquit, *quem Decanum veſtrum dicitis, ſi ſibi ſecundùm juſtitiam placuiſſet, teſte floccello de capite ſuo, potiùs in noſtra, quàm in veſtra ſorte manere debuiſſet. Memorialem cucullam* appellabant Canonici regulares, ex quibus ſi aliquis abſque Abbatis permiſſu ad Monachos recepiſſet ſe ſe, & poſtea revertiſſet, is ultimus in choro ſtare, & *memorialem cucullam* deferre tenebatur, ut eruditiſſimus Cangius in Gloſſario obſervavit. Hanc obſervationem finiet epiſtola Nicolai Papæ I ad Egilem Senonenſem Electum, cujus elogium hîc relatum huic maximè obſervationi occaſionem præbuit. *Tuum, Frater cariſſime, propoſitum obſerva: & qui diu in Monaſterio moratus es, à priſtino voto divertere noli. Quod enim diu in humili habitu cuſtodiſti; profectò indecens eſt, ſi in potiori poſitus dimiſeris ordine, hoc ipſum ſanctâ quoque Scripturâ, venerandiſque decretis pleniter edocentibus.*

Urban. II 19 q. 3 Mandamus.

182. Et quandoquidem huc devenimus, quædam advertere juvat de mitra Epiſcoporum, quam alii *cidarim*, alii *laminam* vocant. Ejus uſum omnibus ac ſingulis Epiſcopis non fuiſſe communem intelligitur ex privilegio Leonis Papæ IV Anſchario Hammaburgenſi Pontifici conceſſo, in quo ipſi ejuſque ſucceſſoribus præter uſum pallii, tribuit *ornari caput ejus mitrâ, portari ante ipſum crucem.* quod argumento eſt, id non cuivis Epiſcopo citra privilegium licuiſſe. Certè Trajectenſes ad Rhenum Epiſcopi, ſaltem à ſæculo octavo ad duodecimum, non uſi ſunt mitrâ, ut teſtatur Johannes à Leidis, & poſt eum Johannes de Beka. Nam relata Danorum ſtrage, hæc ille ſubdit in Chronici Belgici lib. 4 cap. 2. *Quapropter eccleſia Trajectenſis cum ſua diœceſi ſpoliata, tam egeſtuoſa facta eſt, ut contra Archiepiſcopum Colonienſem viſitare curiam Romanam, ac proſequi non valebat pro archiepiſcopali benedictione: & ipſi Trajectenſes paupertate compulſi ſunt accipere ſimplicem benedictionem ab Archiepiſcopo ſuo proximiori; & quemadmodum Abbates, longo tempore Miſſam celebraverunt ſine infula, id eſt mitra epiſcopali, uſque videlicet ad tempora Eodualdi* * *Epiſcopi, de quo dicitur inferiùs in libro ſexto-decimo.* Quod Auctor iſte rejicit in Trajectenſis eccleſiæ inopiam, id ego referendum puto in antiquum morem, quod non omnibus citra privilegium Epiſcopis mitræ uſus olim competeret. Et quidem Alexander

Mitra Epiſcoporum.

* *l.* Godevaldi

Papa III Godewaldo Epiſcopo Trajectenſi hunc uſum impertit quaſi gratuito, ut apparet ex ejus litteris ab eodem Auctore relatis in lib. 16 cap. 10. *Epiſcopalem*, inquit, *mitram tibi tuiſque ſucceſſoribus deferendam concedimus.* Deinde neque in Ordine Romano diſertè, nec apud Amalarium aut Rabanum, nec in vulgato Alcuino de divinis Officiis, ubi de ordinandis Epiſcopis, ulla mitræ mentio habetur. Præterea *omnes Orientales Prælati anulis & mitris pontificalibus non utuntur, ſed baculos paſtorales portant in manibus*, ut legitur in epitome bellorum ſacrorum apud Caniſium tomo 6, & apud Jacobum à Vitriaco in Hiſtoriæ Orientalis cap. 78. *tametſi Abbates & Priores Patriarchæ Jeroſolymitano ſubjecti, mitras, anulos & ſandalia in uſu habent.* Poſtea tamen Alexander Papa IV Patriarchæ Jeroſolymitano, Apoſtolicæ ſedis Legato, *propter honorem locorum dominicorum* indulſit uti inſignibus Papæ convenientibus *in Cypri & Armeniæ regnis, Principatu Antiochiæ, partibus Syriæ, & inſulis ſeu provinciis adjacentibus, & in omni parte Orientali*, ubi legationis officium exercebat. quod nullus alius Legatus ſibi tribuet, niſi fuerit S. R. E. Cardinalis, ut legitur in regiſtro Epiſtolarum papalium, cujus copia à V. Cl. Antonio Wione Herovallio mihi facta eſt. Res tamen longè aliter habuit apud Latinos, apud quos Epiſcopi non pauci ante omnem hominum memoriam mitrâ uſi ſunt, ut teſtantur veteres non ſolùm icones, ſed etiam auctores. Nam S. Liudgerus mitrâ perpetuò uſus memoratur: & in Ordine Romano præſcribitur, ut dum canitur Evangelium, neque *coronam*, neque aliud operimentum ſuper capita habeant Epiſcopi. ubi coronæ nomine mitram intelligi veri ſimillimum eſt. Certè Gillebertus Lunicenſis Epiſcopus in epiſtola ad Epiſcopos Hiberniæ apud Uſſerium, & Bruno Signienſis in libello de conſecratione eccleſiæ mitram inter epiſcopalia ornamenta referunt deſinente ſæculo XI, quo ferè tempore Leo Papa nonus Eberhardo Trevirenſium Archiepiſcopo *Romanæ* mitræ uſum concedit *pro inveſtitura ipſius Primatûs.*

183. Sed alia fuit Pontificum Romanorum, alia ceterorum Epiſcoporum mitra. Quippe Romanis ante Bonifacium Papam VIII in uſu erat mitra oblonga in acumen deſinens ad inſtar ſaccarei panis, qualis hactenus viſitur in lapidea S. Petri effigie ad portam baſilicæ S. Petri Corbeienſis, ab ipſius Monaſterii (ut videtur) origine, id eſt ab annis ampliùs mille erecta. Eamdem pontificiæ mitræ formam exhibet effigies Johannis Papæ XV apud Ughellum. At verò Epiſcopi mitra bicorni ſeu bifida, haud paullo quàm nunc humiliori ab antiquo uſi ſunt, qualem præfert S. Germani Pariſienſis Epiſcopi effigies ad majorem portam ejus baſilicæ in Monaſterio S. Germani à Pratis cum aliis poſita. Unde fortaſſis quis hæreat in explicando Theodulfi carmine, ubi de epiſcopali capitis ornamento ita canit.

Romanorum Pontificum.

Ital. ſacr. tom. 5 col. 1542.

Epiſcoporum bifida.

Theodulf. lib. 5 carm. 3 verſ. 610.

Aurea Pontificis cingebat lamina frontem,
Qua bis binus apex nomen herile dabat.

& infrà,

Illius ergo caput reſplendens mitra tegebat.

Ex quibus verſibus quadrifidam olim fuiſſe mitram Epiſcoporum nonnemo forſan colligeret. At numericum adverbium *bis* non cadit in adjectivum *binus*, ſed in verbum *dabat*, ita ut ſit ſenſus, *binus apex bis dabat herile nomen*, nempe jus (ut puto) quod vocant ſpiritale & temporale.

Cardinalium & aliorum.

184. Cardinalibus, etiam non Epiſcopis, mitræ uſum jam dudum conceſſum fuiſſe patet tum ex charta Compendienſi anni M CC XIV, cui appendent tria ſigilla Cardinalium, in his Guidonis tituli S. Nicolai in carcere Tulliano Diaconi Cardinalis cum mitra; tum ex litteris Gerardi Epiſcopi Sabinenſis & Benedicti S. Nicolai in carcere Tulliano Diaconi Cardinalis, anno M CC XC datis, quibus ob ſententiam inter Archiepiſcopum & Capitulum Remenſis Eccleſiæ ab ſe pronuntiatam decernunt, ut ſuæ amborum imagines argenteæ *pretii quingentarum librarum Turonenſium ad minus* fiant, ſupra majus altare ſingulis ſollemnibus feſtivitatibus exponendæ; *& amba ipſæ imagines ſint mitratæ*. Quin etiam Archidiaconus Pictavenſis in Gallia, referente Matthæo Pariſio, cùm lis inter Epiſcopum Lincolnienſem & Robertum Abbatem S. Albani de ornamentis Abbatum pontificalibus aliiſque rebus verteretur, dixiſſe fertur in gratiam Abbatis: *Meus Vicarius in eccleſia beati Hilarii incedit mitratus in omnibus præcipuis anni ſollemnitatibus; nec derogat mitra epiſcopali dignitati.*

Matth. Pariſ. in Roberto Abbate 18 p. 52.

Epiſcopi ordinandi delatio per Epiſcopos.

185. Porro apud Gallos olim mos erat, ut Epiſcopum ſtatim ab ordinatione ſua *ſoli Epiſcopi in ſella aurea ſurſum elevarent, & manibus portarent intra oratorium.* quod Compendii factum in ordinatione Wilfridi Archiepiſcopi Eboracenſis Stephanus Eddius commemorat in cap. 12. Hunc morem indicat Ordo Romanus mſ. quem habemus ex Monaſterio Vindocinenſi: in quo legitur, electum Epiſcopum poſt editam Fidei profeſſionem reduci in ſacrarium; indeque cambagis, ſandaliis & dalmaticâ ab Archidiacono indutum, ab Epiſcopis duobus caſulis indutis juxta altare deportari. Ad alia progredior.

Baptiſmus per ſuperfuſionem.

186. De Baptiſmo notandus eſt locus in Vita S. Liudgeri auctore Altfrido, ubi infantuli baptizandi benedictâ aquâ intincti vel ſuperfuſi fuiſſe dicuntur. Ex quo intelligitur, Baptiſmum per ſuperfuſionem aliquibus in locis jam tum obtinuiſſe. quod tamen prohibet Concilium Celichitenſe ſub initium ſæculi IX his verbis cap. 11. *Sciant Presbyteri quando ſacrum baptiſma miniſtrant, ut non effundant aquam ſanctam ſuper capita infantium; ſed ſemper mergantur in lavacro.*

levacro. Et tamen Stephanus Papa II in reſponſione 12 ad interrogata Gallorum Brittaniaci edita, pronuntiaverat licere *per neceſſitatem cum concha aut cum manibus infanti in infirmitate poſito aquam ſuper caput fundere, & ſic baptizare.* Trinam autem merſionem etiam erga ejuſmodi infantes in Galliis obſervatam fuiſſe diſcimus ex Stephani Tornacenſis epiſtola 5, ubi *undaizandi* vocabulo utitur. Et Cyprianus in ſimilibus factis baptiſmum ex ſuperfuſione non improbat in epiſtola ad Magnum. Id verò etiam ad ſanos traductum Carolo Magno imperante teſtatur Auctor de Separatione veteris Romæ à Græcis apud Allatium: qui Auctor hunc morem per Arrianos & Apollinariſtas Romæ vulgatum fuiſſe refert, haud ſcio an ſatis probabili fide. Trinam porro merſionem contra unicam Hiſpanorum propugnavit Alcuinus epiſtola 39, eaque adhuc in uſu erat ſæculo XIII, ut auctor eſt Jacobus à Vitriaco in Hiſtoriæ Occidentalis cap. 36. immo etiam ſæculo XV ex Eraſmi Ἰχθυοφαγίᾳ. Hîc ex occaſione memorandum venit factum cujuſdam Nortmanni, qui baptiſmum ſe ſuſcepturum fictè profeſſus eſt, *dum tamen manibus nobilis Ramnulfi Comitis ſacro levaretur à fonte. quod ſanè illum expetiſſe pro munificis (ut ea gens aſſolet) arbitrari non eſt dubium albis,* ut legitur in libro mſ. de miraculis S. Hilarii Epiſcopi Pictavenſis. *Ergo ſic baptizatus, albiſque admodum cupidè deſideratis indutus, dum limen eccleſiæ, ubi Hilarius requieſcit, pedibus attigiſſet, licèt magna cælo ineſſet ſerenitas, ſubitò ſurgente turbine venti chriſmalis veſtis ab ejus capite divellitur.* Ex quo intelligitur, albas illas veſtes, quæ chriſmales itidem dicebantur, admodum pretioſas fuiſſe. tametſi paſſim lineæ aut ex cannabe erant. Hîc ex occaſione juverit obſervare locum de Baptiſmo Sabbati ſancti ex mſ. Pontificali Benigniano, ubi baptizandi à reddita Symboli confeſſione *Reddentes* mihi videntur appellari in hæc verba: *Oratio in Sabbato ſancto Paſchæ ad* REDDENTES. *dicit Domnus Papa poſt* PISTEUGIS. Ubi legendum videtur πιστεύω εἰς. quæ ſunt prima Symboli Græci verba.

Allat. de conſenſ. utriuſque eccleſ. lib. 2 c. 6 n. 3

187. Non perfunctoriè legendus videtur locus ex Vita S. Willelmi Monachi Gellonenſis, qui *ſacris altaribus hanc ſervabat reverentiam, priuſquam ſumturus iret Chriſti Euchariſtiam, etiamſi eſſet hiems aquas glacie perſtringens,* ut *aquis perfunderetur.* Eadem conſuetudo pleroſque alios tenuit, ut in diebus ſollemnioribus balneorum uſu corpora ſua purgarent, haud dubiè ob reverentiam ſacræ communionis. qua de re legenda Menardi obſervatio in cap. 55 Concordiæ Regularum. Quam ob rem Amatus Abbas Habendenſis *balnearum fomentis bis tantum utebatur in anno, ante ſanctum videlicet Domini natalis diem, ejuſque ſacræ reſurrectionis Paſcha.* tametſi nonnulli alii à balneis prorſus temperantiæ causâ abſtinebant. A poſtremis illis longè diſſidebat S. Wilfridus, qui referente Eddio Stephano in

Balneum ante communionem.

ejus Vitæ cap. 20, *corpus in aqua benedicta & ſanctificata nocturnis horis indeſinenter æſtate & hieme conſuetudinariè lavabat* caſtitatis ergô, *uſquedum Papa Apoſtolicæ ſedis beatæ memoriæ Johannes pro ætate ſua hujus laboris reſolutionem habere præcepit.* Affine huic exemplum eſt, quod tradit Willelmus Malmeſburienſis de S. Aldhelmo Epiſcopo Schireburnenſi, itemque de Daniele Occidentalium Saxonum Pontifice, quorum prior, *ut vim rebelli corpori conſciſceret, fonti, qui proximus erat Monaſterio, ſe humero tenus immergebat. Ibi nec glacialem in hieme rigorem, nec æſtate nebulas ex locis paluſtribus halantes curans, noctes durabat inoffenſus.* ..... *Fons ille de nomine Sancti dictus.* Alter verò *in alia parte urbis in fonte*, qui idcirco *Danielis dicitur, cæleſtes noctibus ducebat excubias.*

Monaſticæ veſtes ſtatim ab ingreſſu Monaſterii ſine profeſſione.

188. Aliud item de Willelmo Duce ſuperiùs memorato venit obſervandum, nempe eum ſtatim ab ingreſſu Monaſterii religioſis veſtibus inſignitum fuiſſe, contra quàm Regula S. Benedicti, & Synodus Aquiſgranenſis præſcribunt. Idem de Benedicto Anianenſi non obſcurè innuit Ardo. tametſi paſſim monaſticus habitus nonniſi poſt decurſum probationis annum tribueretur. Qui priori modo religioſis veſtibus mox induebantur, non ſtatim monaſticis inſtitutis addicti erant, niſi expreſſa Regulæ profeſſio acceſſiſſet. Id perſpicuum fit ex Actis S. Liudgeri Epiſcopi, qui licèt in Caſinenſi Monaſterio duos annos & dimidium, ut Monachus ſub monaſticis veſtibus deguiſſet, *cucullam tamen poſtea portare deſiit, eo quòd promiſſionem obſervationis Regulæ Monachorum non fecerat.* Et Gundramnus Diaconus Rabani nepos, etſi à puero inter Fuldenſes Monachos educatus, tamen quia *ligatus* non erat monaſticis votis, ad ſæculum rediit, ut in ſancti Soli Vita legitur. Longè recentius exemplum habemus in Wladiſlao Caſimiri Evinacenſis Ducis filio, qui in Monaſterio S. Benigni *per aliquot annos ut converſus manſit, nulla tamen inibi regulari profeſſione emiſſa.* Teſtes hac de re ſunt in Spicilegii tomo 7 Clementis Papæ V litteræ, Wladiſlao mandantes, ut monaſtico habitu abdicato ad ſuſcipiendum Poloniæ regnum concedat, quòd *numquam firmum propoſitum habuerit in aliquo regulari Ordine remanendi.*

Alii cum profeſſione.

189. Contra verò alii nulla facta probatione, ubi admiſſi erant in Monaſterium, ſtatim cum monaſtica veſte Regulam profitebantur, neque repetendi ſæculi facultatem habebant. quod maximè locum habuit in iis, qui ut Abbates fierent, Monachum induebant. Eorum in numero venit Probus apud Gregorium Magnum, ex ſæculo raptus ad regimen Monaſterii Andreani: & Anſelmus Nonantulæ Abbas, ſimulque Monachus à Stephano Papa III inſtitutus eſt, ut teſtantur pontificiæ litteræ, in quibus Anſelmus à Stephano poſtulaſſe dicitur, ut ipſum *per benedictionem protinus ſuis*

manibus conſecraret Abbatem, & cucullâ indueret ſecundùm Regulam S. Benedicti. Ante eos idem contigit de S. Germano Pariſiorum Epiſcopo, qui cùm Presbyter eſſet eccleſiæ Æduenſis, factus eſt Abbas S. Symphoriani, ſimulque Monachus. ſiquidem *adeptus gradum curæ paſtoralis*, teſte Fortunato, *de reliquo Monachus perſiſtebat.* Idem etiam de S. Leodegario Abbate Cœnobii S. Maxentii, dein Epiſcopo Æduenſi. Quin etiam Abbates ſæculares nonnulli, cùm Monaſterium ſuum Monachis orbatum, in priſtinum ſtatum reſtituere vellent; & ipſi vitam monaſticam capeſſebant. Ejus rei exempla habemus in S. Othmaro Sancti-Gallenſi Abbate, itemque in Sigulfo Abbate Ferrarienſi, tum etiam in Aureliano Abbate primùm Athanacenſi, dein Lugdunenſi Archiepiſcopo, aliiſque non paucis. Sed præ ceteris inſigne eſt factum Mettenſium Clericorum, qui in Gorzienſe aſceterium Monachis pæne vacuum juſſu Adalberonis tranſlati, cùm *in veſtibus Clericorum* aliquamdiu inceſſiſſent; more monaſtico electionis de ſibi præficiendo Patre facultate petita & accepta, *cum inſtitutione vitæ regularis habitum quoque Monachi commutarunt: unoque voto & pari ſententia domno Einoldo ab omnibus exclamato, ipſe primus omnium Epiſcopo regularem converſationem ex inſtituto beati Benedicti ſcripto profeſſus, cucullo induitur: ſequentes Abbati ex ordine profitentes, in militiæ cæleſtis & obedientiæ ſacramenta ſub ipſo omnes ſimiliter pari modo conjurant.* His adjungendus eſt S. Rembertus Bremenſis Antiſtes, qui cùm monaſticæ religioni nomen dare aliquando ſtatuiſſet, mox ut fuit Epiſcopus ordinatus, ad Saxonicum Corbeiæ novæ Cœnobium acceſſit, ibique monaſticis indutus veſtibus, ſervandæ regulæ votum emiſit, ut ſuperiùs obſervatum eſt. *In Vita S. Johan. Gorziæ Abb.*

190. Duplicis ejus generis hominum, qui veſtes monaſticas ſuſcipiebant, diſcrimen repeti debet ex eorum animo ſeu voluntate: propterea quòd alii cum firmo perſeverandi propoſito, alii ſolo probationis animo in Monaſteria ſecedebant. Primis illis, ſiquidem tanta inerat morum, ætatis ac judicii gravitas, ut de eorum perſeverandi propoſito nulla poſſet ſupereſſe ſuſpicio, ſtatim profitendi copia concedebatur; aliis annua probatio erat ſubeunda. **Diſcriminis ratio.**

191. Priorem ob cauſam, hi qui in extremis poſiti pænitentiæ causâ religioſis veſtibus induebantur, in profeſſorum cenſebantur numero, ſi poſtmodum ex morbo convaluiſſent. Nam publica illa pænitentiæ proteſtatio coram Deo irrita fuiſſet, niſi ſæculo nuntium remittendi firmus acceſſiſſet animus: ideoque his citra apoſtaſiæ culpam ad ſæculi vota denuo redire nefas erat. Id patet maximè ex Orderico Vitali, qui de Adelardi Presbyteri poſt ſuſceptum in morbo habitum recuperatamque ſanitatem reditu in ſæculum **Habitus & profeſſio monaſtica in extremis.**

agens, eumdem, cùm mortem ſibi imminere cerneret, æterna *propter apoſtaſiæ reatum* ſupplicia metuiſſe, ob idque Mainerio Uticenſi Abbati ſupplicaſſe, *ut habitum S. Benedicti, quem peccatis ſuis facientibus reliquerat, ſibi redderet.* Nihil verò luculentius huc afferri poteſt, quàm Petri Damiani teſtimonium, qui hoc argumentum fusè ac ſolidè pertractavit in opuſculo 16 ad Giſlerium Epiſcopum Auximanum. Is inaudierat quemdam Epiſcopum hanc opinionem ſpargere in vulgus, nimirum licere iis qui monaſticum habitum in morbo extremo appetiſſent, ad ſæcularem vitam, ſi revaluiſſent, denuo reverti. Ea res Petro tanti viſa eſt, ut eam detulerit ad Pontificem Romanum, & Guidonem Numanatem Epiſcopum, qui ejus inventi auctor ferebatur, durè increpuerit. Sed eo pernegante, opuſculum condidit in Epiſcopum anonymum, ſiquidem auctor ignotus erat, validiſque argumentis probavit ejuſmodi hominibus non licere remeare in ſæculum. Quippe *tanta veneratione, tantâ cuſtodia cenſurâ monachicum habitum ſancti Patres dignum eſſe cenſuerunt, ut pæne quocumque modo illum quis indueret, relinquendi poſtmodum licentiam non haberet.* neque ad hoc neceſſariam eſſe annuam probationem. *Non enim jam probatio expedit, ubi qui probandus eſt, perſpicaciter innoteſcit: ſed is de cujus mente quo ſpiritu ducatur ambigitur, valde neceſſarium eſt ut probetur.* Et ſicut baptiſmus nonniſi poſt longa ſæpiuſque iterata ſcrutinia olim collatus; validus tamen cenſebatur, ſi cui *poſtpoſitâ moroſæ intercapedinis obſervantiâ* repentè conceſſus fuiſſet: ita de ſecundo (quem vocat) baptiſmo; ſcilicet de monaſtica profeſſione, ſtatuendum eſſe: ut *ſicut prior ſemel receptus nullatenus valet repeti, ita etiam ſecundus nulla poſſit juris ratione contemni.* Conſule Allatium in lib. 3 de utriuſque Eccleſiæ conſenſione cap. 16 à num. 10.

Exempla Imperatorum. *Præfat. Sæculi* 1 *num.* 105.

192. Præter ejus facti exempla à me relata in Sæculi 1 præfatione, alia id genus ſexcenta apud veteres occurrunt. At nullum illuſtrius, quàm Lotharii Imperatoris, qui morbo correptus, *vitamque deſperans, Monaſterium Prumiæ in Arduenna conſtitutum adiit, ſæculoque & regno penitus abrenuntians tonſus eſt, vitam habitumque Monachi humiliter ſumens: & diſpoſito inter filios regno, intra ſex dies vitâ deceſſit.* Sunt qui id ab illo factum memorant, ut paternæ vexationis, cujus ipſe conſcius fuerat, pænitudinem teſtaretur. Lege ſis verſus elegiacos de ejus obitu apud Baronium, qui verſus Henrico tertio à nonnullis perperam tribuuntur. Lotharii exemplum ſecuti ſunt quoque Orientis Imperatores non pauci: quos inter Iſaac Comnenus, cùm quibuſdam Monaſteriis multas poſſeſ-
„ ſiones ademiſſet, fulmine percuſſus, ad placandum ſibi Deum am-
„ plexus pænitentiam, monaſticæ vitæ ſe dedicavit in Studii aſcete-
„ rio: ubi aliquamdiu ſuperſtes, omnem præſtitit Monaſterii Præ-

fecto obedientiam, ita ut janitor eſſet, & alia miniſteria obiret, «
teſtante Johanne Curopalata. Manuelis Comneni par facinus, nec
pænitentia diſpar. Is enim in eccleſiarum opes injecta manu, etiam
Nicephori Phocæ de non augendis Monaſteriorum latifundiis ſan-
ctionem, olim abolitam, edicto ſuo revocavit: ſed poſtea quaſi
reſipiſcens, edidit auream bullam, quæ & Medicatrix dicta eſt, ut- *Leunclav.*
pote quæ medeatur titulis & juribus omnium eccleſiarum; juſ- *de jure*
ſitque inſuper, ut eccleſiarum & Monaſteriorum immobilia inta- *Græco-Rom. p.*
cta eſſent à manu fiſci; eorumque titulis, etiam ſuſpectis, robur 149 &
& auctoritatem diplomate ſuo conciliavit; ac tandem cùm ſe ad 156
exitum urgeri intelligeret, cum alto ſuſpirio femur percuſſit, & « *Nicet.*
monaſticum habitum poſtulavit; & confeſtim nigro, qui ex tem- « *Chon. lib. 7.*
pore occurrit, panno indutus exſpiravit. Denique (ut ceteros
interim prætercam) Johannes Briennius Rex Jeruſalem extre- *Raynald.*
mos ſpiritus Deo conſecravit in habitu Minorum. Neque verò *ad ann.*
laïci tantùm, ſed etiam Epiſcopi id genus pænitentiæ ſubire non 1239.
indignum ducebant. Inter primos occurrit Paulus Conſtantinopo- & Epiſcopotum.
litanus Patriarcha ſanctiſſimus, *qui valde infirmatus thronum reliquit, & deſcendens ad Monaſterium Flori*, monaſticum ſuſcepit habitum.
id quod anno DCC LXXXIV contigiſſe docet Theophanes. In Occidente hic etiam uſus abiit in morem. Nam Hugo & Rotbertus Autiſiodorenſes Epiſcopi, ad morbi extrema redacti, monaſticum habitum induerunt, uti & Bernardus Hildesheimenſis. Item Rotbertus Lingonenſis Pontifex graviſſimo correptus morbo, *humiliter ſe in conſpectu Dei accuſans, & veniam peccatorum expoſcens, à Domino Widone Moliſmenſi Abbate monachilem habitum ſuſcepit*, acceptoque Viatico vitam finivit, ut ex Chronico Beſuenſi diſcimus. Alia id genus complura prætereo. Vigebat adhuc iſte uſus ſæculo XIV, ut varia paſſim Monaſteriorum Tabularia & Necrologia teſtantur, à quibus referendis abſtineo, Thomam dumtaxat Cantipratenſem ſæculi XIII teſtem luculentum adducturus. Hic igitur in lib. 2 cap. 51, *Quoniam*, inquit, *multi ſunt qui ad religionem in morte confugiunt, quid eis habitus Ordinis valeat in ultima neceſſitate ſuſceptus, dubitare plurimi voluerunt.* quam dubitationem ille ſubjecto exemplo refellit. Qui hoc modo Monachum induebant, dicebantur *Monachi ad ſuccurrendum*, qua de re in Sæculi tertii Præfatione *Præfat. t.*
actum eſt. Ad eumdem modum qui in extremis alicui conferebatur, *Sæculi 3*
Baptiſmus ad ſuccurrendum appellatur in mſ. Rituali Monaſterii *num. 21*
S. Johannis Laudunenſis. Huc pertinet Odonis Cantuariæ Mona- *Tom. 1*
chi ſermo de S. Benedicto, in quo hæc legimus. *Hinc eſt quòd ad* *Veter.*
eum omnes gentes, nationes, tribus & linguæ benedictionum ejus accipien- *Anal. p.*
darum gratiâ currunt: adeo ut ipſi deriſores, qui huic religioni in vita 358.
ſua detrahunt, in morte tamen abſque hujus religionis habitu, ſcilicet cu-

culla, ſaltem ad ſuccurrendum, ſecuri eſſe non audeant. Jam nobis, quibus non tam ſeria eſt, quàm ſera pænitentia, bellè religioſi videntur, qui corpus ſuum poſt mortem religioſo habitu involvi poſtulant. quæ ſanè forma mortuis aptè convenit, alia viventibus. Quamquam id etiam demortuis prodeſſe quidam ſæculo IX apud Græcos perſuadere conati ſunt: quos refellit Theodorus Studita in epiſtola ad Theoctiſtum Eremitam.

V. Allat. de utriuſque Eccleſiæ conſ. lib. 3 c. 16 num. 15.

Hujuſce ritus origo.

193. Hujus pænitentiæ originem refero ad antiquum morem, ſecundùm quem Fideles nonnulli peculiari inſtinctu, in extremis perpetuæ (ſi ſanitas integraretur) pænitentiæ devovebant ſe ſe. Ex his neſcio an unus fuerit Marcus Referendarius, qui teſte Gregorio Turonenſi Epiſcopo, *poſt congregatos de iniquis deſcriptionibus theſauros ſubito lateris dolore detentus, caput totondit, atque pænitentiam accipiens, ſpiritum exhalavit.* Hujuſmodi pænitentiæ explicatior habetur notitia in Conciliis Toletanis tertio & quarto. Et in quarto quidem ita ſtatuitur cap. 12. *Quicumque ab Epiſcopo vel Presbytero ſanus vel infirmus pænitentiam poſtulat, id ante omnia Epiſcopus obſervet vel Presbyter, ut ſi vir eſt, ſive ſanus, ſive infirmus, prius eum tondeat:* aut (quod alia lectio addit) *in cinere & cilicio habitum mutare faciat, & ſic pænitentiam ei tradat. Si verò mulier fuerit, non accipiat pænitentiam, niſi priùs mutaverit habitum. Sæpius enim laïcis tribuendo deſidiosè pænitentiam, ad lamentanda rurſus facinora poſt acceptam pænitentiam relabuntur.* Qui ſic accepta tonſura & veſte pænitentiam profitebantur, ei perpetuò addicti erant; ut docet Concilii quarti Toletani caput 5. *Quicumque ex ſecularibus accipientes pænitentiam totonderunt ſe, & rurſus prævaricantes laïci effecti ſunt; comprehenſi ab Epiſcopo ſuo, ad pænitentiam ex qua receſſerant, revocentur. Quòd ſi aliqui per potentiam irrevocabiles ſunt, nec admoniti revertentur, verè ut apoſtatæ coram Eccleſia anathematis ſententiâ condemnentur, &c.*

Greg. Tur. lib. 6 cap. 28.

Wambæ Regis exemplum illuſtratum.

194. Erat ergo is pænitentiæ perpetuæ ſtatus, ſeu ordo, qualem ſubiit Wamba Veſigothorum Rex, veneno potatus: quem *cùm Epiſcopus & optimates vidiſſent abſque memoria jacentem, ſtatim ei confeſſionis & pænitentiæ ordinem dederunt. Cumque Rex à potione convaluiſſet, intelligens ordinem ſibi impoſitum, Monaſterium petiit, ibique quamdiu vixit, in religione permanſit.* Ita factum memorat Alfonſus Salamanticenſis Epiſcopus, quem non bene explicant alii Hiſpanici ſcriptores Rudericus Toletanus, & Lucas Tudenſis. Nam pænitentiæ & confeſſionis nomine unctionem ſacri olei, & communionem Chriſti corporis intellexit Lucas: Rudericus verò ait, Quiricum Epiſcopum & optimates, cùm viderent Regem memoriâ deſtitutum, ſtatim ei confeſſionis & pænitentiæ antidotum obtuliſſe, Regemque devotè ſuſcepiſſe, & religionis habitum poſtulaſſe, & ad Monaſterium convolaſſe in villa, quæ Panniſplica dice-

batur. Monaſterium S. Vincentii de Pampliega appellant. Sanè Regi neſcienti pœnitentiæ ordinem fuiſſe impoſitum, nec tum ſatis mentis ſuæ compotem exſtitiſſe, ut monaſticum habitum poſtularet, palam fit ex Alfonſo. Sed ut ad rem me referam, cùm ejuſmodi pœnitentes ſanitati reſtituti intelligerent, non niſi ægrè in ſæculo iſtud genus pœnitentiæ peragi poſſe; id demum Wambæ exemplo induxerunt animum, ut in Monaſteria perpetuò ſe retruderent: ac ſubinde ita mos obtinuit, ut non alius perpetuæ iſtiuſmodi pœnitentiæ habitus traderetur, quàm monaſticus, qui ſanè pœnitentiæ causâ inſtitutus eſt. Apud Hiſpanos porro CONFESSORES paſſim appellabantur, qui ſic pœnitentiam in extremis monaſtica veſte ſuſcepta profitebantur, ut ſcitè advertit in ſuo Gloſſario Cangius vir eximiæ eruditionis.

195. Non finiam has de monaſtico habitu Obſervationes, priuſquàm expoſuerim quemdam locum ex vita ſancti Walafridi Palatiolenſis Abbatis, qui Fratrem quemdam nocturnis vel meridianis temporibus *extra cucullam* jacentem, per viſum increpuit ceciditque. Ubi cucullæ nomine ſcapulare ſignificari non dubito: quo ſenſu uſurpatur apud Smaragdum in Regulæ caput 55. *Cucullam, inquit, dixit ille, quod nos modò cappam .·.·. quod verò dicit ſcapulare propter opera, nos modò dicimus cucullam.* Confer Theodemari epiſtolam ad Carolum Magnum. Hîc opportunè ad propoſitum noſtrum duplicem diſtinguit cucullam ſcriptor apologiæ Henrici IV Imperatoris. ita enim habet. *Cuculla dicitur veſtis cucullata propter cucullum, qui eſt capitis operimentum .·.·. Igitur cuculla eſt tunica talaris & cucullata atque manicata, habens ſpeciem crucis per quatuor partes extenſa, ut eum qui crucifixus eſt mundo, hac quadriga ex omni parte concludat.* Et poſt multa. *Sed quia otioſitas inimica eſt animæ; ideo propter opera tantùm conſtituit S. Benedictus alteram cucullam, quæ dicitur ſcapulare, & quòd ejuſmodi veſtis apta ſit caput tantùm & ſcapulas tegere. .·.·. Vidimus nos aliquando veſtem cucullatam, parvam quidem, ſed ita moderatam, ut deſuper uſque ad renes tantùm deflueret, & utrimque uſque ad humerorum confinia pertingeret. qualis certè forma atque menſura propriè dicitur ſcapulare, quod Monachis propter opera tantùm aſſignatur ex mandato Regulæ.* Hujuſmodi ſcapularis figura cernitur in Hiſtoria Fuldenſi apud Browerum, depicta ante annos octingentos. Cùm majorem cucullam geſtabant Monachi, breviorem ſeu ſcapulare deponebant, & vice verſa. Hanc ergo cucullam brevem ſeu ſcapulare ſemper in uſu habebat Eugenius Papa III ex dictis de more Ciſtertienſium, quibus cum cuculla & tunica jacere mos eſt, uti de ſuo tempore teſtis eſt Jacobus à Vitriaco in Hiſtoriæ Occidentalis cap. 14, & quidem ad Regulæ noſtræ præſcriptum; nec cucullam etiam in morbo urgente impune abjicere licuit Mona-

Cuculla & ſcapulare quid.

cho cuidam Ciſtertienſi, apud Thomam Cantipratenſem in lib. 1 cap. 7.

Abbatum poteſtas in rebus ſacris. *Thomaſſin Diſcipl. eccleſ. part. 4 p. 180.* Excommunicatio. *Tortar. infrà p. 398.* *Jonas in Vita S. Columb. n. 32.* *Baron. an. 795. ſub finem.* *Baron. an. 794.* *Spicil. to. 4 p. 580 & 581.*

196. In Abbatibus noſtris quamdam epiſcopalis auctoritatis portionem reſediſſe agnoſcunt eruditi, idque probant ex poteſtate conferendi eccleſiaſticam tonſuram, adeoque Ordines inferiores, in Tridentina Synodo conceſſa. Nonnumquam etiam excommunicare laïcos viſi ſunt, tametſi id quo jure fecerint, non ſatis liquet. De excommunicatione teſtis eſt Albericus unus ex primoribus Caſtellionis ſuper Lupam, qui cùm Floriacenſis Cœnobii prædium quoddam invaſiſſet, nec admonitus reſipuiſſet; ab Abbate Rainerio excommunicatus eſt, miſereque mortuo excommunicatio rogante ejus fratre ſoluta. Rem fusè refert in hoc tomo Rodulfi Tortarii liber de miraculis S. Benedicti. Longè antiquius eſt factum Columbani Abbatis Luxovienſis. Is quippe cùm Theodoricum Regem ab inſanis actis revocare non potuiſſet, litteras ad eum acribus verbis plenas direxit, *comminatus excommunicationem, ſi emendare dilatando non vellet.* Idem eamdemque ferè ob cauſam accidit Conſtantino Imperatori, quem ob repudiatam Mariam uxorem & Theodoten ſuperductam, Theodorus Studita anathemate perculit anno DCC XCV. Ubi obſervat Baronius, Theodorum non ita excommunicaſſe Imperatorem, ut quæ ſunt Epiſcoporum ſibi uſurparet jura: ſed ut eum ob flagitium à Deo ſeparatum exclamaret, indignumque quocum quis ſuorum communicaret. Certè Imperatoris ab ſe ſic excommunicati memoriam in ſacra liturgia faciebat ipſe Theodorus. Sed neque id irritam excommunicationem fuiſſe probat. quandoquidem Hadrianus Papa pro diſcipulis Felicis & Elipandi excommunicatis Miſſas celebrari non tantùm permittit, ſed etiam poſtulat apud Baronium. His præiverat Monachus ille in Tripertita hiſtoria, Theodoſio Imperatori excommunicationem inferre auſus: quam licèt temerariè inflictam adeo non contemſit piiſſimus Imperator, ut ſuadentibus licèt Epiſcopis cogi non potuerit, ut aliquid guſtaret, donec Monachus ille diu quæſitus ipſi permiſiſſet. Hujus Monachi facinus reprobat non ſolùm Tripertita hiſtoria, ſed etiam S. Odo Abbas in Collationum lib. 1. At neminem qui excommunicationem per Abbates factam, tamquam inanem refellerit, apud veteres invenio. Lege quæ de Gervino Abbate Centulenſi habentur in Spicilegii tomo 4. Ut autem ab aliis etiam rata haberetur excommunicatio per Abbates facta, eam ab aliis tum Clericis, tum Abbatibus proferri curabant. Id docet nos in primis Chartarium S. Bertini de villa Calvo-monte, quo in Chartario leguntur litteræ tum Hugonis Decani & Capituli Noviomenſis, rogatu Johannis Abbatis Bertiniani

niani excommunicantium Caſtellanum Godiciacenſem, ſi de advocatione ejus villæ Monachos deinceps infeſtaturus eſſet; tum Abbatum Goberti de Valchellis, Simonis de Laude, & Adami Aquicincti idem præſtantium an. Domini M CC I, apud Urſicampum. Adi Marloti tomum 2 de Metropoli Remenſi. Aliquando tamen excommunicationes illæ eſſe poterant ex eo genere, de quo loquitur pſeudo-Synodus Conſtantinopolitana, quam ſecundam & primam dicunt, decernens cap. 14, ut *ſi quis Epiſcopus Metropolitani crimen prætexens, ante ſynodalem cognitionem ſeipſum ab ejus communione ſubduxerit, & nomen ejus non, prout divini myſterii celebrationi eſt conſuetum, referat; depoſitus à Synodo ſit.* Idemque ſtatuitur de Preſbyteris, Epiſcopis & Metropolitanis adverſus Patriarcham. Longè probabilior excommunicandi modus deſignatus eſt à Benedicto Papa VII, Guillelmo Abbati S. Benigni præſcribente, ut Benignus Epiſcopus inibi Monachus factus invaſores bonorum Monaſterii excommunicaret. Apprimè huic loco Valeſius venerandi vir nominis apud eruditos, in Notis ad Euſebium pag. 136 duplicem diſtinguit excommunicationem, publicam & privatam : qualis eſt ea, quâ Macarius Preſbyter alios Preſbyteros excommunicaſſe dicitur.

Marlot. Metrop. Rem. lib. 2. c. 6.

197. De tonſura eccleſiaſtica per Abbates collata cùm egerim in Sæculi 3 præfatione, plura hîc dicere ſuperſedeo : ſed tantùm adduco decretum Concilii Pictavenſis anno M C celebrati, in quo ſtatuitur cap. 1. *ut nullus præter Epiſcopum coronas benedicere præſumat, exceptis Abbatibus, qui illis tantùm benedicant coronas, quos ſub Regula S. Benedicti militaturos ſuſceperunt*, ſeu *quos ad converſionem ſuſceperint*, ut legit Concilium Belvacenſe in Spicilegii tomo 2. Hinc eſt quòd Petrus Cellenſis Criſpinum Clericum ad Petrum Cardinalem accipiendæ tonſuræ gratiâ remittit. Attamen ſanctus Convoion Abbas Rotonenſis Ratwilum tyrannum tonſurâ collatâ *Clericum* feciſſe memoratur in lib. 1 de ipſius geſtis infrà, cap. 4. Poſtremò Abbas Preſbyter conſecratus, poterat ordinare Lectorem & Subdiaconum in ſuo Monaſterio, ex canone Nicephori Confeſſoris, ut notavit eruditiſſimus vir Johannes Baptiſta Cotelerius in notis ad Conſtitutiones Apoſtolorum. De Lectore idem habet canon 14 Concilii Nicæni ſecundi. Adi Tridentinum.

Tonſura per Abbates. *num. 21.*

in lib. 3. Conſtit. cap. 10. col. 217.

198. Singularis, ſed difficilis eſt locus in libro de vita S. Galli Abbatis, ubi S. Columbanus Luxovienſis Abbas eccleſiam dedicaſſe memoratur his verbis. *Beatus autem Columbanus juſſit aquam afferri, & benedicens illam, adſperſit eâ templum [ſanctæ Aureliæ;] & dum circuirent pſallentes, dedicavit eccleſiam: deinde invocato nomine Domini, unxit altare, & beatæ Aureliæ reliquias in eo collocavit, veſtitoque altari, Miſſas legitimè compleverunt.* Id tantùm habemus ex teſti-

Eccleſiæ dedicatio.

monio Walafridi, in rebus certè eccleſiaſticis peritiſſimi, ſed qui ducentis annis Columbano poſterior erat. Longè pluris eſſet Jonæ Monachi auctoritas, ſi de ea re locutus fuiſſet.

Oblatio puerorum.

199. De puerorum oblatione, à parentibus facta ex præſcripto Regulæ S. Benedicti, nata eſt ſæculo IX controverſia, an in poſterum irrevocabilis cenſeri debuiſſet. Quibuſdam contra ſuperiorum ſæculorum ſententiam, immo etiam contra Conciliorum & Pontificum decreta negantibus obſtitit Rabanus ſcripto libro ad Ludovicum Imperatorem, *contra eos, qui oblationem contra Regulam S. Benedicti deſtruere volebant*, teſtante Rodulfo in Vita Rabani. Hunc librum in forulis Mellicenſis Bibliothecæ hactenus detineri, nec à me obtineri potuiſſe jam aliàs dixi. Hujus porro contentionis occaſio nata videtur ex canone 23 Concilii Moguntini, anno DCCCXIII ita definientis, *ut hi qui hactenus inventi ſunt ſive in canonico, ſive in monaſtico ordine tonſurati ſine eorum voluntate, ſi liberi ſunt, ita permaneant: & deinceps cavendum, ut nullus tondeatur ſine legitima ætate & ſpontanea voluntate, vel cum licentia domini ſui.* Hoc tamen decreto non attingi impuberum oblationem à parentibus fieri ſolitam hac ratione exiſtimo, quòd illa non ſecus atque antè in Ordine noſtro poſt hoc Concilium viguit, ut teſtatur in primis Paſchaſius Radbertus in expoſitione Pſalmi 44 ad Sueſſionenſes B. Mariæ Sanctimoniales, ubi vocat eas *parentum vota*, quòd devotæ antequam in lucem ederentur, & in tenella ætate Deo à parentibus conſecratæ, monaſticiſque inſtitutis addictæ fuiſſent: nec Rabanus contra Concilii decretum, ſiquidem eam intellexiſſet ipſius eſſe mentem, haud dubiè ſcripturus fuiſſet. Itaque huc tantùm ſpectare videtur Concilii ſtatutum, ut pueris qui jam uſu rationis gaudebant, citra eorum voluntatem tonſura non conferretur; non verò ut ceſſaret filiorum à parentibus fieri ſolita oblatio. Sic Fuldenſes in libello ſupplici ad Carolum Magnum petunt, *ut nullus vi Monachus fieri cogatur, nec ad Clerum tondeatur, ſive liber ſit, ſive ſervus.* Hunc autem Concilii eſſe ſenſum inde inferas, quòd de Canonicis ex æquo & Monachis interpretandus ſit canon: cùm conſtet apud Canonicos ſæculares ejuſmodi oblationem non fuiſſe receptam, nec tonſuram apud eos collatam ante uſum rationis. Poſtea tamen paullatim uſus obtinuit, ut perſeverante etiam puerorum per parentes oblatione relaxata ſit pueris neceſſitas in Monaſterio permanendi, donec adulta jam ætate oblationem ſuam ratam habuiſſent. Udalricus auctor in Conſuetudinum Cluniacenſium lib. 3 cap. 8, ubi relata puerorum oblatione ejuſque ritu, ita ſubdit: *Poſtea induitur cucullâ, & de cetero benedictio ejus differtur uſque ad legitimam ætatem, id eſt, ſi non amplius, vel uſque ad quindecim annos ætatis.* Cur

enim illa puerorum benedictio dilata fuiſſet ad annum quintumdecimum, niſi ut propria eorum voluntas jam explorata haberetur? Propagatus eſt iſte uſus à Cluniacenſibus ad alios, tandemque jure novo ſancitus Clementis Papæ III & Cæleſtini item tertii auctoritate; cui tandem acceſſit Concilium Tridentinum.

200. Ad idem ſæculum revocanda eſt diviſio bonorum monaſterialium inter Abbatem & conventum, qualis in Monaſteriis S. Dionyſii & S. Germani apud Pariſios ab Hilduino Abbate regulari facta eſt. In cauſa fuit rapacitas quorumdam ſæcularium Abbatum, qui omnia Monaſterii ſibi commendati bona in uſus ſuos demum convertebant. Id ut ne in Monaſteriis ſibi ſubjectis aliquando fieret, Hilduinus Abbas hac partitione conſuluit, ut teſtantur litteræ hac de re ab eo confectæ. Ejuſdem argumenti eſt epiſtola 3 Frotharii Tullenſis Epiſcopi ad Ludovicum Imperatorem pro Monaſterio Mediolacenſi, diœceſis Trevirenſis, ubi tempore Fortunati Abbatis, juſſu Imperatoris, *Smaracdus ipſius Monaſterii Monachis portionem de Abbatia dederat, ut regulariter viverent.* Sed Hiſmundo Abbate hanc portionem ſibi vindicante, querelis ad Imperatorem delatis, Frothario promiſit Abbas ſe *per omnia emendare velle, quidquid hactenus negligenter ex ſua parte fuerat actum.* Monachis eo pacto, nec aliter aſſentientibus, *niſi illis portio ſua redderetur;* eoque pernegante, à Frothario Monachi poſtularunt, *ut illis licentiam daret ad Imperatoris præſentiam recurrendi, ejuſque miſericordiam implorandi: dicentes ſe magis velle de eodem Monaſterio expelli, & in peregrinatione & mendicitate vivere, quàm falſis promiſſionibus ulteriùs credere, & ſub falſo Monachorum nomine militare.* Eorum poſtulatis annuit Frotharius, præmiſſis ad Imperatorem litteris, ex quibus hæc relata ſunt. Huc etiam ſpectat ipſius Frotharii embolum epiſtolæ primæ. Eodem ſæculo deſinente Franco Leodicenſis Epiſcopus, idemque Laubienſis Abbas, ita cum ſuis Monachis bona partitus eſt, *ut medietas Abbatiæ Fratribus inibi regulariter militantibus in uſu communi deſerviret; aliam Epiſcopus ſibi & militantibus manciparet.* Partitio bonorum.

201. In cenſu bonorum monaſterialium ante ſæculum IX computabantur decimæ, quas nonniſi ſæculo XI Monachis à nobilibus viris earum invaſoribus fuiſſe collatas nonnulli perperam exiſtimant. Et quidem in Chronico Laubienſi, in quo ſuperiora de Francône relata ſunt, fit mentio decimarum indominicatarum, de quibus ſtatutum eſt, *ut decimæ omnes indominicatæ ad portam Monaſterii in uſus pauperum ſint & peregrinorum.* quas ſanè decimas longè ante Franconis tempus Laubienſes jam poſſidebant. Antiquius ejus rei teſtimonium habemus in Actis S. Anſelmi Abbatis Nonantulenſis, cujus rogatu Stephanus Papa III No- Decimæ Monachis datæ.

nantulenſium Monachorum bona *cum decimationibus* confirmat, prohibetque decimas umquam concedi, *niſi eccleſiis ſupradicti venerabilis Monaſterii*. At multò illuſtrior eſt Ludovici Germaniæ Regis traditio, conſignata in ejus diplomate pro Parthenone Herifordenſi, ubi Ludovicus Pius *Cellam juris ſui, quæ vocatur Meppia, cum decimis & poſſeſſionibus undique ad eam pertinentibus, & eccleſiam Ereſburg novæ Corbeiæ* Monachis tradidiſſe memoratur; Herifordenſi verò Parthenoni alias eccleſias, *ita ſanè ut decimarum aliorumque redituum proventiones præfatis cederent Monaſteriis, & ab ipſis viciſſim procurarentur ſubjectæ plebes in Baptiſmate, in Euchariſtia, in ſepulturis, in confeſſione peccatorum audienda; & Presbyteri, qui principales ex his eccleſias tenerent, Archipreſbyterorum officio fungerentur ad agenda omnia, quæ ſolent fieri ab Archipreſbyteris Epiſcoporum.* Ubi vides non ſolùm jus decimarum iſtis Monaſteriis conferri, ſed etiam plebium curam in adminiſtrandis ſacramentis. Sed ut ad noſtros me referam, S. Dionyſii apud Pariſios Monachi itidem decimarum uſu fruebantur ſæculo IX, ut patet cùm ex variis diplomatibus, tum maximè ex Hincmari Remenſis epiſtola ad Wiligiſum aliosque ejus loci Monachos, quos arguit *quia* quamdam *decimam vendere quærerent, ut de pretio infernum compararent*, apud Frodoardum in lib. 3 cap. 25. Ludovicus Auguſtus in Capitulari tertio prohibet decimarum redemtionem, quæ tum à laïcis fieri cœpta erat.

Part. I Sæc. 4 Bened. p. 525.

102. Porro ejuſmodi decimas Cœnobiis aliquando conferebant ſæculares, aliquando Epiſcopi. In his Haimo Halberſtadenſis Epiſcopus quaſdam ſuæ diœceſis decimas Hersfeldenſibus Monachis conceſſit, repugnantibus Clericis ſuis, quibus duriuſculum videbatur, decimas in alterius diœceſis Monachos transferri. Verùm ne id in ſucceſſorum præjudicium fieri nonnulli conquererentur, tantumdem de propriis bonis in eccleſiæ ſuæ uſum Epiſcopi illi aliquando refundebant. Hinc Meinwercus Paderbornenſis Epiſcopus, cùm ſuburbanæ Abbatiæ ſuarum decimarum partem tribuiſſet, *ne alicui ſucceſſorum ſuorum menſæ ſuæ ſtipendia diminuiſſe videretur, has decimas & de hereditariis & de acquiſitis bonis centies reſtituit.* Neque tamen decimæ illæ omnes ex liberalitate Epiſcoporum; ſed etiam aliquandò ex commutatione Monaſteriis proveniebant. Exemplo eſt commutatio inter Salomonem juniorem Conſtantienſem Epiſcopum, & Harmotum Cœnobii S. Galli Abbatem facta ſæculo IX. ſiquidem pro prædiis Salomoni per Sancti-Gallenſes conceſſis, Salomon Abbati & Fratribus prædicti Monaſterii in quibuſdam locis, quæ indicantur in charta 28 apud Goldaſtum, decimam cedit, *ſicut illius temporis in illorum erat veſtitura*; aliam verò attribuit quæ *in* ſua ipſius *veſtitura erat.* Ceterum non ſolas agrorum, ſed etiam aliarum rerum decimas

Monaſteriis attributas fuiſſe manifeſtum eſt ex Caroli Calvi diplomate Parthenoni B. Mariæ apud Sueſſionas conceſſo, in quo, *Delegavimus*, inquit, *decimas omnium rerum de tota Abbatia, & earum ſcilicet rerum quæ in terra coluntur, vel quæ hominum ſtudio ad humanitatis uſum habenda nutriuntur, & per curam Præpoſiti aptis vehiculis ad Monaſterium deducantur.* Nobilis quoque matrona, nomine Garſendis, Gellonenſibus noſtris anno M XXIX conceſſit *omnem decimam panis & vini carniſve domus* ſuæ, &c. *Enimvero*, inquit Petrus Damiani, *ut copioſiora in pauperes alimenta proficiant, dantur in Monaſteriis & eremis decimæ quorumdam proventuum, & non modò pecorum, ſed & ornicum pariter & ovorum.* Lege quæ hac de re habentur in Chronico Corbeiæ novæ, & apud Othlonum in prologo ad Vitam S. Bonifacii Epiſcopi & Martyris, qui Fuldenſibus decimas conceſſiſſe perhibetur.

Hiſtor. Monaſt. S. Mariæ Sueſſ. p. 430.

Part. 1 Sæc. 4 Bened. p. 88.

Petr. Damian. Opuſc. 33 cap. 7.

203. Pæne hîc exciderat quod obſervare licet de Capitulorum generalium origine, quorum ideam & ſpecimen exhibuit Synodus Aquiſgranenſis anni DCCCXVII, ex univerſis pæne Ordinis noſtri Abbatibus conflata: in qua utilia ſtatuta de rebus monaſticis condita ſunt. Apud Caſinates *his item temporibus mos erat, ut pridie Kal. Septembris conventus ad hunc locum fieret, unà cum Præpoſitis ſuis univerſorum hujus Cœnobii in circuitu Monachorum, docendi ab Abbate, quid facere, quid cavere, quidve corrigere, ſeu qualiter ſub Dei præſentia & timore cum regulari obſervatione vivere deberent*, ut ſcribit Leo Oſtienſis in Chronici lib. 1 cap. 32. *Sequenti verò die ordinabantur & deſcribebantur atque deſtinabantur in Obedientias, per ſingulas (prout opportunum erat) provincias.* Tandem ſæculo XII Capitulorum generalium uſus vulgaris fuit, ut ſuo loco dicemus.

Capitula generalia.

204. His igitur aliiſque quæ prolixiorem tractationem exigunt, prætermiſſis, ad aliud argumentum reflectenda oratio eſt, id eſt ad jugem Pſalmodiam, de qua egregia exſtat Angilberti Centulenſis Abbatis conſtitutio in ſuperiori tomo relata. Is ad hoc opus trecentos Monachos inſtituit cum centenis pueris, qui Fratribus in tres turmas diviſis, ſibique alternatim ſuccedentibus *in auxilium canendi & pſallendi intereſſent.* Idem ritus in nonnullis Galliæ Monaſteriis ante iſtud tempus obtinuerat, nempe (ut alia nunc prætermittam) in Agaunenſi, Cabillonenſi S. Marcelli, Dionyſiano prope Pariſios, Luxovienſi, Habendenſi, & Laudunenſi ſanctæ Salabergæ. De tribus poſterioribus id admittit eruditiſſimus vir Carolus Cointius: de tribus prioribus negat. Controverſia præcipuè verſatur in Agaunenſi, ad cujus normam pſalmorum modus in aliis duobus inſtitutus memoratur. Perpetuam apud Agaunenſes laudem negat vir doctus duplici fundamento: altero, quòd affirmantis partis auctores nullam afferant validam ratio-

Laudis perennis ritus.

Coint. to. 1 Annal. an. 536 n. 224. & ſeqq.

Apud Agaunenſes.

nem, quâ ſuam opinionem tueri poſſint: altero, quòd in Regula Tarnatenſi, quam Agaunenſes ſervabant, Horæ canonicæ diurnæ opere manuum diſtinguerentur. Verùm nihil conficit hoc poſterius, quia nimis efficit. Sic enim hæc ratio retorqueri poteſt. In Cœnobio Luxovienſi, itemque in Habendenſi & Laudunenſi S. Salabergæ, ſervabatur Columbani Regula, quæ ſtatas officiis divinis & corporeo labori horas haud minùs aſſignat. Ergo in illis locis non vigebat laus perennis. Conſequens non admittet Cointius: & tamen par ratio de Agaunenſi. Item apud Centulenſes Angilberto Abbate jugis pſalmodia inſtituta eſt: iſtic vigebat S. Benedicti Regula, quæ Monachorum penſa in officia divina & laborem dividit. Ex quo inferas non obeſſe perennem laudem, quo minùs ſua divinis officiis, ſua item operibus externis ſpatia & intervalla tribuantur. Certè ſi quid officeret corporis labori, è medio quoque tollenda eſſet corporum refectio & ſomnus, quæ quidem cum jugi officio conſiſtere non poſſint, ſi Monachi omnes in eo ſemper ita fuiſſent occupati, ut nullum exercendi laboris ſpatium eſſet reliquum. Itaque in his locis Monachi dividebantur in plures turmas; primæ recedenti à matutinis officiis ſuccedebat ſecunda, & huic tertia: dein abſolutâ Primâ, priores faciebant locum ſecuturis, & ad aſſignatum laborem pergebant. Sic fiebat apud Centulenſes & alios: quidni etiam apud Agaunenſes? At nihil, inquis, de laude perenni in Regula Tarnatenſi? Sed nihil etiam in Regula S. Columbani, nihil in Regula S. Benedicti. Nihil ergo ex hoc priori fundamento conſequitur adverſus de Agaunenſium laude perenni ſententiam.

Argumenta hæc de re expenduntur.

205. Jam expendenda ſunt argumenta omnino novem à diverſis Auctoribus, maximè ab Antonio Yepezio & Benedicto Haëfteno relata ad eam ſententiam probandam. Primum petitur ex primaria charta Monaſterii Agaunenſis. 2 ex Actis Martyrum Thebæorum auctore Eucherio Epiſcopo Lugdunenſi. 3 ex veteri hiſtoria Agaunenſi per Achivum tertium loci Abbatem. 4 ex Gregorio Turonenſi. 5 & 6 ex Actis S. Amati & S. Salabergæ. 7 ex geſtis Dagoberti. 8 ex Chronico S. Benigni. 9 denique ex trecenteno numero Agaunenſium Monachorum. Hæc autem argumenta rei demonſtrandæ inſufficientia eſſe eruditus vir contendit. Et quidem interpolationem in primarias Agaunenſium litteras & in Acta Martyrum Thebæorum irrepſiſſe cauſatur; in Achivi hiſtoria nihil diſertè de laude perenni contineri. Nam quod Agaunenſes *die noctuque* angelico more divinis laudibus inſtitiſſe ab Achivo dicuntur, non ſignificari perpetuam laudem. Nimius ſim, ſi his omnibus ſingillatim explanandis refellendiſque immorer: ad ea quæ magis explorata ſunt pergo. In iis occurrit quod

quarto loco poſitum eſt argumentum ex Gregorio Turonenſi, qui de Agaunenſium pſalmodia agens, illam *Pſallentium aſſiduum* vocat in Hiſtoriæ lib 3 cap. 5. At *aſſiduum* dici pſallentium, non quòd juge fuerit, ſed quòd ſtatutis temporibus celebratum ſit, ita ut intermediis ſpatiis operari liceret, exiſtimat Cointius: eum ad modum, quo Caſſianus *orationum aſſiduitatem* vocat quotidianam celebrationem Tertiæ, Sextæ & Nonæ. Huic rei argumento eſſe alterum ejuſdem Gregorii locum, in lib. de gloria Martyrum, cap. 75. ubi Sigiſmundus apud Agaunenſes pſallentium *quotidianum* inſtituiſſe dicitur. Illud igitur pſallentium, inquit vir doctus, vocatur à Gregorio *quotidianum*, quia fit quotidie; & *aſſiduum*, quia fit ad omnes Horas canonicas, nec tamen indeſinenter. Verùm ut aſſiduum in ſenſu Caſſiani aliquando ſumi poſſit pro diſcreto pſallentio; non tamen ita apud Gregorium uſurpari colligitur ex conſtanti omnium Auctorum ſententia, qui iſtum locum de perenni laude explicandum eſſe probant. Itaque quod *aſſiduum* vocat Gregorius, non per *quotidianum*; ſed vice verſa *quotidianum* per *aſſiduum* interpretandum eſt. Ex his porro Auctoribus occurrunt ſæculo VII Fredegarius, & ſcriptor Vitæ S. Salabergæ, octavo ſcriptor de Geſtis Dagoberti, decimo Aimoinus, undecimo Chronographus S. Benigni, & (ut plures alios prætermittam) ex recentioribus V. C. Hadrianus Valeſius in parte poſteriore Defenſionis Diſceptationis de Baſilicis cap. 7, & Dadinus Alteſerra in Aſcetico.

206. Salaberga Lugdunum Clavatum conſilio Walberti Abbatis profecta, Monaſterium brevi tempore inibi conſtrui curavit: quo ædificato, *in eo trecentas adunavit famulas Chriſti, choriſque diſpoſitis per turmas, ad inſtar Agaunenſium Monachorum canendi normam diſpoſuit*, ut in codice Compendienſi legit Menardus. Hîc *Agaunenſium* loco, *Luxovienſium* reponendum decernit Cointius, propterea quòd Salaberga *voluerat ingredi Monaſterium, quod Romaricus in monte Voſago conſtruxerat*; idque præſtitiſſet, *ni regia obſtitiſſent impedimenta*. In illo autem Romarici puellari Cœnobio perennem pſalmodiam celebratam fuiſſe ritu Luxovienſi, non verò Agaunenſi. Deinde Salabergam uſam eſſe conſilio Walberti Abbatis Luxovienſis: ac proinde Regulam S. Columbani, perennemque pſalmodiam inſtituiſſe inſtar Luxovienſium, non Agaunenſium Monachorum. Verùm qua facilitate hancce correctionem adhibet Cointius, eâdem nego, ſed longè diſpari fundamento. Nam veteres quique codices præferunt *Agaunenſium*; nec ullum pro *Luxovienſium* vocabulo adducit Cointius. Et ut hoc perſpicuum fiat, conſulenda ſunt ſincera S. Salabergæ Acta à nobis edita ex pluribus codicibus mſſ. quorum Actorum compendium in codice

Laus perennis viguit etiam in Cœnobio Salabergæ, exemplo Agaunenſium.

Compendienſi legit Menardus. Sic itaque habent Acta noſtra. *Infra exigui temporis ſpatium coacervata in eodem loco ſunt vel Monaſterio adunatæ plus minuſve trecentæ famulæ Chriſti: illiſque diſpoſitis per turmas, ad inſtar Agaunenſium Monachorum Habendique normam diſpoſuit; die ac nocte præcepit pſallendo canonem omnipotenti Deo perſonare, & juxta egregium prædicatorem Paulum ſine intermiſſione orare. quæ inſtitutio hactenus in eodem Cœnobio Chriſto auſpice celebratur.* Hîc nulla mentio Luxovienſium, ſed Agaunenſium Monachorum Habendique Parthenonis à S. Romarico conſtructi. Fruſtra ergo loco *Agaunenſium* reponendum putes *Luxovienſium*, contra omnium codicum fidem & Auctorum ſententiam. Præterea non conſtat, an tempore S. Columbani aut Walberti Abbatis viguerit apud Luxovium juge pſallentium. Nihil quippe apud Jonam, neque in Actis S. Walberti ſimile legitur. Scio huc afferri locum S. Bernardi Abbatis ex Vita S. Malachiæ, ubi Columbanum apud Luxovium ait *factum eſſe in gentem magnam, & quidem tam magnam, ut ſuccedentibus ſibi viciſſim choris continuarentur ſollemnia divinorum; ita ut ne momentum quidem diei aut noctis vacaret à laudibus.* At non repentè Columbanus factus eſt in gentem tam magnam: paullatim crevit Monachorum numerus, qui ſub eo Abbate ultra ſexagenarium non extendebatur, ut intelligimus ex ejus Actis num. 28. ubi Fratres *ſexaginta*, hoc eſt tota quanta erat Luxovienſis congregatio, ſarculo terram excoluiſſe, & annonâ divinitus multiplicatâ per Columbanum refecti fuiſſe dicuntur. Hinc collige perpetuam tum non viguiſſe laudem apud Luxovium, ſiquidem omnes Luxovienſes Monachi labore manuum occupati erant, nullis, qui divina officia proſequerentur, in Cœnobio relictis. Sanè Monachi illi non in turmas diviſi, ſed omnes ſimul divinas laudes perſolvebant, ut patet ex num. 36, ubi regii ſatellites ad comprehendendum Columbanum miſſi, eum in eccleſia *cum pſallentium choro orationi deditum cum omni Congregatione Fratrum reperiunt.* Non erant diſtincta eorum agmina. Id porro contigit paucis ante ſupremum Columbani exitum è Cœnobio Luxovienſi diebus.

non Luxovienſium.

207. Nihil etiam circa perennem pſalmodiam ſtatuit Euſtaſius Columbani ſucceſſor: & ea quæ apud Surium de ſexcentis eo Abbate Luxovii Monachis leguntur, per interpolationem ſunt adjecta. Quid? quod in fragmento catalogi Luxovienſium Abbatum, nonniſi *poſt* Walbertum Abbates quamplurimi, Wandalogus, aliique tredecim, *ſtatum Laudis perpetuæ ſervaſſe* referuntur uſque ad Mellini necem, quo cum Fratribus interfecto, *ceſſavit Laus perpetua.* Itaque non mirum, ſi S. Salaberga perpetuam laudem inſtituiſſe dicitur ad inſtar Agaunenſium & Habendenſium,

non

non verò Luxovienſium, quos huic ritui nondum addictos fuiſſe ex ſuperioribus perſpicuum eſt. aliàs certè ſcriptor Vitæ ſanctæ Salabergæ eorum exemplum non prætermiſiſſet.

208. Sed unde, inquis, inductus eſt hic ritus in Habendenſe Monaſterium? Haud dubiè ex Agaunenſi, & quidem auctore S. Amato, qui apud Agaunenſes educatus, Romarico auctor fuit condendi Parthenonis Habendenſis, atque inſtituendæ laudis perpetuæ. Rem diſertè tradunt ejus Acta his verbis. *Porro ſanctus Amatus ſemper eremi ſecretum diligens, infra profunda vaſtaque Voſagi caſtrum reperiens, ſicut in præſentiarum cernitur Monaſterium, tranſmigravit; ibique opitulante Domino multis Virginibus pſallentium per ſeptem turmas, in unaquaque turma duodenis pſallentibus die noctuque jugiter inſtituit.* Hîc notare convenit, cùm in illis, tum in S. Salabergæ Actis non aliter deſignari perpetuam laudem, quàm his verbis *die noctuque:* ac proinde eodem penitus ſenſu accipiendum eſſe Achivi teſtimonium in Hiſtoria Agaunenſi. Deinde ſi apud Luxovienſes in uſu tum fuiſſet juge pſallentium, haud dubiè in Actis S. Amati apud Habendenſes id inſtitutum fuiſſe diceretur Luxovienſium exemplo. Nunc verò cùm uni dumtaxat Amato auctori tribuatur hoc opus, id hauſiſſe dicendus eſt ex priſtino Monaſterio ſuo, id eſt, ex Agaunenſi. Et hanc fortaſſe ob cauſam culpatus eſt à Jona Amatus, quòd *abjectis inſtitutis priſtinis*, quæ Luxovii tenuerat, *conatus ſit rudibus plebem inſtruere doctrinis.* Habendenſes item huic ritui addictæ.

209. Sed nullum in hac cauſa validius argumentum afferri poteſt, quàm ex Fredegario & ex geſtis Dagoberti cum domeſticis inſtrumentis comparatis: itemque ex Aimoino, ubi de pſallentio Dionyſiani Monaſterii agunt. Nam Fredegarius in Chronici cap. 79 id *ad inſtar Monaſterii ſanctorum Agaunenſium* inſtitutum dicit. quæ verba explicans Monachus anonymus in lib. de geſtis Dagoberti cap. 35, ſcribit Dagobertum in Cœnobio S. Dionyſii *Monachos, qui turmatim ad inſtar Monaſterii Agaunenſium ſive ſancti Martini Turonis pſallerent*, inſtituiſſe. Eamdem interpretationem adhibet Aimoinus in hiſtoria ſua. Pſalmodiam, qualis apud Agaunum in Monaſterio S. Mauricii celebrabatur, in Cœnobio S. Dionyſii prope Pariſios agi præceptam non negat Cointius: at perennem pſalmodiam in utroque celebratam inficiatur. Qualis igitur pſalmodia Agaunenſis? Reſpondet num. 240 vir doctus, « pleroſque Monachos nec ſingulis diebus, nec ad ſingulas Horas « omnes conveniſſe. Agaunenſes quotidie omnes Horas canonicas « publicè celebraſſe, ut ex cap. 9 Regulæ Tarnatenſis conſtat. « Itaque pſallentium Agaunenſe ex ejus ſententia vocatur illud, quod *ſit ad omnes Horas canonicas, nec tamen indeſinenter.* Verùm ad Monachi item Dionyſiani.

refellendam hanc reſponſionem duo demonſtranda ſunt: alterum, ante Agaunenſes ſtatas divini officii horas apud omnes Monachos in uſu fuiſſe: alterum, perennem in Dionyſiano Monaſterio laudem viguiſſe, certis aliunde conſtare argumentis.

210. Lirinenſe Monaſterium Agaunenſi longè antiquius eſſe conſtat, nec minùs certum eſt quotidiana divinæ laudis officia ab origine inibi fuiſſe inſtituta. Quippe S. Honoratus inſtitutionem ſuam accepit ab Orientalibus Monachis, quos nocturnis diurniſque officiis in dies incubuiſſe, ex Pachomio, Baſilio, Caſſiano, aliiſque manifeſtum eſt. Hinc Fauſtus ex Abbate Lirinenſi Regienſis Epiſcopus à Sidonio Arvernenſi laudatur, quòd *precum peritus inſulanarum, eas de palæſtra congregationis eremitidis, & de ſenatu Lirinenſium cellulanorum in urbem quoque ſuam tranſtulerit, nihil ab Abbate mutatus in Sacerdotem.* Sidon. lib. 9 ep. 3. Sanctus item Agricolus ex eodem Cœnobio raptus ad Avenionenſis eccleſiæ cathedram, *voluit etiam Horas canonicas & divina officia deinceps in eadem eccleſia, eodem modo quo ſolerent in Monaſteriis, alternis videlicet cantibus, recitari. Nondum enim in illis partibus invaluerat ille mos, quem aliquot ante annos Damaſus Pontifex Maximus invexerat*, ut legitur apud vetuſtum Auctorem in Chronologia Lirinenſi. Vigebat ergo apud Lirinenſes quotidianæ laudis officium. Lirinenſi æquale erat Condateſcenſe Cœnobium, ibique eadem florebat inſtitutio. Teſtis Monachus Anonymus de geſtis S. Augendi ſeu Eugendi Abbatis, qui *nocturnis matutiniſque conventiculis ligneis Gallicaniſque caligis utebatur; neque eum quiſquam aut in diurna aut nocturna Synaxi ante completionem conſpexit egredi foras.* Deinde in Maſſilienſi Caſſiani Cœnobio indubiè receptus erat pſallendi ritus, qualis à Caſſiano ipſo in Inſtitutionibus præſcribitur, quotidianis certè & ſtatutis horis deſignatus. Idem inſtitutum propagatum eſt ad pleraque Galliæ Monaſteria, quæ orientalium Aſcetarum ritus ac mores imitari geſtiebant. Denique ne longa enumeratione Lectori tædium faceſſam, teſtis eſt Paulinus in epiſtola ad Victricium Rotomagenſem Epiſcopum, eam pſallendi normam in Gallicanis Cœnobiis viguiſſe, uti & in aliis multis ejuſdem regionis eccleſiis, *ubi*, inquit, *quotidiano ſapienter pſallentium per frequentes eccleſias & Monaſteria ſecreta conventu caſtiſſimis ovium tuarum & cordibus delectantur & vocibus.* Hæc cùm ita ſint, nemo non videt frigidam, nedum ridiculam veterum auctorum Fredegarii, ſcriptoris Vitæ Salabergæ & Geſtorum Dagoberti fuiſſe rationem, ſi cùm pſallentium inſtitutum dicunt ad inſtar Monachorum Agaunenſium, id de quotidiano, ſed diſcreto pſallendi ritu interpretari liceret: cùm ritus iſte non Agaunenſium

proprius ac peculiaris, ſed cum ceteris Galliæ Monaſteriis fuerit communis, ſaltem jam inde à ſæculo v. Neque verò id Cointius negare poteſt de tempore conditi Monaſterii Dionyſiani. quo tempore ſine dubio Monachi ſtatis omnes horis quotidie divinis officiis inſiſtebant, ſive Regulam Caſſiani, ſive Benedicti, aut Columbani, aliorumve ſectarentur. Erat ergo Agaunenſium peculiaris pſallendi norma, cujus inſtar Dionyſiana inſtituta eſt.

III. Hanc de Agaunenſi perpetua laude interpretationem facilè admittet, quiſquis Fredegarium, ubi de Cœnobio S. Dionyſii agit, attentè conſideraverit. En Fredegarii verba. *Dagobertus pſallentium ibidem ad inſtar Monaſterii Sanctorum Agaunenſium inſtituere juſſerat: ſed facilitas Abbatis Aigulfi eamdem inſtitutionem noſcitur refragaſſe*, id eſt abrogaſſe. Si de quotidiana & interrupta, non de perpetua pſalmodia intelligendus eſt hic Fredegarii locus; quotidianum apud Dionyſianos officium per Aigulfum ſublatum fuiſſe dicendum eſt. Quis verò id ferat? Vigebat in Monaſteriis ubique Galliarum divinæ laudis ſtatis horis celebritas. Dionyſianum Cœnobium huic rei impensè dotaverat Dagobertus. Hanc inſtitutionem Aigulfus penitus reſcidit. An id paſſuri erant Francorum Reges? aut verò impunè tuliſſet Aigulfus? certè non puto. Sed quoniam gravis ac ferè ſingularis erat laudis perpetuæ ritus, facilè hunc abrogare potuit citra aliorum invidiam. Verùm quis de illo Dionyſiano pſallentio ſententiam rectiùs ferre potuit apud veteres, quàm Monachus ille Dionyſianus, libri de Geſtis Dagoberti ſcriptor, qui vix amplius quàm centum annis ab Aigulfi ætate aberat? Atqui pſallentium Dionyſianum fuiſſe jugè exiſtimavit, idque facilè ab hominibus æqualibus diſcere potuit. At (quod omnem dubitationem evincit) Chlodoveus Dagoberti filius, Theodericus Kalenſis dictus, & Pippinus Francorum Reges, perennem apud Dionyſianos ab initio, immo etiam ſuo tempore fuiſſe laudem diſertis verbis affirmarunt in diplomatibus ſuis. Chlodoveus quidem in charta apud Dubletum relata, decernit, *ut ſicut tempore domni & genitoris ſui, ibidem chorus pſallentium per turmas fuit inſtitutus, vel ſicut ad Monaſterium S. Mauricii Agaunis* DIE NOCTUQUE *tenetur, ita in ipſo loco celebretur.* Quid clarius ad inſtitutum afferri poteſt? Idem Theodericus Kalenſis in diplomate ſuo inedito, quod noſter Michaël Germanus, ſtudiorum meorum ſocius & adjutor, ex primario ſcripto cum pluribus aliis eruit, apertè ſtatuit, *ut die noctuque perenniter* eo in loco divina laus perſolvatur. Idem denique Pippinus apud Dubletum, *ut ſicut tempore anteriorum Regum ibidem in ipſa ſancta baſilica pſallentius per turmas fuit inſtitutus, ſicut ordo ſanctus edocet, nocte diuque perenniter in ipſo ſancto loco celebretur.* Viguit ergo ante Aigulfum apud Dionyſianos jugè pſal-

Dublet. p. 68.

Id. pag. 703.

lentium ex inſtitutione Dagoberti; viguit & poſt illum, quamvis exiguo tempore abrogatum ſit ab iſto Abbate. Viguit, inquam, ad inſtar Agaunenſium Monachorum, quos proinde laudi perpetuæ incubuiſſe ſatis ſuperque compertum eſſe debet.

212. Poſſem multa hîc attexere de eodem ritu, quem etiam ſervatum perhibent in Cabillonenſi S. Marcelli Cœnobio, in Divionenſi S. Benigni, in Martiniano apud Turones, in Pariſienſi S. Germani, in S. Medardi & B. Mariæ puellarum apud Sueſſionas, atque in Corbeienſi ſancti Petri. Sed miſſa hæc facio, quæ aliàs forſan longiùs perſequenda erunt.

Obſervationes variæ.

h'c pag. 249 & ſeqq.

pag. 303 & ſeqq.

213. Interim quædam hîc deſignandæ ſunt obſervationes, quas in hocce libro fuſiùs exponimus. Prima eſt de Synodo Germiniacenſi, anno DCCC XLII in agro Aurelianenſi celebrata, quæ in vulgatis Conciliorum Actis prætermiſſa, à nobis illuſtratur duobus egregiis monumentis pro Cœnobio Curbionenſi. Altera eſt de duplici Monaſterio Lindisfarnenſi apud Anglos, quod utrumque ſancto Petro ſacratum erat. tametſi unicum hactenus agnoverunt Scriptores Anglicani. Poſterioris ignoti originem ac primos Abbates hîc exhibemus ex Ethelwolfo Monacho, qui ſæculo octavo carmen ea de re compoſuit. Tertia obſervatio eſt de loco, ubi martyrium paſſi ſunt Hilarius & Florentinus: quem locum recentiores omnes *Seduni* * ad Alpes ſtatuunt. At *Pſeudunum* præferunt ſcripti codices, idque in pago Duſmenſi locant, & quidem in diœceſi Æduenſi. Adi quæ hoc de argumento fuſè diſſerimus in Elogio ſancti Aureliani Epiſcopi Lugdunenſis. Alias prætereo non minimi momenti obſervationes, quas in hocce tomo legere licet.

* *Sion*

pag. 492 & ſeqq.

Lotharii & Ludovici Imperatorum anni.

214. His quartam addo in præſenti de anno, quo Ludovicus ſecundus à Lothario patre deſignatus eſt Imperii conſors & collega. Baronius ex Anaſtaſio & Adone colligit id factum anno DCCC XLIV, quo Lotharius Auguſtus, comperta Sergii ſecundi Pontificis conſecratione, *Drogonem Mettenſis eccleſiæ Archiepiſcopum cum excellentiſſimo filio ſuo* LUDOVICO, *magnò cum Francorum exercitu Romam miſiſſe* perhibetur apud Anaſtaſium. Ado verò ad annum DCCC XLI amplius dicit, ſcribens Lotharium *filium ſuum Ludovicum, quem in Italia Regem fecerat; ut Imperatoris nomen ſortiretur, per Drogonem patruum Romam miſiſſe: cui Sergius tunc Pontifex coronam impoſuerit*, id eſt anno DCCC XLIV. tametſi Ado anticipandò id refert ad annum DCCC XLI. Hinc Baronius occaſionem captat ſuggillandi Sigebertum, tamquam impudentem ac ſchiſmaticum, ut qui aſſerat Ludovicum à Lothario Romam miſſum ad confirmandam electionem Sergii Papæ. Verùm mitiorem (ut credere licet) de Sigeberto ſententiam tuliſſet magnus Cardinalis, ſi Annales Bertinianos legiſſet idem atteſtantes ad annum DCCC XLIV.

quorum verba huc adſcribo. *Gregorius Romanæ eccleſiæ Pontifex deceſſit: cui Sergius ſuccedens in eadem ſede ſubſtituitur. quo in ſede Apoſtolica ordinato, Lotharius filium ſuum HLudowicum Romam cum Drogone Mediomatricorum Epiſcopo dirigit; acturos, ne deinceps decedente Apoſtolico* QUISQUAM *illic* PRÆTER SUI JUSSIONEM, MISSORUM*que ſuorum* PRÆSENTIAM *ordinetur Antiſtes.* Subdunt Annales eodem anno Ludovicum, non Imperatorem, ut ſcribit Ado, ſed Regem fuiſſe conſecratum. Quippe is atque Drogo *Romam venientes honorificè ſuſcepti ſunt: peractoque negotio, HLudowicum Pontifex Romanus unctione in Regem conſecratum cingulo decoravit.* id eſt in *Regem Longobardorum*, ut ſcribit Anaſtaſ. quod Baronius diſſimulaſſe videtur. Hinc manifeſtum eſt, Ludovicum non eo anno renuntiatum fuiſſe Romæ Imperatorem. Quo igitur anno? Annales ipſi Bertiniani id ad annum DCCCL, revocant his verbis. *Lotharius filium ſuum Ludovicum Romam mittit. qui à Leone Papa honorificè ſuſceptus, & in Imperatorem unctus eſt.* Non ergo à Sergio, ſed ab ejus ſucceſſore Leone IV. Verùm Benedictus Papa, Leonis ſucceſſor, in privilegio Corbeiæ veteri ab ſe conceſſo, annum imperii Ludoviciani primum illigat anno DCCCXLIX, uno anno priùs, quàm Annales Bertiniani. Pontificium hoc Benedicti diploma ab Acherio noſtro editum eſt in Spicilegii tomo 6 ex apographo Corbeienſi, in quo nævi aliquot deprehenduntur. Hos nævos correximus facta collatione cum autographo, quo neſcio an aliud illuſtrius exſtet ejus ævi monumentum. Scriptum eſt in cortice ſeu papyro Ægyptiaca, longum pedes unum & viginti, latum duos. Quatuor priores verſus ſeu lineæ penitus obliteratæ ſunt: in reliquis fugere incipiunt alicubi characteres, ſanè perquam difficiles, ſub finem ſaniores. Mendas editorum hoc loco ſingulas commemorare non vacat: unam aut alteram huc referre ſuffecerit. In editis pag. 398 ubi legitur *Amrelmum Abbatem*, in autographo habetur *Anſelmum*, & in conſequentibus *Anſelmo* pro *Amrelmo*. Item in editis legitur pag. 399 lin. 7 *Imperatoris Lotharii & Ludovici ac Caroli mandatum*, in autographo, *Imperatoris HLothari & HLudowici filii ejus mandatum*, nulla Caroli mentione facta. Eadem correctio adhibenda eſt pag. 403, ubi pro eo quod editi præferunt, *filios noſtros glorioſos Lotharium, Ludovicum, Carolum Auguſtum*, ſic in autographo ſcriptum eſt, *glorioſos filios noſtros, HLotharium & HLudowicum ejus filium Auguſt.* id eſt *Auguſtos*. In fine loco *Theodorici Notarii*, legendum erat *Theodori Notarii*. Denique (quod ad rem præſentem facit) in autographo poſt *Bene valete* additur hæc clauſula, in chartariis atque editis prætermiſſa. *Datum v Nonas Octubrias per manum Theophylacti Secundicerii ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, imperantibus dominis noſtris piiſſimis Auguſtis HLothario à Deo coronato magno Imperatore anno triceſimo nono, &*

P. C. ejus anno triceſimo nono: ſed & HLudowico novo Imperatore ejus filio anno ſeptimo, Indictione quarta. Hæc coincidunt in annum DCCC LV, qui Benedicti pontificatûs primus erat à menſe Auguſto, ſeptimus Ludovici novi Imperatoris. qui proinde anno DCCC XLIX Imperii ſocius à patre dictus eſt: ſed anno tantùm ſequenti Romæ inunctus à Leone Pontifice, ut tradunt Annales Bertiniani. Ab illa patris deſignatione numerari cœpit novi Imperatoris Ludovici epocha, eum ad modum, quo Lotharii patris annus primus paſſim cenſetur ab anno DCCC XVII, quo Ludovicus Pius ejus pater ipſum Imperii conſortem declaravit, non ab anno DCCC XXIII, quo à Paſchali Papa conſecratus, atque à Romanis ſalutatus eſt Imperator. Unde in prælaudato Benedicti tertii privilegio, quod anno DCCC LV menſe Octobri conceſſum eſt, Lotharii annus *triceſimus nonus* computatur. Unum huic privilegio opponi poteſt, quòd datum ſit anno DCCC LV, & quidem quinto aut ſexto (neque enim facilè autographum hoc loco legi poteſt) Nonas Octobris, quo die Lotharius Imperator jam è vivis exceſſerat, mortuus III Kal. Octobris ejus anni. Verùm cùm inter hunc diem Lotharii ſupremum, & tempus dati privilegii tres aut quatuor admodum dies interceſſerint; ejus mortis nuntium Romam tam citò perferri non potuit, ut Benedictus id reſcierit eo die, quo privilegium iſtud conceſſit. Jam priùs quidem Lotharius Prumiæ abdicarat Imperium: ſed ſex dumtaxat ante obitum diebus.

Lotharii conſulatus.

115. Ceterum in præmiſſa ejuſdem privilegii clauſula cum anno triceſimo nono Lothariani imperii componitur annus triceſimus nonus ejus conſulatus: quæ computandi ratio anno poſt conſulatum Baſilii vigeſimo quinto obtinuit in calculo quorumdam Imperatorum, ut aliàs fuſiùs exponemus. Sic promiſcua fuit imperii ac conſulatus acceptio, viguitque uſque ad Carolum Magnum, cujus diploma refert Sigonius, datum *anno ab Incarnatione Domini* DCCC I, *Indictione* IX, *anno regni ejus in Francia* XXXIII, *in Italia* XXVIII, *conſulatus autem anno primo.* ubi Incarnationis Dominicæ annus à poſteris intruſus videtur. Immo verò hæc *conſulatus* conjunctio cum annis imperii longè poſt Carolum Magnum uſurpata eſt à Benedicto III in diplomate Corbeienſi, de quo hîc agimus. Omnino conſimilis ei legitur tum in fronte, tum in fine Decretorum Gregorii Papæ ſecundi, quæ ab his verbis incipiunt. *In nomine Domini Dei Salvatoris N. J. C. imperante domino noſtro piiſſimo Auguſto Leone à Deo coronato magno Imperatore anno ſexto, P. C. ejus anno* VI. *Sed & Conſtantino novo Imperatore ejus filio anno ſecundo, menſe Aprile, Indictione quarta.* ita enim legitur in veteri noſtro exemplari, quod regnantis Caroli Magni anno XXVII exaratum eſt. Eædem prorſus notæ adhibentur in fine

Sigon. de regno Ital. lib. 4.

Mſ. S. Germ. n. 425.

Decretorum. In alio ejuſdem ævi codice eadem quoque utrobique leguntur : niſi quòd in inſcriptione nonnemo ſecunda manu adjecit *decimo* poſt hæc verba, *P. C. ejus anno ſexto.* Ex alio exempla- *Mſ.n.25.*
ri ſimiliter corrupto nata eſt lectio editorum, qui tam initio quàm in fine præferunt, *P. C. ejus anno ſexto-decimo* : cùm legendum ſit indubiè, *ſexto*, ut probant non ſolùm ſuperiores duo codices veterrimi, ſed etiam Collectio canonum ſub Clemente II exarata, quam Fronto Ducæus à V. Cl. Clerico Pariſienſi commodato acceperat, ut ipſe fatetur in Notis ad hæc Decreta : quæ cum hac chronologica notâ ſimiliter legũntur apud Baronium & Onuphrium. His accedit mos ille, de quo jam diximus, componendi annos imperii cum totidem annis conſulatus Imperatorum : quæ una ratio ſufficit ad emendandos vulgatos libros in hoc loco Decretorum Gregorii Papæ II. Hæc dicta ſint occaſione privilegii Corbeienſis à Benedicto tertio conceſſi, de quo uberiùs dicendi occaſio aliàs recurret. Nam longiorem tractationem non patitur Præfationis modus, quam fortaſſe jam ultra modum produxi, utinam aliquo Eccleſiæ fructu : cui ex animo me meaque omnia ſubmitto & voveo.

*V*IRTVS *clarorum virorum illud vel maximè in ſe laudandum commendat, quòd etiam longè poſitorum animos ad ſe diligendum invitat. Vnde inferiores ſuperiorum virtutes faciunt ſuas, dum earum adorant veſtigia, ad quarum adſpirare non valent exempla. Porro totum ad majorum redundat gloriam, quòd ipſi & bonum faciunt, & minores ad ſe amandum accendunt. Veſtrum eſt igitur, ô duces, ſi quid facimus boni: veſtrum profectò, ſi quid dignum memoriâ ſcribimus. Veſtra induſtria eſt nobis incitamento: ut quia pericula veſtra paci noſtra impenditis, vos viciſſim per labores noſtros omni ævo inclareſcatis.* Vvillelmus Malmesburienſis Monachus in epiſtola ad libros de geſtis Regum Anglorum.

Quid dulcius quàm majorum recenſere gratiam, ut eorum Acta cognoſcas, à quibus acceperis & rudimenta Fidei, & incitamenta bene vivendi? Idem in Prologo ad lib. de Pontif. Angl.

INDEX

CHRONOLOGIA BREVIS

AD SECUNDAM PARTEM SÆCULI QUARTI BENEDICTINI.

SUMMI PONTIFICES.

Anno	
DCCC XXVII	Leo IV ſedit annos 8, menſes 3, dies 5.
DCCC LV	Benedictus III an. 2, menſ. 6, dies 10.
DCCC LVIII	Nicolaus I Magnus an. 9, menſ. 6, dies 20.
DCCC LXVII	Hadrianus II an. 4, menſ. 10, dies 17.
DCCC LXXII	Johannes VIII an. 10, & die uno.
DCCC LXXXII	Marinus I an. 1, dies 20.
DCCC LXXXIV	Hadrianus III an 1, menſ 3, dies 19
DCCC LXXXV	Stephanus V an. 6, cum aliquot diebus.
DCCC XC	Formosus an. 6, menſ. 6.
	Sergius & Bonifacius intruſi.
DCCC XCVII	Stephanus VI, aliis VII, an 3, aut 4.
	Romanus Galleſinus per vim intruſus.

IMPERATORES.

DCCC XL	Lotharius poſt obitum patris imperavit annis 15.
DCCC LV	Ludovicus II poſt patris obitum an. 20.
DCCC LXXV	Carolus II Calvus an. 1, menſ. 9, dies 14.
DCCC LXXX aut ſequenti à die natalis Domini ineunte.	Carolus III Craſſus an. ferè ſeptem.
DCCC LXXXVII	Arnulfus ab exauctorato patruo annis ferè 11.
DCCC XCVI	Ludovicus ultimus ex ſtirpe Carolingorum an. 11.

FRANCORUM REGES.

DCCC XL	Carolus II Calvus an. 37, menſes 3, dies 16.
DCCC LXXVII	Ludovicus II Balbus an. 1, menſ. 6, dies 3.
DCCC LXXIX	Ludovicus III an. 3, menſ. ferè 4.
DCCC LXXXII	Carolomannus ſolus & cum fratre an. 5, menſ 8.
DCCC LXXXIV	Carolus Craſſus Imperator Francorum regnum tenuit annis tribus.
DCCC LXXXVIII	Odo *Roberti Fortis filius, regnum per annos decem occupavit.*
DCCC XCIII	Carolus III Simplex annis 30, & aliquot menſibus.

LOTHARII REGNI REGES.

DCCC XL	Lotharius Imperator an. 15.
DCCC LV	Lotharius II an. 14.
DCCC LIX	Carolus Calvus an. 8.
DCCC LIX	Ludovicus Ludovici Germaniæ Regis filius an. circ. 3.
DCCC LXXXII	Carolus Craſſus Imperator annis ſex.
DCCC LXXXVIII	Arnulfus an. circ. 7.
DCCC XCV	Zuentiboldus Arnulfi nothus an. 5.
DCCCC	Ludovicus Arnulfi filius.

GERMANIÆ ſeu FRANCIÆ ORIENTALIS & BAJOARIÆ REGES.

DCCC XL	Ludovicus Tranſrhenanus poſt obitum patris regnavit annis 36, menſ. x. dieb. 8.
DCCC LXXVI	Ludovicus II & Carlomannus ejus filii majores natu paternum inter ſe regnum partiuntur, datâ Carlomanno Bajoariâ, qui anno DCCC LXXX deceſſit: Ludovicus verò biennio pòſt exſtinctus eſt.

DCCC LXXXII CAROLUS Craſſus Ludovici Tranſrhenani poſtremogenitus fraternam ditionem annis V obtinuit.
DCCC LXXXVII ARNULFUS Carlomanni filius an. ferè 15.
DCCC XCIX LUDOVICUS III Arnulfo patri ſucceſſit in annos duodecim.

ITALIÆ REGES.

DCCC XVII LOTHARIUS Aquiſgrani anno DCCC XVII Imperii conſors à patre factus, dein anno DCCC XXII confirmatus, & ſequenti Romæ conſecratus, Italiæ ſeu Langobardiæ regnum Ludovico filio conſignavit anno DCCC XLIV.
DCCC XLIV LUDOVICUS anno DCCC XLIV Italiæ ſeu potiùs Langobardorum Rex à patre creatus; anno DCCC XLIX Imperii conſors factus, & ſequenti Romæ inunctus, regnavit annis 31, imperavit annis 20.
DCCC LXXV CAROLUS Calvus anno 1, menſibus 9, dieb. 14.
DCCC LXXX CAROLUS Craſſus annis circiter octo.
DCCC LXXXVIII BERENGARIUS Langobardiam occupat; ſed à Guidone, qui & ipſe Hetruriæ inſederat, profligatur poſt regni annum unum & aliquot menſes.
DCCC XC GUIDO ſeu Vvido Italiæ regnum capeſſit; & anno ſequente Romanorum Imperator coronatus in annos 4.
DCCC XCIV LAMBERTUS Vvidoni Patri ſuccedit in annos ferè duos.
DCCC XCVI ARNULFUS Imperator Italiæ regnum tenuit annis ferme quatuor. Ei
DCCCC LUDOVICUS filius ſucceſſit. quamquam in Synodo Ravennæ coacta menſe Octobri anni 900, electio Lamberti Vvidonis filii roborata fuiſſe dicitur; eoque exſtincto LUDOVICUS, cognomento Orbus, Boſonis Provinciæ Regis filius ſucceſſiſſe.

AQUITANIÆ REGES.

DCCC XXXVIII CAROLUS Calvus acceptum à Ludovico patre poſt mortem Pippini Regis Aquitaniæ regnum tenuit ad annum 855, quo illud Carolo filio conſignavit.
DCCC LV CAROLUS Calvi filius in menſe Octobri Lemovicis Aquitanorum Rex inauguratus, anno DCCC LXIV deceſſit. Pippino interim & Carolo Pippini Regis filiis paterni regni lacinias quà licebat, ſubinde rapientibus. Verùm illis in ordinem redactis,
DCCC LXVI LUDOVICO Balbo Carolus pater dedit Aquitaniæ regnum, qui etiam Ducatum illius Ramnulfo aliiſque Optimatibus commiſit.
DCCC LXXXVIII Exſtincto Ludovico Balbo, nullum invenio Aquitaniæ Regem ante Odonem, qui anno 888 ut Francis, ſic Aquitanis imperavit. Poſt Odonem Aquitanici regni nomen & dignitas antiquata fuiſſe videtur.

BURGUNDIÆ TRANSJURANÆ ſeu PROVINCIÆ REGES.

DCCC LX CAROLUS, Lotharii Imperatoris filius, Burgundiæ partem & Provinciam cum regni titulo accepit à parente, quam ad annum DCCC LXIII tenuit.
DCCC LXIII LUDOVICUS Imperator defuncto Carolo fratre Provinciam adeptus, eam rexit ad annum DCCC LXXV.
DCCC LXXV CAROLUS Calvus regno Francico Provinciam atque Burgundiam omnem adjecit.
DCCC LXXIX BOSO Provinciæ regnum occupavit ad annum DCCC LXXXVIII.
DCCC XC LUDOVICUS Orbus, Boſonis filius, Rex dictus eſt ad annum circiter 933.
DCCC LXXXVIII aut DCCC XCIII Rodulfus in Burgundia Transjurana regium ſibi nomen vindicavit ad annum DCCCC XI.

BRITANNIÆ INSULÆ REGES.

DCCC XXXVI VUESTSAXONUM Rex ETHELVVLFUS ſeu Edelvvlfus Egberto patri ſucceſſit in annos 19, regnumque diviſit inter duos filios natu majores, ETHELBALDUM, qui Saxonibus Occidentalibus; & ETHELBERTUM, qui Cantiis aliiſque imperaret. ſic
DCCC LVIII ETHELBALDUS regnavit annis 3 aut 4.
DCCC LX ETHELBERTUS adepto fratris regno potitus eſt ad annum DCCC LXVI.
DCCC LXVI ETHELREDUS (alias Egbertus) Ethelvvlfi filius tertiogenitus fraterna regna annis 5 aut ſex excepit.
DCCC LXXI ALFREDUS exſtinctis fratribus regnum tenuit ad annum DCCC XCIX.
DCCC XCIX EDVVARDUS I Britannos rexit annis circiter 34.

HISPANIÆ REGES CHRISTIANI.

DCCC L ORDONIUS præfuit annis 12 inchoatis.
DCCC LXII ALFONSUS III Magnus annis 38.

CHRONOLOGIA PARTIS II SÆCULI IV BENEDICT.

SANCTI & MONASTERIORUM ORIGINES.

Anno	
DCCCLVI	Rabanus Moguntiacenſis Archiepiſcopus, ex Abbate Fuldenſi, cujus tempore Erlafridus Comes Hirſaugiam condidit, cui Rabanus Liutbertum diſcipulum ſuum Abbatem dedit, & Monachos complures Fuldâ edoctos.
DCCCLVIII	Translatio ſanctorum Martyrum Georgii Monachi, Aurelii & Nathaliæ ex urbe Corduba Pariſios in ſancti Germani Monaſterium.
DCCCLIX	Probus Preſbyter & Monachus Moguntiæ in Cœnobio S. Albani. Ubi de tranſlatione ſancti Severi & aliorum Martyrum iſtuc facta.
DCCCLXI	Meginradus Eremita & Martyr apud Helvetios, originem dedit Einſidlenſi Monaſterio, quod ab auctore Cella S. Meginradi ſeu Meginradeſcella, & Monaſterium in ſilva Nigra dicitur; immo & Eberardeſcella, ab Eberardo videlicet ſecundo Eremita, qui eremum hanc B. Mariæ ſacram poſt Meginradum incoluit.
DCCCLXIII	Suvithuni Epiſcopi Vuintonienſis geſta, tranſlatio & miracula.
DCCCLXIV	Faustæ Virginis & Martyris tranſlatio ex Vaſconia in cellam Aſnenſem, Sollemniacenſi Monaſterio ſubjectam.
DCCCLXV	Anscharius ſive Auſgarius Archiepiſcopus Hammaburgenſis & Bremenſis, Septemtrionalium populorum Apoſtolus dicitur ab Adamo; & *quatuor Cœnobia fundaſſe*, quorum primum *Hamaburg .... tranſtulit ad Ramſolas*: ſecundum *in Bremis habuit ſanctorum virorum qui ... regula vivebant monaſtica: ternam ſanctarum Virginum congregationem in Buxtehude adunavit.*
Circ. DCCCLXV	Paschasius Radbertus Levita, Abbas Corbeiæ Gallicanæ, qui in Corbeiæ novæ extructione ſanctis Adalhardo & Vualæ adlaboravit. *V.* Appendicem.
Cir. DCCCLXV	Basoli Confeſſoris tranſlatio & miracula
DCCCLXV	Jacobus Monachus & Eremita in Biturigibus, ſeceſſit in Cellam-Gillonis, qui locus à Gillone Sulliacenſi domino conditus & divino Numini conſecratus eſt.
DCCCLXVI	S. Sinodulfi Eremitæ & Confeſſoris, & ſanctæ Halanæ tranſlatio in Altivillarenſe Cœnobium.
DCCCLXVI	Rodulfus, aliis Radulfus, Bituricenſis Archiepiſcopus, tria virorum Monaſteria, & quartum Virginum condidit, nempe Veteriniacense anno DCCCXL; Doverenſe anno DCCCLXIII, poſtea Virzionem tranſlatum, Belliloceuſe in Lemovicibus anno DCCCXLVI; & Puellare S. Geneſii in pago Caturcino ſecus caſtrum Coſſiliacum in loco qui dicitur *Saraſiac*, anno DCCCXLIII.
DCCCLXVIII	Mauri Abbatis tranſlatio in Foſſatenſe Monaſterium agri Pariſienſis. Præmittitur narratio de everſione & inſtauratione Monaſterii Glannafolienſis, & origo Saxiacenſis Cœnobii, quod Aurelianus Lugdunenſis Epiſcopus anno DCCCLIX ædificavit.
DCCCLXVIII	Convvoio Abbas Rotonenſis in Armorica cum ſociis Rotonenſi Monaſterio dedit originem anno DCCCXXXI, favente in primis Nominoio Duce, & Ludovico Pio annuente.
DCCCLXIX	Hunfridus ex Monacho Prumiacenſi Epiſcopus Morinenſis.
Circ. DCCCLXX	Genulfi Epiſcopi & Confeſſoris tranſlatio & miracula. Ubi de Stradenſis Cœnobii à Vuifredo Comite erecti conditione, item de Cella S. Genulfi ſex inde milliaribus diſtante; atque de Dolenſi Monaſterio, quod Abo Biturigenſium Princeps condidit, agitur.
DCCCLXX	Egil ſeu Eigil & Egilo Archiepiſcopus Senonenſis Corbiniacenſe S. Leonardi Cœnobium extruxit, ſanctæ Reginæ Virginis & Martyris tranſlationem procuravit.
DCCCLXXIII	Frodoberti Abbatis Cellenſis apud Trecas tranſlatio.
DCCCLXXIV	Launomari Abbatis Curbionenſis tranſlatio in oppidum Bleſas, ubi Monaſterii Bleſenſis S. Launomaro nuncupati conditio facta legitur à Rodulfo Rege anno DCCCCXXIV, rogatu Theobaldi Palatini Comitis. Ubi etiam Magenciacenſis Prioratûs apud Arvernos Vuillelmus Comes Arvernorum anno DCCCCXII auctor memoratur.
DCCCLXXV	Altfridus Epiſcopus Hildineshemenſis in Saxonia. Ubi origo ejus Epiſcopatus præmittitur. Hic *Abbatias Selingenſtad Monachorum & Aſnedi Virginum condunavit*, ex Chronico Saxonico. Tum Gandeſheimenſe Cœnobium à Liudolfo Saxoniæ Duce & Oda conjuge erectum; poſtremò Hildineshemenſe S. Mariæ Monaſterium ab ſe ædificatum dedicavit.
DCCCLXXV	Ado ex Monacho Ferrarienſi Archiepiſcopus Viennenſis in Gallia.
Circ. DCCCLXXV	Cuthberti Epiſcopi Lindisfarnenſis tranſlationes & miracula. Abbates & viri pii Cœnobii S. Petri in inſula Lindisfarnenſi ab Ethelvvolfo Monacho carmine celebrati.
Circ. DCCCLXXVII	Neotus Abbas Anglus Monaſterium condit in Cornubia apud Vveſtſaxones ſitum, haud longè à Leſtcida oppido, quod Neoti nomine etiamnum *Neoteſtovv* dicitur. Alia Cella Neoti nomen præfert in agro Huntidonenſi, quam Leofricus Comes & Leofleda ejus uxor agente Adelvvoldo Vvintonienſi Epiſcopo pro Elienſibus Monachis ædificavit labente ſæculo x. Hic quoque ſanctorum Guevori & Petroci Monaſteria Anglicana recenſentur.
DCCCLXXVIII.	Bertilo Chorepiſcopus & Abbas S. Benigni in Gallia, itemque alii ejuſdem loci ſancti Abbates qui Bertiloni ſucceſſere.
Circ. DCCCLXXXII	S. P. Benedicti reliquiarum illationis hiſtoria cum ſex libris miraculorum ejuſdem, quæ in Gallia & Italia patrata ſunt. Eorum occaſione mentio fit Patriciacenſis Monaſterii ab Eccardo Comite in honorem S. P. Benedicti in Æduenſi Epiſcopatu erecti, Cellæ item Barcinonenſis S. Benedicto nuncupatæ.
DCCCLXXXIV	Eusebius Reclauſus, Marcus Epiſcopus Scottus, & Marcellus ſeu Moengal Marci nepos ex ſorore apud S. Gallum Monachi.
DCCCLXXXIV	Berthaurius Abbas Caſinenſis & Martyr, Apollinaris & Deusdedit item Caſini Abbates.

DCCC LXXXVI	ANSBALDUS ſeu Anſpaldus & Anſboldus Abbas Prumienſis quintus.
DCCC LXXXVII	MARTINI Toronenſis Epiſcopi reliquiarum translatio in Burgundiam, indeque Turonos relatio.
DCCC LXXXVIII	RIMBERTUS ſeu Rembertus & Rimbertus Hammaburgenſis Archiepiſcopus in Saxonia, Bukkio Monaſterium in ſolitudine conſtruxit.
DCCC LXXXVIII	EVRARDUS Archiepiſcopus Senonenſis.
DCCC XC	GENTIANI Martyris tranſlatio in Monaſterium Corbeienſe.
DCCC XC aut inſequenti.	VIVENTII Confeſſoris tranſlatio ex Gravione Caſtello pagi Pictavenſis Amaoſum in Burgundiæ Comitatu, ubi non longè ab Arari flumine Agilmarus Epiſcopus Arvernenſis Cœnobium condidit: quo deleto tranſlatæ denuo Sancti reliquiæ Vergiacum in diœceſi Æduenſi, ubi Dux Manaſſes & Hermengardis uxor Monaſterium condidere.
DCCC XCI	SUNZO ſeu Sunderoldus Archiepiſcopus Moguntinus.
DCCC XCV	AURELIANUS Lugdunenſis Epiſcopus, Athanacum vetuſtiſſimum Cœnobium Monachis deſtitutum ac ferè excisum integritati reſtituit, eique Abbas ſanctiſſime præfuit: quo tempore Saxiacenſe item ad Rhodanum erexit Monaſterium, cui loco Abbatis præeſſe rogatus eſt. Acciti hanc in rem ex Carnutenſi pago Monachi duodecim Bonævallenſis Cœnobii, quod anno DCCC XLI Fulco miles annuente Carolo Calvo opemque ferente condiderat.
Circ. DCCC XCV	JOHANNES Abbas Æthelingienſis, ut litterarum, ſic monaſticæ vitæ in Anglia ſub Ælfredo Rege quaſi inſtaurator, cujus juſſu Æthelingienſe, itemque aliud condidit Cœnobium ſub annum DCCC XC.
Circ. DCCC XCVIII	MAXCOLFI Abbatis Nantenſis tranſlatio Corbiniacum. Ubi Monaſterii ejus origo deſcribitur auctore Frederunna Caroli Simplicis uxore, quæ Rege annuente regalem hunc fiſco S. Remigio attribuit, & in Monaſterium convertit ſub annum DCCCC XVII.
Circ. DCCC XCVIII	HONORINÆ Virginis & Martyris tranſlatio Confluentium in pago Pariſienſi, ubi Prioratus ejus nomine erectus eſt, Beccenſi Aſceterio ſubjectus.

APPENDIX.

Circ. DCLXXX	RODINGUS Abbas & Conditor Monaſterii Bellilocenſis in Argonna.
Circ. DCLXXXV	MADELGISILUS Confeſſor & Eremita in Pontivo originem dediſſe videtur loco, qui Monſtrelectus ſeu Monaſteriolus, *Monſtrelet*, dicitur.
Circ. DCC	VODOALUS, cognomento Benedictus, Confeſſor, Sueſſione in Parthenone B. Mariæ Monachus ac Recluſus.
DCC IX	VVILFRIDI Senioris Eboracenſis Epiſcopi Vitæ Paralipomena.
DCCC IX	SIMPERTUS ex Abbate Murbacenſi Epiſcopus Auguſtanus, S. Afræ Monaſterii eccleſiam extra muros urbis inſtauravit. Hic habetur Theodorici Regis privilegium, in quo Pirminius ſeu Priminius Epiſcopus & Abbas Monaſterium ſeu Vivarium peregrinorum Morbaci condidiſſe ex Eberhardi Comitis munificentia dicitur.
Circ. DCCC XII	VILLELMI Ducis & Monachi Gellonenſis ab ipſo conditi Cœnobii tranſlatio, ejuſque tumuli anno elapſo M DC LXXIX detectio.
DCCC XLII	BARNARDI Viennenſis Archiepiſcopi Vitæ fragmenta duo.
Circ. DCCC LXV	PASCHASII Radberti Vita auctore Anonymo, de quo infrà.
	BENEDICTI tres, Anianenſis, Follatenſis & Mediolanenſis. Ubi de Euticio Abbate Gallo.
	HABIBALDUS, ABBO, CHRISTIANUS, & BETTO Epiſcopi Autiſiodorenſes priſtini.
	S. POTENTIANI Martyris tranſlatio in Cœnobium Jotrenſe.
	EADFRIDUS & ULSINUS Abbates, ULFUS Præpoſitus S. Albani apud Anglos. Ubi ejus Monaſterii primordia Offa Rege promovente.
	MONACHI ſæculo IX MARTYRES in Gallia, Italia atque Hiſpania.
	REGIÆ PERSONÆ quæ Ordini S. Benedicti acceſſerunt ævo Carolino apud Francos.
	S. MAJANI Confeſſoris tranſlatio in Monaſterium Cogneuſe diœceſis Biterrenſis.
	EUCHARISTICA OPUSCULA, ſeu Dicta cujuſdam Sapientis de corpore & ſanguine Domini adverſus Ratbertum. Itemque Excerpta ex alio Anonymi tractatu, ex Epiſtola Rabani ad Heribaldum & Haimonis Epiſcopi Halberſtadenſis de Euchariſtia.

INDEX SANCTORUM

SECUNDÆ PARTIS

SÆCULI QUARTI BENEDICTINI.

A

ABBO Autiſiodorenſis Epiſcopus, 573. Heribaldi deceſſoris frater, 573. Sepultus in Monaſterio S. Germani cui Abbas præfuerat, *ibid.*

ADO Viennenſis in Galliis Archiepiſcopus. Elogium ejus hiſtoricum, 161 *& ſeqq.* Lupi epiſtola ad Gerardum Provinciæ Ducem, 165. Adonis vita privata hactenus ignota, 161. Ortus, parentes, monaſtica Ferrariis profeſſio, *ibid.* & 166 Miſſio Prumiam, *ibid.* Romana peregrinatio, 167. Lugduni commoratio, *ibid.* electio epiſcopalis, *ibid.* Nicolao Papæ probata, 168,

virtutes

virtutes ejus & ſollicitudo paſtoralis, *ibid. & ſeqq.* Summorum Pontificum aliorumque ad ipſum epiſtolæ, 268 *& ſeqq.* Synodus Viennæ ab ipſo coacta, 269. ſubſcriptio in Conciliis Cabilonenſibus, 271. ætas & obitus ejus, *ibid.* ſcripta & inſtrumenta publica ab ipſo edita, 270 *& ſeqq.* Martyrologium, 272 *& ſeqq.* Chronicon, 273. Vita S. Deſiderii, 271, 275. S. Theuderii, 274. Viennenſes Epiſcopi ſæculo IX, 274 *& ſeqq.*

ALTFRIDUS Epiſcopus Hildineſheimenſis quartus. Epiſcopatus ejus origo, 259. Altfridi ſucceſſores, 260 *& ſeqq.* Ejus geſta & obitus, 261, 262

ANSBALDUS Abbas Prumienſis quintus, 467 *& ſeqq.* patria ejus & monaſtica profeſſio, *ibid.* Abbatialis dignitas, 468. Lupi Ferrariæ Abbatis ad eum epiſtolæ & traditio de Nitardo, *ibid.* Prumiæ vaſtatio & incendium, 469. Anſhaldi obitus, *ibid.*

ANSCHARIUS Hammaburgenſis & Bremenſis Epiſcopus. Vita ejus auctore S. RIMBERTO ejus diſcipulo ad mſſ. codices Corbeienſes exacta cum Obſervationibus prævis de Vitæ ejus ſcriptoribus Remberto, & Gualdone, de Anſcharii cultu, apoſtolatu, Hammaburgenſis Eccleſiæ cum Bremenſi unitione, & Monachis in Bremenſi eccleſia conſtitutis; poſtremò de Anſcharii ſcriptis, 75 *& ſeqq.* Præfatio ad Corbeiæ veteris Monachos, 78 Anſcharii patria & inſtitutio, 79. Monachatus & ecſtaſis, 80. ſcholæ Corbeienſis utriuſque præfectura, 81 *& ſeq.* Danorum converſionem aggreditur, 83. Autberto ipſi adjuncto, 84 Ambo grati Herioldo Danorum Regi, *ibid.* Paganos erudiunt, 85. Anſcharius ad Suecos profectus, *ibid.* multos ad Fidem adducit, 86. Hammaburgenſi ſedi imponitur, 87. Legatus ad Septentrionis populos, 88 Hammaburgum à piratis vaſtatum, 89. Hinc puniri Suecones, 90. Patratis ab Herigario miraculis ad Fidem adducuntur, 91 *& ſeqq.* Avcundus Rex fruſtra Byrcam obſidet, 92. Poſt mortem Imperatoris Anſcharius à Ludovico Rege Bremenſem accipit Epiſcopatum, 95. illum Hammaburgenſi ſedi conjungit, 96 nequicquam repugnante Gunthario Colonienſi Epiſcopo, aſſentiente Nicolao Papa, *ibid.* iterum legatus ad Suecos, 97. rem Chriſtianam promovet, 98 *& ſeqq.* Viſo cæleſti animatur, 99. multa paſſus condendæ eccleſiæ accipit facultatem, 102. Curlandos Sueci oppugnant, 103. ad Chriſtum convertuntur, 104. Horricus junior patri ſuccedit, *ibid.* favet Anſchario, qui ab Ebone Remenſi Epiſcopo confirmatur, 105. virtutes ejus, 106 *& ſeqq.* Reginarii cladem prævidet, 109. captivos liberat, 110. Ambit martyrium, 110. moritur, 113

Anſcharii alia Vita per GUALDONEM Corbeiæ veteris Monachum metro edita. Præfatio ad Albertum Hammaburgenſem Archiepiſcopum, 115

Appendix de S Anſcharii reliquiis, epiſtolâ aliiſque monumentis, 120 *& ſeqq.* Ludovici Pii præceptum de miſſione S Anſcharii ejuſque ordinatione, 121. Gregorii Papæ IV decretum de eadem re, 122. Adalberti Hammaburgenſis Archiepiſcopi litteræ ad Fulconem Corbeiæ Gallicæ Abbatem, 123

APOLLINARIS Abbas Caſinenſis, 403. Regiminis initium, miraculum, ſanctitas & mors, *ibid.*

AURELIANUS Lugdunenſis Archiepiſcopus. Elogium ejus hiſtoricum, 490 *& ſeqq.* Aureliani ſanctitas & memoria in Martyrologio, *ibid.* patria, parentes, clericatus & dignitates, 491. Athanaci reformatos & Monachus, *ibid.* SS. Florentini & Hilarii Martyrum transfert reliquias, 492. Eorum paſſionis tempus & locus Pſeudenum in diœceſi Auguſtodunenſi, 492. non Sedonum, 493. Id probat Tranſlatio duplex eorumdem, 494 *& ſeqq.* Aurelianus eorum corpora defert Athanacum, *ibid.*, Bonnævallenſibus Monachis reliquiarum partem concedit, 495. miracula in itinere facta, Aurelianis, *ibid.* apud Bonamvallem, 496. Monaſterii ejus origo & ſtatus, 497. Aurelianus Saxiacenſe condit Monaſterium, 498. Ejus hac de re teſtamentum, *ibid. & ſeqq.* Badilo Abbas primus ejus loci, 500. Caroli Burgundiæ Regis, & Epiſcoporum Siſteriei congregatorum privilegia, *ibid. & ſeqq.* Aurelianus Foſſatenſes exſules excipit Saxiaci, 502. Ejus hanc in rem litteræ, 503. Conciliis intereſt, *ibid.* reliqua ejus geſta & mors, 504

Breve Chronicon Monaſterii Bonævallis, apud Carnutes, 504 *& ſeqq.*

AURELII, GEORGII & NATHALIÆ Martyrum Tranſlatio in Pariſienſe S. Germani Cœnobium, *V.* Georgii.

B

BAOSLO Abbas Luxoviæ, 500 a, 591 a

BARNARDUS Viennenſis Archiepiſcopus. Vitæ ejus fragmenta duo ex mſ. codice Ambroniacenſi, cum Obſervatione prævia, 561 *& ſeqq.* Fragmentum primum, 562. Bernardus Pontifex electus acquieſcere negat, *ibid.* à Paſchali Papa cogitur, *ibid.* Paſchalis hanc in rem litteræ, *ibid.* Gregorius Notarius idcirco miſſus, *ibid.* Barnardus Romanenſe condit Cœnobium, *ibid.* 563. Martyrum reliquias eò transfert, 563, 565, 566. Viatico mortis proximus munitur, *ibid.* Dogtrannus Epiſcopus ſepulturæ adeſt, 564. annorum vitæ ſumma, *ibid.* Fragmentum alterum, 564. Concilia quinque anni DCCCXIX, 563. Agobardi mors, *ibid.* Barnardi elogium, *ibid.* Paſchalis ad eum epiſtola, 556. Eugenii item litteræ, 567

BASOLI Confeſſoris tranſlatio ſcripta ad Adſone Dervenſi Abbate, ex mſ. codice Cœnobii S. Baſoli cum Obſervatione prævia, 137. Baſoli corpus ab Hincmaro Remenſi Archiepiſcopo terrâ levatum, *ibid.* Sancti baculus religioſè ſervatus, 138. varia miracula, *ibid. & ſeqq.* Spetini nefarii Abbatis corruptio, 139. Wandalorum in Franciam impetus, *ibid.*

S. P. BENEDICTI Illationis reliquiarum Hiſtoria auctore DESIDERIO Hersfeldenſi Monacho. Obſervationes præviæ de illius cauſis, ſcriptoribus miraculorum à S. P. Benedicto editorum, & locis ab eo illuſtratis, 343. *& ſeqq.* Cujuſdam Diederici apologetica Præfatio, 350. Normanni Gallias vaſtant, 351. Monaſterium diſſipiunt, 351. Vincuntur à Giſolfo Comite, 352. locus inſtauratur, 353. Aurelianis S. P. Benedicti corpus relatum, *ibid.* miraculis claret, 354

Fragmentum Chronographi anonymi ex Cheſnio, 355 *& ſeqq.*

Miraculorum S. P. Benedicti libri duo ſcripti ab AIMOINO Monacho Floriacenſi anno M V. Prologus ad Gauzlinum Abbatem, 356 *& ſeqq.* Gregorius Magnus Ordini Benedictino adſcriptus, 357. Auctores qui de S. Benedicto ſcripſerunt, *ibid.* Normannorum ſtrages, *ibid. & ſeqq.* Rainaldus eorum Rex Floriaci moratur, 358 à S. Benedicto cæditur, 359. effigies capitis ejus Floriaci ſervata, *ibid.* Herbertus Caroli Simplicis proditor, *ibid.* Rodulfi Regis æquitas, 360. Floriacenſium Abbatum ſucceſſio, *ibid.* Drogo novitius ut probatus, *ibid.* ſecedit in eremum, 381. Ludovicus Ultramarinus à Theobaldo Carnotenſium Comite captus, 362. Arnuſtus S. Benedicto dat pœnas, *ibid.* Gerberga Francorum Regina, *ibid.* Enſem altari S. Benedicti imponens punitur, *ibid.* Herbertus Monaſterii prædiorum invaſor cæditur, 363. Romaldus item morte correptus, 364. Floriacenſe incendium, *ibid.* menſa incombuſta, 365. Architectus caſu illæſus, *ibid.* duodecim pauperes Floriaci aliti, 366. Lucernæ in eccleſia B. Mariæ, *ibid.* S. Benedicti vexillum, 367. Eulogiis panis & vini muniti victores evadunt, 368, 370. Trabs loco mota, *ibid.* Navicula cælitus ſubminiſtrata, 369. Arnulfus Aurelianorum Epiſcopus præpotens, *ibid. & ſeqq.* Reliquiæ pro tuendis prædiis delatæ, 370

Miraculorum S. P. Benedicti liber II, auctore Aimoino, 371. Floriacus Vallis aurea, *ibid.* Francorum Reges, *ibid.* Abo Abbas Oilboldi ſucceſſor, *ibid.* Floriacenſe incendium, *ibid.* Apparatus in feſto Tranſlationis, 372. Caput cervium S. Benedicto votum ab Otherio, 374 ab Ademaro cum Bruccia & Salis invaditur, 375. Hinc pugnâ datâ capitur Ademarus, 376 *& ſeqq.* Equus à puteo eductus, 378 Rotberti Regis connubium, 380. Ligeris inundatio, 381. S. Pauli Confeſſoris corpus Floriacum defertur, 382. Felix Anachoreta naufragio liberatur, 383, 384. Advocatus malus punitur, *ibid.* 392. Patriciacum S. Benedicto datum ab Eccardo Comite,

385. Ibi S. Benedicti reliquiæ, *ibid.* contra invaſores delatæ, 386. in præmium doctrinæ dantur, *ibid.* Bernardus minax & blaſphemus lanceâ confoſſus, *ibid.* aliud Floriacenſe incendium, 388. Varia miracula, 389 *& ſeqq.*

Alia miracula à Rodulfo Tortario Floriacenſi Monacho ſcripta ſub finem ſæculi XI, 390 *& ſeqq.* Odo Henrici Regis frater, *ibid.* Ob rapinas moritur, 391. Eccleſiæ neglectæ pœna, *ibid.* Monachus in extremis, *ibid.* Hugonis Abbatis pavo, 392. Altaria ob furtum flagris cæſa, 393. Perjurus corripitur, *ibid.* Ignis ſacer reſtinctus, 394. Feſti violatrix punita, *ibid.* Servorum conditio, 395. Duello finita, *ibid.* Tranſlationis S. Benedicti feſtum, 396. Monacho loquela reddita ad confeſſionem, 397. Confeſſionis dilatæ pœna, *ibid.* Præpoſiturarum origo, *ibid.* Viaticum, 398. Prædo excommunicatus malè perit, *ibid.* Poſt mortem excommunicatione ſolvitur, 399. S. Benedicti cœmeterii immunitas, 400. Raptores puniti, *ibid. & ſeqq.* Pœnitens ferro conſtrictus Floriaci ſolvitur, 401. Peſtis remiſſa delatis S. Mauri Martyris reliquiis, *ibid.* Supplicationes nudis pedibus peractæ, 402 Feretrum vino lotum in ægrorum medelam, 403. S. Mauri Martyris brachia ubi? 404. Juramentum ſuper ejus reliquias, *ibid.* Guillelmi Pictavorum Comitis expeditio Jeroſolymitana, 405. Pictones audaces, *ibid.* Eccleſiæ violator punitus, *ibid. & ſeqq.* Principum aliquot genealogia, *ibid. & ſeqq.* S. Benedicti reliquiæ in aliam thecam delatæ, 407 Thecæ particulæ ægris ſalubres, *ibid.* Quæſtura concionatoria, *ibid.* Vitriacum in ſilva Aurelianenſi Palatium, 408. Floriaci incendium, *ibid.* Chriſti ſudarium & aliæ reliquiæ flammis objectæ, 409. Varia miracula, 410. *& ſeqq.* Tranſlationis feſtum violans punitur, 411. Tumulationis feſtum, 412. Tumulatio dicta Tranſlatio. 413. Calix aureus defuncti manu oblatus, 414. Prædones Ligeris undâ merſi, *ibid.* Pauperes Floriaci aliti, 417. Reliquiæ vino lotæ, 419. Tranſlationis celebritas, *ibid.* Fur in ſuſpendio incolumis ſervatus, 420. Alter punitus in filio, 422.

Appendix S. Benedicti miraculorum ex codice Patriciacenſi, 423. Multi nobiles Floriaci Monachi, *ibid.* S. Benedicti Cella in Catalania, *ibid.*

Catalogus Abbatum Floriacenſium, 424

De aliis miraculis in Italia patratis Dialogorum libri tres, auctore DESIDERIO Abbate Caſinenſi, dein Victore Papa III, 425 *& ſeqq.* Apollinaris Abbas ſiccis pedibus tranſit fluvium, 426. Caſinum à Saracenis intactum, *ibid.* Punitt barbari, 427. Guinizo Hiſpanus vir ſanctus, *ibid.* Januarius ejus diſcipulus ferrum candens tractat, *ibid.* Apoſtatæ lapſus, 430. Converſio, 431. Pandulfi malefacta, *ibid.* Conradus Imperator Caſinum accedit, 432. Pandulfo adimit principatum, *ibid.* latro punitus, 433. Alii deluſi, *ibid.* Pandulfi damnatio, 434

Liber ſecundus miraculorum, 436. Alix Diaconus Beneventanus, 436. Fruſtra Epiſcopatum ambit, 437. Johannes Abbas Caſinenſis, 436 *& ſeqq.* Felix ſanctus Teani ſepultus, 438. Viri pii Caſinenſes, *ibid. & ſeqq.* Incendium Caſini reſtinctum, 442. Ferrum undis cælitus reductum, *ibid.* Dæmoniacus prodit Monachi culpam, 443. Ruſtici religio in feſto S. Nicolai & die communionis. 445. Fratres à Monaſterii ruina educti, 446. Lampades caſu inextinctæ, 447. Normanni diremtores puniti, 448 Obedientia Monachi occiſi miraculis illuſtrata, 449 SS. Protus & Hyacintus Monacho apparent, 450.

Liber tertius miraculorum, 450 *& ſeqq.* Eccleſiæ ſtatus ſæculo X, 451. Schiſma, 452. Leonis Papæ IX virtutes & miracula, 453 *& ſeqq.* Petrus Epiſcopus ſimoniacus probatus judicio ignis, 456 *& ſeqq.* Alius ſimoniacus Spiritum ſanctum proferre non valet, 458. Alfenus Abbas præcipiti caſu illæſus, *ibid.* Ova multiplicat, 459. S. Offa thus ab Angelo miniſtratum, *ibid.* Ejus in extremo morbo temperantia, 460.

BENEDICTUS Anianenſis Abbas idem cum EUTICIO eſſe probatur, 570 *& ſeqq.* Alius item à Benedicto Foſſatenſi, atque etiam à Benedicto Mediolanenſi Abbatibus, 571 *& ſeqq.* Benedicti Anianenſis opera, 571. Libellus ex diverſis Patrum ſententiis collectus, *ibid. & ſeqq.*

BERTARIUS Abbas Caſinenſis & Martyr, 463. Genus ejus, electio & geſta, 464. Saracenos direpto S. Vincentii Cœnobio Caſinum properantes placat muneribus, 465. Ludovicum Imperatorem Caſini excipit, eique Hiſembardum Gaſtaldionem reconciliat, *ibid.* Legationes obit, 466. Martyrium ejus & ſepultura, *ibid.* Cultus & ſcripta, 467.

BARTILO Chorepiſcopus & Abbas Divionenſis S. Benigni Monaſterii in Gallia, 538 *& ſeqq.* Benigniani Cœnobii primordia, *ibid.* Regula & inſtitutum, 539. Reſtitutio diſciplinæ, *ibid.* Abbates Chorepiſcopi, *ibid.* Monaſterii clades, 540. Bertilo Abbas multorum donationes excipit, *ibid.* Coadjutorem habet Saronem, 541. Decedit, *ibid.* Miracula ejus & tranſlatio, *ibid. & ſeqq.* Saronis & Ingonis Abbatum obitus, 542. Monaſterii ſtatus ſecolox, *ibid.* Chronici ſcriptor, *ibid.*

BETTO Autiſſiodorenſis Epiſcopus, 573. Abbas S. Heracli, tum S. Columbæ Præpoſitus, pauperes menſæ adhibet, in crypta S. Germani ſepelitur, 577.

C

CHRISTIANUS Epiſcopus Autiſſiodorenſis, 373. Abbas S. Germani diploma conſequitur ab Ludovico Auguſto, 376. An idem cum Chriſtiano Druthmaro, *ibid.* aut alio æquivoco Floriacenſi Monacho, 567

CONVVOIO Abbas Rotonenſis in Armorica. Vita auctore Anonymo incerti temporis ex mſ. cod. Rotonenſi. Obſervationes præviæ de vita & miraculis S. Convvoionis, de Rotonenſis Cœnobii primordiis & dotatione, Britannorum Epiſcoporum dejectione, tranſlatione S. Marcellini Papæ, Brittonum Ducibus & Monaſterii ſtatu, 184 *& ſeqq.* Prologus Auctoris, 188. Convvoio nobilis Rotonum ſecedit, 189. A Ludovico Pio inviſitur, *ibid.* Rotonenſem locum aliaque obtinet, 190. Epiſcopos ſimoniæ convictos Romam ducit, 185. Inde S. Marcellini corpus refert, *ibid.* Rotonum à Normannis evertitur, *ibid.* Convvoio moritur, 192.

Libri tres de geſtis Sanctorum Rotonenſium, Convvoionis & aliorum, auctore Monacho Rotonenſi anonymo Convvoionis diſcipulo, ex mſ. codice Rotonenſi, 193 *& ſeqq.* Nominoe Princeps Britanniæ Rotoni erectionem confirmat, 193 *& ſeqq.* Gerfridus ex Monacho Glannafol. eremita Rotonenſes inſtruit, 194. Ratvvili poſt curationem converſio, 195. Nobiles Rotoni fiunt Monachi, 196. Fur punitus, 197. Tyranni multati, 198 Caroli Calvi in Britanniam impetus, 199. Convvoionis ad Ludovicum Pium legationes, 200 *& ſeqq.* Munera Regi oblata, *ibid.* Diſcordia inter Francos & Britones, 203. Varia miracula, 204 *& ſeqq.* Vviſnontam ſicco pede Riovvenus Monachus pertranſit, 205. Doctiheo ſcriptor voto Monachus, 206. Convvoio Hypotemii reliquias Andegavo Rotonum defert, 210. Romam profectus ſimoniacos Papæ ſiſtit, 212. S. Marcellini corpus obtinet, 213. Varia miracula à SS. Marcellino & Hypotemio patrata, 214 *& ſeqq.* Stupenda pœnitentiæ publicæ exempla, 213, 219 *& ſeqq.* Leonienſis Monaſterii diſcidium, 216. Goiſlenus Abbas Glannafolii ſanatur, 218. Frotmundi nobilis pœnitentia & peregrinationes, 219 *& ſeqq.* Eriſpoë & Sidric cum Normannis conflictus, 221. Rotonenſe Monaſterium ab iis illæſum, 221.

CUICUINUS Monachus Rotonenſis cum S. Convvoione, 310, 588

CUTHBERTI Epiſcopi Lindisfarnenſis tranſlationes & miracula, auctore Monacho Dunelmenſi anonymo ſæculi XI, ex mſ. cod. Compend. & Bollando. Obſervationes præviæ, 276 *& ſeqq.* Dani & Friſii Britanniam vaſtant, 277. Elfredus Rex profugus, *ibid.* à S. Cuthberto juvatur, 278 Tranſlatio ejus in Hiberniam impedita, 279 *& ſeqq.* In Sanctum injurius necatur, 281. Monaſterii Lindisfarnenſis pervaſores terræ hiatu abſorpti, 283. Evangeliorum codex in aquis illæſus, 283 Feminis aditus in eccleſiam S. Cuthberti interdictus, 284, 287. Violati cœmeterii pœna, *ibid.* S. Cuthberti corpus Dunelmum advectum, 285. Ealmundi Dunelmenſis Epiſcopi cura in conquirendis Sanctorum reliquiis, 286 Preſby-

tero uxorato Miſſam celebranti quid acciderit, 187. Toſtii Comitis miles interemtus, 188. reus ad S. Cuthberti eccleſiam fugiens ſalvatur, 189. Vvillelmus Anglorum Rex ne Dunelmenſibus noceat impeditur, 190. Vvalcherus ex ordine Clericali primus Dunelmenſis Epiſcopus, 192. Fures repreſſi, 189, 195, 501. S. Cuthberti corpus poſt annos, 418. incorruptum transfertur, 494 & ſeqq. miracula hic patrata, 501

D & E

Deusdedit Abbas Caſinenſis, 465. obit in carcere, 464

Eadfridus Abbas S. Albani apud Anglos, 579. ejus Monaſterii initia, & Abbates primi, *ibid.* Eadfridus præfecturâ relictâ ſecedit in eremum, 580

Egil ſeu Eigil & Egilo Archiepiſcopus Senonenſis in Gallia. Elogium ejus hiſtoricum, ubi de Salacone Epiſcopo Dolenſi, 237 & ſeqq. Egilonis patria & monaſtica profeſſio, *ibid.* Abbas Prumiæ tum Flaviniacenſis, 238. S. Reginæ Virginis & Martyris tranſlatio in Monaſterium Flaviniacenſe, *ibid.* & ſeqq. Egil Corbinianenſem erigit cellam, 240. Fit Epiſcopus Senonenſis, 242. obitus ejus & ſepultura, *ibid.* Saloco Dolenſis Epiſcopus, 241. ſede ſua pulſus, 245.

Evrardus Senonenſis Archiepiſcopus Auſegiſo ſuccedit, 485. Senonibus obſeſſis decedit, 486. laudes ejus & ſucceſſor Vvalcherius, *ibid.*

Eusebius Scottus prope S. Galli Monaſterium Recluſus in monte S. Victoris, 461 à multis conſulitur, 462. Vitæ ejus à Bollando editæ quæ auctoritas, *ibid.*

F & G

Faustæ Virginis & Martyris tranſlatio ex Vaſconia in Cellam Aſincuſem. Obſervatio prævia, 72. Arnaldus Vaſconum Dux S. Fauſtæ reliquias reperit, 73. Acceptæ à Sollemniacenſibus Monachis in Ainenſi Cella pagi Tornacenſis deponuntur, 74

Frodoberti Abbatis Cellenſis apud Trecas tranſlatio, 243 & ſeqq.

Gentiani Martyris Tranſlatio in Corbeienſe Monaſterium. Obſervatio prævia, 486. Corbeienſium ſtudium in reliquias, 487. Otgerus Ambianenſis Epiſcopus Viromandenſibus dat Victoricum, Corbeienſibus Gentianum, *ibid.* Fulcone Abbate agente, 488. Ambianis inſequentibus, *ibid.* ſed impeditis, *ibid.* ſacra pignora Corbeiæ accepta. *ibid.* loco moveri non poſſunt, 489

Genulfi Epiſcopi & Confeſſoris tranſlatio & miracula, ubi de Stradenſis Cœnobii conditione agitur, cum Obſervationibus præviis de Genulfi nomine, miſſione in Gallias, Vitæ auctoribus, cultu & tranſlationibus, 225 & ſeqq. Vvifredus Comes Stradenſe condit Cœnobium, 222. Dodo primus Abbas, 227. privilegia obtinet, 226, 228. ſuccedit Mainardus, *ibid.* Nivernenſe S. Petri Cœnobium Stradenſi ſubjectum regit, 229 Genulfus & Genitus Geturnicenſem urbem adeunt, *ibid.* cellam ædificant, *ibid.* Genulfi corporis tranſlatio Rege annuente, *ibid.* & ſeqq. Varii Galliæ caſus, 230. Normannorum incurſus, *ibid.* S. Genulfi reliquiæ Nivernum delatæ, *ibid.* tum Lucas, 231. Radulfus Rex Normannos vincit, *ibid.* Stradenſes Abbates, *ibid.* Elias 232. Rotberius, 236 Genulfi miracula, 232 & ſeqq. Carolinæ ſtirpis Reges, 235. Dies dominicæ ſollemnitas à veſpera ſabbati, 235, Stradenſis Cœnobii inſtauratio per Rotbertum Abbatem, 236. iterum tranſlatæ S. Genulfi reliquiæ, 237. Conditionis litteræ per modum teſtamenti, *ibid.* & ſeqq.

Georgii Monachi, Aurelii & Nathaliæ Martyrum tranſlatio ex urbe Corduba Pariſios, & miracula tribus libris ſcripta ab Aimoino Monacho S. Germani à Pratis, ex codice mſ. pervetuſto, cum Obſervationibus præviis de Aimoino, atque Eulogio Paſſionis eorum ſcriptore, 45 & ſeqq. Aimoini Præfatio, 46. S. Vincentii corpus Corduba ablatum, 47. S. Cypriani Cordubæ eccleſia, 48 Sanctorum Martyrum corpora inde elata, 49. patrata in itinere miracula, 50 & ſeqq. Carolus Calvus ſacras reliquias explorat, 57. earum pars Edoni Comiti conceſſa, *ibid.*

H

Helenæ Imperatricis tranſlatio in Monaſterium Altivillarenſe ex mſ. cod. Altivillarenſi, 153 & ſeqq. probatio reliquiarum ejus facta, 154. Comitia regni in Monte ſanctæ Mariæ, *ibid.* Nundinarum jus à Stephano Comite conceſſum, 156

Haribaldus ſeu Heriboldus Autiſiodorenſis Epiſcopus, 573. An Abbas S. Germani, 574. Ejuſdem Sancti corpus elevat, *ibid.* Rabani Epiſtola ad Heribaldum, 575. ſepulcrum ejus, *ibid.*

Honorinæ Virginis & Martyris Tranſlatio Confluentium in pago Pariſienſi, 526. Tranſlationis tempus, ſeries & miracula, *ibid.* Beccenſes ab Ivone Comite illic inſtituti, *ibid.* Burcardus de Montemorenceio S. Honorinæ cremat Eccleſiam, 527. Hinc S. Honorinæ reliquiæ novam in thecam reconditæ, à Joufredo Pariſienſi Epiſcopo & Anſelmo Becci Abbate, *ibid.* Varia ejuſdem Virginis miracula, *ibid.* & ſeqq.

Huntfridus Epiſcopus Tarvanenſis ex Monacho Prumienſi, 223. ob Normannos cedere cogitur, *ibid.* Aſſumtionis B. Mariæ feſtum indicit, 223. Conciliis intereſt, 224. levatæ ejus reliquiæ, 225

I

Jacobus Eremita & Martyr in Biturigibus. Vita ejus auctore Sulpiciano Monacho, ex mſ. cod. ejuſdem loci, cum Obſervationibus præviis, 142. Prologus Auctoris, 145. Jacobus natione Græcus ab Heſpelino fratre trahitur ad meliora, 144. fit Monachus, 145. variè jactatur in mari, 146. & ſeqq. in Corſicam deponitur, 148. Romam, tum Genuam, poſtremò tendit in Galliam, 149. Biturigis in Monaſterium, 150. mox in eremum ſecedit, 151. Normannorum adventum prædicit, 155. miraculis illuſtratur, 155

Iosacus Monachus Lindisfarnenſis, 515

Johannes Abbas Ætheingiæ Elogium ejus hiſtoricum, 506 & ſeqq. Ælfredo Rege invitante venit in Angliam cum Grimbaldo Sithienſi Monacho, *ibid.* Æthelingienſi Monaſterio præficitur, 507 diriſſimè necatur, *ibid.* Patria ejus Saxonia Germanica ſeu vetus, 508. diverſus à Johanne Scotto, *ibid.* & ſeqq. An Corbeiâ vocatus in Angliam, 509 Presbyter fuit & Monachus, non verò Johannes Scottus, 510. quo tempore acceſſit in Angliam? 511. an etiam Johannes Scottus venit ad Ælfredum? *ibid.* an idem qui Johannes Sophiſta Malmeſburiæ occiſus? 512. Johannes Scottus Epiſcopus & Martyr, 513. alius à Sophiſta, *ibid.*

L

Launomari Abbatis Curbionenſis tranſlatio in oppidum Bleſas, à duobus Auctoribus anonymis, uno æquali ſcripta ex mſ. codice Monaſterii Bleſenſis Obſervationes præviæ de Curbionenſis Cœnobii fortuna, inſtauratione, & Bleſenſis Monaſterii primordiis, 245 & ſeqq.

Alia Hiſtoria fuſior ex mſ. cod. Herouvallino, 247. Tranſlatio Patriciacum, 246, 247. Cenomannos, tum Bleſas, *ibid.* Unciacum delatus Sancti baculus, 248. Æneas Pariſienſis Epiſcopus punitus, *ibid.*

Appendix de reliquiis S. Launomari, ubi diplomata quædam & Chronicon Magicotiacenſis Prioratus referuntur, 248 & ſeqq. S. Launomari caput Magentiaci repertum, *ibid.* Aliæ reliquiæ Bleſis, 249. Privilegium ſynodale Epiſcoporum Curbionenſi Monaſterio conceſſum Germiniaci, 249 & ſeqq. à Carolo Calvo confirmatum, 251 & ſeqq.

Chronicon Prioratus S. Launomari de Magentiaco apud Arvernos, 254 & ſeqq. Vvillelmi Comitis litteræ fundationis, *ibid.* Johannis Papæ VIII confirmatio, *ibid.* & ſeqq. Vvillelmi Ducis donatio, 255. Vvillelmi Tyer-

nenſis Principis litteræ, 157. Inſtrumentum Simonis Archiepiſcopi Bituricenſis de viſitatione reliquiarum S. Launomari facta apud Magentiacum an. M CC XXXIV, 158

Lindisfarnensium Abbates & viri pii Monaſterii S. Petri ab Ethelvvolfo Monacho carmine celebrati ex mſ. cod. Cantabrigienſi. Obſervationes prævia de Ethelvvolfo, Monaſterii ſitu, & viris inſignibus, 301 & ſeqq. Præfatio Ethilvvlfi Lindisfarnenſis eccleſiæ Monachi ad Egbertum Lindisfarnenſem Epiſcopum de Abbatibus ejuſdem Eccleſiæ, 304. Hortet ſeu Olredus Rex multos perſequitur, 305 & ſeqq. Eandmundus ex Duce Monachus & Abbas, 308, 309. obiit, 319. Eegfridus Lindisfarnenſis Epiſcopus, 307. Egbertus Epiſcopus in Monaſterio Hienſi, ibid. Ultani Presbyteri virtutes, 309. Fridegilſi Sacerdotis merita, 310. Cuicuinus Monachus Ferrarius, ibid. & ſeqq. Merci doſ in ſæculo illuſtris, poſtea Monachus, ad vitam redit, 312. Eorpuinus Abbas, 313. Aldvvini Abbatis frater, ibid. Sigbaldus Abbas munificus, 314. Sigvvinus Sigebaldi frater & ſucceſſor, ibid. Iglacus Presbyter & Lector, 315. idem magiſter, 320 Vviſigus Sacerdos & Abbas, 316, 320. Vvinfridus Presbyter & Fratrum veſtimentis præfectus, 317. Godfridus Hibernus Presbyter & Doctor, 320. Lupus Clarus Ethevvolfus, 321

Appendix de quibuſdam piis ac ſanctis Monachis Lindisfarnenſis Cœnobii, 322. Edilvvaldus ſeu Æthelvvaldus Presbyter & Anachoreta, aliique, ibid.

Lumsmellus Monachus Rotonenſis cum S. Convvoione, 193, 194, 198, 210

M

Madelgisilus Confeſſor & Eremita in Pontivo. Vita ejus auctore Hariulfo Centulenſi Monacho, ineunte ſæculo XII, ex mſ. codice Centulenſi, cum Obſervatione prævia, 537 & ſeqq. Præfatio ad Gervinum Ambianenſem Epiſcopum, ibid. & ſeqq. Furſeus ex Hibernia venit in Galliam, 538. Madelgiſilus ab eo inſtitutus & itineris comes, ibid. Eo mortuo Centulam ſe recipit, ibid. Sub Chlodoveo Rege & Balthilde Regina miracula fiunt Centulæ, 539. Madelgiſilus ſecedit in eremum cælitus præmonſtratam, ibid. & ſeqq. Eremi ſitus, 540. ibi fontem impetrat, ibid. Centulenſes ægrotanti ſubveniunt, ibid. Vvigarius ex Anglia ſolvit in Galliam, Madelgiſiloque adjungitur, 541. Simul convivunt, ibid. Vulgarius morbo correptus, ibid. Unctione & Viatico munitus obiit, 542. Madelgiſilus item moritur, Centulamque transfertur, ibid. Dubitatio de ejus cultu miraculis ſublata, ibid. Anno 1113. transfertur in novam thecam Anſcherio Abbate, 543

Majani Confeſſoris tranſlatio in Cognenſe Monaſterium, 590. An Magna villa hinc dicta, 598

Marcellus Monachus Cœnobii ſancti Galli, aliàs Mocngal, Marci Epiſcopi Scotigenæ ex ſorore nepos, ſcholæ S. Galli Præfectus, 461

Marculfi Abbatis Nantenſis tranſlatio Corbiniacum, 514 & ſeqq. Corbiniaci ſitus & ſtatus, ibid. S. Marculfi tranſlatio eò facta, à Meduntenſibus impugnata, ibid. Caroli Simplicis aſſerta diplomate, ibid. Poſſeſſio probatur, 515. tranſlationis tempus, ibid. S. Marculfi poteſtas in ſtrumas Francorum Regibus communicata, ibid. & ſeqq. an etiam Regibus Anglorum, 516. ritus in ſtrumoſorum contactu ſervatus, ibid.

Sermo de S. Marculfo Confeſſore ex mſ. codice Cœnobii S. Vincentii prope Laudunum, 517. ſtrumæ regius morbus dictæ, ibid. & ſeqq. Peronæ S. Marculfus claret miraculis, 518 & ſeqq.

Miracula B. Marculfi Confeſſoris ſeu Delatio corporis ejus per varia loca, 519 & ſeqq. Corbiniacum peſte & præda vaſtatum, ibid. Andreas, qui & Sigebertus, loci Præpoſitus, ibid. S. Marculfi corpus varia in loca defert, 520. Peronæ commendatio, 521 miracula ibi patrata, ibid. Adelidis Caſtri domina, 522. Henricus Abbas Montis S. Quintini cum ſuis ſacrum corpus adit nudis pedibus, 523. Inimici reconciliantur, 524. Reliquiæ S. Quintini deferuntur Peronam, ibid. S. Marculfi corpus in baſilicam S. Furſei refertur, ibid. cum feſtivo apparatu redit, 525. Vermandum, Homolarias, & Laudunum venit, ibid. Corbiniaci recipitur, ibid. & ſeqq.

Marcus Scotus Epiſcopus apud S. Gallum Monachus, 461. Sueſſionem in Monaſterium ſancti Medardi ſecedit hortatu Caroli Calvi, 461

Martini Turonenſis Epiſcopi tranſlatio in Burgundiam, & Turonos relatio, 469 & ſeqq. Odonis Cluniaci Abbatis hac de re hiſtoria cur hic omiſſa, ibid. tranſlationis occaſio & Majoris Monaſterii excidium, ibid. Herberni Abbatis conſtantia, 479. S. Martini corporis revectio, ibid. Monachi ſacri corporis excubitores & peregrinationis ſocii ad Epiſcopatuum & Monaſteriorum regimen adſumti, ibid. Errata in Odonis ſcriptione, ibid.

Mauri Abbatis in Foſſatenſe Monaſterium agri Pariſienſis tranſlatio ex Brolio, Bollando & mſſ. codd. auctore Odone Glannafolienſi & Foſſatenſi Abbate. Obſervationes præviæ de Glannafolienſis Cœnobii inſtauratione, ſanctique Mauri tranſlatione in Foſſatenſe Monaſterium ejuſque loci fortuna, 165, & ſeqq. Præfatio Auctoris ad Adelmodum Archidiaconum, 167. Gaidulfus Glannafolii expilator, 168. chartas & inſtrumenta diſſipat, 81. punitur, ibid. Rorico Comes Monaſterium inſtaurare aggreditur, 179. intermiſſum opus, 171. perficit, 172. Glannafolium Foſſatenſibus commendat, 173. Ebroinus Abbas eos expellit, 174. S. Mauri tranſlatæ reliquiæ, ibid. patrata miracula, 175. Anovvareth Brito Sancti ſepulcrum inviſit, 176. vexatores Monachorum puniti, 178. & ſeqq. Gerfredus Eremita clariſſimus, 179. Mauri corpus in villam Merulam, deinde in Burgundiam defertur, 182. Denique Foſſatum, 183. Appendix de ejus reliquiis miraculis & cultu, 183 & ſeqq.

Meinradus Eremita & Martyr in Helvetia. Vita ejus auctore Bernone Augienſi Abbate, cum Obſervationibus præviis, maximè de Einſidlenſi Monaſterio, 63. & ſeqq. Meginradus Augiæ Erlebaldo præceptore inſtitutus, 64. ſcholæ præficitur, 65. eremum ſecedit, 65. necatur, 66.

N

Nathaliæ, Georgii & Aurelii Mart. tranſlatio in Pariſienſe S. Germani Cœnobium. V. Georgii.

Neotus Abbas in Anglia. Vita ejus auctore Anonymo ſæculi XII, ex mſ. cod. Beccenſi, cum Obſervationibus præviis de ejus Vitæ ſcriptoribus & cultu, deque Oxonienſis Academiæ primordiis, 323, & ſeqq. Neoti genus & parentes, 324. Glaſtoniæ Monachatus, 325. legendi ſtudium, 326. Sacerdos miracula patrat, ibid. ſcabello utitur ad Miſſam, ibid. ſecreta petit, 327. annuente Marino Papa prædicat, 328. tanltos ad religionem convertit, ibid. Miracula ejus, 329 & ſeqq. Alfredo Regi dat monita, 330. infortunia prædicit, 331. Anglorum ſchola Romæ libera, ibid. Alvredi legatio Romam, ibid. Neotus Viatico munitus obit, 332. Gurro Angliam invadit, 332. Alfredi fuga, latebræ & ærumnæ, 333. Barbaris reſiſtit, Neoto proſpera prædicente, 334. ſuos cogit ad arma, 335. fugati barbari, 336. Gurro baptizatur cum aliis, ibid. Alfredus regno reſtituitur, ibid.

Appendix de S. Neoti anno & die obitus ejuſque reliquiis. Ubi de ſanctis Guevoro & Petroco, 337 & ſeqq. S. Neoti mortis annus, & tranſlationes, ibid.

P

Paschasius Radbertus Abbas Corbeienſis in Gallia. Vitam ejus V. in Append. pag. 567. Elogium ejus hiſtoricum, *122 & ſeqq. natale ſolum & educatio, ibid. tonſura, monachatus & ſtudia, 123. legationes, 124 Abbatiale munus, 125 obitus, 128 virtutes, 129. otii fuga, ibid. & ſeqq. varia ad diverſos monita, 129. judicium de ſcriptis ejus, 130 & ſeqq. varia ejus elogia & canonizatio, 132 & ſeqq. Appendix de Epitaphio Arſenii ſeu Vvalæ Vita, 133 & ſeqq. Verſus ejuſdem & epiſtola ad Carolum Calvum, 135

Vita

Vita ejuſdem auctore Corbeienſi Anonymo, qui ſæculo XII vixiſſe videtur, ex mſ. codice Corbeienſi, cum Obſervatione prævia, 567 & ſeqq. Ratberti eruditio & opera, ibid. & ſeqq. Abbatialis dignitas, 568. Alia ſcripta, ibid. Virtutes, obitus, & corporis elevatio, 569.

Putantiani Martyris Tranſlatio in Jotrenſe Briegii tractus Cœnobium, ubi Hermetrudis Abbatiſſæ tempore variis claruit miraculis, 578.

Probus Presbyter & Monachus Moguntiæ in Cœnobio S. Albani, 58 & ſeqq. Monaſterii S. Albani primordia & celebritas, ibid. Scholæ, 60. Probus Scotus, 59. Poëta, ibid. An auctor Vitæ S. Patricii, 60. Sanctus, ibid. Carolomannus Calvi filius apud S. Albanum, ibid. Liutgardis Regina, 61. Sepulta, ibid. S. Severi aliorumque Martyrum reliquiæ à Felice Clerico ſubductæ, & ad S. Albanum dein Erphesfurt delatæ, 61 & ſeqq. Ludovici Pii ad Lotharium legatio, 61. Sanctæ Innocentiæ reliquiæ apud Altum montem, 62.

R

Rabanus ſeu HRabanus Archiepiſcopus Moguntinus. Vita ejus auctore Rudolfo diſcipulo, cum Obſervationibus præviis de Vitæ ejus ſcriptoribus, 1 & ſeqq. Præfatio Auctoris, 2. Fuldenſis Monaſterii origo, 3. Ibi Rabanus fit Monachus, tum Abbas, ibid. Eccleſias parat & condit, 4, 16, 17. Sacras obtinet reliquias Alexandri Papæ & Martyris, ibid. aliorumque, 7 & ſeqq. Eaſdem transfert, & in loculis magnificis recondit, 8, 12. Miracula patrant, 9 & ſeqq. Præpoſitos è ſuis Monachos mittit in Cellas Fuldæ ſubjectas, 4, 6, 8, 13. Abbatis curam abdicat ſtudiis vacaturus, 18. Opera ejus, 19.

Rabani Elogium hiſtoricum, 20 & ſeqq. Patria ejus, ibid. Genus, 21. Monaſtica profeſſio, 22. Studia, 23. Sacerdotium & iter Jeroſolymam, 24. Abbatiale munus, 26 & ſeqq. Virtutes, 28. Abdicatio, 29. Archiepiſcopus, 30 & ſeqq. Synodos cogit, 31. Goteſchalcum reprimit, 32. Opera ejus, 33 & ſeqq. Virtutes, 34. Mors, 34. Epitaphium, 36. Elevatio & elogia, 37. Judicium de ſcriptis ejus, 38 & ſeqq.

Reginæ Virginis & Martyris tranſlatio in Monaſterium Flaviniacenſe, 238 & ſeqq.

Rembertus Hammaburgenſis Archiepiſcopus in Saxonia. Vita ejus auctore gravi Anonymo ejus æquali, cum Obſervationibus præviis de Remberti Vitæ ſcriptore, feſto ejus, & de omiſſis in ejus Vita, 471 & ſeqq. Prologus Auctoris, 472. Ludovici Pii ſtudium ro converſione Septemtrionalium, ibid. Anſcharium curat ordinari Archiepiſcopum, ibid. Rembertus in Monaſterio Turholt puer educatus, 473. Toolus ab Anſchario ob pietatis ſingulare indicium, ibid. Eidem familiaris, ibid. & 476. Conſors ejus gloriæ futurus prævidetur, 474. Annuiſi animam è purgatorio liberat, 475. Morienti adeſt Anſchario, 416. Cui ſucceſſor deſignatur, ibid. Ordinatur Archiepiſcopus, 477. Corbeiæ fit Monachus, 478. Adalgario ſocio inde adſumto, ibid. Ut vigiliis & jejuniis addictus, 479. Pauperibus & prædicationi quàm intentus, ibid. Epiſtola ejus ad Sanctimoniales Hereſenſis Monaſterii prope Paderburnam, 480 & ſeqq. Legationem ut explevit, 481. Vaſa ſacra imminuit ad redemtionem captivorum, ibid. Sanctimonialem captivam liberat, ibid. Virtutes ejus & miracula, 482. Adalgarium deſignat ſucceſſorem, 483. Mortem ſuam prædicit, ibid. Sepelitur extra eccleſiam, 414. Miraculum ad ſepulcrum ejus, ibid. Varii Septemtrionis Epiſcopi, 485.

Rodingus Abbas Belliloci in Argonna. Vita ejus à B. Richardo Vitonenſi Abbate edita ſæculo XI, cum Obſervationibus præviis de Vitæ illius auctoribus, Rodingi cultu, prælatura & Monaſterii ſitu, ex mſ. codice Catalaunenſi & Menardo, 531 & ſeqq. Rodingus Scotus venit in Galliam, 532. Theologium ſe recipit, ubi fit Abbas, ibid. Arduinum ſibi ſubſtituit, ibid. Paulo Virdunenſi Epiſcopo acceptus, 533. Secedit Bellilocum, ibique Cœnobium inchoat, ibid. Ab Auſtreſio malè habitus pergit Romam, ibid. Auſtreſio exſtincto punito Bellum-locum redit, ibid. Fontem elicit, 534. prædia comparat; & Cœnobium perficit, ibid. Roma privilegium refert, ibid. Agauno reliquias, ibid. Villam & privilegium à Childerico Rege obtinet, 535. Seceſſum petit, ſibique Abbatem ſubſtituit Stephanum, ibid. Viatico munitus obit, 536.

Rodulfus Bituricenſis Archiepiſcopus & Confeſſor. Elogium ejus hiſtoricum, 156 & ſeqq. Rodulfi genus illuſtre, 157. Dignitates, ibid. An S. Medardi Cœnobio præfectus, ibid. Varia condit Monaſteria, 158 & ſeqq. Veternenſe, ibid. Doverenſe, 159. Caroli Calvi hac de re litteræ, 158 & ſeqq. Doverenſis Cœnobii tranſlatio Vitrzionem, 160. Bellilocenſe in Lemovicibus erectum, 161 & ſeqq. Rodulfi hac de re teſtamentum, ibid. & ſeqq. Belliloci Abbates, 163. S. Geneſii Parthenonis conditio, 164.

S

Severi aliorumque Martyrum reliquiæ ex Italia ad Monaſterium S. Albani, deinde Erphesfurt tranſlatæ, 58 & ſeqq.

Simpertus Epiſcopus Auguſtanus, 553 & ſeqq. Acta ejus obſcura, ibid. Parentes ejus, ibid. Seceſſus Morbacum, ibid. S. Afræ Monaſterio præfuit, ibid. Epiſcopus fit Auguſtanus, ibid. Canonizatio ejus, agente Petro Cardinali Legato à latere, 554. Theodorici Francorum Regis diploma pro Murbacenſi Cœnobio, ibid. & ſeqq. Perminius Abbas Murbacenſis Monaſterii, quod Vivarium peregrinorum dicitur, 555. Lotharii Imperatoris item pro Murbacenſibus privilegium Sigimaro Abbati datum, ibid.

Sinnulfi Confeſſoris tranſlatio in Monaſterium Altivillarenſe, 153 & ſeqq. V. Helena.

Sunzo ſeu Sunderoldus Archiepiſcopus Moguntinus, 489. Geſta ejus & mors per Normannos, ibid. Succeſſores ex Ordine monaſtico, 490.

Swithunus Epiſcopus Vintonienſis, 69 & ſeqq. Ante Sacerdotium & Epiſcopatum Monachus, ibid. Mors ejus, ſepultura, tranſlatio, miracula, 70 & ſeqq. Emma Regina in ejus eccleſia ignis probatione purgata, 71. Parricidæ pœnitentia, & latronum pœnæ, 72.

V

Viventii Confeſſoris tranſlatio ex Gravione pagi Pictavenſis caſtello in Burgundiæ Comitatum Amantum, ubi non longè ab Arari fluvio conditum Cœnobiolum ab Agilmaro Arvernorum Epiſcopo. Hinc tranſlatum Sancti corpus Vergiacum, quo in loco Manaſſes Dux cum uxore Hermeogarde Monaſterium condidit in territorio Auguſtodunenſi, 489.

Ulfus Prior S. Albani apud Anglos, 580. Fit Eremita, Epiſcoporumque Confeſſiones excipit, ibid.

Ulſinus Abbas S. Albani apud Anglos, religio ejus, ibid. S. Mariæ Magdalenæ oratorium condit, ibid.

Vodoalus ſeu Vodalus, cognomento Benedictus, Confeſſor & Recluſus. Vita ejus auctore Sueſſionenſi Anonymo, qui deficiente ſæculo IX, aut X ineunte vixit, ex mſ. codice Sueſſionenſi, cum Obſervationibus præviis, 544 & ſeqq. Prologus Auctoris, 545. Vodoali patria, acceſſus in Galliam & prædicationis ſtudium, ibid. Sueſſionis commoratur ſub Adalgarde Abbatiſſa, 549. Vodoali virtutes, ibid. & ſeqq. Cibum ſuum dat pauperi, 547. Lancem ille furatur, ibid. Ob amiſſam lancem increpatus Vodoalus peregrinatur, ibid. Reditum tentat in patriam, ibid. A febre correptus cælitus ſanatur, ibid. Sueſſiones redit, 548. Energumenum liberat, ibid. Incendium reſtinguit, ibid. Sciſſam veſtem redintegrat, ibid. Angelorum audit concentum, 549. Ægrotus os Cruce ſignat, ibid. Mortuus in æde S. Crucis ſepelitur, ibid. Magneberto diſcipulo mortem prædicit, ibid. Miracula ejus, ibid. & ſeqq.

Vvilfridus Senior Epiſcopus Eboracenſis. Vita ejus auctore Eddio Stephano, cujus hic datur fragmentum ex mſ. codice Sarenſi, cum Obſervatione prævia, 550 & ſeqq. Ceaddam Eboraci intruſum Onlicuſfeldæ lo-

cum tribuit, *ibid.* Eboracenſem eccleſiam Cathedralem à Paulino Epiſcopo conſtructam reſtaurat, 551. Rippenſem erigit baſilicam, variiſque ornamentis decorat, *ibid.* Egfridum & Ælvvinum Reges ad ejus dedicationem invitat, *ibid.* Altare purpurâ auro textâ induit, *ibid.* Privilegia eidem Monaſterio à Regibus Epiſcoporum & Principum conſenſu & ſubſcriptionibus munita obtinet, *ibid.* Evangeliorum textus in purpurea membrana aureis litteris deſcribi, auroque ac gemmis veſtiri curat, 552. Infantem reſuſcitat, *ibid.*

Variantes lectiones totius S. Vvilfridi Vitæ, *ibid. & ſeqq.*

VVILLELMI Ducis ac Monachi Gellonenſis miracula à Monacho Gellonenſi anonymo ſcripta, ex mſ. codice Exienſi, cum Obſervatione prævia de feretro ejuſdem Sancti anno M DC LXXIX detecto, 556 & ſeqq. Crucis Dominicæ miracula in Aurari flumine, *ibid.* Furtum Crucis ejuſdem cælitus impeditum, *ibid.* Miſſa matutinalis, & Crucis benedictio quotidiana, 557. Dæmoniacus liberatur, 558. Femina item, *ibid. & ſeqq.* præſente Fulcrando Lutevenſi Epiſcopo, & agente Geraldo Monaſterii Abbate, 559. Abolneus Gellonenſium vexator punitus, *ibid. & ſeqq.* Theuttanus quoque de Salſis itidem Miles, 560. qui converſus Monachum induit, 561. Puer naufragio eripitur, *ibid.*

INDEX SANCTORUM

PRÆTERMISSORUM

IN HOC SÆCULO IV BENEDICTINO.

A

ADELHELMUS, mendosè *Adelinus*, Sagienſis Epiſcopus ex Monacho Antolenſi ſeu S. Carileſi apud Cenomannos, laudatur à nonnullis ut ſanctus: ſed de eo nihil reperimus præter Acta ſanctæ Opportunæ ab illo ſcripta: in quorum prologo modeſtiæ ſuæ ſpecimen exhibet, cùm Monachi nomen cum Epiſcopi dignitate retinet his verbis: *Domino miſerante Adelhelmus, Sagienſium plebium moroſus Epiſcopus, necnon beati Karileſi Monachus & ſervus.* Præfationem verò ſuam prodit, ubi occaſionem ſuſcepti operis explicat, nempe confirmationem in epiſcopali dignitate, & ereptionem è manibus Normannorum & ex naufragio per merita beatæ Opportunæ. Quidam natalem ei diem aſſignant 21 Auguſti, ſed neſcio quo fundamento, cùm nos deficiant veteres tabulæ Sagienſes. Geſta S. Opportunæ habes in tomo 4 Actorum noſtrorum. Adelhelmus vixit ſuo fine ſæculi noni.

ALBERTUS Abbas Pontirenſis ſeu Pontidenſis Bergomi in Italia. Vita ejus à Cæleſtino in Hiſtoriæ Bergomenſis quadripartitæ lib 10 edita dicitur apud Ughellum in tomo 4 Italiæ ſacræ col. 591. At Ferrarius in Catalogo probat, Albertum hunc S. Hugonis Abbatis Cluniacenſis diſcipulum fuiſſe, & anno M X C V obiiſſe Kal. Septemb. Vvioni omiſſus eſt.

B

BADILO Abbas Lutoſæ. De eo hic in Actis S. Aureliani Epiſcopi Lugdunenſis pag. 500. In Benedictino Martyrologio memoratur Octobris die 8.

BALTRAMNUS Abbas Luxrenſis *miraculis coruſcaſſe* dicitur in Actis ſancti Deicoli Abbatis relatis in Sæculo 2 pag. 103.

BAUGULFUS Abbas Fuldenſis, Eigilis deceſſor, cujus Vitam Eigile jubente ab ſe fuiſſe ſcriptam teſtatur Candidus Monachus, in tomi ſuperioris pag. 218. Sed hanc excidiſſe veri ſimile eſt.

BEDA Monachus Gavellenſis, qui Genuæ (*Genes*) in Monaſterio S. Benigni quieſcit, à nonnullis confunditur cum Beda Venerabili, diſtinguitur ab aliis. Vitæ ejus compendium retulit Vvion; integram eruditus Papebrochius in tomo 1 Aprilis ex mſ codice prædicti Cœnobii S. Benigni vulgavit, ſcriptam à quodam Monacho Benigniano, qui vixit ſæculo XIV. In ea Vita legitur, Bedam hunc ad Carolum Magnum acceſſiſſe doctrinæ causa; & poſt longam in palatio moram, ubi ita ſe geſſerit, *ut jam non Presbyter ſæcularis, ſed Monachus putaretur regularis*, facultatem ſecedendi in Monaſterium tandem impetraſſe; tum recuſato Epiſcopatu, divertiſſe cum ſocio VENERIO in partes Venetiæ ad mare Adriaticum, ubi ex more Monaſterium erat, à proximo fluvio Gavello nuncupatum Gavellum; ibique à Guillelmo Abbate ſuſceptum, ſacræ Scripturæ expoſitionibus dediſſe operam, quas Venerius ejus ſocius *in ſcripta diligentiſſime redigebat qui Venerius* (*ſicut fertur*) *hucuſque in tota Galliarum Eccleſia magnus habetur & clarus.* (immo nequidem notus.) Bedam verò, cùm ad octoginta annorum *perveniſſet ætatem, & præ vigiliarum inſtantia & affluentia lacrymarum oculorum ejus viſio caligaret*; rogatu ſodalium ſuorum in eccleſia ſermonem de verbo Dei habuiſſe, tametſi *nullum adveniſſe niſi præſentes Clericos*, id eſt Monachos, intelligeret. Cumque multa de divinis Scripturis egregiè diſſeruiſſet; auditas *voces multorum, haud dubie cœleſtium* miniſtrorum *Amen* proteſtantium. Demum Eutychiano quodam, qui cæcum ſe ſimularat, ad Catholicam Fidem adducto, *quarto Idus Aprilis feliciter obdormiſſe.* His ſubjicitur narratio de tranſlatione ejus corporis è Gavellenſi Monaſterio in Genuenſe S. Benigni, facta per quemdam *Fructuarienſis Ordinis*, id eſt Monaſterii ad Padum, Monachum, natione Genuenſem, qui *Iohannes, cognomento Bibens-aquam*, aliis *Benqua* ſeu *Bevelaqua* vocatus, ſacras reliquias inde furtim extulerit. Additur Bulla Innocentii IV *pro Indulgentia conſequenda in feſto ſancti & venerabilis Bedæ Presbyteri, & per ejus Octavam.* Hæc Bulla data eſt ad Abbatem & Conventum Monaſterii S. Benigni in Capite-fari prope muros Genuenſes, modò Congregationis Caſinenſis, aliorum Pontificum, nimirum Gregorii XIII & Sixti V, litteris confirmata. In Bulla ſua Innocentius haud exprimit, quis Beda ille fuerit, quive dies ejus feſtus. *Cupientes*, inquit, *ut eccleſia veſtra, in qua corpus beati Bedæ Presbyteri, ut aſſeritis, requieſcit, congruis honoribus frequentetur, &c.* Sedit Pontifex ille anno M CC XLIII. Sæculo inſequente vixit præmiſſæ Vitæ Scriptor, ſi tamen recentior non eſt. Eodem ſæculo XIV floruit Petrus de Natalibus Epiſcopus Equilinus, qui de Beda Venerabili agens in lib. 5 cap. 55, ait Bedam celebrem illum Anglicum eſſe eumdemmet, cujus *corpus Ianuam tranſlatum digna veneratione colitur.* Et fortaſſe qui Gavellenſem Monachum eum dixit, nominis affinitate luſit, pro Girvenſi ſcribens Gavellenſem. Eadem porro fabula de Venerabili Beda excutiente jactata eſt in vulgus. Planè an diverſus ſit ille Genuenſis, non expedio. Quamquam Bedæ venerabilis reliquias ex Anglia nuſquam aſportatas fuiſſe pro comperto eſt. Sed quanta in hu-

Juſmodi rebus reliquiariis ſeſe alia offerunt incommoda? Id ſolum noto, in mſ. Kalendario Arnulfi Monachi Andaouenſis, ſeu S. Andreæ apud Aveniouem, anno M XXVI ſcripto, reponi obitum Bedæ Venerabilis VII Kal. Junii, eodem die quo S. Auguſtini Anglorum Apoſtoli; & in alio ejuſdem ævi Kalendario mſ. quod fuit olim Cœnobii S. Georgii Aniciensis, memorari item Bedam VIII *Kal. Julii* his verbis: *Sancti Bedæ Preſbyteri.*

Benedictus Epiſcopus Albigaunenſis in Liguria, die 12 Februarii laudatur apud Bollandum, qui Vitam ejus refert auctore Philippo Mallabayla, Congregationis Folienſis Viſitatore. Hic Benedictum ex Liguria ortum dicit, primum quidem Ordinem S. Benedicti ſubiiſſe, ex vulgata traditione & picturis, *quæ viſuntur in eccleſia S. Mariæ de Fontibus, apud quam ipſius corpus conditum fuit; & olim ejuſdem inſtituti Monachi, quemadmodum vetera monumenta demonſtrant, reſidebant:* dein receſſiſſe in inſulam Gallinariam, ac poſtmodum Epiſcopum Albigaunenſem, peregre profectum deceſſiſſe. Ex inſcriptione, quæ in ea eccleſia ad ejus tumulum legitur, cum anno nongenteſimo obiiſſe ferunt. Nulla ejus mentio in Faſtis noſtris.

Bernardus Abbas Meſſanæ in Sicilia vixiſſe anno octingenteſimo dicitur apud Octavium Cajetanum in Martyrologio Sanctorum Siciliæ ex Chronico benedictino mſ. Laudatur Junii die 25, non tamen apud Maurolycum.

Botvvinus Abbas HRipenſis. De eo Rogerius Hovedenus in Parte 1. *Anno* DCC LXXXVI *Botwine venerabilis Abbas HRipenſis eccleſiæ, in conſpectu adſtantium Fratrum ad cæleſtem patriam tranſivit, & Albert pro eo electus eſt & ordinatus.* In Martyrologio Benedictino colitur III *Id.* Maii cum Tilberto, Sigredo, & Vvildeno ejuſdem loci Abbatibus.

Briocha Virgo Faſulis in Etruria colitur. Ex Scotia (ut aiunt) in Italiam profecta, vixit in ſolitudine: ſed an mutato habitu, an Sanctimonialis, non conſtat. Nemo eam noſtris adſcripſit præter Conſtantinum Cajetanum in Notis ad Vitam S. Andreæ. Acta ejus apud Bollandum ad Februarii diem primum, quo die Brigida major honoratur.

D & E

Deocarus Abbas Haſenrietanus Eiſteti in Germania celebratur in Martyrologio noſtro VII Idus Junii.

Eda ſeu Edvvinus Abbas in Anglia. De eo Rogerius Hovedenus parte 1. *Anno* DCCC I *Eavvine, qui & Eda dictus eſt, quondam Dux Northanhumbrorum, tunc verò per gratiam Salvatoris mundi Abbas in Dei ſervitio roboratus, diem clauſit ultimum in conſpectu Fratrum* XVIII *Kal. Februarii.* De eo nihil in faſtis noſtris.

F

Froillanus cum Attilano in Sæculo VI.

Fulco Archiepiſcopus Remenſis multis laudatur apud Frodoardum, ubi Fulco ſe Canonicis primùm diſciplinis excultum fuiſſe ait in lib. 4. cap. 4. Colvenerius ſcribit, cum ex Canonico ſancti Audomari, ubi primitias Deo conſecravit, factum Monachum in Abbatia S. Bertini: cujus haud ita pòſt Abbas fuit. quod Frodoardo non adverſatur, ut cenſet Marlotus. Et quidem Sithienſem ſeu ſancti Bertini Abbatem fuiſſe conſtat: an autem Monachus fuerit, ex Frodoardi verbis colligendum relinquo. Is ita ſcribit in lib. 4. cap. 4 ſub finem. *Reſcribens autem huic venerandus Præſul eidem* Formoſo, ... *adnectens ſimpliciter, ut ab ipſis pene cunabulis educatus Canonicis fuerit diſciplinis, donec à glorioſo Rege Carolo, Imperatoris Ludovici filio, in Palatinis ac domeſticis ejus ſit aſſumtus obſequiis. Sicque in aula Palatii perſeverans uſque ad tempora Carlomanni Regis, Ludovici Iunioris filii, nepotis ejuſdem Caroli, quando à ſanctis provinciæ Remenſis Epiſcopis, necnon à Clero & plebe urbis hujus electus ſit, & Epiſcopus ordinatus, &c.* Qua autem de cauſa & quo pacto is à Balduini Flandrenſis Comitis aſſeclis ob ereptam S. Vedaſti Abbatiam cæſus ſit ſub annum DCCCC, narrat Frodoardus in cap. 10. & poſt eum Marlotus in Metropolis Remenſis lib. 4. Martyris nomen quidam ei tribuunt.

G

Gerburgis Abbatiſſa ſecunda Gandersheimenſis cœnobii in Saxonia, à Brunone Saxoniæ Duce ejus avo incœpti, à Ludolfo patre abſoluti. Succeſſit ſorori Hadmodi *annis quatuordecim, virgo & ipſa ſanctiſſima, quæ multis effulſit in vita & poſt mortem clara virtutibus.* Trithemius in Hiſtoria Hirſaugienſi ad annum DCCC LIV, & ex eo Menardus in Obſervationum lib. 2, die Julii 24.

Gilbertus Haguſtaldenſis Epiſcopus anno DCC LXXXI ſucceſſit Alcmundo, teſtante Rogerio Hovedeno, anno DCC XC Ethelbertum ſortitus ſucceſſorem. In faſtis noſtris notatus VII Id. Septemb.

Gregorius Papa IV ex Monaſterio Foſſæ-novæ in Pontificatum aſſumtus dicitur in Martyrologio Vvionis & Menardi VIII Kal. Febr. Conſer Anaſtaſium & Frodoardi carmen à nobis editum in Sæculi tertii parte 2, ubi Gregorii Acta referuntur. Nulla ejus mentio in Martyrologio Romano.

H & I

Harruchus Epiſcopus Vverdenſis ad Rhenum celebrator die 15 Julii in Martyrologio Vvionis. Bruſchius de eo hæc habet in Epiſcopis Vverdenſibus, in quibus is octavum locum tenet. *Harruchus Scotus & Abbas Amarbacenſis. Sub hoc Epiſcopo canonizati, & in Divorum numerum à Pontifice Maximo relati ſunt S. Patto & S. Tanco Epiſcopi Verdenſes miraculis clari.* quod vereor ut certum ſit & exploratum. S. Pattonem idem Bruſchius Scotum, Monachum Benedictinum, & Abbatem Amarbacenſem fuiſſe tradit, & S. Svvidberti, de quo aliàs egimus, in Vverdenſi epiſcopatu ſucceſſorem. De Amarbaco lege partem 2 Sæculi tertii, *pag.* 159.

Heldradus Abbas Novalicienſis omiſſus eſt in Martyrologio Vvionis & Menardi, non apud Bucelinum. Acta ejus habemus apud Bollandum in tomo 2 Martii, ſed jejuna admodum, & ab Auctore parum accurato deſcripta. Ibi Heldradus *ex Gallicana patria, quæ dicitur Provincia,* non infimis *parentibus ortus* perhibetur, *Ambolacenſis oppidi, Alpinis montibus undique ſepti, municeps & indigena.* Is luſtratâ Aquitaniâ & Hiſpaniâ in Italiam pervenit, & ſeſe recepit in Cœnobium Novalicienſe trecentorum tunc Monachorum, *quod* Ambulfus *ſollerti diſciplina regebat.* Iſtic brevi didicit, *quidquid S. Benedicti Regula, Columbani edicta, Baſilii ſcripta continent.* Defuncto Ambulfo, ejúſque ſucceſſore Hugone, Heldradus Abbas inſtitutus eſt, ac paſtorali officio rite impleto deceſſit *tertio Idus Martii regnante Ludovico Lotharii filio, & ſepultus eſt apud Novalicium, ubi viget miraculis. Vixit ſub monaſtica diſciplina annis ſeptem, præfuit autem triginta.* Varia ejus miracula referunt Socii Bollandiani, qui quod ſuperiùs dicitur de Regulis SS. Benedicti, Columbani, & Baſilii, ita exponunt, ut non miſtam ex his Regulam apud Novalicium, ſed ſolam S. Benedicti iſtic ab initio viguiſſe credant; ideoque præmiſſa rhetoricè dicta eſſe. De tempore conditi Cœnobii Novalicienſis, quod alii ad ſæculum ſextum, alii ad octavum referunt, aliàs agendum.

Hildegardis Abbatiſſa Tigurina laudatur à quibuſdam ut ſancta. Fuit hæc filia Ludovici Germaniæ Regis, Caroli Calvi fratris, qui Ludovicus Tiguri (*Zurich*) in Helvetia condidit ampliſſimum Virginum Cœnobium, cui Abbatiſſa prima præfuit Hildegardis ejuſdem Ludovici filia. Huic ſucceſſit Bertha ejus ſoror, quam conſecutæ multæ Abbatiſſæ uſque ad annum M D XXIII, quo à Zuinglianis occupatum eſt Monaſterium tunc Canoniſſarum, & in collegium & ſcholam converſum, ut lego in libello Precum Caroli Calvi, In-

golſtadii edito anno M D LXXXV. De ea lege dicta infrà ad *pag.* 589. & Ludovici Regis pro ea diploma apud Contingium in Cenſura diplomatis Ludoviciani, *pag.* 57.

IDA vidua in territorio Monaſterienſi ſuper Lipiam memoratur apud Vvionem & Menardum, prid. Nonas Septemb.

JERO Monachus Egmundenſis in Hollandia, Preſbyter ac Martys, iiſdem laudatur apud eoſdem XVI Kal. Septemb.

L

LUCAS cognomento Caſalinus, Nicoſiæ in Sicilia natus, in Monaſterio S. Philippi Agyræorum monaſticum habitum ſumſit. Sacerdos Monaſterii præfecturam ſuſcepit invitus. Cæcus factus, extra Nicoſiam nemine audiente concionatus dicitur, ſaxis ad dicta reſpondentibus *Amen*. Agyrii mortuus eſt VI Nonas Martii. Hæc ex Octavio Cajetano Soc. Jeſu in Martii Bollandiani tomo 1. qui Octavius cenſet Lucam Caſalium eſſe Ordinis S. Benedicti, eumque ad annum DCCC refert, nullo adducto argumento. Rochus Pyrrhus ait, S. Philippi templum Agyriorum à Beliſario inſtauratum fuiſſe, auctumque Cœnobio Baſilienſium Monachorum. Octavius contrà ſcribit, à temporibus Rogerii Comitis locum à Benedictinis occupatum. Lucæ hujus Acta Bucelinus confundit cum Actis S. Leonis Lucæ Abbatis Mulcenſis, de quo Bollandiani Martii die 1.

M & N

MADRONTUS Epiſcopus Maſſiliæ ex Abbate Cœnobii S. Victoris (quem Menardus in lib. 2. Obſervationum ad diem Junii 12 ex Yepezio, Maurum vocat, non Epiſcopum, ſed tantùm Abbatem) floruit regnante Carolo Magno: idemque villam Caladium, Cœnobio S. Victoris à Nemfidiò Patricio donatam, & per Antenoreta Patricium ablatam vindicavit coram Miſſis Dominicis, regni Caroli anno XII, Indictione 2. Necrologium eccleſiæ Maſſilienſis ejus obitum notat die 18 Octobris, & Menardus Maurum reponit die 12 Junii.

MEINULFUS Diaconus Paderbornenſis, ex facultatibus ſuis conſtruxit Budicæ Monaſterium Virginum, ubi & ipſe mortuus ſepultuſque eſt. Ejus Vitam à Surio expolitam reſtituit ex mſ. codice Chriſtophorus Brovverus, qui ex Krantzio notat, Budicæ Monaſterium, collapſa Virginum diſciplinâ, avorum ſuorum memoriâ Pontificis Maximi auctoritate traditum Canonicis regularibus, qui hodieque locum incolunt. Meinulfus in Martyrologio noſtro adſcriptus eſt Octobris die 5. tametſi nihil de ejus monaſtica profeſſione in ejus Actis legitur. Floruit tempore Caroli Magni.

MODVVENA Virgo & Abbatiſſa in Anglia, colitur die 5 Julii apud Thomam Matheuvium. Acta ejus ex Capgravio non magnæ ſunt auctoritatis. Ex Hibernia orta, & à S Patricio velata, & tamen Aluredi ſeu Alfredi Anglorum Regis, qui medio ſæculo IX vixit, ſæculis ferè quatuor poſt Patricium, tempore æqualis dicitur. Ex Hibernia in Angliam profecta cum Athea Virgine, Aluredum Regem ſanaſſe fertur, cujus ſororem Editam Chriſto conſecrandam acceperit, ut ſub ipſius diſciplina in habitu ſanctimoniali Deo ſervire poſſit. Quod & præſtiterit in Cœnobio Polleſvvordenſi per Modvvenam conſtructo juxta ſilvam Ardenam diœceſis Ceſtrenſis. Cùm verò ad Modvvenam plurimi ſanitatis recuperandæ gratiâ confluerent, hæc in Hiberniam repedans, cùm centum triginta eſſet annorum, in regreſſu deceſſiſſe fertur, & quidem tertio Nonas Julii.

NINGARIUS, ex Monacho Uttemburano Abbas ejuſdem Cœnobii creatus dicitur anno DCCC LXIV. & ex ipſo Epiſcopus Auguſtanus. Socii Bollandiani in prætermiſſis ad diem 15 Aprilis, ei tribuere verentur Sancti nomen, quod Ferrarius ac Menardus ipſi tribuunt ex tumuli inſcriptione, quæ ſic habet. *Beatiſſima memoria requieſcit hic Nidgarius Epiſcopus. Omnes legentes orate, ut pius Deus illi miſereatur. Obiit beatus* XVII *Kalendarum Maii.*

P & R

PASCHALIS Papa I colitur in Martyrologio Romano & Benedictino die Maii 14. Divino cultui à primævo ætatis ſuæ tempore mancipatus, jubente Leone tertio Monaſterium beati Stephani Martyris juxta baſilicam B. Petri ad regendum ſuſcepit. Stephano quinto ſuffectus anno DCCC XVII, in eccleſia S. Praxedis ab ſe renovata Græcorum Monachorum Congregationem adunavit, & in eccleſia S. Cæciliæ Monachorum item cœtum conſtituit. Ad hæc in Monaſterio ſanctorum Sergii & Bacchi inopiam Virginum ſacrarum relevavit, illiſque Monachos adjunxit. Mortuus eſt anno DCCC XXIV. Acta ejus ex Frodoardo habes in Appendice ſæculi tertii.

RUTHARDUS Monachus Hirſaugienſis ſectiùs inter Scriptores celebrandus erit.

T

THEODULFUS Monachus Trevirenſis in Martyrologio noſtro celebratur die 2 Maii, & confunditur à nonnullis cum Theodulfo Abbate Remenſi in monte Hor, de quo in Sæculo 1 egimus. Alterius inventionem Treviri ſuo tempore factam memorat Thomas Cantipratenſis in lib. 2 cap. 53. *Vidimus*, inquit, *corpus cujuſdam Sancti, quod annis fermè ſexcentis manſerat incorruptum.* Quo pacto facta ſit inventio hæc, multis ille narrat. Nempe dum everteretur ſtructura quædam, (Helenæ palatium appellabant) inventum eſſe Oratorium, in quo altare ex alabaſtro erat, & in latere dextro ſepulcrum: ſuper quod ſcriptura hæc in pariete legebatur: *Sancte Theodulfe noſter, petimus, miſerere.* Amoto ſepulcri lapide corpus inventum eſt incorruptum, cujus dexteram Thomas abſcindere permiſſus eſt, & Lovanium ad ſuos Prædicatores transferre. Addit Thomas, famâ antiquiſſimâ de hoc Theodulfo & fratre ejus Theodorico, *qui in alia parte ſtructura ſupra dicta incineratus inventus eſt*, eos fuiſſe filios cujuſdam Imperatoris Romanorum; & Theodulfum quidem conjugio conſentire nolentem acceſſiſſe Trevirim, ubi habitu Monachi ſuſcepto recluſus vixerit: eique fratrem ejus comitem acceſſiſſe. Subdit Thomas, ſe revolutis Chronicis comperiſſe, eos ſub Chlodoveo Rege Francorum floruiſſe. Ego verò pro explorato habeo, Theodulfum hunc eſſe illum ipſum, de quo Gogus quidam in epiſtola ad Nicetium Epiſcopum Trevirenſem apud Cheſnium tomo 1 *pag.* 844. *Saluto Theodulfum ſacri Domitiani Abbatis ſimilem, de cujus ſepulcro roſarum virgulta prodierunt: moribus inſignem, & vita converſatione ſublimem.*

V

VENTILA Eremita parentibus in Hiſpania ortus non infimis, Monachus factus eſt primùm, tum Eremita apud eccleſiam ſanctæ Mariæ de Pugin, non longè ab Orenſi civitate. Ibi in ſanctis operibus perſeverans, tandem migravit ad Deum ærâ DCCCC XXVIII, Chriſti anno DCCC XC, & quidem 2 Kal. Januarii, quo die eum laudat Vvionis Martyrologium. Hæc ex Gononis lib. 4.

VICTORIS Martyris tranſlatio in Moſomenſe beatæ Mariæ Cœnobium, Hincmaro Remis præſidente, habetur in tomo 2 Februarii apud Bollandum, *pag.* 340. *& ſequentibus.*

VIRILNA Abbas Cœnobii S. Salvatoris Legerenſis in Navarra, laudatur à Menardo in lib. 2 Obſervationum ad diem 1 Octobris, & apud Tamayum: qui nihil de eo notabile referunt, niſi quòd circa annum Chriſti DCCC XL ſub Enigo Rege vixiſſe dicitur.

UTHO Abbas, natione Italus, ad ſanctum Gamelbertum in illam Germaniæ partem, quæ Danubio adjacet, veniſſe dicitur, & ab eo parochia Michelbuchenſi donatus. Tum ob bella quæ Carolum M inter & Taſſilonem erant, trans Danubium ſedes figere coactus, conſedit in loco qui dicitur Metten, in Bavaria inferiori:

ubi

ubi cellam eremiticam ædificavit ſub nomine Michaëlis Archangeli. Cùm verò iſtuc Carolus M acceſſiſſet, ibidem Monaſterium condidiſſe fertur, eique Uthonem præfeciſſe: qui eo in loco obierit anno DCCCXXIX, die 3 Octobris. Ibi eſt fons S. Uthonis dictus, in quem Neapolitana lue infecti immerſi ſanantur. Hæc ex Stengelio & Hundio Menardus in Obſervationum lib 2. De alio Uthone ſeu Audone Abbate Ilminenſi lege dicta in Sæculi tertii Parte 1 pag. 664.

VVULFRIDUS Abbas Duellii à nonnullis inter Sanctos hujus ſæculi refertur ad diem 20 Octobris ſub annum DCCCLXXX. Non eſt tamen in Martyrologio Vionis, Menardi aut Bucelini. Duellium eſt arx Ducis Vuittembergenſis in monte edito, ubi quondam Monaſterium, quod Hadvviga Heinrici Suevorum Ducis filia, Burkardo Duci nupta, ædificaſſe videtur ex Eachardi Junioris cap. 10 pag. 82, 83, maximè 84. At quis ille Vuilfridus Abbas, ignoro.

N O T A.

S. Ada ſeu Adrehildis Abbatiſſa hîc extra ordinem poſita eſt, quoniam ad ſæculum VII pertinet. Fuit hæc neptis Agliberti ſeu Engelberti Epiſcopi Cenomannenſis, & primùm quidem Monacha in cœnobio S. Mariæ apud Sueſſionas, tum Abbatiſſa apud Cenomannos ab Engelberto conſtituta. Abbatiſſa, inquam, primùm in parthenone ſanctæ Mariæ, ſeu Teneſtinæ, ſito inter Sartham amnem & muros urbis, nunc in ſimplicem vicum redacto, vocabulo *Gourdaines*: deinde in cœnobio de Prato. Ejus corpus in eccleſiam cathedralem cum aliis tranſtulit Aldricus Epiſcopus, ut lego in ipſius Actis à viro clariſſimo Stephano Baluzio editis in Miſcellaneorum tomo 3. Sic enim habes pag 108. *Sed & ſancta Ada, quæ & Adrehildis alio nomine nominatur*, (corpus tranſtulit) *quæ, ut legitur, deprecante ſancto Innocente*, (immo Engelberto) *de Monaſterio ſanctæ Mariæ, quod ſitum eſt in urbe Sueſſionis, ad Cenomanicam urbem venit, & ibi in ſuburbio Cenomannico in præfato Monaſterio ſanctæ Mariæ* (ſeu Teneſtinæ) *Regula ſancti Benedicti docuit, & eam inibi decenter ordinavit.* De ea agit noſter Michaël Germanus in hiſtoria Gallica Parthenonis beatæ Mariæ Sueſſionenſis, præcipuè pag. 296. Diem & annum ejus obitus ignoramus.

KALENDARIUM SANCTORUM,

quorum Acta in ſecunda parte Sæculi quarti Benedictini exhibentur.

JANUARIUS.

5. IN Monaſterio Rotonenſi S. Convvoionis ejuſdem loci Abbatis primi & conditoris, 184
8. Trecis in Gallia tranſlatio reliquiarum S. Frodoberti Abbatis Cellenſis, 243
21. Einſidlæ apud Helvetios S. Meginradi Eremitæ & Martyris, 63
23. In Monaſterio *Romanis* S. Barnardi Viennenſis Archiepiſcopi & Confeſſoris, 561
31. In Cœnobio S. Galli apud Helvetios ſanctorum Euſebii Recluſi, Marci Scottigenæ Epiſcopi, & Marcelli ſeu Moëngal ejus ex ſorore nepotis, 461

FEBRUARIUS.

1. Senonis in Italia. *V.* Evrardi ejuſdem urbis Archiepiſcopi, 485
3. Bremæ in Saxonia S. Anſcharii Hammaburgenſis & Bremenſis Archiepiſcopi Septemtrionalium gentium Apoſtoli, 75
4. In Monaſterio Fuldenſi B. Rabani cognomento Mauri Archiepiſcopi Moguntiacenſis, 1
5. Sueſſione in Monaſterio B Mariæ S. Vodoali ſeu Vodali, cognomento Benedicti, Sacerdotis & Recluſi, 544
18 In Monaſterio Flaviniacenſi tranſlatio reliquiarum S. Reginæ Virginis & Martyris ex Alezia civitate in eumdem locum, 138
24. Autiſiodori. *V.* Bettonis ejuſdem urbis Epiſcopi, 567

MARTIUS.

8. In Monaſterio Sithienſi apud Audomaropolim S. Huntfridi Epiſcopi Turonenſis & Confeſſoris, 285
26. Divione B. Bertilonis Chorepiſcopi & Monaſterii S. Benigni Abbatis, 338

APRILIS.

7 In Monaſterio Foſſatenſi tranſlatio corporis S. Mauri Abbatis, B. Benedicti diſcipuli, 165
24. In Monaſterio Ryppenſi S. Vvilfridi Senioris Eboracenſis Epiſcopi, ejuſdem loci conditoris, 552
25. Autiſiodori. *V.* Heribaldi ejuſdem urbis Epiſcopi, cujus corpus in crypta S Germani requieſcit, 594
26. Corbeiæ in Gallia S. Paſchaſii Radberti Levitæ & Abbatis doctrina & pietate clariſſimi, * 122. Item, 587

MAIUS.

1. Auguſtæ Vindelicorum S. Simperti ejuſdem urbis Epiſcopi, 553
8. Corbeiæ in Gallia Tranſlatio S. Genſiani Martyris, 486
26. Moguntiæ in Cœnobio S. Albani B. Probi Preſbyteri & Monachi. Item Tranſlatio S. Severi aliorumque Martyrum eò facta, 58
28 Gellone in Septimania S. Vvillelmi Ducis ac Monachi ejuſdem Cœnobii conditoris, 556
29. In Monaſterio S. Petri Vivi apud Senonas. *V.* Egilis ejuſdem urbis Archiepiſcopi, 237
30. Centulæ in Pontivo S. Madelgiſili Confeſſoris & Eremitæ, 537

JUNIUS.

21. Bremæ in Saxonia Remberti Epiſcopi Hammaburgenſis & Bremenſis, 471
15. Tranſlatio reliquiarum S. Fauſtæ Virginis & Martyris ex Vaſconia in Cellam Aſnenſem, 72
22 Avarici Biturigum S. Rodulfi ejuſdem urbis Epiſcopi, 156
26. Moguntiæ in Cœnobio S. Albani. *V.* Sunzonis ſeu Sunderoldi ejuſdem urbis Archiepiſcopi, 489

JULIUS.

2. Vvintoniæ in Anglia Tranſlatio & miracula S. Svvithuni Epiſcopi & Confeſſoris, 69
4 Lugduni in Gallia S. Aureliani ejuſdem urbis Archiepiſcopi & Monaſterii Saxiaci ad Rhodanum conditoris,
22. Prumiæ in pago Treverenſi S. Anſbaldi ſeu Anſboldi & Anſpaldi ejuſdem loci Abbatis, 467
31. In Anglia S. Neoti Abbatis, 323

AUGUSTUS.

15. In Monaſterio Aſnedi in Saxonia S. Altfridi Epi-

ſcopi Hildineshemenſis quarti, ejuſdem loci conditoris, 359

S E P T E M B E R.

17 In Monaſterio Bellliloci in Argonna S. Rodingi primi ejus Abbatis & conditoris, 538

O C T O B E R.

15. In territorio Remenſi tranſlatio & miracula S. Baſoli Confeſſoris, 137
20. Pariſiis in Monaſterio S. Germani à Pratis Tranſlatio ſanctorum Martyrum Georgii, Aurelii, & Nathaliæ ex Corduba civitate, 45
22. In Monaſterio Caſinenſi S. Bertharii Abbatis & Martyris. Item B. Apollinaris & Deuſdedit Abbatum, 405
23. Bleſis in Gallia Tranſlatio S. Launomari Abbatis Curbionenſis, 245

N O V E M B E R.

19. In pago Bituricenſi, Jacobi Monachi & Eremitæ, 142

D E C E M B E R.

3. Autiſiodori S. Abbonis ejuſdem urbis Epiſcopi, 575
4 In Monaſterio Floriacenſi Illatio reliquiarum S. P. Benedicti, & varia ejus miracula ſex libris comprehenſa, 334
16. Viennæ in Gallia S. Adonis ex Monacho Ferrarienſi ejuſdem urbis Archiepiſcopi, 262
22. Autiſiodori. V. Chriſtiani ex Abbate S. Germani ejuſdem urbis Epiſcopi, 575

INCERTIS DIEBUS MORTUI, VEL TRANSLATI.

Corbiniaci in pago Laudunenſi Tranſlatio S. Marculfi Abbatis & Confeſſoris, 514
In Monaſterio Altivillarenſi Diœceſis Remenſis Tranſlatio ſanctorum Sindulfi Presbyteri & Eremitæ, atque Helenæ Imperatricis, 153
In Cœnobio Stradenſi in finibus Biturigum S. Genulfi Epiſcopi & Confeſſoris, 225
Dunelmi in Anglia Tranſlatio & miracula S. Cuthberti Lindisfarnenſis, 275. Ibidem Commemoratio Abbatum & inſignium virorum Lindisfarnenſis S. Petri Monaſterii, 502
Turonis Tranſlatio S. Martini Epiſcopi in Burgundiam, ejuſque Turonos revectio, 469
Æthelingiæ in Anglia. V. Johannis Abbatis à ſicariis interemti, 506
In Gallia. V. Euticii Abbatis Galli, qui ſanè idem cum Benedicto Anianenſi Abbate cenſendus eſt, 570
In Cœnobio Follatenſi. V. Benedicti ejuſdem loci Abbatis, 572
Mediolani. V. Benedicti Abbatis Monaſterii SS. Ambroſii, Gervaſii atque Protaſii, 572
In Monaſterio Jotrenſi Tranſlatio S. Potentiani Martyris, 578
In Cœnobio Cogneni Tranſlatio S. Majani Confeſſoris, 590

INDEX TOPOGRAPHICUS SANCTORUM
Partis ſecundæ Sæculi quarti Benedictini.

IN GALLIA.

IN provincia Lugdunenſi prima *Lugduni* Aurelianus ex Abbate Athanacenſi ejuſdem urbis Archiepiſcopus, 490 *Divione* B. Bertilo Chorepiſcopus & Monaſterii S. Benigni Abbas, 538 In Monaſterio *Flaviniacenſi* Tranſlatio reliquiarum S. Reginæ Virginis & Martyris ex Alexia civitate in eumdem locum, 838

In provincia Lugdunenſi tertia, *Turonis* Tranſlatio S. Martini Epiſcopi in Burgundiam, indeque Turonos revectio, 469. In Monaſterio *Rotonenſi* S. Convoio Abbas, & loci conditor, 184

In provincia Lugdunenſi quarta, *Senonis V.* Evrardus ejuſdem urbis Archiepiſcopus, 485. Ibidem Egil item Senonenſis Archiepiſcopus, 857. *Trecis* Tranſlatio S. Frodoberti Abbatis Cellenſis, 245. *Jotri* in Briegio Tranſlatio S. Potentiani Martyris, 578. In Monaſterio *Foſſatenſi* Tranſlatio corporis S. Mauri Abbatis, 865. *Pariſiis* in Monaſterio S. Germani à Pratis, Tranſlatio ſanctorum Martyrum Georgii, Aurelii, & Nathaliæ ex Corduba civitate, 45 *Confluentium* Tranſlatio S. Honorinæ Virginis & Martyris, 536. *Bleſis* Tranſlatio S. Launomari Abbatis Curbionenſis, 245 In Monaſterio *Floriacenſi* illatio reliquiarum S. P. Benedicti, & varia ejus miracula ſex libris comprehenſa, 545. *Autiſiodori* B. Heribaldus Abbo, Chriſtianus, Betto, aliique piiſſimi ejuſdem urbis Epiſcopi, 573

In Belgica prima *Prumiæ* in pago Trevirenſi S. Anſbaldus ſeu Antboldus & Auſpaldus ejuſdem loci Abbas, 467 In Monaſterio *Bellilocenſi* in Argonna Rodingus Abbas & loci conditor, 538

In Belgica ſecunda in territorio *Remenſi* tranſlatio S. Baſoli Confeſſoris, 137. In Monaſterio *Altivillarenſi* tranſlatio SS. Sindulfi Presbyteri & Eremitæ, atque Helenæ Imperatricis, 153. *Corbiniaci* in pago Laudunenſi Tranſlatio & miracula S. Marculfi Abbatis Nanteuſis, 514. *Sueſſione* in Monaſterio B. Mariæ Vodalus ſeu Vodalus, cognomento Benedictus Confeſſor, 544. In Monaſterio *Sithienſi* apud Audomaropolim S. Huntfridus Epiſcopus Tarvennenſis & Confeſſor, 283. In Monaſterio *Corbeienſi* S. Paſchaſius Radbertus Levita & Abbas doctrina & pietate clariſſimus, * 125, 567 Ibidem Tranſlatio S. Gentiani Martyris, 480. *Centulæ* in pago Pontivo Madelgiſilus Confeſſor & Eremita, 557

In provincia Aquitanica prima, *Avarici Biturigum* S. Rodulfus ejuſdem urbis Archiepiſcopus, 156. In pago *Bituricenſi* S. Jacobus Monachus & Eremita, 142 In Cœnobio *Stradenſi* in finibus Biturigum Tranſlatio S. Genulfi Epiſcopi & Confeſſoris, 225. In *Aſnenſi* Cella pagi Lemovicenſis tranſlatio reliquiarum S. Fauſtæ Virginis & Martyris, 72

In provincia Narbonenſi prima, *Gellone* miracula S. Vvillelmi Ducis & Monachi, ejuſdem Cœnobii conditoris, 554. In Monaſterio *Cognenſi* Biterrenſis Diœceſis Tranſlatio S. Majani Confeſſoris, 590

In provincia Viennenſi, *Viennæ* S. Ado ex Monacho Ferrarienſi ejuſdem urbis Epiſcopus, 262. In Monaſterio *Romanenſi* S Barnardus Viennenſis Archiepiſcopus ejuſdem Cœnobii conditor, 562

In Alamannia, *Einſidlæ* apud Helvetios S. Meginradus Eremita & Martyr, 63

In Cœnobio S. *Galli* apud eoſdem Helvetios SS. Euſebius Recluſus, Marcus Scotigena Epiſcopus, & Marcellus ſeu Moengal, ejus ex ſorore nepos, 461

IN GERMANIA.

In provincia Germanica prima, *Moguntiæ* in Cœnobio S. Albani B. Probus Presbyter & Monachus 58. Ibidem Tranſlatio S. Severi aliorumque Martyrum, 102. Ibidem. V. Suuan ſeu Sunderoldus, Moguntinus Archiepiſcopus, 489. In Monaſterio *Fuldenſi* B. Rabanus cognomento Maurus, Archiepiſcopus Mogun-

tiacenſis, 8. *Auguſta* Vindelicorum S. Simpertus ejuſdem urbis Epiſcopus, 553

In Saxonia, *Bremæ* S. Anſcharius Hammaburgenſis & Bremenſis Archiepiſcopus, Septemtrionalium gentium Apoſtolus, 75

Ibidem S. Rembertus ejuſdem loci Epiſcopus, 471

Aſnadi Saxoniæ Monaſterio S. Altfridus Epiſcopus Hildineshemenſis, 859

IN ITALIA.

In Monaſterio *Caſinenſi* S. Bertharius Abbas & Martyr, 463

Ibidem B. Apollinaris & Deuſdedit itidem Abbates. *ibid.*

IN ANGLIA.

Vuintoniæ S. Svvithunus Epiſcopus & Confeſſor, 69. In tractu *Cornubienſi* S. Neotus Abbas, 323. *Æthelingæ. V.* Johannes Abbas à ſicariis interemtus, 506

Dunelmi Tranſlatio & miracula S. Cuthberti Epiſcopi Lindisfarnenſis, 275. Ibidem commemoratio Abbatum & inſignium virorum Lindisfarnenſis S. Petri Monaſterii, 302. *Eboraci* S. Vvilfridus ſenior ejuſdem urbis Epiſcopus, 550. In Monaſterio S. *Albani* in pago Lincolnienſi Eadfridus & Ulſinus ſeu Ulſigus Abbates, atque Ulfus ejuſdem loci Præpoſitus, 579

IN HISPANIA.

Martyres Hiſpaniæ Cordubenſes, &c. 583 *& ſeqq.*

NOMINA AUCTORUM PRÆCIPUORUM
qui hujuſce ſecundæ Partis Acta ſcripſerunt.

A

ADAO Abbas Dervenſis ſæculo x S. Baſoli Confeſſoris Tranſlationem & miracula deſcripſit, 157. Scripſit etiam de Tranſlatione S. Frodoberti Abbatis Cellenſis apud Trecas, 243.

AIMOINUS Monachus S. Germani à Pratis ſcripſit librum unum de Tranſlatione SS. Martyrum Georgii Monachi, Aurelii & Nathaliæ, cui duos de miraculis eorumdem ſubjecit, 45.

AIMOINUS Floriacenſis Monachus ineunte ſæculo XI libros duos de miraculis S. P. Benedicti edidit, 356.

ALTMANNUS Carolo Calvo regnante Monachus Altivillarenſis, S. Sindulfi Tranſlationem in Cœnobium ſuum, itemque S. Helenæ litteris mandavit, 153.

B

BERNO Abbas Augienſis ſæculo XI Vitam S. Meginradi Eremitæ & Martyris concinnavit, 63.

D

DESIDERIUS Abbas Caſinenſis ſeu Victor Papa III, miracula à S. P. Benedicto ejuſque diſcipulis facta in Italia tribus libris dialogicè edidit, 425.

DIEMBERTUS Herſfeldenſis Monachus, auctor narrationis Illationis reliquiarum S. P. Benedicti ſæculo XII, 343.

E

EDDIUS Stephanus Monachus Cantuarienſis ſæculo VIII Vitam S. Vvilfridi Eboracenſis Epiſcopi, magiſtri ſui concinnavit, 550.

ETHELVVOLFUS Monachus Lindisfarnenſis ſæculo VIII ſcripſit carmen de Abbatibus & viris piis Lindisfarnenſibus, 302.

G

GUALDO Corbeiæ Gallicæ medio ſæculo XI Monachus, S. Anſcharii Hammaburgenſis Epiſcopi Vitam verſibus reddidit, & Adalberto Bremenſi Epiſcopo dedicavit, 115.

H

HARIULFUS Monachus Centulenſis, poſtea Aldemburgenſis Abbas, Vitam S. Maldegiſili Confeſſoris & Eremitæ in Pontivo edidit ineunte ſæculo XII, 537.

L

LIUDOLFUS Preſbyter Moguntiacenſis ſæculo IX ſcripſit tranſlationem SS. Severi, Vincentiæ & Innocentiæ Martyrum Moguntiam, 61.

N

NOTHERUS Abbas Altivillarenſis ſub ſæculi XI finem corporis S. Helenæ in Cœnobio ſuo exhibitionem, & varia tum patrata miracula deſcripſit, 154.

O

ODO Abbas Glannafolienſis & Foſſatenſis anno DCCC LXIX edidit hiſtoriam Tranſlationis S. Mauri Abbatis in Foſſatenſe Monaſterium agri Pariſienſis, 165.

ODO Abbas Cluniacenſis S. Martini tranſlationem in Burgundiam, ejuſdemque Turonos revectionem ſæculo X conſcripſit, 469.

R

REMBERTUS Hammaburgenſis & Bremenſis Epiſcopus, Anſcharii deceſſoris ac magiſtri ſui Vitam edidit, 75.

RICHARDUS Abbas S. Vitoni ſæculo XI ſcripſit Vitam S. Rodingi Abbatis Bellilocenſis in Argonna, 538.

RODULFUS Tortarius miracula S. P. Benedicti ſub finem ſæculi XI expoſuit, 390.

RUDOLFUS Scholaſticus Rabani diſcipulus procedente ſæculo IX Magiſtri ſui Vitam edidit, 1.

V

VICTOR Papa III. ſeu Deſiderius Abbas Caſinenſis miracula S. P. Benedicti tribus libris dialogicè deſcripſit, 425.

INDEX
RERUM MEMORABILIUM
IN PRÆFATIONE SECUNDÆ PARTIS SÆCULI QUARTI BENEDICTINI CONTENTARUM.

Cifri ſunt numeri ſectionum initiales.

A

ABBATUM poteſtas in rebus ſacris, *num.* 196. quæ illis ordines conferendi & excommunicandi poteſtas, *ibid.* Tonſura eccleſiaſtica ab ipſis collata, 197. an Eccleſiæ dedicatio, 198

Adalhardus Abbas Corbeienſis, non Arſenius à Paſchaſio, ſed Antonius dicitur, *num* 4 & 5

Ado Martyrologii auctor, *num.* 174. vetere Romano uſus eſt, *ibid.* contra ſentientium revictæ conjecturæ, *ibid.*

Adrevaldus Floriacenſis Monachus Joannis Scotti errores in Euchariſtiam impugnat, *num.* 133

Agauni inſtituta laus perennis ab initio, *num.* 204 & *ſeqq.*

Agnus Paſchalis an & quomodo à Chriſtianis oblatus, *num.* 162

Aigulfus Abbas Dionyſianus jugis pſallentii obſervantiam ſolvit, *num.* 212

Alcuini vulgata confeſſio, 19. Trinam in baptiſmo merſionem tuetur adverſus Hiſpanos, *num.* 186

Alduinus Abbas Altivillarenſis, *num.* 142

Alfonſi Salamanticenſis Epiſcopi locus de Vvambæ Regis pœnitentia malè à Ruderico Toletano & Luca Tudenſi intellectus, *num.* 194

Algeri ſententia de Stercoraniſmo explicata, *num.* 65, 66, 77

Amalarius à Stercoraniſtarum errore immunis, *num.* 70

Amatus auctor pſallentii jugis in Habendenſi Cœnobio, *num.* 208

Ambroſius Autpertus commentaria in Apocalypſim Romano Pontifici approbanda primus ſubmittit, *num.* 177

Anima in omnibus hominibus, an una multiplexve, *num.* 156 & *ſeqq.*

Anni Conſulatus Imperatorum iidem cum Imperii annis, *num.* 214

Anſcharius Hammaburgenſis Epiſcopus Septemtrionales populos ad Chriſti fidem adducit, *num.* 164. & *ſeqq.* Bremenſem Epiſcopatum Hammaburgenſi conjungit, *num.* 167

Anſelmus Abbas in privilegio Benedicti Papæ laudatus, *num.* 214

Aquiſgranenſis Synodus, ſeu Monachorum Capitulum generale, *num.* 203

Ariani & Apollinariſtæ, an ſuperfuſionis uſum in Baptiſmo Romam invexerint, *num.* 186

Arſenius Paſchaſio, non Adalhardus Corbeiæ Abbas, ſed Vvala Adalhardi frater ejuſdem quoque loci Abbas intelligendus, *num.* 4 & *ſeq.*

Anaſtaſii Monachi epiſtola de Euchariſtia, *num.* 132. Vvillelmo, non Geraldo Abbati inſcripta, *ibid.*

Auguſtini locus laudatus à Paſchaſio itemque ab Herigero, deſideratus, *num.* 54. Sententia ejus de animæ in hominibus unitate, 156 & *ſeqq.*

B

BACCHARIUS, *Vide* Macarius.

Balneum ante communionem & pœnitentiæ causâ, *num.* 187

Baptiſmus per ſuperfuſionem, *n.* 186. per trinam immerſionem. *ibid.* fictè receptus, *ibid.* Baptizandi Reddentes dicti, *ibidem.* Baptiſmus ad ſuccurrendum, *num.* 192.

Baptiſmus fictè ſuſceptus, *num.* 186

Bedæ Venerabilis Martyrologium duplex, proſaicum & metricum, *num.* 170

Benedicti Papæ III. privilegium in cortice, ſeu charta Ægyptiaca, Corbeienſi Monaſterio conceſſum, *num.* 214. editum emendatur. *ibid.*

Benignus Epiſcopus, Divionenſis S. Benigni Cœnobii Monachus, *num.* 196

Berengarius aliique hæretici Paſchaſio infenſiſſimi, *num.* 22. & *ſeqq.* 134.

Bertramus. *Vide* Ratramnus.

Bulla aurea Manuelis Comneni medicatrix dicta, *num.* 192

C

CANONICI qui monaſticum induerant habitum ad eccleſias ſuas reverſi floccum geſtabant, *n.* 181. Hinc cuculla memorialis. *ibid.*

Capitula generalia Monachorum ſæculo IX. celebrata, *num.* 203

Cardinales etiam Diaconi mitrâ uſi, *num.* 184. Cardinalium etiam viventium icones argenteæ altari impoſitæ, 184

Cariſiacenſis duplex Synodus de Gotheſcalco, *num.* 148

Carolus Calvus dictus Magnus, *num.* 129, 132, Major, *num.* 177. Junior, 179. Diploma ejus pro decimis, *num.* 202

Celichitenſis in Anglia Concilii locus de reali Chriſti præſentia, in Euchariſtia, *num.* 35. de Baptiſmo, 86.

Cellotianus Anonymus, *num.* 6. eſt Herigerus Abbas Laubienſis, *num.* 21, 47 & *ſeqq.*

Chriſmalis veſtis, ſeu alba in baptiſmo, *num.* 186

Chriſti corpus qui triplex, *num* 52. idem in Euchariſtia, quod ex Maria Virgine natum eſt, *num.* 53. cur naturaliter, non ſpecialiter idem à quibuſdam dicebatur, *num.* 58 & *ſeqq.* Quomodo Chriſtus è Virgine natus eſt? 149 & *ſeqq.*

Claudius Carentonienſis Miniſter refutatur, *num.* 50 & *ſeqq.*

Clerici unà cum Monachis apud Suecones rem ſacram promovent, *num.* 168

Cloveshovienſe Concilium, in quo mentio Martyrologii Romanæ Eccleſiæ proprii, *num.* 174

Concilium *V.* Synodus.

Confeſſores dicti apud Hiſpanos, qui pœnitentiæ causâ in extremis monaſticum habitum induebant, *n.* 194

Conſulatus Imperatorum anni iidem cum eorum Imperii annis, *num* 214, 215

Contingii cenſura in Acherium refellitur, *num.* 159

Corbeiæ Gallicæ Abbates. Paſchaſius Radbertus. *Vide* Paſchaſius. Odo. *Vide* Odo. Monachi Anſcharius & Ratramnus. *Vide ſuis locis* Privilegium idem loco conceſſum à Benedicto Papa III. ad autographum

exigitur

exigitur, num. 214, 215
Cuculla memorialis apud Canonicos unde dicta, n. 181
Cuculla pro cappa & pro ſcapulari ſumta, num. 195 utriuſque deſcriptio, *ibid.* hanc Monacho abjicere nefas, *ibid.*

D

DANORUM & Sueonum converſio facta per Anſcharium, num. 167, 168
Decimæ Monachis ſeculo VIII & IX datæ, n. 201. eis aliquando à Laïcis, aliquando ab Epiſcopis conceſſæ, 202. aliquando ex commutatione, *ibid.*
Dedicatio eccleſiæ per Columbanum Abbatem facta, num. 198
Diaconi per ſaltum an ordinati, num. 162
Dionyſianum pſallentium juge, uti & Agaunenſe, num. 209 & *ſeqq.* 211
Duacenſium Doctorum cenſura de Ratramni libro, num. 126

E

EBIRARDUS Comes unus è Primoribus Lotharii Auguſti, num. 140. Gotheſcalcum excipit, *ibid.*
Eccleſiæ dedicatio per Columbanum Abbatem facta, num. 198
Epiſcopi ex Monachis priorem vitæ habituſque formam tenere debent, num. 178. Ejus rei exempla, *ibid.* & *ſeqq.* Secus facientes arguuntur, num. 180 Epiſcoporum mitra, num. 182. non communis olim omnibus, *ibid.* bifida, num. 183. Romanorum Pontificum acuminata, *ibid.* Epiſcopi in Gallia in ſella aurea, dum conſecrarentur, elevati, num. 185. Epiſcopi in extremis Monachi, num. 192
Euchariſticæ ſæculo IX. controverſiæ, num. 1. & *ſeqq.* An ſub finem octavi ſæculi aut noni initium quidam in Euchariſtiam heretici, num. 24, 25, 26. Chriſti præſentiæ reali in Euchariſtia favent Epheſinæ Synodi decreta, *ibid.* Concilium Celichitenſe anni DCCCXVI. in Anglia, 35. Item Paulus Diaconus, Haimo & Anonymus Compendienſis ſæculi IX, *ibid.* quis ſenſus quæſtionis eodem ſæculo agitatæ, *num corpus Chriſti in Euchariſtia ſit illud idem quod natum eſt ex Maria Virgine*, num. 51. & *ſeqq.* Cur volebant idem dici naturaliter, non ſpecialiter, 58, & *ſeqq.* Euchariſtiæ ſumptione cur jejunia ſolvi Græci dicebant, num. 66. an ſeceſſui obnoxia, num. 72 & *ſeqq.*
Eugenii Papæ III veſtitus interior lanea tunica cum cuculla, num. 180
Excommunicandi poteſtas Abbatibus quæ conceſſa, num. 196. Excommunicatio duplex, privata & publica, *ibid.*

F

FLORI Diaconi Lugdunenſis teſtimonium de Euchariſtia, num. 80
Fortunatus Abbas Mediolacenſis, 200. à Ludovico Pio & Frothario Epiſcopo reprimitur, *ibid.*
Fredugardus, al. Frudegardus, ad quem Paſchaſius epiſtolam ſcripſit de corpore & ſanguine Domini, num. 13, 17, 18. Monachus Corbeiæ novæ, 18

G

GERMINIACENSIS Synodus, num. 213
Gotheſcalci Monachi Orbacenſis fortuna & turbæ ab eo excitatæ, n. 139 & *ſeqq.* Fulgentius dictus, *ibid.* in Italia ſerit lites, 140. item in Germania, *ibid.* Hinc à Rabano correptus, *ibid.* poſteaque Moguntiæ damnatus eſt, 141. Remiſſus ad Hincmarum Cariſiaci iterum damnatur, *ibid.* Altovillari retruſus confeſſionem duplicem edit, 142. Prudentius ei favet Rabano improbante, & communionem ei negante, *ibid.* & *ſeqq.* Nicolaus Papa de eo ſcribit ad Hincmarum, 145. Is ſine Viatico moritur, *ibid.* Idem ſcribit de trina Deitate, num. 147. Varia de eo judicia, 148
Græci à ſtercoraniſmi errore immunes, num. 65, 66, 67, 68. Eorum diſcidia & objecta adverſus Latinos, 160. & *ſeqq.*
Guntardi litteræ ad Amalarium, num. 70

H

HAIMONIS Halberſtadenſis Epiſcopi ſententia de Euchariſtia, n. 35. An figuram omnem ab Euchariſtia removerit, 93 & *ſeqq.*
Heribaldus Autiſſiodorenſis Epiſcopus an Stercoraniſmi auctor, num. 46
Herigerus Abbas Laubienſis ipſe eſt Anonymus ab Cellotio vulgatus, num. 47. & *ſeqq.* Ætas ejus, 49
Hincmari Remenſis Epiſcopi geſta ſcriptaque adverſus Gotheſcalcum, num. 141, 142
Hiobi Gaſti Lutherani mala fides. num. 3
Hiſpanorum unica in baptiſmo immerſio ab Alcuino refutata, num. 186

I

JEJUNIA Euchariſtiæ ſumtione qui ſoluta, num. 66
Jejunium omnibus feriis ſextis à Britannis celebratum, num. 191. Quadrageſimale à Romanis non feria quarta Cinerum, ſed Dominica ſequenti inchoatum, num. 162
Imperatorum anni Conſulatus iidem cum annis Imperii, num. 214, 215.
Ineptiæ & næniæ pro hæreſi, 133. Sic Hieronymus in epiſtola ad Alypium & Auguſtinum agens de hæreſi Cœleſtiana: *Nec grande eſt ineptiſſimas nænias reſpondere.*
Johanni Scotto liber de corpore & ſanguine Domini Bertrami nomine vulgatus tribuitur, num. 82. Sed perperam, 83. Johannis alius de Euchariſtia liber & errores, num. 85. & *ſeqq.* 131. 134. opera ejus, 135. Is alius eſt à Johanne Æthelingiæ Abbate & Martyre, 136. nec Monachus fuit, *ibid.* ſcribit de prædeſtinatione, 142. Itemque de viſione Dei, 148. An idem qui Macarius Scotus, 158. Johannes Nicolao Papæ I ſuſpectus, num. 177
Iſaac Comnenus Conſtantinopolitanus Imperator pœnitentiæ cauſâ fit Monachus in extremis, num. 192

L

LANFRANCI ſententia de Neſtorianis examinatur, num. 16
Laus perennis in Agaunenſi Monaſterio aliiſque inſtituta, num. 204 & *ſeqq.*
Leonis Auguſti Imperii & Conſulatus anni, ex mſſ codicibus emendantur, num. 215
Librorum à Romano Pontifice approbatio quandonam primùm petita, num. 177
Lindisfarnenſe apud Anglos S. Petri Monaſterium duplex, num. 213
Liriņenſe pſallentium in Cathedralibus Regienſi, & Avenionenſi eccleſiis inſtitutum, num. 210
Lotharius Imperator Prumiæ Monachus, num. 192. Imperii ejus anni, 214 Conſulatus, 215. Sergius Papa ab eo in Apoſtolica ſede confirmatus, num. 214
Ludovicus Germaniæ Rex Monachis Corbeienſibus & Herifordenſibus Virginibus decimas, & plebium curam concedit, num. 201
Ludovicus II. Imperator Lotharii filius, n. 214 Legatio ejus Romana & Imperii anni, *ibid.* 215
Lupi Abbatis Ferrarienſis modeſtiſſima de prædeſtinatione ſententia, num. 144. Epiſtola ad Gotheſcalcum, num. 148

M

MACARIUS Scotus malè philoſophatus de animarum unitate, num. 156 & *ſeqq.* à Ratramno impugnatus, *ibid.* An idem cum Johanne Scotto,

138 Baccharius per deridiculum dictus, *ibid.* An Baccharius ille, cujus de Salmonnis fine ſententiam refert Fulbertus Carnutenſis Epiſcopus in epiſtolis, *num.* 80. & 81
Manuel Comnenus in extremis fit Monachus, *n.* 192
Marci Referendarii pœnitentia, *num.* 195
Martyrologiorum ſcriptores Benedictini, *num.* 169 *& ſeqq.*
Martyrologium antiquum Romanæ Eccleſiæ Adoni communicatum, 174. Cloveshovienſis Concilii auctoritate probatum, *ibid.*
Moguntina Synodus anni DCCC XLVIII adverſus Gotheſcalcum, 142. alia anni DCCC LIII, *num.* 199
Monachi miſſi ad converſionem Septemtrionalium populorum, *num.* 164. *& ſeqq.* conſenſus eorum hac in re cum Clericis, 168. Martyrologiorum ſcriptores, 169 *& ſeqq.* Epiſcopi facti prioris vitæ genus & habitum retinebant, 178 *& ſeqq.* 189 Monachi facti in extremis dicti ad ſuccurrendum, 192. iis, ſi convaleſcerent, non licebat reverti ad ſæculum, 191. Decimæ iis ſæculo VIII & IX conceſſæ, 201, 202 Capitula eorum generalia prima, 203. Laus perennis, 204. *& ſeqq.*
Monaſteriorum bona inter Abbates & Monachos diviſa, *num* 200
Monaſticæ veſtis ſuſceptio, an & quando profeſſionem induxerit, *num.* 188 *& ſeqq.* in extremis accepta pœnitentiæ cauſa, 191. item à defunctis, 192. Hujuſce ritus origo expenditur, 193 *& ſeqq.* Cuculla & ſcapulare qui differant, *num.* 195
Mitra an communis olim omnibus Epiſcopis citra privilegium, *num.* 182. Varia ejus forma, *ibid. & ſeqq.*

N

NESTORIANI an de Euchariſtia malè ſenſerint, *num.* 26
Nevelo Corbeienſis Monachus Martyrologii auctor, *num.* 176
Nicetæ Pectorati objecta in Latinos, *num.* 66, 67
Nicolaus Papa I Hincmaro ſuccenſet ob Gotheſcalcum, *num.* 145. Eidem aliiſque Gallicanis Epiſcopis Photii capitula Græcorumque objecta mittit ad ea retundanda, *num.* 160
Notkerus Monachus Sancti-Gallenſis Martyrologii auctor, *num.* 175

O

OBLATIO puerorum in Monaſteriis, *num.* 199. revocari non debet, *ibid.* à pueris ipſis poſtea roboranda. *ibid.*
Odo Corbeiæ Abbas & Epiſcopus Bellovacenſis, *num.* 152, 156. Objectis Græcorum reſpondet, 160. An per ſe vel per Ratramnum, *ibid.*
Odonis Abbatis Cluniacenſis de Paſchaſii doctrina Euchariſtica teſtimonium, *num* 39
Ordines ſaltem minores ab Abbatibus collati, *num.* 196
Orientales Epiſcopi mitram non gerunt, *num.* 183

P

PÆNITENTIA publicæ habitus monaſticus inſigne, *num* 191, 192. Suſceptus ab Imperatoribus, Epiſcopis, aliiſque, *ibid.* Vvambæ Regis inſigne exemplum, 194. Hujuſce ritus origo, 193. Pœnitentes in extremis dicti Confeſſores, *num.* 194
Papa quandonam primùm rogatus ut libros approbaret, *num.* 177 Epiſcopis mitram geſtandi dat privilegium, 181. Electio ejus ab Imperatore confirmata, *num.* 214
Pamiſplica Monaſterium, in quod ſeceſſit Vvamba Rex, *num.* 194
Paſchaſii Radberti liber de corpore & ſanguine Domini, *num.* 2. Euchariſticis tacuit novi controverſiis dat occaſionem, 2. *& ſeqq.* Calviniſtarum convicia in Paſchaſium, 3. Tempus conditi ab eo libri, 4. Unicus is fuit, non duplex ut Cellotio viſum eſt, 7. *& ſeqq.* Qua occaſione ſcriptus, 13. Quis ille Placidius cui nuncupatus eſt, 16, 17. Carolo Calvo poſtea oblatus, *ibid. & ſeqq.* Paſchaſius varia opera quo tempore ediderit, 18, 19. Rabano ſuperſtes, 20. Libri ejus Euchariſtici auctoritas & fides, 21. *& ſeqq.* Occaſio & ſcopus, 24. *& ſeqq.* Paſchaſii auctoritas & religio, 28, 34 Adverſarii ejus ſæculo IX Catholici, 36. *& ſeqq.* Laudatur ab Herigero, 61. Paſchaſii ſcripta adverſus Ratramnum de modo quo Chriſtus è Virgine proceſſit, *num.* 150. *& ſeqq.*
Paulus CP. Patriarcha in extremis Monachus, *num.* 192
Pauli Diaconi locus inſignis de Euchariſtia, *num.* 35
Petri Damiani opuſculum de monaſtici habitus in extremis ſuſceptione, *num* 191. Sententia de annua probatione, *ibid.*
Petri de Marca ſententia de libro Bertrami, *num.* 82, *& ſeqq.*
Photii capitula & objecta adverſus Latinos, *num.* 160. *& ſeqq.*
Piſteugis in baptiſmo, quid? *num.* 186
Profeſſio monaſtica. *Vide* Monaſticæ veſtes.
Placidius ſeu Placidus, cui Paſchaſius librum de corpore & ſanguine Domini obtulit, eſt Vvarinus Corbeiæ novæ Abbas, *num.* 14 *& ſeqq. ad* 17
Prædeſtinatio ad malum quî damnata, *num.* 141 *& ſeqq.*
Prudentius Trecenſis Epiſcopus ab errore vindicatus, *num.* 132. alio nomine Galindo, 143. Gotheſcalco faves adverſus Hincmarum, 142
Pſeudunum in pago Duſmenſi, Diœceſi Auguſtodunenſi, locus ubi SS Martyres Florentinus & Hilarius paſſi ſunt, non Sedunum ad Alpes, *num.* 318
Puerorum oblatio in Monaſteriis olim irrevocabilis, *num.* 190. An aliquando ſoluta, *ibid. & ſeqq.*

Q

QUADRAGESIMÆ tempore Miſſa non celebrata apud Græcos, niſi diebus Sabbati atque Dominicis, *num* 66. Occidentalium quidam Sabbatis Quadrageſimæ ſæculo IX non jejunabant, *num.* 162

R

RABANI epiſtolæ ad Egilonem & ad Heribaldum, *num.* 20. Is Paſchaſii adverſarius dicitur ab Herigero, 46. An Stercoraniſmi auctor, *ibid & ſeqq.* Epiſtola ejus ad Egilonem de Euchariſtia, 60. Catholicè ſentit de Euchariſtia, 72. *& ſeqq.* Gotheſcalco adverſatur, 140. *& ſeqq.* Martyrologii auctor, 172. ſcribit adverſus eos qui oblationem puerorum contra Regulam S. Benedicti deſtruere volebant, *num* 199
Ramnulfus Comes apud Pictavos, *num* 186
Ratbertus *V.* Paſchaſius.
Ratherii Veronenſis Epiſcopi Catholica fides & ſcripta de Sacramento Euchariſtiæ, *num* 137
Ratramni opera, *n.* 81. liber de corpore & ſanguine Domini Laubiis inventus, 48, 83. Johanni Scoto & Bertramo tributus, 82. Ratramno vindicatur, 83 *& ſeqq.* quæſtiones hic à Ratramno duæ propoſitæ, 91 *& ſeqq.* Haimonem in prima impugnat, 93. Doctrina ejus & fides examinata, 94. *& ſeqq.* Veritatis & manifeſtationis vocabulis quid intelligit, 96. 97. *& ſeqq.* In re conſentit cum adverſariis Ratramnus, 103. Catholicæ ejus locutiones, 106 *& ſeqq.* Tralatiti Gallicus arguitur, 116 Duriora Ratramni verba aliunde ex ipſius ſcopo explicanda, 120 121, 122. Libri ejus cenſura & integritas, 126, 130. Gotheſcalci doctrinam de prædeſtinatione duobus libris tuetur adverſus Hincmarum, 142. Ratramni tractatus de modo quo Chriſtus è Virgine natus eſt, 149 *& ſeqq.* Rotramnus à Lupo dictus. 151. Ejuſdem liber adverſus Monachum de ſingularitate animæ in hominibus male philoſophantem, 156. Objectis Græcorum reſpondet, 160. *& ſeqq.* Operis ejus loca præcipua, *num.* 162
Reale ſumtum aliquando pro manifeſto, non è contra manifeſtum pro reali, *num.* 95, 96, 97

INDEX PRÆFATIONIS.

Reddentes dicti Baptizandi in vigilia Paſchæ, *num.* 186
Remigius Lugdunenſis Epiſcopus cum Eboue Gratianopolitano Epiſcopo Cariſiacenſis Synodi poſterioris decreta impugnat, *num.* 144

S

SCAPULARE monaſticum ab Epiſcopis Ravennatibus qui Monachi fuerant, geſtatum, 179. ſumtum pro cuculla, 193 deſcriptio ejus, *ibid.*
Sedunum male acceptum pro Pleuduno, *num.* 213
Sigebertus vindicatur à cenſura Baronii, *num.* 214
Signum qua ratione ſumtum ab Haimone, *num.* 93
Stercoraniſtæ quinam, an Rabanus, Herthaldus, aliive, 46, 64. *& ſeqq.* an Græci, *num.* 65
Synodi Moguntina adverſus Gotheſcalcum, 141. alia 199. Cariſiacenſis duplex in eadem cauſa, 141. Lingonenſis & Valentina, 144. Cloveshovienſis, in qua mentio fit Martyrologii Romanæ Eccleſiæ, 174. Celichitenſis, 186. Toletanæ duæ, 193. Aquiſgranenſis, 203. Germiniacenſis, *num.* 213

T

TRAJECTENSES ad Rhenum Epiſcopi ſine mitra, *num.* 182
Theodoſius Studita Abbas quo jure Conſtantinum Imperatorem à communione removerit, *num.* 196
Theodrada matrona Chriſti Sueſſionenſis Abbatiſſa, *num.* 150. *in.*
Toletanorum Conciliorum ſtatuta de pœnitentia, *num.* 193
Tonſura eccleſiaſtica per Abbates collata, *num.* 197

V

VIBARTUS Archidiaconi mitrâ ornatus, *num.* 184
Undaizare, vulgò *ondoier*, in baptiſmo, *num.* 186
Uſſerii erratum, *num.* 19
Uſualdus Abbas S. Salvatoris ſeu Cellænovæ S. Naboris tempore Alcuini, quis, *num.* 173
Vſuardi Martyrologium, *num* 175. à Romana Eccleſia receptum, *ibid.* Carolo Calvo dicatum, *ibid.* Fuit is S. Germani Pariſienſis Monachus, *ibid.* non Abbas Fuldenſis, aut S Salvatoris in Neuſtria, *ibid.*
Vvala Corbeienſis Abbas à Paſchaſio Arſenius dicitur, aliquando etiam Hieremias, *num.* 4. 5. pro fide publica exſulat, *ibid.*
Vvalafridi Strabi ſententia de agni immolatione, *n.* 162
Vvambæ Regis pœnitentia & ſeceſſus in Monaſterium, *num* 194
Vvandalbertus Prumienſis Monachus Martyrologii ſcriptor, *num.* 171
Vvarinus Corbeiæ novæ Abbas, is ipſe eſt Placidius cui Paſchaſius librum de corpore & ſanguine Domini obtulit, *num.* 15, 16, 17
Venilo Senonenſis Archiepiſcopus Gotheſcalco favet, *num.* 142
Vvillelmus Abbas Cormelienſis. *num.* 132
Vvladiſlaus ad capeſſendum Poloniæ regnum è Benigniano Monaſterio eductus, *num.* 188

Additio ad Præfationem num. 176.

176. His omnibus adjungere licet B. Ænguſſium, cognomento Keledeum, Abbatem & Epiſcopum in Hibernia, qui Martyrologia duo, unum vetuſto patrii idiomatis metro, alterum ſoluta oratione compoſuiſſe memoratur. Primum appellat *Feſtilogium*, quod ad ſingulos dies non continet niſi aliquot ex præcipuis Sanctis. In ſecundo fuſiori recenſet primò nomina Sanctorum aliarum gentium; & poſtea ſeorſim adjungit nomina Sanctorum Hiberniæ. Hoc *Tamlactenſe*, quòd conditum ſit in Monaſterio Tamlactenſi, vocat Colganus, qui Ænguſſii Vitam ex antiquis monumentis concinnavit, eamque retulit ad ſæculum IX. Sed quia chronologicæ notæ, quibus utitur, non uſquequaque certæ ſunt; de his in ſequenti Sæculo diſſeremus. Denique in hanc claſſem referre poſſem (ut Maurolycum, &c.

VITA B. RABANI

VITA BEATI RABANI ARCHIEPISCOPI MOGUNTIACENSIS.

ANN. CHR. DCCCLVI. FEBR. IV.

Auctore RUDOLFO Scholaſtico, ejus diſcipulo.

Ex editionibus Colvenerii, Browerì & Bollandi.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

LIBRUM *de geſtis* RABANI, *ſeu* HRabani, *alio nomine* MAURI, *Monachi primùm, dein Abbatis Fuldenſis, ac demum Archiepiſcopi Moguntini, ſcripſit* RUDOLFUS, *ſeu* HRuodolfus, Rodulfuſve, *Fuldenſis Monachus, ipſius Rabani diſcipulus, is qui ſanctæ Liobæ Abbatiſſæ Biſchofheimenſis Vitam in litteras retulit, editam in Sæculi tertii parte ſecunda, ubi plura de Rudolfo diximus. Dubium eſt, an* HRuodolfus Scholaſticus & Cancellarius, *qui Ratgario Abbate quaſdam litteras donationum pro Monaſterio ſuo exaravit anno primo Ludovici Auguſti, apud Piſtorium pag.* 524, *idem ſit cum Rudolfo iſto: an verò* Rudolfus Subdiaconus, *qui alias poſtea ſcripſit anno ejuſdem Auguſti octavo, pag.* 530, *& anno decimo, pag.* 534, 535. *Certè cùm Rudolfus iſtius Vitæ conditor fuerit Rabani diſcipulus, eum Ratgarii Abbatis tempore, quo Rabanus Fuldæ litteras docebat, jam Cancellarium & Scholaſticum dictum fuiſſe non puto. Veri ſimilius eſt, ipſummet eſſe* Rudolfum Subdiaconum, *qui anno Ludovici octavo chartam condidit* vice Althuringi Preſbyteri: *ac proinde nondum Cancellarius. Preſbyter deinde Scholis præfectus eſt poſt Rabanum, quem ſuum ipſius* præceptorem *vocat in prologis Vitæ ſubjectæ & ſanctæ Liobæ, cujus Vitam aggreſſus eſt* imperio venerandi Patris, *ut ipſe ait,* ac præceptoris mei HRabani. *Eum* Oratorem, Confeſſorem*que ſuum, ac Scholarum Fuldenſium præfectum appellat Ludovicus Germaniæ Rex in charta donationis, cujus fragmentum refert Browerus in cap.* 14 *libri* 3 *Antiquitatum Fuldenſium. Sanè Ermenricus Levita, Elewangenſis Monachus, Vitam ſancti Soli, Sæculo noſtro ſuperiori editam, nuncupat* omni in arte celeberrimo Domno Ruodulfo meo didaſcalo, *à quo* bonitatem ac doctrinam *ſe in annis juvenilibus prælibaſſe fatetur. Rabani Vitam integram an abſolverit Rudolfus, incertum. nuſquam enim integra prodiit in lucem: ſed deficit in enumeratione Rabani operum, nulla ejus archiepiſcopalis regiminis mentione facta, tum apud Serarium in Hiſtoria Moguntina, tum apud Colvenerium initio Rabani Operum, tum apud Browerum in Antiquitatibus Fuldenſibus, & Bollandum in Februario ſuo.*

Vitæ ſcriptores, Rudolfus,

2. *Hanc Rudolfi lucubrationem ſi legit, in juſta Vitæ numero non habuit* JOHANNES TRITHE- Trithemius.

ANN. CHR. DCCCLVI FEBR. IV.

MIUS, qui in prologo Vitæ Rabani, quam tribus libris hortatu Alberti Moguntinenſis Pontificis digeſſit anno M D XV, *hæc habet* : Nec mirum ſi plura geſtorum ejus ſilentio pertranſivi, quippe qui nullum ante me fixum, ſolidum & ſufficientem de hac ipſa materia potui habere ſcriptorem, ſed primus auctor eſſe ſine præcedente compellor. *& infrà* : Plures, fateor, hiſtoriarum ſcriptores varia laudum præconia de hoc beatiſſimo atque doctiſſimo viro in ſuis lucubrationibus paſſim hinc inde ſcripſerunt : quorum tamen nullus Vitam ejus continuata ſerie compoſuit. *Propterea ad eam ſcribendam impulſus eſt Trithemius, illamque in tres (ut dixi) libros diſtinxit : quorum primus eſt de Rabani vita privata, ſecundus de ejus regimine abbatiali, tertius de epiſcopali. In ea lucubratione Trithemius aliquoties uſus eſt teſtimonio* MEGINFRIDI *Fuldenſis Monachi ſæculo* XII, ex volumine de temporibus gratiæ, *hactenus inedito : in quo Rabani ſæpius meminit. Ceterum etſi Trithemii opus de Rabano ſpernendum non ſit, ut tamen recuderetur, non viſum eſt operæ pretium, propter multiplicia errata, quæ in eo commiſit. maximè cùm iſtud opus exſtet initio Rabani Operum & in Februario Bollandiano : ubi Godefridus Henſchenius Rabani Vitam eruditis commentariis illuſtravit. Nobis proinde ſat erit habere libellum Rudolfi, cui hiſtoricum Rabani Elogium vice commentarii ſubjiciam.*

Epiſcopi & Monaſteria Moguntiacenſia.

3. *A ſancto Bonifacio Rabanus Moguntiacenſis Epiſcopus, vita ſanctimoniâ præditus, tertius eſt ex Ordine ſancti Benedicti, ex quo educti ſunt quotquot ferè illam Sedem tenuerunt poſt Rabanum ad ſæculum uſque duodecimum. Omnino* tredecim *numerabat Paulus Langius, ex ipſius Chronico Citizenſi. Non mirum proinde, ſi tot in illis partibus fuerint Benedictinæ familiæ Monaſteria, adeo ut* in ſola provincia Moguntina *Trithemii tempore ſupereſſent* centum viginti quatuor Abbatiæ noſtri Ordinis, præter illas quæ ab Ordine dimembratæ ſunt, quarum numerus denarium ſuperat, *teſte ipſo Trithemio in lib. 1 de Viris illuſtribus Ord. S. Benedicti cap. 2.*

PRÆFATIO AUCTORIS.

Sanctorum acta ſcribere laudabile.

1. SCRIPTORES rerum eccleſiaſticarum cùm ſapienter, tum etiam utiliter inſtituerunt, vitas & facta juſtorum, & ſecundum divina præcepta viventium virorum, per litterarum revelationes tradere poſteris. Meritò à Fidelibus magnis ideo laudibus extollendi, quòd non invidioſè ſilentes ea prætermiſerunt : ſed caritate, quæ omnibus prodeſſe deſiderat, abundantes, ad exemplum rectè vivendi cunctis imitari volentibus fidei veritate ſubnixi protulerunt. Si enim non ita feciſſent, nequaquam ſcire potuiſſemus, quid ſancti Patriarchæ, quid Prophetæ, quid Apoſtoli, quid etiam ceteri ſancti Martyres & Confeſſores Chriſti geſſerint, vel docuerint, quibuſque ſignis & virtutibus ante vel poſt mortem ſuam claruerint ; niſi ex eorum ſcriptis credita & intellecta noſceremus. qui ea non captandæ propriæ laudis intentione protulerunt : ſed ut per ejuſmodi exempla, ad emendandos pravos mores humanæ præſumtionis, & ad conlaudandam divinæ majeſtatis potentiam quorumcumque animos incitarent. Itaque eorum laudabile inſtitutum pro modulo meo ſequens, facultate qua valeo, ſcribere nitor virtutes & miracula, quæ Deus per Sanctos ſuos modernis temporibus facere dignatus eſt, quorum ſacri cineres regionem noſtram illati, quotidie Fidelibus cauſa ſalutis exſiſtunt : credens, me non inaniter, immo utiliter, & mihimetipſi & multis aliis laborare. mihi quidem, quia præmium laboris mei cum eis, quos ob laudem Dei in ſimili opere ſudantes imitatus ſum, me habiturum eſſe, per Dei gratiam confidens : aliis verò, quia rebus cognitis veneranda Sanctorum ſollemnia fideliùs amplectuntur, & majore mentis devotione accenſi, in laudem Creatoris ſui lætiùs adſurgunt.

Rodulfus hoc zelo animatus.

Sanctorum variæ tranſlationes & miracula.

2. Temporibus igitur LUDOVICI Imperatoris, qui poſt genitorem ſuum Carolum Magnum Imperatorem, per annos ſeptem & viginti Francorum tenuit imperium, multorum reliquiæ Sanctorum ab urbe Roma in Franciam delatæ ſunt. quarum aliæ quidem ab eis adductæ ſunt, qui juſſu dominorum ſuorum, ut id efficerent, Romam profecti ſunt ; aliæ verò per clericos ſanctæ Sedis apoſtolicæ & cives Romanæ urbis allatæ, vel per viam qua ferebantur, vel in locis quibus ſuſceptæ & conditæ ſunt, multis & magnis miraculorum

ſignis, cujus eſſent apud Deum meriti claruerunt. Conſtat namque reliquias ſancti Sebaſtiani Martyris ab urbe Roma devectas, & ab HILDUINO Abbate apud Auguſtam Sueſſionum * Galliæ civitatem, in eccleſia ſancti Medardi Confeſſoris venerabiliter conditas, tantis & inauditis omnibus retro generationibus florere miraculis, ut revelatio eorum fidem excederet[a], niſi certum eſſet omnibus fideliter credentibus, quòd Deus & Dominus noſter JESUS-CHRISTUS, qui glorioſus eſt in Sanctis ſuis, mirabilis in majeſtatibus, facienſque prodigia, omnia, quæcumque voluerit in cælo & in terra, ſine ulla difficultate poteſt efficere. Oſſa quoque beatorum Martyrum Marcellini & Petri, Proti atque Hyacinthi, cum reliquiis ſancti Hermetis, non minore miraculorum gloria in diverſis ſanitatibus infirmantium quotidie fulgent: quæ & ipſa à Roma tranſlata, & EINHARDO Abbati adducta, juxta Mœnum Germaniæ fluvium, in villa, quæ priùs *Mullinheim*, nunc autem *Saligunſtat* dicitur, digna celebratione à Fidelibus venerantur. De quorum tranſlatione ſimul & virtutibus, quas per eos Deus operatus eſt, quia diligenter memoriæ traditum eſt, hic dicere omitto.

ANN. CHR. DCCC LVI FEBR. IV.

* al. Sueſſionum

3. De oſſibus verò beati Alexandri Martyris, & aliorum Sanctorum, quorum nomina ſuis locis dicentur, ſcribendum eſſe cenſeo, qualiter, & à quibus, vel ad quæ loca tranſlata ſint, quibuſque ſignis & virtutibus, ſive in itinere quo ferebantur, ſive in locis quibus condita ſunt, floruerint, memoriæ mandandum: ut cùm de tranſlatione & miraculis eorum, ſecundùm veritatem geſtorum, fuerit ſermo prolatus; quibus in locis à Fidelibus veneranda debeant inveniri, per hæc ſcripta valeat agnoſci.

VITA INCIPIT.

4. IN ea parte Germaniæ, quam Franci qui dicuntur Orientales, inhabitant, locus eſt ex nomine vicini fluminis Fulda vocatus, ſitus in ſaltu magno, qui moderno tempore ab incolis illarum regionum Bochonia appellatur: quem ſanctus Bonifacius Martyr, Legatus in Germaniam ab apoſtolica Sede directus, & Epiſcopus Moguntiacenſis eccleſiæ ordinatus; quia ſecretus erat & à populari frequentia valde remotus, impetravit à KARLMANNO Rege Francorum, & cum auctoritate [b] ZACHARIÆ, ſanctæ Sedis apoſtolicæ ſummi Pontificis, Monaſterium in eo conſtituit Monachorum, anno ante paſſionem ſuam decimo, qui fuit ab Incarnatione dominica quartus & quadrageſimus & ſeptingenteſimus annus.

Fuldenſis Monaſterii ſitus & origo.

5. Huic itaque Monaſterio quintus à beato Bonifacio præfuit in regimine HRABANUS Abbas & præceptor meus, vir valde religioſus, & in Scripturis divinis adprimè eruditus: cujus omne ſtudium fuit in meditatione legis Domini & in doctrina veritatis, curaque maxima circa diſciplinam monaſticam & profectum diſcipulorum. Mens ejus ad ea diſponenda, quæ ad cultum divinum pertinent, ſemper erat intenta. Quotieſcumque à curis ſæcularibus (quas, prout poſſibile erat, toto niſu declinabat) liber eſſe permittebatur, aut alios ſacris *litteris inſtruebat; aut in legendo vel dictando, divinis Scripturis ſemetipſum paſcebat. Inter hæc & alia, quibus in oratione, vigiliis & abſtinentia, ceteriſque virtutum titulis formam ſe ſibi ſubditis præbebat, Monaſterium totum domibus apertis * & habitaculis congruentibus exſtruxit; & eccleſiam ex diverſo metallorum pretioſarumque veſtium genere pulcra varietate decoravit. Per cellas quoque Fratrum ſibi commiſſorum & per alia loca multa ad ſe pertinentia, in quibus priùs non erant, eccleſias cum per-

Hrabanus Abbas 5, virtuti & ſtudiis deditus.

* f. aptis

Eccleſias ornat & condit.

a Hæc ferè ſunt Eginhardi verba. Lege hiſtoriam tranſlationis ſancti Sebaſtiani atque etiam ſanctorum Marcellini & Petri in hujus Sæculi parte I.

b Zachariæ litteras lege ſis in Vita ſancti Bonifacii, Sæculi tertii parte ſecunda ad annum DCC LIV.

ANN. CHR. DCCCLVI FEBR. IV.

miſſione Epiſcopi ſui conſtruxit: quas collectis undecumque Sanctorum reliquiis, eorum nomine & honore conſecrari fecit.

Prædia rite diſponit.

6. Erant etiam per diverſas provincias prædia Monaſterio ſubjacentia, partim ex donis Regum, partim ex liberalitate fidelium perſonarum, propter amorem Dei & venerationem ſancti Martyris Bonifacii illuc collata: quorum alia quidem per villicos ordinavit; alia verò, & maximè illa, in quibus eccleſiæ fuerant, Preſbyteris [a] procuranda atque diſponenda commiſit. E quibus, qui in Italia prædium procurabat, quod ADUMAR quondam Comes ſancto Bonifacio tradidit, nomine ADDO, inde rediens, inter cetera retulit, ALABINGUM quemdam, potentem in Italia virum, mandaſſe Abbati, quòd cujuſdam ſancti Martyris oſſa vellet ei tranſmittere, ſi congruus ab eo venerationi illius locus exhiberetur, partemque hereditatis ſuæ, quam in Francia, unde oriundus fuit, habebat, ſollemni donatione loco illi conferre diſponeret, ad deſerviendum uſibus eorum, qui ibi eſſent ſervituri. Quibus ille auditis, quia multum in Domino gaviſus, talium rerum deſiderio non parum movebatur, abſolutiſque celeriter cauſis, propter quas Preſbyter venerat, remiſit eum in Italiam, mandans memorato viro Alabingo, in tranſlatione reliquiarum ſancti illius Martyris non ſegniter agendum; quin potiùs propter varios eventus rerum omni velocitate, ut efficeretur, eſſe feſtinandum. Jam ſe divinis officiis faciendis baſilicam congruentem habere conſtructam, & omnia parata, quæ ad ſuſceptionem & cultum hujuſmodi rerum uſus expoſcit: neque aliquid eſſe ex hac parte impedimenti, quin pollicitationem ſuam, ſi voluntas non defuerit, valeat implere.

Alabingum hortatur ad mittendas reliquias.

S. Alexandri reliquiæ in Alamanniam allatæ.

7. Cumque profectus eſſet Preſbyter, ut in Italiam reverteretur; contigit, ut quidam Diaconus Romanæ Eccleſiæ, nomine DEUSDONA [b], veniret in Franciam, ſpecie quidem, quaſi pro quibuſdam ſuis neceſſitatibus Regis opem imploraturus; re autem vera Sanctorum, quas ſecum habebat, reliquias alicui religioſorum in Francia virorum daturus, cujus adjutorio poſſet inopiæ ſuæ aliquod capere ſupplementum. Tranſcenſis igitur Alpium jugis, cùm ad plana & campeſtria deſcendiſſet in finibus Alamannorum, venit ad quamdam villam, quæ vocatur *Kentibruto*, in pago *Turihgawe*: ubi eccleſiam cum reliquiis ingreſſus, cùm benignè à Preſbytero ſuſceptus eſſet, dedit ei partem reliquiarum beati Alexandri Martyris ſub altare eccleſiæ conlocandam. Quo facto mox quanti meriti apud Deum eſſet, miraculis declarantibus cœpit oſtendi. Audientes enim populi Sanctorum allatas reliquias eſſe, debiles & ægrotos & variis incommodis afflictos undique cœperunt adducere, credentes, per orationes Sanctorum priſtinam recuperare ſanitatem. Inter quos femina quædam immundo ſpiritu poſſeſſa, baſilicam introivit: cumque à Preſbytero juxta morem eccleſiaſticum exorcizaretur; per os illius dæmon reſpondit, ſi ab ea fuiſſet ejectus, ſtatim in aliud vas quod ſibi in eadem regione conceſſum eſſet, ingredi deberet: Othmarum quemdam, quem intraturus eſſet, ex nomine deſignans. Ad quem Preſbyter, quia non procul habitabat, mox nuntium mittens, juſſit, ut confeſſione facta peccatorum pænitentiam ageret, ne fortè facinorum ſuorum merito fieret inimici. Qui præceptis obediens, ad pænitentiam, quam diabolus ſemper averſatur, tota mente confugiens, inſidias evaſit inimici: dæmon verò per virtutem ſancti Martyris ipſa die ejectus, feminam quam tenebat, ſanæ mentis & incolumem reliquit.

Miraculis clareſcunt.

Confeſſio.

Alia miracula.

8. Item quædam femina, orationis cauſâ veniens ad reliquias Sancti, duas inaures aureas pro munere obtulit ad altare: quas ancilla, quæ in ejus obſequio erat, ſuper altare poſitas concupiſcens, cùm inter ceteras mulieres, quæ advenerant, orationi incumberet, optavit in corde ſuo, ut eas cum juſtitia

a Preſbyteri illi Monachi erant, quos Præpoſitos jam tum appellabant, infrà num. 13. Hinc Præpoſiturarum (ut vocant) origo.

b De hoc Deodona lege quæ ſuperiùs ex eo relata ſunt ex Eginhardo in hiſtoria tranſlationis ſanctorum Marcellini & Petri.

redemtas habere potuiſſet. Cumque inter orandum id animo volutaret, mox mirum in modum, aliis ab oratione ſurgentibus, ipſa ſe erigere nullatenus potuit: ſed ita, ut ſuper genua ſua orationi incubuit, quodam rigore contracta permanſit. Interrogata autem à Preſbytero cauſam peccati, cujus merito tam ſubitam membrorum contractionem pertuliſſet, vel quid animo gereret, quando in oratione procubuit; reſpondit, nullam ſibi aliam læſionis ſuæ cauſam videri, quàm inaurium illarum concupiſcentiam. Cui Preſbyter: Si Sancti, inquit, Alexandri voluntas ſit, ut eas, ſicut deſideraſti, poſſideas; ſurge & tolle illas de altari. Ad cujus vocem, mox illa ſanitate recepta ſurrexit, linteumque quod circa caput ſuum habuit, ad altare volens offerre, nullo conamine de capite potuit abſtrahere. Quod cùm videret Preſbyter, & ex recuperatione ſanitatis intelligeret, puellæ etiam inaures, quas deſideraverat, divinitus eſſe conceſſas, datis ei inauribus ait: Accipe munus, quod deſideraſti, idque tibi gratìs à Sancto Dei, non pro temporali pretio cognoſce eſſe donatum. Illa verò gratias agens Deo, & merita ſancti Alexandri glorificans, domum cum domina ſua gaudens reverſa eſt. ANN CHR. DCCC LVI FEBR. IV.

9. Poſtea contigit, quaſdam pauperculas mulieres orandi gratiâ ad ſanctas illas reliquias devota mente properantes veniſſe ad fluvium *Turiſeo* [a]; cumque non poſſent abſque navigio tranſire, nec haberent quod pro naulo darent, (non enim eis erant niſi quinque tantùm panes ad viaticum) nauta autem cùm vehementer inſtaret, naulum ab eis exigens; tandem obtulerunt ei quatuor panes, uno tantùm ſibi ob neceſſitatem victûs reſervato. Sed cùm ille adhuc non adquieviſſet, dederunt ei & quintum, magis eligentes ad tempus famem moribundi corporis perpeti, quam victuram perpetuo animam ſanctæ orationis fructu privare. Recepto autem quinto pane, in alteram amnis ripam feminas miſer ille navigio tranſpoſuit; adſumtiſque panibus ac ceteris quas ſimili inhumanitate contraxerat rebus, ad propria redire volens, ſubitâ nervorum duritiâ ita deriguit, ut de loco, in quo erat, ullo ſe conamine movere non poſſet: ſtabatque ſtupefactus, ac pavore perculſus cogitare cœpit, unde ei tanti mali contingeret caſus. Tandem accuſante conſcientia in ſe reverſus, ſcelus quod commiſerat, recognoſcit: commiſſique pænitens, ad Sancti reliquias, quæ jam tunc ab omnibus ferè regionis illius incolis religioſa veneratione frequentabantur, pro abſolutione ſua ire deſiderat: ſtatimque divina miſeratione gradiendi facultatem recipiens proficiſcitur, eccleſiam intrat, panes ante altare cum publica facinoris ſui confeſſione deponit. quos ut mulieres receperunt, integram ſanitatem adeptus, domum ſuam cum gaudio repetivit.

10. Item quidam de comitatu GERALDI Comitis, nomine Perathgarius, filius Theodaldi, iter agens, cùm veniſſet ſecus eccleſiam, in qua ſancti Martyris poſitæ ſunt reliquiæ, & vellet præterire; admonitus à puero, qui comitatus eſt eum, ut ad ſacras reliquias cauſâ orationis paullulum declinaret; reſpondit, ſibi tunc quidem eſſe feſtinandum propter legationem domini ſui peragendam: tempore verò opportuno ad orationem eſſe veniendum. Inter hæc verba ſubitò equus cui ſedebat, inviſibili potentia fixus ſtabat immobilis: & licèt nimiùm calcaribus fatigatus, nullo modo ad ambulandum poterat impelli. Unde factum eſt, ut confuſus ac pavore perterritus, deſcenderet de equo: & quod priùs equitando facere contemſit, implevit ambulando. Perrexit igitur ad eccleſiam, & coram reliquiis ſancti Martyris, expleta ſupplici ter oratione agrum juris ſui, qui poſſeſſioni eccleſiæ illius contiguus erat, pro ſalute animæ ſuæ, ſollemni donatione ei contulit: ſicque itinere ſuo, quo miſſus fuerat, libero curſu perrexit.

11. Alio quoque tempore contigit, ut vir quidam de orientalibus Ala-

[a] Vulgò *Tur*. à quo tractus ille *Turgow* denominatus qui fluvius in Rhenum influit inter Scafhuſiam & Rhinfeldiam, ex quo Kentibruti ſitum rectè colligit Henſchenius.

ANN. CHR. DCCC XVI FEBR. IV. manniæ partibus, cum ſociorum ſuorum comitatu non modico, cauſâ orationis ad prædictas reliquias veniret, portans ſecum donaria ad ſacrarium Domini offerenda. Quæ cùm poſuiſſet ſuper altare, protinus elapſa in terram ceciderunt: factumque eſt, ut tertiò ſuperpoſita, nihilo minus in terram corruerent. Unde Presbyter intelligens, aliquid ineſſe latentis nequitiæ menti vel actibus offerentis, ait ei, ut ſua tolleret, & ad propria remearet: monuitque eum
Confeſſio. circa ſalutem animæ ſuæ eſſe ſollicitum, ac pura confeſſione & dignis pænitentiæ fructibus conſcientiam ſuam mundare, quo orationes ejus & munera deinceps Deo potuiſſent eſſe placabilia.

12. Erat vir quidam in eadem regione, SIGIBALDUS nomine, ex cujus ſervis inter ceteras multitudines, quæ ad orandum confluebant, unus ad eccleſiam venit, ſuſceptuſque à germano ſuo ejuſdem eccleſiæ ſervo, apud eum diebus aliquot manſit. Cùm autem reverteretur, ſubitò in itinere, quo gradiebatur, obmutuit. Qui verò cum eo erant, cognito quod acciderat, duxerunt illum ad dominum ſuum, eique geſtæ rei ordinem per omnia pandebant. Dominus verò ſervi ſtatim eum remiſit ad eccleſiam; & quia per merita ſancti Martyris Chriſti recuperata priſtina ſanitate curatus eſt, tradidit eum in loco reliquiarum ejus perpetuò ſerviturum. Multa quidem & alia in eodem loco divinitus fieri miracula, à commeantibus celebri ſermone nuntiantur, quæ huic operi, ne fortè prolixa narratio legentibus faſtidium generaret, inſerere nolui.
Unde hæc accepta. Hæc autem, quæ commemoravi, in quodam libello inde allato ſuſcepi, & eodem ordine, quo ſcripta erant, licèt non eiſdem verbis, quia certa eſſe videbantur, inſerui: ut ex his cetera, quæ vulgari ſermone referuntur, veracius credi, & certius valeant ſciri.

Diaconus reliquias dat HRabano. 13. Supradictus autem Diaconus, itinere quo cœperat, in Franciam venit, ac primùm ſe ad ERNHARDUM contulit, cujus ſuprà mcutionem feci. (erat enim ei familiaris.) Deinde commendatis ſub ſignaculo Sanctorum reliquiis, ibi in eccleſia beatorum Martyrum Marcellini & Petri conſervandis, Moguntiam profectus eſt, ubi tunc erat quidam Presbyter ex Monachis noſtris, nomine THEOTMARI [a], pro cauſis quibuſdam ab Abbate ad OTGARIUM Archiepiſcopum miſſus. Is cùm Diaconum vidiſſet, cognito quòd eſſet Romanus, percontatus eſt, ob quam cauſam tam procul à patria peregrè eſſet profectus: auditiſque cauſis itineris, hortari eum cœpit, ut partem reliquiarum, quas ſe habere confeſſus eſt, ſuo donaret Abbati, ſciens ſe proculdubio ob id bene ab eo fore remunerandum. Placuit Diacono ſuadentis conſilium, factaque promiſſione dimiſit Presbyterum, die qua tunc inter eos convenerat, ad locum ubi reliquias dimiſit, obviàm ei reverſurum; & ſi Abbati conventio eorum placuiſſet, reliquias ſuſcepturum. Ille antè cum feſtinatione Monaſterium revertens, primùm reſponſa Archiepiſcopi retulit Abbati: deinde quomodo cum Diacono de reliquiis condictum habuerat, intimavit. Quibus ille auditis, valde gaviſus eſt, volenſque velociter experiri fidem ſponſionis, remiſit eum, & alterum cum eo Presbyterum ex Fratribus noſtris, nomine ARTHARIUM, cum munuſculis, ſicut promiſſum erat, Diacono perferendis. ad cujus hoſpitium cùm veniſſent, allatis muneribus, reliquias, quas promiſerat, repoſcebant. Tum ille; Deliberatum, inquit, habeo vobiſcum pariter ad Monaſterium proficiſci, & non ſolùm partem reliquiarum, ſicut promiſi; ſed etiam totum, quod modò habeo ex omnibus, quas ad hanc terram attuli, veſtro Abbati offerre, eiuſque fidei me cum eis pariter committere. Erat autem eo tempore feſtivitas ſanctorum Martyrum Marcellini & Petri, ad quam quia magna multitudo populi confluxerat, & Diaconus quoſdam ex eis, apud quos hoſpitabatur, ſuſpectos habebat, (veritus eſt enim, ne fortè eorum machinationibus, vel fraude, vel violentiâ reliquias amitteret) viſum eſt eis, non

[a] Is eſt Theotmarus, inferiùs item laudatus num. 35. cui Rabanus nuncupavit librum de Ordinibus ſacris, &c.

Ann. Chr. DCCC LVI Febr. IV.

prius loco egredi, quàm tranſacta feſtivitate populus ad ſua remearet. miſeruntque ad Abbatem, Diaconi voluntatem nuntiantes: ipſi interea, quæ itineri ſuo, & ſubvectioni ſanctarum reliquiarum neceſſaria videbantur, parare curabant. Erat etiam non procul ab eis Preſbyter, unus ex Fratribus noſtris, nomine Authadus *, Præpoſitus locorum in illis partibus Monaſterio ſubjacentium, cui injunctum erat, ut ſtatutis temporibus inde neceſſaria Fratribus adminiſtraret. Hunc ſtatuerunt accerſiri, quo faciliùs id, quod inchoatum habebant, & efficere moliebantur, fraterno roborati conſilio, implere potuiſſent.

* Boll. Auchadus

14. Qui cùm veniſſet, & finita ſollemnitate populus ex maxima parte jam receſſiſſet; paratis omnibus, quæ itineris eorum uſus poſtulabat, loculum quo ſanctæ reliquiæ erant reconditæ, elevantes, cum hymnis & laudibus ferre cœperunt, undique per viam confluentibus populis, & clara in excelſum voce divinas laudes cantantibus: ac ſic iter eorum Domino proſperante, cum turba non modica, quæ feretrum ſequebatur, die altera ad Monaſterium venerunt. Fratres autem occurrerunt eis cum crucibus ac cereis, adventum eorum præſtolante Abbate in eccleſia beati Johannis Baptiſtæ, quæ erat in itinere eo, diſtans à Monaſterio Africum verſus quaſi ſtadiis novem. In quam pridie Nonas Junii cum ſacris reliquiis intrantes, populo qui eos de diverſis veniens per ſaltum ſecutus eſt, & jam reverti volebat, orandi ac vota ſolvendi ſpatium dabant. Quibus peractis levantes loculum, ad Monaſterium venerunt, ac baſilicam beati Bonifacii Martyris cum laude & lætitia ingreſſi, juxta altare, in parte meridiana feretrum cum ſacris cineribus poſuerunt.

quæ Fuldam feſtivè delatæ.

15. Altera autem die Deusdona Diaconus, & germanus frater illius, nomine Theodorus, laïcus, primo mane cum Abbate ac duobus Preſbyteris, quorum ego alter eram, ſeorſum baſilicam ingreſſi, loculum aperuerunt, & ſingulorum oſſa Sanctorum, ſicut in pulvinis ſemotim condita fuerant, proferentes, Abbati dederunt, coxam videlicet ac pedem ſancti Alexandri Papæ & Martyris, & brachium Feliciſſimi Diaconi, caput ſanctæ Concordiæ Martyris, ac partem de oſſibus ſanctorum Apoſtolicorum * Fabiani * atque Urbani Martyrum Chriſti; pedem beati Caſtuli, ac dentem ſancti Sebaſtiani: de oſſibus ſanctorum Pamphili Preſbyteri & Martyris, Papiæ, Mauri, atque Victoris: ſanctæ quoque Felicitatis matris ſeptem filiorum, & ſanctarum Virginum & Martyrum Emmerentianæ atque Baſillæ partes non parvas, in ſingulis ſacculis ſeorſum conditas. Quas cùm ille venerabiliter ſuſcepiſſet, & cum honore ac reverentia deoſculatas loculo reconderet; poſt paucos dies, remuneratum Diaconum ac fratrem ejus remiſit in patriam, promittentes, ſe cum aliis Sanctorum reliquiis, ſi eis vita comes ac divinus favor adeſſet, iterum ad eum eſſe venturos.

Reliquiarum enumeratio.

* Boll. Epiſcoporum

* al. Faviani

16. Poſtquam illi reverſi ſunt, ut irent in patriam ſuam, evolutis diebus admodum paucis, memoratus Abbas cum auctoritate Otgarii Archiepiſcopi Moguntiacenſis eccleſiæ per Reginbaldum a Coepiſcopum ejus, oſſa ſanctorum Martyrum Alexandri & Fabiani cum magno honore intulit in eccleſiam beatæ Dei genitricis Mariæ, ad ſeptemtrionalem plagam Monaſterii ſitam, atque in arca ſaxea incluſis eorum plumbeis loculis ad orientem altaris collocavit IV Kal. Auguſti, erigens deſuper ligneum ædificium, mechanica arte fabricatum, quod argento & auro atque lapidibus pulcra varietate decoravit: addens etiam verſus, quibus, unde, & quò, & ad quem * tranſlati ſunt, declaratur, metrica lege compoſitos, & litteris aureis ſcriptos, hoc modo:

Tranſlatio.

* al. ad quæ loca

a Ejus epitaphium ſcripſit Rabanus. Is mihi videtur Reginbaldus, cui Rabanus dicat librum de diſciplina eccleſiaſtica, in editis dictus *Regmaldus*, Rabano *ſanctus Dei Sacerdos*, de commiſſo ſibi grege, paganis ſcilicet convertendis, & Fidelibus confirmandis, ſollicitus. Pauci refert notare apud alios legi hoc loco, *per Reginbaldum Chorepiſcopum.* nam *Coepiſcopus* & *Chorepiſcopus* eo ævo promiſcuè ferè uſurpabantur. tametſi Coepiſcopus non raro etiam ſuffraganeum Epiſcopi ſignabat. De Reginbaldo iterum infrà num. 17.

ANN. CHR. DCCC LVI FEBR. IV.

Pontifices ſummi, Roma huc quos miſit habendos,
Rectores fuerunt Sedis apoſtolicæ.
Hos ſervus Chriſti HRABAN *ſuſcepit ovando,*
Illorumque oſſa hoc condidit & loculo.
Levitæ ergo duo prædicta ex urbe ſecuti,
Venerunt iſtuc digni & honore ſuo,
Quos idem famulus Domini mox obvius adſtans
Supplex accepit, hícque ſimul poſuit.
Martyr Alexander, Martyr Fabianus & ipſe,
Huc venere ſimul, Doctor uterque pius.
Diſcipuli Syxti Papæ dignique miniſtri,
Feliciſſimus hic Agapituſque manent.
*Omnes hi pariter aulam hanc ſatis * oſſibus ornant,* [* al. *ſacris*]
Virgo Dei genitrix quam dicat & meritis.
Vos quoque, qui intraſtis templum, iſtos cum prece fuſa
Patronos vobis quærite in auxilium.

Reliquorum verò Sanctorum oſſa, qui ſuprà nominati ſunt, in arca, quam ad inſtar arcæ fœderis Dei ex ligno fabricatam atque deauratam cum Cherubin ac * vectibus ſuis in baſilica beati Bonifacii Martyris in abſida orientali poſuerat, condidit, donec venerationi eorum locum congruum pararet. Quod & poſtea cum Dei adjutorio, quàm celerrimè potuit, devotus implevit. Hæc autem geſta ſunt anno ab Incarnatione Domini DCCCXXXV, Indictione XIII, regnante Domino noſtro JESU-CHRISTO, qui cum Deo Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

[* al. aſpectibus] [anno 835.]

[Aliæ reliquiæ eò delatæ.]

17. Pòſt autem anno ſequente venit quidam laïcus ab urbe Roma, SABBATINUS nomine, cùm ſociis ſuis in Franciam, ferens ſecum reliquias [a]: auditoque nomine ſuprà memorati Abbatis, cujus devotionem in divino ſervitio ac veneratione Sanctorum longè lateque fama divulgabat, venit ad eum VIII Kal. Maii, deditque illi oſſa ſancti Quirini Martyris, qui fuit in Siſcia urbe Pannoniæ quondam Epiſcopus, & oſſa beati Romani militis, qui à beato Laurentio baptizatus, ſtatim capitali ſententia conſecutus eſt martyrium: de corpore ſancti Cornelii Papæ oſſa XIII, & de corpore ſancti Calliſti Papæ X, de corporibus verò ſanctorum Nerei & Achillei oſſa XVI, ſancti autem Turtutini oſſa, & ſancti Stactei de cineribus corporis maximam partem & oſſa X. Ille verò univerſa hæc venerabiliter ſuſcepta in arcam, quam ſuprà ſub duobus Cherubin poſitam diximus, ſupplici devotione collocavit.

[S. Venantii reliquiæ in cella S. Soli depoſitæ.]

18. Igitur dum hæc agerentur, Addo Preſbyter Abbatis, quem ſuprà ad Alabingum quemdam pro ſuſcipiendis alicujus Sancti oſſibus Italiam miſſum fuiſſe retulimus, corpus beati Venantii Martyris in territorio Ariminenſis urbis inventum ſuſtulit, & in Franciam redire feſtinavit. Ac primò quidem propter metum incolarum illud occultè ferebat: deinde verò poſtquam Alpium juga tranſiit, & in fines Bajoariorum pervenit, jam ſecurior effectus, feretro impoſitum, confluentibus undique populorum turbis, & excelſa Deum voce laudantibus, detulit in cellam, quæ vocatur *Suolenhus* [b], ſitam in regione Sualaveldoni *, & ad auſtralem plagam altaris eccleſiæ in feretro, ſicut allatum erat, honorificè poſuit. Erat autem eo tempore Præpoſitus cellæ illius ex Fratribus noſtris, nomine SANTHARATUS: qui ſtatim miſſo nuntio omnem rei geſtæ ordinem mandavit Abbati, rogans ſibi renuntiari, utrùm ſanctas illas reliquias in eo loco, ubi tunc erant, permanere voluiſſet, an ſibi

[* Boll. Sualaveldomiorum]

[a] Adeo jam invaluerant eo tempore, immo in morem redierant ſacrarum reliquiarum nundinationes, de quibus Auguſtinus & Gregorius Magnus conqueruntur. Sic nimirum alteris erat fames auri, alteris reliquiarum. Fuit qui quondam brachium ſancti Auguſtini Doctoris *centum talentis argenti & talento auri* comparavit, referente Vvillelmo Monacho Malmeſburrenſi. Lege Guiberti Abbatis Novigentenſis lib. 1 de pignorib. Sanct. cap. 3 §. 3.

[b] Id eſt, Soli ſeu Solonis Monachi, cujus Vita exſtat in parte 2 Sæculi noſtri 3.

ad

ad Monaſterium transferri. Omnes enim populi regionis illius id petebant, idque ſummis votis optabant, ut corpus ſancti Martyris ibi habere mererentur, cujus opem in diverſis infirmitatum ſanitatibus quotidie ſentiebant. Abbas verò cùm audiſſet, mox de ſuis duos Monachos Preſbyteros miſit ad prædictum Fratrem, præcipiens eis, quanta potuiſſent celeritate, ſanctas illas reliquias ſibi adferrent. Erat enim jam tunc per omnes pæne regiones illas celebrè nomen ſancti Venantii propter virtutes & miracula, quæ Chriſtus Dominus & Rex Martyrum per eum facere dignatus eſt. De quibus, quæ facta ſunt in eodem loco, priuſquam venirent qui ab Abbate miſſi fuerant, paucis arbitror eſſe perſtringenda. ANN. CHR. DCCC LVI FEBR. IV.

19. Nam cùm adhuc feretrum cum ſacris oſſibus juxta altare eſſet poſitum, quædam femina de ipſo pago, quæ ante ſex annos oculorum lumen amiſerat, rogavit ſe illuc adduci, credens ſibi per merita & orationes ſancti Venantii Dominum propitiari. Cúmque perducta eſſet, & ante feretrum proſtrata ſuppliciter oraſſet, viſum recepit. Poſt hæc altera mulier filium ſuum ſexennem, ex utero claudum, ante reliquias ſancti Martyris poſuit, & expleta laude veſpertina, ceteris ad ſua regreſſis, ipſa cum puero pernoctavit. Mane autem facto, ſublatum adhuc, ſicut fuerat, debilem domum reportans, in lectulum poſuit: cellariumque ſuum, ut puero panem daret, intravit. à quo cùm fuiſſet egreſſa, filium ſuum, quem claudum in lecto reliquit, cum aliis ejuſdem loci pueris in platea ludentem reperit, ita ſanum, ut nec ſignum aliquod in eo priſtinæ debilitatis remaneret. In quo liquidò oſtenditur, quòd ſuffragantibus meritis ſancti Venantii puer ille ſanatus ſit, per virtutem ejus qui & filium Reguli, & puerum Centurionis verbo curavit, & in omni loco præſentia ſuæ majeſtatis, quæcumque voluerit, facillimè poteſt efficere, JESUS-CHRISTUS Salvator noſter, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, Amen. Hæc quidem duo miracula quæ modò retuli, ab eis qui præſentes erant, & ea ſe vidiſſe teſtati ſunt, didici: cetera verò, quæ ſcripturus ſum, ipſe coram poſitus vidi, quia ex eis, qui ad perferendos ſacros cineres miſſi fuerant, unus eram. Miracula patrant.

20. Igitur cùm veniſſemus ad locum, quem Suolenhus vocari ſuprà diximus, paratis celeriter omnibus, qnæ ad devectionem ſanctarum reliquiarum neceſſaria videbantur, prima luce poſt completum matutinum officium, celebratis ex more Miſſarum ſollemniis, cum ingenti luctu ac mærore eorum qui ibidem erant remanſuri, ſanctum illum theſaurum ſuſtulimus, atque iter ingreſſi portare cœpimus. Erat enim cælum grave nubibus obſcuriſſimis, & quæ citò in ingentem pluviam reſolvi poſſent, niſi id virtus divina fieri prohiberet. Nam tota nocte illa ſine intermiſſione pluebat; ita ut nobis iter illud ea die inchoari poſſe minimè videretur. ſed ſuperna gratia per merita Sancti ſui, id quod timebatur, longè aliter eſſe fecit. Nam ut pergere cœpimus, mox diſſipatis nubibus, cæli ſerenitas venit, & per viam luti parum inventum eſt. Rivi quoque, qui in tam magna & jugi pluvia, ut ea nocte erat, creſcere ſolebant, pæne nihil creviſſe reperti ſunt. Pergentes autem per ſingulas villas, obviis populorum turbis excipiebamur, qui nos in dicendis laudibus divinis, & in ſacro onere ferendo non ſegniter adjuvabant, donec veniremus in locum, qui vocatur Holzkircha [a], ſitum in Alamannia: ubi congregata maxima multitudine promiſcui ſexus & ætatis cum ingenti lætitia ſuſcepti ſumus. Erat autem ibi oratorium non grande, quod intrare ac feretrum inferre volentes, præ multitudine turbarum, quæ præibant, & quæ ſequebantur, minimè potuimus: ac per hoc ſub divo, in loco editiore altari erecto, ac feretro juxta Fuldam devectæ.

[a] Monaſterii nomen, ſiti inter Mœnum & Tuberam, in hodierno Comitatu Werthaimenſi, ad fluvium *Abſtade*, quod Fuldenſi Monaſterio ſubjecit Carolus Magnus, in cujus litteris Monaſterium Holtzkirichæ ſeu ſancti Syxti, à Troande Principe ædificatum dicitur, apud Bruvverum in lib. 2 Antiquitatum Fuldenſium cap. 5.

ANN. CHR. DCCCLVI FEBR. XV. illud poſito, rurſus Miſſarum ſollemnia celebravimus. ubi inter celebrandum duæ mulieres ſpiritibus immundis obſeſſæ vexati cœperunt, & mox per virtutem Chriſti ac merita ſancti Venantii, fugatis dæmonibus, integerrimam mentis & corporis meruerunt recipere ſanitatem.

21. Expleta autem Miſſarum celebratione, cùm populus ad ſua revertiſſet, oratorium quod vicinum erat, ſanctos cineres intulimus, ac feretrum pone altare poſuimus; ordinatis qui ibi excubias ducerent, atque divinis laudibus dicendis operam darent, ipſi nos in hoſpitium recepimus. In ipſa autem nocte, cùm ad nocturnas vigilias divinæ laudes dicerentur, quædam mulier muta, per merita ſancti Martyris, ſoluto linguæ vinculo, loquelam recepit. Nec multò pòſt altera mulier ſpiritu immundo poſſeſſa, & brachium habens aridum, per orationes ſancti Martyris ejecto dæmonio ita perfectè corpore & mente ſanata eſt, ut die craſtina feretrum cum ceteris ipſa portaret. Mane autem facto cùm Miſſarum ſollemnia agerentur, quædam mulier, quæ tribus ſemis annis cæca fuerat, viſum recepit. Et altera, dextram manum habens debilem, per merita Sancti conſecuta eſt integram ſanitatem.

22. Cùm autem inde promovere paraſſemus, & in ipſo profectionis noſtræ articulo ſollemniter à Sacerdote diceretur oratio; unus ex Clericis, qui nobiſcum erant, nomine Otheti, cui ſuſcipiendorum munerum quæ à populo offerebantur, cura commiſſa fuerat, partem quamdam allatæ pecuniæ furatus *, ſubitò cecidit, & in conſpectu totius multitudinis, quæ innumerabilis undique confluxerat, ſpiritui traditus immundo, vexari cœpit, & euſque à dæmonio poſſeſſus eſt, donec à circumſtantibus allatâ pecuniâ, quam in zona abſconderat, per merita & orationes ſancti Dei Martyris tam perfectè curatus eſt, ut ab eodem loco incolumis cum laude Dei ac publica ſceleris ſui confeſſione feretrum comitaretur, donec loco ſuo ſanctæ reliquiæ conderentur. Neque enim priùs aliquid hujuſcemodi inſaniæ ab infantia uſque ad tempus illud in eo auditum aut viſum eſt: ſed nec poſtea, quamdiu vixit, poteſtas in eum data eſt inimico. Igitur inde profecti venimus in villam, quæ vocatur Truhtmuntiga: ubi juxta ſacros cineres in eccleſia poſitos, quatuor mulieres in ipſa nocte ab immundis ſpiritibus liberatæ ſunt.

* al. fraudans

23. Nec prætereundum arbitror eſſe miraculum, quod meritò huic Sancto Dei adſcribitur. Antè enim quàm ad prædictam villam ventum eſſet, quædam matrona nobilis, audito quòd per regionem illam ſancti Dei reliquiæ veherentur, (erat enim in via ad alium quemdam locum ire volens) relicto quo tendebat itinere, obviàm nobis properavit, fibulamque ſuam auream, quam linguâ Francorum ſpangam vocant, in ipſo tranſitu perdidit: quam cùm diu cum omni comitatu ſuo, qui erat non modicus, quæreret, & minimè reperiret; cœptum iter carpebat, dicens: Si Domino noſtro JESU-CHRISTO placet, cujus ſancti famuli reliquiis ſupplex occurri, fibula, quam perdidi, facile eſt ut à quolibet inventa mihi reſtituatur. Venit ergo, & adoratis reliquiis, oblatiſque muneribus cùm rediret, occurrit ei quidam homo ignotus, eamdem fibulam præ ſe ferens in manu: quam cùm illa ſuam fore dixiſſet; Recipe, inquit, quia per orationes Sancti, cujus reliquias venerata es, reddita eſt tibi. Atque ita mulier accepto quod ſuum erat, itinere ſuo pergebat, laudans & benedicens Deum.

24. Altera autem die celebratis primo mane Miſſarum ſollemniis, cum ſanctis cineribus iter ingreſſi, venimus in locum, qui vocatur *Haſſarodt*, in quo Monaſterium eſt Monachorum, qui egreſſi cum crucibus & capſis Sanctorum reliquias continentibus, divinas laudes concinentes, ex illa * parte fluminis [a] adventum noſtrum exſpectabant. Nos verò cùm veniſſemus ad pontem fluminis, propter multitudinem, quæ ab Alamannia nobiſcum venerat, & jam redire volebat, ut orandi locum haberet, parumper conſtitimus.

* l. alia

[a] Mœni ſcilicet, ad quem ſitum iſtud Monaſterium.

In quo loco ex accolis regionis illius non minima pars populi è diverſo nobis occurrit: inter quos femina quædam vellus lanæ ferens, cùm ad feretrum, munus oblatura, extenderet; lana quam tenebat, velut fumus evanuit. quod cum vidiſſet illa, pavens ac tremens cœpit quærere Preſbyterum, cui peccatorum ſuorum confeſſionem daret, conſiliumque ſuæ ſalutis acciperet. Interrogata autem, ſi lana, quæ de manibus ejus evanuit, eſſet furtiva; confeſſa eſt, non à ſe furatam, ſed à quadam ſocia ſua ſibi fuiſſe donatam. Cumque res diligenti inquiſitione veſtigaretur, inventum eſt, quòd ovis à qua vellus illud ſumtum erat, proprio poſſeſſori erat fraude ſublata. Ibi quidem turba illa, quæ nos, ut diximus, ab Alamannia proſecuta eſt, adoratis atque oſculatis ſacris reliquiis, domum reverſa eſt. Monachi verò, qui nos in altera fluminis ripa operiebantur, & alia multitudo, quæ nobis ibi occurrit, comitati ſunt nos cum divinis laudibus uſque ad eum locum, in quo ſimili modo ab aliis occurrentibus excipiebamur. quæ tunc ſimiliter, ut prior, facta oratione, ad ſua reverſa eſt. Hoc modo per ſingulos dies à mane uſque ad veſperam comitantibus nos, & *Kyrie eleiſon* cantantibus populorum turbis, cum ingenti gaudio gradiebamur. ANN.CHR. DCCCLVI. FEBR. IV. Confeſſio.

25. Cùm autem adpropinquaſſemus villæ, quæ vocatur *Hamalunburg* [a], ſita ſuper fluvium nomine Sala; quæ fuit quondam fiſcus regius, donec ex largitate PIPPINI Regis Francorum, partibus ſancti Bonifacii Martyris, ſollemni donatione collata eſt; occurrerunt nobis cum cereis & crucibus Fratres noſtri, qui habitant in cella, quæ ob hoc quòd ab eo quondam eſt habitata, Baugulfi vocatur; & cum eis ingens multitudo virorum ac mulierum ex diverſis locis undique confluentium. Inter quos erat claudus quidam de ipſa villa, quam ſuprà nominavi, qui propter cruris ac pedis unius imbecillitatem duobus ſe baculis ad incedendum ſuſtentabat. is, cùm nobis paullulum conſiſtentibus, populus, qui occurrit, ſacras reliquias adoraret; in conſpectu multitudinis, per merita ſancti Martyris, tam perfectè curatus eſt, ut ultra in ambulando baculorum adminiculo non egeret. a

26. Cùm autem pergentibus nobis & ſacrum onus ferentibus ventum eſſet ad fluvium, invenimus Abbatem noſtrum cum Sacerdotibus ac Monachis & magna multitudine hominum, in altera ripa fluminis adventum noſtrum exſpectantem. Erat quidem ibi tranſitui noſtro navis parata, ſed non in apto loco ad terram ſubducta: idcirco præceptum eſt nautis, ut eam nobis obviàm ducerent: qui longè ſurſum ab eo loco ad litus venimus. Illis verò feſtinantibus, ut juſſa explerent; cùm funem ſolviſſent, & in navem deſcendere paraſſent; ſubitò è manibus eorum lapſa in amnem, vi quadam inviſibili contra impetum fluminis acta ferebatur, donec ad locum, quo ſacrum onus ſuſceptum erat, litori applicita pervenit. Tranſpoſitis autem reliquiis, & in prato adjacente Miſſarum ſollemniis propter multitudinem ſub dio celebratis, cùm in oratorium, quod in villa erat, feretrum cum ſacris cineribus poneremus, mulier quædam nervorum contractione ita curvata, ut penitus ad videndum cælum ſe erigere non poſſet, cunctis qui aderant videntibus, coram Sancti Dei reliquiis ab incommodo, quo jam per multos annos laborabat, in momento temporis virtute divina liberata eſt. Poſtera die inde profecti, venimus in locum, vocabulo *Libtolvesbah* *, qui eſt in ſaltu Buconia, IV leucis diſtans à Vuldenſi [b] Cœnobio: ubi ſuſcepti ab accolis ſilvæ, quorum magna multitudo obviàm venerat, cùm in oratorio feretrum poſuiſſemus; quædam mulier paupercula filium ſuum ſexennem, à nativitate ſurdum & mutum, in ulnis ferens, ante Sancti reliquias poſuit, ibique pernoctans, die craſtina, ut populi dicebant, audientem & loquentem reportavit. * *Liebtoſbach* b

27. Nos verò completis matutinorum laudibus, Miſſarumque ſollemniis

a Hodie *Ame'burg* opidum ad Salam.

b Sic non raro flectunt Fuldenſe Monaſterium, quod *Volda* etiam Matthæo Pariſio & aliis nonnullis dicitur.

Ann. Chr. DCCC LVI. Febr. XV. rite peractis, cum populis divinas laudes concinentibus iter ingreſſi, cùm veniſſemus ad conſpectum Monaſterii, ecce Abbas noſter, qui nos pridie præceſſit ad ordinandam ſuſceptionem ſanctarum reliquiarum, obviàm venit, & cum eo omnis multitudo Fratrum noſtrorum, exceptis, quos vel ætas, vel infirmitas exire prohibuit, cum crucibus & cereis, portantes in loculis oſſa beatorum Martyrum Urbani & Quirini, quæ de Roma nuper allata ſuprà memoravi. Erat etiam cum eis & REGINBALDUS Chorepiſcopus, & infinita hominum multitudo, qui propter litanias majores, quæ tunc Idibus Maii menſis, de diverſis locis ad Monaſterium convenerant. Cúmque ſuppliciter adoraſſent cum ſumma veneratione, ſuſceptum corpus ſancti Venantii Martyris eccleſiam [a] ſancti Johannis Baptiſtæ, quæ diſtat (ut præfatus ſum) à Monaſterio quaſi ſtadiis novem, cum hymnis & laudibus intulerunt. Quod Reginbaldus Chorepiſcopus facta oratione in abſida eccleſiæ ad orientem altaris in arca ſaxea recondidit, cineresque ſanctorum Martyrum Urbani & Quirini pariter depoſuit, ſingulos ſeorſum in ſingulis loculis incluſos: ubi, orationibus eorum fideliter Deum deprecantibus, beneficia præſtantur uſque in præſentem diem, ad laudem & gloriam Domini noſtri JESU-CHRISTI, qui cum Deo Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum.

28. Abbas verò deſuper ligneum erexit ædificium, quod ex auro & argento decenter ornavit, ſcriptis in circuitu metricis verſibus, geſtæ rei cauſam declarantibus, hoc modo:

Præcurſor Domini, Chriſtum qui tinxerat undis,
Hanc aulam inhabitat, ſanctificatque domum.
Quattuor hancque viri, Chriſti magnalia ſcriptis
* al. tam *Qui jam * expreſſerunt, ecce colunt pariter.*
Sed homines ſancti valde, & ſacro ordine clari,
Non minùs exſultant nobilitantque locum,
Quos huc diverſis duxit ex partibus orbis,
Servorum Domini ſtrenuus actus amor.
Urbanum Roma, Quirinum Siſcia miſit,
Quos piè ſuſcipiens continet iſte locus.
Inſignis Præſul ſanctus Venantius, atque
De Arimino [b] veniens hic ſimul ipſe manet.
* al. Hic *Hos * quoque ſuſceptos HRabanus forte locavit*
Sarcophago hoc dignè, edidit & titulum.
Depoſcens omnes, templum qui greſſibus intrant,
Ipſum ut commendent rite Deo precibus.

Aliæ item reliquiæ HRabano concessæ.

29. Poſt hæc allatæ ſunt ei reliquiæ ſanctorum Epiſcoporum Cornelii atque Calliſti, & ſanctorum Martyrum Agapiti, Georgii, Vincentii & Maximi; ſanctarum quoque virginum, Cæciliæ, Eugeniæ, Dignæ & Emeritæ, atque Columbanæ. Attulit autem eas quidam Clericus Italicus, nomine Felix, anno ab Incarnatione Domini DCCC XXXVIII *, die quinto menſis Aprilis. (anno 838. * Boll. DCCC XXXVII.)

Aliæ reliquiæ.

30. Poſt cujus reditum, non multis diebus interpoſitis, Theodorus frater Deuſdonæ, cujus ſuprà mentio facta eſt, cum quodam ſocio ſuo Sabbatino, ab urbe Roma profectus Alamanniam venit: &, ſicut dudum promiſerat Abbati, Sanctorum reliquias ſecum detulit, oſſa videlicet ſancti Quirini, qui in Siſcia Pannoniarum opido quondam Epiſcopus erat, & temporibus Diocletiani Imperatoris ſub Amantio Præſide inter multas quas pro Chriſti nomine pertulit paſſiones, ligatâ ad collum molâ in flumen præcipitatus eſt. Cúmque diutiſſime ſuper undas nataret, cum ſpectantibus locutus eſt, ne ſuo terreren-

[a] Lodovici Germaniæ Regis diploma, Rabano fideli (ſic vocat) Secretario ſuo conceſſum in gratiam ſancti Venantii, lege apud Browerum in Antiq. Fuld. lib. 3. cap. 13.

[b] In editis Rabani libris legitur *Almisio*, mendoſè.

tur exemplo, & vix oratione à Domino; ut mergeretur, obtinuit. Cujus corpus inventum, & à Fidelibus honorificè ſepultum eſt pridie Nonas Junii. Incurſione autem barbarorum in partes facta Pannoniæ, populus Chriſtianus, accepto corpore beati Quirini Martyris, Romam fugit, & ſacras reliquias viâ Appiâ, tertio milliario ab Urbe, in eccleſia Apoſtolorum Petri & Pauli; ubi aliquamdiu jacuerunt, ſepelivit in loco qui dicitur Catacumbas.

31. Detulit item & reliquias Urbani Papæ & Confeſſoris, cujus doctrinâ ſuo tempore multi coronati ſunt martyrio. oſſa quoque ſanctæ Cæciliæ Virginis, quæ ſponſum ſuum, fratremquè ejus Chriſto lucrata, martyres fecit; & ipſa deinde martyrizata, ignem quidem ſuperans, ſed ferro occiſa ſub Almachio Urbis Præfecto. necnon & oſſa ſanctorum Tiburtii & Valeriani atque Maximi. quorum primi quidem ſub prædicto Almachio Urbis Præfecto, fuſtibus cæſi & gladio ſunt percuſſi: ultimus verò tamdiu plumbatis verberatus eſt, donec redderet ſpiritum. Attulit quoque oſſa ſanctorum Agapiti, Januarii, & Magni, Diaconorum beati Sixti Papæ: qui cum eo ſub Decio decollati ſunt, ſicut in geſtis pontificalibus legitur. Zenonis quoque Diaconi & Hippolyti Martyris oſſa, qui tempore Decii Imperatoris ligatus pedes ad colla indomitorum equorum, & per carduetum tractus, emiſit ſpiritum. Aquilæ etiam atque Priſcillæ, uti Actus Apoſtolorum teſtantur, quondam comitum Pauli, ſacroſanctas reliquias detulit. de quibus per viam, qua ferebantur, magnum atque inauditum contigit miraculum: vero etenim cruore viſæ ſunt maduiſſe. nam tantus humor ſanguinei coloris de loculo, in quo conditæ fuerant, diſtillavit, ut veſtes quoque portantium inficeret, menteſque ſpectantium rei novitate percelleret.

32. Igitur cùm veniſſent, ſuſcepit eos Santhratus Frater noſter, quem cellulæ Suolonis Præpoſitum fuiſſe ſuprà * diximus. Et adventum quidem eorum cum celeritate nunciare curavit Abbati: reliquias verò in loco, qui vocatur Holtzkircha, honorificè collocavit, ſabbato ſancto Pentecoſtes v Kalendas * Junii. Convenit autem illuc multitudo magna virorum ac mulierum: inter quos adducta eſt puella quædam duodennis, à nativitate cæca & brachiis cruribuſque contracta: quæ per merita & orationes in ipſis vigiliis & ſanitatem membrorum & uſum recepit oculorum. Inde poſt dies duos vel tres * mulier quædam cæca uſum recepit: & hominis cujuſdam à nativitate muti ad loquendum lingua reſtituta eſt. Poſt hæc die tertia quædam mulier, quæ tribus continuis annis nihil videns, per merita Sanctorum lumen recipere meruit. In ſequenti die alterius mulieris manus contracta, priſtinæ reſtituta eſt ſanitati.

* num. 18.

* Boll. Kalendis

* Boll. dies octo

33. Igitur dum talia apud reliquias Sanctorum divinitus agerentur; venerunt, qui ab Abbate miſſi fuerunt, ex Monachis noſtris Preſbyteri tres; quorum unus vocabatur Megingoz, alter Oedoltus dicebatur, tertius autem Theothmarus erat, idem cujus feci mentionem * in tranſlatione reliquiarum beati Martyris Alexandri. qui ſecundùm mandatum quod habebant, acceptis Sanctorum oſſibus quæ allata fuerant, cum honore & reverentia ferre cœperunt. Comitata eſt autem eos multitudo magna virorum ac mulierum pſallentium, & divinas laudes gratulabunda voce canentium. De pagis quoque & de villis certatim populi confluxerunt, adducentes ſecum ſpiritibus immundis obſeſſos, & diverſis infirmitatum generibus afflictos; credentes per merita & orationes Sanctorum deſideratam recipere ſanitatem. Inter quos adducta eſt mulier dæmoniaca, nomine HRuodmwi. erat enim de poteſtate ſancti Kiliani Martyris, habitans in villa, quæ vocatur *Aſcbah*. Mox igitur ut pervenit ad conſpectum loculi, quo Sanctorum reliquiæ ferebantur, arrepta ab immundo ſpiritu diu multumque torquebatur; donec per Dei gratiam in conſpectu multitudinis tam perfectè curata eſt, ut deinceps incolumis & ſanæ mentis, in Dei laudibus perſeveraret, quæ priùs frequenter hujuſmodi incommodo laborare ſolebat.

* num. 11.

Ann. Chr. DCCC LVI Fabr. IV.

34. Hoc quidem geſtum eſt ſextâ feriâ XIIII Kalendarum Auguſtarum. Abbas verò circa honorem Sanctorum magnam gerens ſollicitudinem, me & quoſdam ex * Fratribus obviàm miſit, præcipiens ut oſſa ſanctorum Martyrum Januarii & Magni dimitterentur in monaſteriolo, quod vocatur Holtzkircha, ſitum in provincia Waldſazi: ceterorum verò Sanctorum reliquiæ ad ſe ducerentur. Occurrimus autem eis in villa, quæ dicitur *Biſcofesheim* a: ubi in Dei laudibus pernoctantes & excubias ducentes, altera die, quæ erat Dominica, ad Holzkiricham cum ſanctis reliquiis pervenimus: poſitoque in eccleſia juxta altare feretro, cùm ſacra Miſſarum ſollemnia celebrarentur, mulier quædam à dæmonio curata eſt. Nam cùm miſerabiliter in conſpectu populi cruciaretur; muſca nigerrima & miræ magnitudinis ab ore ejus viſa eſt avolare: poſt cujus egreſſum recepta mentis ſanitate curata eſt.

* al. quoſdam Fratribus

35. Sequenti autem die, relictis ibi, ut præceptum erat, oſſibus ſanctorum Martyrum Januarii & Magni, atque in loculo, ſicut allata fuerant, pone altare venerabiliter poſitis; cum ceteris ſanctorum reliquiis profecti ſumus, proſequentibus nos Fratribus & magna multitudine hominum regionis illius. Undique etiam ducebantur infirmi & variis paſſionibus affecti: inter quos puella quædam, nomine Selina, in ipſo itinere quo gradiebamur, arrepta à dæmonio cucurrit, & morſu feretrum apprehendens, mox ſanæ mentis effecta eſt: acceptoque ſanctæ crucis vexillo, gaudens & laudans Deum, Sanctorum reliquias præcedebat.

36. Cumque veniſſemus ad Mœnum fluvium, Sanctimoniales de Monaſterio, quod vocatur Zellinga b, cum crucibus & cereis egreſſæ nos ſuſceperunt: ingreſſique cum ſacro onere eccleſiam, ut populus qui nobiſcum venerat, & jam tunc reverti volebat, locum haberet orandi ac vota ſolvendi; ſextâ horâ diei ſollemnia celebravimus: quibus expletis cum omni illa multitudine venimus ad navem. Erat etiam ex adverſo in altera ripa fluminis turba non modica, adventum noſtrum operiens. Nobis autem cum ſacris oſſibus navem adſcendentibus, ecce ancilla quædam MAHTHILDÆ Abbatiſſæ Monaſterii illius, nomine Liobſuind, morbo contracta vetuſto, & humo ita adclinis, ut ad videndum cælum nequaquam ſe erigere valeret, venit reptans pedibus, manibus ſcammelis c innixis: cumque navem vellet adſcendere, nec poſſet; unus ex noſtris Fratribus, GOZMUNDUS nomine, elevatam poſuit in navem: tranſpoſitis autem nobis & in litus alterum cum ſacris oſſibus egreſſis, mox mirum in modum per virtutem Dei & merita Sanctorum mulier ita curata eſt, ut ſine cujuſpiam adjutorio ſe erigeret, ac ſcammelis, quibus eatenus innitebatur, ſummitatem feretri tangeret. Stabat etiam adhuc innumerabilis multitudo promiſcui ſexus & ætatis ex utraque parte fluminis, inter quos erat Reginolfus quidam Preſbyter HUMBERTI * Epiſcopi, qui adſcenſo editiore loco mulierem ſanam populis in divina laude clamantibus oſtendit, ut geſto miraculo multi teſtes, multi etiam Dei fierent laudatores. Sed & domina illius atteſtata eſt, ex multis annis eo morbo contractam illam & inutilem effectam, uſque ad id temporis perſeveraſſe, quo per Dei gratiam & Sanctorum ejus ab ejuſmodi incommodo liberata eſt.

* V. num. 18.

37. Inde profecti cum divino adjutorio die tertia, hoc eſt VIII Kalend. Auguſti, ad Monaſterium pervenimus. Egreſſi autem Fratres cum crucibus atque cereis, occurrerunt nobis in clivo montis, qui vocatur *Hurodleichesberg*. Turba autem non modica ex accolis eremi, partim quidem nobiſcum, partim verò obviàm veniens illuc confluxerat. Subſtitimus paullulum, ut convenientibus ſpatium daretur orandi. & ecce mulier quædam, quæ erat ab annis de-

a Ibi ſitum erat Biſcofesheimenſe Parthenium, de quo actum eſt in *Vita ſanctæ* Liobæ primæ loci Abbatiſſæ, in parte 2 Sæculi 3.

b Iſtud Monaſterium, quod propè à Retzbachio vico ſitum erat, jamdudum intercidit, teſte Brovvero in lib. 2 Antiquitatum Fuldenſium cap. 10.

c Ita legendum, non *ſcabellis*, ut apud Bollandum. Scammela ſeu ſcammula ſunt reptantium hominum fulcra, quibus manus innituntur.

cem & eo amplius clinica, portabatur. cumque perlata à portantibus feretrum tetigiſſet, continuò recepta omnium ſanitate membrorum, gaudens & laudans Deum, remeavit ad propria. Fratres verò ſuſceptas Sanctorum reliquias cum hymnis & laudibus in eccleſiam beati Bonifacii Martyris intulerunt, poſitaſque cum loculo, ſicut allatæ fuerant, juxta altare beatorum Apoſtolorum, die noctuque congrua veneratione frequentabant. ANN.CHR. DCCC LVI IBBR. IV.

38. His ita geſtis, cùm dies aliquanti tranſiſſent, vir venerabilis HRabanus Abbas HUMBERTUM Wirziburgenſis eccleſiæ Epiſcopum invitavit ad Monaſterium, quod Holzkiticha vocari jam ſuprà dictum eſt: & quia ad ejus diœceſim locus pertinebat, cum illius auctoritate oſſa ſanctorum Martyrum Januarii & Magni venerabiliter ibi in arca ſaxea ad orientem altaris collocavit VIII Kal. Novembris: ſuper quam ligneum erigens ædificium, auri argentique metallo pulcra varietate decoravit, ſcriptis in circuitu metricis verſibus litteris deauratis, hoc modo: Holtzkirichæ quædā recondita.

Ecce viros iſtos, præclaros valde patronos,
Roma decus orbis miſerat huc pariter:
Quos quoque HRABANUS *humilis ſuſceperat Abbas,*
Præſule cum HUMBERTO *rite locavit & hic.*
Hic Magnus pauſat Martyr, Januarius atque,
Officio inſignes, atque ſacris meritis:
Qui cum Pontifice Chriſto mucrone peremti
Levitæ, cælo reddiderant animas.

39. Igitur ex eo tempore, quo eorum ſacræ reliquiæ ibi conditæ ſunt, divina uſque hodie populis præbentur beneficia. Per orationes enim & merita eorum debiles & infirmi curantur, & ab obſeſſis corporibus dæmones effugantur, ac deſiderata fideliter orantibus vota præſtantur. Ex quibus pauca miracula, quæ ab his qui præſentes erant, & ea ſe vidiſſe teſtati ſunt, ad meam notitiam litteris denotata, breviter intimare curavi. Villa eſt ab eo Monaſterio paſſibus mille diſtans ad meridiem, nomine Gundichenhus, ex qua mulier quædam nomine Adalburg, cùm ſediſſet ad menſam cum marito ſuo, ut cibum caperet, ſubita contractione nervorum ita deriguit, ut unguibus in palmam defixis nequaquam digitum à digito potuiſſet explicare. Quod cernens ejus maritus, quanta potuit celeritate, prædictam ad Monaſterium Preſbyteris & Fratribus loci illius præſentavit, ſupplicans, ut pro ſanitate illius divinam clementiam precarentur. Ducta eſt igitur ad memoriam Martyrum, Fratribuſque veſpertinum celebrantibus officium, & illa coram altari proſtrata & orante, dextera ei manus reſtituta eſt: altera autem die, circa horam tertiam, recepta etiam ſiniſtræ manus ſanitate, cum gaudio remeavit ad propria. Miracula.

40. Altera quoque villa eſt etiam non longè ab eodem Monaſterio, nomine Hohhus, in qua puella quædam, cùm ſtaret ad textrinum opus, ſubitaneo impetu ſpiritus maligni arrepta, manibuſque contractis inutilis effecta eſt. Cumque per continuos tres dies ac tres noctes æſtuans & vociferans, multa ignota quaſi cognita loqueretur; ſanctam GERDRUDAM [a] appellabat, aliorumque Sanctorum nomina proclamabat: inter cetera quoque adfirmabat, Luciam de cælis deſcendentem ſe admonere, ut ad ſanctum Januarium Magnumque Martyres properaret, aiebatque ſe prædictos Sanctos videre, & uſque ad locum, ubi requieſcunt, nominatim exprimens, ire deſiderabat. Quò cùm fuiſſet à parentibus adducta, Preſbyteris ac Monachis loci illius eadem ex ordine replicavit. Pater autem puellæ tres denarios ſuper contractam filiæ ſuæ manum poſitos, dextera ſua manum illius ad altare cum munere porrexit: quod cùm factum fuiſſet, mox mirum in modum per orationes

[a] Nimirum Carleburgi honoratam, de qua dictum eſt in Appendice ad Vitam S. Burchardi Wirtziburgenſis Epiſcopi in fine Partis primæ Seculi 3.

Ann. Chr. DCCCLVI Febr. IV. Sanctorum, in uno eodemque momento & denarii ſuper altare ceciderunt, & puellæ integra mentis ac manûs ſanitas reſtituta eſt.

41. Erat etiam illis temporibus mulier quædam in villa, quæ dicitur *Erlabah*, diſtans à Monaſterio leugis duodecim, quæ per decem annos continua immundi ſpiritus vexatione laborabat. Hanc parentes ſui plena fide perduxerunt ad memoriam ſanctorum Martyrum ſtante Eburhardo Preſbytero juxta altare, ac Miſſas celebrante. Cumque pro ea fuiſſet oratum, ſubitò immundum neſcio quid ac fœtidum evomuit, pariterque cum vomitu egreſſo dæmonio curata, & ſanæ mentis effecta eſt, factaque peccatorum ſuorum con- *Confeſſio.* feſſione, gaudens & laudans Deum reverſa eſt ad domum ſuam.

42. Vir quidam erat in regione illa, Freviricus nomine, de villa quæ vocatur Bettinga; cujus ancilla, vocabulo Gerſuind, ſubitò obmutuit, ac per VII continuos dies muta permanſit: octavo autem die ad memoriam Martyrum adducta, per merita eorum priſtinæ reſtituta eſt ſanitati. Nam cùm in eccleſia publicè Miſſarum agerentur ſollemnia, & lectio legeretur Evangelii, ſtantibus omnibus juxta morem cum ſilentio & reverentia, illa repentè quaſi vi quadam acta erupit in vocem, & *Kyrie eleiſon* coram omni populo exclamavit, ac ſic per virtutem Dei & merita ſanctorum Martyrum recepta locutione domum reverſa eſt.

Feſti religio miraculo probata. 43. Dies erat natalitius ſanctorum Martyrum Januarii & Magni: præceptum eſt omnibus ad jus Monaſterii illius pertinentibus, viris ac mulieribus, ut ea die à rurali ac ſervili opere vacarent, diemque feſtum dicarent. Contigit in villa quadam, quæ à Schlavis * Chriſtianis habitabatur, ut unus eorum, parvipendens honorem Sanctorum, cum ſuis exiret in agrum, merenſque ſegetem, & meſſam congregaret in acervos, ceteris ſollemnes ferias celebrantibus. Interea igitur aër denſiſſimas crevit in nubes, & tempeſtas ſæva exorta eſt, fulgura ventique vehementer undique ferebantur, coruſcationes quoque valde terribiles, & fulgura diſcurrentia horrorem nimium mortalibus ingerebant: factumque grande miraculum, Domino diſcernente inter venerantes & feſta Sanctorum ejus contemnentes. Omnes enim acervi frugum, quos miſer ille ea die meſſos congeſſerat, cæleſti igne conſumti ſunt, ceteris quos vel ipſe, vel concives ejus pridie meſſuerant, inlæſis permanentibus: tantuſque timor ex hoc omnes perculit in circuitu, ut deinceps feſta Sanctorum ſummâ colerent reverentiâ.

* al. Schavis

44. Contigit etiam in die ſollemnitatis, ut puella quædam de villa Munbrunnoſi, nomine Selina, filia Bernalahi, de quotidiana vexatione maligni ſpiritus tam perfectè ſanaretur, ut ab ea die nequam ſpiritus numquam eam invaderet. Talibus quidem miraculis & aliis innumerabilibus, quæ brevitati ſtudentes omittimus, Dominus noſter JESUS-CHRISTUS declarare dignatus eſt merita Sanctorum ſuorum Januarii & Magni, quorum oſſa ordine ſupradicto tranſlata & condita eſſe conſtat. Ceterorum verò corpora Sanctorum, quæ vel eodem, quo iſti, vel alio tempore adducta ſunt, quo tranſlata & condita ſunt juxta fidem geſtorum declarabo.

Templa & oratoria à HRabano erecta. 45. Locus eſt à Monaſterio Fuldenſi decem & eo amplius leugis diſtans, ad Boteam, nomine *Rathesthorph* [a], à Monachis quidem habitatus, ſed ad præfatum Monaſterium eo tempore ad HRabanum Abbatem pertinentibus: in quo pulcram & divinis officiis congruentem noviter exſtruxit eccleſiam, quam picturis & diverſorum varietate metallorum decenter ornavit, altaribus

[a] In litteris compoſitionis ſeu concordiæ, inter Wolfgerum Wirtzburgenſem Epiſcopum & Ratgarium Abbatem Fuldenſem initæ anno ſecundo Ludovici Auguſti, fit mentio Monaſterii *Rateſtorf*, quod in diœceſi Wirtzburgenſi, cujus poſtea Humbertus Epiſcopus, ſitum erat. Extat charta de limitibus *Rateſdorf* apud Piſtorium in Traditionibus Fuldenſibus pag. 514. Meminit hujus cellæ Rabanus in præfatione expoſitionis ſuper cantica ad Ludovicum Regem. *Nuper*, inquit, *quando ad vos in cellula Monaſterii noſtri, quæ vocatur* Rateſtorf, *vocatus veni, & ſermo fuit inter nos de Scripturis ſacris, &c.*

&

& crucibus auro argentoque paratis vaſiſque diverſi generis, quæ divinus cultus expoſcit, congruenter adhibitis. In quam cum auctoritate HUMBERTI, qui Herilolſum Preſbyterum illuc vice ſua miſerat, oſſa beatæ Cæciliæ Virginis, & ſanctorum Martyrum Tiburtii & Valeriani intulit: atque in ſarcophago ſaxeo poſt altare poſuit, ſingulorum oſſibus in loculis ſingulis ſeorſum conditis, erectamque deſuper, ut ei moris erat, ligneam tumbam auro paravit & argento. Titulum quoque rei geſtæ ſeriem declarantem, metrico carmine compoſitum, litteris deauratis in circuitu conſcripſit, in hunc modum. ANN CHR. DCCC LVI LIBR. IV.

Poſtquam Rex Regum Chriſtus ſuper æthera celſa
Victor conſcendit, arbiter omnipotens;
Servorum turbam hic liquit, plebemque fidelem:
Qui verbo & factis plurima lucra darent.
Inter quos iſti, quorum hic membra quieſcunt,
Virtutum titulis eximii fuerant.
Hi pompam mundi ſpernentes, rite tenebant
Martyrii palmam virgineumque decus.
Germani ecce duo hic pauſant, quos Virgo beata
Lucrata eſt Chriſto dogmate Cæcilia.
Valerianus adeſt unus, Tiburtius alter,
Nomine præclarus, clarior & meritis.
Has tres perſonas Romana ex arce meantes
Suſcepit HRaban, Chriſte, tuus famulus,
Patronoſque ſibi exoptans fieri, arte magiſtra
Ornavit tumulum, condidit & titulum.

46. Ædificavit etiam eccleſiam valde conſpicuam in monte excelſo, XII ferè ſtadiis ad orientem à ſuo Monaſterio diſtantem: quam cùm ex præcepto OTGARII Archiepiſcopi per REGINBALDUM Chorepiſcopum ejus in honorem beatorum Apoſtolorum, Patriarcharum, Prophetarum, Martyrum, Confeſſorum atque Virginum, omniumque ſanctorum ſpirituum cæleſtium feciſſet conſecrari, intulit in eam oſſa ſanctæ Felicitatis matris VII filiorum Martyrum, & ſanctæ Concordiæ; ſanctarum quoque Virginum Baſillæ, Emmerentianæ, Candidæ & Europiæ. quibus addidit oſſa ac veſtimenta ſanctorum Aquilæ & Priſcillæ, V [a] Kalend. Octobr. erectamque deſuper, ſicut & in ceteris fecerat, ligneam fabricam auro argentoque decoravit, ſcriptis ex utraque parte verſibus, qui geſtæ rei ordinem declararent, hoc modo. [b]

[b] *Hic locus ecce tenet Sanctorum condita rite*
Oſſa, ſimul memorans, & pia facta colit.
Mater Felicitas, ſancta & Concordia, nutrix
Hippolyti hic pauſant, Candida & Eutropia.
Pauli itaque hoſpes Aquila hic, & Priſca quieſcunt,
Eugenia hic virgo atque Baſilla manent.
Virginis Agnetis hic conlactanea ſiſtis,
Nempe Emerentiana, Martyr & ipſa ſacra.

47. Tranſtulit quoque eadem die oſſa beatæ Leubæ Virginis, cujus Vitam atque geſta brevi dudum libello comprehendi: & poſuit ea in crypta ejuſdem eccleſiæ poſt altare, in honorem ſanctæ Dei Genitricis, ſanctarumque Virginum Chriſti dedicatum, in arca ſaxea, quam etiam ligno circumdatam, auri argentique metallo decenter ornavit.

[a] Aliis IIII Kal apud Brovverum VI Kal. in lib. Antiquitatum Fuldenſium cap. 12, ubi hæc inſcriptio: *Anno Domini DCCC VIII (lege DCCC XXXVII) Indict. XV, dedicatum eſt hoc oratorium juſſu Otgarii Archiepiſcopi à Reginbaldo Chorepiſcopo VI Kal. Octob. in honorem beatorum Apoſtolorum, Patriarcharum, Prophetarum, Martyrum, Confeſſorum, atque Virginum, & ſanctæ Felicitatis matris VII filiorum, &c.* Sita eſt hæc eccleſia in monte ſancti Petri adjacente Monaſterio Fuldenſi ad Orientem, infrà num. 50.

Ann. Chr. DCCCLVI Febr. IV. 48. Sequenti autem die per manum prædicti Chorepiſcopi collocavit reliquias ſanctorum Epiſcoporum Cornelii, Calliſti, Sixti, Sinicii, Nicaſii & Felicis, Stactei quoque & Pamphili Preſbyterorum, & ſanctorum Martyrum Criſpini & Criſpiniani, Nerei & Achillei, Sebaſtiani quoque, Caſtuli & Romani, Papiæ & Mauri, atque Valeriani; ſanctarumque Virginum Cæciliæ, Eugeniæ atque Anaſtaſiæ Martyrum Chriſti in eccleſia beati Bonifacii Martyris, in loco quo priùs ſanctum corpus illius quieſcebat. Ædificavit enim ibi turrem lapideam poſt altare, in cujus turris ſummitate media condidit prædictorum oſſa Sanctorum, arcæ ſaxeæ diligenter incluſa: ſuper quam culmen ligneum columnis quatuor ſuſtentatum erigens, auro ornavit & argento. intra quod arcam oblongam quadrangulo ſchemate factam poſuit, quam etiam auro & argento atque lapidibus ornans, ſingulorum Sanctorum imaginibus decenter expreſſis decoravit, verſuſque quaſi ex perſona ejuſdem arcæ prolatos in circuitu conſcripſit, hoc modo.

Nomine quos noto locus hic & imagine ſignat,
Præclaros Chriſti ecce Dei famulos,
Qui corde in pavido rubuerunt ſanguine ſacro,
Poſt Chriſto jam animas expoſuere ſuas.

Sed & in turre ſubjecta verſus conſcripſit; quatuor quidem in uno latere, & quatuor in altero, elegiaco carmine, hoc modo compoſitos.

Martyribus Chriſti, quorum hic (ſacra) oſſa quieſcunt,
HRABANUS *humilis condidit hunc titulum.*
Horum tu, Lector, ſi noſcere nomina curas,
Arca ſuperpoſita pandit & ipſa tibi.
Roma decus mundi, laus rerum, ſumma poteſtas,
Hos jam Lectores Pontificeſque habuit:
Cum quibus hic pauſant ſumti de partibus orbis
Virtute clari, Chriſte, tui famuli.

In reliquis verò duobus lateribus, aſclepiadeo carmine hos verſus conſcripſit.

Felices nimiùm atque beati,
Quos Rex Chriſtus ovans arce ſuperna
Sanctis pro meritis collocat aſtris:
Vitam perpetuam reddit & illis.
Qui templum Domini greſſibus intrant,
Hos nunc admoneo, corde benigno
Chriſtum ſuppliciter ut prece poſcant:
Quod cum Martyribus ſidera præſtet.

49. Aliorum autem Sanctorum reliquias de diverſis partibus orbis plurimas congregavit, atque in oratoriis, quæ tempore ſui regiminis numero XXX conſtruxerat, & ab Epiſcopis in quorum diœceſi fuerant, dedicari fecerat, honorificè collocavit. de quorum locis & conſecrationum auctoribus atque temporibus, Sanctorumque nominibus, quorum ſpoliis illuſtrantur; ſi vita comes & divinus favor adfuerit, locis opportunis ſcire volentibus declarabo.

Abbatis curam abdicat. 50. Cùm igitur vir ille venerabilis Monaſterium ſibi commiſſum per annos XX nobiliter rexiſſet; depoſito curæ paſtoralis pondere, ad eccleſiam, quam ad orientem Monaſterii [a] in monte conſtructam eſſe ſuprà * dixi, ſe contulit: ibique manens ac Deo ſerviens, cæleſti philoſophiæ vacabat. Erat enim in Scripturis à pueritia valde ſtudioſus, & ſecundum donum ſibi cælitus datum lectionem divinorum librorum plurimùm adamavit, atque in his ſæpius meditatus eſt. Unde etiam hortatu Fratrum ſuorum atque amicorum adgreſſus

* num. 46.

Studia & libri ejus.

a Additur apud Bollandum *Sancti Petri*, quæ verba in aliis editis deſunt. rectiùs foret, *in monte ſancti Petri*. Lege præmiſſa num. 46.

eſt ſcribere expoſitiones librorum divinorum, tam veteris quàm novi Teſtamenti. Nam, ut ipſe teſtatus eſt, primùm ſcripſit anno ætatis ſuæ circiter trigeſimo in laudem ſanctæ Crucis duos libellos, hoc eſt unum metrico ſtilo, cum figuris myſticis, quæ in divinis libris longè antè prænotatæ ſunt: ut in his manifeſtaretur Chriſti paſſio & redemtio noſtra, in figura ſanctæ Crucis eſſe prænuntiata. in quo etiam ſoluta oratione ſubjecta eſt uniuſcujuſque figuræ explanatio: & ſic viginti octo, excepta ſuperliminari pagina, videntur in ea contineri figuræ, ſimul cum expoſitionibus ſuis. Sequentem autem libellum ideo conficiendum putavit, quem etiam in viginti octo capitulis breviavit, ut locutionem metrici prioris libelli in eo lucidiorem faceret. Poſt hæc ſcripſit ad HEISTOLFUM Archiepiſcopum de inſtitutione Clericorum libros tres: in quibus de eccleſiaſticis ordinibus, & officiis diverſis, quæ in eccleſia geruntur, ratio demonſtratur, & ordo diſcendi ac modus dicendi verbi Dei declaratur. Ad quem etiam ſcripſit tractatum ſuper Evangelium Matthæi, conſummans illum octo libris. cujus & hortatu fecit homilias diverſas per totum annum, ad diverſas feſtivitates. Et de variis vitiis atque virtutibus ſubjunxit ſermones, ad prædicandum populo Dei. ANN.CHR. DCCC LVI FEBR. IV.

51. Poſt hæc rogatu Epiſcoporum, FRECHOLFI videlicet, FREDURICHI & HUMBERTI, ſcripſit in Octoteuchum * commentariorum libros XXIX, hoc eſt in Geneſim libros IV, in Exodum libros IV, in Leviticum libros VII, in Numeros libros IV, ſimiliter & in Deuteronomium libros IV, in Jeſu Nave libros III *, & in Judicum libros duos, in Ruth quoque librum unum. Fecit etiam, rogatu HILTWINI Abbatis, libros IV in expoſitione libri Samuelis & Regum. Similiter LUDOVICO Imperatore hortante, in Paralipomenon edidit libros IV. Scripſit præterea expoſitionem in hiſtoriam Judith, librum unum: & in hiſtoriam Heſter ſimiliter librum unum; quos tradidit JUDITH Auguſtæ. Librum quoque Macchabæorum priorem, petente GEROLDO Archidiacono, libellis duobus explanavit, ſequentem verò libello uno. Librum quoque, qui nuncupatur Sapientiæ, hortatu OTGARII Archiepiſcopi in tribus libellis, prout potuit, enodavit. & librum Jeſu filii Syrach, qui appellatur Eccleſiaſticus, decem libris ſimiliter elucidavit. In Hieremiam quoque Prophetam XX libros expoſitionis juxta ſenſum majorum edidit. In epiſtolas quoque Pauli hortatu LUPI Diaconi collectaneum fecit, colligens de diverſis opuſculis ſanctorum Patrum ſententias eorum, & in ordinem diſponens, in XXX libris illum determinavit.

* Boll. Pentateuchum

* Boll. IV

52. Sunt quoque alia opuſcula ejus, quæ ad interrogata diverſorum ei reſpondere neceſſarium fuit: quorum unum eſt de Coepiſcoporum ordinatione: ſuper quo ad DRUGONEM Archiepiſcopum [a] ſcripſit librum unum. Ad NOTINGUM quoque Epiſcopum Veronenſem, de præſcientia ac prædeſtinatione Dei, de gratia & libero arbitrio ſcripſit librum unum: in quo, quid rectè ſentiendum eſſet, oſtendit. Nam ad LUDOVICUM Imperatorem ſcripſit librum unum contra eos, qui oblationem ſecundùm Regulam ſancti Benedicti deſtruere volebant. cui & miſit epiſtolam conſolatoriam poſt calamitatem, quæ ei accidit ex parte filiorum ſuorum & Optimatum: in qua ex divinis teſtimoniis oſtendit, quòd falſum judicium non poteſt rectè condemnare innocentem: in qua etiam noviſſimè provocat eum ad indulgentiam in ſe commiſſorum. Poſtea hortatu ejuſdem fecit collectarium unum de ſententiis divinorum librorum, in quo primùm teſtimoniis divinis probavit, obſervandum eſſe honorem parentum, & ſubjectionem poteſtati à Deo ordinatæ. deinde de diverſis ſpeciebus virtutum, & è contrario vitiorum, teſtimonia de auctoritate divina in eodem opere ſubjunxit, demonſtrans qualiter cuicumque ordini in Eccleſia Deo militandum ſit: quod opus XL capitulis conſummavit.

[a] Drogo erat Epiſcopus Mettenſis, dictus Archiepiſcopus ob pallii honorem & Vicarii apoſtolici dignitatem à Sergio Papa acceptam anno DCCC XLIV.

ANN CHR DCCCLVI FEBR. IV.

Ad interrogata quidem BONOSI Abbatis reſpondendo, quomodo cognationis commiſtio declinanda ſit, & magica ars devitanda, confecit librum unum. Scripſit quoque libellum unum ad OTGARIUM Archiepiſcopum, in quo primùm de pænitentia legitima & ſpe indulgentiæ; deinde diverſa capitula de canonibus diverſorum Conciliorum ſubjunxit, ad corrigenda hominum vitia & inſtituta religionis Chriſtianæ roboranda. Præterea quoque MACARIO Monacho petente de computu confecit dialogum unum.

ELOGIUM HISTORICUM.

CAPUT I. Rabani nomina, patria, parentes, nativitatis tempus.

1. RABANUS, *patrio nomine ſic dictus, aliud nomen* MAURUS *accepit ab Alcuino præceptore ſuo, uti ipſe in præfatione commentariis Regum præfixa teſtis eſt, ubi ait, ſe in iis locis quæ per ſe exponit, ad marginem* prænotaſſe M. litteram Mauri nomen exprimentem: quod magiſter, *inquit*, meus beatæ memoriæ Albinus mihi indidit. *Nimirum iſto ævo mos invaluerat apud litteratos viros in his partibus degentes, ut præter gentilitium nomen, quod plerumque ſono duriuſculum erat, aliud à Latinis aut Græcis, rariùs ab Hebræis adſciſcerent, politioris ſermonis lenitatem affectantes. Hinc ſancto Frichorio Hadrianus; Biſcopo* cognomen, *id eſt alterum nomen Benedictus; Willibrordo Clemens; Winfrido Bonifacius; Arnoni Saltzburgenſi Epiſcopo Aquila; Alcuino Albinus Flaccus; Carolo Magno David; Angilberto Homerus; Riculfo Damœta; Adalhardo Antonius; Wala Arſenius, & Hieremias; Ratberto Paſchaſius; Warino Corbeiæ novæ Abbati Placidius; aliis alia vocabula ſuppoſita ſunt. Hariulfi Chronographi Centulenſis de ſancto Frichorio agentis notanda ſunt verba in lib. 1 cap. 6.* Alterius nomen, eo quòd rictu linguæ barbaræ ineptum viſum eſt, à prioribus mutatum vocatur, & ſcribitur HADRIANUS. *Adeo verò lenitatem hanc ſectabantur illius temporis homines, ut ejuſmodi popularia nomina, quaſi barbara, pronuntiare ferè non auderent, niſi petitâ veniâ lectorum. Huc ſpectat Servatus Lupus in præfatione ad librum de vita ſancti Wigberti Abbatis.* Id autem à periti benevolentia lectoris obtinuerim, ut ſicubi Latini ſermonis lenitas hominum locorumve Germanicæ linguæ vernaculis aſperatur; modicè ferat: ac meminerit, non carmen me ſcribere, ubi poëticâ licentiâ nonnumquam nomina mutilantur, atque ad ſonoritatem Romani diriguntur eloquii, vel penitus immutantur: ſed hiſtoriam, quæ ſe obſcurari colorum obliquitatibus renuit. *Hæc igitur cauſa eſt, ob quam Alcuinus Rabano cognomentum ſeu alterum nomen impoſuit Mauro. quo nomine eum ſalutare ſolet in epiſtolis & poematiis ad illum ſcriptis. Qui ſic duplici nomine affecti erant, alterutrum dumtaxat ſeorſim uſurpabant, raro utrumque ſimul: idque aliis etiam obſervare mos erat. tametſi in epiſtola Humberti Wirtziburgenſis Epiſcopi ad Rabanum, Commentariis in Judicum & Ruth libros præmiſſam lego hanc inſcriptionem:* Illuſtri viro meritoque inſigni ac præſtantiſſimo Patri HRABANO MAURO Humbertus. *quæ nominum conjunctio itidem in Lotharii Imperatoris epiſtola expoſitioni Ezechielis præpoſita invenitur. denique* agnomen *ſuum* HRabanus *vocat in præfatione ad Matthæi Evangelium. Johannes Trithemius Rabanum paſſim cognominat* Magnentium *à Magnentiana familia, ex qua eum proceſſiſſe credidit. Ex vetuſtis Scriptoribus nullus (quem ſciam) hoc cognomen Rabano tribuit ante Ademarum Ecoliſmenſem Monachum in Chronico ab annis ſexcentis exarato, & Sigebertum ei ſupparem in lib. de Scriptoribus eccleſiaſticis cap. 89, ubi Rabanus, alio nomine* Maurus ſive Magnetius *appellatur. HRabanus, qui aliis Rabanus & Rhabanus, ita nomen ſuum pingere amat cum adſpirata prævia, ut HLudovicus, HLotharius, pro more illius ætatis.*

2. *Rabano patriam alii aliam pro ſtudio quiſque ſuo adfingunt, hi Angliam, Scotiam iſti. Non vacat refellere iſtas nugas. Francum eum fuiſſe, id eſt in Francia orientali ortum, conſtat, non quidem Fulda, ſed Magontiæ. Audi Rabanum ipſum in Alcuini perſona libros de Cruce ſuos offerentem Papæ, & ſic de ſe loquentem:* ANN. CHR. DCCC LVII FEBR. IV.

Ipſe quidem Francus genere eſt, atque incola ſilvæ
Bochoniæ, &c.

Fulda quippe, quod opidum in Bochonia ſitum eſt, Monachus erat: non tamen eo loci natus, ſed in urbe Magontia, ut ipſe canit in epitaphio ſuo:

Urbe quidem hac genitus ſum, ac ſacro fonte renatus:
In Fulda poſt hæc dogma ſacrum didici.

Nec audiendi ſunt, qui interpunctionem poſt vocabulum in Fulda *locant. Rabanus enim ſepulturam ſuam deſignaverat Magontiæ in Monaſterio ſancti Albani. ac proinde verba illa,* Urbe quidem hac genitus ſum, *de Magontia explicare oportet. & quidem ſic explicavit vetus quidam Anonymus, cujus ſententiam referemus infrà num. 39.*

3. *Rabano parentes*, RUTHARDUM Magnentianâ familiâ ſatum, virum divitem & potentem, qui multo tempore ſub Francorum Principibus ſtrenuè militaverit; & ALDEGUNDEM honeſtiſſimæ converſationis mulierem, *tribuit Johannes Trithemius. Sed qui lapſus eſt in loco nativitatis ejus deſignando, vereor ut ei tutè credatur de nominibus & dignitate parentum: quorum nulla mentio apud antiquos. Verùm tamen certum eſt, Rabanum inluſtri genere ortum fuiſſe, ut qui fratrem habuit* TUTINUM, *virum cum primis nobilem, teſtante Rabano in ejus epitaphio;* & nepotem GUNDRAMNUM *Levitam, cellæ ſancti Soli Præpoſitum, & Ludovici Germaniæ Regis Capellanum. Tutini epitaphium ejuſmodi eſt:*

Hîc jacet inſignis vir nomine TUTIN humatus,
Complens communem ſorte vocante diem.
Alta clarorum qui natus ſtirpe parentum,
More omni proceres æquiparavit avos.
Ingenio, probitate, fide, verbique decore,
Inter regales vixit honore viros.
Quem juvenem mediis cecidiſſe viriliter armis
Effecit domini gratia magna ſui.
Frater Pontificis fuit ille celerrimus armis,
Qui huc germani detulit oſſa ſui.
Flecte genu palmaſque leva, bone lector, & orans
Dic, precor, ambobus propitiare Deus.

Nam ut id de Rabano Pontifice, non de alio interpreter, facit, quòd Pontificem non nominat, & quòd pro ambobus *germanis poſtulat preces. Quod ſi cui non ſatis exploratum videatur, ſaltem concedat neceſſe eſt,* GUNDRAMNUM, *virum palatinum, Rabani fuiſſe nepotem. Hujus rei certum habemus auctorem, non ſolum Ermanricum ejus æqualem in libro de geſtis ſancti Soli; ſed etiam Gundramnum ipſum, qui ut Ermanricum ad ſcribendam Soli Vitam adduceret,* domini Abbatis, patrui (*inquit*) mei, licentiam *defert. Quis iſte Abbas fuerit, declarat Ermanricus in dicta Vita cap. 6, nimirùm Fuldenſis Monaſterii:* ubi Deo providente modò ſanctiſſimus ac in omni arte peritiſſimus dominus Abba Rabanus perſpicaciter fulget. Gundramnum Diaconum cariſſimum *ſuum* cellulæ ſancti Soli æditüum ac Regis Capellanum *Ermanricus ita loquentem inducit cap. 10.* Ego namque, Frater cariſſime, imperante domino meo Rege, ex obedientia patrui ac domini mei cariſſimi & Fratrum ejus qui cum eo cœnobialiter vivunt, hîc ſum, ut cernis, in artiſſimum & ſterilem locum deputatus miniſter. *Id de nullo alio intelligi poteſt, quàm de Rabano Abbate Fuldenſis Monaſterii, à quo pendebat cella ſancti Soli. Pergit dicere Gundramnus.* Ad hæc

C ij

ANN.CHR. DCCC LVI IXXIR. IV. & hoc mentem ſæpiuſcule movet, quid in me boni dominus Rex potuiſſet nanciſci, quòd ſervitium meum dignatus eſt appetere, vel cur voluiſſet me à quietiſſima Cœnobii vita, quamvis hactenus non ligatum, in ea educere, & in hæc aſperrima montium juga ſtatuere. *Nimirum prope cellam ſancti Soli villa ſeu domus regia erat, ut patet ex conſequentibus Gundramni verbis, cui villa præfectus erat Gundramnus. qui & ingemiſcit, ſe vi de Monaſterio fuiſſe ablatum*, & in palatinorum numero nuncupatum. *Alius porro mihi videtur Gundramnus iſte à Gundramno, cujus, uti & Oſdrudis ejus uxoris, epitaphium texuit Rabanus: cùm primus Levita fuerit, alter conjugatus. Hæc de Rabani parentibus, quos claros fuiſſe ex jam dictis manifeſtum eſt.*

4. *Natalitium ejus diem & annum adſeverantiùs definit Trithemius* quarto nonas Februarii, anno ſeptingenteſimo octogeſimo octavo. *Diem neſcio unde acceperit, annum propter prope attigit. Rabanus ad Diaconatûs gradum promotus eſt anno Chriſti octingenteſimo primo, ut inferiùs oſtendam. Si Eccleſia veteres leges ac regulas hac in re ſervavit, tunc natus erat annos minimùm viginti quinque. Hanc enim ætatem exigunt priſci canones, niſi diſpenſatio acceſſiſſet. Ergo in lucem editus eſt Rabanus anno ferè* DCC LXXVI. *Certè libros duos de laudibus ſanctæ Crucis ſcribere aggreſſus eſt ante annum* DCCC X. *ubi* ſex luſtra, *id eſt triginta annos, implevit.*

II. Monaſtica profeſſio & Diaconatus, ſtudia ſub ALCUINO, condiſcipuli.

5. FULDÆ Monachus à puero fuit, *teſte Anonymo inferiùs adducendo. id quod etiam ſatis indicat in ſuo ipſius epitaphio: ubi conſequenter poſt acceptum baptiſmum ſe Fuldæ* dogma ſacrum, *id eſt vitæ chriſtianæ & monaſticæ leges, didiciſſe adfirmat. In pervetuſtis Annalibus Fuldenſibus, qui in anno XV imperii Ludovici Pii deſinunt apud Lambecium in tomo 2 Cæſareæ Bibliothecæ*, Raban Diaconus factus *memoratur* anno XXXIII *regni Caroli Magni, id eſt anno Chriſti* DCCCI.

6. *Adoleſcentem jam, & litteris utcumque imbutum, Ratgarius Fuldenſis Abbas ab anno* DCCC II *in annos ſexdecim*, Rabanum *unà cum* Hattone Turonis direxit ad ALBINUM magiſtrum gratiâ liberales diſcendi artes, *ut ex pervetuſto codice Fuldenſi refert Browerus in Notis ad Rabani poëma* XIII. *Ratgario id acceptum referre videtur ipſe Rabanus in dicto poëmate, in quo aliqui verſus hoc loco veniunt obſervandi.*

Jam mihi conceſſit bonitas tua diſcere libros:
  Sed me paupertas ſuffocat ingenii.
Me quia quæcumque docuerunt ore magiſtri,
  Ne vaga mens perdat, cuncta dedi foliis.

Hinc Albinum ſeu Alcuinum præceptorem ſuum in carmine libris de ſancta Cruce præfixo inducit, pro ſe ita ſancto Martino ſupplicantem:

Sancte Dei Præſul, meritis in ſæcula vivens,
  Cauſam quam ferimus, ſuſcipe mente pia.
Nempe ego cùm fueram cuſtos humiliſque miniſter
  Iſtius eccleſiæ, dogmata ſacra legens:
Hunc puerum docui divini famine verbi
  Ethicæ monitis & ſophiæ ſtudiis.
Ipſe quidem Francus genere eſt, atque incola ſilvæ
  Boconiæ, huc miſſus diſcere verba Dei.
Abbas namque ſuus, Fuldenſis rector ovilis,
  Illum huc direxit ad tua tecta, Pater:
Quò mecum legeret metri ſcholaſticus artem,
  Scripturam & ſacram rite pararet ovans.

His verſibus deceptus eſt Trithemius & alii, ut dicerent, Rabanum Alcuini

præceptore litteris operam dediſſe Romæ; rati hoc carmen, quod ſancto Martino Turonenſi Antiſtiti dirigitur, intelligendum eſſe de Pontifice Romano, deque Romana eccleſia, in qua litteras profeſſus ſit Alcuinus.

ANN. CHR. DCCC LVI FEBR. IV.

7. *Studiorum ſocios in Turonenſi academia Rabanus habuit* HATTONEM *ex dictis, ejus poſtea in abbatiali dignitate ſucceſſorem; &* HEMMONEM *ſeu* Haimonem, *dein Epiſcopum Halberſtatenſem. id enim colligitur ex præfatione operis de Univerſo Hemmoni dicati in hæc verba:* Memor ſum boni ſtudii tui, ſancte Pater, quod habuiſti in puerili atque juvenili ætate in litterarum exercitio & ſacrarum litterarum meditatione, quando mecum legebas, non ſolùm divinos libros & ſanctorum Patrum ſuper eos expoſitiones; ſed etiam hujus mundi ſapientium de rerum naturis ſollertes inquiſitiones, quas in liberalium artium deſcriptione & cæterarum rerum inveſtigatione compoſuerunt. *Sodalem etiam habuit Samuelem, ut patebit ex num. 10. de aliis ejus ſociis ariolari non lubet.*

III. Fuldenſis ſcholæ regimen, celebritas, alii præceptores, Rabani diſcipuli, & ſucceſſor in docendo.

8. TURONIS *reverſus, Fuldenſibus præfectus eſt ſcholis, Ratgario Abbate, qui parum æquus in litteras ac litteratos fuit. Iſtam provinciam in ſe ſuſcepit Rabanus, vivente etiam tunc Alcuino, qui in epiſtola 55* benedicto ſancti Benedicti puero Mauro, *id eſt Rabano, inſcripta, eum* valere feliciter cum pueris ſuis *jubet. Itaque ſi Rabanus à Ratgario Abbate, quem anno* DCCC II *Fuldæ regimen iniiſſe conſtat, ad Alcuini ſcholam miſſus eſt; ſi etiam Alcuinus anno* DCCC IV *menſe Maio vivere deſiit; Rabanus exiguo tempore Turonis Alcuinum præceptorem auſcultavit.*

9. *Rabano litteras profitente, magna fuit celebritas Fuldenſis academiæ, quæ omnium diſciplinarum libris tum abundavit, & præclaros orbi Chriſtiano doctores peperit. Quàm ampla fuerit bibliothecæ Fuldenſis ſupellex, docet nos Rabanus in carmine 16 ad Gerhohum Presbyterum, cui commiſſa erat, quem idcirco* clavipotentem Fratrem *appellat.*

Dicere quid poſſum de magna laude librorum,
Quos ſub clave tenes, Frater amate, tua?
Quidquid ab arce Deus cæli direxit in orbem
Scripturæ ſanctæ per pia verba viris;
Illic invenies, quidquid ſapientia mundi
Protulit in mundum temporibus variis.

10. *Non ſolus tamen in iſtis ſcholis docebat Rabanus, tametſi præcipuus magiſter erat. Adjutorem, ſodalemque habuit* SAMUELEM, *poſtea Wormatienſem Epiſcopum, quem etiam ſub Alcuino præceptore condiſcipulum habuerat. Utrumque conſtat ex carmine 21.*

Quondam namque meum gaudebam te eſſe ſodalem
Inter lectores, Frater amate, mihi.
Nunc quoque te gratulor retinere jura magiſtri,
Creſcere virtute, patris habere locum.

Quibus verſibus ſignificat, Samuelem ſecum aliquando geſſiſſe Magiſtri ſeu Lectoris officium, quod Epiſcopus creatus retinebat. Addit poſt duos verſus, eidem etiam communem præceptorem fuiſſe Albinum.

Quod quondam docuit ALBINUS rite magiſter,
Hoc pectus teneat, hoc opus omne probet.

Cùm Fuldenſibus ſcholis præeſſet Rabanus, Gildas Hibernus ipſius rogatu librum de computo capitulis 99 edidit, eidemque nuncupavit. Nuncupatoriam epiſtolam ex Cottoniana Bibliotheca vulgavit inter Hibernicas Uſſerius. Ea in epiſtola operis argumentum Gildas explicat, gratias agens Deo, qui tibi, *inquit,* ejus amorem in-

Ann. Chr. DCCC LVI. Febr. IV.

ſpiravit, teque reddit ſuo fulgore decoratum, & proximis tuis profectuoſum.

51. *Diſcipulos habuit permultos, in his* WALAFRIDUM STRABUM, SERVATUM LUPUM, RUDOLFUM *præmiſſæ Vitæ ſcriptorem, &* OTFRIDUM: *de quibus pauca hic adnotanda.* W*alafridus Strabus, qui poſtea fuit Augiæ Abbas, ſe ipſe inter Rabani diſcipulos adnumerat in carmine ſcripto* ad HRabanum magiſtrum ſuum. *Lupus in epiſtola 5 ſcribit, ſe ab Aldrico Metropolitano ſuo directum fuiſſe* ad venerabilem HRabanum, uti ab eo ingreſſum caperet divinarum ſcripturarum. *Eidem* reverentiſſimo Patri eximioque præceptori *ſuo inſcribit epiſtolam 40, qui viciſſim Lupo poſt ejus ab ſe diſceſſum dedicavit Collectarium in epiſtolas Pauli. Rudolfus Rabanum itidem* præceptorem *ac* magiſtrum ſuum *vocat in ſuperiori Vita, & in Actis ſanctæ Liobæ ab ſe deſcriptis. Otfridus verò Presbyter & Monachus* W*iſſenburgenſis apud Spiram Nemetum, in epiſtola Lindberto Maguntino Archiepiſcopo ſcripta pro tranſlatione ab ſe facta Evangeliorum in linguam Theotiſcam,* Hunc igitur librum, *inquit,* veſtræ ſagaci prudentiæ probandum curavi tranſmittere: & quia à RABANO venerandæ memoriæ, digno veſtræ ſedis quondam Præſule, educata mea parvitas eſt; præſulatus veſtri dignitati ſapientiæque commendare curavi.

52. *Abbas factus vir ſanctus curam docendi liberales artes aliis commiſit, reſervato ſibi officio interpretandi Scripturas ſacras. nam ad eum jam Abbatem miſſus eſt Lupus, uti ab eo præludia iſtius diſciplinæ diſceret, ex dictis. Eo Abbate humaniores litteras ſcholaribus tradidit* CANDIDUS *Monachus, cujus hæc verba ſunt initio libelli, quem de vita Eigilis Abbatis compoſuit.* De cetero quoque notum facio tuæ caritati, quòd anno præterito domnus Abbas HRabanus cùm illi querebar, quia non haberem quemquam mecum conſociorum, cum quo in divina lectione diſputando & legendo proficere potuiſſem; tale mihi re-
» ſponſum referebat: Exerce, inquit, temetipſum legendo, & aliquid utilitatis
» adde dictando. Nam dum ego ibidem, ubi nunc ipſe moraris, quondam com-
» manerem; librum proſâ & verſibus in laudem ſanctæ crucis divina gratia in-
» ſpirante incœpi. *Atqui iſtud opus aggreſſus eſt Rabanus, dum humaniores diſciplinas doceret in ſchola Monaſterii: in qua proinde Candidus tum, cùm Eigilis Vitam ſcribebat, præceptoris obtinebat officium.*

IV. Sacerdotium, vexatio, iter Jeroſolymitanum.

53. ORDINIS *ſacerdotalis gradum ſuſcepit ab Haiſtulfo Archiepiſcopo Moguntino. quod ipſe teſtatur in epiſtola ad eumdem Haiſtulfum initio librorum de inſtitutione Clericorum, in hac verba:* Tuo enim magiſterio ſemper me libens ſubdam, à quo recordor me accepiſſe dignitatem eccleſiaſticam, *id eſt ſacerdotalem ordinationem. Scribebat hanc epiſtolam Rabanus anno* DCCC XIX, *ſignato in verſibus Haiſtulfo inſcriptis in limine iſtorum librorum, quo anno facta eſt Fuldenſis baſilica dedicatio, cui Rabanus interfuit jam Presbyter, teſte Candido in Vita ſancti Eigilis. Atqui Haiſtulfus ſedem Mogontiacenſem anno* DCCC XV *iniiſſe dicitur apud Serarium. ac proinde eodem ferè anno ordinatus ab eo eſt Rabanus. Certè verbum* recordor, *quo uſus eſt in præcitata epiſtola, anno* DCCC XIX *(ut dixi) Haiſtulfo directa; ſatis innuit jam aliquantum effluxiſſe temporis à ſua ordinatione. Poſtea quàm hæc obſervaveram, incidit in manus meas tomus ſecundus Bibliothecæ Lambecianæ, in quo veterrimi habentur Fuldenſes Annales jam laudati, ubi de Rabani ſacerdotio hæc lego:* Anno I *Ludovici Pii* HRaban ordinatur ad Preſbyterum X Kal. Januarii ab Heiſtolfo Archiepiſcopo Mogontiacenſi. *Ergo anno* DCCC XIV *deſinente. quo proinde anno Heiſtulfus eccleſiæ Mogontiacenſi jam præſidebat.*

54. *Inter ea motus & ſimultates excitantur in Monaſterio Fuldenſi; dira peſtis, quâ non ſemel afflicta eſt illa congregatio, primùm quidem Sturmio Abbate, tum etiam (ut conjicio) regente Baugulfo, qui ob id regimine ceſſiſſe videtur: dein ſub*

Ratgario,

Ratgario, qui juſſu Ludovici Auguſti abjectus eſt; ac demum itidem ſub Rabano, quem Monachorum ſuorum factio Abbatiæ nuntium remittere coëgit. Sturmius, jubente Pippino, in exſilium miſſus eſt ad magnum Cœnobium, quod dicitur Unnedica, *ut in ipſius Vita legitur Sæculo 3. Browerus, primus Vitæ editor, ſuſpectam habuit vocem* Unnedica. *ubi V. C. Hadrianus Valeſius legendum putat* Gemedico, Jumiege, *quod* Gemedicum, Gemeticum, & Gimeticum *vocant, ſitum in pago Rotomagenſi ad Sequanam. Certè proclivis eſt mutatio litteræ G in V apud Teutones & Francos: adeo ut pro* Gimedico *ſcriptum ſit in Sturmii Actis* Vimedico, *cujus loco Browerus legerit* Unnedico. *Itaque Sturmii exſilii locum eſſe Gemeticum indubitanter exiſtimem. Et quidem iniqua fuit in Sturmium & Rabanum commotio Monachorum: in Ratgarium verò juſta, moderata, & neceſſaria. Ratgarius quippe ubi primùm iniit paſtoralem curam, mox totum ferè Monaſterii diſciplinæ Fuldenſis ſtatum pervertit, aliorum Monaſteriorum, nedum ſui, mores reprehendens,* quaſi regulariter non viverent. *Monachos ſuos rebus neceſſariis ſpoliatos ad laborem manuum aſſiduum adigebat, abrogatis ſolitis precibus, frequenti Miſſarum celebratione, & feſtis diebus non paucis. Hinc querela apud Carolum Magnum depoſita à Monachis, quorum ſupplicem hac de re libellum retuli poſt Vitam ſancti Eigilis Abbatis Fuldenſis. Caroli juſſu repreſſa Ratgarii ſeveritas, eo mortuo rurſus fervere, ad laborem pluſquam ſervilem ſuos adigere, eiſque libros & ſtudiorum uſum interdicere. Hi precibus primùm apud ipſum rem agunt, ad genua procumbentes ſupplicant, ut mitiùs cum eis agatur. Rabanus ipſe, cui librorum parva ſupellex ademta fuerat, durum & ferocem Abbatis animum delinire tentat his verſibus.*

Te, Pater alme virûm, Monachorum atque optime Paſtor,
Invoco propitium ipſe tuus famulus:
Ut tua nunc pietas miſerum me exaudiat alma,
Ad te clamantem, Rector ubique pius.
Jam mihi conceſſit bonitas tua diſcere libros:
Sed me paupertas ſuffocat ingenii.
Me quia quæcumque docuerunt ore magiſtri,
Ne vaga mens perdat, cuncta dedi foliis.
Hinc quoque nunc conſtant gloſſæ, parvique libelli,
Quos precor indigno reddere præcipias.
Servi quidquid habent, dominorum jure tenetur.
Sic ego quæ ſcripſi, omnia jure tenes.
Nec mihi ceu propria petulans hæc vindico ſcripta:
Defero ſed veſtro omnia judicio.
Seu mihi hæc tribuas, ſeu non; tamen Omnipotentis
Divinitas ſemper det tibi cuncta bona:
Certamenque bonum curſu conſummet honeſto,
Cum Chriſto ut maneas ſemper in arce poli.

Moviſſet ferreum pectus tam juſta, tamque modeſta oratio. at ſaxo cantum eſt. Hinc malum ingens, ſeceſſio & exſilia Monachorum, & ſolitudo in ſolitudine ipſa. Lugubrem hunc Fuldæ ſtatum patheticòs deſcribit Rabanus in carmine 30 ad quemdam Fuldenſem Monachum exſulantem: quod non ab re erit huc referre, ut Paſtores demum intelligant, quantum malum pariat immoderata ſeveritas.

Currens charta procul nuntia porta
Dilecto gravia munera Fratri,
Quæ infauſta tulerat temporis hora.
Quem dudum cripuit ſorte nefanda
Sons, fraus atque dolor, & labor ingens
Longas compulerat quærere terras.
Pars ablata fuit, parſque remanſit:
Cùm diviſus homo (prô dolor) unus
Eſt voto atque anima corpore bino.

Ann. Chr. DCCC LVI Febr. IV.

Poſtquam tu unanimis Frater abiſti,
Aſt mox per varios torſus ubique
Sum caſus, odiis læſus & atris.
Sed nunc... doleo pectore triſti
Multum poſſe malum heu generale,
Quàm ſoli mihimet condere damnum.
Ex quo ſeditio noxia dudum
Inter nos orta eſt, nemo valebat
Lenire hanc precibus, nec dare finem.
Creſcens ſed nimiùm tempore multo,
Aucta eſt perque dies ſorte maligna,
Vaſtavit populum Patris ob iram.
Dureſcit qui animo & cedere neſcit,
Trux deturbat oves, cæde cruentat:
Nullius miſeret, ſævit in omnes.
His commota malis turba reliquit
Antiquum ſtabulum: fit peregrina.
* l. longè — Læſis una ſalus pergere longa * eſt.
Venit ſumma dies, tempus amarum,
Quando extrema pati turba coacta eſt,
Et convicta malis linquere ſedes.
Cuncti conveniunt undique Fratres,
Queis mens una fuit, parque voluntas,
Immitem ut precibus flectere certent.
*pro ſpreverit — Duratus qui animo ſpreverat * omnes,
* Monachos — Irritans populum * pellit ab æde,
Deſperare dedit Patris amorem.
Diverſo inter ea mœnia luctu
Miſcentur: reſonant cymbala cumque,
Et ſignum eccleſiæ convocat omnes.
Accurrunt tumulo Martyris almi,
Flet miſta ſenibus plebs juniorum,
Ex imo gemitus pectore ducunt,
Expanduntque manus cum prece fuſa.

Sic deſinit mutilus codex, ex quo ſatis hujus tragœdiæ finem diſcimus. Delata res eſt ad Ludovicum Auguſtum, qui Monachis Fuldenſibus facultatem dedit eligendi alium Abbatem. Mox abjecto Ratgario electus eſt anno DCCC XVII *Eigil Abbas, ut in ejus Vita ſuperiùs dictum eſt. Eo Abbate rediit optata ſerenitas, collecti denuo in unum Monachi regularem diſciplinam & ſtudiorum uſum revocarunt Rabano maximè præceptore.*

55. Per eam Ratgarii tempeſtatem accidiſſe arbitror, ut Rabanus loco cedere compulſus abierit in loca ſancta: cujus peregrinationis hactenus ignorata meminit ipſe in wſſ. commentariis libri Joſuæ cap. 15, verſu 8, ubi de Sidone agit. Ego quidem, *inquit*, cùm in locis Sidonis aliquotiens demoratus ſim, numquam comperi duas eſſe Sidonas, unam magnam & aliam parvam, quantùm ad terrenum pertinet locum. *Neque enim iter iſtud revocari poteſt ad tempus intermiſſi regiminis abbatialis. ſiquidem hos commentarios nuncupavit Friderico Trajecti ad Rhenum Epiſcopo, qui anno* DCCC XXXIV *caſus eſt, ante annos octo, quàm Rabanus regimen abdicaret.*

V. Abbatis munus, res geſtæ, regiminis abdicatio.

56. EIGILI *Abbati ita, ut dixi, inſtituto, ac poſt quinquennium mortuo, ſucceſſit Rabanus ano* DCCC XXII, *menſe Auguſto vel Septembri, ut colligo*

ex duabus chartis à Piſtorio editis, quarum una Eigile Abbate data eſt VI Nonas Auguſti *pag. 528, alia HRabano,* menſe Octobri, V Kalendas Novembris *pag. 533; utraque* Ludovici Imperatoris anno nono. ANN.CHR. DCCC LVI LIBR. IV.

17. *Præclaras res à tanto Abbate geſtas explicare omnes difficile eſt. Ab eo ſiquidem ſarta tecta viguit monaſtica diſciplina; aucta præter modum Cœnobii exiſtimatio & fama, uti & Monachorum religio; plurimum temporalis commodi adjectum; litterarum ſtudia mirificè exculta; Regum & Imperatorum, quibus gratiſſimus & acceptiſſimus ſemper fuit, conciliata benevolentia; & (quod priùs dixiſſe debueram) baſilicis, ſacris aris, ac Sanctorum reliquiis cultus amplificatus. Audiendus hoc loco Trithemius.* Sub ejus regimine Monaſterium Fuldenſe rebus atque perſonis crevit quotidie, & fama ſanctitatis Monachorum ejus per totum ſe regnum Francorum diffudit. præcipuè tamen Abbatis HRabani opinio doctrinæ & ſanctimoniæ in ore fuit omnium celebris & glorioſa, non ſolùm apud Germaniæ Francos, ſed apud Gallicanos quoque & Italos: cujus viri fama Reges & Principes, Epiſcopos & Doctores quoſlibet, etiam longiùs diſtantes, in ejus venerationem permovit. Ex omni regno Francorum, quod tunc erat unum, Germanis & Gallis, ad audiendùm illum certatim confluebant viri multarum facultatum periti; & ſe fore beatos exiſtimabant, qui ad ejus fuiſſent familiaritatem admiſſi. Multi quoque Principes, nobiles & cives HRabani magiſterio filios ſuos commiſerunt imbuendos, variis atque magnificis præceptorem donis & muneribus honorantes: quos ille tanta ſedulitate docuit, qua major excogitari vix potuiſſet.

18. *Quid in Sanctorum reliquias & loca ſacra præſtitum ab eo ſit, abundè nos docuit ſuperiùs Rudolfus. niſi quod omiſit, jacta per eum fuiſſe fundamenta Hersfeldenſis eccleſiæ, teſte Lamberto hujus loci Monacho, cujus hæc verba:* Anno DCCC XXXI Brun & Raban Abbates fundamentum eccleſiæ ſancti Wigberti foderunt VI Idus Julii, feriâ ſecundâ. *quam Rabanus poſt Bruni mortem abſolvit, & anno* DCCC L *dedicavit: cujus rei memoriam verſibus teſtatam reliquit.*

19. *Fuerunt eo tempore, Meginfrido apud Trithemium teſtante, in Cœnobio Fuldenſi* Monachi centum quinquaginta, *quos ille non minùs virtutibus, quàm litterarum ſtudiis informabat. Famam ejus doctrinæ probat factum Lupi, qui jàm vir, magnis rebus occupatus, excultuſque litteris, Rabani tamen diſciplina erudiendum ſe ſubmiſit paullo ante conceſſam ſibi Ferrarienſis Monaſterii adminiſtrationem, ut patet ex ipſius epiſtola 5. Idem jam Abbas præceptori gratias agit epiſtola 40. Quid rei egerit in Fuldenſi academia ſub Rabano, declarat ipſe in epiſtola ſequenti ad Immonem Epiſcopum Noviomagenſem.* Cur autem vobis ſignificari petieritis, quos libros in Germania ſcripſerim, vel legerim; demiratus ſum, nec ſatis cauſam comprehendere potui, niſi fortè mei experimentum argutè capere voluiſtis propoſitis duabus rebus: quarum altera, ſi ceſſiſſem, videri poterat oſtentationis; altera imprudentiæ puerilis. Itaque ſimpliciter vobis aperio, principem operam me illic deſtinaſſe lectioni; & ad oblivionis remedium & eruditionis augmentum libros pauculos paraviſſe: nec Germanicæ linguæ captum amore, ut ineptiſſimè quidam jactaverunt, ſarcinam ſubiiſſe tanti tamque diuturni laboris.

20. *Inter ea, Ludovici Auguſti filiis in patrem conſpirantibus, tam prudenter & religioſè ſe geſſit Rabanus, ut & patris & filiorum benevolentiam ſibi retinuerit, fueritque apud eos ſequeſter concordiæ & pacis, edito libro* de reverentia filiorum erga patres, & ſubditorum erga Reges: *in cujus fine Ludovicum Imperatorem ad indulgendum filio & aliis hortatur.*

21. *Quid rei familiaris Cœnobio Fuldenſi per eum acceſſerit, teſtes ſunt litteræ donationum à Piſtorio & Browero editæ. Obſervatione digna eſt Eginhardi epiſtola 56,* reverentiſſimo Chriſti famulo HRabano venerabili Abbati *inſcripta, qua Gundhortum quemdam ejus hominem à militari illius anni expeditione excuſatum haberi rogat. Fuldenſe quippe Cœnobium erat ex illorum numero, qui Regi dona &*

ANN.CHR. DCCCLVI FEBR.IV.

militiam (ſic aiunt) debebant. Ad hæc egregium à Gregorio Papa quarto diploma obtinuiſſe dicitur, quo Pontifex ſex privilegia Fuldenſibus concedit. I *confirmat Monaſterii patrimonium.* II *adſignat Rabano ejuſque ſucceſſoribus domicilium Romæ, putà Monaſterium ſancti Andreæ, dictum Exavilum, juxta eccleſiam ſanctæ Mariæ ad præſepe.* III *vetat cujuſvis ordinis Antiſtibus, ne ſacrificent in Fuldenſis baſilicæ ara primaria.* IV *concedit prædicandi facultatem, procedriam & primatum ſedendi in publicis conſeſſibus, ante omnes Galliæ & Germaniæ Abbates.* V *uſum dalmaticæ, caligarum & ſandaliorum.* VI *ut Fuldenſis Antiſtes nonniſi ab apoſtolica Sede benedicatur aut confirmetur. Idibus Maii per manus Benedicti Notarii & Scriniarii Indict.* XIV, *id eſt anno* DCCC XXXVI. *quod diploma Gretſerus ex Viennenſi bibliotheca publicavit, teſte Browero in relectionibus* ad Antiquitates Fuldenſes. *quod diploma, inquit, ſi genuinum eſt, magna Rabano ornamenta conciliat.*

22. *His addit Trithemius, Rabanum in pauperes, non ſine ſuorum obloquio, liberalem fuiſſe; & in refrigerium defunctorum eleemoſynas dare ſolitum: quas cùm Adelhardus Monachus, homo Francus, nimiſquam avarus domeſticæ rei diſpenſator, aliquando fraudaſſet; egregiè caſtigatum cultus fuiſſe anno* DCCC XXXVII. *Id cùm legi, venit in mentem illius* Adalhardi incluſi, *cujus epitaphium exſtat in poëmatiis Rabani. Quod verò ſubdit Trithemius, eum data lege removiſſe feminas ab ingreſſu Fuldenſis eccleſiæ; id ab initio cautum eo in loco,* ex quo à Monachis habitari cœptus eſt, *auctor eſt Rudolfus in libro de vita ſanctæ Liobæ Abbatiſſæ. Quiddam nihilo minus notandum eſt in his Trithemii verbis.* Fecit & aliam valde neceſſariam conſtitutionem beatus Abbas Rabanus, quæ (ut fertur) uſque in præſentem diem in Monaſterio ſervatur. Sciens enim quàm ſit Monachis frequens conſpectus mulierum periculoſus, illis maximè, qui juniores ætate in timore Domini adhuc minùs exercitatos habent ſenſus; de conſilio duodecim ſeniorum cunctis perpetuò mulieribus ad Monaſterium interdixit acceſſum. quæ ſancta conſtitutio ut robur obtineret perpetuum, tranſitum femineo ſexui per aquilonarem urbis portam, extra quam ſitum eſt Monaſterium, perpetua ſanctione prohibuit & negavit. *quod forſan de priſcæ conſuetudinis confirmatione intelligendum eſt. Ceterum quod ait Trithemius, iſtum morem ad ſuum uſque tempus ſervatum fuiſſe; excipias feſtum ſancti Bonifacii & quoſdam alios feſtos dies, in quibus feminis patebat ingreſſus eccleſiæ de conceſſu Pontificis Romani. tametſi obſervatum à majoribus eſt, prima vice qua patuit, eccleſiam poſtridie de cælo tactam conflagraſſe, ut dictum eſt ad Vitam ſancti Sturmii Abbatis.*

23. *Quod ſupereſt, Rabanus Abbas anno* DCCC XXXVIII *Hirſaugiam miſit coloniam Monachorum, qui Cœnobium ab Erlafrido Comite inſtructum incolerent, præpoſito eis diſcipulo ſuo Liutberto Abbate, uti Trithemius in hiſtoria Hirſaugienſi fuſiùs docet.*

24. Anno DCCC XLII, *inquit Lambertus Scafnaburgenſis,* Liutharius expulſus eſt à regno, & Raban Abbas de Monaſterio, *cùm illud* per annos viginti nobiliter rexiſſet, *ex Rudolfo. Id factum diſſenſione Monachorum Trithemius ex Meginfrido tradit.* Anno nativitatis ejus quinquageſimo ſeptimo, ut Meginfridus Fuldæ poſtea Monachus eſt auctor, facta eſt inter eum & Monachos ejus ſollicitante diabolo gravis quædam & nociva diſſenſio, cujus tamen cauſam non expreſſit. quam Ludovicus Germanorum Rex, frater Lotharii Imperatoris ac Regis Italiæ, filius Ludovici primi, miſſis ad Fuldam nuntiis HRabanum ad ſe vocavit Abbatem, & Monachorum temeritatem regali auctoritate compeſcuit, venientemque cum honore ſuſcepit, & biennio ferme ſecum in curia regali detinuit. Interea Monachi Fuldenſes pænitentiâ ducti, Oratores miſerunt ad Regem, humili ſupplicatione rogantes, ut ablatum ſibi redonaret Abbatem. quod tamen facere propter cauſam rationabilem & Abbas ipſe renuit, & Rex admittere nullatenus conſenſit. Manſit

ergo in aula regia beatus Abbas HRabanus biennio, uſque ad mortem Otgarii Archiepiſcopi Moguntini, Monachis interim lamentantibus. *Hic duplex erratum, & quòd Rabanus biennio in aula manſiſſe poſt dimiſſam præfecturam; & quòd exacto illo biennio ſedi Moguntinæ admotus dicitur. Nam toto ferè quinquennio privatus in cella remota deguit, ab anno ſcilicet* DCCC XLII *ad* XLVII, *quo ſucceſſit Otgario. Rem meliùs diſtinguunt Abbatum Fuldenſium acta vetera à Browero citata in libro 4 Antiquitatum Fuldenſium.* HRabanus poſtquam eccleſiam Fuldenſem per viginti annos egregiè rexiſſet, relicta quam habuit poteſtate ultra Rhenum fluvium in regnum Lotharii ſe contulit. poſt quem quidam de Fratribus Monaſterii, ſi quo modo eum revocare poſſent, mittuntur. Illo verò renuente, Hattonem ſuper ſe Abbatem conſtituerunt. HRabanus autem poſt dies paucos ad Monaſterium veniens, cum concordia Abbatis & Fratrum ejus ad orientalem plagam Monaſterii montanus efficitur. *id eſt recluſus in cella, quæ in monte ſancti Petri ſita eſt, duodecim ferè ſtadiis à Monaſterio: ubi* Deo ſerviens, *inquit Rudolfus*, cæleſti ſapientiæ vacabat. *De hoc receſſu explicanda eſt Lotharii Auguſti epiſtola HRabano inſcripta initio commentarii in Ezechielem.* Placet, inquam, tua habitatio nobis, ſi creditur ab omni jactantia aliena. Plus enim interiorem hominem ruſtica montium ſolitudo, quàm regalis urbium pulcritudo delectat, ubi nulla liventis invidia tranquillum pectus hilari mentitur intuitu, nec fucati ſermonis adumbrata blanditiis artifici ſcelere mutua fabricatur aſtutia. *Data eſt hæc epiſtola eo tempore, quo bellorum tumultus Lotharium & fratres ejus de regno diſceptantes agitabat, ut initio epiſtolæ Lotharius ſignificat. Tempus dimiſſi regiminis vir magnæ eruditionis Stephanus Baluzius rectè ſtatuit in Notis ad Lupi epiſtolam 40, tum ex anno* DCCC XXII, *quo initam à Rabano dignitatem abbatialem docent Annales Fuldenſes; tum ex ſpatio viginti annorum regiminis, quos ipſi Rudolfus adſignat uſque ad depoſitionem curæ paſtoralis. Repugnare tamen videtur vetus Abbatum Fuldenſium catalogus manu deſcriptus, citatus à Browero in Notis ad Rabani poema 28. quo in catalogo* HATTO, Bonoſus dictus, *Rabani ſucceſſor*, ſuſcepiſſe gubernaculum Abbatiæ anno Domini DCCC XLI *perhibetur. quod interpretandum puto de fine anni* DCCC XLI *ſecundùm veterem calculum, at de initio anni* DCCC XLII *ſecundùm novum. Rabanus enim Eigili ſucceſſit ſub finem anni* DCCC XXII, *id eſt menſe Septembri, ex dictis. dignitate ceſſit*, cùm Monaſterium rexiſſet per annos viginti, *teſte Rudolfo. ac proinde ejus abdicatio contigit initio anni* DCCC XLII, *quod nonnulli ad præcedentis anni finem referebant. Hunc calculum prævalidè firmat Lupi epiſtola 41, ubi ait, ſe ſoſpitem reverſum ex Germania, ſeu ex Fuldenſi academia, perculſum fuiſſe nuntio mortis Aldrici Senonenſis Epiſcopi nutritoris ſui, quem ſub finem anni* DCCC XL, *nimirum* VI *Idus Octobris obiiſſe ſuperiùs in ejus Vita oſtendi. Atqui Rabanus tum, cùm Lupus ab eo diſceſſit, Abbatis munus abdicaverat, ut intelligitur ex Lupi epiſtola 40 ad ipſum, in qua jam in Galliam reverſus ſcribit ſe audiviſſe, Rabanum depoſuiſſe ſarcinam adminiſtrationis. ac proinde id contigit ſolùm initio anni* DCCC XLII. *quo tempore Lotharius cum fratribus ſuis de regno armis diſceptabant, ut dictum eſt ſuprà. Huc accedunt quædam chartæ donationum apud Piſtorium pag. 484 & 558: quarum una HRabano Abbati facta dicitur* anno ſecundo Ludharii glorioſiſſimi Regis Francorum, quarto Nonas Aprilis, *id eſt anno* DCCC XLII; *alia Hattoni Abbati* quarto Nonas Aprilis anno tertio Ludovici Regis orientalium Francorum, *id eſt anno inſequenti. Quæ fuerit hujus abdicationis cauſa, ſibi renuntiari optat Lupus in dicta epiſtola 40 his verbis:* Ceterum audivi ſarcinam adminiſtrationis veſtræ vos depoſuiſſe, & rebus divinis ſolummodo nunc eſſe intentos: Hattoni verò noſtro curam ſudoris plenam reliquiſſe. cujus rei ordinem ſimulque alia, quæcumque videbuntur, beatitudinis veſtræ litteris optabo cognoſcere. *Verùm quid Lupo reſcriptum hac de re ſit, ignoramus.*

Ann. Chr. DCCC LVI Febr. IV.

25. Hujus vacationis tempore vir pius totum ſe contulit ad ſtudia ſacrarum lit-

ANN CHR DCCC LVI FABR. 8V. *terarum: tumque opus ſuum* de Univerſo *dedicavit Hemmoni Epiſcopo Halberſtatenſi, ad quem hac verba facit in epiſtola nuncupatoria:* Poſtquam me divina providentia ab exteriorum negotiorum cura abſolvit, teque in paſtoralis curæ officium ſublimavit; cogitabam, quid tuæ ſanctitati gratum & utile in ſcribendo conficere poſſem. *Prater ea* anno DCCC XLIIII, *ut tradunt Annales Fuldenſes*, HRabanus ſophiſta, *id eſt ſapiens*, & ſui temporis poëtarum nulli ſecundus, librum quem de laude ſanctæ crucis Chriſti figurarum varietate diſtinctum difficili & mirando poëmate compoſuit, per Aſchricum & HRuodbertum Monachos Monaſterii Fuldenſis Sergio Papæ ſancto Petro offerendum tranſmiſit. *De reliquis ejus operibus per id tempus editis poſtea dicemus. In his commentarios ſuos in Sapientiam & in Eccleſiaſticum cum libro pœnitentiali nuncupavit Otgario Mogontiacenſi Antiſtiti, deceſſori ſuo: de quo explicanda eſt* Cheſnii to. 2. p. 725. *Cleri Moguntini epiſtola reclamatoria apud Cheſnium edita tomo 2 Hiſtoria Francorum. ubi Otgarii ſeu Otgeri reditum in ſedem ſuam ab Ludovico Imperatore flagitant Mogontiacenſes* propter nimiam neceſſitatem, quæ quotidie in ipſa parochia graſſabatur, abſente diu & procul verſante ſuo Paſtore. *Id autem propterea noto, quòd nullam ejus rei mentionem facit Serarius in Hiſtoria Moguntiaca. Is eſt Otgarius, cui Rabanus pro ordinatione Werdrici Diaconi ſcripſit, probante Eginhardi epiſtola 4.*

VI. Archiepiſcopalis dignitas, Archiepiſcopi geſta.

26. ANNO DCCC XLVII, *habent Annales Fuldenſes*, Otgarius Mogontiacenſis Epiſcopus XI Kal. Maii obiit: in cujus locum HRabanus ordinatus eſt V Kal. Julii. *Huc ſcrupulum movet Petrus Franciſcus Chiffletius, eruditus Presbyter Societatis* JESU, *qui in Prafatione ad librum contra Judaos, ſub Rabani nomine ab ſe vulgatum, cenſet Rabani ordinationem factam eſſe anno pracedente, nimirum tum propter diem dominicam, in qua Epiſcoporum ordinationes fieri debent ex antiquo more, eo anno in V Kal. Julii incidentem: tum propter ſpatium novem annorum regiminis cum uno menſe & diebus quatuor, qui Rabano tribuuntur in pradictis Annalibus, ubi mors ejus refertur ad annum* DCCC LVI, *pridie Nonas Februarii. nam à V Kal. Julis anni* DCCC XLVII *ad hunc annum non reperiri integrum novennium. Quapropter exiſtimat, annum* DCCC XLVII *in iſtis Annalibus computari ſecundum veterem calculum, qui annus ſit pracedens ſecundùm novum. Et quidem proba eſt utraque Chiffletii ratio: ſed nodi utriuſque ſolutio aliunde repetenda. Menſis enim Junius, in cujus die V Kal. Julii ordinatio Rabani facta dicitur, trahi non poteſt in diverſos annos pro diverſo calculo; ſed tantùm tres menſes primi ara noſtra vulgaris. neque pracedit vetus computandi ratio, ſed Dionyſiana & noſtra nova. Sic Januarius, Februarius, & Martius ad Paſcha uſque pertinent ad finem anni* DCCC XLVII *ſecundùm vetus computum; ad initium verò anni inſequentis ſecundùm Dionyſianum, quod annos inchoat à Chriſti nativitate; & ſecundùm noſtrum novum, quod à menſe Januario. Scio alicubi variaſſe hunc uſum, ita ut menſes novem, ab Annuntiatione ſeu à menſe Martio ad Natale Domini, uno anno praverterint aliquando eum calculum, qui annos computabat à Nativitate, non ab Incarnatione; eumque morem teſte Covarruvia obtinuiſſe apud Piſanos. At rariſſimus fuit iſte computandi modus. Proinde, ut dixi, hujuſce nodi à Chiffletio propoſiti ſolutio repetenda eſt aliunde. Negari certè non poteſt, quin Epiſcoporum ordinationes pro veteri more fieri ſolita ſint die dominica: ſed non ſemper. nam ſancti Willibrordus & Bonifacius ordinati ſunt Roma, hic pridie Kal. Decembris anni* DCC XXIII, *qui dies tum in feriam tertiam incidit; ille anno* DC XCVI *die ſancta Cacilia, qui in feriam quartam. Exiſtimo tamen Rabani ordinationem contigiſſe die dominica: ſed quia teſtantibus Annalibus Fuldenſibus, Franco-Saxonicis, & Hermanno Monacho facta eſt anno* DCC XLVII; *fatendum eſt mendum irrepſiſſe in diem apud Annales Ful-*

denſes, & pro v Kal. Julii *reponendum eſſe* v r Kal. Julii, *uti legit Trithemius.* ANN. CHR. DCCC LVI FEBR. IV.
Quamquam Franco-Saxonici Annales mſſ. optima nota, qui cetera hoc loco cum Fuldenſibus conveniunt, Rabani ordinationem reponunt v i r r Kal. Julii, *id eſt die natali ſancti Johannis Baptiſta. qua die ob feſti celebritatem, tametſi dominica non erat, Rabani ordinatio facilè fieri potuit. Aliud Chiffletii momentum inferiùs diluendum eſt, ubi Rabani annos pontificatûs expendemus. Interim moneo, librum ſeu epiſtolam contra Judaos, ſub nomine Rabani vulgatam, ex qua pracipuum ſententia ſua de anno ordinati Rabani fundamentum depromſit Chiffletius, non eſſe huic Pontifici tribuendam, ſed Amoloni, ut poſtea demonſtrabo. Nunc res à Rabano Archiepiſcopo geſta paucis explicanda ſunt.*

27. *Eodem ordinationis ſua anno, ex pradictis Annalibus*, jubente HLudowico Rege apud Mogontiacum Synodum habuit circa Kal. Octobris, *nimirum in Monaſterio ſancti Albani. Occaſio hujus Synodi eadem fuit, qua Meldenſis Concilii, ut Baronius obſervavit. Cùm enim à laïcis bona eeeleſiarum, jura pariter & perſona invaderentur, deque his frequentes apud Regem querela deponerentur; ipſe, ut his malis mederetur, ſatis egit ut ejuſmodi provinciale Concilium colligeretur*, cui Archiepiſcopus Rabanus, vir doctrinâ valde inſignis, præeſſe deberet, quem ſciret probitate atque ſcientia nulli ſecundum, *inquit Baronius. Quot verò Epiſcopi interfuerint, quave definierint; docet Rabani ſynodalis epiſtola ad Ludovicum Regem miſſa cum capitulis ibidem conſtitutis, qua extant in collectione Conciliorum. In ea epiſtola conſideranda ſunt hac verba:* Decrevimus ut ſingulis parochiis per Epiſcopos & Clericos, per Abbates & Monachos oratio pro vobis, & pro veſtra conjuge, ſimulque prole nobiliſſima fieret. cujus orationis ſumma eſt, Miſſarum tria millia & quingentæ, & pſalteriorum mille ſeptingenta. *& infrà.* Tunc verò conſidentes in clauſtro ſancti Albani Martyris, ſecundùm morem illum, quo priſcis temporibus ſub Carolo Imperatore Hildebaldus & Ricolfus cum ceteris Epiſcopis & Abbatibus illuc convenientibus fecerunt, cœpimus in Dei nomine, communi conſenſu & voluntate, tractare pariter de ſtatu veræ religionis, atque utilitate & profectu chriſtianæ plebis. Convenit inter nos de noſtro communi collegio Clericorum & Monachorum facere duas turmas, ſicut & fecimus: ita ut in una turma conſiderent Epiſcopi cum Notariis.·. in alia verò turma ſederunt Abbates & probati Monachi, Regulam ſancti BENEDICTI legentes atque tractantes diligenter, qualiter Monachorum vitam in meliorem ſtatum atque augmentum per Dei gratiam perducere poſſent: & ubicumque per negligentiam atque deſidiam Rectorum regularis ordo dilapſus fuiſſet, rurſum ſecundùm normam ſancti BENEDICTI reſtitueretur. *In illa etiam Synodo ventilata eſt cauſa cujuſdam* pſeudoprophetiſſæ de Alamannæ partibus, nomine Thiotæ, quæ Salomonis Epiſcopi *Conſtantienſis* parochiam ſuis vaticiniis non minimè turbaverat, adſerendo certum conſummationis ſæculi diem, aliaque perplura divinitus ſibi revelata. Hæc in præſentiam Epiſcoporum apud ſanctum Albanum adducta, publicis cæſa flagellis, miniſterium prædicationis quod irrationabiliter arripuit, cum dedecore amiſit, *ut fuſiùs legitur in jam dictis Annalibus, ex quibus etiam ſubjecta eruimus.*

28. Anno DCCC XLVIII *HLudowicus Germania Rex* homines HRabani Epiſcopi adverſus dominum ſuum conſpirantes, publicè convictos cum eo pacificavit apud Mogontiacum. GOTESCALCUS quoque quidam Preſbyter, *Monachus Cœnobii Orbacenſis ſub parochia & ditione Archiepiſcopi Remenſis, ſed diœceſis Sueſſionenſis*, de prædeſtinatione Dei pravè ſentiens, & tam bonos ad vitam, quàm malos ad mortem perpetuam inevitabiliter à Deo prædeſtinatos eſſe adfirmans, in conventu Epiſcoporum rationabiliter (ut plurimis viſum eſt) convictus, & ad proprium Epiſcopum Igumarum Remis tranſmiſſus eſt, priùs tamen juramento confirmans, ne in regnum HLudowici ultrà rediret. *Meminit iſtius Synodi Hincmarus cùm variis in locis, tum maximè in capite* 21

Ann. Chr. DCCC LVI Febr. IV. *poſterioris operis adverſus Gotheſcalcum, ubi ſynodalem epiſtolam profert à Rabano ad ſe miſſam de Gotheſcalco, quæ exſtat in tomo 3 Conciliorum Galliæ. Rabanus inſuper tres hac de re ſcripſit epiſtolas ad Hincmarum Remenſem, ad Notingum Veronenſem Epiſcopos, & ad Heberardum Comitem in Italia, quas typis vulgavit Jacobus Sirmondus anno* M DC XLVII. *Duas ſuperiores Synodos in unam conflavit Trithemius in Chronico Hirſaugienſi, ubi de hac Synodo agens multa peccat: tum quia eam ſynodum juſſu Lotharii coactam fuiſſe dicit, cùm Ludovico Rege procurante id factum ſit: tum quia Patres Synodi recenſens, memorat Altfridum Hildesheimenſem Epiſcopum, qui anno dumtaxat* DCCC LI *eam ſedem iniit; Hetti Archiepiſcopum Treyirepſem, Hildeboldum Colonienſem, Ludericum Bremenſem Epiſcopum, & Einhardum Abbatem Sćgenſteltenſem, qui antea è vivis abierant, & Radulfum Abbatem S. Medardi Sueſſionenſis,* poſtea Bituricenſem Archiepiſcopum, *qui hanc dignitatem jam dudum antè, id eſt ab anno* DCCC XL *obtinuerat. Lege Henſchenii commentarium num. 55.*

29. Anno DCCC L, *ex iiſdem Annalibus Fuldenſibus*, graviſſima fames Germaniæ populos oppreſſit, maximè circa Rhenum habitantes. nam unus modius de frumento Mogontiaci vendebatur decem ſiclis argenti. Morabatur autem eo tempore HRabanus Archiepiſcopus in quadam villa parochiæ ſuæ, cui vocabulum eſt Winzella: & pauperes de diverſis locis venientes ſuſcipiens, cotidie pluſquam trecentos alimento ſuſtentabat, exceptis his qui in præſentia illius veſcebantur aſſiduè. *Jam ſuperiùs ex Trithemio notatum eſt, quantæ caritatis in pauperes fuerit Abbas. De Winzella ſermo recurret num. 38. Eodem anno* DCCC L, *& quidem* V Kal. Novembris, eccleſia ſancti Wigberti *in Cœnobio Fritiſlarienſi* dedicata eſt à Rabano Mogontiacenſis eccleſiæ Archiepiſcopo, *ex Chronico Hildenesheimenſi.*

30. Anno DCCC LII habita eſt Synodus ex voluntate atque præcepto HLudowici ſereniſſimi Principis in civitate Mogontia metropoli Germaniæ, præſidente HRabano venerabili ejuſdem urbis Archiepiſcopo, cum omnibus Epiſcopis atque Abbatibus orientalis Franciæ, Bajoariæ & Saxoniæ. Et illi quidem de abſolvendis quæſtionibus eccleſiaſticè tractatum habebant: Rex verò cum Principibus & Præfectis provinciarum publicis cauſis litibuſque componendis inſiſtens, poſtquam ſynodalia eorum decreta ſuo judicio comprobavit, ·.·. Bajoariam reverſus eſt. *De Epiſcopis qui huic Concilio interfuerunt, agit Henſchenius in commentarii num. 51, ubi quædam Trithemii errata corrigit: adſignat etiam ſuam cuique ſedem Epiſcopis, qui primo Rabani Concilio præſentes fuerunt, num. 49. Anno* DCCC LIII *habita eſt Synodus* in palatio regio Franconoford, *præſente Ludovico Germaniæ Rege, in qua quid Gozberto Oſnabruggenſi Epiſcopo in Herifordenſis Parthenonis eccleſiis competere deberet, definitum eſt coram Ludovico Rege* & Archiepiſcopo HRabano, ceteriſque cum eo in Synodo agentibus. *Ejus rei diploma idem Rex conceſſit, ſuperiùs editum in Obſervationibus præviis ad hiſtoriam tranſlationis S. Viti.*

31. *Sic occupatus in muneris ſui officiis piiſſimus Antiſtes, vix interſpirandi tempus habebat. Quam ob rem à Freculfo Lexovienſi Epiſcopo inſtigatus ad ſcribendos commentarios in Geneſim, ita reſcribit:* Injunxiſti ut Pentateuchum ·.· digererem. Verùm hæc quantum meam poſſibilitatem excedant, tu meliùs noſti, cùm in difficillimo loco converſans, propter curam gregis dominici, ne ei neceſſaria deſint, tantum occupatus ſim, ut nec aliorum dicta perlegere, nec propria excogitare liceat.

VII. Scribendi ſtudium, reverentia erga Patres.

32. TANTUS *erat ejus amor in litteras, ut eum ab ſcribendi ſtudio non docendi labor & vita regularis officia, non variæ occupationes, non denique morbi revocarent. Facilis quippe amicorum parere voluntati, id unum curabat,*

curabat, ut Chriſti Eccleſiæ aliorumque ſaluti prodeſſe poſſet. Hoc probat ejus præfatio in librum Judicum, Humberto Wirtziburgenſi Epiſcopo inſcripta, cujus hæc verba: Igitur quia paternitas tua à noſtra exiguitate ad hoc aliquantulum dignata eſt quærere ſolarium; propter amorem Dei & veſtram etiam humilem in eo dilectionem, humilem in hoc opere profiteor me vobis eſſe velle ſervitorem, & boni ſtudii, quantum divina gratia annuerit, benevolum adjutorem. *& in epiſtola ad Ludovicum Regem initio commentariorum in libros Maccabæorum:* Quamdiu, *inquit*, in hoc corpuſculo vixero, in Chriſti ſervitio, prout poſſibile fuerit, laborare contendo. *Fuldenſi academiæ præfectus, tametſi vacaret regularibus exercitiis & inſtruendæ juventuti; non tamen deſiſtebat à conficiendis commentariis ex ſententiis Patrum, ut teſtatur ejus epiſtola ad Haiſtulfum Mogontiacenſem Epiſcopum pro expoſitione in Matthæum.* Horum ergo lectioni intentus, quantum mihi præ innumeris monaſticæ ſervitutis retinaculis licuit, & pro nutrimento parvulorum, quod non parvam nobis ingerit moleſtiam, & lectionis facit injuriam; ipſe mihi dictator ſimul & notarius exiſtens, in ſchedula ea mandare curavi, quæ ab eis expoſita ſunt, vel ipſis eorum ſyllabis, vel certè meis breviandi cauſâ ſermonibus. *Bedam Venerabilem imitatus, cujus ferè eadem verba ſunt in ejus Elogio relata Sæculo ſuperiori. Abbas factus idem ſtudium coluit, tametſi* in deſertis locis converſans, maxima occupatione detineretur; qua ſervire ac neceſſaria providere famulis Chriſti ſub Regula ſancti BENEDICTI degentibus cotidie compelleretur; nec otium haberet Patrum dicta pleniter perſcrutari, *uti ſcribit in epiſtola ad Freculfum Lexovienſem in Gallia Epiſcopum, cui mittit expoſitionem ſuam in Leviticum. quod etiam dixerat in epiſtola ad eumdem, cùm explanationem in Geneſim ipſi direxit. Quid ſcripſerit Epiſcopus, poſtea videbimus. At (quod magis mirere) non eum ab hoc opere morbi remorabantur, probante epiſtola ad Hlotharium Auguſtum in commentarios Ezechielis.* Quod verò, *inquit*, tertio loco poſtulaſtis de Ezechiele, in præſenti opuſculo, prout infirmitas corporis & parvitas ingenii ſinit, confectum habetis. *& in præfatione libelli de ſacris Ordinibus ad Theotmarum ita loquitur:* Quia mei cooperatorem in ſacro miniſterio elegi; hortor, ut quod pro infirmitate corporis coram multis exponere non poſſum, tu qui junior ætate & validior es corpore, illis qui ad ſacerdotium ordinati ſunt, & miniſterium ſacerdotale agere debent, notum facias, & eis perſuadeas, immo jubeas, ut diligenter diſcant, quod in hoc opuſculo conſcriptum eſt. *Denique in præfatione ſuper Hieremiam:* Gravi ægritudine preſſus, jam ſæpius in lectulo accumbo, quàm ad ſcribendum, vel ad legendum in meditatorio ſedeo.

33. *Quanta fuerit ejus obſervantia erga ſanctos Patres, docent opera ejus omnia, quæ ipſe ex eorum ſententiis contexuit, appoſitis ad marginem nominibus:* ne majorum dicta furari, & hæc quaſi mea propria componere dicar, *ait in præfatione ad Matthæi Evangelium. Id autem ita præſtabat, ut ibidem ipſe dicit, in commodum aliorum:* ut lector pauperculus qui librorum copiam non habet, aut cui in pluribus ſcrutari profundos ſenſus Patrum non licet, ſaltem in iſto ſufficientiam ſuæ indigentiæ inveniat. *Quod optimo conſilio factum ab eo nemo negaverit, qui librorum raritatem, qualis eo tempore erat, conſiderabit. nam extra Monaſteria nulla ferè Bibliotheca habebantur, ne quidem in cathedralibus pleriſque eccleſiis, ut de ſua Lexovienſi teſtatur Freculfus in epiſtola ad Rabanum, à quo petiit commentarios in Pentateuchum contextos ex dictis Patrum.* Ergo ſi aliquas excuſationis prætendere tentaveris occaſiones, ne tantæ molis opus ingentiſque laboris ſubeas; & reſpondere niſus fueris, cur non proprio ſudore eos legendo perluſtro libros, ex quibus hæc fieri mando, & quæque libuerint, decerpendo colligam; ad hæc veſtræ caritatis vigilantia intendat, quoniam nulla nobis librorum copia, ut hæc facere poſſimus, ſuppeditat, etiamſi parvitas obtuſi ſenſus noſtri vigeret: dum in epiſcopio noſtræ parvitati commiſſo nec ipſos novi veteriſque Teſtamenti canonicos repperi libros; multo minùs eorum ex-

ANN. CHR. DCCC LVI. FEBR. IV.

Ann. Chr. DCCCLVI Febr. IV.

poſitiones. *Etſi verò laudanda erat modeſtia Rabani, Patrum ſenſa ſuis præferentis; non defuere tamen, qui hoc in eo reprehenderent: uti de his conquerſtur in præfatione ſuper Ezechielem ad H Lotharium Imperatorem.* Nec etiam illud ſilendum arbitror, quod quibuſdam narrantibus comperi, quoſdam ſciolos me in hoc vituperaſſe, quòd excerptionem faciens de ſanctorum Patrum ſcriptis, eorum nomina prænotarem: ſive quòd aliorum ſententiis magis uſus eſſem, quàm propria conderem. Quibus ad hoc facilè reſpondere poſſum. Quid enim peccavi in hoc, quòd Magiſtros Eccleſiæ veneratione dignos judicabam, & eorum ſententias, prout eas protulerant, opportunis locis ſimul cum nota nominum eorum in opuſculis meis interpoſueram? Magis enim mihi videbatur ſalubre eſſe, ut humilitatem ſervans, ſanctorum Patrum doctrinis innirerer, quàm per arrogantiam, quaſi propriam laudem quærendo, mea indecenter proferrem. Illi qui ſe laudari quærunt, & ab hominibus videri appetunt, dictent vel ſcribant quidquid voluerint, & laudatores ſuos atque adolatores undecumque poſſint, ſibi adquirant. Mihi autem adhærere Deo omni tempore vitæ meæ bonum eſt, & ponere in Domino Deo ſpem meam, ut adnuntiem omnes laudes ejus in portis filiæ Sion, in illis videlicet portis, de quibus ſcriptum eſt: Beati qui ambulant in ſemitis vitæ, & per portas introeunt in civitatem. *Utinam qui novos condunt libros, per eaſdem ſemitas incedant, (ut certè modò incedunt multi) & non per vias intricatas adinventionum humanarum & novitatum, quibus nihil in Religione pernicioſius.*

VIII. Zelus pro Fide & pro integritate morum, auctoritas, humilitas.

34. RABANI *zelum pro chriſtiana Religione probaret in primis epiſtola contra Judæos ſub ejus nomine à Chiffletio edita. at cùm veri ſimilius ſit illam Amolonis fetum eſſe, uti poſtea oſtendemus, juvat potiùs in hujus zeli argumentum proferre Martyrologium ab ipſo editum de Sanctis, qui Eccleſiam factis ut paſſione ſua illuſtrarunt. Id ipſum probant omnia ejus Auctoris ſcripta, quæ ſinceram Patrum doctrinam, ac genuinam pietatem ſpirant, & maximè decreta ab ipſo ſancita variis in Synodis, quas pro eccleſiaſticis rebus celebravit.*

35. *Adverſus morum relaxationes ſcripſit homilias plures, quas populo recitandas dedicavit Haiſtulfo Archiepiſcopo Moguntino. in quibus exſtat homilia* contra eos, qui in lunæ defectu clamoribus ſe fatigabant. *alia* contra paganicos errores, quos aliqui de rudibus Chriſtianis ſequebantur. *item alia* de moribus bonorum & malorum Chriſtianorum. *Neque tantùm plebeiis hominibus ſalubria dabat monita pro correctione morum, ſed etiam Regibus & Epiſcopis. Regibus quidem, tum in libro* de reverentia filiorum erga patres *in cauſa depoſitionis Ludovici Auguſti, tum in provinciali Synodo Maguntina, quam anno ſuæ ordinationis primo celebravit. Epiſcopos denique monet, ut ne plus vacent forenſibus cauſis, quàm ſacris concionibus, in epiſtola Hemmoni Epiſcopo ſcripta, initio librorum de Univerſo.* Multò melius eſt enim laborare Epiſcopum in doctrina verbi Dei ob ſalutem animarum ſibi commiſſarum, quàm in diſponendis & definiendis civilibus quæſtionibus & variis hominum contentionibus vacare, qui propter terrenam cupiditatem litem & rixas inceſſanter movent, & unuſquiſque in his alterum ſuperare contendit. Nuſquam enim in Scripturis ſacris legitur ipſe Salvator aut diſcipuli ejus hoc egiſſe ſive docuiſſe. Hæc cùm ſcribantur, mi domine, nolo ut æſtimes, me novam legem vivendi tibi conſtituere: ſed olim à viris ſanctis prolatam ob commemorationem breviter commemorare. *& in epiſtola de Chorepiſcopis ad Drogonem Epiſcopum Metenſem carpit occidentales ſeu Gallicanos Epiſcopos, qui Chorepiſcopos à poteſtate ordinandi Presbyteros & Diaconos excluſos volebant.* Grandis honor eſt, *inquit*, Chriſti miniſtrum eſſe. unde & grande præmium bene miniſtrantem ſequitur, ita ut cum Chriſto & ſanctis

Angelis ejus in cæleſti beatitudine ſine fine lætetur. Atque ideo non convenit Ann. Chr.
ſervis Chriſti contendere de ſublimitate honoris, ſed magis certare de utilitate DCCC LVI
ſanæ prædicationis & aſſiduitate bonæ operationis: ut populus Chriſti audiat Febr. IV.
ex ore eorum verbum rectæ Fidei, & videat in actibus eorum bonum exemplum per humilitatis indicium. Non eſt enim æquum, ut conlatio ſacri Ordinis ſervis Chriſti fiat cauſa elationis & terrenæ voluptatis. quia nec in ipſius Magiſtri, nec diſcipulorum ejus dictis ſive exemplis aliquid hujuſmodi reperiunt, &c. *Cum Rabani ſententia conſonat Nicolai Papæ I epiſtola 39 ad Rodulfum Epiſcopum Bituricenſem.*

36. Tanta in dicendo libertas non ipſi, ut ſolet, parabat eorum ad quos ſcribebat indignationem, ſed auctoritatem apud omnes: qui ejus ſcriptis & monitis inſtrui & emendari peroptabant. Exemplo eſt Lotharius Auguſtus, qui cùm expoſitionem in librum Joſuæ ab eo accepiſſet, gratias agit pro acceptos & iterum alia petit, exponens vehemens ſuum deſiderium crebrò eum videndi & alloquendi, ut patet in Lotharii epiſtola initio commentarii in Ezechielem, ad Rabanum poſt abbatialis regiminis abdicationem ſcripta: in qua ſingularis cum eo familiaritatis indicia demonſtrat. Nec aliter affecti adverſus eum erant Ludovicus Auguſtus, & Ludovicus ejus filius Germaniæ Rex: quorum ille Rabani cauſâ Fuldenſe Monaſterium adiit, teſtante Rabano in epiſtola ad Ludovicum Regem, expoſitioni Paralipomenωn præpoſita: ubi ait ſe nuper commentarios Regum ſacratiſſimo genitori *ejus* præſentialiter *in ſuo Monaſterio tradidiſſe. hic Rabanum arceſſivit in cellulam Monaſterii*, quæ vocatur Rateſtorf, *ubi ſermonem cum eo habuit* de Scripturis ſacris, *perſuaſitque ut* cantica, quæ ad matutinas laudes per ſeptimanam dicuntur, *explanaret, prout legitur in epiſtola dicta explanationi præmiſſa. Mirandum porro eſt, tantis Regibus, tot bellis ac ſæcularibus negotiis implicatis, tantam fuiſſe ſitim verbi Dei: quam ſine dubio accendebat is, qui reſtinguebat, nempe Rabanus.*

37. Quid inter hæc de ſe ſentiret vir ſanctus, aperit ipſe in præfatione ad commentarios Ezechielis, cujus libri explanationem ab eo loco, in quo deſierat Gregorius Magnus, à Rabano continuari Lotharius Auguſtus, præter alia, poſtulaverat. Quod verò, *inquit*, tertio loco poſtulaſtis de Ezechiele, in præſenti opuſculo, prout infirmitas corporis & parvitas ingenii ſinit, confectum habetis. Feci enim, non quaſi ſucceſſor Papæ Gregorii & prædicator plebis Dei, ſupplendo hoc quod ille homiliarum conditione populum docens inchoavit, & tamen uſque ad finem Prophetæ non perduxit: ſed quaſi imitator & diſcipulus, non ſolùm ipſius memorati Papæ, ſed & aliorum ſanctorum Doctorum veſtigia ſequendo. *Hæc in exemplum de Rabani virtutibus ſufficiant.*

IX. Mors & ætas, ſepultura & epitaphium, elevatio, elogia & memoria.

38. ANNO DCCC LVI, *uti legitur in Annalibus Fuldenſibus*, menſe Februario, quarto die menſis, defunctus eſt HRabanus Archiepiſcopus Mogontiacenſis eccleſiæ, habens in epiſcopatu annos VIIII, menſem unum, & dies quatuor. cui ſucceſſit Karlus magis ex voluntate Regis & Conſiliariorum, quàm ex conſenſu & electione Cleri & populi. *Eadem omnino verba leguntur in Franco-Saxonicis Annalibus mſſ. Hermannus eodem anno & die Rabani obitum collocat: ſed rotundo numero annos tantùm novem regiminis ei tribuit. Duplici modo hunc ſcrupulum explicare poſſumus. Primus eſt, ſi prædictos Annaliſtas dixerimus veteri calculo uſos fuiſſe in deſignando anno, quo deceſſit Rabanus. Deceſſit quippe die quarta Februarii: qua dies ad finem anni* DCCC LVI *referri potuit ſecundùm veterem calculum; aut ad initium ſequentis ſecundùm novum. At quo minus hoc pacto explicentur Fuldenſes & Saxonici Annales, repugnant tres omnino res. Una, quòd novum calculum ſecuti ſunt, obitum Caroli Magni, qui* V *Kal. Februarii accidit, revocando ad annum* DCCC XIV *pro novo numerandi ritu, non ad annum*

Ann. Chr. DCCC LVI Febr. IV.

DCCC XIII *pro antiquo. Altera, quòd iidem Annales in capite anni* DCCC LVI *Rabani obitum referunt, & conſequenter Hattonis Fuldenſis Abbatis deceſſum* prid. Idus Aptilis; *tum inſequenti* Auguſto *Ludovici Regis expeditionem in Dalmatas eodem anno: relaturi ad annum* DCCC LVII, *ſi Februarium menſem, quo Rabanus obiit, ad finem anni* DCCC LVI *ex veteri calculo revocaſſent. Accedit, quòd neque hoc modo numerus annorum* IX, *menſis* I, *& dierum* IV; *quos Rabano Archiepiſcopo tribuunt, accuratè conſtaret: ſed numerus menſium* VII, *dierum* VIII *vel* IX *præter novem annos. Alia proinde explicandi hujus loci ratio, quam obſcurè ſuggerit Serarius, ineunda eſt, dicendo, Annales Fuldenſes & Saxonicos annum pontificatûs Rabani primum, tametſi ejus ordinatio menſe Junio contigerit, definiſſe anno* DCCC XLVII, *quem Rabano ſolidum tribuerint: ſecundum verò (quod etiam de ſubſequentibus dicendum) inchoaſſe anno* DCCC XLVIII. *Hoc enim modo inveniuntur Rabani epiſcopatûs* anni novem, menſis unus, dies quatuor, *uſque ad quartum Februarii diem anni* DCCC LVI. *quo tempore obitum ejus reponunt iſti Annales.* Mortuus eſt autem beatiſſimus Archiepiſcopus, *ait Trithemius*, apud

* Vuinſel

Vinicellam *, habitationis ſuæ vicum, ad litora Rheni: cujus ſacrum corpus, ſicut vivens mandaverat, Moguntiam relatum eſt. *Eum provectæ fuiſſe ætatis, patet ex epiſtola ad Hincmarum Remenſem Archiepiſcopum, à Sirmondo edita, in qua ſe excuſat à prolixiori Goteſcalci refutatione: quia ſcilicet id* non permittit infirmitas corporis, nec ægritudo ſenectutis. *Quapropter eum ad annos ætatis ferè ſeptuaginta* (ſexaginta octo *habet Trithemius*) *perveniſſe crediderim.*

39. Sepultus eſt in Monaſterio ſancti Albani in capella ſanctorum Martini & Bonifacii, *uti legitur in brevi ejus commemoratione, quæ exſtat poſt libros de Univerſo in codice noſtro mſ. n. 270 in hæc verba:* Rabanus Maurus, Mogontiæ natus & renatus, & à puero in Fulda Monachus, deinde cellâ incluſus, tandem in Archiepiſcopum adſumitur: cujus idonea ſunt opuſcula in utriuſque Teſtamenti pagina. & ante portam prædictæ civitatis meridianam apud ſanctum Albanum ſepulcri ejus oſtenditur memoria in ſanctorum Archiepiſcoporum Martini & Bonifacii capella. *Ex hoc monumento, quod in codice noſtro ante annos quadringentos deſcriptum eſt, intelligimus, Rabanum Moguntiæ (ut ſuperiùs dixi) natum eſſe: ac proinde malè à nonnullis diſpungi tertium & quartum ejus epitaphii verſus, quod de ſe ipſe compoſuit, cui præmiſſus hic titulus in codice noſtro mſ.* Epitaphium sancti Rabani Mauri, Moguntiæ ſedis Archiepiſcopi, apud ſanctum Albanum ſepulti:

Lector honeſte, meam ſi vis cognoſcere vitam,
Tempore mortali diſcere ſic poteris.
Urbe quidem hac * genitus ſum, & ſacro fonte renatus; — * deeſt hac in mſ.
In Fulda poſt hæc dogma ſacrum didici.
Quo Monachus factus ſeniorum juſſa ſequebar.
Norma mihi vitæ Regula ſancta fuit.
Sed licèt incautè hanc nec fixè ſemper haberem;
Cella tamen mihimet manſio grata fuit.
Aſt ubi jam plures tranſiſſent temporis anni,
Convenere viri vertere fata loci.
Me abſtraxere domo invalidum, Regique tulere,
Poſcentes fungi Præſulis officio.
In quo nec meritum vitæ, nec dogma repertum eſt;
Nec paſtoris opus jure * beneplacitum. — * mſ. urbo
Promtus erat animus: ſed tardans debile corpus.
Feci quod poteram, quodque Deus dederat.
Nunc ego te ex tumulo, Frater dilecte, juvando
Commendes Chriſto me ut precibus Domino.
Judicis æterni me ut gratia ſalvet in ævum,
Non meritum adſpiciens, ſed pietatis opus.

HRABAN nempe mihi nomen: cui lectio dulcis
Divinæ legis ſemper ubique fuit.
Cui Deus omnipotens tribuas cæleſtia regna,
Et veram requiem ſemper in arce poli.

40. Ejus ſanctum corpus, *teſte Trithemio*, annis ſexcentis quinquaginta novem in memorato Cœnobio ſancti Martyris Albani ſepultum, in ſarcophago juxta murum chori elevato permanſit. Ad cujus quoque tumulum à principio magnus populi fuit concurſus, & plura narrantur facta miracula, qui tamen ſucceſſu temporis omnino defecit, & ſacellum ejus diu ſine honore permanſit. Unde providentiâ Dei cuncta gubernantis, ad nominis ſui gloriam, & famuli ſui perpetuum honorem, ſanctiſſimum corpus ejus de Mogontia ordinavit & voluit in Saxoniam transferri anno præſenti, quo hoc ſcripſimus, dominicæ videlicet nativitatis milleſimo quingenteſimo quinto-decimo, Indictione Romanorum tertia. quæ quidem tranſlatio, per quem, qualiter, quando, & quorſum ſit facta, ſpeciali ſyntagmate deſcripſimus. *Non exſtat illa Trithemii lucubratio, qui hanc tranſlationem Alberto Maguntino Archiepiſcopo auctori tribuit in nuncupatoria epiſtola Vita Rabani præfixa. ſic enim Albertum alloquitur.* HRabanum apud Moguntiacos deſpectum, & pæne ſempiterna oblivione ſepultum, in nomine juſti ſumma cum veneratione levaſti de terra: propter quod & omnipotens Dominus animam tuam cum Sanctis ſuis exaltabit in patria. *De eadem tranſlatione ſignantiùs agit Trithemius in libro de vita ſancti Maximi Archiepiſcopi Moguntini his verbis.* Cùm Albertus anno archipontificatus ſui Moguntini primo, Magdeburgenſis autem ſecundo, pro Dei amore & reverentia Sanctorum, apud Moguntiam circumeundo, baſilicam Martyris ſancti Albani devotus intravit, & videns præſcriptorum decem Pontificum ſancta corpora ſine honore neglecta; auctoritate non minùs apoſtolica, quàm ordinaria uſus, corpus ſancti HRabani quondam Archiepiſcopi totum, ſancti Maximi Epiſcopi medium, permiſſione Canonicorum inde abſtulit; & in Saxoniam transferens, apud Hallas opidum in baſilica ſancti Mauricii ſollemni proceſſionis officio collocavit anno dominicæ nativitatis milleſimo quingenteſimo quinto-decimo, Indictione Romanorum tertia.

41. Hinc patet, quantus honor delatus ſit mortuo, quem etiam viventem nonnulli ſanctum ſanctiſſimumve, *appellavere. in his Humbertus Wirziburgenſis Epiſcopus in epiſtola ſua commentariis Judicum præfixa.*

Salve, ſancte Pater, meritoque beatus in orbe.
Tu decus es noſtrum, ſancte Pater, merito.

& Ermanricus in libro de vita ſancti Soli, agens de Monaſterio Fuldenſi, ubi Deo providente, *ſubdit*, modò ſanctiſſimus ac in omni arte peritiſſimus Abbas Rabanus perſpicabiliter fulget. *Amulo Pontifex Lugdunenſis in epiſtola ad Goteſcalcum*, bonum & eruditum virum atque catholicum Epiſcopum; *Hincmarus verò in opuſculo contra eumdem Goteſcalcum*, HRabanum venerabilem Archiepiſcopum, zeloſum in ſancta religione patrem, & catholicum ſcriptorem *vocat. Eumdem Frodoardus Canonicus Remenſis* beatum Rabanum *dicit in lib. 2 hiſtoriæ Remenſis cap. 21. & ſanctus Odilo Abbas Cluniacenſis* ſæculari ſcientia affatim eruditum, fide catholicum, ſpiritali ſcientia ad plenum edoctum, *in ſermone de laude ſanctæ Crucis. Ejuſdem meminit Guillelmus Abbas Romani Monaſterii ſancti Pauli in Kalendario ſanctorum Monachorum, quod anno* M CCC LXXII *compoſuit, his verbis*, prid. Nonas Februarii Rabani Archiepiſcopi Moguntini. *Denique in codice noſtro n. 170, qui ab annis ferè quingentis manu deſcriptus eſt, refertur* epitaphium ſancti Rabani, *ſuprà. Ex quibus omnibus patet, Rabanum apud veteres audiiſſe ut* ſanctum: *ac falſum eſſe Trithemium, qui ejus obitum locat* VI Kal. Novembris. Beatum *appellare maluit, quàm* ſanctum, *donec ſanctior Eccleſiæ accedat auctoritas. ſiquidem nullo feſtivo cultu in Magontiacenſi eccleſia honoratur, teſte Browero in notis ad poëmatia. Eum* fulgens Germaniæ ſidus, Theologorum

Ann. Chr. DCCC LVI Febr. IV.

verticem *Baronius; Bellarminus* æquè doctum, ac pium *vocat. alia aliorum elogia prætermitto.*

X. Judicium de ejus ſcriptis & doctrina.

42. SUPEREST *agendum de Rabani ſcriptis, de quibus tria ſunt quærenda. unum, quæ legitima, quæ ſpuria & aliena. alterum, quæ reſtent inedita. tertium, quo tempore ſingula ſcripta ſint.*

43. *Inter edita Rabani opera tria tantùm ſpuria ſunt, nimirum libri tres de* quæſtionibus canonum pænitentialium, *qui in editis ad* Heribaldum *ſcripti dicuntur: tum ſequentes libri itidem tres* de virtutibus & vitiis: commentarius in Regulam ſancti Benedicti: *&* liber de ſacramento Euchariſtiæ *ſub ejus nomine Coloniæ editus anno* M D L I. *Primum ſiquidem & ſecundum opera ſunt Halitgarii Epiſcopi Cameracenſis, ut rectè advertit V. C. Stephanus Baluzius in præfatione ad Rabani epiſtolam Heribaldo ſcriptam, qui Halitgarius libros quinque pænitentiales compoſuit rogatu Ebbonis Archiepiſcopi Remenſis, editos ab Henrico Caniſio in tomo 5 lectionum antiquarum. Nam liber primus de quæſtionibus canonum apud Rabanum, eſt quintus liber Halitgarii; ſecundus eſt tertius; tertius eſt quartus. primus verò liber de vitiis apud Rabanum eſt primus Halitgarii; ſecundus Halitgario etiam ſecundus. tertius Rabanicus cujus ſit, incertum. Commentarius porro in Regulam ſancti Benedicti eſt Smaragdi Abbatis Monaſterii ſancti Michaelis ad Moſam in diœceſi Verodunenſi, ut conſtat tum ex Sigeberto in lib. de Scriptoribus eccleſiaſticis cap. 118, tum ex libris membraneis permultis, quos vidi. Denique liber de Euchariſtia eſt Paſchaſii Radberti Abbatis Corbeienſis.*

44. *Ut facilè diſtinguamus quæ Rabani opera nondum typis vulgata ſint, operæ pretium eſt diſpicere, quid ex ſcriptis ejus à Rudolfo commemoratis deſit in editis. tum quid ex iis quæ habentur in editis, à Rudolfo prætermiſſum ſit. denique quid præter opera à Rudolfo enumerata & ea quæ in collectione H Rabani operum exſtant, ulteriùs deſiderentur.*

45. *Ex enumeratis à Rudolfo deſunt in collectione Pamelii* Commentarii in libros Judith & Eſther *inediti, qui penes nos ſunt deſcripti manu Petri Franciſci Chiffletii; epiſtola* de Chorepiſcopis ad Drogonem Mettenſem Epiſcopum, *curâ Stephani Baluzii edita in tertia editione librorum Petri de Marca de concordia Imperii, unà cum* libro de reverentia filiorum erga patres, & ſubditorum erga Reges ad Ludovicum Imperatorem, *qui liber à Rudolfo* collectarium *appellatur;* epiſtola ad Notingum Veronenſem Epiſcopum de præſcientia & prædeſtinatione Dei; liber ad Ludovicum Imperatorem de oblatione ſecundùm Regulam ſancti Benedicti; epiſtola conſolatoria ad eumdem; & Dialogus de computo, *recèns editus in Miſcellaneis Baluzianis. Ex his epiſtola ad Natingum edita ab Sirmondo eſt: liber verò de oblatione puerorum habetur manu deſcriptus in Bibliotheca Mellicenſi.*

46. *Ex adverſo præter enumerata à Rudolfo habentur in illa collectione* liber de Grammatica; opus de Univerſo; expoſitio in cántica quæ ad matutinas laudes per ſeptimanam dicuntur; Allegoriæ in ſacram Scripturam; liber ad Thiotmarum de ſacris Ordinibus; libri tres ad Reginaldum ſeu Regimbaldum de eccleſiaſtica diſciplina; libri tres ad Bonoſum Abbatem; epiſtola ad Humbertum Wirtziburgenſem Epiſcopum, quota generatione licitum ſit matrimonium; liber de anima & virtutibus ad Lotharium Regem; libellus de vita Antichriſti; Martyrologium; poemaria; gloſſæ; & de inventione linguarum. *quæ omnia videntur eſſe genuina Rabani opera. De Rabani gloſſis Teutonicis adi Cæſarea Bibliotheca tomum 2.*

47. *In indice Rudolfi & in dicta collectione deſiderantur epiſtolæ quædam à Jacobo Sirmondo vulgata Lutetiæ Pariſiorum anno* M DC XLVII, *nempe* epiſtola ad Hincmarum Remenſem Epiſcopum, *&* alia ad Heberardum Comitem,

unà cum ſynodali Rabani epiſtola jam in Conciliis edita, & epiſtola ad Notin- ANN. CHR. DCCC LVI FEBR. IV.
gum Veronenſem Epiſcopum, contra Goteſcalcum. Ex quibus epiſtolæ ad Notingum & ad Heberardum recuſæ ſunt in tomo tertio Italiæ ſacræ operâ Ferdinandi Ughelli, qui Sirmondi editionem non viderat. Denique in dicto indice Rudolfi & in Collectione Pamelii deſunt epiſtolæ duæ magni momenti: una ad Egilonem ſeu Eigilem Abbatem Prumienſem, quæ excidiſſe creditur: alia ad Heribaldum Autiſiodorenſem Epiſcopum, quæ à Petro Stevartio ex codice Weingartenſi prodiit in lucem, recèns à Stephano Baluzio recuſa poſt collectionem canonum Reginonis. Item epiſtolæ duæ ad Regimboldum Chorepiſcopum Moguntinum, de quibuſdam quæſtiunculis pœnitentiæ, una ab eodem viro clariſſimo edita in Appendice Actorum veterum ad Capitularia Regum Francorum, ordine VIII. altera in tomo 8 Conciliorum editionis Labbeanæ. De ceteris opuſculis, quæ Rabano tribuuntur à Trithemio, nihil pronuntiare auſim, ſintne Rabani, an non. His omnibus addit Browerus Lotharii Auguſti epitaphium à Rabano conditum, quod ipſe refert in Annalium Trevirenſium lib. 8. Ad hæc alii Prophetiam de Regibus Francorum quæ à nonnullis S. Auguſtino adſcribitur, etiam Rabano tribuunt; in quibus eſt Jacobus Alexander Tenneurius in Veritatis vindicatæ cap. ultimo. Si huic prophetiæ credimus, quamdiu Reges Francorum duraverint, qui Romanum Imperium tenere debent, Romana dignitas ex toto non peribit. Id quo titulo adſcribatur Rabano, mihi nondum compertum eſt. Multo minus id genus oraculi tribuendum ſancto Auguſtino, in cujus tamen Operum appendicem refertur tomo 9.

48. Denique eidem Rabano eruditus vir Petrus Franciſcus Chiffletius adſcribit librum ſeu epiſtolam contra Judæos, quam ipſe Divione typis edidit anno M DC LVI unà cum Alcuini Confeſſione. Verùm hanc epiſtolam non eſſe Rabani, ſed Amolonis Lugdunenſis Epiſcopi, disertè probat recentior quidam Scriptor in appendice ad Johannis Dallæi Diſſertationem de auctore Confeſſionis jam dictæ. Hujus Anonymi argumenta petuntur primo à pertinaci ſilentio Scriptorum omnium, qui Rabani opera recenſuerunt. Tum ex eo quòd iſtius epiſtolæ ſcriptor ait, ſe jam Epiſcopum fuiſſe anno ab adventu Domini DCCC XLVI, uno ante Rabani pontificatum. tum ex eo, quòd quædam duriora contra Judæos ſuperiori tempore ſe ſtatuiſſe refert. quod Rabano, qui nullum contra Judæos decretum ſancivit, convenire nullatenus poteſt. Præterea quòd epiſtolæ auctor non obſcurè notet, ſe, dum adverſus Judæos epiſtolam ſcribit, deceſſoris ſui ſequi veſtigia, qui itidem adverſus Judæos multa ſcripſiſſet, multaque egiſſet. Otgarium verò Rabani deceſſorem nihil hujuſmodi patraſſe in diœceſi Moguntina. Et his quidem argumentis eam epiſtolam Rabano abjudicat appendicis auctor; iiſdemque Amoloni Lugdunenſi Pontifici, ut proprio parenti, vindicandam eſſe contendit. Siquidem Amolo anno DCCC XLI in Epiſcopum ordinatus eſt, moxque duriora ſtatuta condidit contra Judæos, quos effreni licentia in Lugdunenſi diœceſi ſe geſſiſſe ex Agobardo diſcimus. qui quidem Agobardus, Amolonis deceſſor, ſcripta edidit adverſus eoſdem Judæos, ex quibus auctor epiſtolæ controverſæ multa transfert in ſua. Verùm (quod omnibus conjecturis præferendum putat) ex Frodoardo Remenſi Presbytero in Hiſtoria lib. 3 cap. 21, Amolonem adverſus Judæos epiſtolam encyclicam ſcripſiſſe colligit, ubi Hincmarus ſcripſiſſe dicitur Amolo Lugdunenſi, de placito quod habuerat cum Rege regnique primoribus, & de Judæorum in hoc regno ſtatu. At, ſi quid video, nihil in his verbis de encyclica Amolonis epiſtola. Quamquam valet is locus ad probandum id, quod mox præmiſſum eſt, nimirum Amolonem ſtatuta edidiſſe adverſus Judæos. Præferendum itaque eſt ultimum ejuſdem auctoris argumentum ex Johanne Trithemio in lib. de Scriporibus eccleſiaſticis, ubi Trithemius ait ſe legiſſe Hamuli Epiſcopi Lugdunenſis opus inſigne ad Carolum contra Judæos, cujus exordium eſt ab his verbis, Deteſtanda Judæorum, &c. quod ipſum eſt Chiffletianæ epiſtolæ principium. Viderat ergo Trithemius aliquem vetuſtum codicem hanc epiſtolam ſub Amolonis nomine præferentem: viderit alium Chiffletius ſub nomine Rabani. Ac quæ ſuperiùs allata ſunt, potiores Johanni Trithemio partes aſſerunt.

ANN. CHR. DCCC LVI ISAR. IV. *49. Ordo temporis, quo ſingula Rabani opera condita ſunt ab auctore, ſic diſtinguendus videtur.*

Anno ætatis ſuæ XXX *abſolvit libros duos de laudibus ſanctæ Crucis, quos rogatu Alcuini præceptoris ſui inchoavit: eoſque primùm ſancto Martino Turonenſi Epiſcopo, in cujus Monaſterio litteris operam dederat, nuncupavit per Alcuinum, in cujus perſona carmen nuncupatorium luſit. Eoſdem libros poſtea dedicavit Ludovico Auguſto; tum Gregorio Papæ quarto. tametſi non ei, ſed Sergio ejus ſucceſſori redditi ſunt anno* DCCC XLIV *per Aſcrichum & Ruodpertum Fuldenſes Monachos; dein Heberardo Italiæ Comiti, qui prædictos libros per Aſcrichum & Ruodpertum Româ revertentes efflagitaverat, ut patet ex Rabani epiſtola ad eum ſcripta; ac demum Monachis Cœnobii Dionyſiani in agro Pariſienſi. Alcuinum Rabano ſcribendi hos libros auctorem fuiſſe apparet ex Alcuini epiſtola 55* benedicto ſancti Benedicti puero Mauro *(id Rabani alterum nomen) inſcripta, in editis mendosè* ad Benedictum, *ubi hæc verba:* Libellum quem me rogante ſcribi promiſiſti, rogo ut tua faciat promiſſio firma, & mea impleatur lætitia. *& in fine:* Valeas feliciter cum pueris tuis. *Quæ ex epiſtola colligebam Alcuinum prætervectum eſſe annum Chriſti* DCCCIV. *ſed poſteà in Appendice ſuperioris tomi correxi, quod in Elogio Alcuini aſſerueram. In ejus perſona Rabanus ſancto Martino cecinit horum librorum carmen dedicatorium, in quo ætatem ſuam exprimit his verſibus.*

Aſt ubi ſex luſtra implevit, jam ſcribere tentans,
Ad Chriſti laudem hunc condidit arte librum.

Convenit hoc tempus cum anno ferè DCCC VI, *ſiquidem Rabano Diaconatus, quem anno Chriſti* DCCC I *ſuſcepit, anno ætatis* XXV *collatus eſt. Idem opus poſt aliquot annos Ludovico Auguſto nuncupavit, appoſita initio Imperatoris effigie. Id præſtitum aliquanto tempore poſt primam hujuſce operis editionem, colliga ex his Rabani verbis:* Nam libellum quem in honorem ſanctæ Crucis dudum proſâ, metroque compoſui, nunc tuæ ſerenitati ſupplex offero. *Eoſdem libros poſtea, rogatu (ut puto) Hilduini Abbatis, cui commentarios Regum dedicavit, etiam Monachis Dionyſianis miſit, commendavitque hoc carmine, quod in editis non exſtat, cui præmittitur hæc inſcriptio:* Dilectiſſimis in Chriſto Fratribus in Cœnobio ſancti Dionyſii Martyris conſtitutis RABANUS viliſſimus ſervorum Dei, æternam in Domino optat ſalutem.

Martyribus ſanctis placuit mihi mittere donum,
Tempore quod priſco verſibus edideram.
Nam crucis ad laudem Chriſti proſaque, metroque
Confeci librum mente, manuque ſimul.
Quem poſt Auguſto HLUDOWICO offerre placebat,
Sedi & apoſtolicæ mittere pòſt libuit.
Quod verba & ſenſum facundia rite probaret,
Urbis Romanæ dogma & apoſtolicum.
Et quia cum ſociis ſanctus Dionyſius olim
Inde eſt huc miſſus, ipſum opus ei dederam.
Quod Fratres ſancti accipiatis poſco libenter,
Pro artifice ac vili fundite quæſo preces.
Ut Deus omnipotens, cunctorum conditor almus,
Delicti veniam det pius ipſe ſuo.
Protegat inlæſum, totum & conſervet in ævum,
Ut cum fine bono hinc ſcandat ad alta poli.
Chriſtus vos ſalvet, Chriſtus conſervet ubique,
Semper in æternum, ut opto, valete bene.

Anno DCCC XIX *Rabanus jam Presbyter libros* de inſtitutione clericorum *obtulit Haiſtulfo Archiepiſcopo Maguntino, anno quo facta eſt eccleſiæ Fuldenſis dedicatio, ut conſtat ex carmine dictis libris præfixo, quod inter poëmatia Rabani editum eſt.*

Abbas

Abbas factus anno DCCC XXII, commentarios in Matthæum *&* homilias *quaſdam dedicavit eidem Haiſtulfo, qui obiit anno* DCCC XXVI. ANN CHR. DCCC LVI FEBR. IV.

Anno circà DCCC XXX explanationem in Octateuchum *ſubmiſit Freculfo Lexovienſi in Galliis Epiſcopo, qui eam ab ipſo litteris & precibus obtinuit.*

Anno DCCC XXXIV *ſcripſit Ludovico Auguſto* conſolatoriam epiſtolam, poſt calamitatem, quæ ei accidit ex parte filiorum ſuorum: *poſtea* collectarium ex ſententiis divinorum librorum, *de reverentia filiorum erga patres, & ſubditorum erga Reges. quod à V. C. Stephano Baluzio nuper editum eſſe dixi.*

Eodem ferè tempore librum Joſuæ *expoſuit* rogatu Friderici Epiſcopi *Trajectenſis ad Rhenum, anno* DCCC XXXIV *occiſi, præmiſſa ſequenti epiſtola dedicatoria, cujus fragmentum retulit Henſchenius, acceptum à Petro Franciſco Chiffletio Societatis* JESU *Presbytero erudito, à quo eam accepit noſter Acherius, cum ipſo commentario in tres libros diſtincto, qui in editis non exſtat. Epiſtola ejuſmodi eſt.*

DOMINO *beatiſſimo veraque caritatis officio plurimum venerando* FRIDURICO *Epiſcopo* RABANUS, *viliſſimus ſervorum Dei famulus, in Chriſto ſalutem.* Studium tuum ac diligentiam in ſacrarum Scripturarum meditatione, plures qui ſanctitatem tuam noverunt, laudant, & merito: quia aſſiduus es in lectione, & frequens in doctrina, prout ratio ordinis tui poſtulat, quem lucem mundi cum Apoſtolis Salvator nuncupat; ac de vero lumine inluſtratam lucernam ſuper candelabrum poſuit, ut luceas omnibus qui in domo Dei ſunt. Unde plurimi fratrum venerationem tuam colunt, atque colendo diligunt: nobiſque inde valde amabilis es, quòd non tantùm præſentes, ſed etiam abſentes fraterno provocas amore, ac ſalubri incitas exhortatione, ut legis Dei commune tecum exerceamus negotium. Nec abſurdum eſt quod facis, licèt nos ad hoc officium impares atque indigni ſimus, cùm ibi quæris ſacræ legis confirmationem, unde accepiſti Chriſtianæ religionis exordium. Sanctiſſimus ergo Antiſtes & beatiſſimus Chriſti Martyr Bonifacius gentem Freſonum, cui tua dilectio præeſt, non ſolùm verbo, ſed etiam ſanguinis ſui effuſione ad fidem Chriſti convertit. Unde rationabiliter agis, quòd ab illo miniſterii tui patrocinium quæris, à quo ordinis tui ac Sedis primam accepiſti functionem. Ideo quoque memoratus Martyr per famulum ſuum dignanter impendit quod ab illo quærebas ſolatium. Porrò quia lectionis divinæ à nobis petiſti ſolamen, direximus tibi codicem, quem ex ſanctorum Patrum dictis in hiſtoriam Jeſu Nave ſenſu allegorico prolatis collegeram. In quo opere, in aliquantis locis pro parvitate ſenſus noſtri, ubi neceſſe fuit, divina concedente gratia aliqua inſerueram: petens ut Fratrum qui tecum ſunt, utilitatibus illum accommodes, ut diſcant ex typo Jeſu Hiſtorici, myſterium veri JESU, Domini videlicet Salvatoris, qui ſanguine ſuo nos redemit; ac de infirmitate quâ peccatis noſtris exigentibus gravabamur, ſalvavit. Ante annos ergo aliquot, tractatum in Evangelio Matthæi, quem rogante bonæ memoriæ Haiſtulfo Archiepiſcopo confeceram, tibi ad reſcribendum accommodavi. Sed quia illum needum recipere potui, remunerationis vice præſens opus tranſmiſi, ut ſaltim hoc beneficio ammonitus, remittas fœnus quod acceperas. Lege diligenter Jeſum Nave, qui non ſolùm nomine, verùm etiam geſtis JESUM CHRISTUM typicè præfiguravit. Tranſiit Jordanem, hoſtium regna ſubvertit, diviſit terram victori populo, & per ſingulas urbes, viculos, montes atque confinia, Eccleſiæ, cæleſtiſque Jeruſalem ſpiritalia regna deſcripſit. Sicque cognoſcis ipſius libri textum evangelicæ lectioni concordare, quæ Domini Salvatoris oſtendit adventum, prædicationem, paſſionem, triumphum atque victoriam, qua mortem vincendo, cæleſtium, terreſtrium, atque infernorum adquiſivit ſibi dominationem: qui adſcendens in cælum, ſedenſque ad dexteram Patris, judex eſt venturus vivorum atque mortuorum, & ſecundùm Ju-

Ann Chr dccc lvi Febr. iv.

dæ Apoſtoli adteſtationem non ſolùm homines, ſed & Angelos judicaturus eſt: qui in epiſtola ſua ita ſcripſit, dicens: Commonere vos autem volo, „ ſcientes ſemel omnia, quoniam Jesus populum de terra Ægypti ſalvans, ſe- „ cundò eos qui non crediderunt, perdidit: Angelos verò qui non ſervaverunt „ ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in judicium diei ma- „ gni vinculis æternis ſub caligine reſervavit. De cujus diei certitudine primus „ Apoſtolorum Petrus nos in ſua Epiſtola inſtruit dicens: Unum verò hoc non „ lateat vos, cariſſimi, quia unus dies apud Deum ſicut mille anni, & mille „ anni ſicut dies unus. Non tardat Dominus promiſſis, ſed patienter agit pro- „ pter vos, nolens aliquem perire, ſed omnes ad pænitentiam reverti. Adveniet autem dies Domini ut fur; in quo cæli magno impetu tranſient, elementa verò calore ſolventur. Cùm hæc igitur diſſolvenda ſint omnia, quales oportet vos eſſe in ſanctis converſationibus & pietatibus, exſpectantes & propetantes diei Dei, per quam cæli ardentes ſolventur, & elementa ignis ardore tabeſcent? Novos verò cælos, & novam terram, & promiſſa ipſius exſpectamus, in quibus juſtitia habitat. Propter quod, cariſſimi, hæc exſpectantes, ſatagite immaculati & inviolati ei inveniri in pace, & Domini noſtri longanimitatem ſalutem arbitramini. Hujus ergo ſacratiſſimi adventus diem, ſancte Pater, ante oculos ſemper habe, tuoſque tecum in occurſum superni judicis præpara cum lampadibus bonorum operum lucentibus: quatenus ejus gratiam inveniens, cum his qui à dextris ejus ſtabunt, audire merearis: Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi. quod nos promiſſum tecum audire, donumque illud ſimul percipere ipſe concedat, qui nos à poteſtate tenebrarum eruere, & in regnum ſuum convocare dignatus eſt, Jesus-Christus Dominus noſter. Bene valere te cupimus, ſancte Pater, noſtrique memorem in ſacris orationibus fieri. Divinitas Domini noſtri Jesu-Christi vitam tuam conſervet in ævum.

Paullo pòſt, Humberto Wirtziburgenſi Epiſcopo rogante, explanavit libros Judicum & Ruth; *tum* libros Regum *petente Hilduino Abbate: quam expoſitionem Ludovico Auguſto Fuldæ obtulit. nec ita longè pòſt Ludovico Regi tranſmiſit commentationes* in libros Paralipomenon.

Circiter annum dccc xxxvi *Juditha Auguſtæ, poſtquam* hoſtes ſuos non parva ex parte vicerat, *dicavit ſcriptionem ſuam* in libros *Judith & Eſther, cujus præfatio necdum typis vulgata, quam beneficio ejuſdem doctiſſimi viri Petri Franciſci Chifletii accepimus, hîc reddenda eſt ex codicibus Benigniano & Fontanenſi.*

D*ominæ electæ, & merito magnæ pietatis ab omnibus venerandæ atque amandæ,* Judith *Auguſtæ, H Rabanus ſervorum Dei ſervus, æternam in Chriſto ſupplex optat ſalutem.* Cùm celſitudo magnitudinis veſtræ, atque largitio benignitatis, quæ non ſolùm amicis, ſed etiam inimicis, ab ipſius Domini ore inſtructa, prodeſſe didicit, plurimos faciat ſibi devotos; nos etiam quantulacumque pars plebis à Deo vobis commiſſæ, ſub pietate veſtra degentes, devotum cogitamus vobis exhibere obſequium. Qui licèt non ſimus cenſu pretioſarum opum locupletes, tamen ſtudio ſacrarum orationum non ſumus omnino vacui, quas inceſſanter quotidie pro vobis, veſtroque domino ſimul ac ſobole offerimus: deprecantes ut ipſius dono diu hîc incolumes, & in futura vita ſemper ſitis felices atque gaudentes. De cætero, quia vos comperi laudabili excellere ingenio, & ſanctarum mulierum quas ſacra Scriptura commemorat, virtutes ac ſtudium in bono opere imitari; non fruſtra arbitratus ſum, quarumdam illarum hiſtoriam, allegorico ſenſu ad ſanctæ Eccleſiæ myſterium à nobis tranſlatam, veſtro nomini dicare atque tranſmittere; Judith videlicet, atque Heſter: quarum unam coæquatis nomine, alteram dignitate. Quæ quidem ob inſigne meritum virtutis, tam viris quàm etiam fe-

minis ſunt imitabiles, eo quòd ſpiritales hoſtes animi vigore, & corporales conſilii maturitare vicerunt. Sic & veſtra nunc laudabilis prudentia, quæ jam hoſtes ſuos non parva ex parte vicerat; ſi in bono cœpto perſeverare, atque ſemetipſam ſemper meliorare contenderit, cunctos adverſarios ſuos feliciter ſuperabit. Adhuc ergo in agone conſiſtitis: ac ideo neceſſe eſt divinum implorare auxilium, ut qui ſuo ſanguine mortem vicerat, mortiſque auctorem captivaverat, in certamine iſtius mundi veram vobis victoriam pariat; ſicque veraciter triumphantes, ad æternæ beatitudinis gaudia vos pervenire concedat. Accipite ergo Judith homonymam veſtram, caſtitatis exemplar, & triumphali laude perpetuis eam præconiis declarate: ipſumque ſuper omnia benedicite, qui ei virtutem talem tribuit, ut invictum omnibus hominibus vinceret, inſuperabilem ſuperaret. Heſter quoque ſimiliter Reginam Regina, in omni pietatis & ſanctitatis actione imitabilem, vobis ante oculos cordis ſemper ponite; quatinus illius ſanctitatis meritum adæquântes, de terreno regno ad cæleſtis regni apicem conſcendere valeatis: per ipſius ſcilicet gratiam, qui illas ſanctas mulieres triumphare fecerat, & univerſam Eccleſiam ſuam, quam ipſæ typo præferebant, perpetuâ victoriâ triumphantem, cæleſtis patriæ ſecum efficiat poſſeſſorem, JESUS videlicet Deus & Dominus noſter, qui vos intus & foris, hic & ubique, nunc & ſemper cuſtodire dignetur. Optamus vos bene valere, domina Auguſta, memorem noſtri.

Ann. Chr. DCCC LVI Febr. IV.

Poſtea explanationem in libros Maccabæorum *Geroldo Archidiacono palatii Ludovici Imperatoris nuncupavit ante annum* DCCC XL. *tum* expoſitionem in Sapientiam & Eccleſiaſticum *Otgario Maguntino Pontifici; &* epiſtolam ad Notingum *Veronenſem Epiſcopum ante mortem Ludovici Imperatoris ſcripſit.*

Poſt annum DCCC XL, *mortuo Ludovico Auguſto*, libros in Hieremiam *obtulit Lothario Imperatori: quos Hartmotus Decanus Sancti-Gallenſis ſcribi curavit, referente Ratperto in cap. 9.*

Anno DCCC XLII *ineunte* collectarium in epiſtolas Pauli *tranſmiſit Lupo, poſt Abbati Ferrarienſi, qui nuper ex ſchola Fuldenſi in Galliam redierat, ex dictis. quo ferè tempore* commentaria in Ezechielem *Lothario Auguſto inſcripſit; & Otgario Archiepiſcopo* librum pœnitentialem, *in cujus capite 15 meminit pugnæ Fontanetica, quæ inter filios Ludovici Auguſti commiſſa eſt anno* DCCC XLI. *Ad idem etiam tempus revocanda eſt* epiſtola de Chorepiſcopis *ad Drogonem Mettenſem Epiſcopum. item epiſtola ad Regimboldum Chorepiſcopum Moguntinum de quibuſdam quæſtiunculis pœnitentiæ.*

Eodem etiam tempore explicavit librum Danielis *Prophetæ, rogantibus amicis, ſuamque hac de re lucubrationem poſtea inſcripſit Ludovico Germaniæ Regi: cui item* expoſitionem in Cantica, quæ ad matutinas per ſeptimanam leguntur, *nuncupavit.*

Anno circà DCCC XLIV, *tempore ſcilicet vacationis à regimine abbatiali,* libros XXII de Univerſo *condidit in gratiam Hemmonis Epiſcopi Halberſtatenſis. quod opus itidem Ludovico Regi petenti ſubmiſit cum epiſtola etiamnunc ei præfixa.*

Anno DCCC XLVII *ſcripſit Archiepiſcopus* epiſtolam ad Heberardum Comitem *contra Goteſcalcum, quæ in editione Ughelli data dicitur* x Kal. Maii.

Item eodem anno DCCC XLVII *Concilii Mogontiacenſis* canones *Ludovico Regi datâ epiſtolâ obtulit.*

Anno ſequenti habita Synodo contra Goteſcalcum ſcripſit de eo epiſtolam ad Hincmarum Remenſem Epiſcopum, cui Goteſcalcum remiſit: & poſt aliquot annos aliam itidem de eodem typis à Sirmondo vulgatam direxit. Ad hunc etiam annum, quo Ludovicus Rex Mogontiaci placitum habuiſſe perhibetur in Annalibus Fuldenſibus, revocandam exiſtimo Rabani epiſtolam ad Regimbaldum Chorepiſcopum de pœnitentialibus factis, in nova Conciliorum editione tomo 8 editam, in qua reſponſi ſui moras excuſat ex eo, quòd ad Ludovici Regis ſuſceptionem fuiſſet occupatus.

Ann Chr. DCCC LVI Febr. IV. *Denique poſt annum* DCCC LIII *ſcripſit* epiſtolam ad Egilum *Abbatem Prumienſem: cujus epiſtolæ mentionem facit in epiſtola poſt ab eo miſſa ad Heribaldum Epiſcopum Autiſiodorenſem. Notitiam temporis, quo utraque hæc epiſtola ſcripta eſt, debemus diligentiæ eruditiſſimi viri Stephani Baluzii, qui eam ſecundis typis vulgavit cum accurata hac de re præfatione: ubi obſervavit, Egilum ſeu Eigilem, ad quem jam Abbatem Prumienſem prior ex his duabus epiſtolis ſcripta eſt, hanc dignitatem iniiſſe anno* DCCC. LIII, *uti etiam in ejus Elogio demonſtrabo inferiùs. Porro in poſteriori ad Heribaldum, quæ à Reginone, Ivone & Gratiano in collectionibus canonum citatur ſub nomine epiſtolæ Rabani; mentio fit epiſtolæ ad Egilonem Abbatem. ac proinde epiſtola ad Heribaldum, qui* liber pænitentialis *apud Stevartium inſcribitur, aliquanto tempore poſt aliam ad Eigilem ſcripta eſt, ac fortaſſe poſtrema operum B. Rabani, quæ quidem habemus. Adamus Bremenſis Canonicus in hiſtoria eccleſiaſtica cap.* XXII *mentionem facit* capituli Rabani de fama Ebonis ambigua. *quod capitulum poſtremum exſtat in epiſtola ad Heribaldum. Hæc ſunt quæ de Rabani ſcriptis obſervare potui, alia aliorum diligentiæ permitto.*

50. Supereſt, ut examinemus hoc loco nonnulla, quæ in Rabani ſcriptis animadverſione digna nonnullis fortaſſe videantur. Unum eſt, quòd in epiſtola ſeu libro pænitentiali ad Heribaldum, Euchariſtiam ſeceſſui obnoxiam ſubobſcurè dicat, negetque in eo ſacramento contineri idem Chriſti corpus, quod natum eſt de Maria Virgine. quod poſtremum diſertè aſſeruit in epiſtola ad Egilonem Abbatem. Verùm quodcumque illud utrumque eſt, Rabanum ab omni errore hac in re immunem fuiſſe contendunt viri eruditi, qui de Euchariſtia tractavere. Lege hujus tomi Præfationem.

51. Alius etiam locus eſt apud Rabanum in lib. 4 de Univerſo cap. 10, in quem forſan itidem animadverti poſſit, ubi ait: Nullum catechumenum, quamvis in bonis operibus defunctum, vitam æternam habere credamus, excepto martyrio, ubi tota baptiſmi ſacramenta complentur. *Eamdem ſententiam habet Chiffletiana Confeſſio Alcuini, à quo præceptore haud ſcio an Rabanus hanc doctrinam acceperat. Huic obſtat Auguſtinus lib. Quæſtionum in Leviticum cap. 84, ubi* inviſibilem ſanctificationem quibuſdam adfuiſſe, atque profuiſſe ſine viſibilibus ſacramentis, *probat exemplo Cornelii & aliorum. Et lib. 4 de baptiſmo contra Donatiſtas, poſtquam multa hac de re diſſeruit, cap. 22. ſic concludit:* Tunc impletur inviſibiliter *baptiſmus*, cùm myſterium baptiſmi non contemtus religionis, ſed articulus neceſſitatis excludit. *Conſentit Ambroſius in concione funebri de obitu Valentiniani junioris, ubi non dubitanter aſſerit, ipſum, etſi ante ſuſceptum baptiſma deceſſerit; accepiſſe gratiam, quam popoſcerat, atque deſideraverat. Hinc præclarè de eo ſcribit in hunc modum:* Qui habuit ſpiritum tuum, quomodo non accepit gratiam tuam? aut ſi, quia ſollemniter non ſunt celebrata myſteria, hoc movet: ergo nec Martyres, ſi catechumeni fuerint, coronentur. non enim coronantur, ſi non initiantur. Quòd ſi ſuo abluuntur ſanguine; & hunc ſua pietas abluit, & voluntas. *Itaque ex Ambroſii & Auguſtini ſententia, non ſolis catechumenis martyrio affectis ad ſalutem prodeſt voluntas ſuſcipiendi baptiſmi; ſed etiam iis, qui hujus ſacramenti gratiam ſincero ac fervEnti animo popoſcerunt, ac deſiderarunt; nec ab eo ſuſcipiendo revocati ſunt ex negligentia, ſed ex diſpenſatione divina. Idem validè ac diſertè propugnavit S. Bernardus in epiſtola 77 ſeu tractatu ad Hugonem de S. Victore, adductis Auguſtini & Ambroſii teſtimoniis adverſus quemdam ſecus ſentientem. At oppoſitum invenio apud Auguſtinum ipſum in ſermone 20 de verbis Apoſtoli cap. 6, ubi expendens,* quare *duobus catechumenis, uno probo, altero improbo,* iſte adductus eſt à gubernatione Dei, ut baptizaretur: ille autem, cùm bene catechumenus vixerit, ſubitâ ruinâ mortuus eſt, & ad baptiſmum non pervenit; *hoc unum reſpondet.* Quære merita, non invenies, niſi pœnam: quære gratiam, ô altitudo divitiarum! *Hinc apparet, Auguſtinum ſenſiſſe hoc loco, bono illi catechumeno, quòd ab baptiſmi gratiam non pervenit, deputari ad pœnam, nec bonos mores ad ſalutem profuiſſe. Quod*

Ann. Chr. DCCC LVI Febr. IV.

unum Rabanus & Alcuinus fortaſſe docuerint. tametſi cum Ambroſio & Auguſtino alio in loco admiſerint, bonis catechumenis, qui magna ac perfecta caritate baptiſmi gratiam deſideraverint, non obeſſe quòd rapti ſint ante ſuſcepta myſteria: ſecus ſi remiſſâ, quamvis bonis operibus præditi fuerint. Quamquam omnes univerſim catechumenos ſine redemtione baptiſmi defunctos, *ſacra oblatione & Eccleſia ſuffragiis privat Concilium Bracarenſe ſecundum cap. 17.*

52. Denique nonnulli vitio vertunt Rabano, quòd Goteſcalcum ejuſque doctrinam damnaverit. At ex oppoſito ſunt, qui Rabani factum hac in parte probent. Sanè ipſum rectè ſenſiſſe de prædeſtinatione conſtat ex ejus epiſtolis ſuperiùs laudatis: atque etiamſi Goteſcalci ſententiam itidem rectam fuiſſe concedamus; non immeritò tamen repreſſus à Rabano eſt. tum quia prædicationis officium in ejus provincia temere uſurpavit: tum quia nimis quàm pertinaciter vocabulo prædeſtinationis in ſequiorem partem abuti credebatur cum populi offenſa, quo in ſenſu hæc vox rariùs à Patribus ſumitur. Hæc fuſiùs in hujuſce tomi Præfatione. Jam ſatis de Rabano.

DE TRANSLATIONE SS. MARTYRUM

GEORGII MONACHI, AURELII, ET NATHALIÆ,

Ann. Chr. DCCCLVIII Oct. XX.

EX URBE CORDUBA PARISIOS,

Auctore AIMOINO, Monacho S. Germani à Pratis, ex num. 3.

Ex codice mſ. pervetuſto S. Germani apud Pariſios, n°. 653.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. AIMOINUS *Monachus Cœnobii S. Germani apud Pariſios, cuius libros de miraculis S. Germani Pariſienſis Epiſcopi alias retulimus, hiſtoriam tranſlationis ſanctorum Martyrum* GEORGII *Diaconi & Bethleemitæ Monachi,* AURELII, *&* NATHALIÆ *ejus conjugis, litteris mandavit uno libro, cui duos de eorumdem miraculis in tranſlatione factis adjecit. Hos libros multis in locis mutilos edidit Jacobus Brolius ejuſdem Monaſterii Cœnobita, quos hic integros ex veteri codice, qui Auctoris ætate ſcriptus eſt, repræſentare viſum eſt.* Aimoinus auctor hujus narrationis.

2. *Horum Martyrum acta S. Eulogius Presbyter Cordubenſis deſcripſit in Memorialis lib. 2 cap. 10, ubi Nathaliam* Sabigothonem *appellat. Hæc cum Aurelio viro ſuo facultates ſuas diſtribuit in pauperes, amboque* virorum ac mulierum Monaſteria viſitare ſolebant, ſed præcipuè Tabanenſe, quod famoſiſſimum in illis partibus habebatur, utrique ſexui aptum. *Eò frequens recipiebat ſe Nathalia, quæ filias duas, Felicitatem & Mariam, ibidem Deo tradidit. Maria poſtea rogatu Eulogius Aurelii & Nathaliæ ejus parentum paſſionem retulit, quam Aimoinus, ut puto, in compendium redegit ſub Eulogii nomine, qualis in mſ. noſtro codice habetur. His duobus, id eſt Aurelio & Nathaliæ, ſocius acceſſit Georgius Monachus Bethleemiticus, qui* ab adoleſcentia ſua ſervitutem Dei amplectens, viginti & ſeptem annis apud Monaſterium ſancti Sabæ, quod ab Jeroſolymis in partem auſtralem octo milibus diſparatur, ſub regulari magiſterio cum quingentis Fratribus converſatus eſt. Is à venerabili DAVID Abbate ejuſdem Cœnobii ob ſtipendium Monachorum in Africam directus, cùm ibidem vapulare Dei Eccleſiam incurſatione tyrannorum repeririſſet, cum conſilio Carthaginenſis Epiſcopi in Hiſpaniam profectus eſt. *Dein Cordubam adveniens, poſtea perrexit ad* Tabanenſe Cœnobium, quatinus Fratrum & ſanctarum Soro- Eulogius paſſionis ſcriptor.

Ann. Chr. DCCC LVIII Oct. XX.

rum ibidem degentium benedictione *in redeundo (nam reditum in patriam parabat) muniretur. ubi* Abbas loci illius, vocabulo MARTINUS, ejuſque ſoror Deo dicata HELIZABETH *cum Nathalia exhibuerant, cum qua die ſequenti Cordabam reverſus eſt. Demum cum illis, ac Felice, necnon & Lilioſa comprehenſus, gladio unà cum iiſdem anno* DCCC LII *interemtus eſt: quorum corpora variis in locis ſepulta ſunt, & quidem Georgii & Aurelii in Cœnobio Pinnamellari, quo ex loco hæc tranſlatio facta eſt. Tranſlationis ſeriem reſcivit Aimoinus ab Uſuardo & Odilardo Monachis Germanenſibus ejus auctoribus: ex quibus Uſuardus ipſe eſt Martyrologii ſcriptor. Miracula facta apud Acmantum (quæ villa eſt diœceſis Senonica Cœnobio S. Germani ſubjecta, quo tunc Germanenſes ob metum Nortmannorum cum ſancti Germani corpore confugerant) ſuis ipſe oculis contemplatus eſt Aimoinus ex lib. 3 capp. 16 & 29. Hujus tranſlationis mentionem faciunt Annales Bertinani ad annum* DCCC LVIII *his verbis.* Quidam Monachus ex Monaſterio S. Vincentii Martyris vel S. Germani Confeſſoris à Corduba civitate Hiſpaniæ rediens, corpora beatorum Martyrum Georgii Diaconi & Aurelii, caputque Nathaliæ ſecum detulit, atque in villa Acmanto in loculis ſervanda collocavit. *Hæ reliquiæ hactenus penes nos in Cœnobio S. Germani adſervantur.*

INCIPIT PRÆFATIO TRANSLATIONIS ſanctorum Cordubenſium Martyrum Georgii atque Aurelii.

1. SI miraculorum cuncta quæ Deus & Dominus omnium Fidelibus ſuis facere contulit, impoſſibile eſt verbis explicari; multotiens ſanè apicibus comprehendi creditur & ſuper operoſum, teſtante Apoſtolo & Evangeliſta Johanne, hæc univerſa velle perſtringi, qui multa quidem & alia ſigna JESUM feciſſe in conſpectu diſcipulorum ſuorum aſſerit, quæ non ſunt ſcripta in libro Evangelii. ſed quoniam quæ credulitatis & vitæ æternæ ſunt, illic inſerta eſſe perhibentur, delictum putatur, ſi omnia Sanctorum opera miraculis florida ſilentio contegantur, ac ſi divinæ eruditionis ſpecula avaræ taciturnitatis nube obſcurentur. Idcirco ad ſanctorum Martyrum GEORGII atque AURELII tranſlationis actus explanandos, licèt immeritus, uti laborans in domo, meritò tamen acceſſi rogatus, quo domeſticis animalibus Chriſtum fide portantibus vel ramos in via ſubſternere poſſem. Neque præſumptione vel temeritate ſophiſtica, ſed Scriptorum magis canonicorum imitabili provocatus exemplo & reverendis Patrum monitis eum dulciſſimis adductus imperiis, quibus uſquequaque reſiſterè multimoda mihi indagatione nefas inelaruit. Adtollitur & divina cooperatrix majeſtas perſonante grege divino, & cum Pſalmiſta dicente, *Mirabilis Deus in Sanctis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis*; ſi ea recenſentur acta, quibus ſancti amici Dei poſt triumphalem etiam carnis exitum, laudabili virtute radiaſſe probantur, qui & eos poſt momentanea paſſionum bella, veluti qui in cæleſtis militiæ caſtris deſudarunt, perpetuæ conſolationis præmiis munerans præſtat quatinus victoriali redimiti bravio ſe ibi eſſe quo idem eſt, ſempiterna amœnitate jocundi lætentur.

INCIPIT TRANSLATIO eorumdem ſanctorum Martyrum, quæ celebratur XIII Kal. Novembris, ſeu liber primus Tranſlationis.

2. AGENTE Incarnationis Domini noſtri JESU-CHRISTI annorum curſu octingenteſimo quinquageſimo octavo, regni verò CAROLI, glorioſi HLudovici Imperatoris filii, duodevigeſimo, ſanctorum Martyrum corpora Georgii atque Aurelii educta Cordubâ, memorabili ordine Galliis ſunt invecta. Nam apud Monaſterium ſanctæ Crucis beatique Vincentii Martyris, ubi pretioſus Confeſſor Dei ſanctus Germanus Pariſiorum Pontifex virtutum fulget honore, pervulgatum eſt quòd ejuſdem ſancti Martyris & Levitæ corpus à Valentia, in qua paſſus eſt, civitate facilè poſſet haberi, propter videlicet miſerabilem ipſius civitatis à Sarracenis vel Mauris factam deſolationem: ex quo prædicti Monaſterii noſtri Fratres, cum favore & animo Domni Abbatis HILDOINI ſecundi ordinant, regali etiam auctoritate percepta, quos illuc dirigerent, anhelantes tantum tamque diu deſideratum pignus ad ſe, Chriſto largiente, tranſponere.

anno 858, — Hilduino cum Rege procurante,

3. Aſſumptoque itinere, ad HUNFRIDUM Marchionem Gotiæ*, illis tunc in partibus principantem, miſſi Fratres [a] venerunt, cujus adjuti auxilio ad hoc pium proficiſci debebant negotium. Quos cùm ille in pago Belnenſi* ſibi præſentatos more Primatum nobiliter excepiſſet ſuæ inde promiſſionis haud immemor; mox de illorum adventûs cauſa, quomodo qualiterque fieri deberet, ſuos advocans, diligenter tractare cœpit. Inter quos quidam ejuſdem viæ loca hujuſmodi fatebantur importunitatibus paſſim præpedita, quatinus nec magno comitatu quiſquam vallatos illud iter ſecurè aggredi valeret. Contrà verò noſtri nitentes, ac illud Apoſtoli ponentes, *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* necnon & illud, *Per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem*; pariter inde cum ipſis pergentes, ingrediuntur aliquando pagum Uzecenſem*, ubi ab Epiſcopo viro religioſo nomine WALEFRIDO comperiunt (quod Vivarias* quoque civitate jam audierant) corpus memorati almi Vincentii Martyris à ſuprà dicta urbe Valentia Beneventum eſſe tranſmiſſum. quod quidem aliter erat. Nam cuidam in Aquitaniæ finibus Monacho (qui divina revelatione monitus, ut nobis ipſe narravit, Valentiam properans, illud ab inde ſecum detulerat) à SENIORA [b] Cæſarauguſtæ* civitatis Epiſcopo per vim ſublatum, apud eamdem Cæſarauguſtam ſub reverentia cujuſdam Marini Martyris non modicæ venerationis miraculis præfulgens habebatur. Hoc ei nomen profeſſus Monachus fuerat: neque ab eo etiam tormentis affecto, nomen propriom Vincentii Epiſcopus extorquere prævaluit. Sciebat autem eum ejuſdem civitatis Archidiaconom fuiſſe: ideo illum Epiſcopo cariorem, ſibi verò metuebat inrecuperabilem. Quocirca noſtros, æquè ut Epiſcopum, quod præſens ejus ſanctum corpus illic eſſet, omnimodis latoit. Æſtimabatur enim Marinus præclari apud eos meriti Martyr. Illud tamen certò ſcierunt, quòd jam nullomodo Valentiæ haberetur. Sed qualiter id actum ſit, & quomodo à Monachis Monaſterii beati Benedicti Albienſis poſt annos receptum, atque ad eumdem locum tranſlatum fuerit; in ejuſdem ſancti Levitæ & Martyris tranſlatione à nobis [c] quoque digeſtum ſufficienti narratione videri poterit.

ANN. CHR. DCCCLVIII. OCT. XX. mittuntur qui ex Hiſpania S. Vincentii corpus exquirant. * l. Languedoc * de Beaune * d'Uzès * Viviers Ablatum diſcunt. * Saragoſſe.

4. Indolebant utique noſtri anxiè conlacrimantes, tanto itineris ſpatio elaborato, ſe vacuos rediturus. cujus mæſtitiæ morbo, dum apud Barcinonem* caſtrum morantes (ut ſic eorum verbis eloquar) diutino quaſi languore demolirentur, neque ſuper hoc quidem conſultius arbitrari oporteret, ſecum deliberare poſſent; adeunt noviſſimè quemdam ſibi familiarem virum, nomine SUNIFRIDUM, ejuſdem civitatis poſt Comitem primum [d], cum de hac ratione quemadmodum ſibi neceſſarium duxerant, ſuppliciter conſulentes. Et quia nullo modo propter quod venerant, beati Vincentii corpus adipiſci valebant; fatentur ſe decreviſſe alicujus Sanctorum membra, quem & actio commendaret & paſſio, perquirere, ſecumque, ne inanes redirent, ad locum deferre ſatagere.

De alio Sancti corpore tractant. * Barcelone Sunifredus Comes Barcinonis primus.

5. Interea contigit, ut idem Sunifridus de enormi Fidelium interfectione, ſub ABDIRAMÆ Regis Cordubæ perſecutione nuper facta ſermonem ſumeret, exponens eorum quoſdam & maximè quos tenemus Georgiom atque Aurelium, ea ipſa tempeſtate nobiliter paſſos, ac ſanguine triumphali acie paſſionis coruſcante, magnificè laureatos, æterni Regis palatium victorioſè ſubiiſſe. Ad quod, inquiens, ſi ullatenus (quod non credebatur) evadere poſſent, iter proſperum ſe ſumſiſſe, felici eventu confiderent. Qua relatione noſtri ſuſcepta, ita gaudiis exhilarantur immenſis, ac ſi jam optatis potirentur profectibus; neque hoc ſibi niſi cælitus relatum fuiſſe credebant. Eorum ardet animos, atque illuc eundi, cita feſtinatione curſus diſponitor. Hujus planè fervor amoris, poſthabita prioris mæſtitiæ amaritudine, (tantos illorum deſiderus excreverat) quo nullo modo nomen Cordubæ (ut ipſi teſtantes aiebant) vel audire, vel nominare poſſent, abſque ſocia interdum lacrimarum effuſione. Divinitatis namque reſpectu animæquiores ſe factos eſſe gaudebant.

S. Georgii & S. Aurelii reliquiis comparandis dant operam,

6. Proinde USUARDUS pater (nam eorum alter ODILARDUS vocitabatur) ATHAULFUM ejuſdem Barcinonis Epiſcopum, atque SUNIFRIDUM præfatum aggreditur virum, eis conceptum animi ſecretum aperientes, quod minimè quieſcerent, donec Cordubam uſque perrumperent, ſi eis Dominus vel quandoque largitatis manom dignaretur porrigere. illi audientes omnino expavere mirantes: & quòd id fieri nequaquam poſſit, cauſas impoſſibilitatis inferendo, & etiam proteſtando aſſerebant. Dicebat & Sunifridus eorum ſe perditorem, cujus verbis ad hoc accenſi percurrerent. Sed cùm non eos ab hac mentis determinatione avocare poſſent; Timemus, inquiunt, vobis. Ingreſſum tamen eis liberiorem Cordubæ, & ad quem maximè illic declinare, ſeu apud quem tutiùs commorari deberent, ſi fortè eo pertingeretur, LEOVIGILDUM ſibi amicum, non illum parricidam Viſigotho-

nequicquam diſſuadentibus amicis, à quibus litteras accipiunt.

[a] Scilicet Uſuardus Pater & Odilardus, infrà num. 6.
[b] Seniorem hunc laudat Eulogius in epiſtola ad Vviliſindum Pampilonenſem Epiſcopum.
[c] Hinc apparet præſentis hiſtoriæ ſcriptorem eſſe Aimoinum, tametſi nomen ejus in codice mſ. non extat, quandoquidem is eſt auctor librorum de tranſlatione S. Vincentii in Caſtrenſe Monaſterium, quos in ſuperiori tomo retuli.
[d] Sunifridus hic primus Barcinonis civis poſt Comitem, qui HUNFRIDUS dicitur num. 6.

ANN. CHR. DCCCLVIII OCT. XX.

rum Regem Arrianum, ſed virum Chriſtianis legibus ſanctiſque moribus eruditum, inſinuant. Cumque hoc ita præfixum jam dicto Comiti HUNFRIDO ex ordine intimatum fuiſſet, componitur, ipſo jubente, epiſtola ad Magnatem Cæſarauguſtæ, vocabulo ABDILUVAR, quatinus memor inter ſe juncti fœderis, eos de quibus loquimur, fratres penes ſe degentes ſervaret, indeque pergendi Cordubam, quantumcumque poſſet, ſolamen præberet. Sic poſt emenſum, ſuperna opitulante clementia, prolixi nimiumque laborioſi itineris trâmitem offeruntur unà cum directa epiſtola ſuprà ſcripto Principi Abdiluvar, qui interprete advocato lectore, dum rem cognoſcit familiarem, parat, quamvis barbarus, religioſè amicis obedire mandatis; juberque illos in civitate manere uſque ad tempus inde conſilii. Non enim id ei perficere ſtatim facultas ſinebat, multis ſibi ad præſens diverſiſque impoſſibilitatibus denegata.

Cordubam pergunt.

7. Poſt hæc accidit, (quod minimè in circuli octo & eo amplius annorum volubilitate provenerat) quatinus aliqui Cæſarauguſtani viſa proficiſcendi occaſione Cordubam inde perrectum ire diſponerent. Quod ſciens memoratus Princeps Abdiluvar, eos continuò ad ſui præſentiam venire rogavit, imperatque poſtulans, ut fidei ſuæ creditos homines, Cordubam ſecum euntes, civili affectione ſervarent: gratiam proinde à ſe ac mercedis debitam remunerationem ſperantes. Quibus ab urbe ſimul exeuntibus noſtros quidam Chriſtianorum veluti exſilio damnatos, lacrimabundi proſequuntur, bonum eſſe hortantes, ut ſpem ſuam illi dicarent, qui non dat fluctuationem juſto, & qui omnibus ſe invocantibus in veritate ſemper præſtò eſt, novitque benigniſſimus potiora quàm petantur, vel ſperentur, donarè. Itaque pariter cœptum legentes iter, quibus quantiſque in via anguſtiati fuerint periculis, quibuſque neceſſitatibus comitati, quoniam perlongum eſt dicere, aggreſſum æquè librantes curſum, citiùs tranſſilire ſtatuimus: nec nobis, licèt ſtopenda, utpote admirationis plena, dici poſſint, à propoſito narrationis compendio deviare contingat.

Ibi eccleſiā S. Cypriani adeunt.

8. Poſt multos igitur exactos dies veniunt, JESU prævio, innumeris mundanorum fluctuum eruti procellis, Cordubam, quò tendebatur, ad urbem. Pergunt illi duo ad eccleſiam beati magnique teſtis Cypriani, in qua ſanctorum Martyrum corpora ADOLFI & JOHANNIS tumulata quieſcunt. Et hoc ſollicita conſideratione juxta illud dominicum: *Primùm quærite regnum Dei & juſtitiam ejus, & reliqua omnia adjicientur vobis.* Nam famulos illamque ſupellectilem, partim Barcinonè, partim verò Cæſarauguſtæ, ſoli euntes reliquerant. Ubi à quodam Diacono ejuſdem loci primario, nomine Hieronymo, pia devotione recepti, manſerunt ibi: evolatque percurrens fama, quoſdam illuc ex Francia adventaſſe divulgans. Fit conventus certatim Fidelium, eos miro ſeu incredibili affectu venerantium, qui tantam eorum obſtupeſcentes conſtantiam, ineffabilem circa illos Omnipotentis pariter admirabantur clementiam. Adfuit & præfatus LEOVIGILDUS, cognomento ABADSOLOMES, cujus à ſupradictis ſibi familiaribus viris, Athaulfo, inquam, Epiſcopo & Sunifrido, nominis tantùm & religionis notitiam perceperant. Is illorum adventûs cauſam ſcrutari, ac juxta ſui nominis manifeſtam etymologiam perquirere vigilantiùs curavit. Cumque amicorum valere, atque notitiarum ei verba ſecretiùs retexiſſent, & quod idem eſſet, cui ſe omnimodis credere oporteret, Dei manifeſta diſpoſitione in brevi pervidiſſent; ſeſe illi ſuamque mentem, multiplices Chriſto gratias agentes, aperiunt. Suſcipitur arcanum, manetque intra viri pectus ſepultum. inde verò congruus quæſitæ rei præſtolatur eventus: ipſique ſob ejus interim tutela, commodis aluntur ſubſidiis.

Leovigildo ſecretum pandunt.

Samſoni Preſbytero res committitur.

9. Denique poſt aliquot dierum ſpatia prædictus Abadſolomes, quodam ejuſdem civitatis Preſbytero bonæ indolis, vocabulo SAMSON, adſcito, ſollicitè cum ipſo indagare cœpit, qualiter veluti ſuæ providentiæ à Deo (ut certè putabatur) delegatum opus perficere poſſit. Procurabat itaque, quatinus eis ad votum, nobilis triumphi palma, Sanctorum corpora inſignita darentur; qui tot terrarum terminis fidei calore tranſcurſis ſe propter hoc capeſſendum emerſerant: compatiebatur equidem eorum & animis, & longo ſatis itineri; nec obliviſcebantur amicorum Athaulfi Epiſcopi, ac honorabilis viri Sunifridi, multas ei preces ſuper hoc delegantium. Unde clauſtris arcani Sacerdoti retectis, beatorum reliquias Georgii Bethleemitæ Monachi atque Aurelii Cordubenſis viri popularis, ſi tamen poſſe præſtaret, utriſque ſumere libet, quorum animas felici bello decoras ad cælos Martyrum ſociandas collegio tranſiſſe, pulcherrimo paſſionis eorum textu firmante didicerant: quam memorabilis & Deo dignus Sacerdos EULOGIUS, qui & ipſe poſtea glorioſo donatus martyrio, Regem Chriſtom conſummatus miles ovando petivit, veraci relatione, plurimis (ut ipſe noſtris retulit) prætermiſſis, litteris informavit.

qui Abbas Pennamellaris,

10. Dum hæc revolvuntur, divinitus, quod ſine dubio fatendum eſt, contigit, ut memoratus SAMSON Preſbyter eidem loco vocabulo Pennamellari, quo eorum corpora ſanctorum Martyrum tumulata jacebant, quodque diſparabatur à civitate plus minus miliariis quinque, Abbas præficeretur. Et ecce quaſi parta facilitate, à Leovigildo evocatus unanimes deliberant, quia tempus aderat locuſque patens, rem optatam ad effectus culmen

Chriſto

Ann Chr. DCCCLVIII Oct. xx.

Monachos habet repugnantes.

Chriſto faveote perducere. Cumque diutiſſimè aliquibus etiam locis ibi Fratribus aſſociatis, ut fieret, conſulendo inſiſterent; reperiunt ceteros ita ſuis adverſos cooatibus, quòd hoc nullatenus conceli poſſe triſtes exiſtimarent. Importunè tamen agentes, & quod boc ut beatorum Martyrum corpora celebriori cultu haberentur, quæreretur multis argumentationibus inculcantes, id tandem fieri communi deliberatione omnibus placuit, taotùm ut aſſenſus, (veluti decebat, & factum eſt) proprii daretur Epiſcopi. Sanctorum verò corpora, dum tempus revertendi veniret, eodem in loco ſub hac conceſſione, ut erant, jacuerunt humata. Proinde quid eis difficultatis tempore egreſſionis ab urbe, de qua nonniſi multo freti ſolatio exire audebant, ingruerit, reor eſſe dicendum.

Bellum Mahumedis.

Saül Epiſcopus Cordubenſis noſtris favet.

11. Rex ſiquidem ejuſdem Cordubæ Saracenorum primæ egregiæque civitatis Mahomath adverſus Toletanæ urbis tyrannum ſuis rebellem decretis hoſtiliter properans, juſſit omnes adeſſe. Er ne vel civis vel peregrinus, exceptâ cuſtodiâ, qui ſecum non iret, in civitate remaneret, publicis imperat edictis. Interea prædicti Fratres noſtri, cùm de conceſſis Martyrum corporibus (quoniam exeundi locus ab urbe patebat) effari Monachis ſupranominati loci Pennamellaris cœpiſſent, ipſi rurſus nihil ſe ex hoc facturos penitus denegant, maximè Abbatis ſui venerabilis Samſon abſente præſentia. Contigerat enim illum abeſſe: quapropter admodum triſtes effecti, quoſdam Fidelium ad Epiſcopum ejuſdem urbis virum modeſtum, nomine Saülem, dirigunt, poſtulantes, ut Sanctorum corpora quæ illis Samſon Abbatis, ſuaque benignitate conceſſa fuerant, apud ejuſdem loci habitatores quos ibi darentur, ſuo ipſo obtinere dignaretur adveotu. qui ſuſcepta hujuſmodi oratione acturum properant, atque imploratum ita mandatum paſtori perferunt, efflagitantque ſuccurri peregrinis, ſimulque ſubveniri deſolatis. Inqoiunt ergo ad Epiſcopum: Pater, pietatem tuam voto ſupplici deprecamur, quò beatorum Martyrum corpora Georgii atque Aurelii, ut olim cum Samſone Abbate ſanxiſtis, Gallicis donentur Monachis. Cur igitur vexatione fatigati itineris injuſta vexantur dilatione conceſſi pignoris, non eſt æquum ad religionis veſtræ notitiam, quæ tali poteſt infamari calumnia. Nec mora properatur ad locum. Dumque prolixiùs concertatom, plurimumque precibus ab Epiſcopo colluctatum fuiſſet, præbetur durè quidem, uti ab invitis, vix tollendi conſenſus.

Sacræ exuviæ inde levantur.

12. Advocati namqua tunc alacri greſſu ipſi noſtri petitores accedunt, atqoe unà com ceteris, nec ſegniùs tamen, Sanctorum corpora avulſo deſuper altari accelerant effodere. Ut autem ventum eſt ad apertionem ſepulcri, remotis aliis, ſoli ab Epiſcopo deſignati adſunt Preſbyteri, à qoibus, ipſo quidem excipiente, ſacra de eiſdem tumulis cum hymnis ac lætaniis membra levantur. Qui mundis ea ſemper linteaminibus involvens, congruis quoque ad efferendum impoſuit perulis. Ita divino ſuffragante auxilio opus ſecretum honeſtè perficitur: & ne illorum integritas à quolibet petente, quavecumque occaſione uſque ad deſtinatum locum violaretur, Epiſcopum rogant ea ſub aſſignatione Regis Caroli proprio claudere ſigillo. Quod cùm feciſſet, eis ferenda atque cum multimoda teſtificatione colenda, occultè tamen propter paganos, donantur. Non enim quos Martyres faciunt, venerari Saraceni permittunt. Qui tanti muneris præmium gaviſè tollentes, comitantibus ſe nonnullis inde Fratribus ad civitatem feſtini remeant, cupidi cum quibuſdam Toletum pergentibus, illuc uſque reverti.

non tamen S. Aurelii corpus & S. Nathaliæ caput.

13. Præterea quid & huic facto deſtinabili modo proviſum ſit, ſi taceatur, nefas non ambigo. Cùm etenim illa Sanctorum corpora in agone cæleſtis pognæ fortia, miniſtri diaboli gladiis animadverſa morte ſtraviſſent; Chriſtiani dum potuerunt, ſolito amoris officio excitati, nocte venerunt, atque ea ſibi furtim rapientes diviſeruut. Et quidem beati Georgii corpus ex iutegro, Aurelii verò ſine capite tollentes in eccleſiæ loco ſub altari, quemadmodum ſignificavimus, ſepelierunt. Sanctæ verò Nathaliæ corpus, dum aliorſum ab aliis truncum ſublatum fuiſſet, caput illius in eadem eccleſia, ubi viri corpus, collatum eſt. Unde accidit, quatinus tempore effoſſionis eorum beati athletæ Aurelii caput cum ſuo corpore minimè inveniretur, ac ſacræ Nathaliæ corpus quo humatum fuerit, neſciretur. Sed ut impleretor in eis etiam poſt mortem, quia erunt duo in carne una, corpori beati Aurelii caput Nathaliæ ſuæ conjugis ſubrogatum eſt, atque cum nimia admiratione quærentibus datum, quod deificè factum neminem qui audit, latere putamus. ut quia unius conjugalitatis viventes, necnon & æqualis martyrii ſocii exſtiterant, morientes ejuſdem eſſent merito venerationis in terris, quemadmodum & unicæ felicitatis compotes ſunt in cælis. Et quoniam Sacramenti myſterio συνεκδοχικῶς quidem dicto quaſi ab incœpto parumper deflteximus, juvat manum in id ipſum reducere.

Cordubâ pergunt Toletum.

14. Cùm verò vigiliæ Adſcenſionis Chriſti roſeo ſe jubare jam dies lotis quadrigis terris influeret, parant à civitate Regis ſupramemorati Mahomath procedente exercitu egredi, non parvo ad illos Fratrum catholicum eis vale dicere copientium adunato collegio, qui quanta eos caritate per dies quinquaginta ſex, quibus cum illis ſunt commorati, tractaverint, nemo qui dicat. Præſens tamen devotio ſeu lacrimabilis ipſorum pandebat exſecutio,

Ann. Chr. DCCCLVIII Oct. XX.

quod cernere quis poſſet, nec illos à ſe umquam pacto quolibet velle disjungi. Sic namque Cordubâ, Hiberieulium civitatum nominatiſſimâ, & cum civibus, tum etiam & rerum opibus fœcundâ, egreſſi, quorumdam Fidelium cum Rege ad pugnam euntium tutelis aliquantiſper crediti, iter ſuum alacres reſumunt. Inde poſt dies reperit illos inter agmen exercitus Leovigildus, vir frequenti memoria dignus, qui tempore egreſſionis eorum à civitate, regiis occupatus negotiis præſens non fuerat; iſque dulciſſimo pectoris vinculo eos amplectens, ſuo deinceps comitatui uſque Toletum (quod ex beatæ Leocadiæ virginis confeſſione præclarum habetur) non eſt paſſus deeſſe. Basila ſiquidem ejus ſoror, virgo Deo ſacrata, illis quicquid in itinere viſum oeceſſe fuit; pallia quoque duo, quibus viciſſim Sanctorum cooperirentur corpora, pro qua valebat facultate abundè paraverat.

15. Rege denique Cordubenſi contra Toleti adverſum ſibi tyrannum, ob quod proceſſerat, belli copias accelerante, multi ejuſdem civitatis viarum inſidiatores ad eamdem urbem redeunt, ſe quantociùs caſtelli præſidio muniri curantes: pacata redduntur itinera, ſitque viantium ſecura quacumque progreſſio. Tunc noſtri cum magna benignitatis affectione omiſſo procinctu à ſæpedicto Leovigildo disjuncti, Complutum* aggreſſi ſunt opidumglorioſorum Martyrum germanorum Juſti & Paſtoris inſignitum tropæis. Inde nobiliſſimam ac ſanctorum & præcipuè decem & octo Martyrum triumpho laureatam Cæſaraugustæ applicant ad arcem, ubi à ſuperiùs nominato Seniore Epiſcopo rurſus, quemadmodum euntes, humanè recepti, optima apud ipſum, quouſque libuit, ſunt quiete donati. Nec tunc quidem de beato Vincentio, quem idem Epiſcopus (ut ſuprà retulimus) ſub nomine Martini Martyris retinebat, aliquid vel dinoſcere certius, vel audire quiverunt. Non enim erat fugato Audaldo tranſlatore Monacho, qui hujus facti notitiam panderet. Repræſentantur & Abdiluvar præmemorato ejuſdem civitatis Principi, gratias agentes, quòd ejus eſſent auxilio ineundo vel redeundo adjuti. A quo etiam diſcedentes ſalutationes ad Hunfridum, epiſtolas verò ad caſtellorum cuſtodias perceperunt: quatinus abſque impedimento vel diſcuſſione ulla munita ſuæ poteſtatis loca tranſirent. Nam ne fortè eis improviſis aut legatio fraudulentum fiat, aut certè magis hoſtilis impetus ſuperveniat, cunctarum ad ſeſe viarum aditus continuis ſatagunt obfirmare cuſtodiis, atque ea permaximè loca, quæ ab anguſti tramite callis exclusas appellant.

deia Complutum, * Alcala de Henarez, & Cæſaraugustam,

16 Itaque proficiſcentes Barcinonis ad mœnia, quamvis multipliciter fatigati, perveniunt in urbem ſanguinis ſanctorum Martyrum Cucuphatis & Eulaliæ virginis madore circumlitam. Sed quæ lætitia de conſecutis præmiis, quæve fuerit admiratio de eorum ſubita, utque ita dixerim, inopinata reverſione ab Athaulfo Epiſcopo & Sunifrido memoratis venerabilibus viris, mirum eſt dicere, glorificantibus quoque plurimis Deum ac benedicentibus, qui ſic mirificè ad laudem & gloriam nominis ſui protegit ſperantes in ſe. Auditis & Leovigildi amici proſperitatibus, ſuiſque eis propenſis beneficiis, gaviſi ſunt in omnibus, à quibus decem & duobus elapſis ſolibus læti dimiſſi veniunt feſtinato curſu Gerundam, ſancti Felicis Martyris cruore madentem: cujus linquentes confinia, adeunt Narbonam civitatem metropolim. Quo citra ejuſdem muros ad ſancti Pauli Confeſſoris ſepulcrum divertentes, pòſt ſubeunt Biterris urbem, ex beati Afroſidii Præſulis membris illuſtrem, in qua gratanter, utpote à noto & cognato viro ipſiuſque civitatis Primate a, nomine Garino, ſuſcepti, ſanctorum Martyrum corpora in oratorio beatæ Dei genitricis Mariæ ſervanda reponunt.

mox Barcinonem, pòſt Gerundam & Narbonem, Biterras.

INCIPIT LIBER I. DE MIRACULIS SS. MARTYRUM,

qui eſt Tranſlationis ſecundus.

Caput I. Biterris facta miracula.

Hinc igitur digna geſtorum ratione compellimur, quæ in eadem Biterris civitate, quæque per eos in ſequenti itinere, ſuperna agente clementia, patrata cognovimus, litteris ſecuturæ generationi memoranda ſignare. Dum autem illic præfato Gerino eos retinente quietis gratiâ aliquamdiu morarentur, homo quidam Brictius nomine, per annum ferè dimidium in tibiis ſive ſuperioribus membris genitalibus totus elephantino inſanabili morbo ulceroſus jacebat: qui non ſolùm ea debilitate quantùm ad corpus inutilis, verùm etiam & vitæ ſolatio, tali in ſe afflictione graſſante, deſtitutus videbatur. Is ſub unius tempore noctis in eccleſia qua inerant ſanctorum Martyrum corpora, jacere permiſſus, ſic eorum interventu divina miſeratione curatur, ut ſtatim in craſtino ſanitati redditus, ad proprium cunctis ſtupentibus ſtaret officium. Erat enim carus domini ſui ejuſdem Gerini pincerna.

II. Quæ verò dicta quæve dicenda ſunt, eorumdem ſanè relatu didicimus, qui ea uti inter

a Id eſt Vicecomite, infrà lib. 1 de miraculis cap. 3.

agendum præſentes propriis inſpexere obtutibus. Inſuper & his ſacris jam prælibari vide- ANN. CHR.
batur miraculis; quæ per eos erat Dominus mira populis collaturus. Ea ſiquidem ipſa no- DCCCLVIII
cte ſanctorum Martyrum geminato præconio hæc quoque virtus inclaruiſſe dinoſcitur. Ju- OCT. XX.
venis quidam, vocabulo Giſandus, typo febrium per tres menſes ægrè laborans, nihil re-
vera de ſe aliud quàm mortis caſum ſuſpicari valebat. Frigoris enim & caloris acerrimis
per horas, nunc his, nunc illis urgebatur ſtimulis. Hic ad memorata Sanctorum corpora
in noctis ſpatio ſimili ſanitatis fide excubare permiſſus, non diſſimili eſt virtute pulſa febre
curatus. Gratias namque referens, & ipſe non mediocriter ſoſpes factus regreditur.

Quamvis & alios ibidem à diverſis infirmitatum languoribus ſanctis eorum meritis no- III.
verimus curatos, unum adhuc miraculum, quod ibidem laudabilius enituit, ad non relin-
quenda feſtinantes enarrare cenſuimus. Præfatus itaque Gerinus ejuſdem civitatis Viceco-
mes, dum ſubitò graviſſimâ dolorum pœnâ totum per corpus cruciaretur, ſumtis duabus
ſuæ ſtaturæ candelis, & uno (quod eſt adhuc in teſtimonium) non vilis quidem pretii pal-
lio, jubet ſe, nimiùm vivere diffidens, ad eorum devehi præſentiam: ſicque jacens, ſeque
humi volutans, & quod in eos commiſerat, unde labor, humiliato ſpiritu publicè confi-
tens, in primo noctis ſopore almi Georgii ſalutifera viſitatione ſubitam cælitus eſt in eadem
eccleſia indeptus medelam. Aiebat etenim eumdem ſanctum Martyrem in monachali, ut
olim fuerat, habitu pyxidem auream manu ferentem ſuis conſpectibus adſtitiſſe, atque ex
ea nivei coloris effuſo unguento, caput ſibi, oculos, manuſque, ut cernebatur, leniter per-
fudiſſe. Ita prorſus quemadmodum ſeſe deinceps inſcium aſſereret, utrumne adhuc placi-
dum oculis ſomnum colligeret, ſanitas quippe membris diffunditur, omnique recreatus
corpore gaudens domum Gerinus revertitur, non eos ultrà Martyres dubitans, immo Mar-
tyrum potentiſſimos prædicans.

Poſt denique tempus quaſi duorum menſium reſumtis viribus, & quæ in itinere neceſſa- IV.
ria erant paratis, ea ab urbe noſtri ſubinde memorati Fratres digredientes, in pagum Vi- Vivarienſem pagum
varienſem*, nec ſine miraculis quidem ipſo Gerino ſecum comitante, deveniunt: ubi audita adeunt,
revelatione corporis ſancti Martyris Andeoli diſcipuli magni Polycarpi, qui auditor beati * *le Viva-*
Johannis Apoſtoli & Evangeliſtæ fuiſſe dinoſcitur, quoniam non longior erat ad hoc ac- *rez.*
ceſſus, illuc ſe ſtudio contulerunt orandi: ex quo & proprii corporis acceptis reliquiis, ad
quod reſtabat iter complendum remeant, tranſactiſque inde diebus incolumes eos pagus ex-
cepit Belnenſis a, quo in villa, quæ Arziliacus dicitur, ab Hunfrido gaudenter recepti, ex- Belnenſem
ponebant hoc, utique illi multùm audire ſitienti, quid in via contigiſſet, quidve divinæ dein,
largitatis munere impetratum eſſet: quibus compertis & ipſe Comes cum admiratione gra- a
tias agens, juſſis dari neceſſariis eos muneratos dimiſit.

Sed quoniam ſuos Dominus fide & confeſſione probatos famulos virtutibus magnificare, V.
cujuſque apud eum meriti eſſent, ſignorum indiciis monſtrare decreverat; hoc quod in eo-
dem Vivarienſi pago & villa ipſa Arziliaco miraculum conſtitit, dignum referre fuit. Quæ-
dam igitur vidua, nomine Theothildis, cujuſdam raptoris ſpiritu ſuperbiæ tumentis iniquâ
violentiâ equum amittens, lugubris ſeſe fletibus contorquens, deſperabili contritione lan-
guebat. Cumque nullo ingenio, nulliuſque ſolatio ſuæ flebilitati eum reſtitui poſſe exiſti-
maſſet, ad eorumdem ſanctorum Martyrum ſpectanda ſuffragia, cum omni recuperandæ
ſpei fiducia ſe contulit: ibique tamdiu flens & perſeverans in rogando Deum facientem ju-
dicium injuriam patienti permanſit, donec die tertia terrore inſpirationis ſupernæ raptor
perculſus, ſatisfaciens viduæ cogeretur ſponte reddere quod viſus erat nequiter abſtuliſſe.
Sic fides meretur, & ita timor operatur divinus.

Properantes itaque ac finem hujus libelli volentes attingere, quid in vico quodam, qui VI.
Cora* nuncupatur, in pago jam Autiſiodorenſi acciderit, commemorando narramus. In tum pagum
eccleſia verò ejuſdem loci cùm fuiſſent illati, necnon & in altario veneranter expoſiti, qui- Autiſiodorenſem,
dam juvenis cuſtode ad modicum abſente latenter ingrediens, pallium ſubitò, quo eorum * *Core*
ſacræ tegebantur reliquiæ, furtim abſtulit. Sed æquiſſima ſummæ rectitudinis operatio, nec
hunc longiùs multum abire, nec injuſtitiam ſanctos Martyres pati ſuſtinuit. Porro in hu-
mero ſub quo illud abſconderat, puſtulæ morbo percuſſus, mox revertens pallium clam ec-
cleſiæ projecit ad oſtium: ſicque impunitatem quam non merebatur requirens, aufugiendo
delituit. Incommoditate tamen exorti ulceris ingraveſcente tumendo cogitur, vitæ deſpe-
ratione ac tormenti dolore admonitus, confiteri delictum: quo patefacto cunctiſque audien-
tibus denudato opem plenæ ſanitatis, etſi diu vexatus, ſanctis eorum conſequitur benefi-
ciis, præſtante Deo ac Domino noſtro JESU-CHRISTO, qui vivit & regnat omnipotens
per infinita ſæcula ſæculorum, amen.

a De pago Belnenſi, ſic dicto à Belna opido diœceſis Cabilonenſis, egit item ſuperiùs Aimoinus in lib. I num. 3. Exſtat in eo pago villa Arziliacus, *Argilli*, de qua mox infrà.

Ann. Chr. DCCCLVIII Oct. 22.

INCIPIT PROLOGUS LIBRI II Miraculorum.

QUONIAM hactenus ſanctorum Martyrum Georgii atque Aurelii tranſlationis ordinem, & quæ, divina largiente gratia, in via geſſerunt miracula ipſorum ſuffragantibus meritis ex parte cucurrimus; modò ad id quod reſidet, etſi imperitus, ſidus tamen vertatur articulus. quæ idcirco duobus gratum fuit dividi libellis, quatinus nec avidis lectoribus ſuperflua, nec piis auditoribus ea quæ dicerentur, forent onerosa. Nam & in prolixè dicendis, quaſi quoddam præſtatur levamen, dum unum finitur, atque aliud inchoatur volumen; quodque præcedens libellus non humana, verùm fateor præfinitione ſolùm bis ternis miraculorum titulis radiatur, quantum eorumdem ſanctorum Martyrum perfectam inſinuet conſummationem, ipſius ſenarii ratio arithmeticis nota declarat.

INCIPIT LIBER II Miraculorum, qui eſt Tranſlationis tertius.

Cap. I. IN prædicto igitur pago Autiſiodurenſi, Baſgernam vicum, compreſſantibus ſe hinc inde turbis, cùm adpropinquare cœpiſſent, advenerunt illis quidam ex noſtris obvii, eos ibidem officioſiſſimè, prout decuerat, excipientes: quorum animæ exultatio, ſive lætitiæ fletus, gratiis hymnizatis divinis pro deſiderio fuit. Unde ſequenti die ſimul profecti, levatis in eodem loco corporibus Sanctorum feretris Autiſiodorum veniunt urbem, plurimorum trophæis ſanctorum inſignem. Quo agnito Cœnobitæ almi Confeſſoris Chriſti Germani ejuſdem olim civitatis Antiſtitis, eos quàm honorificentiſſimè cum dominicæ paſſionis memoriis omnique digno apparatu ſuſceperunt. collocantes eadem Martyrum corpora ſuper altare beati Mauricii Martyris Thebææ Legionis principis, ea ſub nocte ſervanda: ad quorum ingreſſum, unum à claudicatione, ad egreſſum verò hominem alterum à continuo capitis dolore ibidem curatum didicimus. In craſtinum autem (neque enim tempus eos ibi ampliùs immorari ſinebat) haud ſecus quàm ſunt excepti à memoratis ſanctis Fratribus, ſive ejuſdem loci civibus honeſtè deducti, pagum ingrediuntur Senonicum, quem etiam quibus & quàm manifeſtis decorarint miraculis, laborioſum ex toto, gratum verò ſi ex parte narretur, exiſtimo.

Autiſiodorum, *pagum Senonicum.*

II. Dum namque pro agendis Miſſarum ſollemniis in villam, quæ in eodem pago nuncupata fertur Puteolis *, declinaſſent, quidam infantulus inter reliquos beneficia requirens infirmus acceſſit. Nunc nonnulli ut puerum adhortantes, monebant, quatinus pro adipiſcenda ſanitatis medela ad Martyrum patrocinia, prout valebat, accederet. Quod cùm feciſſet, ſeque rependo magis quàm ambulando ante eorum reliquias proſtratus jactaviſſet, extemplo videntibus qui aderant univerſis, medicinam adeptus eſt pleniſſimæ ſoſpitatis. Nec aliter, inquam, niſi ut eos inde proſequeretur rectus, qui utriuſque pedis imbecillitate advenerat claudus.

* *Puiseaux*

III. Nec ſit pigrum audire, quæ Chriſtu bonitatis cooperatori pro ſuorum meritis militum libuit operari. Facimus enim alienum bonum, ſi complacet, noſtrum. Anus igitur quædam, nomine Tedelgrimnis, à parvo (quod multi vicinorum ejus noverant) ſurda pariter jacebat & muta. In domo enim cujuſdam religioſi viri vocabulo Bovonis (in quam etiam fortè eadem Sanctorum corpora ad manendum declinaverant) causâ ipſius ſuſtentabatur miſericurdiæ. Adtendebat quòd eleemoſyna quæ datur in terra pauperi, à Chriſto, teſte Martini ſemiclamide, recipitur in cælis. Illa de remedio optandæ valetudinis cautè ſecum permeditans, locum ubi beatorum Martyrum corpora venerabantur, adſcendit. Sed ilico ut orationem fudit, ea ſanitatis gratiâ donatur: quatinus evangelico una eademque hora renovato miraculo & loqui, ſimul & audire mereretur; exivitque gaudens univerſæ domui gaudium inferens.

IIII. Quæ verò idem Bovo in eorum Martyrum adventu ſibi contigiſſe cum ſacramenti fide dicebat, res digna miraculo præteriri non ſinit. Cùm ergo fuiſſent horum delatores Sanctorum Monachi, qui ea nocte unà cum ſuis ferè triginta ab eodem hoſpitio ſunt excepti; illis neceſſaria non ſurdus auditor apoſtolicus, hilari animo diſtribuens prærogavit. Sed ut tantæ tamque copioſæ caritatis ſuperabundans opus remuneraretur; ipſius vinarii vaſcula ſic ſunt mane reperta, ac ſi nihil exinde ſero potatum fuiſſet. Univerſis namque, omnique ſuæ domus familiæ ac advenientibus causâ ſanctorum Martyrum ita ubertim propinatum

fuerat, quatinus omnes pro ſobrietatis competentia ad plenum vino ſatiari lætarentur. Penum ſiquidem eidem ſubjectum erat ſolario, (benedictionem deſuper hauriens) quo beatorum corpora Martyrum illa nocte ad quieſcendum fuerant admiſſa.

V. Is etiam Bovo ſæpe admirans referebat non huic diſſimile factum. A cujus denique domo Sanctorum eductis corporibus, evenit diem poſt quartum, ut ex HLUDWICI Bejwariorum Regis exercitu in eam intrarent, atque illam per aliquot dies ibidem commorantes inhumanè vaſtarent. Ergo, licèt meritò hac ſpe fruſtratus, ad hoc idem HLudwicus [a] à quibuſdam proceribus invitatus exierat, quatinus fratris ſui domni CAROLI contra Danos naveli tunc claſſe in Sequana [b] decertantis, regnum uſurpans invaderet; ſed & victoriam, pro dolor! veluti jam præ manibus ſuſpectam, hujuſmodi infelicisſima viſus eſt diſtuliſſe tyrannide. Nam Rege inſalutato cum paucis in navi relicto, omnes ei ſubdolè adhærentes diſcedunt, & præciſis ejuſdem navis funibus, ne Rex quolibet auxiliaretur præſidio, ad eumdem HLudwicum eum ſibi Regem facientes accedunt. quod eis dignam in contumeliam ceſſit. Rex ergo divinitus liberatus, ſtatim parvo quem fides ſibi retinuerat exercitu collecto, fratrem à regno nobiliter expulit; atque cùm vivum capere poſſet, ei locum abeundi viſcerabiliter indulſit, ſuoſque fugaces, (cùm in eis regali cenſura ulciſci potuerit) ſublimi collectione ad ſe revertentes, ſolita pietate recepit, ſceptro potitus & regno. Itaque ſupradicti hoſtes, ſubſtantiam domûs quam intraverant, præter menſoram exterminantes, ex ſuprà memorati viri Bovonis vino non minus, (ut fuit putatum) quàm ſexaginta modios abſtolerunt. Sed illis recedentibus rurſus Sanctorum meritis, Bovone teſte, quantitas totius vini integra reperitur. Nec cunctandum caritate illud augente ſic excreviſſe, quæ in viri corde diffuſa, gemino pollebat bono.

VI. Fuit in Villa-nova [a] ejuſdem pagi Senonici quædam puella, nomine Arohildis, ab annis octo cæcitatis orbitate damnata, quæ ad Beatos virtutum luce conſpicuos (de quorum beneficiis nobis eſt ſermo) deducta, taliter ſemetipſam illis perpetuæ ſervitutis voto mancipans, ſubitò eſt curata, ut omnes qui aderant, hoc facto mirarentur attoniti. Cumque deinceps ſuæ profeſſionis famulatum exſequi vellet, à patre velut de temeritatis præſumtione acriter invecta, coacta eſt quam pro ſalute noverat pollicitationis mutare ſententiam. Itaque dum incipit, ſermonibus genitoris magis favens, domum reverti; & priſtinæ cæcitatis cladem, & vim febrium inſuper multam incurrit. Fit pater ceterique propinqui flebiles, necnon & ipſa admodum miſerabilis jacens, remeantque veloces ad pia Martyrum repoſcenda ſuffragia. At ubi ipſo jam patre omnimodis compellente, numquam ſe quod promiſerat rurſus fallituram devovit; ſanitatis ſummà quam priùs metuerat receptâ, ſoſpes item efficitur, manſitque ibi, atque famulationis penſum ſtatutis temporibus poſtmodum in eccleſiæ cultu grataner exſolvit.

[a] Ville-neuve l'Archeveſque.

VII. Item enim Acmantum [a] villam noſtræ poſſeſſionis (in qua tunc major pars Fratrum ob infeſtam paganorum degebat perſecutionem [c]) aggredientes, ab eis cum magna gratiarum actione & laudibus opimis ſatis dignè recipiuntur: quam exceptionem ita Dominus virtutum floribus decorari voluit, ut nulli dubium quin ad eos non qualiacumque vel incerta, ſed pretioſa deferrentur teſtium patrocinia. Quædam verò Sanctimonialis, vocabulo Leutgardis, dum populorum obviàm euntium admixta conventui, & ipſa candelam in Sanctorum honorem tolleret accenſam, ſubitò eam luminis honore gemit orbatam. quæ neglectûs tacta pudore, eam in ſecreto pallii interim emunctam repoſuit. Sed quid exinde Chriſtus pro ſuorum Martyrum oſtenſione operatus ſit, nullatenus abſentari non debet. Nam dum ſic graditur, tempus opperiens illam reilluminandi, mox eo ipſo quo erat abſcondita, in loco accenditur, partemque veſtis quæ tegebatur, corripuit. Quo viſo extimuit mulier, præconia tantæ virtutis voce qua poterat adtollens: ſicque actum eſt, ut muliere etiam tacente, pars veſtimenti adoſta quod geſtum erat obſtupefaciens, videntes magnopere declararet.

[a] Eſmant.

VIII. Deinde Boſo ab Alſeio villa à renibus deorſum ita paralyſis morbo diſſolutus jacebat, quatinus ei non ſolùm ambulandi, verùm & ſedendi denegaretur facultas. Erat autem in eo videre laborem. Hic tantorum auditis inſignium donis, manibus propinquorum inter plurimos deportatus, ſupplex advenit, accedenſque ad ſanctorum Martyrum reliquias ſic infirmitatibus proximas, ita ſtatim poſtulatæ ſalutis perfunditur remediis, ut eos proprio gradiens annisu, uſque ad eccleſiam, in quam erant ingreſſi, non deſereret. Indeque pleniùs poſt dies factus incolumis, ad propria gaudenti animo repedavit: cui congratulantes vicini admirabantur, quia ſic citò ſibi ſalus acciderit.

[a] Lege Annales Bertinianos ad annum DCCCLVIII, quo hæc contigerunt: ubi tranſlationis ſanctorum Martyrum fit mentio. Totum hunc locum cum aliis pluribus mutilavit Brolius.

[b] Nempe in inſula Oſcello, ex Annalibus Bertinianis: ex quibus corrigendi Annales Fuldenſes, qui pro Sequana Ligerim habent.

[c] Et quidem cum corpore S. Germani, ex lib. 2 de miraculis ejus cap. 12. & ex ſequentibus colligitur.

ANN. CHR. DCCC LVIII OCT. XX.

IX. Ea ipſa nihilominus die adducitur quædam femina de villa Rethica ex nominis appellatione dicta Ragina. hæc ab annis duodecim, non ut illa Syrophænissa ſanguinem fluens, ſed contracta renibus jacens, quaſi vitalibus jam cernebatur deſtituta ſolatiis, opprimebatur, & nimiâ paupertatis inediâ, ut puta manuum meditatione otioſa. At dum inter reliquum vulgi cœtum beatorum Martyrum patrociniis offertur ſananda, priſcæ felicitatis coram ipſis quæ aderant turbis uſum recepit. Igitur ambulans grateſque ſanatoribus ſuis læta rependens, ad iter (quo aliorum adjuta manibus venerat) ſe ſoſpitatis greſſu comite reparat.

X. Adalbertus de Talſiniaco villa hoſtilem multùm pavens occurſum, ad ſanctorum Martyrum luminaria pro toendis aliis unum vas apum fide plena devovit, cùm ſubitò ex præfati HLUDOWICI Bejwariorum Regis exercitu, quidam illius domum irrumpentes, ipſum alvearium naturâ mellis avidi, quia majus meliuſque ceteris erat, primùm auferre conati ſunt, quod ita mirandum illis nequicquam laborantibus immobile perſtitit, ac ſi funditus in quo erat loco haberetur affixum. quo facto hoſtes turbati nimiumque ſtupentes, didicerunt tandem illud ſanctis Martyribus pro conſervandis aliis eſſe dicatum. Unde non ſolùm hoc, ſed nil ulteriùs in eadem domo Sanctos reveriti præſumſerunt, animadverſo divinam illi eorum meritis tuitionem ineſſe.

XI. Quia miraculorum veneranda concreſcunt præconia, augeatur numerus pagellarum cum gloria. Multis denique ab annis Ingalbertus de villa Vimpopuſt, cùm eſſet utrorumque oculorum luminis dono privatus, agnitis tot tamque mirandis Sanctorum virtutibus, juſſit ſe quantocius illuc deduci. Sicque uxoris adminiculo inſuper & multâ comitatus fiduciâ gradiens ad locum uſque pervenit. Dumque diutius eccleſiam intrans, ſolo proſtratus precibus gemens inſiſteret, quò ſibi ſancti Martyres, licèt indigno, miſererentur, luctuoſis vocibus expoſtulans precabatur. Tum ſupernæ pietatis fonte eorum obtentu ſe influente ita confeſtim mederi promeruit, quatinus Deum Sanctoſque magnificans, inde valens videnſque uxoris manu oblita rediret.

XII. Adducuntur & duo cæci, villæ quæ dicitur Sinportus, incolæ, ad præclaram beatorum Martyrum poſtulandam clementiam. Horum ſanè devotionem integram, non modica divinæ miſerationis conſecuta eſt cæcorum illuminatrix bonitas. Ut autem intrantes domum qua ſacræ Martyrum dignè venerabantur reliquiæ, ſe orationi dederunt; obductis poſt paullulum fugatis tenebris, videndi poſſe recipere meruerunt: ſurgenteſque à pavimento, remoto ductore per ſe ſe hac illacqua clarè videndo diſcurrunt. Itaque Dei ſanctorumque Martyrum ſibi providam conlaudantes benignitatem, læti ut illi quondam in Evangelio à Salvatore & Filio David illuminati diſcedunt.

XIII. Hac itaque miraculorum fama per pagos latè diffuſa, ſe invicem præcedere feſtinantes confluunt plurimi. Unde quidam adoleſcens Acleulfus, ex villa nomine Laudrado, mente captus, cùm frequenter fieret jam per annum & inſuper atrociter demens, quod vulgò lunaticus dicitur, ad ſæpe memorata ſanctorum Martyrum corpora, licèt vinculis nexus, fide parentum adducitur, qui etſi illam non habebant vocem, Domine, ſi quid potes, adjuva nos miſertus noſtri; infirmum tamen ſibi poſcebant mederi. Ubi aliquantulum ob ſalutis remedium detentus, ad plenum quod alienæ fidei devotione quæſitum fuit, eorum piis meritis adipiſci promeruit. Itaque ſenſus priſtini recuperato vigore, alacer receſſit, atque de reliquo, uti priùs fuerat, ſanæ mentis compos permanſit.

XIV. Ex eadem villa quædam procax puella, nomine Teutberga, caſu quo ſolebat cum matre litigans, per ſanctorum Martyrum pignora, Georgii ſcilicet ac Aurelii, ſuam non eſt verita conteſtari proterviam. Dumque à quibuſdam quare ſic adverſus parentem ageret, & quare ſic temere per Sanctorum nomina dejeraret, increpata minimè quieſceret; ultione præſenti, ipſa quam ad jurandum evexerat, manus contrahitur. Exinde verò quos perjurando per indomitatem linguæ malè præſumſerat, ſtudioſè rogando cogitur quærere Sanctos, ſuique ab eis cauſam remedii veluti debitum munus incunctanter exigere. Dumque facti pænitens ad eorum ſe limina devotiſſimè contulit, debilis ipſius palma dictu velociùs medicata extenditur, atque* ſana facta mulier ad genitricem ei de reliquo famulatura revertitur.

XV. Erat & quædam femina ex villa vocabulo Caſellas, nomine Amaluvara, ab annis centum * quadraginta quatuor menſium in cæcitatis nebulis perdurans: nec ulla ei medicinalis profuit manus, quam divina poteſtas his Sanctis medendam ſervabat. Hæc à quadam pulcherrima feminarum intempeſta nocte (ut ſibi videbatur) admonita eſt, quatinus pro adipiſcendo luminis uſu eccleſiæ pavimentum, qua eorumdem ſanctorum Martyrum corpora quieſcebant, ſedula ſcopis mundare ſatageret, donec eam Sancti miſerando reſpicerent. Quod cùm adducta ſemel expleſſet, oculorum acuminis tantum recepit quod ſibi uſque hodie ſufficiat, nec ductoris adminiculo, Sanctimonialis etiam facta, quemadmodum priùs, indigeat.

* *Hiemendum eſſe videtur.*

Quid verò eidem in ipſa eccleſia quadam nocte cum ceteris excubanti revelatum ſit, re- ANN CHR.
ticeri neglectum putamus. Ubi dum aliis dormientibus ſola (quemadmodum ſibi certum DCCC LVIII
erat, & nobis retulit) quaſi vigilans reſideret, reſpicit ad feneſtram retro altare ejuſdem OCT. XX.
eccleſiæ, conſiderans per eam quaſi maximum ſolis radium ſplendeſcere, & per radium XVI.
quemdam inæſtimabilis viſûs luce contectum puerum ad ima uſque altaris deſcendere, qui
manum porrigens ubi Sanctorum corpora quieſcebant, ſublevato paullulum quo tegeban-
tur pallio, cœpit diligenter introſpicere: cùm ecce columba, cujus nitor mirabilis, in cornu
dextro altaris apparens ſuper eos volitans ſtetit ipſum plurimùm intentans juvenem, & quaſi
quiddam divinitatis in eo contemplans, quid agere vellet inſpiciens. qua viſione perterrita,
veloti feſſa anguſtiis, pleniùs obdormivit: videtque per ecſtaſin mentis duos venerabiles
viros eccleſiam ipſam quibuſdam & valde pretioſis decorare ornamentis, qui & aiunt ad
illam: Vade feſtinans ad hujus ſanctæ domus cuſtodes, ac dicito quatinus hanc propenſiùs
ornent, quoniam qui ſunt in circuitu Sancti, horum Martyrum gratiâ huc modò conve-
nient. Siquidem & nos ab Hiſpaniarum partibus, unde nuper allati venerunt, eos quo-
modo hic eſſent, viſitare proceſſimus. Quibus ſic effatis ſublata viſione evigilat mulier, at-
que hæc ſecum replicans hæſitat plurimùm, utpote quid puer, quidve columba ſignificaret
ignorans. Prudens tamen lector ſive ſagax auditor (credimus) puerum Chriſtum, colum-
bam verò Spiritum ſanctum Patris Filiique conſortem, circa ſanctorum Martyrum reliquias
adſpirantem intelleget.

Teutlindis ex Dedentio puellari Monaſterio, quia Dominica erat, & vacabat ab opere, XVII.
veluti ex otio ad eorumdem ſanctorum Martyrum limina ſe puellariter videndi curioſitate
donavit. Ibant & alii devotè promoti: & quamvis animo diſpares, ſociali tamen veſtigio
perveniunt ad eccleſiam, ſeque ſimul coram altari orationi dederunt: erigenteſque ſe, ac
reliquorum qui prævenerant, ſtationem adire properantes, loco quo ſteterat, ceteris abeun-
tibus, ita præfata Teutlindis inhæſit, quatinus pavimento immota perſiſtens, univerſos hoc
novo miraculo in non modicam admirationem adtolleret. Ubi tamdiu cernentibus cunctis
utroque pede immobilis facta permanſit, donec pravitatis ſuæ reatum confiteretur, videli-
cet quòd minùs religioſè illecebris gaudens acceſſerit, quodque minùs debito pro ipſis ob-
ſecraverit delictis. Itaque orantibus pro ſe qui aderant Fratribus, ac letanias agentibus inef-
fabilibus ſanctorum Martyrum meruit abſolvi ſuffragiis.

Item homo quilibet, Altearius nomine, de villa *Scau*, contractus renibus multum per XVIII.
tempus merens jacebat. Audiens autem per Sanctorum merita infirmorum multos curari,
certam (ut iſdem poſtmodum referebat) ſpem promerendæ ſalutis ſumens parentum vel
amicorum ducatu ſe ad eorum miſerationem deſtinavit. Cumque ſurgens ſedere utcumque
temtaviſſet, quò cereum quem ad Sanctorum luminaria ſecum deferret, ſuis manibus ipſe
fingeret, in propria domu optatum ſubitò amiſſæ ſanitatis recepit valere. Elevans namque
ſe, ſoſpitemque reperiens, opus quod antè conabatur debilis, jam Deo miſerante incolu-
mis effectus peregit. Occurrit ergo ſanctis Martyribus cum oblatione luminis gaudens,
quodque ſibi acciderat, læto ore univerſis exponens.

Hoc quoque dignum eſt ponere, quòd admirationem pariter inferat & terrorem. Nam XIX.
corriguntur alii aliorum caſu, prophetia teſte David dicentis: *Lætabitur juſtus; cùm viderit
vindictam, manus ſuas lavabit in ſanguine peccatoris.* Igitur quidam ſerviens ex eadem Ac-
ſianto villa, vocabulo Ingalſardus, fuit & ipſe quidem hortolanus Fratrum. Hic acceptâ
præbendæ ſuæ annonâ, ad ipſius villæ farinarium cauſâ molendi perrexit, ſicque ibidem
cujuſquam mulieris pauperis locum mente ſuperbus præripere geſtiens, ſuper ipſius annu-
nam quæ jam molebatur, ſuam pervicaciter minabatur injicere. quod illa quibus poterat
viribus renitens, cùm ſuperare infirmior fortiorem non poſſet, elevatis ad eccleſiam mani-
bus aiebat flens: Adjuro te per hos ſanctos Dei Martyres Georgium atque Aurelium, ne
mihi violentiam inferas. Qua miſer conteſtatione ſpreta, dum à loco exire cœpiſſet, conti-
nuò percuſſus intellexit obtanti contemtus cauſam, vicinum ſibi imminere diſcrimen: vix-
que efflagitans, uti moriens tenui qua poterat voce ejuſdem molendini proviſorem preca-
batur, quatinus ſuper injectam annonam feſtinus rejiceret. qui poſt hac vocem (quod ad-
miraionis eſt & timoris) corruens obmutuit, atque evidenter præſenti morte donatus ex-
ſpiravit. Concurrunt plurimi, (erat enim Dominica) talique ſpectaculo permoti ſtupe-
ſcunt: quod tamen non ad futuræ damnationis caſum, ſed ad talium magis (ut præliba-
vimus) corrigendum temeritatem ei juſto latentique Dei judicio hortamur proveniſſe cre-
dendum. Nam mors impiorum, ut beati Gregorii verbis dicatur, bonis eſt in adjutorium,
malis verò ut ſe caveant in teſtimonium.

Poſt denique mulier quædam ex villa, quæ appellatur Civiacus, nomine Godohis, tantu XX.
tamque terribili detinebatur perlucidæ inflationis morbo, quòd omnium competenti mem-
brorum officio deſolata miſerabilis videretur. Patiebatur & aliud intrinſecùs cardiacæ ſcili-
cet infirmitatis malum, quod eam aſſiduè præfocando nimiùm exanhelabat. Dumque per

Ann Chr. DCCCLVIII. Oct. XX. momenta horarum quaſi finitima ſibi clade duceretur ad mortem, imponitur tandem ſuorum manibus propinquorum carpento, & ſic perducitur ad clemens Sanctorum auxilium. Excubabat ſiquidem tali pœnarum acerbitate oppreſſa ante eccleſiæ fores, ut vix in ea animadverti ſaltem ſpiritus poſſet. Poſt triduum tamen ſerenato ſtomacho ita (quod eſt mirabile verumque) ſanatur, ut propriis exinde plantis, remoto carpenti vehiculo, læta redire mereretur.

XXI. Novimus & quemdam nomine Hieronymum ex pago proximo Waſtinenſi ſimili Sanctorum virtute curatum. Hic totius corporis per annum ferè dimidium obrutus debilitatis angore, parentum pietate ad beatorum Martyrum evehitur ſolatium, cujus infirmitas plus ignorabatur quàm curaretur à medicis. Qui via invento conſilio, qualiter eum ob omnium valitudinem membrorum in quodam vinario vaſculo, quod tonna dicitur, ſuper plauſtrum imponerent, hoc facientes pervenerunt ad ſacram eorum præſentiam: ibique multis qui adhuc ſuperſunt contemplantibus, ſic virtutis priſtinæ ſoſpitate roboratur, quò pro ſe ſanus effectus aſſurgeret, domumque facta ſuper ſe (quemadmodum ſperaverat) miſericordiâ Dei gratulans recurreret.

XXII. Item quædam femina dolens ſe in prole non parvo caruiſſe ſolatio, filium mutum pariter & ſurdum ſecum ſumens, ad Sanctorum miraculis coruſcantium duxit reliquias. Cumque facta oratione ipſa ab altari procul ſtetiſſet, innuit nato veluti ſurdo propiùs accedere, & candelam voti, quam manu ferebat ad altare Sanctis offerre. Tum ſubitò os infantis, quod fuerat à nativitate clauſum, aperitur, atque illam vocem primam emittens, matrem interrogat, cui deberet lucernam porrigere. reſponſoque genitricis, ut eam altari inferret, accepto, per exſecutionem operis ſe etiam audire clarè demonſtrat. quo agnito qui eum nudiuſtertius mutum cognoverant, ſimul & ſurdum per Sanctorum merita evangelica revixiſſe miracula admirando proclamant. Nec mirum cùm Salvator non ſolùm quanta fecit, inſuper majora diſcipulis quòd eſſent facturi promiſit.

XXIII. Non igitur credimus diſpliceri, ſi quod utile ſit honeſtumque narretur. Enutritur ſiquidem fides fidei operibus creſcens. Cùm autem quadam die dominicæ reſurrectionis ad ipſius eccleſiæ oſtium mulieres quædam aliæ ſalutis, aliæ verò ſanctorum Martyrum deſiderio vigilias agerent, mira illis ac ſtupenda viſio demonſtratur: non ut paſtoribus olim de Chriſti nativitate docendis, ſed ut feminis prædicabili virtute devotis. Prima itaque noctis vigilia adſpiciunt per ejuſdem eccleſiæ oſtii rimulas, videntque ab interioribus ad ſe uſque nimium luminis ſplendorem procedere. Tunc una illarum viciniùs accedens, & quid illud eſſet diligentiùs inſpicere contendens, eccleſiam omnem ita incredibilis nitoris fulgore radiantem cernit, quatinus eo ipſo lumine partim exterior qua reſidebant porticus reluceret. Et ecce diverſas intus voces miræque ſuavitatis cantilenam audiunt, veluti multitudinis congratulantium hymnidicaſque Deo laudes cantabiliter jubilantium, quod ſubſilenter eatenus ſe viciſſim audiſſe fatebantur, donec ad nocturnalis debitum Officii pulſato ſigno Fratres evigilarent. Unde ſi miraculorum cauſas ordinabili providentia diſpoſitas conſideramus, illa ſuperior viſio completa decernitur, qua oſtenſum monſtravimus, horum Martyrum gratiâ qui in circuitu eſſent. Sanctos illuc conventuros angelico dumtaxat comitatu jocundos.

XXIV. Ex pago Pariſiaco & villa nuncupante Teodaſio * juvenis quidam annos (ut ferebatur) quinque in cæcitate gerens, ſe omni tempore nobilum fore gemebat. Supplicat ergo ut tantiſque ſanctorum Martyrum compertis virtutibus, quatinus ad eorum pium perduceretur auxilium. Jam enim quaſi fidei lumine catechizatus videre cœperat, quod cùm factum fuiſſet, citò benigna eorum interventione quod fidens quæſivit, conſequi meruit. Siquidem non poſt multum temporis expletis ibidem ad ſalutifera eorumdem ſanctorum Martyrum limina lacrimoſis excubiis, præclaris ipſorum, (quod eſt fatendum) meritis inviſis repulſis tenebris ei protinus virtus cæleſtis lumen quoque diei refulſit. Rediit igitur videns Deum magnificans ac gratias agens, homo innovatus novum vicinis miraculum referens.

* Thiais

XXV. Erat itaque ex pago Andegavenſi homo quidam, nomine Adalſadus, ab annis ferè quinquennii vitiata compage membrorum ſic invalidus, quatinus ipſa calcanea poſterioribus tenaciſſimè haberentur innexa. qui tantorum cognita miraculorum virtute (divulgabantur enim à plurimis) ad eorum ſe Martyrum gratiam quadam dominicæ noctis die, prout potuit, tranſtulit: ubi nocturnali adveniente tempore, jamque Fratribus eumdem officium angelicâ celebrantibus reverentiâ, tantos cœpit ſolventibus ſe (ut ſolet in talibus fieri) membrorum vinculis clamores emittere, quibus pſallentium voces ejulans omnino perrumperet. Interea recuperato mox partim ſalutis remedio, poſt paucos exinde dies priſcæ ſoſpitati redditur, ita eorum orationibus elevatus ſubrigitur, ut per ſe rectus incedens, ad propria ſuo ſeipſe greſſu rediret.

XXVI. Ramnoldus denique de villa, quæ vulgari appellatione Fontanas dicitur, ab anni circulo

pede

ANN. CHR. DCCCLVIII OCT. XX.

pede tenus à renibus claudus, ad eorumdem Martyrum florentem clementiam miſerandus venit. Venit dico, non gradu proprio, ſed peregrino evectus ingenio, ita planè miſerabilis, miraque totius corporis debilitate tenuis, ut multiplicatis in ſe infirmitatibus ampliùs putaretur mori, quàm poſſe mederi. Fide tamen accedens, atque ante ſanctorum Martyrum cineres, à quibus portabatur, expoſitus, continuò cum ſalutis munere ſuperno reſpectus intuitu, piis ipſorum ſuffragiis factus incolumis ſanatur, utique renum ac tibiarum, necnon & pedum omniſque imbecillitatis fugato contagio, quemadmodum præſens adhuc ejus alacritas teſtatur. Sic valens redditur, quatinus ex eadem infirmitate nihil deinceps paſſus famuletur in eodem loco jugiter Deo.

XXVII.

Ergo quia ſolet eſſe, ut in ſuo ſacro beatus Gregorius ſcribit Dialogo, quatinus majora aliquando fiant miracula, ubi minor portio Sanctorum habetur reliquiarum; gratum fore putamus ſi & hoc quod de eorum geſtum eſt reliquiis, inſeratur.

Carolus Calvus ſanctas reliquias explorat.

Glorioſus itaque Rex KARULUS, quantum de adventu horum Martyrum relectis ſibi paſſionis eorum titulis gaviſus extiterit, non eſt noſtrum exponere. Lætabatur quòd regni ſui tempore tales Gallia promeruerit flores: quorum ut à parte totum poſſideret, ſumtis reliquiis hoc quoque ſub exemplo religionis fidelibus agendum oſtendit. Nec eſt oblitus delegans MANCIONEM Cordubæ hujus facti veritatem ex loco requirere: à quo regreſſo etiam illud eorum geſtis mutilatum addidicit, quod memoria & inſcriptione dignum habetur. Cæſis igitur ſanctorum Martyrum corporibus atque in platea diffuſis, juſſerat ABDIRAMA tyrannus ea ibidem ſervari ſepulturâ negatâ, quatinus illa canes volucreſque cæli comederent. quod actum certè videmus, ut in eis quoque pſalmodia adimpleretur David canentis: *Poſuerunt mortalia ſervorum tuorum eſcas volatilibus cæli, carnes Sanctorum tuorum beſtiis terræ.* Sed ut eorum dignitas meritique celſitudo declararetur, ita divinitus ab univerſis rapacibus ſunt animalibus, ut olim Daniel à leonibus, cuſtodita, quo nullo vel muſcæ appetitu per triduum quo taliter jacuerunt, fuerint adtaminata. Hoc enim cum vero idem dicebat Mancio, & quod à fidelibus ejuſdem Cordubæ civibus illud veriſſimè audierit, teſtabatur. Similiter & quòd viderit duas nobiles puellas carne ſorores ſe præſente agonizantes martyrium compleviſſe pro Christo. Cumque major ante ſe minorem paſſionis calicem bibere vellet, Non, illa inquit ſoror, ita convenit, ſequar te magiſtram ad bravium quam ſecuta ſum ad ſpectaculum: ne timeas, non te derelinquam. Fidem enim & dilectionem moriens exhibeam, ut vivens ſolebam. Ita ambarum capitibus obtruncatis, Angelorum ſolatio evectæ animæ migraverunt ad Deum victuræ perenniter.

XXVIII.

Eddoni conceſſa portio reliquiarum.

Ceterum cùm EDDUNI Comiti (ut ad nos tempus enim eſt revertamur) pars poſtulata ſanctorum Martyrum deferretur reliquiarum, accidit in via, ut quidam Preſbyter poſtulans diutius ſibi orare concedi, cubiculum domus quo ſervabantur, intraret, eaſque reliquias hoc nemine meditante furandum præſumeret: tollenſque quod primum manui occurrerat, ſcilicet quicquid inerat capillorum beatæ Nataliæ, feſtinat in ea ipſa noctis obſcuritate ad manſionem furto jocundus redire. Sed antequam ei longiùs abire concederetur, in medio platearum mox amens horrendum concidit, ſenſu omnique vigore fruſtratus. Deinde quaſi poſt horam ad ſe revocatus ac delicti pœnitens ſurgit, atque quaſi qui ad aliquid neceſſitatis exierit revertens, ſanctæ Martyris reliquias rurſus orationem ex deſiderio ſimulans ſuo in loco repoſuit. qui ſi amando bene obtulit, tamen quia fraudem cui debebantur, faciendo bene non diviſit, item coram qui aderant univerſis ſubitò corruens, per terram rurſus volutando torquetur. Aſſurgunt omnes horribili metu perculſi, atque manus in eum quibus teneretur, iniciunt. Videbant amentem, æſtimabantque ilico morientem: & ne res tanti celaretur miraculi, cogitur pòſt mente recepta fateri commiſſum. Sic à ferente USUARDO patre, Sanctorum priùs invocata miſeratione, culpâ donatâ reanimatus Preſbyter hilarior regreditur.

XXIX.

Igitur prætermiſſis plurimis ponatur ſcribendi finis, admiſſo eo quo elucescat beatum Antiſtitem Germanum non ſolùm de æterno, verùm & de præſenti lætari conſortio. Teutgaudus quidam in Novo vico, qui eſt ſuper Ligerim fluvium ſitus, cùm adverſa valitudine infirmus decubuiſſet, hoc inſuper ei calamitatis accidit, quemadmodum à femoribus deorſum uſque contraheretur: in quo contractionis vinculo, annis ferme duobus negato ſibi penitus ambulandi officio permanſit. Deinde fama docente, ut cognovit horum ſibi venerandorum Martyrum ſubveniri poſſe meritis, exorat ſupplicans ſe illuc amicorum ſive propinquorum manibus ferri. quod ita factum feſtinatumque eſt. Cumque veniſſet, ac ibidem aliquamdiu in orationibus degens permaneret, præfinitum ſuæ ſalutis præſtolatus eſt diem. Jam inſtante ſacra beatiſſimi patroni noſtri domni Germani tranſlationis feſtivitate, acceſſit maturiùs quod devotione quæſierat citiùs inventurus. Collocatus autem ante ejuſdem magni Præſulis altare, in quo ſuperpoſita eorumdem ſanctorum Martyrum corpora ſervabantur, conſtitit, quemadmodùm eorum ſimul (ut credimus) interventu celerem infirmus conſequeretur ſalutem. Soſpes igitur factus, ut vidimus, ibat cum magna gratiarum actione reſoltans: &

ANN. CHR. DCCCLVIII OCT. XX.

univerſis omnipotenti Deo ſanctoque Germano & Marytribus virtutum magnitudinem adclamantibus, manſit ibi ad mortem uſque deſerviens, patria parentibuſque & amicis qui ſe detulerant, oblitis. Nec immeritò eorum eſſe voluit beatus Germanus in terris patrati conſors miraculi, de quorum ſocietatis gratia exſultans gaudet in cælis; in illa deſiderabili patria, in illa jocunditate ſplendida, in illa prorſus regione melliflua, in illa portionis humanæ viventium terra, in illa matre noſtra cæleſti Jeruſalem, in illis amœniſſimis perennitatis paſcuis. Ibi enim qui ſemper viventes & in eum proſpicere deſiderantes Deo aſſiſtunt, ſpiritus adplaudunt, in una eademque gloria ex hac mortalitate jam ſibi conſociatis Sanctis, pariterque lætantes congratulantur etiam his, licèt adhoc in terris peregrinantibus, quos ſciunt & intelligunt per ſcientem & intelligentem omnia ſuos poſt paullulum communi collegio fieri concives, quorum una erit & ſumma refectio, unius & pleni Dei inacceſſibilis contemplatio, contemplatio quia viſio, inacceſſibilis quia impenetrabilis. Nam inquit Pſalmiſta: *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* quia quo ampliùs divinitatis rimantur ſecreta, eò ampliùs inſpiciuntur profunda.

ANN. CHR. DCCCLIX MAII XXVI.

DE BEATO PROBO
PRESBYTERO ET MONACHO
MOGONTIÆ IN COENOBIO S. ALBANI;

Ubi de tranſlatione S. Severi & aliorum Martyrum eò facta.

Monaſterii S. Albani primordia.

1. SANCTUS ALBANUS *variis tum Hunerici Wandalorum Regis, tum Arianorum procellis jactatus, unà cum magiſtro ac præceptore ſuo Theoneſto Epiſcopo Philippis Macedoniæ Mogontiam appulſus, ibidem pro chriſtiana Fide capite plexus eſt. Ejus corpus in ſuburbano loco ſepultum debito caruit honore, uſquedum* venerabilis RUDOLFUS (*legendum* Ricolfus) à præſulatu magni Bonifacii tertius ſanctæ Mogontinæ ſedis Archiepiſcopus, ſicut videbat locum ſancti Albani Martyris miraculis coruſcare; ita hunc fabricis aliiſque divinis cultibus aggreſſus eſt honorare, fundans primò baſilicam tanto nomini debitam. cujus fabricæ modum & ſtructuram quia promtum eſt oculis cernere, non eſt opus chartis intexere, *inquit Vitæ ſancti Albani ſcriptor Sigehardus loci Monachus, ut conjicit Henricus Caniſius.* Super ſacrum verò cinerem mauſoleum erexit, quod auro ac gemmis, argento quoque, uti competebat, veſtiens, diligenter undique contexit. Addidit prætera in cultum ſanctuarii, & in miniſterium altaris vaſa aurea & argentea ſacris miniſteriis idonea; ſacras quoque veſtes divinis officiis, prout tempus dictat, competentes. Conſtruxit etiam omnes regularis vitæ officinas, quas voluit ſervorum Dei inibi degentium ad perpetes Martyris excubias eſſe receptacula, ut ejus ſuffragantibus meritis ipſi eum recipiant in æterna tabernacula. Obtulit præterea ſancto Martyri ad ſumtus Dei famulantium prædia, villaſque & eccleſiarum decimas, quas ſacro altari rata adſtipulatione firmavit. Idem autem venerabilis locus in tanta celebritate cœpit haberi, ut non tantùm ejuſdem regiæ urbis Pontifices, verùm etiam regni primores cùm defungerentur, non alibi ſe poſcerent ſepeliri. Siquidem in argumentum fidei, intra & circa eccleſiam, quoquoverſum exſtant mauſolea, ſingulorum nomen & obitûs diem titulis deſignantia. Sed & potentiſſimus ille KAROLUS Magnus & orthodoxus Imperator, cùm Faſtrada conjunx ejus apud *Frankinwrt* diem obiiſſet, tam nobile funus ad Monaſterium ſancti Albani præcepit deferri, & in aquilonari veſtibulo ante altare Apoſtolorum terræ fecit mandari. Argumento eſt titulus monumenti ejus, in ejuſdem veſtibuli pariete intra fornicem deſcriptus:

Celebritas.

pro cujus animæ remedio quædam ſancto Martyri contulit prædia, unde hodieque Fratribus miniſtratur dieta. *Hactenus Sigehardus apud Caniſium in antiquarum Lectionum tomo 5. qui Sigehardus in eo corrigendus, quòd Rudolfum Epiſcopum baſilicæ conditorem dicit.* RICOLFUS *enim ejus dumtaxat inſtaurator fuit, at Monaſterii auctor, idemque eccleſiam dedicavit* anno DCCC V, Indictione XIII, *teſtante Serario in Moguntiacarum rerum lib. 4. Eo in loco multa Epiſcoporum & regni Procerum Concilia habita. primum ſub ipſo Ricolfo anno* DCCC XIII, *alterum ſub Rabano anno* DCCC XLVII. *Iſtic baptiſmo tinctus Herioldus Danorum Rex cum uxore ſua anno* DCCC XXVI, *teſte inprimis Eginhardo. Ex eo Monaſterio colonia Sponhemium primùm deducta. Trithemius auctor, qui & ait Cœnobium iſtud Monachorum fuiſſe uſque ad annum* M CCCC XIX, *quo Martini Pontificis conceſſu in Canonicorum collegium demigravit. Serarius addit in lib. 1 cap. 81, ſupereſſe templi hujus tantummodo parietinas: Canonicos tamen ſuis frui reditibus, divinumque cultum obire in Prædicatorum templo. Hæc miſera celebris quondam loci fortuna!* ANN. CHR. DCCC LIX MAII XXVI.

2. Inter illuſtres ejus Monaſterii viros PROBUS *cum primis floruit. Scottum eum fuiſſe conſtat, ſi de eo ſunt, ut quidem puto, Walafridi Strabi ſequentes verſus.* Probus Scottus

Verſibus atque metris par eſt donare poëtam,
  Ut mercarori carius eſt quod amat. Poëta
Bellica ſordenti ſi portes arma colono,
  Deſpicit, & munus grande ligonis habet.
Miles item fortis capiat ſi vomeris uſquam
  Dona; magis lituos deligit atque ſparum.
Sic quod quiſque colit, quærit magis. Hinc tibi paucos
  Credere verſiculos, alme Pater, volui.
Quantum delectet tua me dilectio, nedum
  Emanare queam, vix ſcio & ipſe ſatis.
Diſciplina tibi nativum & triſtior uſus
  Abraſit Scottum, ſubſtituitque PROBUM.
Eſto jocum reputas, quod dixi. ſed mihi Chronmal
  More abiens veſtro tradidit iſta loqui.
En Fortunati oratus tibi mitto libellos,
  Menſoremque orbis perlege, ſcribe, reduc.
Sum tuus, eſto meus: quod uterque habet, alterius ſit.
  Sic ego tu ſim alter, tuque mihi alter ego. Walafridi amicus
Per naſum conjuro tuum, mi care, valeto,
  Et Dominum pro me quæſo precare libens.

Ut de Probo noſtrò hos verſus interpreter, illud facit, tum quia Probus, uti & Walafridus, in Rabani ſchola eductus, facilè cum eo familiaritatem & amicitiam inire potuit: tum Probi nomen in duodecimo verſu expreſſum, quod non adjectitium eſt, uti minori littera p exprimitur apud Caniſium; ſed proprium eſſe videtur. Erat ergo aliud Probo nomen gentilitium: ſed aliud accepit Latinum pro more illius ætatis. Ceterum quod ait Walafridus de Chronmal, More abiens veſtro; *id de innata Scottis peregrinandi libidine explicandum eſt.*

3. Lupus Ferrarienſis Abbas in duabus ad Altwinum Monachum epiſtolis, 20 ſcilicet & 34, Probi noſtri meminit cum ſignificatione amicitiæ & commendationis præcipuæ. In prima, Jam verò, *inquit,* pæne ſtomachor, quòniam non ſcripſiſti, quid Probus noſter exerceat. ſcilicet utrum in ſilva Germaniæ diſciplinas liberales, ut ſeriò dicere * ſolitus erat, ordine curtat. an certè inchoatam ſatyram (quod magis exiſtimo) ſtruens, Ciceronem & Virgilium, ceteroſque opinione ejus probatiſſimos viros, in Electorum collegium admittat, ne fruſtra Dominus ſanguinem fuderit, & in inferno otium triverit, ſi verum ſit illud propheticum: Ero mors tua, ô mors, morſus tuus ero, inferne. *& in poſte-* & Lupo Abbati. * f. diſcere

Ann. Chr. DCCC LIX Maii XXVI.

riori. Probum autem non tam aliquid edidiſſe admiror, quàm non omnibus jam ſcribendi materiam abſtuliſſe. *Ex his perſpicuum eſt, quanta in exiſtimatione Probum habuerit Lupus, qui eum per jocum arguit, quòd Ciceronem, Virgilium, alioſque profanos Auctores nimiſquam efferre ſoleret, quaſi eas in Sanctorum canonem referre voluiſſet.*

Monaſterii S. Albani ſcholæ.

4. *Altwinum verò Monaſterii ſancti Albani Monachum, & forſan ſcholis ejus loci præfectum fuiſſe, colligitur ex utriſque litteris, in quibus Lupus dubia quadam grammaticalia ab Altwina propoſita ſolvit. Certè* Adelbero Hirſaugienſis Monachus, *teſte Trithemio*, anno DCCCC X Scholaſticus factus eſt in Monaſterio ſancti Albani prope Moguntiam, ubi magna tunc multitudo viguit Monachorum: quos cùm glorioſè in omni ſcientia ſcripturarum tam ſæcularium quàm divinarum inſtrueret, magnam eruditionis ſuæ famam apud omnes in circuitu homines adquiſivit: qui poſt paucos annos per Archiepiſcopum Hetigerum Abbas ſancti Ferrutii factus eſt, *id eſt* in Bleidenſtat Monaſterio, *quod Trithemius factum dicit anno* DCCCC XXI. *In illud ferè tempus incurrit id quod Ekkehardus junior, Sancti-Gallenſis Monachus, per Tutilonem Magiſtrum in Monaſterio ſancti Albani factum refert in libro de caſibus Monaſterii ſui cap. 3.*

Probus an auctor Vitæ S. Patricii.

5. *Stephanus Baluzius, vir magnæ eruditionis, in Notis ad Lupum ſuſpicatur, Probum noſtrum eſſe conditorem libri de vita ſancti Patricii Hiberniæ Apoſtoli, qui liber exſtat in Bedæ operum tomo 3. Et Poſſevinus ait, Probum auctorem iſtum fuiſſe Hibernum. quod convenit Probo noſtro, quem Scottum (eo nomine Scottos etiam in Hibernia natos appellabant veteres)* Walafridus *vocat.*

piè obit.

6. *De Probi obitu ita ſcriptum lego in Annalibus Fuldenſibus.* Anno DCCC LIX Probus Preſbyter religioſus, cujus caſta converſatio & doctrinæ ſanctæ ſtudium Mogontianam illuſtravit eccleſiam, VII Kalendas Junii diem obiit. Sed quoniam per omnia longum eſt texere, qualiter in ſuprà dicta eccleſia ſine faſtidio, die noctuque, fructuoſo labore deſudaverit; vel quo modo omnia omnibus factus fuerit, ut cunctos lucrifaceret Chriſto; ſaltem aliqua virtutum illius duobus verſiculis non pigeat memoriæ commendare, ut ex his cetera divinitus illi collata faciliùs valeant intelligi.

Quàm prudens, humilis, patiens, caſtuſque fuiſſet,
Littera vel lingua nulla referre poteſt.

Sanctus dictus.

Hermannus Contractus eumdem ſanctum *vocat anno prædicto, his verbis.* Crebri terræ motus Moguntiacum concutiunt, ibique Probus Preſbyter religioſus & ſanctus obiit VII Kalendas Julii, *legendum* Junii, *uti in Annalibus Fuldenſibus & apud Trithemium. quæ correctio etiam adhibenda Martyrologio Benedictino, in quo Probus* ſanctus *inſcribitur.* Beatum *appellavi religionis cauſâ. Neque enim ullo cultu in eccleſia Moguntiaca honoratur. Ea de cauſa* Beatum *dicere maluit Serarius in lib. 4 Archiepiſcopo ſeptimo, ubi ex mſ. codice refert, Probum* Monachum *apud ſanctum Albanum fuiſſe* incluſum, *mortuumque anno* DCCC LX, *rectiùs* DCCC LIX, miraculis clarum. *Idem Auctor eo loci modeſtè arguit* W*ionem, qui Carolum Pippini Regis Aquitaniæ filium, & Rabani in ſede Moguntina ſucceſſorem,* Divi *titulo nimia facilitate affecit in Lupi Vita lib. 2.*

Carolomannus ibi degit.

7. *Eodem ferè tempore Carolomannus, Caroli Calvi filius, è Corbeienſi Monaſterio fugâ elapſus, refugit ad Ludovicum Germaniæ Regem patruum ſuum, qui* Carolomannum cæcum Liutberto Archiepiſcopo paſcendum in Monaſterio ſancti Albani apud Moguntiam commendavit, *ut in Bertinianis Annalibus legitur. Addo ex mſ. Chronico Saxonico, Liutgardam Regis Ottonis filiam anno* DCCCC LIII *fuiſſe ſepultam in eccleſia S. Albani*, cujus *Liutgardæ* fuſum argenteum in ejus memoria ibidem eſt ſuſpenſum.

Liutgardis ſepulta.

S. Severi iſtuc tranſlatio.

8. *Ante hac omnia celebris fuit ſæculo* IX *tranſlatio ſanctorum Severi, Vincentiæ, & Innocentiæ in idem S. Albani Monaſterium, auctore Otgario Archiepiſcopo Moguntiacenſi, quam tranſlationem Lambertus Schafnaburgenſis ad annum* DCCC XXXVI *rectiùs refert, quàm alii ad alios annos. Horum Sanctorum acta & tranſla-*

Ann. Chr. DCCCLIX Maii XXVI.

tionis hiſtoriam duobus libris expoſuit LIUDOLFUS *Presbyter Moguntiacenſis, eoſque libros* ERLARIO *Diacono nuncupavit. Et in primo quidem libro ſcribit, ut ipſe ad Apoſtolorum limina profectus, indeque Ravennam, deverterit in proximum S. Severi Monaſterium, in quo prædictorum Sanctorum reliquiæ ad id uſque tempus, quo à quodam Clerico Gallicano, nomine Felice, inde furtim ſublatæ ſunt, adſervatæ fuerant. Iſtic Liudolfus à quodam Monacho S. Severi aliorumque geſta didicit, quæ libro primo complexus eſt, rejecta translatione in ſecundum. Utrumque librum exhibet tomus 1 Februarii Bollandiani, ex quo ea quæ ad præmiſſam tranſlationem pertinent, Liudolfi verbis huc referre juvat.*

Felix è Monaſterio S. Severi

9. Fuit quidam Clericus de Galliæ partibus, nomine Felix, (utrum factis necne, non eſt meum judicare) quem dum puer eſſem, me vidiſſe memini. Huic erat conſuetudo per diverſas vagari provincias, & Sanctorum reliquias ubicumque potuit, furari quæſtûs cauſâ. Hic ad prædictum Monaſterium, quod inter urbem Ravennam & ſanctum Apollinarem ſitum eſſe diximus, cum quibuſdam ſociis venit; ibique religionis gratiâ quaſi peregrinus ſuſceptus eſt, tantamque illorum Fratrum expertus eſt humanitatem, ut quotidiana inibi, quaſi unus ex ipſis, acciperet ſtipendia; qui etiam ne illi Fratres aliquid de eo ſuſpicarentur ſiniſtrum, ſacramento firmavit, ſe numquam de eodem Monaſterio receſſurum. Cumque tam familiariter eo loci aliquamdiu converſari cœpiſſet, junxit ſe cuſtodi Eccleſiæ, eique ſedulum exhibebat obſequium.

ejus Sanct. reliquias furatur.

10. Tempus autem opportunum ad id propter quod venerat, nactus, oſſa prædictorum furatus eſt Sanctorum, & cum ſuis complicibus fugam iniit. Quod cùm Fratres comperiſſent, miſerunt nuntios ad Optimates Italiæ, ut omnes exitus viarum de Italia præoccuparent, ne ullatenus inde labi potuiſſet. At ille cùm loca ſibi effugiendi denegata cognoviſſet, per devia nocte incedens Ticinum venit, ibique aliquanto latuit tempore.

Legatio Ludovici Pii ad Lotharium.

11. Interea LUDOVICUS Imperator OTGARIUM Magontienſem Archiepiſcopum, & HILDI Wirdunenſem Antiſtitem, duoſque Comites, quorum alter WARINUS, alter ADALGISUS vocabatur, ad LOTHARIUM filium ſuum qui eo tempore Ticini morabatur, deſtinavit, pro pace & amicitiis inter eos reparandis, quæ pravorum hominum machinatione ex aliqua parte erant turbatæ. Quo cùm perveniſſent, prædictus Felix cum Sanctorum reliquiis quas furatus fuerat, ad hoſpitium Otgarii ſe contulit, & qualiter feciſſet indicavit. Quas Otgarius cum gaudio ſuſcipiens ſuis abſcondit in ſcriniis; & ne alicui ad illas pateſceret aditus, proprio eas ſignavit ſigillo. Mane autem facto Hildi & prædicti Comites ad manſionem Otgarii convenerunt, quatenus invicem conferrent, qualiter legationem ſibi injunctam concorditer peragerent. Cumque introiſſent cellam, ubi ſanctæ in ſcriniis ſervabantur reliquiæ, horror & timor nimius irruit ſuper eos, ita ut tremore agitati vix reſiderent. Quos Otgarius pallentes & trepidantes videns, interrogavit, quæ cauſa eſſet tanti timoris. At illi, Forſitan, inquiunt, in hac legatione finem hujus vitæ ſumus habituri. Nam nec contra hoſtes in bello poſitos talis tantuſque timor nos umquam invaſit. Nolite, inquit, Otgarius, timere, nullas enim in hoc itinere, Deo nos protegente, patiemur anguſtias. Sed, ſi vultis gratanter accipere, ego vobis dicam cauſam hujus timoris. Heſterna quippe die allatæ ſunt mihi Sanctorum reliquiæ, quas penes me in iſtis habeo ſcriniis: quibus quoniam huc ingredientes condignum non præbuiſtis honorem, meritò incidiſtis in timorem. At illi hæc audientes, genua flectunt, & ſibi proſpera evenire per ſuffragia Sanctorum poſtulabant. quod & factum eſt. Nam ſequenti die à Lothario honorificè ſuſcepti ſunt, & legatione peracta voti compotes redierunt ad Imperatorem qui miſerat eos. Prædictus autem Felix cum ſociis ſuis acceptis ab Otgario equis & aliis muneribus, inter homines illius latitantes de Italia egreſſi ſunt, & Italorum præparatas devitarunt inſidias.

Ann. Chr. DCCCLIX Maii XXVI.

Otgarius reliquias defert Mogontiam.

12. Otgarius verò peracta legatione de palatio Imperatoris Maguntiacum veniens, Sanctorum reliquias cum ſumma veneratione ſuſcipi à Clero & populo præcepit. Quo facto oſſa S. Severi juxta altare S. Albani in loculo poſuit, & S. Vincentiæ ad auſtralem plagam, ſanctæque Innocentiæ ad ſeptemtrionalem eccleſiæ ejuſdem, ut in priori libello præfati ſumus, honeſtiſſimis in locis juxta ſingula altaria collocavit, conſtructis deſuper lectulis, quos veſtivit auro & argento, ſicut hucuſque cernentibus liquet.

deinde Erpheſfurt.

13. Evoluto autem aliquanto tempore idem venerandus Archipræſul Otgarius volens ſanctas iſtas reliquias ad majorem ſacri cultus venerationem perducere, oſſa S. Severi tranſtulit in Turingiam, ad locum regalem qui vocatur *Erpheſfurt*, comitantibus Preſbyteris & Clericis diverſi ordinis, turbaque populi non modica. Sed antequam ſacratiſſimi cineres illuc pervenirent, in itinere multis Deo operante miraculis claruerunt: quorum pauca de pluribus hic non piget inſerere. Nam ſicut illi retulerunt qui eidem tranſlationi ſe interfuiſſe teſtati ſunt, ſorores quatuor de Turingia cum cætera multitudine obviàm ſanctis venerunt reliquiis, quarum unam quæ major natu erat, ſpiritus malignus invaſit, & coram omnibus qui aderant, graviter vexavit. Erat autem in eodem itinere Preſbyter quidam, nomine Reginharius, poſtea verò Epiſcopus, quem tu quoque ſæpiſſime vidiſti, cui Dominus tantam gratiam in ejiciendis dæmoniis contulit, ut nullus ei dæmon reſiſtere auderet, quin ſtatim ad nutum ejus ab homine invaſo exiret. Solebat enim quando ad hominem à dæmone poſſeſſum acceſſiſſet, dicere, Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Is cùm libellum exorciſmi ſuper dæmoniacam legere cœpiſſet, ſpiritus nequam ſuper os mulieris dixit: En ejicis me hinc per verbum Domini & merita ſui Confeſſoris: ſed antequam ad *Erpheſfort* pervenias, invenies me non ſemel neque bis tibi adverſantem. Quibus dictis, vas poſſeſſum derelinquens, ſororem illius ingreſſus eſt, & ſimili modo vexavit. Inde per divinam gratiam expulſus, tertiam arripuit, & non minùs cæteris inſanire compulit. Qua etiam per Domini clementiam & ſancti Confeſſoris ſui merita ſanata, quartam, id eſt ultimam earumdem ſororum invaſit, & ſupra modum miſerabiliter cruciavit. Tunc prædicto Preſbytero libellum exorciſmi legente, apoſtata ſpiritus dixit, audiente omni populo qui aderat: Væ nobis miſeris, qui hanc regionem diutiſſime à nobis poſſeſſam deſerere modò debemus, propter adventum S. Severi: non enim deinceps talem in illa regione habebimus poteſtatem, ſicuti hactenus habuimus. Et hæc dicens abſceſſit. Mulier verò à dæmonis infeſtatione liberata feretrum ſancti Confeſſoris uſque ad *Erpheſfort*, Deo gratias agens, ſecuta eſt.

14. Oſſa autem ejuſdem Sancti in eccleſiam in honore S. Pauli Apoſtoli dedicatam tranſlata ſunt: ubi dum adhuc in loculo, ſicut allata erant, inhumata jacerent, tanta ſignorum & prodigiorum multitudo claruit, tanta virtutum vis in omni genere ſanitatum per divinam gratiam enituit, ut à nullo mortalium eorumdem miraculorum aut numerus comprehendi, aut varietas valeat enarrari. Defuncto autem Otgario, & ſucceſſore illius Rabano, Carolus Pippini Regis filius ejuſdem Epiſcopatus honore ſublimatur. Qui annuens precibus Sanctimonialium in Alto-Monaſterio conſiſtentium, partem quamdam de reliquiis S. Innocentiæ ad prædictum Cœnobium, ſicut ipſe vidiſti, tranſtulit. Ubi non paucas virtutes per ejuſdem ſanctæ Virginis merita Dominus facere dignatus eſt, quas ſi fortè volueris, ab his Sanctimonialibus, diſcere poteris.

S. Innocentiæ reliquiæ apud Altum-montem.

15. Hactenus ex Liudolfo tranſlationis hiſtoria, in quam nonnulla veniunt obſervanda. 1 S. Severi Monaſterium, quod inter urbem Ravennam & Claſſenſe S. Apollinaris Cœnobium ſitum erat, tum paruiſſe Monachis Ordinis S. Benedicti, poſtea Ciſtertienſibus ceſſiſſe, ac demum Commendarariorum ingluvie *omni religioſorum hominum cœtu orbatum, teſtante Ughello in Italia ſacra tomo ſecundo. Deinde Otgarii Archiepiſcopi legationem præmiſſam contigiſſe poſt conventum in Theodonis-*

villa anno DCCC XXXV *Ludovici Auguſti juſſu celebratum, ad reconciliandos ſibi ſubditorum averſorum animos, uti Bollandus obſervavit. 3 Reginarium ſuperiùs memoratum eumdem videri cum Reginbaldo ſeu Reginaldo, qui fuit Chorepiſcopus eccleſiæ Moguntinæ, ſuperiùs laudatus in Actis Rabani. 4 Altum-Monaſterium, cui conceſſa eſt pars reliquiarum ſanctæ Innocentiæ, à ſanctâ Bilhilde ædificatum in gratiam Sanctimonialium, etiamnunc ſupereſſe apud Mogontiam, & vulgò Vetus-Monaſterium appellari. Fuit autem Bilhildis illuſtris ac piiſſima femina ſæculo* VII, *Sigeberto Moguntino Epiſcopo, cujus conſilio patrimonii ampliſſimos reditus expendit in conditionem Parthenonis Virgini Deiparæ ſacrati, in quo & ipſa religioſiſſimè ad obitum uſque vixit. Ejus Acta ex Breviario Moguntino apud Surium relata Bilhildem* viduam *appellant. At in pervetuſto Sacramentali, quod in Divionenſi S. Benigni bibliotheca aſſervatur, fuitque olim eccleſiæ Fuldenſis, Kalendarium præfixum mentionem facit* SANCTÆ BILHILTÆ VIRGINIS V Kal. Decembris, *quo die ejus Acta habentur apud Surium. Legeſis quæ de S. Bilhilde ſcribit Serarius in rerum Moguntiacarum lib. 2 cap. 30 & ſequentibus.*

Ann. Chr. DCCC LIX Maii XXVI.

VITA SANCTI MEGINRADI

Ann. Chr. DCCC LXI Janu. XXI.

EREMITÆ ET MARTYRIS APUD HELVETIOS.

Auctore, ut videtur, BERNONE Abbate Augienſi ſæculo XI.

Ex Chriſtophoro Hartmanno & Bollando.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. INTER *pios ſanctoſque Augienſis Monaſterii viros, quos in Sæculi tertii parte ſecunda commemoravi ad Vitam ſancti Pirminii, locum habet in primis ſanctus* MEGINRADUS *ſeu* Meginratus, *quem alii* Meinradum, *alii corruptè* Meinardum, Meinrardum, Meinhardumve *appellant. Fuit is Monachus primùm in Augia inſula, tum Eremita in Nigra ſilva ad lacum Tuvicinum; demumque* Martyr *pro more illorum temporum dictus. Quippe uſus tum obtinebat, quod alibi obſervavi, ut quiſquis cruenta morte vitam finiret,* Martyr *appellaretur, colereturque, ſi aliàs moribus & vitâ integer fuiſſet. Meginrado quæ necis cauſa fuerit, non ſatis apparet. non alia ſanè videtur quàm fera crudelitas aut cupiditas duorum ſicariorum, quibus viri ſancti vita, & forſan etiam objurgatio gravis erat. Ejus vitam ſcripſit Anonymus quidam, quem Chriſtophorus Hartmannus, Einſidlenſis Monachus, vir doctus, Bernonem eſſe judicavit. Et ego quidem Hartmanni conjecturæ accedo, ſi* BERNONEM *Augienſem Abbatem intelligat. Ut potiùs Bernoni Abbati, quàm Bennoni cellæ ſancti Meginradi ſecundo incolæ (cui Bollandus eam lucubrationem tribuit) adſignandam putem, illud me movet, quòd Bernone Abbate, qui Augiam rexit ab anno* M VIII *in annos* XL, *ſancti Meginradi corpus levatum è tumulo eſt. ſicque is hoc ritu in Sanctorum numerum relatus auctoritate Benedicti Papæ noni, uti Hartmannus ſcribit. Unde hac occaſione factum reor, ut Berno ſancti Eremitæ res geſtas litteris mandaverit, quò ejus ſanctimoniam Pontifici aliiſque notam faceret. Vitam hanc ſancti Meginradi verbis paullulum immutatis primus vulgavit Surius, tum Hartmannus in præclaris Annalibus Eremi beatæ Mariæ, denique Johannes Bollandus in Januario ſuo cum commentariis.*

Meginradus Martyr.

Vitæ ſcriptor.

2. *Meginradi memoria inſerta eſt faſtis ſacris in Martyrologio Romano, Benedictino & aliis recentioribus ad diem 21 Januarii. At in Benedictino illud animadverſione dignum, quòd* Meginradus *Eremita prædicto die memoretur, & die 17 Februarii* Megimadus *Einſidlenſis Abbas: & quòd Menardus noſter in lib. 2 Obſervationum Megimadum vocet condi-*

Memoria.

ANN. CHR. DCCC LXI JANU. XXI.

torem Cœnobii Einſidlenſis, dicens eum claruiſſe ad annum octiagenteſimum ſexageſimum, ut docet Miraus in Chronico Benedictino. Unus enim idemque fuit & Meginradus Eremita, & qui Einſidlenſi Monaſterio originem dedit, Meginadus apud Miraum corruptè appellatus.

Einſidlenſe Monaſterium.

3. Einſidlenſe nempe Monaſterium conditum eſt eo in loco, ubi ſanctus Meginradus ſolitarius vixit. qui locus per annos minimùm quadraginta quatuor ab obitu Meginradi abſque colono & cultu fuit, uſquedum ſanctus BENNO *Canonicus Argentinenſis eò ſeceſſit, & adiculam ſqualore & impluvio collabentem refecit. tum ſanctus* EBERHARDUS *ex Præpoſito itidem Argentinenſi Eremita Monaſterium adjunxit, Abbas loci primas; & ſacellum beatæ Mariæ à Meginrado primùm conditum, à Bennone ſaſtauratum majori baſilica incluſit. Succeſſit ſanctus* GREGORIUS *Abbas ſecundus, quem regia Anglorum ſtirpe progenitum tradunt. cujus operâ Monaſterii facultates aucta non minùs quàm exiſtimatio & fama. De his agendum in Sæculo ſequenti. Meginradi corpus, quod Augiæ ſepultum fuerat, eò revectum eſt, ſaltem majori ex parte, anno* MXXXIX, *teſte Hermanno Contracto Augiæ Monacho, cujus hac verba:* Eccleſia cellæ ſancti Meginradi III Idus Octobris dedicatur, reliquiæ corpus ſancti Meginradi. *Sic habet editio Caniſiana. Legendum puto,* & corpus ſancti Meginradi in eam tranſlatum eſt. *Sed forſan càm non totum corpus, ſed pars eò tranſlata fuiſſet; Augienſes gloſſematis loco repoſuerunt* reliquiæ, *ne ſcilicet etiam aliqua ejus parte carere putarentur. A tempore ſancti Meginradi dicta eſt* Cella ſancti Meginradi, *ſeu* Meginradeſcella, *tum* Eccleſia ſanctæ Mariæ in cella ſancti Meginradi, *&* Monaſterium in ſilva Nigra, *aliquando* Eberhardeſcella, *ab Eberhardo ſecundo Eremita; denique* Monaſterium Eremi ſeu Eremitarum, *Teutonicè* Einſidlen, *&* Monaſterium beatæ Mariæ in Eremo, *ob cultum Deiparæ Virginis continua peregrinantium religione ibi frequentatum. Monaſterium ſitum eſt in diœceſi Conſtantienſi, inter Tigurinum & Luceracenſem lacus, in edito monte, quem ſilva undique veſtit.*

PROLOGUS AUCTORIS.

1. DICTURUS venerabilis viri MEGINRADI Eremitæ & Martyris paſſionem & obitum, libet parumper reflectere ſtilum: atque quo tempore doctus, ubi, & unde, quò, vel cui traditus primùm ad diſcendas litteras, ſub quo Abbare monaſticam vitam ſubierit ſervandam, qualiter etiam à fraterna acie ſingulare certamen eremi adierit, breviter prælibare. Regrediar ergo ad ſingula quæ propoſui reſolvenda.

VITA INCIPIT.

Meginradus nobili gehere natus,

2. TEMPORIBUS CAROLI glorioſiſſimi Imperatoris Francorum, qui primus inter ipſos Cæſaris nomen accepit, prædictus vir in Alemannia natus eſt, in pago, quem ex villa Sulichgewe [a] vocavit antiquitas. Parentes [b] verò ejus ex Alemannis fuerunr, morum nobilitate magis conſpicui, quàm divitiis periruris. Qui cùm eam attigiſſet ætatem, quâ aptari poſſet litterarum ſtudiis, à patre ducirur ad inſulam, quam veteres Sindlocheſaugiam vocabant, à nomine cujuſdam Preſbyteri [c], qui SINDLOCH appellatus, primò in ea habitacula Monachorum conſtruxit, & ſecum PIRMINIUM cum ſociis ad habitandum eò induxit, juſſu BERCHTOLDI nobiliſſimi Alemannorum Ducis, temporibus PIPPINI Regis Francorum; ſuoque ex nomine nomen indidit inſulæ. Huc ergo puer præfatus à patre ductus commendatur viro per omnia honeſtiſſimo ERLEBALDO [d] Monacho, qui etiam prædicto puerulo propagine carnali affinis fuit. Is cùm infantulum bonæ indolis conſpiceret, gratanter nutriendum ſuſcepir, ſtudioſè docuit, atque eo uſque imbuendo produxit, ut ſanctarum Scripturarum ſcientiam infudiſſet. Nam puer

Augiæ inſtituitur.

Sub Erlebaldo præceptore.

a Hodie *Sulgovia*, vulgò *Sulgen*, aliis *Sulgavv*, juxta Danubium.

b Patrem Bertholdum Sulgoviæ Comitem vocat Hermannus.

c Immo Comitis, qui ſancto Pirminio locum dedit tempore Caroli Tuditis, Pippini Regis patris. Lege Vitam S. Pirminii in Sæculo III.

d Hermannus Contractus. *Anno* DCCCXXII *Augia* HEITONE *Abbate & Epiſcopo privatam & quietam vitam adoptante,* ERLEBALDUS *Abbas* XIII *præfuit annis* XIII. Adi Vvalafridum Strabum ſuprà in carmine de Vvetino.

à

ANN CHR. DCCCLXI JAN. XXI.

à primæva ætate jocos atque errores, quibus tenerior ætas implicari ſolet, vitavit, atque ad ea mentem occupavit ſuſcipienda, quæ docuerat magiſter.

Diaconus, & tum Sacerdos.

3. Cum autem viceſimum quintum ætatis annum attingeret, ad Diaconatûs officium, & non multùm pôſt ad Preſbyteri gradum, faciente eodem ſuo magiſtro, ſublimatus eſt. Fuit autem tunc temporis, regnante LUDOVICO Cæſare filio Caroli, in ipſa inſula Abbas nomine HATTO, vir valde in doctrina & operibus bonis morumque nobilitate fulgens, qui & Baſileenſis Eccleſiæ Præſul exſtitit. quo actuoſæ vitæ negotia reſpuente, atque ad contemplativæ vitæ pulcritudinem ſe transferente, præfatus ERLEBALDUS cum licentia Ludovici Cæſaris electus ab omnibus, prædictæ inſulæ & Fratribus præficitur, atque in Abbatis officium ſubſtituitur. Qui ſtatim hac poteſtate ſuſcepta jam ſæpe dictum virum venerandum Meginradum ſuaſit jugum ſuſcipere, normamque monaſticæ vitæ ſubire tenendam. Conſenſit ergo ſalubri conſilio, & promiſſionem fecit, atque omni intentione ſtuduit promiſſa ſervare, promtus ſemper ad obediendum, in jejunando ſtrictus, in oratione aſſiduus, in miſericordiæ operibus largus, & maximè humilitate ſubſtratus omnibus.

postea Monachus.

a Scholis præficitur.

4. His dum polleret moribus, à præfato Abbate deſtinatus ad cellulam [a] quamdam ad jam dictum Monaſterium pertinentem, ſitam juxta lacum Turicinum *, quem interfluit Lindemacus * fluvius, ut ibidem ſcholæ præeſſet, & talentum quo ipſe ditatus erat, ad lucra dominica in plurimos diſpergeret. Aliquantulum temporis fluxerat, eo in his detento: quadam die ſumſit ſecum ſcholaſticos quos nutrierat, & prædictum lacum tranſnavigans intravit eremum, quæ ipſius laci litori adjacet, & uſque ad Alpes Penninas tendit, atque ad villam Chama, causâ piſcationis & ad loca eremi intuenda. Perveniunt itaque ad fluvium quemdam, qui in ipſa decurrit ſolitudine; ibique vir beatus ad piſcandum occupat comites: ipſe verò in conſideratione ſolitudinis ſolus ſpatiabatur. accenſus enim erat nimiùm amore ſolitariæ ſedis. Qua conſideratione, dum mentem diu paſceret, rediit ad ſocios, invenitque eos non parvâ prædâ piſcium oneratos. quos taliter affatur: Gratias Largitori, qui nos ſuis miſericorditer ditavit donis. Jam, filii, ſi placet, redeundum eſt proprios inviſere lares. Regreditur, villamque [b] deveniunt non longè à litore ſitam.

* de Zurich

* Limmat

eremum luſtrat.

In ea habitare deliberat.

5. Ibi cujuſdam matronæ hoſpitium intrantes, paullulùm quieverunt, reficientes ſe cibo & potu. Vir autem Dei prædictam matronam cernens Dei timore plenam, & ab obſequendum hoſpitibus promtiſſimam, ardorem ſui animi occultum ei aperuit, his verbis incipiens: Cara Chriſto femina, ſi velles audire, ſecretum cordis mei tibi manifeſtarem. Sed antequam id agam, poſco ut verba mea atque voluntatem occultes, quouſque cernas, ſi poſſit opere compleri quod credo me devota mente concepiſſe. Habitatione hujus eremi ultra omnes divitias delector, cuperemque jam in ea collocare manſiunculam meam, ut familiariùs poſſem precibus vacare, ſi quempiam reperirem, qui neceſſaria corporis mihi miniſtrare ob Dei amorem vellet. Sed quia adhuc hoc ſolatio defraudor, poſco interim occultari quod cupio. Illa à Deo inſpirata (ut credo) reſpondit: Secretum tuum nulli te nolente revelabo. noveris autem, ſi in cœpto perſiſtere vis, me neceſſaria propter Dominum tibi miniſtraturam, & quantum poſſum, tuo voto ſatisfacturam.

6. Ille promiſſis rependens gratias, repedavit ad cellam, unde digreſſus eſt, ibique jejuniis & orationibus continuis à Deo popoſcit, ut quidquid de hoc negotio ei placuiſſet, in ſuo animo confirmare dignaretur. Tandem confortatus

a Bollingam vocat Hartmannus, eamque locat in dextro laci Tigurini margine ſupra vicum Jonam.

b *Altendorf* ſcilicet in montis Ezlii radice, teſte Hartmanno.

Ann Chr. DCCC LXI Janu. XXI.

Eo ſe recepit.

divina inſpiratione, reliquit cellam ſcholamque cui præerat, & reviſit hoſpitam ſuam, explorare volens utrum in ſua promiſſione perſiſtere vellet, an non. Quam dum in præbendo ſibi promiſſo ſolatio perduraſſe ſenſiſſet, non longè ab ipſa villa, in qua eadem femina commanebat, in eremo ſibi habitaculum [a] conſtruxit: atque ibidem jejuniis & orationibus indefeſſus Creatori ſervivit, neceſſaria præbente ei prædicta matrona, necnon & aliis religioſis viris.

Locum mutat.

7. Ubi dum per ſeptem annos ſuperni Regis militiam exegiſſet, multitudinem populi ad ſe venientis ferre non valens, mutavit locum, atque à prædicti laci litore quatuor millibus diſtantem reperit planitiem inter montes acceſſu valde difficilem [b]. Ibi adjuvantibus viris religioſis, & maximè quadam Abbatiſſa, Heilwiga [c] nomine, neceſſaria voti ſui conſtruxit habitacula, atque in eodem loco quod erat reliquum vitæ, permanſit: ſemetipſumque maximis macerans jejuniis, & quantum humana fragilitas permiſit, ſine intermiſſione oravit. quæ ſibi à fidelibus viris & feminis mittebantur, cuncta ad ſe venientibus in eleemoſynam erogavit.

Sibi data erogat pauperibus.

Dæmonum tentationibus impetitur.

8. Accidit autem inter hæc, ut quadam die eo orante tanta multitudo dæmonum circa illum undique diffunderetur, ut nec ipſam lucem diei, iiſdem tenebrarum miniſtris obtenebrantibus, cernere poſſet. Qui cùm eum minis terribilibus & horrore nimio fatigarent; in oratione proſtratus, ut res poſcebat, cum omni ſtudio ſe pio Domino commendabat. Quod cùm diu ageretur, cernit ab Oriente lucem: quam lucem ſecutus Angelus, ad ipſum, ubi in oratione jacebat in medio malignorum ſpirituum, pervenit, magna auctoritate agmini nefando præcepit, ut diſcederent, nihilque tentationis & terrotis ei ultrà inferre auderent. Diſcedentibus itaque hoſtibus prædictus eum Angelus amicabiliter conſolatus, diſceſſit: atque ab ipſo die (ut vir venerabilis referebat) nil terroris ultrà à malignis ſpiritibus ſuſtinuit.

Monaco inviſente,

9. Accidit etiam poſtea, ut quidam Frater de prædicto Monaſterio eum viſitationis gratiâ adierit. quem benignè ſuſcipiens, cum ſociis qui cum illo venerant, cuncta quæ hoſpites decebant, quantum poſſibilitas permiſit, benignè exhibuit. Cùm verò jam tempus veſpertinum veniſſet, & ſidera ſplendentia ſuaderent ſomnos, refecerunt ſe dulcibus collationum colloquiis, atque poſt Completorium ierunt dormitum, in loco ſeparato Frater qui advenerat, ſeorſum etiam ejus comites; necnon & ipſe venerabilis vir in privata manſiuncula. Paullulum ergo reficiens corpuſculum ſomno, vir Dei ſurgit, atque adſuetis incubat pervigil precibus. Prædictus etiam Frater, licèt in ſtrato quieſceret, pæne inſomnem duxit noctem. Dum autem huc vel illuc curioſè verteret oculos, cernit puerum in albis veſtibus ab ipſo oratorii loco progredientem, miræ pulcritudinis, ut ei viſum eſt, ætatis ſeptem annorum, qui ingreditur ad virum ipſum Dei, & cum eo orante orabat, & diverſa cum eo loquebatur. cujus collocutionis licèt prædictus Frater vocem audiſſet, ſenſum tamen ejuſdem vocis non percipiebat. Qui etiam puer ipſi Fratri plenè vigilanti adſtitit, atque de quibuſdam monuit, quæ omnino Frater ille ſibi interdicta eſſe, ne in palam proferret, dicebat. Supprimo multa, brevitati ſtudens quæ de eo miranda plurimorum narratio certa demonſtrat.

Ipſe ab Angelo inviſitur.

A duobus nefariis quæſitus ad necem,

10. Cùm ergo in ipſa eremo viceſimum ſextum annum ageret, ſerviens Domino in jejuniis & abſtinentia cunctarum mundalium rerum, contigit eo inſpirante qui ſerpentem intravit, & per os ejus protoplaſtos decepit, & de pa-

[a] Ibi nunc quoque ſacellum ſancti Meginradi in Ecelio dictum. Seceſſum hunc ad annum DCCCXXXII revocat Hartmannus. Præſeſto annum DCCCXXVIII. ſiquidem obierit anno DCCCLX nam in eremo Ecelii ſeptem, in ſilva Nigra viginti ſex annos vixit.

[b] Aſportaſſe ſecum ex Ecelii cella Regulam S. Benedicti, ſcripta Caſſiani, Miſſale, librum homiliarum, Hartmannus tradit ex monumentis Augienſibus.

[c] Hartmannus interpretatur Hildegardem Ludovici Germanici Regis filiam, cui tum pater Tiguri Cœnobium Fraventmunſter dictum ædificabat.

I

radiſo ejecit, duos homines cauſâ eum occidendi, cellam illius properare. qui cùm veniſſent ad villam [a] quamdam in Tigurini laci litore ſitam, rogaverunt ſibi monſtrari, quæ pars pervia eſſet adeundi cellulam ad ejus. quod cùm eis monſtratum eſſet, maturè per noctem ſurgentes, aggreſſi ſunt monſtratum ſibi iter, agitante qui eos impleverat, teterrimo ſpiritu. Diu tamen erronei à recto tramite ducente ad ipſam cellam, dæmone tandem vexati, quò volebant pervenerunt, maxima jam parte diei elapſa.

Ann. Chr. DCCCLXI. Janu. XXI.

11. Ipſe verò ſolitis orationibus incubans, Miſſarum devotè ſollemnia libabat Creatori. Priùs autem quàm in ipſam cellam maligni intraſſent, (quorum unus vocabatur RICHARDUS, eratque genere Alemannus, alter verò PETRUS, qui Rætianorum natione procreatus eſt) pulli, quos vir venerandus eodem in loco nutrierat, eos in proxima venire conſpicientes, quaſi à vulpe inſequerentur, per eremum diffugerant, clamore inſolito & ſtrepitu inaudito ſilvam reſultante echo complentes, ita ut etiam ipſi latrones hac de re multùm mirarentur & obſtupeſcerent, atque ad prodigium hoc pertinere, propriæ mentis decernerent judicio.

Miſſam celebrans reperitur.

12. Attamen à cœpto non diſtracti, aggrediuntur capellam, in qua vir Dei, ut prædictum eſt, orationibus Dominum ſibi placabat profuſis, corpuſque dominicum, ut præſcius futurorum, ad viaticum obitus ſui puro corde ac devota mente ſuſceperat. Jamque vir Dei, ut ſenſiſſet adeſſe peremtores ſuos, non tamen ſe eis ſtatim præſentavit; ſed modicùm adhuc differens clauſum oſtium ipſius capellæ non aperuit, ut aliquantiſper in oratione adhuc demorari potuiſſet. Strenuè ergo orationem complevit, capſaſque ſingulas reliquiarum manu ſuſcipiens & deoſculans, commendabat agonem ſuum Domino & Sanctis, quorum reliquias complectebatur reverenter. Hoc qui advenerant maligni, per foramen quoddam parietis eum agentem inſpiciebant. Jamque athleta fortis, Deo confortante, pugnaturus egreditur, præſentiamque ſuam non negat occiſoribus. ac primùm ſalutationis verba ad eos proferens, pòſt intulit: O ſocii, cur tam ſerò veniſtis? quare non maturaſtis venire ad audiendum parvitatis meæ Miſſam, ut pro vobis communem Dominum deprecarer? ſed vel nunc intrate, poſcituri placabilem nobis fore Dominum, & Sanctos ejus, ac poſtea revertimini ad me, ut quid donante Deo vobis benedictionis præbere valeam, impertiar pro ejus amore. ſicque complete opus ad quod agendum veniſtis. Intrantes igitur oratorium, non ad id ad quod ſuadebantur intenti; ſed ad malum ad quod venerant perpetrandum; continuò regrediuntur ad eum. quibus vir Dei tunicam & cucullam ſuam dedit, panem inſuper ac potum addidit, dicens: Hæc de manibus meis percipite; poſtquam verò compleveritis ad quod agendum veniſtis, poteſtis horum quæ adſunt, per vos tollere quod cupitis. Scio enim quòd ad occidendum intraſtis, ſed unum à vobis poſco beneficium, ut dum præſentis vitæ curſum in me terminaveritis, candelas quas inſpicitis, quas etiam ad hoc ipſum formavi, unam ad caput meum ardentem, & aliam ad pedes ponite, & citò poſtea ab hoc loco diſcedite, ne à ſupervenientibus, qui me viſitare ſolent, conſtringamini, pœnas luituri ſceleris veſtri.

Reliquias oſculatur.

ſicarios benigne accipit.

13. Confeſtim igitur Richardus prædictus, pollutis manibus beatum virum medium comprehendit, ac tenaciter maceratum jejuniis corpuſculum brachiis ſtrinxit, ſocioque minaciter juſſit, ut Sanctum fuſte percuteret. Qui cùm diu eum feriendo circa latus & ſuras debilitaſſet, Sancto extendente palmas ad Dominum, alter intulit dicens: O ſegnis, cur eum in caput non percutis, ut plagam mortalem ſuſcipiat? quam ſi tu tardas inferre, ego citiſſimè illaturus ſum. Confeſtimque fuſte apprehenſo ictum librabat in caput vehementiſſimè. Hoc modo vir ſanctus plagatus, ſemivivus in terram corruit; & illi conti-

Ab iis fuſte cæditur.

[a] Endigen ſcilicet, ubi deinde opidum Rappervilla cum arce conſtructum, ut ex Vita Germanica notat Bollandus.

Ann. Chr. DCCCLXI Janu. XXI. nuò in eum irruente guttur ejus ſuffocant manibus, quouſque exhalaſſet ſpiritum. Egrediente autem jam anima, in ipſo tractu noviſſimæ exſpirationis tantæ ſuavitatis odor progrediens totum cellulæ locum compleverat, ac ſi omnium pigmentorum odoramenta ibi diffuſa fragrarent.

Suavem ſpirat odorem.

Corpus in lecto locant.

14. Poſtea verò nudaverunt eum veſte qua erat indutus, & portantes poſuerunt in lectum, quo vir Dei requieſcere ſolebat. Nudo ſuppoſuerunt [a] filtrum [b], ſupponentes etiam & quædam fragmenta, atque, ut vivens vir Dei rogaverat, candelas ſumſerunt, unam ponentes ad caput; cum alia currebant ad ipſam capellam, lumen inde allaturi, quod in eodem oratorio jugiter ardebat. Repedantes verò ad corpuſculum defuncti, invenerunt clarè ardentem, quam poſuerant candelam exſtinctam. Tantus autem eos continuò invaſit timor, ut nihil contingere de rebus ad altaris officia pertinentibus auderent. Veſtes ac ſtramenta quædam lectuli ejus ſumentes, feſtinè repedabant, unde digreſſi ſunt.

A corvis detecti ſicarii,

15. Eis autem inde fugientibus, corvi qui more ſolito ad famulum Dei venerunt, ac præbendam de manibus ejus ſuſcipere, quaſi vindicare cupientes exſtinctum, ſequebantur latrones, vocibuſque grandiſonis replebant ſilvas, & quàm proximè poterant capitibus eorum advolantes prodebant perpetratum nefas. Non multum pòſt ipſi maligni comprehenſi ſunt, & quod occultè perpetraverant, patefactum eſt ſcelus, nolente Deo differri peccati pœnam, quam meruerant in occiſione ſervi Dei. Etenim Judicibus & populo Chriſtiano ſub Comite ADALBERTO [c] eos ad hoc decernentibus vivi incenſi ſunt.

dani pœnas.

16. Candela autem quam ad caput viri Dei poſuerant, & quæ cælitus accenſa eſt, ardebat uſque ad ſtramenta, quæ ſuperpoſita fuerant defuncto corpuſculo. quorum etiam partem ipſe ignis invaſit, & pervenit uſque ad membra defuncti. quæ dum attigiſſet, ſicut divinitus accenſus fuerat, ita etiam Dei nutu exſtinctus eſt. Ilico autem diffamatur de morte ejus. qua comperta, venerabilis Abbas WALTHERUS [d] & Fratres ſub ipſo degentes, corpus viri Dei ex ipſa eremo auferentes, atque ad Monaſterium Augiam deferentes, ibi digno ſepelierunt honore. Paſſus eſt autem ſanctus Martyr duodecimo Kalendas Februarii anno ab Incarnatione Domini octingenteſimo ſexageſimo tertio [e], regnante LUDOVICO Rege in orientalibus Francis, anno viceſimo octavo regni ejus.

Martyrii tempus.

[a] Id eſt ſuperpoſuerunt. quo ſenſu etiam ab aliis Auctoribus mediæ ætatis nonnumquam ſumitur. Ekkehardo juniore cap. 1, ubi Grimaldus *crucem argento deaurato veſtitam analogio nocturnali ſuppoſuiſſe* dicitur, apud Guldaſtum pag. 38 an ſcribarum vitio?

[b] Guldaſtus in Notis ad Ekkehardi caput 5, filtra interpretatur fila vel funiculos, citato Balbi Catholico. Rectiùs V. Cl. Carolus Freſnius in Gloſſario, Feltrum ſeu Filtrum lanam coactilem eſſe dicit, vulgò *Feutre*. Bernardus Prior Portarum in epiſtola ad Joſelinum, *filtrum* numerat inter ſupellectilem lectariam.

[c] Hunc eſſe puto Adalbertum, quem Ludovicus Germaniæ Rex anno DCCCXLI in Rætienſi territorio præfeciſſe fertur apud Hermannum Contractum. De alio Adalberto agit Hepidannus his verbis: *Anno* DCCCCVI *Adalbertus dictus Francorum occiditur.*

[d] Vualtherus Erlewino Abbati Augienſi ſucceſſit anno DCCCLVIII, mortuus anno DCCCLXIV, teſte Hermanno.

[e] Hermannus Contractus & Trithemius Meginradi obitum reponunt anno DCCCLX. Hepidannus Sancti-Gallenſis Monachus & Marianus Scotus anno ſequenti, utrorumque eadem ſententia. Cùm enim Meginradus menſe Januario cæſus ſit, qui anni initium à Martio ſeu à Paſchate ducebant, annum DCCCLX; qui verò à Januario, annum DCCCLXI numerabant. Unde ſtare malim horum Scriptorum auctoritati, qui hanc Vitam (ut ſimile veri eſt) legerant: in qua forſan olim aliter numeri adſcripti erant. nam & Surius annum DCCCLX legiſſe videtur. Anno MXXXIX, ut ſcribit Hartmannus ab Embrien Abbate ſexto, pridie Nonas Octobris, Einſidlenſibus redditæ ſunt reliquiæ ſancti Meginradi, quem multis hactenus miraculis celebrem eodem tempore Benedictus Papa nonus Sanctorum numero inſeruerat. Anno MDXCIX Breviario Eccleſiæ Conſtantienſis novo inſertum ſancti Meginradi nomen, decretum officium, quale de Martyribus fieri conſuevit, ritu duplici, ſed 23 Januarii, propter ſanctæ Agnetis, quæ 21 agitur, feſtivitatem, uti Bollandus obſervavit.

DE S. SVVITHUNO

ANN CHR. DCCCLXIII JUL. II.

EPISCOPO WINTONIENSI, EJUSQUE TRANSLATIONE ET MIRACULIS.

* de Vvincheſter.

1. LANTFRIDUS & WOLSTANUS *Wintonienſes * in Anglia Monachi, qui de S. Swithuni tranſlatione & miraculis ſcripſerunt, conqueruntur, quòd præ ſcriptorum ſocordia nihil de ejus vita tranſmiſſum ſit ad poſteros. Hanc è tenebris primus demum vertente ſæculo* XI *eruere tentavit* GOSCELINUS *Monachus, ex Sithienſi Cœnobio tranſlatus in Angliam cum Hermanno Epiſcopo Saresberienſi: qui Goſcelinus, referente Willelmo Monacho Malmesburienſi in lib. 4 de Regibus Anglorum capite, ultimo* innumeras Sanctorum Vitas ſtilo extulit veterum, vel hoſtilitate amiſſas, vel informiter editas comtiùs renovavit. *Ab hoc Auctore idem Willelmus mutuatus eſt quæ de Swithuno retulit, agendo de Wintonienſibus Epiſcopis. Inſtitit utriuſque veſtigiis Harpsfeldius, & poſt eum Thomas Maihewius, aliique recentiores: ex quibus hîc præcipua decerpimus.*

Goſcelinus Vitæ ſcriptor.

2. *Cujus generis fuerit, cujuſve profeſſionis ante initum pontificatum Swithunus, non ſatis explicant Gotſelinus & Willelmus. Eum Wintoniæ in Cœnobio Veteri Monachum fuiſſe cenſent Harpsfeldius & Maihewius: quorum proinde hæc ſententia eſt, Wintonienſem S. Petri cathedralem eccleſiam, medio ſæculo nono à Monachis excultam, ſubinde migraſſe ad Canonicos ſæculares, quos Æadgarus Rex poſt medium ſæculum* X *Monachis mutavit. Et quidem ita disertè mentem ſuam explicat Maihewius, ut etiam Wintonienſem eccleſiam principalem, quæ poſtmodum Vetus-Monaſterium dicta eſt, ab ipſa ſui inſtitutione per beatum Birinum Epiſcopum Monachis noſtris paruiſſe exiſtimet: qua de re fuſiùs in ſequenti Sæculo diſſeremus. De Swithuni vitæ genere ante epiſcopatum ita ſcribit Gotſelinus, cujus libellus apud Surium ſtilo mutato exſtat.* Annis puerilibus pia ſimplicitate tranſactis jugum dominicæ ſervitutis ſuis humeris imponi voluit, ſuſceptumque humiliter viriliterque portavit. Itaque in Clerum adſcitus, de gradu in gradum conſcendens, ſub HELMSTANO Wintano Epiſcopo ad ſacerdotii honorem provectus eſt. *Deinde ubi ejus fama ad Egberti Regis aures pervenit*, commendavit ei filium ſuum ADULFUM *(quem alii Ethelwlfum ſeu Alidulfum vocant)* liberalibus diſciplinis erudiendum & ſanctis moribus inſtruendum: quem poſtea Subdiaconum ordinavit. *Tametſi patre ejus ſine herede ex hac vita decedente, Leone Pontifice diſpenſante, uxorem duxerit. Certè apud Ingulfum in hiſtoria Crulandenſi exſtat privilegium à Witlaſio Merciorum Rege conceſſum, cui in multis Swithunus ſubſcribit his verbis.* Ego SWITHUNUS Preſbyter Regis Egberti præſens fui. *De Swithuni vita privata tantum eſt.*

Swithunus monachatus.

Sacerdotium.

3. *Defuncto Helmſtano Wintonienſi Epiſcopo ſuffectus eſt ab Egberto Rege Swithunus cum maximo Celnoti Cantuarienſis Epiſcopi Clerique Wintonienſis conſenſu. Eo in munere prolixis continuiſque orationibus & vigiliis auſtera jejunia adjungebat, ita diligens, ut eccleſias ſartas tectas conſervare maximè ſatageret; ita humilis ac demiſſus, ut quoties ad novæ eccleſiæ dedicationem eſſet proficiſcendum, iter pedes conficeret, ac demum moriturus præceperit, ut extra eccleſiam ſub dio corpus ſuum terræ mandaretur; quod reipſa factum eſt. Ejus obitum in annum Chriſti* DCCCLXII *referunt Gotſelinus, Matthæus Weſtmonaſterienſis, Florentius*

Epiſcopatus.

Mors & ſepultura.

Ann. Chr. DCCCLXIII Jul. 11. *Wigornienſis, & cum eis Cardinalis Baronius. Annum ſequentem præferunt Willelmus Malmesburienſis in Pontificibus, Symeon Dunelmenſis in lib. de geſtis Regum Anglorum, & Rogerius Hovedenus. Diem ſextum ante Nonas Julii adſignat idem Goſſelinus & cum eo Martyrologium Romanum & alia recentiora. Longè errat Egilwardus in libro de vita S. Burchardi Epiſcopi Wirtzíburgenſis, qui Burchardum ejuſdem S. Swithuni fratrem germanum fuiſſe appellat: cùm centum annis Burchardus Swithunum anteceſſerit. S. Swithuni tumulum deſcribit Wolſtanus in hunc modum.*

Tumuli locus.

Turris erat roſtrata tholis quia maxima quædam
Illius ante ſacri pulcherrima limina templi,
Ejuſdem ſacrata Deo ſub honote hierarchi.
Inter quam templique ſacram pernobilis aulam
Corpore vir Domini ſanctus requievit humatus,
Cujus adhuc ipſo latuit nos tempore nomen:
Nec fuerant niſi perpauci qui pandere noſſent,
Aut nomen meritumque viri, jam tempore longo
Urpore tranſacto, poſtquam ſacer ille Sacerdos
Corpore ibi tumulatus erat. nam vilis apud ſe
Mente humili in tantum Præſul fuit inclitus idem,
Ut perhibent omnes hunc qui novere Fideles,
Ut ſe poſt obitum ſineret nullatenus intra
Eccleſiæ Chriſti penetralia corpore poni:
Sed nec in electis loca per diverſa ſepulcris,
In quibus antiqui Patres jacuere ſepulti,
Aurea ſol oriens orbi quà ſpicula mittit,
Quà mediumque diem fervente calore perurit:
Sed magis occiduo mandat ſe climate poni
Illius illuſtris quam ſæpe notavimus aulæ:
Conteſtans lacrimando, ſuum non eſſe locandum
Corpus in æde ſacra Domini, præclara nec inter
Priſcorum monumenta Patrum: moderamine Chriſti
Eſt ita quod factum juſto, vir ſanctus ut idem
Qui tactus virture humili ſe ſprevit, & extra
Eſt remplum quaſi vilis homo indignuſque ſepultus:
Innumeris ſignis, virtutibus atque coruſcis
Clarus, apoſtolicam pòſt transferretur in aulam.

Hucuſque Wolſtanus in capite 2. ubi quædam ſuperioribus de eodem tumulo præmiſit his verſibus.

. . . ſtudioque require ſagaci
Præſulis unius ſancti ſublime ſepulcrum:
Quod ſuper invenies poſitum tumulare ſacellum
Parietibus ſtructum, necnon & culmine tectum,
Sarcophagi inque modum bis bina fronte locatum.
Hoc inter ſacramque crucem quæ ſiſtitur illic
Saxea, ſomniferam paullatim carpe quietem.

Tranſlatio. *4. Anno* DCCCCLXXI, *Indict.* XIV, *ex humili illo tumulo S. Swithuni corpus in interiorem baſilicam tranſlatum eſt. Factum paucis accipe. Homuncioni pauperculo ac debili viſus eſt Swithunus, præcepitque, ut Eadzino uni Canonicorum ſæcularium, (quos inde Rex Ædgarus expulerat ſubſtitutis Monachis) quàm primùm ſignificaret, ſe conferat ad Ethelwoldum ſeu Adelwoldum Epiſcopum, quatenus Swithuni mauſoleum aperiens efferat reliquias, inventurus ibi omni auro pretioſiores margaritas. Die ergo dicta, quæ fuit Idibus Julii, elevantur oſſa de tumulo, & in ſcrinio componuntur Idibus Octobris. Concurrit vis ingens populi vota certatim offerre. Nullus ſe queritur fraudatum; & tanta miraculorum copia*

in omni genere valetudinum exhibita eſt, quanta alibi ferè nulla.

5. *Hanc tranſlationem eaque miracula proſâ oratione deſcripſit* LANTFREDUS, *aliis Lamfredus, Cœnobii Veteris Monachus: opuſque ſuum inſcripſit* Dilectiſſimis Fratribus Wintoniæ commorantibus in S. Petri Cœnobio, quod nuncupatur Vetuſtiſſimum; *fuitque iſte auctor rerum geſtarum teſtis oculatus. Idem argumentum duobus libris metricè expoſuit Wolſtanus Monaſterii Novi Monachus, præfixâ epiſtolâ Elfego Antiſtiti Wentano, in qua de veteris Monaſterii inſtauratione ac novi ornatu prolixè agit. Hanc epiſtolam cum aliis nonnullis, quia in Aldelwoldi laudibus tota eſt, ad Acta ejus Sancti illuſtranda in Sæculum ſequens remittere juvat. Illorum miraculorum ſummam ſic complexus eſt Gotſcelinus.* Eodem die, *hoc eſt, Idibus Julii*, puerum à nativitate contractum ſanavit; tribus mulieribus oculorum lumine orbatis viſum reſtituit; nexibus ferreis mulierem in carcere compeditam ruptis vinculis liberavit; paralyticum curavit; matronam nobilem, ſed cæcam illuminavit; vigintiquinque homines variis vexatos morbis uno die perfectè reſtituit; cæcos aliquot, duas contractas feminas intra unum diem; triginta & ſex è diverſis locis venientes, nec unius generis laborantes ægritudinibus trium dierum ſpatio; neque diu pòſt centum viginti quatuor intra dies quatuordecim curavit. *His unum addit Willelmus Malmesburienſis his verbis.* Vidi (quod mirum ſit) hominem, cui violentia raptorum effodiſſet lumina, oculos, vel illos, vel alios, (nam illi longiuſculè projecti fuerant) per Swithuni merita recepiſſe: eratque præteritæ calamitatis indicium, quòd aculei punctionum palpebras deformabant.

Ann. Chr. DCCC LXXI Jul. 15. Lantfredus & Wolſtanus ejus ſcriptores. Miracula.

6. *Hæc miracula ſummatim referenda duxi, ratus, Lantfredi & Wolſtani opera, quæ penes nos habemus, non eſſe tanti, ut lucem publicam mereantur. In illis quædam dumtaxat obſervatu digna invenio, quæ in fine hujus compendii relaturus ſum.*

7. *Poſt ſuperiorem tranſlationem Wintonienſis eccleſia ab ejus nomine cognomentum accepit.* Alfwoldus ex Monacho Wintonienſi Wiltunenſis Epiſcopus apud Schireburniam imaginem ſanctiſſimi Swithuni collocavit, facem venerationis extulit, *inquit Willelmus Malmesburienſis in lib. 2 de Pontificibus Anglorum. Ad hanc ſtatuam, referente Gotſelino,* præclara miracula edi ſolebant: *in his leproſus à lepra mundatus. Denique Emma Regina mater Edwardi Regis, à Godwina Comite violata pudicitia accuſata, cùm in Cœnobium de Warewlla retruſa fuiſſet filii juſſu, candentis ferri examen Wintoniæ in eccleſia S. Swithuni ſubiit ad probandam ſuam & Alwini Wintonienſis Epiſcopi (qui ejus amaſius ferebatur) innocentiam. Emma tota nocte proxima pervigilavit ad ſepulcrum S. Swithuni. Die facto, in pavimento eccleſiæ ſcopato novem vomeres igne candentes ponuntur in ordine. quibus breviter benedictis, detrahuntur Reginæ calcei, tum poſito peplo, ſuccincta à duobus hinc inde Epiſcopis, novem vomeres illæſa percurrit, ſtupente Rege & omnibus qui aderant attonitis, uti fuſiùs legitur maximè in Monaſtico Anglicano à pag. 33. Hæc liberatori ſuo non ingrata,* dedit ipſa die in oblatione S. Swithuno pro novem vomeribus novem maneria, *Edwardo Rege probante, & duo maneria de ſuo adjiciente. Denique anno* M LII *Emma Regina migravit à ſæculo, & Wintoniæ in eccleſia S. Swithuni ſepulta eſt. De Lamfredo & Wolſtano Monachis adi Pitſeum in libro de Scriptoribus eccleſiaſticis Anglorum: ubi Lamfredo tribuit duos de S. Swithuni vita & miraculis libros. tametſi unum dumtaxat invenio de tranſlatione & miraculis, nec ullum de ejus vita ſcripſiſſe videtur Lamfridus, qui S. Swithuni geſta propter inopiam ſcriptorum ignorata eſſe conqueritur.*

Swithuni cultus & memoria. Emma Regina in ejus eccleſia purgata.

8. *Supereſt, ut nonnulla obſervatu digna, quæ in illis Lantfredi & Wolſtani libris occurrunt, huc referamus. Primum eſt de homine transmarino qui parricidium commiſerat, ob idque à novennio ferreis vinculis conſtrictus erat, catenis ſoluto, quod miraculum in cap. 24 narrat Lantfredus. Hoc genus pænitentiæ, quale ſæpius aliàs obſervavimus, ita deſcribit Wolſtanus in lib. 2 cap. 7*

Parricidæ pænitentia.

Ann.Chr. Decc LXIII Jul. II.

Corrigit intereà quemdam patraſſe reatum.
Nam occidit proprium crudeli morte parentem.
Unde reo ſtatim præcepit Epiſcopus urbis,
Ferreus ut ventrem conſtringeret acriter omnem
Circulus, & ſimilem paterentur brachia pœnam:
Continuoſque novem ſemet cruciando per annos,
Atria ſacrorum luſtraret ſæpe locorum;
Viſeret & ſacri pulcherrima limina Petri,
Quò veniam tantæ mereretur ſumere culpæ.

Probatio. *Item aliud in capite ſequenti factum refertur de ſervo cujuſdam Flodoaldi prædivitis mercatoris Wintonienſis: qui ſervus coram Eadrico Præſide incerti criminis inſimulatus, jubetur, ut*

Portaret nudaque manu carbone rubentem
Ignitum calibem: foret inculpabilis & ſi,
Pergeret incolumis: ſi verò noxius eſſet,
Plecteret hunc gladio torror cervice retecto.

Tertium eſt in cap. 11 de Birferthi Monachi Abandunenſis oculis reſtitutis, Otgaro *tum Abbate Abandunenſi, cui ſucceſſit* Wlfgarus *qui Wolſtano*
Jejunii hora. *hac ſcribente florebat. Quartum eſt in cap. 12 de cæco illuminato, qui die jejunii Wintoniam adiens, religioni duxit ſolvere jejunium ante ſollemnem horam nonam.*
Oſcitantes cruce ſignati. *Quintum eſt de muliere quadam Gallicana, quæ dum nocte quadam oſcitaret, nec ſignum crucis imprimeret, ſubita maxillæ infirmitate percuſſa eſt. Sextum eſt de le-*
Latronum pœnæ. *ge Eadgari Regis in latrones conſtituta, ut quiſquis hujus ſceleris reus deprehenderetur,* cæcatis luminibus, truncatis manibus, avulſis auribus, inciſis naribus & ſubtractis pedibus cruciaretur diutius: & ſic demum decoriata pelle capitis cum crinibus, pæne mortuus relinqueretur in agris devorandus à feris & avibus atque nocturnis canibus. *quod poſtremum Lantfredus in capite ultimo commemorat. De his ſatis.*

HISTORIA TRANSLATIONIS

Ann.Chr. Decc LXIV Junii XV.

RELIQUIARUM S. FAUSTÆ VIRGINIS ET MARTYRIS

ex Vaſconia in Cellam Aſnenſem.

Ex tomo 2 Bibliotheca nova Labbeana.

OBSERVATIO PRÆVIA.

* Arnac

* Brivazac

ASnensis* *Cella (ſic quos vocamus Prioratus, Cellas quondam ſeu Monaſteriola appellabant) ſita erat in pago Lemovicino, unâ leucâ prope Brivaciacum*, ſubdita Sollemniaco Monaſterio, de quo dictum pluribus in Seculo ſecundo tum in Actis ſancti Remacli, primi ejuſdem loci Abbatis, dein Epiſcopi Trajectenſis ad Moſam; & in Actis ſancti Tillonis Monachi; tum in Addendis ad Vitam ſancti Remacli, in fine Sæculi tertii; ubi Remaclum loci primum fuiſſe Abbatem probavi teſtimonio beati Audoeni in lib. 2 de vita ſancti Eligii cap. 14. Duæ tantùm res hoc in loco inſuper obſervanda veniunt. una, Jonam Bobienſem Monachum, ubi de ſitu Monaſterii Sollemniacenſis agit in Vita ſancti Euſtaſii Abbatis, illud collocare ad*
* la Vienne *Vicennam ſeu Vigennam* fluvium, ab urbe Lemovicina* millibus quatuor. *tametſi ad amnem*
* la Briance *Brianciam* ſitum eſt, qui in Vigennam influit ſub eam urbem, qua Vigenna fluvio alluitur.*

Audoenus

Audoënus in lib. 1 de Vita ſancti Eligii cap. 16 ait, Cœnobium iſtud ab eadem urbe ſex circiter millibus diſtare ad plagam meridianam; & ex uno quidem latere munitum eſſe optimo flumine, ſuper quem mons excelſus ſilvâ opertus ac prærupta valde eminet rupes. *Alia res obſervanda eſt, Monaſterium iſtud à Nortmannis direptum & incendio conſumtum fuiſſe ante annum* DCCCLXIV, *ut patet tum ex narratione ſequenti, tum etiam ex privilegio, quod Patres Synodi Sueſſionenſis Bernardo Sollemniacenſi Abbati contulerunt anno* DCCCLXVI. quoniam Nortmannorum crudelitate craſſante priora inſtrumenta incendio fuerant concremata. *Privilegium iſtud ex autographo retulit Jacobus Sirmondus in tomum 3 Conciliorum Galliæ: ubi etiam Marini Papæ exſtat privilegium Danieli Abbati Sollemniacenſi conceſſum pro confirmatione poſſeſſionum Monaſterii.* — ANN. CHR. DCCCLXIV JUN. XV.

1. TEMPORE quo poſt Domini noſtri JESU-CHRISTI Incarnationem DCCCLXIV annus impletus eſt, obtinente Regnum Francorum CAROLO Rege, filio Ludovici magni Imperatoris, graſſata eſt ingens perſecutio in Eccleſia Chriſti, in regionibus Aquitaniæ ſeu Gaſconiæ. ſiquidem paganorum barbaries, quos uſitato ſermone Danos ſeu Normannos appellant, à ſuis ſedibus cum innumerabili exeuntes navali geſtamine, ad Santonicam ſive Burdegalenſem urbes ſunt advecti: indeque paſſim in præfatis diſcurrentes provinciis, urbes depopulando, Monaſteria, eccleſias, necnon & cunctas hominum ædes igne cremantes, non parvas hominum ſtrages occidendo dederunt. — *Normanni Aquitaniā vaſtant.*

2. Eo verò tempore apud Gaſcones, quibus montes Pyrenæi vicini ſunt, Ducatûs apicem ARNALDUS, vir inluſter obtinebat. Hic etenim filius cujuſdam Comitis Petragoricenſis, vocabulo IMONIS, fuerat, & avunculo ſuo SANCTIONI, qui ejuſdem gentis Dux fuerat, in principatum ſucceſſerat. Denique idem Arnaldus ſæpius cum præfatis Barbaris, ob defenſionem ſanctæ Eccleſiæ, præliando certaverat, & multos ex terra illa atque ſpurciſſima natione interficiens, maximam ad ultimum ſui nobiliſſimi exercitus partem amiſerat. — *Arnaldus eis reſiſtit.*

3. Erat autem tunc in pago Lemovicino à præfatis paganis incenſum Monaſterium, quod Sollemniacum more antiquo vocant: ubi memoratus Arnaldus maxima caritatis devotione erat adſtrictus, ob hoc videlicet, quia noverat eum à ſancto Eligio Noviomagenſi Epiſcopo in honore ſancti Petri Apoſtoli nobiliter fuiſſe conſtructum, & maximam habitatorum illius Cœnobii fuiſſe Regulæ ſanctæ obſervationem. tantam etenim erga ipſum Archiſterium habebat devotionem, ut ſpondens voveret ſe in eodem pro Chriſti amore comam capitis ſui depoſiturum, & monaſticis ſemetipſum ſubdendum diſciplinis. Poſtea verò id impleſſet, niſi inopinata morte præventus fuiſſet. — *qui bene in Sollemniacum affectus,*

4. Hic verò dum incolumis adhuc in ſuo ſtatu perſiſteret, curam ferens memorati Cœnobii, admonebat ſæpius Monachos ejuſdem loci, ut partes Gaſconiæ quas regebat, pro adipiſcendis ſanctorum Martyrum reliquiis penetrarent: ipſeque illis hoc ſpondebat proviſurum, ne inanem paterentur itineris laborem. Viſum eſt autem Abbati [a] Monaſterii & omni ipſius congregationi, ut aliquem ex Fratribus pro prælibato negotio illò mittere deberent. Miſerunt autem quemdam Monachum, religioſum ſcilicet Sacerdotem, nomine ALDARIUM, cum nepote ejuſdem Ducis Arnaldi, nomine GOTAFRIDO, qui in illis partibus tunc iter carpebat. — *reliquias ſacras pollicetur.*

5. Aliquamdiu ergo prædictus Frater cum ſui itineris comitibus apud memoratum Principem commoratus eſt, anxiam jugiter in ſui pectoris antro gerens mæſtitiam, verens ne fortè illud quod mente conceperat, non ad votum impleret. geſtiebatque ne fortè habitatoribus ſævis regionis illius quod agere propoſuerat, manifeſtum fieret, ne ab ipſis impeditus, ſuo ſancto non valeret ſatisfacere deſiderio. Sanè cùm multa Sanctorum pertranſiiſſet loca, & opportunum non vidiſſet ut cœptum negotium explere potuiſſet, & jam ad propria redire decernerent; hi cum quibus ire decernebat, tandem pervenerunt in territorio Fidenciaco [b], ubi eccleſia mirificè olim in honorem ſanctæ Fauſtæ Virginis & Martyris conſtructa, & ab ipſis quos ſuprà taxavimus paganis combuſta fuerat. In eadem denique baſilica ſanctiſſima membra hujus Martyris completo pro Chriſto glorioſiſſimo triumpho tumulata à Chriſtianis fuerant, & congruo honore longiſſimis temporum ſucceſſibus venerata. — *Aldarius ad hoc miſſus, S. Fauſtæ reliquias reperit,*

6. Igitur cùm per Dei voluntatem hæc quæ retulimus, memoratus Frater comperiſſet, confiſus de Dei omnipotentis miſeratione, ſimulque auctoritate & conſenſu ſupradicti Judicis fretus, quodam diei crepuſculo, tranſeunte noctis excurſu, antequam res ab incolis — *& aſportat.*

[a] Bernardo ſcilicet, qui à Patribus Sueſſionenſis Concilii privilegium poſt incenſum Monaſterium ſuum obtinuit anno DCCCLXVI, ex dictis.

[b] Fidenciacum, olim opidum, caputque pagi ſeu Comitatus Fidentiacenſis, de quo in Vita Ludovici Pii, in vicum nunc redactum eſt, vulgò *Vic-Fezenſac*. Lege Notitiam Galliarum V. Cl. Hadriani Valeſii.

Ann. Chr. DCCCLXIV Jun. XV.

ejuſdem loci poſſet agnoſci, paucis ſecum ſociis adhibitis accedit ad ſanctæ Faoſtæ Virginis & Martyris ſepulcrum. Cumque aliquamdiu ibidem in oratione cum lacrymis incubuiſſet, & Domini auxilium & Sanctæ ipſius ſuffragium imploraſſet; cum immenſo tremore & fiducia opereulum ſarcophagi, in quo ſancta membra quieſcebant, revolvit. Eâdem verò horâ, cùm jam in lucem prolata forent ſancta pignora, tantus tonitrui fragor cælitus intonuit, ut hi qui aderant, nec unius horæ intervallo corporaliter ſe putarent eſſe ſuperſtites. Nec victus eſt tremore tanti fragoris devotiſſimus animus prædicti Fratris: ſed mox ſuos ſocios quos ſibi adſciverat, ut ſolatium ferrent ferendarum reliquiarum, immani terrore perculſos deſperatoſque eſſe conſpiciens, ut conſtantiam fidei reſumerent, admonuit; & quod devotè agere inchoaverant, ut viriliter perficere ſtuderent, exhortari curavit. Quid multa? levantur ſanctiſſima oſſa ex tumulo, ubi multo tempore jacueraot, & linteaminibus præcipuis involuta, cum magna exſultationis lætitia ab his à quibus inventa fuerant, feruntur ad propria.

Aqua mirè detumeſcit.

7. Sanè nec prætereundum eſt ſilentio, quod Dominus meritis tantæ Virgiois, ad cujuſdam fluminis vadum oſtendere eſt dignatus. Denique hi, qui tonc ſecum tantum theſauri munus ferebant, cùm advenïſſent quodam in loco, ubi cujuſdam fluminis vadum transfretare conati ſunt, pluribus aquarum imbribus, qoi præteritis inundationibus fluminis ripas impleverant, tunc tanta profunditate experti ſunt aquam, quam tranſmeabant, creviſſe, ut aliter nonniſi natando litus contingere cum equis ſuis poſſant. Contigit autem Monachum præfatum cum reliquiis memoratæ Virginis, quas ſecum in ſportula ferebat, pedeſtri labore trans torrentem remanſiſſe. Nam vehiculus qui eum ferre debuerat, eum illis qui primitus vadum tranſierant, fortuitu vacuus, neminem in dorſo ſuo ferens tranſmeaverat. Petiit itaque ab his qui jam tranſierant, equum ſibi reduci: ſed impetrare non valuit, quoniam exterruerat eos ingens vadi altitudo. Quid ille faceret, vel quò ſe verteret primò ignorans, tandem ſalubri reperto conſilio, ad orationis præſidia converſus, lacrymabili prece Domino ſupplicat, ut meritis ſanctæ Martyris Fauſtæ, quam geſtabat, incolumis impetum tranſmeare poſſet. Nec mora facta, Domini advenit auxilium. Quidam enim ruſticus in eodem loco ex incolis loci illius religioſo Domini Sacerdoti & Monacho obvius factus eſt eâdem horâ. quem idem Domini famulus rogare cœpit, ut vadum præbendo ſibi oſtenderet, & pro hoc illi ipſe mercedem condignam tribueret. Sed ille primò recuſare cœpit, timens vim aquæ inundantis: tandem victus precibus, hortatu ſervi Dei admonitos, ut fide armatus, aquæ altitudinem ingredi non dubitaret; edito ſigno crucis vadum ingreſſi, inveniunt aquam fluminis ex Domini præcepto eâdem horâ in tanta extenuatione exſiccatam eſſe, ut uſque ad genua ſibi non perveniret, quæ paullo antè dorſa equorum ſupereminens operuerat.

Reliquiæ in Cella Aſnenſi depoſitæ,

8. Tanto ergo viſo miraculo benedicentes Dominum iter cœptum læti carpebant. Inde itaque digreſſi, poſt paucos dies pervenerunt in pago Tornenſi [a], & feſſi labore, quodam in loco ſubſtitere, qui dicitur Nonnaris, prope caſtrum Aſnenſe. Erat autem in eodem loco haud valde procul Cella ſita, obi Monachi commanebant, & ipſi in præfato Monaſterio Monachi, propter prædictam paganorum ſævitiem, ad deliteſcendum ierant, ſub Præpoſitorum ſuorum inibi regimine degentes, atque monaſticam diſciplinam diligenter obſervantes: cum quibus etiam cohabitare ſolitus erat ille Frater, de quo ſuperiùs ſermo habitus eſt. Fondus autem in quo cellula ſita erat, vocabatur Brivaciacus, & pertinebat ad jus dicti Monaſterii. quo in loco Sanctorum reliquiæ erant reponendæ. Non ſolùm autem ſanctæ Virginis Faoſtæ, ſed & nonnullas ſanctæ Dei genitricis MARIÆ ſemper Virginis, necnon & ſanctiſſimi Confeſſoris Martini Turonicæ ſedis Epiſcopi, quas repererant in eccleſia memoratæ Virginis, prædicti viri ſecum ferebant.

acceptæ cum ſollemni pompa.

9. Cùm cognoviſſent autem prædicti Monachi jam propè adeſſe ſuos ſacrum theſaurum ſibi deferentes, inenarrabili perfuſi gaudio occurrunt eis in loco, ubi paullo ſuperiùs memoravimus eos ſubſtitiſſe. Detulerunt autem ſecum Fratres, qoi obviàm venientibus ierunt, cruces & candelabra cum cereorum & candelarum plurimarum, necnon & thuribulorum ornamentis. Advenerat etiam cum eis populi multitudo non modica, quæ ex utroque ſexu, ex vicinis pagis conglobata, cum ingenti devotione ac lætitia, ſancta excipiebant pignora. quæ cujus eſſent meriti, palam omnibus ilico Dominus oſtendit. Deniqoe cum cerei & candelæ, quæ ſine lumine delatæ fuerant, antequam reliquiæ è loco ubi depoſitæ fuerant, levarentur, à nemine accendenta infuſum divinitus lumen in cunctis apparuit, & tanta virtute repletum eſt, ut nullo ventorum flamine, nulloque aëris incommodo extinguerentur, donec quò tendebatur ventum eſt. Denique cùm oubes aqua nimis denſata, ſolis claritatem obfuſcaret hominibus, & indicium daret pluviæ, quæ etiam de fidelibus turbis hym-

[a] Legendum videtur *Tornenſi*, *de Turenne*, in cujus pago, qui Vice-comitatus nomine appellatur, exſtabat Aſnenſis cella, uti & Brivaciacenſis ad Dordonam fluvium, quo in loco habetur etiam nunc Præpoſitura dependens à Sollemniaco.

num Deo perſolventibus, timor pluviarum meritis Sanctorum intervenientibus, ſine pluvia converſus eſt in claritatem virtute divina: factumque eſt, ut ſine alicujus aëris incommodo pervenirent ad propria, qui ſacra geſtabant pignora. Cùm verò perveniſſent ad cellulam, quam ſuprà taxavimus, laudes Deo canentes ingreſſi, condignè juxta altaris cryptam depoſuerunt a, quæ piè ac fideliter detulerant, ubi immenſa beneficia ſanitatum, Domino in Sanctis ſuis operante, mirabilitar fiunt uſque in hodiernum diem. ANN.CHR. DCCCLXIV JUN. XV.

a Et quidem XVII Kal. Julii, quo die in Sollemniacenſi Martyrologio mſ. hæc leguntur. *Brivaziaco translatio S. Fauſtæ Virginis & Martyris.*

VITA S. ANSCHARII

ANN.CHR. DCCCLXV FEBR. III.

ARCHIEPISCOPI HAMMABURGENSIS ET BREMENSIS, SEPTEMTRIONALIUM REGIONUM APOSTOLI.

Auctore S. REMBERTO ejus ſucceſſore ac diſcipulo.

Ex libris editis & mſſ. Corbeiæ veteris.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. VITAM *ſancti* ANSCHARII, *quem alii* Anſgarium, Anskerumve *pingunt, primus ſoluta oratione ſcripſit* REMBERTUS *ſeu* Rimbertus *ejus diſcipulus; dein metricâ* GUALDO *Corbeiæ veteris Monachus medio ſæculo* XI. *quo ferè tempore* ADAMUS *Bremenſis Canonicus eam inſeruit in hiſtoria ſua libro primo. Anſcharii etiam eximiam fecêre mentionem tum Auctor anonymus in libello de Vita ſancti Remberti, tum Hiſtorici veteres ac recentiores, qui de rebus Saxonicis egerunt, non tantùm catholici, ſed etiam hæretici.* Vitæ ſcriptores, Rembertus,

2. *Rembertus, viri ſanctiſſimi diſcipulus & in epiſcopali dignitate ſucceſſor,* Vitam ſancti Patris veridico ſermone deſcribens, more beati Johannis quaſi de alio ſcribens, innuit ſe fideliſſimum ejus diſcipulorum teſtimonium perhibere ſanctitati, quam cognoverat in viro Dei. *Adami Canonici Bremenſis hæc verba ſunt in hiſtoria ſua lib.* 1 *cap.* 31. *habita ratione eorum quæ preſſo nomine de ſe ipſe ſcribit Rembertus in Vita ſubjecta num.* 68. *Ipſi alium collaboraſſe in condendo hoc libello teſtatur anonymus Auctor in Vita ſancti Remberti cap.* 9. Quamdiu ergo fuit in corpore vir Domini Anſcharius, iſte ſervus Dei Rimbertus præ cunctis familiariùs illi in omnibus adeſſe ſolebat, de quo aliquoties nobis in hoc opuſculo mentio incidit, & libellus geſtorum præfati Pontificis ab ipſo Rimberto alioque condiſcipulo ejus editus teſtatur. *& paullo pòſt:* Sed quia, ut diximus, ipſe cum alio quodam editor eorumdem extitit geſtorum; idcirco veritatem rei ſuppreſſo nomine ſuo exprimere voluit. *Hinc eſt quòd libelli ſequentis præfationem Corbeiæ veteris ſeu Gallicæ Monachis inſcribunt, non ſolus Rembertus, ſed* filii atque diſcipuli reverendiſſimi Patris Anſcharii, *tametſi hoc nomine Bremenſis ſive Hammaburgenſis eccleſiæ omnes deſignari videntur. Uno verbo, Rembertus libellum condidit, & partim à ſe ipſo, partim ab alio condiſcipulo viſa & audita litteris mandavit, cujus Vitam ſuo loco referemus.*

3. *Remberti lucubrationem metrica oratione reddidit* GUALDO *Cœnobita Corbeiæ Gallicæ, ſuumque poematium nuncupavit* ALBERTO *ſeu* ADALBERTO *Bremenſi Antiſtiti, qui ab anno* MXLIII *ad* LXXII *pontificatum geſſit. Id operis aggreſſus eſt Gualdo anno (ut puto) milleſimo quadrageſimo ſeptimo, in grati animi monumentum ob receptas ſancti Anſcharii reliquias, quas Adalbertus Fulconi veteris Corbeiæ Abbati dono tranſmiſit. cujus rei argumentum nobis præbet Gualdonis præfatio & Adalberti epiſtola ad Fulconem Abbatem.* & Gualdoi

4. *Remberti lucubrationem, licèt mutilam, primus typis vulgavit Philippus Cæſar Coloniæ Agrippinæ anno* MDCXLII. *integram poſtea unà cum Gualdonis poemate ſuppeditante* quando editi.

Ann Chr. DCCC LXV Febr. III.

Acherio noſtro, vulgavit ex mſſ. codicibus Corbeiæ veteris Petrus Lambecius anno M DC LII, *edito libro de Originibus Hamburgenſibus Hammaburgi typis Piperianis: ac demum utramque Remberti & Gualdonis ſcriptionem ex eiſdem codicibus in Februario Bollandiano exhibuit cum eruditis Notis & Obſervationibus Godefridus Henſchenius, qui Lambecianam editionem nondum viderat. Mihi ſat viſum eſt recudere libellum à Remberto compoſitum, cui nihil præter metri formam adjecit Gualdo, ſi ejus præfationem excipias, quam unà cum aliis monumentis libello Remberti ſubjiciam.*

Anſcharii memoria & cultus.

5. *Anſcharii memoriam retinent faſti Sancti-Gallenſes apud Goldaſtum his verbis:* Pridie Nonas Febr. Ansker Archiepiſcopus obiit. *tametſi ejus obitus in recentioribus Martyrologiis & libris eccleſiaſticis ponitur* tertio Nonas, *præterquam in Breviario Raceburgenſi & Miſſali Suecico pervetuſtis, in quibus itidem, ut in Gallenſi Necrologio, habetur pridie Nonas. quod Henſchenius factum putat ob feſtum S. Blaſii, qui in Februarii diem tertium incidit. Quamquam forſan S. Blaſio præferendus fuerit S. Anſcharius, gentis Suecicæ Apoſtolus. Sancti Anſcharii* depoſitio ſumma veneratione *Bremæ colebatur* III Nonas Februarii *tempore Adami Canonici Bremenſis, qui medio ſæculo undecimo floruit.*

Apoſtolatus & dignitas pontificalis.

6. *Anſcharius primùm ſub finem anni* DCCCXXVI *in Danorum regionem à Ludovico Pio miſſus prædicandi Evangelii causâ; dein poſt triennium apud Suenones ſeu Suecos anno dimidio commoratus; poſtea curante Ludovico Hammaburgi ſeu Nordalbingorum, hoc eſt populorum trans Albim incolentium, Archiepiſcopus creatus eſt anno* DCCCXXXII, *à Gregorio Papa quarto inſuper conſtitutus* Legatus in omnibus circumquaque gentibus Sueonum ſive Danorum, necnon etiam Sclavorum, vel in ceteris ubicumque illis in partibus conſtitutis divina pietas oſtium aperuerit, *ut in ipſius Gregorii litteris legitur. Leuderico Bremenſi Epiſcopo mortuo Ludovicus Germaniæ Rex Bremenſem Eccleſiam Hammaburgenſi univit anno* DCCC XLIX. *contra quam unionem cùm poſtea Guntharius Colonienſis Archiepiſcopus reclamaſſet, res ad Nicolaum Papam delata ejus litteris confirmata eſt; à Formoſo Pontifice dein abrogata, ac demum à ſucceſſoribus reſtituta. Hæc vitæ ſeries ſancti Anſcharii, quam idoneis argumentis in ſequentis Vitæ Notationibus firmabo, hic de ejus Apoſtolatu, deque pontificatu Hammaburgenſi & Bremenſi pauca præmiſſurus.*

Apoſtolatus.

7. *Quod Carolus Magnus per Heridacum Presbyterum, nullo fructu, Paſchalis Papa I per Ebonem Remorum Antiſtitem adjutore Halitgario parvis initiis tentaverat apud Nordalbingos; idipſum, hoc eſt gentium illarum converſionem, feliciter perfecit Anſcharius, annis ferè octo & triginta in id opus expenſis. Legenda hac de re tum Vita ſequens, tum Ludovici Auguſti diploma Vitæ ſubjectum. Hinc Adamus exclamat in lib. 1 cap. 16.* O mira omnipotentis Dei providentia, de vocatione gentium quam diſponit artifex ut vult, & quando vult, & per quem vult! Ecce quod longo priùs tempore Willebrordum & Ebonem alioſque voluiſſe legimus, nec potuiſſe; nunc Anſgarium noſtrum & voluiſſe & perfeciſſe miramur. *& in fine hiſtoriæ ſuæ.* Hæc ſunt quæ de natura ſeptemtrionalium regionum comperimus ad honorem ſanctæ Hammaburgenſis Eccleſiæ proponenda, quam tanto munere divinæ pietatis præditam videmus, ut innumerabilem populorum multitudinem, quorum hæc metropolis facta eſt, labore ſuæ prædicationis ex magna jam parte converſam habeat ad Chriſtianitatem, ibi ſolummodo ponens evangelizandi ſilentium, ubi mundus habet terminum. Quæ ſalutifera gentium legatio, primùm à ſancto Anſgario incœpta, proſperis ſemper uſque in hodiernum diem aucta eſt incrementis. *Præter Danos & Sueones Anſcharius ad Fidem adduxit etiam Friſios Orientales cis Jadam fluvium incolentes in pagis* Ruiſtri, Aſterga ſeu Oſterga, Nordendi, ac Wanga. *qui populi Comitatu Embdano hodie incluſi ad Bremenſem diœceſim pertinebant, teſte ipſo Anſchario in Vita & miraculis S. Willehadi. Ita quod Willibrordus Friſiorum Apoſtolus minùs egerat, perfecit Anſcharius. qui etiam Sclavos non paucos Chriſto lucratus eſt, pluribus eccleſiis apud illos populos vero Deo ædificatis. Huc ſpectant verba Paſchaſii Radberti libro duodecimo in Matthæi caput 14.* Nuper, *inquit,* in quibuſdam gentibus Danorum conſtructas & fabricatas eccleſias, quoſdamque in eiſdem baptizatos novimus.

Pontificatus Hammaburgenſis.

8. *Hammaburgi primus Antiſtes dictus eſt Anſcharius, Nordalbingorum Archiepiſcopus appellatus. quæ diœceſis* admodum parva, ſolùm quatuor baptiſmales eccleſias habebat, *infrà num. 36. Hanc provinciam Fide chriſtiana imbuendam Heridaco Presbytero commiſerat Carolus Magnus, curaturus, niſi mors interceſſiſſet, ut Epiſcopus ibidem ordinaretur. Eam dignitatem primus ſudoribus ſuis promeruit Anſcharius, conceſſâ ipſi provinciâ, quæ antè ab Ludovico Imperatore commendata vicinis Epiſcopis fuerat, Willerico Bremenſi & Heligaudo Ferdenſi. de Willerico inferiùs. Nullas eccleſias ſuffraganeas habuit hæc metropolis ante Ottonis primi tempora, teſte Adamo in lib. 2 cap. 1. nam Bremenſis ei non tam ſubjecta, quàm unita eſt. Poſtea circiter annum* DCCCC LII, *ut in Chronico Saxonico legitur,* Daniam ciſmarinam, quam Judland incolæ appellant, Rex Otto ſubjiciens tributo, in tres diviſit Epiſcopatus, & Hammaburgenſi Archiepiſcopatui ſubjecit. Unum conſtituens apud

Sliaſwig, quæ & Heidiba dicitur, quam freti quoddam brachium alluit, quod incolæ Sliam vocant. unde & civitas nomen trahit. Ex eo portu naves emitti ſolent in Slavoniam, vel in Suediam, vel ad Semland uſque in Græciam. Alterum fecit Epiſcopatum in Ripa, quæ civitas alio cingitur alveo, qui ab Oceano influit, & per quem vela torquentur in Freſiam, aut certè in Angliam, vel in Saxoniam. Tertium voluit Epiſcopatum eſſe in Arhuſan, & hanc fretum quoddam à Fune dirimit breviſſimum, quod ab orientali pelago ingrediens, longis anfractibus inter Funem & Judland protenditur in Boream uſque ad eamdem civitatem Arhuſan, à qua navigatur in Funem, aut Seland, ſive in Sconiam, vel uſque in Norwegiam. Servantur in Bremenſi Eccleſia Præcepta Regis, quæ ſignant Ottonem Regem in ſua ditione regnum Danicum tenuiſſe: adeo ut etiam Epiſcopatus ipſe donaverit. Aldenburch civitas magna Slavorum, qui Waigri dicuntur, ſita eſt juxta mare quod Balticum vel Barbarum dicitur, itinere diei ab Hammanburg: in qua Rex Otto fecit Epiſcopatum, ſubjiciens illum Hammaburgenſi metropoli, eo quòd vicinior illi Eccleſiæ eſſet quàm Magadaburgenſi. *Idem tradit Adamus in lib. 2 cap. 2. Hammaburgenſi metropoli adjecti duo Epiſcopatus ſæculo XI Henrico tertio imperante, Mecklinburgenſis ſcilicet & Raceburgenſis.*

ANN. CHR. DCCC LXV

FABR. III.

9. *Poſt mortem Leuderici Bremenſis Epiſcopi Eccleſia Bremenſis unita eſt Hammaburgenſi, utriuſque præfectus Anſcharius anno* DCCC XLIX. *ſed reclamante poſtea Guntbario Colonienſi Archiepiſcopo, cui Bremenſis ſedes ſubjecta erat, tam unionem Nicolaus Papa I litteris ſuis confirmavit anno* DCCC LVIII. *Bremenſi cathedra primus impoſitus eſt ſanctus* WILLEHADUS, *cujus Acta extant in parte ſecunda Sæculi tertii. Willehadum anno* DCC XCIX *excepit* WILLERICUS, *quem alii* Willeharium *vocant, magiſtrum ſanctum diſcipulus æquè ſanctus.* Legimus in libro donationum Bremenſis Eccleſiæ, *inquit Adamus in lib. 1 cap.* 12, Willericum Bremenſem Epiſcopum Tranſalbianis etiam ante Anſgarium prædicaſſe, & eccleſiam in Milinthorp frequenter viſitaſſe uſque ad tempus, quo Hammaburg metropolis facta eſt. Interea, *ſcribit idem Auctor cap.* 19, Willericus Bremenſis Epiſcopus diœceſim ſuam ſollicitè circumeundo, gentiles baptizando, & Fideles in Chriſto confortando ſtrenuum prædicatoris officium peregit. Eccleſias ubique per epiſcopium congruis erexit in locis, tres verò Bremæ: quarum primam, ſcilicet domum ſancti Petri, de lignea lapideam fecit: & corpus ſancti Willehadi exinde tranſlatum, in auſtrali quod fecit oratorio recondidit... Willericus igitur clerum maximum collegit, de populo verò magnam Bremenſi Eccleſiæ hereditatem adquiſivit. In diebus ſuis Carolus eleemoſynam obtulit Salvatori ad Bremenſem Eccleſiam, centum manſos. Qui obiit ſenex & plenus dierum anno Domini DCCC XXXVII, qui eſt annus Luthowici XXV & pænultimus, ſepultuſque eſt in domo S. Petri à parte altaris aquilonali IIII Nonas Maii. *Eodem anno Chriſti* DCCC XXXVII *ſignatur Willerici obitus in mſ. Chronico Saxonico,* cui LEUDRICUS ordine tertius ſucceſſit. *Hæc paullo fuſiùs de Willerico, quem noſtris vulgò adnumerant, ob id ſcilicet quòd Willehadi in monaſtica profeſſione diſcipulus fuiſſe creditur.* Anno dominicæ Incarnationis DCCC XLIX, *ut in mox dicto Chronico legitur,* LEUDERICUS Bremenſis Eccleſiæ tertius Epiſcopus obiit, cui ſucceſſit ANSGARIUS Monachus, Hammaburgenſis primus Archiepiſcopus, ſub quo coadunatio facta eſt Bremenſis & Hammaburgenſis parrochiæ. *Denique* anno DCCC LXV ſanctus Anſgarius Bremenſis Archiepiſcopus quondam Corbeienſis Monachus obiit: cui RIMBERTUS & ipſe novæ Corbeiæ Monachus ſucceſſit. *cujus Vitam exhibemus anno* 887. *Hæc de Bremenſibus Epiſcopis iſtius ſæculi. Porro etſi Hammaburgi primùm Anſcharii ſedes archiepiſcopalis fuerit, tamen poſt ejus urbis direptionem à Danis factam, poſtque unionem Eccleſia Bremenſis, collegio Monachorum Hammaburgenſium Ramſolas tranſlato, Anſcharius ipſiuſque ſucceſſores Bremæ ſedere ſoliti ſunt, ſeque identidem Bremenſes Epiſcopos appellare. ſic Anſcharius librum de miraculis ſancti Willehadi inſcribit hoc modo*: Anſgarius Bremenſis Eccleſiæ Præſul, &c.

Bremenſis Eccleſiæ unio.

10. Et quoniam totum ſtudium ejus erat pro ſalute animarum, *teſtante Adamo in lib. 1 cap.* 29, ſiquando à prædicatione gentilium foris liber erat, domi congregationum ſuarum curam egit. quarum primam quæ ab Hammaburg olim barbarica incurſione depulſa eſt, ipſe (ut prædiximus) tranſtulit ad Ramſolas. ſecundam in Bremis habuit ſanctorum virorum, qui habitu quidem uſi canonico, Regulâ vivebant monaſticâ uſque ad noſtri temporis ætatem. tertiam ſanctarum virginum congregationem in Briximon adunavit: ubi devota Chriſti matrona Lutgard totum patrimonium ſuum offerens cæleſti ſponſo, magnum chorum caſtitatis ſuo nutrivit ducatu.

11. *Monachos primùm in eccleſia Bremenſi collocatos ab Anſchario fuiſſe, qui accepto poſtea habitu canonico monaſticam ſeu Benedictinam Regulam retinuerint; probatum eſt in Vita S. Willehadi Sæculo tertio. Sic enim Rembertus Monachos Corbeia veteris alloquitur num.* 21. Fueruntque cum eo hîc, *nimirum Bremæ*, ex ſocietate veſtra ſancti Patres noſtri & magiſtri, quorum doctrina & inſtitutione feliciter nobiſcum Religionis divinæ crevit opinio.

Monachi in eccleſia Bremenſi.

ANN. CHR. DCCCLXV FEBR. III. *& num.* 59. Teſtes ſunt & Fratres apud nos & in nova Corbeia degentes, quos pro hoc opere frequenter poſtulavit. *Ergo Remberto Pontifice degebant Monachi Bremæ ex inſtitutione Anſcharii. Verùm cùm poſteri eorum mutaſſent habitum retentâ Regulâ monaſticâ; quod jamdudum factum fuerat ante Adami tempus, id ipſe ab exordio ita inſtitutum fuiſſe exiſtimavit, ut qui Bremenſem eccleſiam primitus inſederunt*, habitu canonico *utercatur*, Regulâ monaſticâ *viverent*.

12. *Denique ut cetera concludam*, beatus Anſgarius captivos redimendo, tribulatos refovendo, domeſticos erudiendo, barbaros evangelizando; foris Apoſtolus, intus Monachus; numquam legitur otioſus, *ex Adamo in lib. 1 cap.* 31. Nec ſolùm erga ſuos, verùm erga alienos quomodo viverent ſollicitus, Epiſcopos etiam tam voce quàm litteris, ut vigilarent ſuper dominicum gregem, hos arguit, illos obſecravit. At verò Romanorum Regibus pro ſua legatione, Regibus Danorum pro chriſtiana Fide crebrò mandavit. Exſtant epiſtolæ ejus plures hujuſmodi. unam verò quam omnibus de ſua legatione ſcribit Epiſcopis, quam ab Ebone orſam aſſerit, ita claudit: Deprecor, inquit, ut apud Deum intercedatis, *&c. Epiſtolam hanc referemus inferiùs, cetera exciderunt. Ad hæc vir ſanctus ſcripſit de vita & miraculis ſancti Willehadi Epiſcopi Bremenſis primi libellos duos, quos in parte ſecunda Seculi tertii legere licet.*

Anſcharii ſcripta.

PRÆFATIO

ad Corbeiæ veteris Monachos.

Auctoris præfatio ad Corbeienſes Gallicæ.

DOMINIS *ſanctiſſimis, & in Chriſti amore præcipua veneratione recolendis ac diligendis Patribus & Fratribus in ſacratiſſimo Corbeiæ* a *Monaſterio Deo militantibus, filii atque diſcipuli reverendiſſimi Patris* ANSCHARII *perennem perpetuæ felicitatis erant in Domino dominantium pacem & ſalutem.* Diu per Domini gratiam Paſtoris boni munere delectati, prædicationibus & exemplis informati, meritis & interceſſionibus ſuffulti; nunc tandem ejus præſentiâ deſolati, ſatis perpendimus, quid pro nobis gemendum, quidve pro eo gratulandum ſit. Etenim verus Dei cultor abſtinens ſe ab omni opere malo, & in ſimplicitatis modeſtia permanens, certam de ſe præbuit fiduciam, quòd hinc ſublatus, ad Deum, quem ſemper tota devotione dilexit, cuique ſemper animo intendebat, ſine cunctatione pervenerit. Unde pro retributionis ejus præmio verè nobis gratulandum credimus; pro noſtra autem deſolatione neceſſariò ſupplicandum: ut qui humanitus tanto deſtituti ſumus Paſtore, cælitus divino muniri mereamur auxilio. Inter varias etenim preſſurarum anguſtias poſiti, veraciter jam ſentimus quid amiſerimus, & quid pro nobis dolere debeamus ſatis intelligimus. Vivente enim ipſo, nihil nobis deeſſe credebamus. Ejus namque ſanctitatem Reges honorificabant, Paſtores eccleſiarum venerabantur, Clerus imitabatur, populus univerſus admirabatur: & dum illum cuncti ſanctum & juſtum prædicarent, nos quoque tamquam corpus capitis, pro ejus bonitate venerandi ac laudabiles videbamur. At nunc tanto munere fruſtrati, de noſtris meritis non præſumimus. quin magis timido corde expaveſcimus, ne peccatis promerentibus, luporum patere incipiamus morſibus. Mundus namque in maligno poſitus, magis ea quæ juſta & ſancta ſunt, evertere, quàm religioſa quærit erigere: & inimicus humani generis diabolus, quanto ſanctiorem ac religioſiorem quemque conſpexerit ducere vitam, tanto majori conamine adverſa quæque objicit: ut ea quæ ſancta ſunt deſtruat, & ne ab aliis imitentur, callida ſuaſione ac pravis intentionibus auferat. Nos itaque inter formidoloſa pericula ſuſpi-

a Corbeiæ veteris ſeu Gallicæ Monachis hanc Vitam à Remberto nuncupatam eſſe, ejus lectio apertè probat. ut mirum ſit hac in re alucinari Adamum, quem ſequuntur plerique recentiores. Hunc ipſum correxit Henſchenius, & poſt eum Petrus Lambecius. Id patet præcipue ex num. 3, ubi Rembertus hujus Cœnobii Monachos alloquens, *Apud vos tonſuratus*, inquit, *atque in monaſticis diſciplinis poſitus, apud vos Deo oblatus obedientiam promiſit, unde cum aliis Fratribus veſtris directus ad has Saxoniæ partes, in quibus cœptum fieri Monaſterium, cognomineque mutuatum à loco habitationis veſtræ, ut nova Corbeia appellaretur.* Quibus verbis nihil clarius adduci poteſt. Eoſdem Monachos alloqui pergit Auctor in tota ſerie libelli.

rantes, licèt multiplicia mala temporaliter timeamus, divinum tamen adjutorium nobis, licèt indignis, non defuturum credimus. Ideoque veſtram devotiſſimam ſanctitatem ſupplici corde rogamus & petimus, ut memores noſtri intercedere pro nobis ad Dominum dignemini: quò nunc nos ejus miſericordia non derelinquat; ſed adjutor noſter benigniſſimus noxia cuncta à nobis depellat: ſitque nobis refugium in tribulatione, qui non deſerit ſperantes in ſe. De illius itaque præſentia præſumentes, ſpemque noſtram in ejus miſericordia collocantes, & quid nobis continget, vel qualiter in futurum ſubſiſtere debeamus, illius judicio derelinquentes; pietatis ejus gratiam toto cordis ac mentis affectu collaudamus & gratificamur, qui nobis vel ad tempus tanto conceſſit uti patrono. Veſtræ quoque ſanctiſſimæ paternitati gratiarum actiones immenſas referimus, quia veſtro beneficio ac licentia talem meruimus Patrem habere: cujus exempla ſi quis imitari voluerit, cæleſtem quodammodo in terris habebit converſationem. Si quis doctrinæ ejus recordatus fuerit, viam mandatorum Dei ſine errore incedere poterit. Si quis monita adhortationis attenderit, laqueos inimici præcavere ſtudebit. Hujus itaque ſanctiſſimi Patris memoriam ſtylo exarare decrevimus; & qualiter apud nos vixerit, quidque de eo nobis cognitum extiterit, veſtræ reverentiæ ſcriptis intimare, quò & divinam clementiam in beato viro veſtra quoque nobiſcum collaudet affectio, & imitari volentibus exemplum ſalutis fiat ejus ſanctiſſima devotio.

Ann. Chr. DCCLXV. Febr. III.

VITA INCIPIT.

2. BEATISSIMI Patris Anſcharii * religionis ſanctitas, divinâ largiente gratia, ab ineunte creſcere cœpit ætate, & per ſingula ætatum momenta virtutum multiplicavit augmenta. Namque ab infantia [a] ſpiritalibus revelationibus cælitus inſpiratus, & per Domini gratiam ſuperna viſitatione eſt ſæpius admonitus, quò mentem ſuam à terrenis diſjungens, toto corde cæleſtibus inhiaret. Quas quidem revelationes ipſe quibuſdam noſtrûm, qui ei familiariùs adhærebant, innotuerat; eo tamen tenore, ne tempore vitæ ſuæ cuiquam manifeſtarent. Quas nos ad laudem Domini poſt obitum ejus huic operi interſerere elegimus, ut quique legentes agnoſcant, quantâ gratiâ Dominus ſervum ſuum à primæva ætate corrigere, ac deinceps ſuccedentibus bonorum operum meritis clarificare dignatus fuerit. Referebat namque, quòd in tempore pueritiæ ſuæ, cùm quinque ferè eſſet annorum, mater ſua in Dei timore admodum religioſa defuncta fuerit, ac non multo pòſt tempore ipſum pater ſuus causâ diſcendi litteras ad ſcholam miſerit. ubi cùm eſſet poſitus, cœpit, ut ætati tali familiare eſt, cum coævis ſuis puerilirer agere, & diſcurſibus inanibus atque jocis magis operam dare, quàm diſcendæ diſciplinæ inſtare. Cumque puerili ætati taliter deditus eſſet, viſum eſt ei quadam nocte, quòd eſſet in quodam loco, nimis lutoſo & lubrico, ita ut inde non niſi magna difficultate exire valeret: ſecus illum verò locum eſſe viam amœniſſimam, in qua videbat procedentem quaſi quamdam dominam omni ornatu & honeſtate præclaram; plures verò alias feminas dealbatas, cum quibus erat & mater ſua. Cumque eam recognoviſſet, cœpit velle

Puer à ludicris inanibus cæ. itus revocatur.

* in mſ. Corb. Cujus religionis

[a] De Anſcharii patria ſilet Auctor, uti & Gualdo poëta. Corbeienſes Gallos tenet optoio, tamquam & natus ibi ſit. Antonius *de Caulincourt* (qui aliquando mihi viſus eſt Jacobus Baro) in mſ. Chronico Corbeienſi *Corbeiæ opido oriundum* dicit: & in ſuburbano Folieto ad hæc uſque tempora vicus S. Anſcharii vocabatur, forſan quod ibi olim ſteterit paterna ejus domus. Certè veteris Corbeiæ Monachus traditus eſt puer, jam aliquot annis ante obitum Caroli Magni, ut patet ex ſequentibus: ac proinde ante annum decimum ætatis. nam anno DCCCII natus, obiit anno Christi DCCCLXV, cùm attigiſſet annos quatuor & ſexaginta. Falluntur qui eum in Friſia ortum & in Corbeia nova Monachum factum aſſerunt: ſiquidem jam Monachus erat annis ampliùs duodecim ante Corbeiæ novæ conditionem.

Ann Chr DCCC LXV Febr. III.

ad eam accurrere: ſed loco illo cœnoſo & nimis lubrico non facilè exire poterat. Chorus autem ille feminarum cùm ei appropiaſſet, viſum eſt illi, eam, quæ quaſi domina aliarum videbatur, quam ille indubitanter ſanctam MARIAM eſſe credebat, ei dixiſſe: Fili, vis ad matrem tuam venire? Cui cùm ille reſpondiſſet, inhianter ſe velle; rurſus illa intulit: Si noſtræ voluntatis particeps eſſe volueris, omnem debes vanitatem fugere, & jocos pueriles dimittere, ac temetipſum in gravitate vitæ cuſtodire. Valde enim nos deteſtamur omnia, quæ vana & otioſa ſunt; nec poteſt in noſtro conventu eſſe, quicumque his fuerit delectatus. Poſt hanc itaque viſionem, ſtatim ſe cœpit graviùs agere, & puerilia conſortia vitare: lectione autem, meditatione, ceteriſque utilitatibus artiùs ſe occupare: ita ut ſocii ejus valde mirarentur, quòd tam ſubitò in aliam mutatus ſit converſationem.

Monachus audita Caroli morte fit ferventior.

3. Cumque poſt hæc apud vos tonſuratus, atque in monaſticis diſciplinis poſitus adoleſcentior fuiſſet factus; humana ſubrepente fragilitate aliquantulùm cœpit à propoſiti prioris rigore frigeſcere. Interim verò contigit eum Domini excellentiſſimi KAROLI Imperatoris obitum audiſſe, quem ipſe antea in magna potentia glorioſum viderat, atque cum magna prudentia regni ſceptra laudabiliter gubernaſſe audierat. De tanti itaque Imperatoris exceſſu ipſe nimio terrore atque horrore perculſus, rurſus cœpit ad ſe redire, & admonitionis ſanctæ Dei Genitricis ad memoriam verba reducere: ſicque omni poſtpoſita levitate, compunctionis divinæ cœpit amore langueſcere, totumque ſe in Dei ſervitium convertens, orationi & vigiliis, atque abſtinentiæ operam dabat.

In ecſtaſi à Sanctis ducitur in purgatorium.

4. Cumque his virtutum exercitiis verus athleta Dei inſiſteret, atque in hac gravitate permanenti mundus illi mortuus fieret, & ipſe mundo; adveniente ſancto die Pentecoſtes, gratiâ Spiritus ſancti, quæ in eadem feſtivitate ſuper Apoſtolos effuſa eſt, etiam mentem illius (ut credimus) illuſtrante atque exhilarante, viſum eſt illi eadem nocte, quòd quaſi caſu ſubitaneo mori deberet, & in ipſo mortis articulo, ſanctum Petrum Apoſtolum, & beatum Johannem Baptiſtam in adjutorium ſibi invocaſſet. Cumque anima, ut ipſi videbatur, egrederetur à corpore, ac ſtatim in alia pulcherrima ſpecie corporis omni mortalitate ac ſollicitudine carentis appareret; ſub eodem momento mortis & admirationis apparuerunt præfati viri: quorum erat unus ſenior, cano capite, capillo plano & ſpiſſo, facie rubenti, vultu ſubtriſti, veſte candida & colorata, ſtatura brevi, quem ipſe ſanctum Petrum eſſe, nemine narrante ſtatim agnovit. alius verò juvenis erat, ſtaturâ procerior, barbam emittens, capite ſubfuſco atque ſubcriſpo, facie macilenta, vultu jocundo, in veſte ſerica, quem ille ſanctum Johannem eſſe omnino credidit. Hi itaque eum hinc inde circumſteterunt. Porrò animâ ejus egreſſâ ſtatim in immenſa claritate, quâ totus mundus implebatur, ſibi videbatur eſſe: per quam claritatem illum nullatenus in aliquo laborantem Sancti ſupradicti miro & ineffabili modo ducentes, cùm perveniſſent ad locum quemdam, quem ipſe ignem purgatorium eſſe, nemine narrante, certiſſimè ſciebat, ibi eum dimiſerunt. ubi cùm multa paſſus eſſet, præcipuè tamen tenebras denſiſſimas preſſuraſque immaniſſimas & ſuffocationes viſus eſt toleraſſe; atque omni memoria ablata, hæc ſolùm vix cogitare ſufficiebat, quomodo tam immanis poſſet aliqua exiſtere pœna. Cumque per triduum, ut ipſe putabat, ibi cruciaretur, quod ſpatium illi mille annis longius propter immenſam pœnam viſum eſt; rurſum redeuntes jamdicti viri, iterumque illum hinc inde circumſtantes, & longè majori quàm priùs alactitate lætantes, atque in omnibus multò ſuaviùs incedentes, per majorem, ſi dici poſſit, claritatem greſſu immobili ſine via corporea ambulantes, ducebant.

Dein in paradiſum.

5. Et, ut verbis ipſius utamur, Videbam, inquit, à longè diverſos Sanctorum ordines, quoſdam viciniùs, quoſdam verò longiùs, ab Oriente adſiſtentes, ad Orientem tamen reſpicientes, ipſumque, qui in Oriente apparebat, collau-

Ann. Ch. DCCCLXV Fas. III.

collaudantes; quidam ſubmiſſis capitibus, quidam ſupinis vultibus, panſiſque manibus adorabant. Cumque perveniſſemus ad locum Orientis, ecce viginti quatuor ſeniores, ſecundùm quod in Apocalypſi ſcriptum eſt, in ſedibus ſedentes, ſervato introitu ampliſſimo apparuerunt: qui & ipſi reverenter ad Orientem reſpectantes, ineffabiles Domini laudes promebant. Laudes verò in commune canentium ſuaviſſimam mihi refectionem ingerebant; ſed poſt reverſionem ad corpus retinere nullo modo poteram. In ipſo verò Orientis loco, erat ſplendor mirabilis, lux inacceſſibilis, nimiæ atque immenſæ claritatis, cui inerat omnis color pretioſiſſimus, omniſque jocunditas: omnes verò Sanctorum ordines, qui undique lætantes circumſtabant, ab ipſo gaudium hauriebant. Qui ſplendor tantæ magnitudinis erat, ut nec initium ejus, nec finem contemplari valerem. Et cùm circumquaque longè vel propè reſpicere poſſem, in ipſa immenſitate luminis, quid intus haberetur, contemplari non poteram, ſed tantùm ſuperficiem cernebam: ipſum tamen inibi eſſe credebam, de quo Petrus ait: *In quem deſiderant Angeli proſpicere.* (1 Petr. 1. 12.) Ab ipſo namque claritas immenſa procedebat, ex qua omnis longitudo & latitudo Sanctorum illuſtrabatur. Ipſe quoque quodammodo erat in omnibus, & omnes in eo; ipſe omnes exteriùs circumdabat, ipſe omnes interiùs ſatiando regebat; ipſe ſuperiùs protegebat, ipſe inferiùs ſuſtinebat. Sol verò & Luna nequaquam lucebant ibi, nec cælum ac terra ibidem viſa ſunt. ſed neque ipſa claritas talis erat, quæ oculos contemplantium impediret, ſed quæ oculos gratiſſimè ſatiaret. Et cùm ſeniores ſedentes dixerim, in ipſo quodammodo ſedebant: nam nil corporeum erat ibi, ſed erant cuncta incorporea, licèt ſpeciem corporum habentia, & ideo ineffabilia. Circa ſedentes verò ſplendor ab ipſo procedens, ſimilis arcui nubium, tenebatur.

6. Cùm itaque à præfatis viris coram hac immenſitate luminis, ubi mihi majeſtas Dei omnipotentis, nemine monſtrante, eſſe videbatur, præſentatus fuiſſem; vox ſuaviſſima omni ſonoritate clarior, quia mihi omne ſæculum viſa eſt complevîſſe, ab eadem majeſtate procedens, ad me facta eſt dicens: Vade, & martyrio coronatus ad me reverteris. *Martyrē ſe fore intelligit.* Ad quam vocem omnis conventus Sanctorum Deum hinc inde laudantium, conticuit, atque ſubmiſſis vultibus adoravit. Denique ſpeciem, à qua hæc vox formata eſſet, prorſus non vidi. Poſt quam vocem triſtis factus, quia ad ſæculum redire compellebar, ſed de revertendi promiſſione ſecurus, cum prædictis ductoribus exinde remeabam: qui mecum tam euntes, quàm redeuntes nihil locuti ſunt, ſed tam pio affectu in me reſpiciebant, quemadmodum mater unicum filium contemplatur. ſicque ad corpus redii. In eundo verò ac redeundo, nec labor erat, nec mora: quia quò tendebamus, ſtatim aderamus. Et licèt aliqua viſus ſim de tanta dulcedine dulcedinum enarraſſe, fateor tamen, quia nequaquam ſtilus tanta exprimere potuit, quanta animus ſentit. Sed nec ipſe animus ſentit, ut fuit: quia illud eſſe mihi videbatur, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adſcendit. Ex hac itaque viſione, quam, ſicut ipſe dictaverat, verbis illius enarravimus; præfatus ſervus Dei & perterritus & conſolatus, cœpit ſe ſollicitiùs in divino exercere timore, boniſque operibus de die in diem ardentiùs inhærere, ſpemque de Dei miſericordia præſumere, quòd quadam ipſe diſponeret occaſione, & ad palmam martyrii poſſet pertingere. Quod tamen quia corporaliter gladio imminente non contigit, qualiter in mortificatione crucis, quam jugiter in ſuo corpore pro Chriſti nominis honore portavit, Deo miſerante completum ſit, cùm de obitu illius narrare cœperimus, latiùs explicabimus. *quo modo*

7. Poſt hæc verò, cùm Magiſter fuiſſet ſcholæ ad ſanctum Petrum [a], eun-

[a] Id eſt in Monaſterio Corbeienſi, cujus præcipua baſilica in honore ſanctorum Petri & Pauli atque ſancti Stephani ſacrata eſt. Prope erat oratorium ſancti Johannis Baptiſtæ, quod modò tenent Benedictinæ Sanctimoniales. at vicinior clauſtro eccleſia S. Johannis Evangeliſtæ, quæ forſan hîc intelligenda.

ANN. CHR. DCCCLXV FEBR. III.

Magiſter ſcholæ à Chriſto admonetur de confeſſione peccatorum.

do vel redeundo ad clauſtrum, conſuetudinem ſibi fecerat in oratorio beati Baptiſtæ Johannis ſecretiùs inſiſtere. Itaque poſt duos annos ſuperioris viſionis, quadam nocte viſum eſt ei, quòd ad idem oratorium cauſâ orandi divertiſſet. Cumque ab oratione ſurrexiſſet, ecce vir per oſtium veniebat, ſtaturâ procerus, Judaïco more veſtitus, vultu decorus; ex cujus oculis ſplendor divinitatis, velut flamma ignis, radiabat. quem intuitus, omni cunctatione poſtpoſita Chriſtum Dominum eſſe credebat, atque procurrens ad pedes ejus corruit. Cumque proſtratus in facie jaceret, ille ut ſurgeret imperavit. Cumque ſurgens coram illo reverenter adſtaret, atque præ nimio ſplendore oculis ipſius emicante in faciem ejus intendere non valeret, blanda voce illum allocutus eſt dicens: Dic, ait, iniquitates tuas, ut juſtificeris. Cui ſervus Dei reſpondit: Domine, quid neceſſe eſt tibi dicere? tu omnia noſti, & nihil te latet. Ille autem ſubſecutus ait: Scio quidem omnia, ſed ideo volo ut confiteantur mihi homines peccata ſua, ut remiſſionem accipiant. Cui cùm omnia; quæ ab infantia geſſerat, indicaſſet, & illo poſt hæc in orationem proſtrato ipſe erectus adſtaret, dixit: Noli timere, quia ego ſum, qui deleo iniquitates tuas. Poſt quam vocem ille qui apparuerat, receſſit: & vir Dei excitatus ſomno, de fiducia remiſſionis peccatorum ſuorum confortatus, immenſo tripudiabat gaudio.

Fulberti animam rapi videt in cælis.

8. Quo etiam tempore contigit, quod veſtræ reverentiæ notiſſimum eſt, ut quidam puerulus in ſchola, FULBERTUS [a] nomine, à ſocio ſuo tabulá percuſſus, ad mortem uſque perductus ſit. pro qua re prædictus ſervus Dei nimiùm triſtis effectus eſt, quòd ſub cura magiſterii ſui tanta negligentia inter ſubditos ſibi acciderit. Verùm appropinquante hora exitûs ipſius pueri, vir Domini fortè ſopori deditus lectulo incubabat. cùm ecce vidit in ſomnis ipſius animam à corpore ſublatam angelico miniſterio ad cælum deferri: ſe quoque miro & ineffabili miniſterio, Deo diſponente, pariter comitari. Cumque cæli ſecreta penetraſſent, pueri præfati animam in quamdam purpuream manſionem conſpexit introduci, & inter agmina Martyrum collocari. Ibique ei datum eſt agnoviſſe, quòd, quia ipſe puer vulnus ſibi illatum ſatis patienter tulit, & animam fratris uſque ad mortem diligens, pro percuſſore ſuo nimiùm benignè interceſſit, patientiam & benignitatem ejus divina remunerante pietate, inter Martyrum choros deputatus ſit. Hoc autem tam celeriùs in hora mortis ejus ei demonſtratum eſt, ita ut dum is adhuc moreretur, venerandus Pater WITMARUS (qui cum eo tunc ſcholam puerorum regebat, & hujus rei teſtis præſens adeſt) cùm pro hoc ipſo illum excitans, obitum diſcipuli nuntiaret; ille ſe hoc quoque antè ſcire reſponderit. Quod profectò Domini gratia causâ conſolationis ei videre conceſſit, ut quia pro hac re nimiùm triſtabatur, ex ſalute pueri mæſtitiam ſui relevaret animi.

E Corbeia veteri migrat in novam,

9. His itaque & aliis quamplurimis revelationibus atque viſionibus vir Dei cælitus inſpiratus, quantâ inter vos poſtmodum ſanctitatis gratiâ ac bonitatis excreverit, veſtrorum, qui tunc adfuere, teſtimonio melius comprobabitur. Nobis autem ea, quæ apud nos geſta ſunt, narrare cupientibus, primò indagandum videtur, propter eos qui hujus rei fortè minùs conſcii ſunt, qua occaſione à loco ſtabilitatis ſuæ huc ſeceſſerit; & cùm apud vos Deo oblatus ſit, ibique obedientiam promiſerit, quo inſtinctu ad has partes emigraverit, atque ad Epiſcopatus officium apud nos ſublimatus ſit. Hoc autem ideo ſcribere neceſſarium duximus, ne fortè aliquis levitati adſignet, quòd vir Dei divinæ compunctionis inſtinctu & peregrinationis amore pro ſalute animarum ſuſcepit. Cœptum eſt itaque olim in his partibus, videlicet Saxoniæ, Monaſterium fieri, quod auctoritate & magiſterio ſanctitatis veſtræ, & primò fundatum, & ſuccedenti tempore, Deo donante, feliciter conſummatum eſt; nomenque mutuatum à loco habitationis veſtræ accepit, ut vocaretur

[a] Filbertum vocat Gualdo in Vita metrica, ſi ſana eſt membranei codicis ſcriptura.

ANN. CHR. DCCC LXV FEBR. III.

nova [a] Corbeia. Ad hunc ergo locum Dei famulus unà cum aliis Fratribus veſtris primò directus eſt, ut inibi officio fungeretur docendi. in qua re ipſe per omnia tam probabilis & acceptus inventus eſt, ut omnium electione publicè quoque in eccleſia verbum Dei populis prædicaret. Sicque factum eſt, ut ejuſdem loci ipſe primus & Magiſter Scholæ, & Doctor fieret populi. *(a — Magiſter & Doctor.)*

10. Poſt hæc verò contigit, ut HERIOLDUS quidam Rex, qui partem tenebat Regni Danorum, ab aliis ipſius provinciæ Regibus odio & inimicitiâ conventus, Regno ſuo expulſus ſit. qui ſereniſſimum adiit Imperatorem LUDOVICUM, poſtulans ut ejus auxilio uti mereretur, quò Regnum ſuum denuo evindicare valeret. Qui eum ſecum detentum tam ipſe, quàm per alios ad ſuſcipiendam Chriſtianitatem cohortatus, quò ſcilicet inter eos ita major familiaritas eſſe poſſet, populuſque Chriſtianus ipſi ac ſuis promtiori voluntate in adjutorium ſic veniret, ſi uterque unum coleret Deum; tandem, gratia divina tribuente, ad Fidem convertit; & ſacro baptiſmate perfuſum ipſe de ſacro fonte [b] ſuſcepit, ſibique in filium adoptavit. Quem cùm iterum ad ſua reducere vellet, & ejus auxilio munitus Regni ſui fines repeteret, cœpit diligentiùs quærere, ſi quem inveniret ſanctæ devotionis virum, qui cum eo ire poſſet, eique continuò adhæreret, fieretque illi & ſuis ad corroborandam ſuſcipiendámque fidem Domini magiſter doctrinæ ſalutaris. De hoc itaque prædictus Auguſtus in publico * conventu Optimatum ſuorum, cum Sacerdotibus ceteriſque fidelibus ſuis tractare cœpit, & ut ſibi aliquem ad tale opus & voluntarium & condignum invenirent, ſollicitiùs omnes rogare. *(qua occaſione miſſus in Daniam cum Herioldo Rege, — b — Ludovico Pio petente, — * mſſ. puplico)*

11. Quod cùm univerſi abnuerent, nullatenus ſe quemquam ſcire tantæ devotionis virum, qui peregrinationem tam periculoſam pro Chriſti nomine ſuſcipere vellet; exſtitit tunc temporis venerabilis Abbas Monaſterii veſtri Wala, qui memorato Imperatori dixit, unum ſe ſcire Monachum in Monaſterio [c] ſuo, qui multo ardore circa divinam religionem ferveret, ac pro Dei nomine multa pati deſideraret: cujuſque pariter inſtitutionem ac mores laudavit, & quòd ad hoc opus ſatis eſſet idoneus indicavit. ſe tamen neſcire teſtatus eſt, utrùm ad hanc peregrinationem tolerandam voluntarius eſſet. Quid plura? jubente Rege evocatus eſt ad palatium Anſcharius. cui Abbas cuncta quæ acta ſunt, retulit, & ad quid vocaretur, aperuit. Qui ſe ad Dei ſervitium in omnibus, quæ in cauſa obedientiæ injungerentur, paratum eſſe reſpondit. Deductus itaque ad præſentiam Auguſti, cùm ab ipſo interrogaretur, utrùm pro Dei nomine, causâ in gentibus Danorum Evangelium prædicandi, comes fieri vellet Herioldi; omnino ſe velle conſtanter reſpondit. Cui etiam cùm Abbas intuliſſet, nullatenus ſe tantum onus jubendo illi imponere; ſi ipſe tantùm hoc ſua ſponte eligeret, ſibi gratum eſſe, & ſuæ auctoritatis ei licentiam dare. quod ille nihilo minus ſe & eligere, & modis omnibus perficere velle reſpondit. Denique cùm hæc publicè proteſtarentur, eſſetque cognitum omnibus qui in domo converſabantur Abbatis, cœperunt multi tantam ejus admirari immutationem: quòd ſcilicet relictâ patriâ, & propinquis ſuis, Fratrum quoque cum quibus educatus fuerat, dulciſſima affectione, alienas expetere vellet nationes, & cum ignotis ac barbaris converſari. Multi quoque eum ſuper hoc deteſtari, & improperiis laceſſere; quidam à propoſito revocare conabantur. Sed vir Dei in cœpta voluntate immobilis permanebat. Denique cùm Abbas per dies ſingulos ad palatium iret, ipſe domi reſidens conſortia om- *(Vvala annuente, — c — Fratribus improbantibus.)*

[a] De novæ Corbeiæ conſtructione fuſiùs actum ſuprà ad annum 836.

[b] Nempe Moguntiaci in Monaſterio S. Albani, & quidem anno DCCCXXVI, ut conſtat ex Eginhardo & ex libro de vita Ludovici Pii, ubi Herioldus cum uxore Danorumque non parva manu Moguntiaci apud S. Albanum cum ſuis omnibus baptiſmatis undâ perfuſus, plurimiſque muneribus ab Imperatore donatus fuiſſe perhibetur, accepto quodam Comitatu in Friſia, cujus vocabulum eſt Rhiuſtri. Theganus addit, Reginam ejus uxorem ab Juditha Imperatrice de ſacro fonte levatam fuiſſe. Herioldi fratrem Adamus addit perperam.

[c] Id eſt in Corbeia veteri, ad quam proinde jam ſe receperat Anſcharius, ante aliquot annos in novam miſſus docendi gratiâ: ſed forſan Adalhardo Abbate mortuo à Vvala exinde revocatus.

Ann. Chr. DCCC LXV Febr. III.

nium fugiebat, & in quadam vinea juxtà poſita ſolitarium ſibi locum eligens, orationi & lectioni vacabat.

Autberto ipſi adjuncto.

12. Erat autem etiam tunc cum Domno Abbate quidam Frater Monaſterii[a] veſtri, nomine AUTBERTUS, qui cùm eum ſollicitum nimis ac triſtem, & quotidie ſecretius ſibi conſiſtere, & nullius conſortio vel colloquio uti videret, cœpit ei compati. Et quadam die pergens ad locum, ubi in ſupradicta vinea ſolus ſedebat, cœpit ab eo inquirere, utrum veraciter peregrinationem illam vellet ſuſcipere. Qui ſperans eum hoc non ob compaſſionem, ſed propter aſtutiam magis inquirere, reſpondit: Quid vobis curæ eſt ſuper hoc? noli te mentem meam tali inquiſitione conturbare. Ille verò nihil omnino ſe deceptionis in hac re protendere teſtabatur; ſed magis veraciter ſcire velle, utrum ille in propoſita voluntate diſponeret perſeverare. Tunc ipſe congratulans ejus benevolentiæ, reſpondit: Ego interrogatus ſum, ſi pro Dei nomine vellem in gentes peregrinas ire ad prædicandum Evangelium Chriſti. cui propoſitioni ego nequaquam reniti auſus ſum: immo totis viribus exopto, ut mihi ad hoc detur copia eundi: nullusque ab hac intentione mentem meam immutare poterit. Tunc præfatus Frater ei reſpondit: Et ego te numquam patiar ſolum ire, ſed pro Dei amore tecum proficiſci cupio. tantùm ut Domni Abbatis licentiam mihi impetres. Firmata itaque inter eos hac religioſa contentione, redeunti Abbati ipſe obvius adſtitit; & quòd ſibi ſocium inventum haberet, qui hujus profectionis comes eſſe voluntarius vellet, indicavit. Cujus perſonam cùm Abbas requireret, & ille fratrem Autbertum nominaret; multo miraculo obſtupuit, nequaquam putans eum, qui & nobilis proſapiæ in ſæculo, & apud eum tunc familiaris, ac poſt eum domus ejus Procurator habebatur, talia velle. advocatum tamen eum ſuper hoc interrogavit. Qui reſpondit ſe nequaquam pati poſſe, ut ille ſolus iret: ſed pro Chriſti nomine ſe velle ei ſolatio & adjutorio fieri, ſi ſuam & Fratrum haberet licentiam. Cui Domnus Abbas ſe daturum licentiam, ſi ille ſpontaneè hanc profectionem eligeret, reſpondit. nullum tamen eis ex familia ſua comitem deputaturum ad obſequium ſervitii: niſi fortè ipſi aliquem ad hoc provocare poſſent, ut ſua ſponte cum eis ire vellet. Hoc autem venerabilis Abbas non de inaffectione faciebat, ſed quia abominabile & injuſtum videbatur, ut quis invitus inter paganos converſari cogeretur.

Ambo Daniam petunt cum Herioldo.

13. Poſt hæc itaque ambo deducuntur ad Regem: quorum voluntati & deſiderio condelectatus, ipſe dedit eis & eccleſiaſtica[b] miniſteria; & ſcrinia atque tentoria, ceteraque ſubſidia, quæ tanto itineri videbantur neceſſaria: & cum præfato Herioldo ire præcepit, denuntians, ut ejus fidei maximam impenderent ſollicitudinem, eumque & ſuos, qui ſimul cum eo baptizati fuerant, pia exhortatione, ne ad priſtinos reducerentur diabolo inſtigante errores, continuè laborarent; ſimulque etiam alios ad ſuſcipiendam Chriſtianitatem verbo prædicationis ſtrenuè commonerent. Dimiſſi itaque ab Imperatore nullum habuerunt ſocium, qui eis aliquid ſervitii impenderet: quoniam nemo ex familia Abbatis cum eis ſua ſponte ire, nec ille quemquam ad hoc invitum cogere volebat. Herioldus quoque, cui commiſſi fuerant, adhuc rudis & neophytus, ignorabat qualiter ſervi Dei tractari debuiſſent. Sui quoque tunc nuper converſi, & longè aliter educati, non multâ ſuper eos curâ intendebant. Cum gravi itaque difficultate hanc ſuſcipientes peregrinationem, pervenerunt Coloniam. ubi tunc temporis venerandus Antiſtes HADELBODUS compatiens eorum neceſſitati, dedit eis navem optimam, ubi ſua reponerent, in qua erant duæ manſiunculæ ſatis optimè præparatæ. Hanc itaque prædictus Heriol-

Coloniæ bene accepti.

a Id intelligo de vinea palatio vicina, non de vineis Corbeiæ veteris, de quibus Anonymus quidam de deſtructionibus eccleſiæ Corbeienſis apud Cheſnium tomo 2. *Appendebant ad Corbeiam vineæ, quæ circa Monaſterium erant, continentes in ſe XII bunaria terræ, & amplius: ubi poterant colligi modii XC de vino, & amplius.* Nunc in ſegetum culturam ceſſit totus ager Monaſterio circumpoſitus.

b Id eſt eccleſiaſticam ſupellectilem, calicem, ornamenta & cetera ad uſum altaris. quæ uno vocabulo Capellam nominant.

dus conſpiciens, elegit in eadem navi cum illis manere, ut ipſe unâ, & illi potirentur alterâ manſiunculâ. ſicque inter eos familiaritas cœpit & benevolentia creſcere: ſui quoque exhinc ſervitium eis diligentiùs impendebant. Inde ingreſſi per Dorſtatum [a], & vicina Freſonum tranſeuntes, ad confinia pervenerunt Danorum. Et quia interdum pacificè in Regno ſuo Herioldus Rex conſiſtere non poterat, dedit ei memoratus Auguſtus ultra Albiam beneficium, ut ſi quando ei neceſſarium eſſet, ibi ſubſiſtere poſſet.

Ann. Chr. DCCC XXV Febr. III. — *dato ab Imperatore beneficio.*

14. Præfati itaque ſervi Dei cum eo poſiti aliquando inter Chriſtianos, aliquando inter paganos conſtituti, cœperunt verbo Dei inſiſtere; & quoſlibet poterant ad viam veritatis monere. Multi enim exemplo & doctrinâ eorum ad Fidem convertebantur, & creſcebant quotidie qui ſalvi fierent in Domino. Ipſi quoque divino inſpirati amore ad promulgandam devotionis ſuæ Religionem, cœperunt curioſè pueros quærere quos emerent, & ad Dei ſervitium educarent. Præfatus quoque Herioldus ex ſuis aliquos ſub eorum cura erudiendos poſuit. ſicque factum eſt, ut ſcholam inibi parvo tempore ſtatuerint duodecim aut eo ampliùs puerorum. Alios quoque hinc inde ſibi adſciverunt ſervitores & adjutores: cœpitque eorum fama & religio in Dei nomine fructuoſiùs creſcere. Cùm itaque in hoc ſancto propoſito biennio aut eo ampliùs morarentur, contigit jam dictum Fratrem Autbertum infirmitatis gravari moleſtiâ. Qua de cauſa inde ad novam Corbeiam deductus, languore diutino ingraveſcente, felici (ut credimus) tranſitu in tempore Paſchæ, ſicuti & ipſi antea à Domino revelatum fuerat, diem inibi clauſit extremum.

Paganos erudiunt. — *pueris ſcholas aperiunt.* — *Autbertus Corbeiæ obit.*

15. Interim verò contigit Legatos Sueonum ad memoratum veniſſe [b] LUDOVICUM, qui inter alia legationis ſuæ mandata clementiſſimo Cæſari innotuerunt, eſſe multos in gente ſua, qui Chriſtianæ religionis cultum ſuſcipere deſiderarent. Regis quoque ſui animum ad hoc ſatis benevolum, ut ibi Sacerdotes Dei eſſe permitteret. tantùm ejus munificentiâ mererentur, ut eis Prædicatores deſtinaret idoneos. Quos religioſiſſimus audiens Imperator, plurimùm exhilaratus, denuo quærere cœpit, quos in illas partes dirigeret, qui probarent, utrum populus ille ad credendum paratus eſſet, ſicuti Miſſi illi intimaverant, & cultum Chriſtianæ religionis illis tradere inciperent. Unde factum eſt, ut iterum cum memorato Abbate veſtro ſereniſſimus Imperator tractare cœperit, ſi quem fortè de ſuis Monachis invenire poſſet, qui pro Chriſti nomine in illas partes ire vellet: aut certè qui cum Herioldo moraretur, & is qui cum eo erat, ſervus Dei Anſcharius illam ſuſciperet legationem. Qua de re contigit, ut regio juſſu abhinc ad palatium vocaretur. Cuique denuntiatum eſt, ne ſe raderet [c] antequam ad præſentiam Imperatoris veniret. Vir autem Dei ad quod vocaretur omnino prænoſcens, cœpit toto cordis fervore in amore Dei exardeſcere, & omne gaudium exiſtimare, ſi lucrandis ſibi animabus liceret inſiſtere. Si quid quoque in hujuſmodi profectione contrarietatis ſive adverſitatis ei potuiſſet accidere, propoſuit animo patienter pro Chriſto tolerare: nihilque dubietatis in corde pro tali gerebat opere. quoniam viſionis divinæ, quam antè præviderat, conſolabatur munere. Siquidem ſuprà dicto tempore, cùm apud vos maneret, & jam duabus viſionibus cælitus inſpiratus haberetur, quadam nocte viſum eſt ei, quòd veniſſet in quamdam domum, ubi plures ex ordine Prædicatorum ad prædicandi officium præparati adſtabant: coram quibus ſubitò in exceſſu mentis raptus, videbat immenſi luminis claritatem ſuper ſolis radium de cælo emiſſam ſe circumfulſiſſe. Cúm-

Sueeis petentibus Prædicatores, [b] — *Anſcharius à Ludovico dirigitur ad ipſos,* [c] — *deſiderio patiendi animatus ex viſo cæleſti.*

[a] Opidum eſt Batavorum ad Rhenum, quo ſecundo flumine Ancharius cum ſuis in Oceanum, ac deinde in Daniam vectus eſt anno DCCC XXVII.

[b] Anno ſcilicet DCCC XXIX. ſiquidem biennio jam apud Danos moratus erat Ancharius ex num. 14. tametſi hujus legationis meatio nulla eſt apud ejus ævi auctores. Sanè id factum oportuit ante annum DCCC XXX, quo Vualach Abbas, cum quo Imperator hac de re tractavit, ab eo juſſus eſt ad Monaſterium ſuum redire, ibique regulariter obverſari, ut loquitur Auctor ille, qui Vitam Ludovici ſcripſit.

[c] Ergone moris erat, ut Monachi Regem adituri tonſuram renovarent, ut apparerent comtiores!

Ann. Chr. DCCC XXV Fabr. III.

que miraretur, quid hoc eſſet; vox quoque pæne ſimilis illi, quam in prima viſione ſe audiſſe narraverat, facta eſt ad eum, dicens: Dimiſſum eſt peccatum tuum. Cui ille divino, ut credimus, afflatus ſpiritu, reſpondit, dicens: Domine, quid vis ut faciam? Et iterum vox ſonuit, dicens: Vade & adnuntia Gentibus verbum Dei. Hanc itaque viſionem ſervus Dei pertractans animo, lætus gaudebat in Domino, videns jam ex parte impletum, quod ſibi imperatum fuerat, & ad majorem laboris ſui cumulum etiam Sueonibus verbum Dei nuntiare cupiens.

Vvitmarum ſocerum ſortitus, Giſlemaro in Dania ſubſtituto.

à piratis ſpoliatus.

16. Cùm itaque ante præſentiam Cæſaris adductus, interrogatus ab eo fuiſſet, utrum legationem iſtam ſuſcipere vellet, libera voce reſpondit, ſe paratum ad omnia, quæ illi pro Chriſti nomine ſua auctoritate decreviſſet injungere. Tunc Dei providentiâ ſocium illi ex veſtra fraternitate venerabilis Abbas invenit Nonnum [a] WITMARUM, tanto operi ſatis condignum & voluntarium. Porro cum Herioldo eſſe diſpoſuit Patrem devotiſſimum GISLEMARUM, fide & operibus bonis probatum, atque in zelo Dei ferventiſſimum. Suſcepit itaque legationem ſibi à Cæſare injunctam, ut in partes iret Sueonum, & probaret utrum populus ille ad credendum paratus eſſet, ſicuti Miſſi ſupradicti innotuerant. In qua legatione, quanta, quámque gravia perpeſſus ſit mala, meliùs ipſe, qui interfuit, prædictus Pater Witmarus [b] intimare poterit. Nobis hoc tantùm narraſſe ſufficiat, quòd dum in medio ferè eſſent itinere, in piratas offenderunt. Et cùm negotiatores, qui cum eis ibant, ſe viriliter defenderint, & primò quidem victoriam ceperint; in ſecundo tamen ab iiſdem piratis devicti ac ſuperati ſunt, ita ut naves & omnia quæ habebant, eis tulerint, & ipſi vix pedibus ad terram fugientes evaſerint. Ibi itaque & munera regia, quæ illuc deferre debuerant, & omnia quæ habuerant, perdiderunt, excepto parum quid, quod fortè proſilientes è navi ſecum auferre & aſportare poterant. Inter quæ & pæne quadraginta libros, quos ad ſervitium Dei ſibi aggregaverant, illis diripientibus amiſerunt. Hoc itaque facto cùm quidam reverti, quidam inantea ire diſponerent, ſervus Dei à cœpto itinere nulla ratione flecti potuit: quin potiùs in Dei ponens arbitrio quid illi contingeret, nequaquam redire diſpoſuit, antequam nutu Dei dinoſceret, utrum in illis partibus licentia prædicandi fieri poſſet.

à Sueoniæ Rege benignè exceptus,

converſionem gentis aggreditur feliciter.

17. Cum gravi itaque difficultate pedibus poſt hoc per longiſſimam viam incedentes, &, ubi congruebat, interjacentia maria navigio tranſeuntes, tandem ad portum Regni ipſorum, qui Byrca dicitur, pervenerunt: ubi benignè à Rege eorum, qui BERN [c] vocabatur, ſuſcepti ſunt, Miſſis ejus referentibus, qua de cauſa advenerint. Cognita itaque legatione eorum, & cum ſuis de hujuſmodi negotio pertractans fidelibus, omnium pari voto atque conſenſu dedit licentiam eis ibi manendi & Evangelium Chriſti prædicandi, conceſſa libertate, ut quicumque vellent, eorum doctrinam expeterent. Itaque alacri corde ſervi Dei, videntes proſperè ea quæ optaverant, ſucceſſiſſe, populis ibi conſtitutis verbum ſalutis adnuntiare cœperunt. Plures quoque erant, qui eorum legationi favebant. Multi etiam apud eos captivi habebantur Chriſtiani, qui gaudebant jam tandem ſe myſteriis poſſe participari: probatumque eſt omnia ita veraciter conſtare, ſicuti Miſſi ipſorum ſereniſſimo Cæſari innotuerunt, & baptiſmi gratiam nonnulli devotè expetebant. Inter quos Præfectus vici ipſius & Conſiliarius Regis, admodum illi amabilis, HERIGARIUS nomine, ſacri baptiſmatis donum ſuſcepit, atque in Fide catholica firmiſſimus

[a] S. Benedictus præcipit Abbatem *Dominum* vocari, Priores *Nonnos*, *quod intelligitur paterna reverentia*, in Regulæ cap. 63.

[b] Ergo in vivis etiam tum ſuperſtes erat Vvitmarus, in veterem (ut videtur) Corbeiam jam reverſus.

[c] Biorn vocat Adamus in hiſtoriæ lib. 1 cap. 16. qui Auctor cap. 50 notat ſitum Bircæ opidi his verbis: *Birca eſt opidum Gothorum in medio Sueoniæ poſitum, non longè ab eo templo, quod celeberrimum Sueones habent in cultu deorum, Vbſola dicto. in quo loco ſinus quidam ejus freti, quod Balthicum vel Barbarum dicitur, in boream vergens, portum facit barbaris gentibus, quæ hoc mare diffuſi habitant, optabilem.* Hactenus inſulæ relictum Bioſko vocabulum.

exſtitit. Ipſe namque in hereditate ſua eccleſiam fabricavit, & in Dei ſervitio ſemetipſum religioſiſſimè exercuit. Hujus viri diverſa exſtant inſignia, & ejus invictæ fidei multa probantur indicia, quæ in ſequentibus evidentiùs exponemus. Ann Chr. DCCC LXV Febr. III.

18. Peracto itaque apud eos altero dimidio anno, præfati ſervi Dei cum certo ſuæ legationis experimento, & cum litteris regia manu more ipſorum deformatis, ad ſereniſſimum reverſi ſunt Auguſtum. qui honorificè & cum maxima pietatis benevolentia ab eo ſuſcepti, narraverunt quanta Dominus ſecum egerit, & quod oſtium fidei in illis partibus ad vocationem Gentium patefactum fuerit. Hoc itaque devotiſſimus audiens Imperator, immenſo lætificabatur gaudio: pariterque recolens, quæ jam olim apud Danos circa Dei cultum concepta fuerant, & laudes & gratias omnipotenti Domino referens, ardore fidei ſuccenſus quærere cœpit, quomodo in partibus Aquilonis, in fine videlicet Imperii ſui, ſedem conſtituere poſſet epiſcopalem: unde congruum eſſet Epiſcopo ibi conſiſtenti causâ prædicationis illas frequentiùs adire partes, & unde etiam omnes illæ barbaræ nationes faciliùs uberiuſque capere valerent divini myſterii Sacramenta. Cùm itaque pro hujuſmodi ſollicitudine, cura vigilanti inſtaret, quibuſdam fidelibus ſuis referentibus ei innotuit, quod cùm glorioſæ memoriæ pater ſuus Carolus Auguſtus omnem Saxoniam ferro perdomitam & jugo Chriſti ſubditam per Epiſcopatus diviſit, ultimam partem ipſius provinciæ, quæ erat in Aquilone ultra Albiam, nemini Epiſcoporum tuendam commiſit, ſed ad hoc reſervare decrevit, ut ibi archiepiſcopalem conſtitueret ſedem: ex qua Domini gratia tribuente etiam ſucceſſio fidei in exteras proficeret nationes. Qua de re primitus etiam ibi eccleſiam per quemdam Epiſcopum Galliæ, Amalharium [a] nomine, conſecrari fecit. Poſtea etiam ipſam parrochiam Preſbytero, Heridach nomine, ſpecialiter gubernandam commiſit: nec omnino voluit, ut vicini Epiſcopi aliquid poteſtatis ſuper eum locum haberent. Quem etiam Preſbyterum conſecrari diſpoſuerat Epiſcopum, ſed velocior ejus de hac luce tranſitus hoc ne fieret, impedivit.

rem ad Imperatorem refert.

Sedem Hammaburgi à Carolo deſignatam,

19. Poſt obitum itaque tantæ memoriæ Auguſti, filio ejus, ſupradicto videlicet Imperatore Ludovico, in ſede Regni ejus collocato; ſuggerentibus quibuſdam, partem illam provinciæ, quæ ultra Albiam erat, in duo diviſit, & duobus vicinis Epiſcopis [b] interim commendavit. Non enim ſatis attendit patris ſui ſuper hoc conſtitutionem, aut certè omnimodis ignoravit. Ita verò facta occaſione, quâ jam Fides Chriſti in partibus Danorum atque Sueonum per gratiam Dei fructificare cœperat, cognito patris ſui voto, ne quid ejus ſtudii imperfectum remaneret, unà cum conſenſu Epiſcoporum ac plurimo Synodi conventu, in præfata ultima Saxoniæ regione trans Albiam, in civitate *Hammaburg* ſedem conſtituit archiepiſcopalem, cui ſubjaceret univerſa Nordalbingorum eccleſia, & ad quam pertineret omnium regionum aquilonalium poteſtas, ad conſtituendos Epiſcopos ſive Preſbyteros in illas partes pro Chriſti nomine deſtinandos. Ad hanc ergo ſedem Domnum & Patrem noſtrum Anſcharium prædictus Imperator ſollemniter conſecrari [c] fecit Archiepiſcopum, per manus Drogonis Mettenſis Præſulis & ſummæ ſanctæque palatinæ dignitatis tunc Archicapellani, adſtantibus Archiepiſcopis, Ebone Remenſi, Hetti Treverenſi, & Otgario Magontiacenſi, unà

à Ludovico erectam obtinet,

Archiepiſcopus conſecratus.

[a] Trevirenſem ſcilicet, ni fallor, alium ab Amalario ſcriptore librorum de divinis officiis, qui Auctor Romam profectus eſt anno DCCC XXXI, ex libro de ordine Antiphonarii cap 58. quo tempore eccleſiæ Trevirenſi ab anno decimo præſidebat Hetti Amalarii ſucceſſor, de quo numero ſequenti. Ludovicus Auguſtus in Præcepto ſuo poſtea referendo ait, Epiſcopum quemdam *ex remotis Galliæ partibus*, nomine Amalarium, Hammaburgi eccleſiam conſecraſſe, nulla ſedis ejus mentione facta.

[b] Nimirum Bremenſi & Ferdenſi, Vvillerico & Heligaudo, de quibus infrà.

[c] Id contigit anno DCCC XXXIV, mendosè apud Adamum anno DCCC XXXIII. ſiquidem teſtante eodem Auctore Anſcharius obiit anno DCCC LXV, epiſcopatûs anno vigeſimo quarto.

Ann Chr. DCCC LXV Febr. III.

cum pluribus aliis, in conventu Imperii, Præſulibus congregatis; adſiſtentibus quoque, & conſentientibus ac pariter conſecrantibus, Helingaudo & Willerico Epiſcopis: à quibus jam dictas parrochiæ illius partes commendatas cœperat. Et quia diœceſis illa in periculoſis fuerat locis conſtituta, ne propter barbarorum imminentem ſævitiam aliquo modo deperiret, & quia omnimodis parva erat, quamdam cellam in Gallia, *Turbolt* [a] vocatam, ad eamdem ſedem perpetuò ſervituram ejus legationi tradidit.

à Gregorio IV confirmatus,

20. Et ut hæc omnia perpetuum ſuæ ſtabilitatis retinerent vigorem, eum honorabiliter ad Sedem direxit apoſtolicam, & per Miſſos ſuos venerabiles Bernoldum & Ratoldum Epiſcopos, ac Geroldum illuſtriſſimum Comitem [b], omnem hanc rationem ſanctiſſimo Papæ Gregorio intimari fecit confirmandam. Quod etiam ipſe tam decreti ſui auctoritate, quàm etiam pallii datione, more prædeceſſorum ſuorum roboravit, atque ipſum in præſentia conſtitutum Legatum in omnibus circumquaque gentibus Sueonum ſive Danorum, necnon etiam Sclavorum, aliarumque in Aquilonis partibus gentium conſtitutarum, unà cum Ebone Remenſi Archiepiſcopo, qui ipſam legationem antè ſuſceperat, delegavit, & ante corpus & confeſſionem ſancti Petri Apoſtoli publicam evangelizandi tribuit auctoritatem. & ne horum quidquam in futurum irritum fieret, omnem reſiſtentem & contradicentem, vel quolibet modo his ſanctis ſtudiis piiſſimi Imperatoris inſidiantem, anathematis mucrone percuſſit, atque perpetua ultione reum diabolica ſorte damnavit. Porro, ut præmiſimus, eadem legatio auctoritate Paschalis Papæ [c] Eboni Remenſi Archiepiſcopo priùs commendata fuerat. Siquidem ipſe (ut credimus) divino afflatus Spiritu, pro vocatione gentium, & maximè Danorum, quos in palatio ſæpius viderat, & diabolico deceptos errore dolebat; ferventiſſimo ardebat deſiderio, & pro Chriſti nomine ſe ſuaque omnia ad ſalutem gentium tradere cupiebat. Cui etiam domnus Imperator locum unum ultra Albiam, qui vocatur Welanao [d], dederat, ut quoties illas in partes pergeret, locum ſubſiſtendi ibi haberet. Multoties itaque ipſe ad eumdem venit locum, & pro lucrandis animabus multa in Aquilonis partibus diſpenſavit, ac plurimos religioni Chriſtianorum adjunxit, atque in Fide catholica roboravit.

dictus Legatus Septemtrionalium.

Gauzberto Epiſcopo adjutore,

21. Verùm poſt ordinationem Domni & Patris noſtri Anſcharii ſuperiùs comprehenſam, viſum eſt illis, de eadem legatione inter ſe conferentibus neceſſarium eſſe, ut aliquis illi ordinaretur adjutor, qui in partibus Sueonum miniſterii epiſcopalis officio fungeretur: quoniam in regione tam longè poſita præſens adeſſe deberet Pontifex, & ipſe ſolus ad utrumque locum minùs ſufficeret. Cum conſenſu itaque & voluntate prædicti Imperatoris, venerabilis Ebo quemdam propinquum ſuum, Gauzbertum * nomine, ad hoc opus electum, & pontificali inſignitum honore, ad partes direxit Sueonum: cuique miniſteria eccleſiaſtica & neceſſarios ſumtus tam ex ſua quàm ex datione regia abundè tribuit, eumque quaſi vice ſua [e] qui ibidem prædicandi

* al. Gautbertum

[a] Cella Turholtienſis, nunc oppidum Thuroltani Comitatûs caput Flandriæ contiguum, Anſchario conceſſa eſt anno DCCCXXXIII, teſtante Adamo in lib. 1 cap. 17. Cellæ iſtius fit mentio in Vita S. Bavonis Sæculo 2.

[b] Cujus loci, incertum. Extat quidem epiſtola formata Vvulfeonis Conſtantienſis Epiſcopi ad Bernaltum Argentarienſem Epiſcopum, apud Sirmondum in tomo 2 Conciliorum Galliæ: qui Bernaltus apud Guillimannum omittitur. at cùm epiſtola illa data ſit anno DCCCXVII, & Utho, haud dubiè Bernalti ſucceſſor, Concilio Aquiſgranenſi anno DCCCXIX ſubſcripſiſſe dicatur, de alio Bernoldo hic locus intelligendus eſt. Geroldus Comes erat Pannonici Limitis Præfectus, ex Eginhardo ad annum 826.

[c] Paſchalis hac de legatione litteras refert Philippus Cæſar, & ex eo Henſchenius, quibus Pontifex Eboni poteſtatem facit in partibus Aquilonis diſſeminandi Evangelii unà cum Halitgario miniſtro. quod Baronius revocat ad annum DCCCXXII.

[d] Vulgo *Welnau* ſeu *Welen* infra Hammaburgum.

[e] Non tamen aſſiduè ab anno DCCCXXII uſque ad id tempus in illis partibus perſeveravit Ebo. Certè in ſua diœceſi Remenſi verſabatur anno DCCCXXVII, quo Lodovicus Auguſtus eum miſit ad Monaſterium Dervenſe tunc à ſæcularibus Clericis occupatum, ut diligentèr conſideraret, an *locus aptus eſſet ad monaſticum Ordinem obſervandum*, ut patet ex diplomate edito in fine Appendicis Sæculi tertii.

officium

officium priùs auctoritate apoſtolica ſuſcepiſſet, Legatum in gentibus Sueonum eſſe conſtituit. cui etiam poſtea clementiſſimus Auguſtus, ſuggerente eodem venerabili Præſule Ebone, cellam quam ipſe in loco memorato Welanao conſtruxerat, quaſi locum refrigerii tradidit, ut ſcilicet ad ipſius miniſterium officii perpetua ſtabilitate deſerviret. Prædictus itaque Gauzbertus, quem ipſi conſecrantes honore apoſtolici nominis SIMONEM [a] vocaverunt, ad partes veniens Sueonum, honorificè & à Rege & à populo ſuſceptus eſt, cœpitque cum benevolentia & unanimitate omnium eccleſiam inibi fabricare, & publicè Evangelium fidei prædicare: fiebatque gaudium ſalutis Chriſtianis ibi degentibus, & de die in diem numerus credentium augebatur. Interim quoque Domnus & Paſtor noſter in diœceſi ſibi commiſſa & in partibus Danorum ſtrenuè ſuum implebat officium, & exemplo bonæ converſationis multos ad Fidei gratiam provocabat. Cœpit quoque ex gente Danorum atque Sclavorum nonnullos emere pueros, aliquos etiam ex captivitate redimere, quos ad ſervitium Dei educaret. Quorum quoſdam ad cellam prædictam *Turholt* nutriendos poſuit: fueruntque cum eo hic ex ſocietate veſtra ſancti Patres noſtri & Magiſtri, quorum doctrinâ & inſtitutione feliciter nobiſcum Religionis divinæ crevit opinio.

Ann. Chr. DCCC XLV Iear. III.

aliiſque ex Corbeia veteri.

22. Verùm cùm hæc in utraque parte laudabiliter & Deo dignè agerentur, contigit ex improviſo piratas advenientes Hammaburgenſem civitatem navigio circumdediſſe. Quod cùm inopinatè & ſubitaneè accidiſſet, ſpatium non fuit pagenſes congregandi. quippe cùm & Comes, qui eo tempore præfecturam loci illius tenebat, illuſtriſſimus vir BERNARIUS tunc deeſſet; domnus verò Epiſcopus ibi poſitus cum his qui aderant in urbe ipſa, vel in ſuburbio manentibus, primò quidem audito adventu eorum locum ipſum continere voluit, donec majus veniret auxilium: ſed impellentibus paganis, & civitate jam obſeſſa, cùm eis reſiſti non poſſe conſpicit, quomodo pignora ſanctarum reliquiarum [b] aſportarentur, præparavit. Sicque ipſe Clericis huc & illuc fugâ diſperſis, etiam ſine cappa ſua vix evaſit. Populi quoque à loco ipſo exeuntes & hac illacque palantes, plurimis aufugientibus, quidam capti, plerique etiam perempti ſunt. Denique hoſtes direpta [c] civitate, & omnibus quæ in ea vel in vico proximo erant, ſpoliatis, cùm veſpertino tempore eò adventaſſent, noctem ipſam cum ſequenti die & nocte ibi conſederunt: ſicque ſuccenſis omnibus ac direptis, egreſſi ſunt. Ibi eccleſia miro opere magiſterio domni Epiſcopi conſtructa, unà cum clauſtris Monaſterii mirificè compoſitis, igni ſuccenſa eſt. Ibi bibliotheca, quam ſereniſſimus memoratus Imperator eidem Patri noſtro contulerat, optimè conſcripta, unà cum pluribus aliis libris, igni diſperiit. ſicque omnia, quæ inibi aut in eccleſiaſticis miniſteriis, aut in aliis theſauris & facultatibus habuerat; aut prædatione aut igne, hoſtili impetu direpta ſunt, ut quaſi nudum eum dimiſerint. Quippe cùm pæne nihil exinde priùs elatum ſit, nec tunc quidem aliquid ſubventum, niſi quod quiſque fugiens caſu arreptum ſecum forſitan exportare potuit. Pro quibus omnibus domnus & Pater ſanctiſſimus nullatenus vel animo moleſtabatur, vel labiis peccavit, ſed cùm omnia ferè, quæ ab initio Epiſcopatus aggregare, vel in fabricam ædificiorum componere potuerat, uno velut momento perdidit, illud beati Job ſæpius verbis replicabat: *Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt. ſit nomen Domini benedictum.* Iob 1, 21.

Hammaburgo à piratis vaſtato.

omnium rerum jacturam fert patienter

[a] Hinc patet moris aliquando tum fuiſſe, ut Epiſcopis in conſecratione ſua nomen mutaretur. ſic ſanctus Vvillibrodus à Papa Clemens dictus eſt.

[b] Nempe Sanctorum Xyſti & Sinicii Confeſſorum Pontificum Remenſium, ex Adamo in lib. 1 cap. 23. in quorum honorem Cœnobium poſtea conſtituit in prædio Ramſolano, quod Ikia matrona ipſi tradiderat, haud longè ab Hammaburgo. Reliquias iſtas Anſcharius ab Ebone acceperat, unà cum corpore ſancti Marciani, quod apud Heliugaſtad repoſuit; & cimiliis beati Remigii, quæ cum ingenti honore Bremæ ſervavit.

[c] Id anno DCCC XLV reponunt Annales Fuldenſes & Metenſes, rectiùs quàm Adamus & Krantzius anno DCCC XL.

Ann. Chr. DCCCLXV Febr. III. Gauzberto à Sueonibus vexato,

23. His itaque ita peractis, cùm domnus Epiſcopus cum ſuis in multis eſſet preſſuris & calamitatibus, & Fratres Congregationis ejus unà cum ſanctiſſimis pignoribus varia loca circumeundo huc illucque vagarentur, & nuſquam ſederent quieti; prævaleſcente iniqui machinatione contigit etiam diabolico inſtinctu, ut populus Sueonum, fervore zeli accenſus, præfatum Gauzbertum Epiſcopum inſidiosè perſequi cœperit. factumque eſt, ut ad domum, in qua manebat, unanima conventione pars quædam populi, cauſâ direptionis, irruerit, & nepotem quidem ipſius, NITHARDUM nomine, gladio peremerit, & odio Chriſtiani nominis percuſſum Dei (ut credimus) Martyrem fecerit. Ipſum verò cum ceteris ſociis, qui ſimul aderant, ligaverunt, & diripientes omnia, quæ apud eos invenire potuerunt, contumeliâ & opprobriis affectos à finibus ſuis expulerunt. quod tamen non regio juſſu factum, ſed populari tantùm conſpiratione eſt perpetratum. Divinæ verò majeſtatis clementia hoc nequaquam inultum abire paſſa eſt: ſed pæne omnes qui adfuere, quamlibet diverſo modo in parvo tempore puniti ſunt: de quibus multa dici poterant. ſed ne faſtidium legentibus inferamus, unius tantùm mentionem curavimus facere, ut quâ pœnâ ceteri evindicati fuerint, ex hujus perditione pateſiat.

Nithardo perempto,

Sueonibus punitis,

24. Quidam namque in terra illa potens exſtitit, cujus filius in eadem conſpiratione cum aliis fuerat, & quæ ſibi de ſpoliis inibi captis provenerant, in domum patris ſui contulit. Poſt quod factum cœpit ſubſtantia illius minui, & pecora ac familia deperire: ipſe quoque filius divina ultione percuſſus interiit: ſed & uxor ejus cum filio ac filia, non multo interjacente ſpatio, obiit. Cùm itaque ſe, excepto filio parvulo, omnibus bonis ſuis defraudatum videret, cœpit miſer deorum iras expaveſcere, & quod hæc omnia alicujus Dei offenſione pateretur, mente tractavit. Qua de re, ſicut ibi moris eſt, quemdam adiit divinum, rogans, ut cujus Dei offenſam haberet, & qualiter eum placare deberet, ipſi indicaret. Agens itaque ille, quæ circa cultum hujuſmodi obſervare ſolebat, omnes deos illorum ipſi placatos; Deum verò Chriſtianorum illi omnimodis infenſum: Chriſtus, inquit, ſic te habet perditum; & quia quodlibet eorum, quod illi conſecratum fuerat, in domo tua manet conditum, ideo venerunt ſuper te omnia mala hæc, quæ paſſus es: nec poteris ab his liberari, donec illud in domo tua manſerit. Hoc ille audito, mente pertractans ſollicita quid illud eſſe poſſet, de filio ſuo recordatus eſt, quòd ex ſpoliis ſupradictis quemdam librum in domum ſuam advexerit. Quâ de re horrore nimio percuſſus, & quia Sacerdotis tunc inibi deerat præſentia; quid de eodem libro faceret omnimodis neſcius, ſecum illum longiùs retinere nullatenus auſus eſt. Tandem vix reperto conſilio, in conſpectu eum populi, qui in eadem villa manebat, attulit, & quæ paſſus ſit, retulit. Cumque ſe omnes ignaros conſilii ſuper hac re dicerent, & tale aliquid in domo ſua recipere vel habere pertimeſcerent; ipſe eum diutius apud ſe retinere obſtupeſcens, honeſtè compoſitum ad quamdam ligavit ſæpem, denuntians ut quicumque vellet, eum inde ſumeret, & pro reatu commiſſo Domino JESU-CHRISTO voluntariam ſatisfactionem vovit. Quem librum quidam Chriſtianorum exinde ſublatum in ſua advexit domo, ex cujus ore etiam iſta cognovimus: qui poſtea magnæ fidei & devotionis exſtitit, ita ut pſalmos apud nos poſtea memoriter ſine litteris didicerit. Taliter ergo & ceteri, ſive morte, ſive peſte, & damno rerum ſuarum puniti ſunt; & liquidò omnibus patuit, quia qui ſanctum Dei Pontificem, & ſuos inhoneſtè tractare & ſpoliare præſumſerant, graviſſimam Domini noſtri JESU-CHRISTI ſenſerint ultionem.

poſt annos ſeptem Ardgarium ad eos mittit.

25. Poſt hæc itaque locus ille ſeptem ferè annis ſine ſacerdotali fuit præſentia: pro qua re Domnus & Paſtor noſter Anſcharius nimio mærore anxius Chriſtianæ religionis fidem ibi cœptam perire non ſufferens, & maximè

pro filio ſuo quem ſuprà memoravimus, HERIGARIO condolens, quemdam Anachoretam, ARDGARIUM nomine, illas in partes direxit, & ut ſpecialiùs eidem adhæreret præcepit. Ipſe itaque eò adveniens, officioſè ſuſceptus eſt ab ipſo Herigario, & Chriſtianis qui ibi aderant, magnum ſuæ præſentiæ exhibuit gaudium. Cœperuntque, ſicuti primò fecerant, ea quæ Dei ſunt, devotè quætere, & ritum Chriſtianitatis lubenti animo cuſtodire. Nemo quoque incredulus ejus prædicationi audebat reſiſtere, quia quâ pœnâ multati fuerunt, qui ſervos Dei inde expulerant, mente pavida meminerant. Suggeſtione quoque præfati Herigarii, Regis qui tunc erat juſſu & licentiâ, publicè cœpit Dei celebrare myſteria. Qui videlicet fideliſſimus vir Herigarius, tempore quo ſacerdotalis ibi deerat præſentia, multa ab infidelibus ſuſtinuit opprobria: ſed largiente divina gratia, ſignis cæleſtibus ejus petitione veræ fidei declarata ſunt præconia. Ex quibus, ut promiſimus, aliqua hîc interſerere curavimus, quo ejus fidei invictus declaretur animus.

ANN CHR. DCCC LXV LIBR. III.

Herigarius & ipſe multa paſſus, patrat miracula.

26. Quadam namque vice ipſe in quodam ſedebat placito, ſcenâ in campo ad colloquium paratâ, ibi cùm inter alias locutiones illi deos ſuos laudaſſent, quorum favore proſpera ſibi multa provenirent, & illi quòd ſolus à conſortio omnium inani fide aberraret, improperarent; ipſe, ut erat ſpiritu fervens, reſpondiſſe dicitur: Si tanta eſt de divina majeſtate dubietas, quod tamen dubium eſſe nullo modo deberet, probemus miraculis, quis ſit majoris potentiæ, veſtri multi quos dicitis dii, an meus ſolus omnipotens Dominus JESUS-CHRISTUS. Ecce tempus adeſt pluviæ. (ſiquidem pluvia tunc imminebat) invocate vos nomina deorum veſtrorum, ne pluvia ſuper vos deſcendat, & invocabo Dominum meum JESUM-CHRISTUM, ne aliqua ſtilla pluviæ me contingat. & ſi quis in hac parte ſe invocantes exaudierit, ipſe ſit Deus. Hac itaque facta inter ſe conventione, cùm illi omnes in una parte ſederent, ipſe verò cum uno puero in altera; cœpit unuſquiſque eorum invocare Deum ſuum, ille quoque invocabat Dominum JESUM-CHRISTUM. Et deſcendens immenſa de cælo pluvia ita omnes illos aquis infudit, ut quaſi in flumine cum veſtimentis jactati viderentur, etiam folia ramorum de umbraculo ibi facto ſuper ipſos decidentia, virtute divina illos oppreſſos oſtenderent: ſuper ipſum verò & puerum qui cum eo erat, nec una deſcendit pluviæ gutta. Quo facto confuſis illis & admirantibus, Ecce, inquit, videtis quis ſit Deus. nolite me, infelices, ab ejus cultura revocare, quin potiùs ab erroribus veſtris confundamini, & veritatis viam diſcite.

27. Alio quoque tempore contigit, ut dolorem in tibia ſua ſuſtineret nimium, ita ut non aliquo modo ſe movere à loco in quo erat, poſſet, niſi portaretur. Cùm hanc ergo diutius ſuſtineret moleſtiam, cœperunt multi ad eum causâ viſitandi venire; & quidam adhortationibus, quò pro ſalute ſua diis ſacrificaret, commonere: quidam improperiis, quòd ſine Deo eſſet, laceſſere, & idcirco eum ſalute carere. Cùm itaque hæc ſæpius agerentur, & ipſe conſtanter malis eorum ſuggeſtionibus reſiſteret; poſtremò non ferens eorum calumniam, reſpondit, nequaquam ſe à vanis ſimulacris auxilium petere velle, ſed à Domino ſuo JESU-CHRISTO, qui poſſet in momento, ſi vellet, eum ab infirmitate ſua ſanare. Et accitis ilico domeſticis ſuis, ut ad ſuam eum deferrent eccleſiam præcepit. ubi poſitus coram cunctis qui adſtabant, ſupplices ad Dominum preces effudit, dicens: Domine mi JESU-CHRISTE, ut ſciant hi miſeri, quia tu es Deus ſolus, & non eſt alius præter te, da mihi ſervo tuo in hac hora priſtinam corporis mei ſanitatem: ut videntes inimici magnalia tua, de ſuis erroribus confundantur, & ad agnitionem tui nominis convertantur. Fac, quæſo, quod peto propter nomen ſanctum tuum quod eſt benedictum in ſæcula: ne ſit confuſio confidentibus in te, Domine. Poſt quam vocem, divina eum medicante gratia, confeſtim ſaniſſimus eſt redditus, & de eccleſia per ſemetipſum egreſſus, pro ſalute ſua

Deo gratias agebat, & in Chriſti fide convaleſcens magis magiſque incredulos confundebat.

ANN. CHR. DCCC LXV FEBR. III.

28. Per idem ferè temporis accidit, ut etiam quidam Rex Sueonum, nomine AVOUNDUS[a], ejectus Regno ſuo, apud Danos exſul fuerit. qui fines Regni quondam ſui denuo repetere cupiens, cœpit ab ipſis auxilium quærere; ſpondens quòd, ſi ſe ſequerentur, multa eis donaria poſſent provenire. Proponebat enim eis vicum nominatum Byrca, quòd ibi multi eſſent negotiatores divites, & abundantia totius boni, atque pecunia theſaurorum multa. Ad illum itaque vicum ſe illos promittebat ducturum, ubi ſine exercitus ſui damno, multo ſuæ neceſſitatis fruerentur commodo. Illi ergo promiſſis muneribus delectati, & theſaurorum adquiſitione avidi, in auxilium ejus expeditorum ad pugnam hominum viginti & unam naves impleverunt, & cum eo deſtinaverunt. Ipſe verò de ſuis naves habebat undecim. Exeuntes ergo de Danis, ad vicum inſperatè venerunt memoratum, & fortè tunc Rex ipſorum longiùs inde aberat, & Principes ac populi multitudo congregari non poterant. Tantùm ſupradictus Herigarius Præfectus hujus loci, cum eis qui ibi manebant negotiatoribus & populis, præſens aderat. In magna ergo anguſtia poſiti, ad civitatem quæ juxtà erat, confugerunt: cœperunt quoque diis ſuis, imò dæmonibus, vota & ſacrificia promittere & offerre, quò eorum auxilio in tali ſervarentur periculo. Sed quia civitas ipſa non multum firma erat, & ipſi ad reſiſtendum pauci; miſerunt ad eos legatos, dexteram & fœdus poſtulantes. Quibus Rex præfatus mandavit, ut pro redemptione ipſius vici centum libras argenti perſolverent, ſicque pacem haberent. Quod illi, ut petebat, ſtatim miſerunt, & à Rege jam dicto ſuſceptum eſt.

a. Avoundo Rege cum Danis Bireenſes oppugnante,

Herigarius auctor eſt ut Chriſtū invocent.

29. Porro Dani graviter hujuſmodi conventionem ferentes; quia non ſicuti diſpoſuerant actum fuiſſet; cœperunt velle ſuper eos ſubitò irruere, & locum ipſum funditus deprædari atque incendere, dicentes unum quemlibet negotiatorem plus ibi habere, quàm ſibi oblatum fuiſſet: & nullo modo ſe tantam calumniam ſufferre poſſe. Cùm hæc ergo inter ſe agerent, & ad diripiendam urbem, in quam confugerant, ſe præpararent, hoc quoque illis innotuit. Unde rurſus pariter congregati, cùm nullo modo vires haberent reſiſtendi, nullaque eis ſpes eſſet refugii, ad vota & ſacrificia majora diis ſuis offerenda ſe invicem cohortabantur. Contra quos iratus fidelis Domini Herigarius, Maledicta ſint, inquit, à Deo noſtro vota & ſacrificia veſtra cum idolis veſtris. Quamdiu vultis dæmonibus ſervire, & vos ipſos ad perniciem veſtri votis inanibus in paupertate redigere? Ecce multa obtuliſtis, & ampliora voviſtis, inſuper & centum libras argenti dediſtis. quid profuit vobis? Ecce omnia quæ habetis, veniunt diripere, uxores veſtras & filios veſtros ducent captivos, civitatem & vicum igni ſuccendent: & vos gladio peribitis. Quid ergo vobis proſunt ſimulacra veſtra? Ad quam vocem illic omnes perterriti, & quid agerent neſcii, unanimiter reſponderunt: Salus noſtra & conſilium ſit in tua deliberatione, & quidquid nobis ſuggeſſeris, ſine dubio faciemus. Quibus ille: Si, inquit, vota ſpondere vultis, vovete & reddite omnipotenti Deo qui regnat in cælis, & cui ego in conſcientia pura & fide recta deſervio. Ipſe omnium Dominus eſt; in voluntate ejus omnia ſunt poſita, nec eſt qui ejus ditioni poſſit reſiſtere. Si itaque ejus auxilium toto corde petieritis, omnipotentiam ipſius vobis non defuturam ſentietis. Accepto igitur ab eo conſilio, tunc unanimes & voluntarii exeuntes; ſicut ibi conſuetudinis erat, in campum, pro liberatione ſibi jejunium & eleemoſynas Domino Chriſto devoverunt.

30. Interim Rex præfatus cum Danis agere cœpit, ut forte perquirerent utrum voluntate deorum locus ipſe ab eis devaſtandus eſſet. Multi, inquit, dii ſunt ibi potentes, ibi etiam eccleſia olim conſtructa eſt, & cultura Chri-

a Sic codices MSS. uti & Gualdo poëta. Bollando *Anundus*, ſeu *Anoundus*.

ſti à multis Chriſtianis ibi excolitur, qui fortiſſimus eſt deorum, & potens ſperantibus in ſe, quocumque modo vult auxiliari. Neceſſariò ergo quærendum eſt, utrum divina ad hoc voluntate incitemini. Quod illi, quia ſic apud eos moris erat, nequaquam abnuere potuerunt. Quæſitum eſt igitur ſortibus, & inventum quòd cum ſua hoc proſperitate nequaquam perficere poſſent, neque locum ipſum eorum deprædationi à Deo conceſſum. Iterum quæſitum eſt, in quam partem ituri eſſent, ubi ſibi pecuniam adquirerent, ne vana ſpe fruſtrati ad ſua vacui remearent. Cecidit ſors, quòd ad urbem quamdam longiùs inde poſitam in finibus Sclavorum ire deberent. Hoc ergo Dani divinitus ſibi imperatum credentes, à loco memorato receſſerunt: ad urbem ipſam directo itinere properarunt, irruentes ſuper quietos & ſecurè habitantes. improviſè illam urbem armis ceperunt, & captis in ea ſpoliis ac theſauris multis, ad ſua reverſi ſunt. Rex verò ille, qui ad eos prædandos venerat, pace cum eis fœderata, argentum quod ab eis acceperat, reddidit, & apud eos aliquamdiu reſedit, volens genti ſuæ reconciliari. Sicque Domini gratia, propter fidem ſervi ſui Herigarii, populum illius loci ab hoſtium incurſu liberans bonis ſuis reſtituit.

ANN. CHR. DCCCLXV FEBR. III.

quo facto liberatus.

31. Quo facto ipſe in conventu publico eamdem rem propoſuit, & ut quis Deus eſſet, intentiùs providerent monuit, dicens: Heu miſeri, vel jam nunc intelligite, quòd vanum ſit à dæmonibus auxilium petere, qui non poſſunt in tribulationibus ſubvenire. Suſcipite Fidem Domini mei JESU-CHRISTI, quem probaſtis verum Deum eſſe, qui vobis nullum habentibus refugium ſuæ miſerationis tribuit auxilium. Nolite ultra culturam ſuperſtitioſam quærere, & inani ſacrificio idola vobis placare. Verum Deum, qui omnium quæ in cælis & in terris ſunt, dominatur, colite, & ipſi vos ſubjicite; ipſius omnipotentiam adorate. Denique poſt hæc tantò alacrior, quantò frequentibus Domini beneficiis in fide robuſtior factus, publicè ubicumque aderat, partim exſultando, virtutem Domini & fidei gratiam cunctis nuntiabat. Sicque bonum certamen uſque ad finem ſuæ perduxit vitæ: conſummatoque boni operis curſu, languore ingraveſcente, adſtante jamdicto ARDGARIO Sacerdote divinæ commendatus clementiæ, communione ſacra percepta feliciter in Chriſto obiit. de cujus fidei conſtantia multa adhuc dici poterant: ſed quia brevitati ſtuduimus, hæc dicta ſufficiant.

hortatur ut Chriſto credant.

dein piè moritur.

32. Illis quoque temporibus apud eos matrona quædam fuit valde religioſa, quam nulla umquam improborum perverſitas à fidei ſuæ rectitudine pervertere potuit. cui frequenter in quacumque neceſſitate poſitæ, ut more eorum idolis ſacrificaret, ſuggeſtum eſt: ſed illa immobilis fidei ſuæ munia non reliquit, vanum eſſe dicens à ſimulacris mutis & ſurdis auxilium quærere, & abominabile ſibi videri, ut his quibus in baptiſmo renuntiaverat, denuo intenderet; & ſponſionem quam Chriſto promiſerat, falleret. Si enim, inquit, malum eſt hominibus mentiri, quantò magis Deo? & ſi bonum eſt inter homines fidem conſtare, quantò magis, qui fidem Domini accipit, nullatenus debet ab ea immutari? Dominus, inquit, meus JESUS-CHRISTUS omnipotens eſt. ipſe mihi, ſi in ejus fide perſeveravero, & ſanitatem, & omnia quibus indiguero, præſtare poterit. Prædicta religioſa femina, FRIDEBURG nomine, in bonitate vitæ & fidei conſtantia laudabilis, dies vitæ ſuæ uſque ad tempus produxit ſenectutis. Cùm jam appropinquaret dies mortis ſuæ, & poſt diſceſſum domni Simonis nullus tunc ibi adeſſet Sacerdos; ipſa amore ſacrificii, quod audierat viaticum [a] eſſe Chriſtianorum, de vino aliquantulum in quodam fecit reſervari vaſculo, & filiæ ſuæ in fide commendans, ut ſi quando ei ultimum tempus inſtaret, de ipſo vino, quia ſacrificium

Frideburgis in fide conſtans,

vinum in viaticum reſervari curat.

[a] Hunc locum pro viatico ſub utraque ſpecie notavi in Præfatione Sæculi tertii num. 75 Longè ab hujus matronæ religione defecerant ſæculo undecimo Friſones quidam, quos Aquaticos vocat Baldericus in Chronici Cameracenſis lib. 3 cap. 42.

Ann. Chr. DCCCLXV Febr. III.

non habebat, ei in os diſtillaretur: ut vel ſic Domini gratiæ exitum ſuum commendaret. Illud itaque vinum tribus ferè annis apud eam conſervatum eſt. ſicque contigit illuc prædictum aventaſſe Sacerdotem Ardgarium. Quo ibi poſito, ipſa, quamdiu vires habuit, religionis ſuæ devotionem exercuit, Miſſarum ſollemnia & ſalutaria monita ſedulò ab eo exquirens. Verùm inter hæc, languore ſe præoccupante, cœpit infirmari: ſollicita de obitu ſuo memoratum ad ſe accerſiri fecit Preſbyterum, & accepto de ejus manu viatico optato, feliciter migravit ad Dominum.

Res ſuas pauperibus diſtribui jubet.

33. Ipſa verò eleemoſynis intenta ſemper, quia in ſæculi rebus dives erat, filiæ ſuæ prædictæ Cathlæ nomine injunxerat, ut poſt ſuum ex hac luce diſceſſum, cuncta quæ illius erant, in pauperes diſpenſaret. Et quia hîc pauperes minùs inveniuntur, Poſt obitum, inquit, meum, cùm tibi primùm opportunitas evenerit, venditis omnibus, quæ hîc diſpenſata non fuerint, ſume tecum argentum, & vade Dorſtadum. ibi ſunt eccleſiæ plurimæ & Sacerdotes ac Clerici, ibi indigentium multitudo. Illò adveniens, quære qui te doceant fideles, quomodo ea diſpenſes, & pro animæ meæ remedio omnia diſtribue. Poſt exceſſum itaque matris filia quæ mater juſſerat, ſtrenuè adimplevit: arreptoque itinere perveniens ad Dorſtadum, religioſas exquiſivit ibi feminas, quæ cum ea loca ſancta circuirent, & quid cuique diſpenſare deberet, eam inſtruerent. Cùm quadam die diſpenſandi cauſâ loca ſancta circuirent, & medietas jam diſtributa eſſet, dixit ſociis ſuis: Nunc laſſæ ſumus, melius eſt ut aliquid de vino ematur, ut refocillemur, & ſic demum cœpta peragamus. Datis igitur ad hoc quatuor denariis, & viribus reſumtis, quod cœpere peregerunt. quibus completis, ipſa ad hoſpitium ſuum rediens, ſaccum, in quo argentum fuerat, in quodam loco vacuum poſuit: ſed largiente ſuperno munere denuo ipſum locum adiens, ſicut antè fuerat, plenum invenit: quæ tanto obſtupefacta miraculo, adſcitis ad ſe feminis quæ ſecum priùs ierant, quod ſibi contigerat oſtendit. coram quibus quid inibi eſſet computans, tantum invenit quantum illò adduxit, exceptis quatuor denariis. Conſilio itaque ab eis accepto, ivit ad Sacerdotes qui ibi probabiliores videbantur, & ipſum miraculum eis innotuit. qui gratiam Dei pro tanta ejus bonitate laudantes, quòd ejus labori ac bonæ intentioni Dominus ea retribuerit, intimabant. Quia cùm, inquiunt, matri tuæ obediens fuiſti, & fidem tuam circa eam illibatam ſervaſti, & eleemoſynas illius ſtrenuè impleſti; Dominus omnium bonorum retributor pro neceſſitatis tuæ ſubſidio iſta tibi contulit. ipſe eſt omnibus ſufficiens, nullius indiget: ipſe omnia quæ pro ejus diſtributa fuerint nomine, in cæleſti regno recompenſabit. Quod ita eſſe ne aliquo modo dubitares, & ne te cenſûs dati diſtributio pœniteret, hoc te Deus miraculò certificare dignatus eſt. Hoc jam ſigno, quòd mater tua cum Domino ſalva ſit, firmiter crede: hoc miraculo admonita, tu quoque pro Chriſto tua dare ne timueris.

Filia ejus id exſequente pecunia nō decreſcit.

Ardgarius è Suecia redit in ſolitudinem.

34. Igitur poſt exceſſum prædicti viri Herigarii jam memoratus Sacerdos Dei Ardgarius, amore ſolitariæ, quam anteà duxerat, vitæ ab illis partibus egreſſus, locum ſuum repetiit. ſicque denuo Chriſtiani inibi poſiti ſacerdotali ſunt præſentia deſtituti. Quare manifeſto patuit indicio, quòd ad corroborandum fidem præfati viri Herigarii, necnon ſupradictæ matronæ, pariterque ut exitum eorum divinæ commendaret clementiæ, & quod fideliter deſideraverant, myſterium videlicet ſacræ communionis, pro ultimo viatico perciperent, jam dictus Anachoreta Ardgarius ad illas partes deſtinatus fuerit.

Ludovico Pio mortuo Anſchario, rebus neceſſariis deſtituitur.

35. Verùm inter hæc ſuperiùs comprehenſa, contigit bonæ memoriæ HLUDOVICUM ſereniſſimum Imperatorem divino ordinante judicio vita præſenti deceſſiſſe. Poſt cujus obitum cùm de Regni diviſione magna fieret perturbatio, Paſtoris quoque noſtri aliquando labefactari cœpit legatio. Nam

Ann. Chr. DCCC LXV [illegible]

cùm cella ſupradicta *Turbolt* in partem ceſſiſſet venerandi Regis Caroli, ipſe eam a ſervitio quod pater ſuus diſpoſuerat, amovit; & vobis bene cognito dedit Reginario. Pro qua re cum à fratribus ſuis glorioſiſſimis Regibus, & à multis quoque aliis ſæpius fuiſſet admonitus, & ipſe eorum petitioni nullatenus adſentiret, jam dictus Pater noſter tunc cœpit atteri neceſſitatibus & indigentiis. Unde contigit, ut & Fratres veſtri qui tunc cum eo hic aderant, ad veſtram ſocietatem redierint; & multi quoque alii cauſâ paupertatis eum dereliquerint. Ipſe tantùm cum paucis qui cum eo ſubſtiterant, prout poterat, ſe agebat; & licèt in paupertate degens, injunctum ſibi officium nequaquam deſerere voluit.

deſeritur à ſociis.

36. Dominus quoque humilitatem ejus & patientiæ fortitudinem conſpiciens, quia cor Regis in manu Domini eſt, clementiſſimi Domini & Senioris noſtri Hludovici Regis, qui poſt patrem ſuum hujus Regni gubernacula ſuſcepit, ad hoc animum incitavit, ut quærere inciperet, unde ei ſolatium ſubſiſtendi facere poſſet, quò legationis ſuæ mandatum perficere poſſet. Et quia in hac provincia cellam nullam huic legationi habebat congruam, erat autem ibi juxtà Epiſcopatus Bremenſis Eccleſiæ tunc deſolatus Paſtore[a], illum ei dare diſpoſuit. Unde publico conventu Epiſcoporum ceterorumque fidelium ſuorum tractare cum eis cœpit, utrum hoc ei facere canonica auctoritate liceret. Domnus enim & Paſtor noſter hoc ſibi periculoſum eſſe aliquo modo formidans, & ne à quibuſlibet nævo cupiditatis reprehenderetur, cautè providens, non facilè huic diſpoſitioni adſentiebat. Jubente itaque Rege hæc eadem res in Concilio Epiſcoporum ventilata eſt. Qui multis præcedentibus exemplis probaverunt bene poſſe fieri, ut quia diœceſis illa, ad quam ipſe ordinatus fuerat, admodum parva erat, (nam nonniſi quatuor baptiſmales habebat eccleſias) & hæc ipſa multoties jam barbarorum incurſibus devaſtata, iſta ei cauſa ſolatii adjungeretur.

Ludovico Germaniæ Rege agente accipit Bremenſem Epiſcopatum,

probantè Concilio.

37. Verùm ne in aliquo ſcrupulum Ferdenſis pateretur Epiſcopus, quòd etiam partem de ſuo Epiſcopatu ultra Albiam ſumtam ipſe cum Bremenſi tota ſimul parrochia retineret, ſtatuerunt, ut ſicut tempore domini Ludovici primò fuerant, Epiſcopatus ipſe & Bremenſis & Ferdenſis reſtituerentur, & ipſe teneret Bremenſem, ex qua major pars diœceſis ſuæ ſumta erat, quæ etiam tunc erat præſentia Paſtoris deſolata. Quo decreto ita ab Epiſcopis conſtituto, ipſe jubente Rege, Bremenſem ſuſcepit diœceſim gubernandam verò partem parrochiæ, quæ ultra Albiam ad ſe pertinere debebat, Waldgarius recepit tunc Ferdenſis Epiſcopus. Quod cùm ita aliquamdiu eſſet, iterum diligentiùs ipſa re in alio Concilio Epiſcoporum ventilata, viſum eſt eis non bonum eſſe, ut Sedes, ad quam ille ordinatus fuerat, ab alio Epiſcopo teneretur: (nam *Hammaburg* tunc in partem ceſſerat Waldgarii) poteſtatem quidem Regis eſſe dicentes, ut diœceſim parvam & admodum captivatam augeret, locum tamen ad epiſcopalem dignitatem auctoritate apoſtolica firmatum, nullatenus immutandum. Unanimo ergo conſenſu, cum voluntate Regis prædicti piiſſimi Ludovici, Epiſcopi ibi conſtituti cenſuerunt, ut Sedem ad quam conſecratus fuerat, Pater noſter Anſcharius reciperet; & ſi quid ultra Albiam ex Ferdenſi ipſe retineret diœceſi, ex Bremenſis Eccleſiæ parrochia illius Sedis reſtitueret Epiſcopo. Quod ita & regio juſſu, & ſynodali Epiſcoporum decreto, ipſius quoque Waldgarii memorati Ferdenſis Epiſcopi voluntate & adſenſu perfectum eſt.

Ferdenſi Epiſcopo reddita parte diœceſis,

ipſe Hammaburgenſem retinet Sedem,

38. Porro cùm hæc agerentur, Colonia civitas, ad quam Bremenſis parro-

Eam unionem primò improbat Colonienſis Antiſtes.

a Id contigiſſe anno DCCC XLIX docet Chronicon Saxonicum his verbis: *Anno dominicæ Incarnationis DCCC XLIX* Leuderichus *Bremenſis Eccleſiæ tertius Epiſcopus obiit, cui ſucceſſit* Anscarius *Monachus, Hammaburgenſis primus Archiepiſcopus, ub quo coadunatio facta eſt Bremenſis & Hammaburgenſis parrochiæ*, infrà. Conſentit liber donationum ab Adamo citatus in lib. 1 cap. 24 ubi hæc unio facta perhibetur *anno Ludovici ſecundi nono*, quo *Anſgarius ab Aldrico Clerico & Comite Reginbaldo legatis Cæſaris ductus in Epiſcopatum eſt.*

Ann Chr. DCCC LXV Febr. III.

chia ſuffraganea erar, eo tempore abſque benedictione epiſcopali degebat. quod quia diuturnum [a] exſtitit, illud etiam ſine illius loci Pontificis præſentiâ neceſſariò decernendum fuit. Poſtea tamen conſecrato ad eum locum venerabili Præſule GUNTHARIO, hoc ipſum Domnus & Pater noſter ei ſuggerere ſtuduir, ur ſua quoque auctoritate firmaretur. cui tamen rei ipſe admodum contrarius exſtitit. Qua de cauſa poſtmodum in Wormacia civitate poſitis duobus Regibus, LUDOVICO ſcilicer & LOTHARIO, coram multâ Epiſcoporum utriuſque Regni frequentiâ, præſente venerabili Patre noſtro, hæc eadem res expoſita eſt. Quod cum ab omnibus bene ita ordinatum probaretur, ut prædictus quoque Pontifex Guntharius hoc ipſum ſua auctoritate firmaret, cuncti rogaverunt. Qui primò quidem fortiter his reniti cœpit, juſtum non eſſe multipliciter oſtendens, ut Sedes ſuffraganea in archiepiſcopalem Sedem verteretur; nec ſe debere honorem Sedis ſuæ in aliquo minuere: poſtremò tamen & ipſis Regibus, & cunctis ſimul Epiſcopis ibi aggregatis, pro hoc ipſo eum rogantibus, & omnino cauſâ neceſſitatis id licitum fore dicentibus, reſpondit, ſi Apoſtolica auctoritate firmaretur, ex ſe quoque ratum eſſe.

missis Romam Legatis,

39. Quo reſponſo accepto, cùm etiam omnes Suffraganei ejus hæc eadem conſenſiſſent, piiſſimus Rex jamdictus Ludovicus cupiens & patris ſui eleemoſynam in omnibus augmentare, & quod ipſe diſpoſuerat, per omnia ratum fieri; reverendiſſimum SALOMONEM Conſtantiæ civitatis Epiſcopum pro hoc ipſo ad Sedem direxit apoſtolicam. cum quo etiam domnus & Pater noſter Anſcharius, quia ipſe per ſe non poterat, filium ſuum fratrem noſtrum NORDFRIDUM miſit Preſbyterum, qui officioſiſſimè à ſancto ſuſcepti Papa NICOLAO, Legationis ſuæ mandatum ei planè & dilucidè retulerunt. Qui prudenter & ſollicitè ea, quæ ab ipſis dicebantur, mente pertractans, & Deo inſpirante pro lucrandis animabus gentilium hanc conſtitutionem juſtam eſſe decernens, voluntatem Regis noſtri ſua auctoritate firmavit. Denique ut ipſam rem diligentiùs ab eo elucubratam manifeſtiùs aperire poſſimus, verba ipſius interponere decrevimus. Cùm enim cauſam legationis ejus & cetera ſuperiùs comprehenſa plenè & breviter recapitulaſſet, denique ſubjunxit:

Nicolaus I ratam habet,

» Cujus delegationis & auctoritatis & pallii acceptionis pagina nobis eſt à
» Ludovico filio noſtro per Salomonem ſanctiſſimum Epiſcopum deſtinata, juxta
» morem ſanctæ Eccleſiæ Romanæ bullata. Per cujus tenorem paginæ hæc ita
» fuiſſe comperimus, ſicut pietas nobis jam fati Regis per fidelem virum, Salo-
» monem ſcilicet Epiſcopum, intimavit. Unde nos veſtigia tanti Pontificis &
» prædeceſſoris noſtri ſequentes GREGORII, omnemque ibi Deo dignam ſta-
» tutam providentiam agnoſcentes, magnorum Principum votum, LUDOVICI
» videlicet divæ recordationis Auguſti, & æquivoci ejus filii excellentiſſimi
» Regis, tam hujus apoſtolicæ auctoritatis præcepto, quàm etiam pallii datio-
» ne, more prædeceſſorum noſtrorum, roborare decrevimus: quatenus tan-
» ta fundatus auctoritate prænominatus Anſcharius, primus Nordalbingo-
» rum Archiepiſcopus, & per ipſum ſucceſſores ejus lucrandis plebibus inſiſten-
» res, adverſus teſtamenta diaboli validiores exſiſtant. Ipſum quoque filium no-
» ſtrum jam dictum Anſcharium Legatum in omnibus circumquaque gentibus

Legatione Septemtrionaliū regionum Anschario concessa.

[a] Annis ferè decem. nam Guntharius de iſta unione primùm litem movit anno DCCC LVII, uti Henſchenius rectè probat ex Annalibus Fuldenſibus, in quibus Ludovicus menſe Februario colloquium habuiſſe traditur in Confluente caſtello cum Lothario nepote ſuo; tempore verò Quadrageſimæ Placitum habuiſſe apud Vangionum civitatem, quæ eſt Wormatia. quo de Placito ſeu conventu infrà. Res tamen à Niculao Papa I confirmata eſt anno ſequenti, quo hæc leguntur in Chronico Saxonico mſ. *Eodem anno Bremenſis atque Hammaburgenſis parochia coadunatio facta eſt ultimo tempore ſancti Anſcharii ex auctoritate NICOLAI Papæ, qui tam ipſum quàm ejus ſucceſſores Legatos & vicarios conſtituit in omnibus gentibus Sueonum, Danorum atque Sclavorum, quod & antè GREGORIUS Papa conceſſit.* Contra hanc unionem reclamatum rurſus pontificatu Formoſi Papæ, cujus litteræ hac de re habentur in gratiam Hermanni Archiepiſcopi Colonienſis.

Sueonum

Sueonum ſive Danorum, nécnon etiam Sclavorum, vel in ceteris ubicumque Ann. Ch. DCCCLXV Feb. III.
illis in partibus conſtitutis divina pietas oſtium aperuerit, publicam evangelizandi tribuimus auctoritatem, ipſamque Sedem Nordalbingorum, *Hammaburg* dictam, in honore ſancti Salvatoris ſanctæque ejus intemeratæ genitricis MARIÆ conſecratam, archiepiſcopalem deinceps eſſe decernimus. Atque ut ſtrenui prædicatoris Epiſcopi poſt deceſſum crebrò dicti Anſcharii Archiepiſcopi perſona tanto officio apta eligatur ſemper ſucceſſura, ſub divini judicii obteſtatione ſtatuimus. Verùm quia Carolus Rex, frater ſæpe dicti Regis Ludovici, poſt deceſſum Imperatoris patris ſui piæ memoriæ Ludovici, abſtulit à prænominato loco, qui dicitur *Hammaburg*, Monaſterium quod appellatur *Turholt*, utpote quod poſt partitionem inter fratres ſuos in Regno ſuo conjacere videbatur, ſitum in occidentali Francia, quod ille genitor ſuus ad ſupplementum & victum Epiſcopo & Clericis ejus dederat; cœpere, ſicut fertur, omnes miniſtri altaris recedere: deficientibus quippe neceſſariis ſumtibus, ab ipſis receſſerunt gentibus, & eadem ad gentes legatio per hujuſmodi factum defecit: ipſa quoque metropolis *Hammaburg* pæne deſerta facta eſt. Igitur dum hæc agerentur, mortuus eſt diœceſeos Bremenſis Epiſcopus, quæ huic contigua eſſe dicitur. Cumque ſæpe dictus Rex & hanc diœceſim vacantem, & illam novellam inſtitutionem cerneret deficientem, inſuper & utramque hanc Eccleſiam Dei permittente occulto judicio, per barbarorum ſævitiam admodum attenuatam; quærere cœpit, qualiter prædicta Bremenſis Eccleſia prædictæ novellæ archiepiſcopali uniretur ac ſubderetur Sedi, noſtro hoc votum roborante decreto. Unde per ſæpe nominatum venerabilem Miſſum, Salomonem videlicet Conſtantiæ civitatis Epiſcopum, nobis hoc relatum eſt confirmandum, ac poſtulatum eſt noſtra auctoritate roborandum. Nos igitur id ſubtili perpendentes examine, animadvertimus propter inſtantem neceſſitatem, & animarum lucra in gentibus demonſtrata, utile fore. Omnia enim quæ proficua Eccleſiæ probantur exſiſtere, & divinis non reſultant præceptionibus, licita & facienda eſſe non dubitamus: maximè in tam novellæ Chriſtianitatis plantatione, in qua varii ſolent eventus contingere. Quamobrem auctoritate omnipotentis Dei, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & hoc noſtro decreto decernimus, ſecundùm reverendiſſimi Regis Ludovici votum, ipſas prædictas diœceſes, Hammaburgenſem videlicet & Bremenſem, non deinceps duas, ſed unam eſſe & vocari, ſubdique Sedi quæ prædeceſſoris noſtri decreto archiepiſcopali eſt munere ſublimata; reſtituta dumtaxat de Bremenſis Eccleſiæ rebus Epiſcopatui Ferdenſi parte inde ablata. Nullus verò Archiepiſcopus Colonienſis ullam ſibi deinceps in eadem diœceſi vindicet poteſtatem. Quin immo & ipſi & omnibus omnino ſuademus veræ religionis cultoribus, ut ſacra hac legatione fungentibus adjutorio & ſolatio ſint, quatenus gratiâ hujus beneficii plenam mercedem recipere mereantur ab eo qui dixit: *Ite, docete omnes gentes.* &, *Quicumque receperit vos, me recipit.* Itaque omnia Matth. 28, 19.
à dilecto filio noſtro Rege Ludovico ad hoc Deo dignum officium deputata, Matth. 10, 40.
noſtrâ etiam pia ejus vota auctoritate firmamus. Et quia caſus præteritorum nos cautos faciunt in futurum; omnem quoque adverſantem, vel contradicentem, atque piis noſtris his ſtudiis quolibet modo inſidiantem, anathematis mucrone percutimus, atque perpetuæ ultionis reum diabolica ſorte damnamus: ut culmen apoſtolicum, more prædeceſſorum noſtrorum, cauſamque Dei pro affectu zelantes, ab adverſis hinc inde partibus tutiùs muniamur [a].

40. His itaque decretis atque inſtitutionibus Papæ ſanctiſſimi Nicolai, Bremenſis Eccleſia adjuncta & unita Sedi Hammaburgenſi, quæ priùs metro-

[a] Nicolai litteræ integræ referuntur apud Philippum Cæſarem, Bollandum, & in hiſtoria Epiſcoporum Hammaburgenſium.

Ann. Chr. DCCC LXV Febr. III

polis conſtituta fuerat, facta eſt archiepiſcopalis [a].

41. Verùm quia de diœceſeos illius ratione ita firmata hæc præoccupândo diximus, (multum enim temporis [b] fuit, ex quo Sedem illam gubernandam ſuſcepit, priuſquam auctoritate apoſtolica firmaretur) ad ea quæ prius geſta ſunt redeamus. Namque ſuſceptâ Bremenſi parrochiâ, iterum ſpiritu cœpit fervere intimo, quia jam tunc quid daret, habebat, ſi quid poſſet in partibus Danorum pro Chriſti elaborare nomine. Unde frequentiùs HORICUM [c] adire, qui tunc ſolus monarchiam Regni tenebat Danorum, & muneribus eum, & quibuſcumque poterat obſequiis, conciliare ſtuduit: ut ſua licentia, prædicationis officio in Regno ejus frui valeret. Aliquoties namque regia etiam legatione ad eum mittebatur, & quæ ad fœdera pacis & utriuſque Regni utilitatem pertinebant, ſtrenuè & fideliter peragebat. Qua de re cognita fide & bonitate ſancti viri, prædictus Horicus, Rex multo cum affectu cœpit venerari, & libenter ejus conſilio uti, ac familiariſſimum in omnibus habere: ita ut & inter ſecreta ſua, dum de negotiis Regni cum Conſiliariis tractaret, ipſi liceret intereſſe. Ea quoque quæ inter populum hujus terræ, videlicet Saxonum, ac Regnum ipſius, cauſa fœderis debebant conſtitui, non aliter niſi de fide illius volebat firmari: hoc ſibi dicens omnino fidiſſimum eſſe, quòd ille ei & laudaſſet & ſpopondiſſet. Hac itaque familiaritate potitus, cœpit etiam illi perſuadere, ut fieret Chriſtianus. Ille quoque omnia, quæ ei ex divina intimabat Scriptura, benignè audiebat, & bona prorſus ac verè ſalutaria eſſe laudabat, ſeque his plurimùm delectari, ac libenter Chriſti velle gratiam promereri. Cui poſt talia vota Pater ſanctiſſimus patienter ſuggerere cœpit, ut Chriſto Domino concederet hanc benevolentiam, quod ei gratiſſimum foret, ut in Regno ſuo eccleſiam fieri permitteret, ubi Sacerdos omni tempore præſens adeſſet, & verbi divini ſemina, ac baptiſmi gratiam quibuſcumque ſuſcipere volentibus traderet. Quod ille benigniſſimo conceſſit affectu; & in portu Regni ſui ad hoc aptiſſimo, & huic regioni proximo, *Sleaſwich* [d] vocato, ubi ex omni parte conventus fiebat negotiatorum, eccleſiam illi fabricare permiſit, tribuens locum, in quo Preſbyter maneret: datâ pariter licentiâ, ut quicumque vellet in Regno ſuo, fieret Chriſtianus.

Anſcharius Horico Danorum Regi familiaris, cum ejus conſenſu eccleſiam conſtruit,

42. Hac ergo domnus Epiſcopus noſter accepta licentia, ſtatim quod diu deſideraverat perfecit: & conſtituto ibi Preſbytero, gratia Dei in eodem loco fructuoſiùs creſcere cœpit. Multi namque ibi antea erant Chriſtiani, qui vel in Dorſtado, vel in *Hammaburg* baptizati fuerant: quorum quidam primores ipſius vici habebantur, & gaudebant facultatem ſibi datam Chriſtianitatem ſuam obſervandi. Quorum exemplo multi quoque alii & viri & feminæ, relictâ ſuperſtitioſâ idolorum culturâ, ad Fidem Domini converſi baptizabantur. Factumque eſt gaudium magnum in ipſo loco: ita ut etiam gentis hujus homines abſque ullo pavore, & (quod antea non licebat) & negotiatores tam hinc, quàm ex Dorſtado vicum ipſum liberè expeterent, & hac occaſione facultas totius boni inibi exuberaret. Et cùm multi inibi baptizati ſupervixerint, innumerabilis tamen albatorum multitudo exinde ad regna conſcendit cælorum. Quia libenter quidem ſignaculum crucis recipiebant, ut Catechumeni [e] fierent, quò eis eccleſiam ingredi, & ſacris officiis intereſſe liceret: baptiſmi tamen ſuſceptionem differebant, hoc ſibi bonum dijudicantes, ut in

Chriſtianæ religionis conceſſa libertas.

Baptiſmus cur à quibuſdam dilatus,

[a] Nimirum non duæ, ſed una eccleſia hac unione facta eſt Hammaburgi & Bremæ, unaque Archiepiſcopi Sedes. tametſi Antiſtites viſi ſunt prætuliſſe Bremam ex dictis in Obſervatione 9.

[b] Annis ferè decem ex ſuprà notatis ad num. 38.

[c] Horuc ſeu Ericus aliis vocatur, Godefridi Regis anno DCCCX cæſi filius, quem cum Roruc ſeu Roricho Herioldi Regis fratre malè confuſum fuiſſe probat Henſchenius.

[d] De hoc emporio ſuperiùs actum in Obſervatione 8. *Sleaſwich* ſeu *Sleſvvicum*, olim Anglorum ſedes, nunc Ducatus Sleſvvici titulus, *de Sleſwich*.

[e] Quo ritu etiam ſæculo nono fierent Catechumeni, lege epiſtolam Jeſſæ Ambianenſis Epiſcopi, ubi eadem fusiùs exponit, quæ Auguſtinus præſtringit his verbis: *Signabar jam ſigno crucis, & condiebar ejus ſale jam inde ab utero matris meæ*, in lib. 1 Confeſſionum cap. 11.

ſine vitæ ſuæ baptizarentur; quatinus purificati lavacro ſalutari, puri & immaculati vitæ æternæ januas abſque aliqua retardatione intrarent. Multi quoque apud eos infirmitatibus detenti, cùm ſe fruſtra idolis pro ſalute ſua ſacrificaſſe viderent, & à propinquis ſuis deſperarentur; ad Domini miſericordiam confugientes Chriſtianos ſe fieri devovebant. cúmque accito Sacerdote baptiſmi gratiam percepiſſent, ſtatim incolumes divina largitate fiebant. ſicque crevit in eodem loco Dei miſeratio, & ad fidem Domini converſa eſt multitudo.

Ann Chri. dccc lxv. Febr. iii. ab aliis receptus cum ſanitate corporis.

43. Inter hæc verò Domnus & Pater noſter Anſcharius etiam pro gente Sueonum, eo quòd Sacerdotis præſentiâ tunc deſolati eſſent, nimio condolens affectu, à præfato poſcere cœpit Rege Hotico ſibi in omnibus familiariſſimo, uti ſui auxilio fines illius Regni petere poſſet. Qui cum maxima benevolentia hanc quoque petitionem ejus ſuſcipiens, ita ſe per omnia facturum promiſit. Qua de cauſa Domnus Epiſcopus noſter cum præfato cœpit Gauzberto Pontifice de hoc ipſo tractare, neceſſarium eſſe dicens, ut iterum probaretur, ſi fortè gens illa divinitus monita Sacerdotes ſecum manere pateretur; ne Fides Chriſti illis in partibus cœpta, eorum negligentiâ aliquando deperiret. Prædictus verò Pontifex Gauzbertus, qui & Simon, ſe inde expulſum, rurſum locum illum repetere non auſum reſpondit: nec id valde proficuum fore poſſe, immo magis periculoſum, ſi denuo priorum reminiſcentes, aliquid perturbationis circa eum excitarent. ſibi magis congruum videri, ut ille iret, qui hanc legationem primò ſuſceperat, quique benigniſſimè ibi habitus fuerat. Ipſe verò cum eo nepotem ſuum mitteret, qui ibi ſi locus prædicandi inveniretur, remaneret, & ſacerdotali apud eos officio fungeretur. Hoc itaque ratum inter ſe decernentes, coram præſentia clementiſſimi Regis venerunt Hludovici, cauſamque hujuſcemodi ei retulerunt, atque ut ejus licentiâ ita fieri permitteretur exorabant. Qui ſciſcitatus, utrum ipſi in hac voluntate concordes fuiſſent, reſponſum à venerabili Gauzberto Pontifice tale accepit: In Dei, inquit, ſervitio, nos ſemper concordes & fuimus & ſumus, & iſtud unanimo conſenſu ita fieri cupimus. Itaque ſereniſſimus Rex in Dei cauſa ſemper voluntarius, ſecundùm quod inter eos convenerat, legationem hanc pro Chriſti nomine Paſtori noſtro injunxit religioſiſſimo, ſuæ quoque partis, ſicuti & pater ejus fecerat, ad Regem Sueonum mandata ei committens.

Anſcharius petitâ Hotici licentiâ, recuſante Gauzberto legationem ad Sueos iterum ſuſcepit,

44. Igitur devotiſſimus Pater noſter ad hoc iter præparare ſe cœpit, & ut quantocius hoc expleret, ferventiori incitabatur ſpiritu. Siquidem & hoc cælitus ſibi injunctum credebat, viſione quadam imbutus, quam antea viderat. Viſum namque eſt ei, quòd pro ipſo itinere valde eſſet ſollicitus, & quòd ad quemdam deveniret locum, in quo erat ſtructura ædificiorum magna, & manſiones diverſæ, ubi obvius ſibi quidam factus locutus eſt ei, dicens: De itinere quo ſollicitaris, & de his quæ ſunt in corde tuo, ne ſupra modum contriſteris. quia hic eſt quidam Propheta, qui te de his omnibus certum reddet: & ne aliqua menti tuæ ſuper hoc inſideat dubitatio, dicam tibi quis ſit ille Propheta. Abbas quidam clariſſimus Adalhardus ipſe nunc eſt Propheta à Domino ad te miſſus, qui tibi ea quæ proventura ſunt, adnuntiabit. Quo ille audito exhilaratus animo, viſus eſt illi reſpondiſſe: Domine, ubi inveniam eum? Et ille, Tu, inquit, cum labore invenies eum, nec eſt licitum tibi cuiquam inſinuare. Tunc viſum eſt ei, quòd iret per circuitum manſionis Ipſum quærendo, & in mente ſua tractaret. Si, inquit, non interrogatus à me adnuntiaverit mihi, quæ ſunt in animo meo, tunc verum illum Prophetam comprobabo. Ad quamdam ergo perveniens manſionem ſpecioſiſſimam, vidit eum ibi in ſolio ſuo ſedentem, & ſtatim recognovit. Ille quoque confeſtim pronuntians, intentus in eum dicere quoque cœpit: Audite, inſulæ, & attendite, „ populi de longè. Dominus ab utero vocavit te, de ventre matris tuæ recordatus „ eſt nominis tui, & poſuit os tuum quaſi gladium acutum: in umbra manus „

viſo cæleſti animatus.

ANN. CH. DCCC LXV. FABR. III.

ſuæ protexit te, & poſuit te quaſi ſagittam electam; in pharetra ſua abſcondit te, & dixit tibi: Servus meus es tu, quia in te gloriabor. Quo dicto, extento brachio manum dexteram ad eum cœpit erigere. Ille autem hoc viſo, ad genua ejus acceſſit, ſperans eum ſe velle benedicere. At ille ſubjunxit: Dedi te in lucem gentium, ut ſis illis in ſalutem uſque ad extremum terræ. Reges videbunt, & conſurgent Principes, & adorabunt Deum tuum & ſanctum Iſraël, quia glorificabit te. Hanc ergo viſionem ſervus Dei cùm ante profectionem illam longè vidiſſet, certum tenebat animo, Dei ſe imperio ad partes illas incitari; & maximè in verbo, quod dictum eſt illi: Audite, inſulæ. quia omnis ferè patria illa in inſulis eſt conſtituta. Et quod ſubjunctum eſt: Etis illis in ſalutem uſque ad extremum terræ. quia finis mundi in Aquilonis partibus in Sueonum conjacet regionibus. Denique verbum, quod cum Propheta Jeremia in fine commutatum eſt, ſcilicet, quia glorificabit te, ardorem deſiderii, illi maximum nutriebat, quia palmam martyrii olim ſibi promiſſam hoc ſignificare putabat.

Sueonum Regi ab Horico commendatus,

45. Profectionem itaque hanc ſuſcepturus, jam dicti Regis Horici Miſſum pariter & ſignum ſecum habuit. qui Regi Sueonum, nomine OLEF[a], partis ſuæ mandatum tale intimari juſſit, ſervum Dei, qui ex parte Regis HLudovici miſſus, fines Regni ejus peteret, ſibi per omnia cognitum fore, ac ſe in vita ſua numquam tam bonum vidiſſe hominem, nec in quolibet mortalium aliquando tantam fidem inveniſſe. ideoque cognita ejus ſanctiſſima bonitate, omnia quæ illi in regno ſuo cauſâ Chriſtianæ religionis diſponere vellet, ſe ei conceſſiſſe: ipſumque petere, ut ſimiliter in regno ſuo ei permitteret culturam Chriſtianitatis, quam optabat ſtatuere, quia ipſe nihil aliud quàm quod bonum & rectum foret, vellet perficere. Suſceptum itaque peragens iter, viginti ferme diebus navigio tranſactis, pervenit ad Byrcam, ubi invenit Regem & multitudinem populi nimio errore confuſam. Inſtigante enim diabolo, adventum beati viri omnimodis præſciente, contigit eo ipſo tempore, ut quidam illò adveniens diceret, ſe in conventu deorum, qui ipſam terram poſſidere credebantur, adfuiſſe, & ab eis miſſum, ut hæc Regi & populis nuntiaret: Vos, inquiunt, nos vobis propitios diu habuiſtis, & terram incolatûs veſtri cum multa abundantia noſtro adjutorio in pace & proſperitate longo tempore tenuiſtis. vos quoque nobis ſacrificia & vota debita perſolviſtis, grataque nobis veſtra fuerunt obſequia. At nunc & ſacrificia ſolita ſubtrahitis, & vota ſpontanea ſegniùs offertis; &, quod magis nobis diſplicet, alienum Deum ſuper vos introducitis. Si itaque nos vobis propitios habere vultis, ſacrificia omiſſa augete, & vota majora perſolvite. alterius quoque Dei culturam, quæ contraria nobis docetur, ne apud vos recipiatis, & ejus ſervitio ne intendatis. Porro ſi etiam plures deos habere deſideratis, & vobis nos non ſufficimus, ERICUM quondam Regem veſtrum nos unanimes in collegium noſtrum[b] adſciſcimus, ut ſit unus de numero deorum. Hoc ergo diabolicum mandatum publicè denuntiatum, in adventu domni Epiſcopi mentes cunctorum perturbabat, & error nimius ac perturbatio corda eorum omnium confuderat. Nam & templum in honore ſupradicti Regis dudum defuncti ſtatuerunt, & ipſi tamquam Deo vota & ſacrificia offerre cœperunt.

venit in Sueciam dæmonum inſtinctu in ſe turbatâ.

amicis diſſuadentibus,

46. Adveniens itaque illuc domnus Epiſcopus, ab amicis ſuis, quondam ibi cognitis, quærere cœpit, quomodo Regem ſuper hac re interpellaret. Qui omnes toto adniſu contradicentes, aſſerebant, nihil omnino ea vice legationem ejus proficere poſſe: ſed, ſi quid haberet pretii, ea ratione eum dare

a Ita etiam Gualdo. Olaum vocant Auctores recentiores.

b Hinc Adamus de Sueonum veterum ſuperſtitionibus agens in cap. 233, *Colunt & deos*, inquit, *ex hominibus factos, quos pro ingentibus factis immortalitate donant, ſicut in Vita S. Anſcharii legitur Hericus Rex feciſſe, omnibus ſcilicet diis attributos Sacerdotes, qui ſacrificia populi offerant.* Ubi, ſi bene hujus loci ſenſum expreſſit Adamus, Hericus Rex præceſſorem cognominem ſuum in deorum numerum retuliſſe, eique ſacra & flamines dicaſſe intelligendus eſt.

debere, ut vivus inde evaderet. Quibus ille, Non, inquit, pro vitæ meæ redemtione aliquid hic daturus ſum. quia ſi Dominus meus ita diſpoſuerit, pro ejus nomine paratus ſum hîc & tormenta ſubire, & mortem pati. Cùm ergo pro hac re in maxima eſſet poſitus anxietate, tandem accepto conſilio Regem ad ſuum invitavit hoſpitium. Cui convivium exhibens, dona quæ potuit obtulit, & legationis ſuæ mandata retulit. nam & antea per Miſſum Horici, & per fideles domni Epiſcopi, qui ibi manebant, cauſa adventus ipſius eidem Regi denuntiata fuerat. Delectatus itaque & caritatis ipſius benevolentiâ, & munerum datione, ſe quidem quæ ille ſuggeſſerat gratanter velle reſpondit. antea tamen hic, inquit, fuerunt Clerici, qui populari ſeditione hinc, non regio juſſu, ejecti ſunt. Quapropter & ego hanc legationem veſtram confirmare nec poſſum, nec audeo, priuſquam ſortibus deos noſtros conſulam, & populi quoque ſuper hoc voluntatem interrogem. Sit Miſſus tuus in Placito mecum proximo, & ego pro te loquar populo. & ſiquidem diis fautoribus illi tuæ conſenſerint voluntati, quod quæſiiſti proſperabitur: ſin autem, & hoc tibi notum faciam. Sic quippe apud eos moris eſt, ut quodcumque negotium publicum magis in populi unanima voluntate, quàm in regia conſiſtat poteſtate.

„ANN. CH. „DCCC LXV „FEBR. III. „

Regi al epulas invitato legationem approbat.

Sortium conditione interpoſita.

47. Hoc ergo Paſtor noſter devotiſſimus reſponſo Regis accepto, totum ſe ad Domini convertit refugium, jejuniis & orationibus vacans, atque in contritione & afflictione cordis ſeipſum in conſpectu Dei humilians. Verùm ipſo inter has preſſurarum anguſtias poſito, cùm dies Placiti appropinquaret, quadam die inter ſacra Miſſarum ſollemnia, dum Sacerdos altari adſtans myſteria ſacra benediceret, illi in terra proſtrato cæleſtis infuſa eſt inſpiratio. Siquidem Spiritus-ſancti dono interiùs roboratus, & fiduciâ maximâ in anima confortatus, cognovit ſibi omnia proventura uti vellet. unde eidem Sacerdoti ſibi in omnibus familiariſſimo poſt Miſſam denuntiavit, nihil trepidationis ſe habere debere, quia gratia Dei ſecum comitaretur. Cui interroganti, quomodo id sciret, divinitus ſibi inſpiratum reſpondit. Quam mentis ejus illuſtrationem Frater ille ſatis recognovit, quia taliter eum conſolari divinitus multis antea probavit indiciis. Hanc ergo animi ejus fiduciam ſtatim rei confirmavit eventus. nam Rex, congregatis primò Principibus ſuis, de hac Patris noſtri legatione cum eis tractare cœpit: qui ſortibus a quærendum ſtatuerunt, quæ ſuper hoc deorum voluntas eſſet. Exeuntes igitur more ipſorum in campum, miſerunt ſortes, ceciditque ſors, quòd Dei voluntate religio Chriſtianorum ibi fundaretur. quod factum unus ex primoribus, amicus domni Epiſcopi, ſtatim ei innotuit, & ut conſolaretur animo admonuit, dicens: Confortare, viriliter age, quia Deus voluntati & legationi tuæ non abnuit. Sicque ipſe fiduciâ ſumtâ ſpiritu interiori lætificatus exſultabat in Domino.

Is divina inſpiratione confirmatus,

ſorte favente,

48. Deinde cùm dies Placiti adveniſſet, quod in prædicto vico Bytca habitum eſt, ſicut ipſorum eſt conſuetudo, præconis voce Rex quæ eſſet eorum legatio, intimari fecit populo. Quo illi audito, ſicut erant antea errore confuſi, diverſa ſentire & tumultuare cœperunt. Quibus ita perſtrepentibus, conſurgens unus, qui erat ſenior natu, in medio plebis dixit: Audite me, Rex & populi. De cultura ipſius Dei pluribus noſtrûm bene eſt jam cognitum, quòd in ſe ſperantibus magnum poſſit facere ſubſidium. Nam multi jam noſtrûm ſæpius & in marinis periculis, & in variis neceſſitatibus hoc probaverunt. Quare ergo abjicimus, quod neceſſarium nobis & utile ſcimus? Aliquando nempe quidam ex nobis Dorſtadum adeuntes, hujus religionis normam profuturam ſibi ſentientes, ſpontanea voluntate ſuſcipiebant. Nunc multæ interjacent inſi-

Placiti etiã accedente conſenſu,

a More Germanis familiari, auctore Tacito in lib. de moribus Germanorum. Et Julius Cæſar apud Germanos eam fuiſſe conſuetudinem tradit, *ut matresfamilias eorum ſortibus & vaticinationibus declararent, utrum prælium committi ex uſu eſſet, necne*, in lib. 1 de bello Gallico. Lege Acta SS. Vvlframni & Vvillebrordi.

ANN CHR DCCC LXV FEBR. III.

diæ, & piratarum infeſtatione periculoſum valde nobis iter illud factum eſt. Quod ergo tam longè poſitum prius quærebamus, hic nobis modò oblatum, quare non ſuſcipimus? & qui hujus Dei gratiam nobis in multis utilem probavimus, quare ſervos ejus nobiſcum manere non libenter adſentiamus? Attendite, populi, conſilium noſtrum, & nolite abjicere utilitatem veſtram. Nobis enim quando noſtros propitios non poſſumus habere deos, bonum eſt hujus Dei gratiam habere, qui ſemper in omnibus poteſt & vult ad ſe clamantibus auxiliari. Hoc ergo ita perorante, omnis multitudo populi unanimis effecta, elegit, ut ſecum & Sacerdotes eſſent, & quæ competebant myſteriis Chriſti, ſine ulla contradictione fierent. Rex itaque à Placito ſurgens, ſtatim cum Miſſo domui Epiſcopi ſuum direxit nuntium, mandans populi unanimitatem ad ſuam voluntatem converſam, ſibique per omnia placere: necdum tamen ſe plenam ei licentiam concedere poſſe, donec in alio Placito, quod erat in altera parte Regni ſui futurum, idipſum populis ibi poſitis nuntiaret. Tunc iterum bonæ memoriæ Pater noſter conſueta ſua ſibi requirens ſubſidia, divinam clementiam intentiùs exorabat. Et ecce Placiti tempus advenit, & Rex præconis voce legationem domni Epiſcopi, atque omnia pariter, quæ in priori Placito dicta & acta fuerant, intimari fecit. Divina ergo providentia largiente, omnium corda ita adunata ſunt, ut prioris Placiti conſenſum cuncti laudarent, & ſe quoque his adſentiri velle modis omnibus faterentur.

Ecclesiæ constituendæ accipit facultatem

49. Hoc itaque facto, convocato ad ſe Rex domno Epiſcopo, quæ fuerant geſta retulit. ſicque omnium unanima voluntate & conſenſu decrevit, ut apud eos & eccleſiæ fabricarentur, & Sacerdotes adeſſent; & quicumque vellet de populo, abſque contradictione fieret Chriſtianus. Domnus autem & Paſtor noſter prædictum nepotem venerabilis Gauzberti Epiſcopi, ERIMBERTUM nomine, manibus Regis commendavit, ut ſuo auxilio & defenſione munitus, divina myſteria ibidem ageret. Cui etiam Rex in præfato vico atrium unum ad oratorium dedit fabricandum. Domnus quoque Epiſcopus Presbytero ad habitandum alterum cum domo emit, præbenſque idem Rex benigniſſimum circa domnum Epiſcopum dilectionis ſuæ favorem, fideliſſimum quoque in omni parte ſuis circa Chriſtianæ religionis cultum ſe fore velle promiſit. ſicque per Domini gratiam rite omnibus peractis, domnus Epiſcopus ad ſua reverſus eſt.

Paſſionis conſideratione diſcit tolerare adverſa.

50. Porro anguſtiam maximam mentis, quam in ipſo perpeſſus eſt itinere, dum illud iter pararetur, Domino revelante, Pater noſter ſanctiſſimus antè præſcivit. Viſum namque eſt illi quadam nocte, quòd tempus eſſet Paſſionis Domini, & quòd ille præſens adeſſet, cùm Dominus JESUS-CHRISTUS à Pilato duceretur ad Herodem, & rurſus ab Herode ad Pilatum; denique cùm à Judæis & militibus ſputa & opprobria patiens, per omnia membra verberibus, ut ipſi videbatur, afficeretur; ipſe non ſufferens ſic illum puniri, accurrens, oppoſuit ſe poſt dorſum ejus verberantibus, omniaque verbera, quæ illi infligebantur, ipſe in corpore ſuo ſuſciperet, excepto quòd ſtaturâ procerior, capite illo eminentior videbatur, & idcirco illud defendere non poterat. Hanc itaque viſionem miles invictus Chriſti, quid ſignificaret priùs non cognovit, quàm de hoc itinere reverſus mente tractavit, quanta opprobria & irriſiones ibi ſuſtinuerit, & in quanta anguſtia fuerit, quantaſque blaſphemias in Deum illatas ibi ſuſtulerit. Nam quantum ad ejus pertinuit animum, ibi ille ſine dubio pro Chriſto paſſus eſt, & ibi Chriſtus in ſervo ſuo priùs ſibi illata denuo ſuſtinuit improperia. Porro quòd caput illius defendere non poterat, hoc ſignificare putabat, quia caput Chriſti Deus, quòd paſſiones, quas Sancti in hoc mundo pro Chriſto ſuſtinent, partim etiam ad ipſam Dei pertineant majeſtatem: quas ipſe in ſe quodammodo compatiendo ſuſcipiens, ad tempus quidem tolerat, ſed quandoque diſtrictè judicat.

51. Nec prætereundum quoque videtur, qualiter virtus Domini poſt hanc

Ann. Chr. DCCCLXV Febr. III.

Curlandos de Danis victores Sueci oppugnant.

profectionem jam dictis Sueonibus patefacta ſit. Gens enim quædam longè ab eis poſita, vocata Chori [a], Sueonum principatui olim ſubjecta fuerat; ſed jam tunc diu erat, quòd rebellando eis ſubjici dedignabatur. Denique Dani ſcientes tempore ſupradicto, quòd domnus Epiſcopus jam in partes Sueonum advenerat, navium congregata multitudine ad eamdem pertexerunt patriam, volentes & bona eorum diripere, & ſibi eos ſubjugare. Regnum verò ipſum quinque habebat civitates. Populi itaque inibi manentes, cognito eorum adventu, conglobati in unum cœperunt viriliter reſiſtere, & ſua defendere: dataque ſibi victoria, medietate populi Danorum cæde proſtrata, media quoque navium eorum diripuerunt, auro & argento ſpoliiſque multis ab eis acceptis. Quod audiens prædictus Rex Olef populuſque Sueonum, volentes ſibi nomen adquirere, quòd facere poſſent, quæ Dani non fecerant; & quia ſibi etiam antea ſubjecti fuerant, innumerabili congregato exercitu, illas adierunt partes. Et primò quidem improviſè ad quamdam urbem Regni ipſorum, vocatam *Selburg* [b], in qua erant ſeptem millia pugnatorum, devenientes, penitus illam devaſtando & ſpoliando ſuccenderunt. Exinde confortati animo, dimiſſis navibus, iter quinque dierum arripientes, ad aliam urbem ipſorum, quæ *Apulia* [c] dicebatur, effero corde properabant. Erant autem in ea urbe quindecim millia bellatorum. Cùm itaque illò advenissent, concluſis ipſis in civitate, iſti à foris urbem debellare, illi deintus cœpere viriliter repugnare: illi intrinſecùs defendebant, iſti exteriùs impugnabant. ſicque tranſierunt dies octo, ut omni die à manè uſque ad veſperam dimicantes bello inſtarent, & multi hinc & inde caderent: neutra tamen pars victoriam obtineret.

Diis fruſtra invocatis,

52. Cùm ecce nono die populus Sueonum diutina cæde fatigatus, cœpit anguſtiari, & timido corde expaveſcens hoc ſolùm cogitare, quomodo indè evaderet. Hic, inquiunt, non proficimus, & naves noſtræ longè abſunt. Nam quinque dierum, ut prædiximus, iter erat ad portum, in quo naves eorum ſtabant. Cùm ergo quid ſibi eſſet agendum, nimiùm turbati omnimodis neſcirent; quærendum ſortibus ſtatuerunt, utrum dii eorum vellent auxiliari, ut vel victoriam caperent, vel vivi inde evaderent. Miſſis itaque ſortibus, neminem deorum, qui eis ſubſidio eſſe vellet, reperire potuerunt. Quod cùm denuntiaretur in populo, ululatus & gemitus immenſus excitatus eſt in caſtris, omniſque virtus ab eis receſſit. Quid, inquiunt, infelices acturi ſumus? dii receſſerunt à nobis, & nullus eorum adjutor eſt noſtri. quò fugiemus? ecce naves noſtræ longiùs ſunt poſitæ, fugientibuſque nobis iſti inſequentes uſque ad internecionem nos delebunt. quid ergo nobis erit? Cùm itaque in tanta eſſent anguſtia poſiti, quidam negotiatorum memores doctrinæ & inſtitutionis domni Epiſcopi, ſuggerere eis cœperunt: Deus, inquiunt, Chriſtianorum, multoties ad ſe clamantibus auxiliatur, & potentiſſimus eſt in adjuvando. quæramus an ille nobiſcum eſſe velit, & vota illi placita libenti animo ſpondeamus. Omnium itaque rogatu ſupplici miſſa ſors, & inventum, quòd Chriſtus eis vellet auxiliari. Quod cùm publicè denuntiatum cunctis innotuiſſet, omnium corda ita ſubitò roborata ſunt, ut confeſtim ad urbem expugnandam intrepidi vellent accedere. Quid, inquiunt, nobis nunc formidandum, quidve pavendum eſt? Chriſtus eſt nobiſcum. pugnemus & viriliter agamus, nihil nobis obſtare poterit: nec deerit nobis certa victoria, quia potentiſſimum deorum noſtri adjutorem habemus. Conglobati ergo omnes læto & forti animo ad debellandam profecti ſunt urbem.

ad Chriſtū ſe convertunt.

53. Cúmque in circuitu adſtantes pugnam inire vellent, ab his qui intrin-

[a] Adamo Curlandia, quæ gens, uti ipſe ait, crudeliſſima, cingitur mari Balthico & ſinu Livonico; contigua Livoniæ, Samogitiæ, & Lituaniæ. *A toto orbe ibi reſponſa petuntur*, inquit Adamus in lib. 4 cap. 75, *maximè ab Hiſpanis & Græcis*. qui & addit incolas *veſtitu monachico* indutos eſſe.

[b] Seburgum ſive Selburgum etiamnum ad dexteram ripam Duinæ fluvii arx eſt Ducis Curlandiæ, ut notavit Henſchenius.

[c] Gualdoni *Appulea*. Henſchenius ſuſpicatur eſſe Pilam urbem in confiniis Curlandiæ & Samogitiæ.

Ann. Chr. DCCCLXV Febr. III.

Victoriam obtinent fœdere facto.

ſecùs erant, poſtulatum eſt, ut copia eis daretur loquendi. Quod cùm Rex Sueonum annuiſſet, illi ſubſecuti ſunt; Nobis jam pax magis quàm pugna placet, & fœdus vobiſcum inire cupimus. Et primò quidem quidquid ex ſpoliis Danorum præterito anno in auro & armis adquiſivimus, vobis pro munere fœderis damus. deinde pro unoquoque hominum in hac urbe conſtitutorum dimidiam libram argenti offerimus; & inſuper cenſum, quem antea ſolebamus vobis dare, perſolvimus: & datis obſidibus, abhinc ſubjecti & obedientes, ſicut antea fuimus, veſtro imperio eſſe volumus. Cùm hæc itaque oblata fuerint, necdum tamen animi juvenum ſedari poterant: verum alacriores facti, & abſque metu imperterriti, pugnare tantùm deſiderantes, ſe armis urbem & omnia quæ haberent, vaſtaturos, ipſoſque captivos abducturos dicebant. Rex verò & Principes ſaniori conſilio dextras ab eis accipientes, fœdus inierunt, & theſauris innumerabilibus, atque obſidibus triginta ſibi collatis, cum gaudio ad ſua reverſi ſunt. Denique pace inter eos fœderata, ſtatim Sueones Chriſti Domini noſtri omnipotentiam collaudantes, ejuſque magnificentiam, quòd verè magnus eſſet ſuper omnes deos, totis viribus prædicantes; quid ipſi per quem tantam obtinuiſſent victoriam, vovere deberent, ſollicitè quærere cœperunt. Unde à Chriſtianis edocti negotiatoribus qui ſimul aderant, Chriſto Domino placitum devoverunt jejunium, ita ut, ad ſua reverſi,

Jejunia vovent,

poſtquam domi ſeptem dies eſſent, alios ſeptem à carne omnes pariter abſtinerent. ſed & poſt hoc quadraginta diebus evolutis, ipſi quoque unanimi conventione quadraginta ſequentes ſimiliter à carne abſtinentiam agerent. Quod & factum eſt, omneſque qui ibi adfuerant, hoc ſtatutum libenti perfecerunt animo: multi etiam poſthac reverentia & amore Chriſti apud eos jejuniis, quæ Chriſtiani obſervabant, inſiſtere incipientes, & eleemoſynis, (namque

eleemoſynis vacant.

hoc Chriſto gratum didicere) quoſlibet pauperes adjuvare cœperunt. Sicque favore omnium prædictus Erimbertus Sacerdos liberè apud eos quæ Dei ſunt agere, & cunctis Chriſti potentiam laudantibus, Religionis divinæ in illis partibus devotio augmentum ſui ab illo tempore ſine ullius contradictione cœpit habere.

Horico juniore patri ſuccedente, [a]

54. Inter hæc verò divinò contigit judicio, ut piratarum infeſtatione memoratus Horicus Rex, quibuſdam propinquis hujus Regnum ipſius invadere conantibus, bello interemtus [a] ſit: cum quo pariter omnes primores terræ illius, qui olim domno Epiſcopo familiares & amici habebantur, gladio interierunt. Deinde poſt hæc conſtituto in Regno ipſius Horico juniore, quidam illorum, quos ille tunc habebat Principes, & minus antea domno cogniti fuerant Epiſcopo, perſuadere ei cœperunt, ut eccleſia apud eos facta deſtrueretur, & Religio Chriſtianitatis ibi cœpta annihilaretur, dicentes deos

eccleſiæ aditus occluſus,

ſuos ſibi iratos eſſe, & quòd ideo tanta eos mala invenerint, quia alterius & incogniti Dei culturam apud ſe receperint. Qua de re Comes præfati vici, *Sclaſvich* videlicet, nomine Hovi, qui huic Religioni præcipuè reſiſtebat, & ad deſtruendam Chriſtianitatis Fidem Regem provocabat, eccleſiam ibi factam juſſit claudi, Religionemque Chriſtianitatis ibidem prohibuit obſervari. unde & Preſbyter, qui ibi aderat, perſecutionis acerbitate compulſus, inde receſſit. Pro hac itaque re domnus Epiſcopus nimiùm ſollicitus & triſtis effectus fuerat; quia nullum tunc cum Horico juniore de amicis habebat, quos antea largiſſimis donationibus ſibi familiares adquiſierat, per quos eum ad Domini voluntatem conciliare poſſet. Unde quia humano deſtitutus fuerat, ad divinum ſolito more concurrit auxilium. Nec ſpes ſua eum fefellit. Conſolatus eſt quippe eum Dominus ſpiritali in animo conſolatione, & cer-

[a] Anno ſcilicet DCCC LIIII, ut ſcribitur in Annalibus Foldenſibus, Bertinianis, Mettenſibus, & in libro de geſtis Nortmannorum, quorum Dux Gudurm, fratre Horici Regis natus, poſt piraticas infeſtationes in partibus Gallicanis patratas in patriam redux, Horicum patruum oppugnavit, tantamque cædem fecit per triduum, ut de ſtirpe regia Godefridi nullus niſi unus puer remaneret.

tus

tus omnino factus eſt, quòd nullo modo, ut hoſtes Chriſti machinarentur, Religio ibi cœpta deperiret. quod ita Domino annuente non multò pòſt contigit. Nam cùm pro hac ſola eadem cauſa ad prædictum Regem ire diſponeret, Domini præveniente gratia, idem Rex expulſo prius de vico memorato jam dicto Comite, ita ut numquam poſtea in ejus gratiam redire potuerit, ad domnum Epiſcopum ſuum gratis direxit legatum, mandans ut Sacerdotem ſuum ad propriam remitteret eccleſiam: non ſe minùs quàm Seniorem Horicum Chriſti velle gratiam promereri adſerens, domnique Epiſcopi amicitiam obtinere. Quo facto, cùm ipſe quoque reverendiſſimus Pater noſter ad ejuſdem Regis præſentiam eum adjutorio BURCHARDI illuſtriſſimi Comitis veniſſet, qui etiam antea apud Horicum Seniorem adjutor illi in omnibus fuerat, & apud Regem utrumque bene poterat, quia propinquus erat ipſorum; tanta gratia à juniore ſuſceptus eſt Horico, ut ſtatim ei omnia, quæ anteceſſor ſuus cauſa Chriſtianitatis in Regno ſuo fieri permiſerat, ipſe quoque concederet. Inſuper etiam, quod antea nefandum paganis videbatur, ut clocca haberetur in eccleſia conſenſit. In alio quoque vico Regni ſui, Ripa vocato, ſimiliter locum ubi eccleſia fabricaretur, tribuit: & ut ibi Sacerdos præſens adeſſet, ſuæ poteſtatis licentiam dedit.

Ann. Chr. DCCC LXV Fear III.

dein Rege vuleate conceſſus.

alterius cōdendæ facultas data.

55. Denique dum hæc agerentur, prædictus venerabilis GAUZBERTUS Epiſcopus ad gentem Sueonum quemdam miſit Preſbyterum, nomine ANFRIDUM, qui ex gente Danorum oriundus erat, & à domno Ebone ad ſervitium Domini educatus fuerat. Qui cùm illò adveniſſet, memoratus ERIMBERTUS Sacerdos exinde reverſus eſt, & ille ibi cum multa omnium ambitione tribus demoratus eſt annis aut ampliùs. Poſt hoc verò audito domni Gauzberti obitu, ipſe quoque exinde reverſus, & apud nos aliquamdiu converſatus, aggraveſcente dolore defunctus eſt. Quo facto Domnus Epiſcopus non ſufferens Fidem Chriſtianitatis ibi cœptam perire, ſuum illuc miſit Preſbyterum, nomine RAGINBERTUM, qui cùm ſatis ad hoc idoneus, & tantæ profectionis valde eſſet voluntarius, & ad portum memoratum *Sleaſwich* pergeret, diabolica machinatione, in via Danorum latrocinantium inſidiis circumactus, & his quæ habebat ſpoliatus, die Adſumtionis ſanctæ MARIÆ ipſe quoque in bonæ voluntatis curſu feliciter conſummatus eſt. Quod cùm Domni Epiſcopi animum nimio affeciſſet mærore, nequaquam tamen à cœpta retrahi potuit voluntate: verùm in hoc opus alium ordinavit Epiſcopus Preſbyterum, ex gente Danorum progenitum, nomine RIMBERTUM [a], quem cùm ad illas partes pro Chriſti nomine deſtinaſſet, benignè ibi à Rege & populo ſuſceptus, divina apud eos myſteria largiente Domino liberè hactenus celebravit. Denique & ipſi, ſicut & ceteris, quos inter paganos antè conſtituerat, denuntiavit Sacerdotibus, ut nullius aliquid concupiſceret, neque peteret: ſed ut magis exemplo beati Pauli Apoſtoli, ipſi quoque manibus laborarent, & victu ac veſtimento contenti eſſent, piè eos adhortatus eſt: quibus tamen ipſe & ſequacibus eorum, quidquid neceſſarium habebant, inſuper & ſi quid pro amicis adquirendis dandum erat, de ſuo abundanter miniſtrabat.

Miniſtri varii ad Sueones miſſi.

56. Porrò inter has multiplices variaſque anguſtiarum preſſuras, quas, uti commemoravimus, de eadem legatione, ut prædictum eſt, ſemper inſpiratione roboraretur, ne à cœpto deſiſteret opere; tamen Domni quoque EBONIS memorati Remenſis Archiepiſcopi, qui hanc legationem primò ſuſceperat, non modicè eum in hac cauſa & devotio mentis & fervor conſolabatur animi: ſi quidem ipſe intimo pro vocatione gentium flagrans ſpiritu, jugiter eum ad fidei gratiam in partes iſtas promulgandam incitabat, & ut cœpta non deſereret, ſtrenuè commonebat. cujus verbis exhortationis, & maximo ardore

Anſcharius ab Ebone identidem confirmatus.

[a] Rimbertus iſte Preſbyter alius eſt à Rimberto Diacono Anſcharii diſcipulo, ſucceſſore & præcone: quibus duobus alius accedit Raginbertus Preſbyter, de quo ſuprà.

Ann Chr. mentis, quo ad hoc fervebat, iſte beatus vir provocatus, indubitanter officii
DCCC LXV ſibi commiſſi curam agebat: nec aliqua umquam incommoditatis adverſitate à
Febr. III. cœpto opere averti poterat. Et licèt innumera fuerint prædicti Pontificis ſuaſoria monita, quibus Pater noſter intimo conſolabatur gaudio; illius tamen ſemper recordabatur ſermonis, quem de hujus legationis cauſa in ultimo collocutionis ſuæ habuere tempore. Nam cùm domnus Epiſcopus noſter, dinumeratis multis quæ ſibi contigerant anguſtiis, quid de eadem legatione ſibi videretur ipſum requireret, qualemque conſolationem ſibi ſuper hoc dicere vellet, ab eo ſollicitè expoſceret; ille quaſi prophetico afflatus ſpiritu, reſpondit: Certus ſum, inquit, quia, quod nos pro Chriſti nomine elaborare cœpimus, fructificare habet in Domino. Nam ita eſt fides mea, & ſic firmiter credo, immo veraciter ſcio: quia, & ſi aliquando propter peccata quodammodo impeditum fuerit, quod nos in illis cœpimus gentibus; non tamen umquam penitus extenuetur; ſed fructificabit in Dei gratia & proſperabitur, uſquequo perveniat nomen Domini ad fines orbis terræ. Hæc itaque fides fuit eorum, hac voluntate exterarum gentium fines petierunt, hujus Religionis amore pro Domino certaverunt, à quo & præmium laboris ſui ſine dubio percepturi ſunt. Hujus devotionis voluntas ab animo Domini & Patris noſtri numquam receſſit, & pro ſalute gentium numquam orare ceſſavit: quin potiùs cum aſ-
adverſa ſert ſidua ferè piratarum infeſtatione, quæ ex gentibus jam dictis veniebat, parro-
æquo ani- chia illius in circuitu vaſtaretur, ac familia diriperetur; ille tamen pro adver-
mo. ſantibus & inſidiantibus ſibi jugiter exorabat, & pro converſione eorum qui ſibi malefaciebant, apud Dei miſericordiam ſine ceſſatione rogabat; petens ne ſtatueretur illis in peccatum, quòd ignorantes Dei juſtitiam, errore diabolico decepti, Chriſtianorum rebus eſſent infeſti. Cujus ſollicitudinis cauſâ in tantum fervebat, ut etiam in infirmitate poſitus noviſſima, jam dictæ ſuæ legationis cauſam numquam antea tractare & diſponere omiſerit, quouſque ultimum exhalaverit ſpiritum vitæ. in quo religionis ardore à ſæculo ſuſceptus, credimus, quòd maxima ſecum comitante Fidelium multitudine, quos ex gente Danorum atque Sueonum Domino lucratus fuerat, initium boni certaminis illius; divina remunerante clementia, in die reſurrectionis omnium, glorioſè & feliciter regna penetravit.

Is Monachus probus. 57. Sanè quia de legationis ejus cauſa & cura, qua alios ſervare cupiebat, multa jam diximus; qualis in ſemetipſo, & pro ſalute propriæ animæ exſtiterit, qualiterque corpus ſuum afflixerit, jam nunc tempus eſt enarrandi. Qualis namque apud vos in Monaſterio in omni devotionis ſuæ ſtudio effulſerit, vobis optimè eſt compertum. tamen, ut auditum habemus, ipſe ado-
Epiſcopus lefcens & juvenis ſenibus & grandævis miraodus videbatur & imitandus. Jam
Sanctorum verò ſumto apud nos Epiſcopatu, hoc omnioo quod in Monaſterio in-
æmulus, choaverat, modis omnibus augmentare, & vitam omnium Sanctorum imitari
cilicio aſſi- ſtuduit, ſpecialiùs tamen beati Martini. Cilicio namque ad carnem non ſo-
duè utitur. lùm in die, ſed etiam in nocte uſus eſt, & magnopere populis verbum Do-
amat ſoli- mini prædicando ſtudebat prodeſſe. Interdum tamen, ut ſemetipſum in divi-
tudinem. na exerceret philoſophia, in ſolitudine manebat: ad quod opus cellam aptam ſibi conſtructam habebat, quam appellabat quietum locum & amicum mærori. ubi cum paucis demoratus, quotieſcumque à prædicatione & eccleſiaſticis officiis, ab inquietudine paganorum liber eſſe poterat, habitavit: ita tamen ut numquam proprium commodum & ſolitudinis amorem gregis ſibi commiſſi præponeret utilitati.

58. Porro quouſque juventutis aliquatenus potitus eſt robore, perſæpe pa-
parcus in nem in pondere & aquam in menſura ſumebat; maximè quamdiu ſolitudine
victu, ci uti licitum erat. quo tempore non modicè, ut ipſe adfirmabat, à ſpiritu
ob id vanâ gloriâ tentatus, tentatus eſt cenodoxiæ. Studebat namque inimicus humani generis peſte jam dicta animam illius inficere, & magnus ipſe oculis ſuis videbatur, quia taliter

Ann. Chr. DCCCLXV Febr. III. divinitus en vitio liberatus.

abſtineret. Qua de re triſtis factus, & ad Domini pietatem in oratione converſus, poſtulabat, ut ſua eum gratia ab hac pernicioſiſſima impietate liberaret. quod & factum eſt. Cumque pro hac re ſollicitiùs intentus eſſet precibus, quadam nocte ſopori deditus, vidit ſe quaſi uſque in cælum rapi, & totum ſæculum acſi in teterrimam vallem collectum; ex quo tamen & Beatorum animæ, licèt ratò, angelico miniſterio rapiebantur, & ducebantur in cælum. in qua videlicet tenebroſa valle, oſtenſum eſt ei etiam quaſi ſementinum quoddam, ex quo genus humanum ducit originem. Cumque hæc omnia admirans & horreſcens adſpiceret, juſſus eſt ut attenderet, quo initio in hanc vitam veniret; ac dictum eſt: Unde, inquit, homini ulla jactantia eſſe poterit, qui de tam vili origine in convalle lacrymarum procreatus ſit? & quidquid boni habuerit, non à ſe, ſed ab eo, à quo omne datum optimum & omne donum perfectum eſt, acceperit? Si igitur ulteriùs, inquit, ab ulla tentatus fuerit cenodoxiæ peſte, iſtud in mentem reducens memorare, unde progenitus ſis: & cum Dei gratia liberaberis. quod ita & factum eſt. Jam verò poſtquam ſenuit, non adeo potuit de cibo abſtinere: potus tamen ei ſemper aqua fuit; niſi quòd propter vanam gloriam vitandam magis, quàm aliquam ſuavitatem capiendam, aliquantulum ipſi aquæ quam bibiturus erat, de potu * admiſceret. Quia tamen in ſenectute ſua ſolita nequivit uti parſimonia, ſtuduit hoc eleemoſynis & orationibus multiſque aliis bonis compenſare. Hujus rei gratiâ multos redemit captivos, quibus libertatem dedit; nonnullos tamen eorum ad Dei ſervitium educandos, litteris divinis inſtruere juſſit.

Senex parſimoniam ſupplet eleemoſynis.

* f. de vino

59. Porrò ad devotionem ſibi in Dei amore acuendam quàm ſtudioſus fuerit, teſtantur codices magni apud nos, quos ipſe propria manu per notas [a] conſcripſit, qui ſolummodò illa continere noſcuntur, quæ ad laudem omnipotentis Dei pertinent, & ad peccatorum redargutionem, ad laudem quoque beatæ & æternæ vitæ, & terrorem gehennæ; & quidquid ad compunctionem pertinet, & lamentum. Teſtes ſunt & Fratres apud nos [b] & in nova Corbeia degentes, quos pro hoc opere frequenter poſtulavit; quique illi nonnulla hujuſcemodi conſcripta miſerunt. Sed numquam illi ſat eſſe poterat, quin omnem vitam ſuam in luctu & lacrymis exigere vellet. Nam licèt illi compunctio cordis lacrymas excitaret, non tamen ei umquam ſufficientes videbantur, niſi quòd in ultimo ætatis ſuæ anno hanc gratiam diu quæſitam Domino largiente promeruit, ut quotieſcumque vellet, ploraret. Denique ex ipſis compunctivis rebus, ex ſacra Scriptura ſumtis, per omnes pſalmos propriam aptavit orationculam [c], quod ipſe pigmenta vocitare ſolebat: ut ei pſalmi hac de cauſa dulceſcerent. in quibus videlicet pigmentis, non compoſitionem verborum curabat, ſed compunctionem cordis tantùm quærebat: in quibus pigmentis aliquando Dei laudat omnipotentiam, & judicium; aliquando ſemetipſum vituperat; aliquando Sanctos, qui Deo obediunt, beatificat; aliquando miſeros & peccatores luget, quibus omnibus ſemetipſum ſemper deteriorem dicebat. quæ tamen, aliis canentibus cum eo, finito pſalmo, ipſe ſolus tacitus ruminare ſolebat. Nec ulli ea manifeſtare volebat. quidam tamen noſtrûm, qui ei familiariſſimus erat, magna vi precum vix obtinuit ab eo, ut ei ipſa pigmenta, ſicut ille cantare ſolitus erat, dictaret. Quæ tamen ipſe conſcripta vivente eo nemini innotuit, ſed poſt obitum ejus quibuſque legere volentibus exhibuit.

Devotionis ſtudio libros ſcribit.

Lacrymis deditus.

uſus ad hunc Scripturæ ſententiis.

[a] Quales ſcilicet adinvenit Ciceronis libertus, ut celeritatem linguæ manus ſcribentis adæquaretur.

[b] Id eſt in eccleſia Bremenſi, in qua proinde Monachi ex inſtitutione Anſcharii collocati ſunt, ex dictis ſuprà in Obſervatione 10.

[c] In vetuſtis Pſalmorum libris poſt ſingulos pſalmos habentur ſingulæ orationes, ut in libro illo, quem ſanctus Rotbertus Abbas Moliſmenſis detulit Ciſtercium. Id obſervatum aliquando à Monachis Orientis, ut loco verſus *Gloria Patri*, quem occidentales poſt unumquemque pſalmum canebant, oratio diceretur, teſte Caſſiano in lib. 2 Inſtitutionum cap. 9. Bedæ tribuuntur ejuſmodi Pigmenta *Semitilla* dicta, ſimilia etiam Alcuino.

Ann. Chr. dccclxv Fran. III.

Pſalmos pro loco & tempore varios recitabat.

60. Inter pſalmos autem cantandum [a] frequenter etiam manibus operari ſolebat. nam his temporibus rete operabatur. De ipſis verò pſalmis diſpoſitum habuit, quos in die, quos in nocte cantaret; quos dum ſe ad Miſſam præparabat, cantaret; quos dum diſcalceatus ad lectum ire volebat. Manè autem ſemper quando ſe calceabat, & lavabat manus, litanias cantabat: & ſic ad eccleſiam profectus, tres aut quatuor Miſſas celebrari faciebat, ipſe adſtans & officium agens: ſtatuto tamen legitimo [b] tempore in die publicam Miſſam, niſi aliqua ei incommoditas accidiſſet, ipſe cantabat.

Liberalis in pauperes,

Xenodochium dotat in gratiam pauperum.

61. In eleemoſynis verò dandis quàm ipſe liberaliſſimus fuerit, quis enarrare potuerit, cùm omnia quæ habebat in Domini voluntate, neceſſitatem patientibus ſubminiſtrare cupiebat? Ubicumque enim aliquem in neceſſitate poſitum ſciebat, ex quanto poterat eum adjuvare ſatagebat. Et non ſolùm in propria parrochia, ſed etiam in longinquis regionibus poſitis ſubſidium ſui adjutorii miniſtrabat. ſpecialius tamen hoſpitale pauperum [c] in Brema conſtitutum habebat, ad quod decimas de nonnullis villis diſpoſuit, ut ibi cum quotidiana ſuſceptione pauperum ægroti recrearentur. Per omnem Epiſcopatum ſuum decimas animalium & omnium reddituum [d], decimaſque decimarum, quæ ad eum pertinebant, in pauperum expenſionem diſtribuebat: & quidquid argenti vel cujuſlibet cenſus illi proveniebat, in ſuus indigentium decimabat. Inſuper in quinto anno omnium animalium, licèt antea decimata fuerint, ad eleemoſynarum dationem iterum ex integro decimationem faciebat. de argento etiam quod ad eccleſias in Monaſteriis veniebat, quartam partem ad hoc ipſum deſtinabat. Curam ergo pupillorum & viduarum maximam ſemper habebat: & ubicumque Anachoretas eſſe ſciebat, ſive viros, ſive feminas, frequentibus viſitationibus & donis ipſos in Dei ſervitio confortabat, & neceſſariis ſubſidiis adjuvare ſtudebat. Habebat quoque in zona propria ſemper ſacculum cum nummis, ut, ſi quando egens veniret, & diſpenſator eleemoſynæ ſuæ deeſſet, ipſe ſine morâ quod daret haberet. Studebat enim illud beati Job dictum per omnia implere, ut nec ſaltem oculos viduæ aliquando exſpectare faceret: ſicque & oculus cæco & pes claudo & pater pauperum omnino eſſe ſtudebat. In Quadrageſimæ verò tempore quatuor pauperes quotidie in Brema ad eſcam ſuſcipi jubebat, duos ſcilicet viros & duas feminas, & viris quidem ipſe cum Fratribus pedes lavabat; feminas autem in prædicto hoſpitali pauperum, vice illius, quædam Deo ſacrata quam ipſe in Dei voluntate & religionis amore probatam habebat. Denique cùm parrochias more epiſcopali circuiret, antequam ipſe ad convivium accederet, pauperes præcipiebat introduci: quibus aquam etiam ad manus lavandas exhibebat, & eulogiis datis miſcebat [e]; & menſâ ante ipſos poſitâ, ſic demum ad convivium ſuum cum hoſpitibus accedebat. [f] Et ut miſericordiæ ac pietatis ejus viſcera exemplis approbemus, vidimus quondam, cùm inter multos alios cujuſdam viduæ filium in longinqua regione captivum abductum, in Sueonum videlicet, pretio redemtum, ipſe ſecum ad propria reduxiſſet; & cùm ipſum mater ſua gaudens videret reverſum, (ſicuti mos eſt feminarum) præ gaudio in conſpectu ejus adſtans lacrymata fuiſſet; ipſe quoque Epiſco-

Omnium curam gerit.

ſacculum portat in zona.

in Quadrageſima reficit pauperes quatuor.

eis miniſtrat.

a Sic Ægyptii Monachi opus manuum & pſalmorum orationes pariter exercebant, apud Caſſianum in ejuſdem libri capp. 13 & 14. ſic ſanctus Adalhardus in Statutorum lib. 2 cap. 4 præcipit, ut qui in coquinæ miniſterio laborant, pſalmos ſine intermiſſione canrent, id eſt recitent. quo ſenſu etiam iſta vox hoc in loco uſurpatur.

b Ergo non quotidie, ſed ſollemnioribus dumtaxat diebus ſacris operabatur Anſcharius.

c Eo in loco poſtea inſtitutum collegium duodecim Canonicorum, & templum ſub nomine S. Anſcharii, etiam nunc perſtans, teſte Philippo Cæſare, qui cùm adhuc [illegible] eſſet, ibidem Canonicum egit & Paſtorem: poſtea converſus hujus præcipuè Sancti (uti ipſe credidit) precibus ac meritis, cujus Vitam ſtudiosè ac diligenter perquiſierat.

d Idipſum ordinaverat Adalhardus Abbas apud Corbeiam veterem, ut ex Statutis ipſius conſtat.

e Id eſt potum præbebat. hoc ſenſu verbum miſcere frequens eſt apud Auctores mediæ ætatis. Vide indicem partis primæ Sæculi 3, & Gloſſarium V. Cl. Caroli Freſnei.

f Abhinc uſque ad num. 68 infrà, Gualdo poëta tranſiliit proſaicam orationem.

pus compunctus non minùs flere cœperit, ſtatimque filium ipſum viduæ libertate donatum matri reddidit, domumque gaudentes ire permiſit.

Ann. Chr. dccclxv

62. Et quia converſatio ejus, ſecundùm beatum Paulum Apoſtolum, ſemper erat in cælo, nonnumquam ipſe cæleſtibus revelationibus (ſicuti jam præfati ſumus, licèt multa omiſerimus) illuſtrabatur in terra, ita ut ferè omnia quæ ei proventura erant, antea ſemper, ſive per ſomnium, ſive per intimam revelationem in mente, ſive per exceſſum, ipſi cognita fierent. Nam quod diximus fieri in mente, hujuſmodi eſſe putamus, ſicut in Actibus Apoſtolorum legitur: *Dixit*, inquit, *Spiritus Philippo.* Ad omnia enim quæ fortè præcipua definire debebat, ſpatium cogitandi habere volebat: & nihil temere diſponebat, antequam gratiâ Dei illuſtratus, ipſe in mente ſua ſentiret quid melius eſſet. ſicque ſuperna viſitatione certificatus in mente, ſine cunctatione quæ agenda erant, diſponebat. Porro ea quæ per ſomnium videbat, ſicuti jam ſuperiùs multa comprehenſa ſunt, tam vera erant, ut numquam ea caſſata reminiſcamur. Nam ut ad probationem hujus rei omiſſa referamus, antequam ad Bremenſem invitaretur eccleſiam, quadam nocte viſum eſt ei, quòd veniſſet in quamdam regionem amœniſſimam, in qua invenit beatum Petrum Apoſtolum. cumque illum admiraretur, veniunt quidam homines petentes, ut ipſe beatus videlicet Petrus, eis Paſtorem & Doctorem deſtinare deberet. quibus cùm ille reſpondiſſet: Iſte eſt, quem debetis habere Paſtorem, domnum Epiſcopum coram ſe ſtantem proponens; viſum eſt ipſi quòd terræ motus fieret magnus, & ipſe in terram cecidiſſet, & quòd veniſſet vox ſuper eum, & magna ſuavitas in mente, unctio videlicet Spiritus-ſancti, ita ut ſe quaſi innovatum ſentiret in gratia Chriſti. Vox verò quæ venit, quaſi benedictionem ſuper eum fudit. Poſt hæc iterum, ſicut ipſi videbatur, jam dicti viri admonuerunt Apoſtolum, quò eis Doctorem quemlibet deſtinaret. (contrarii enim eſſe videbantur iis, quæ ille eis antè propoſuerat) quibus ille quaſi indignando reſpondit: Nonne dixi vobis, quia hic eſſe deberet, qui in præſentiarum ſtat? quid dubitaſtis? nonne audiſtis vocem ſuper eum Spiritus-ſancti ad hoc delapſam, ut eum vobis conſecrarer Paſtorem? Quo dicto, ſomno expergefactus, quod triennio antè viderat, quàm ad Bremenſem regendam invitaretur eccleſiam; certus omnino factus eſt, quòd alicubi in nomine Domini ire deberet: ſed quò, neſciebat. Poſtquam verò regio juſſu ad Bremenſem eccleſiam venit, & eam in honore ſancti Petri conſecratam didicit, & nonnullos quoque invenit, qui eum non libenti reciperent animo, recordatus eſt viſionis ſuæ: hacque de cauſa conſenſit, ut illam regendam ſuſciperet diœceſim. Non aliter nunquam ſe hoc facere voluiſſe atteſtando dicebat.

Febr. III. Phil. 3, 20. Futura prænoſcit.

Act. 8, 29. in agendis Deum conſulit.

a Bremenſis eccleſiæ ſe fore Paſtorem cælitus prædiſcit.

63. Eo quoque tempore quando cellam prædictam Turholt habuerat, quoniam omnis ei cura de vocatione gentium erat, ut eis in ſua legatione prodeſſe potuiſſet; nonnullos pueros, ex Nortmannis vel Sclavis emtos, in eadem cella causâ diſcendi ad ſacram militiam nutriendos poſuerat. quorum quoſdam prædictus Reginarius, quando illi cella ipſa data eſt, inde abſtulit, & ad ſuum ſervitium miſit. Qua de cauſa, cùm nimiùm eſſet domnus Epiſcopus anxiatus, poſt paullulum viſum eſt illi, quòd veniſſet in quamdam domum, inveniſſetque ibi & venerandum Regem Carolum & ipſum Reginarium. quos ipſe, ut ei videbatur, de iiſdem pueris increpavit, adſerens quòd eos ad Dei omnipotentis ſervitium nutrire diſpoſuerat, non ut Reginario ſervirent. Quo dicto viſum eſt ei, quòd idem Reginarius, levato pede ſuo ad os calcitraret domni Epiſcopi. Denique hoc facto mox viſum eſt ei, quòd Jesus Christus prope eum adſtaret, diceretque Regi præfato pariter & Reginario: Cujus, inquit, hic hominem vos tam turpiter dehoneſtatis? ſcitote, quia iſte Dominum habet, & vos de hac cauſa non eritis immulctati.

Turholti nutrit pueros Nortmannicos.

prævidet Reginarii pœnam ob eos inde abductos.

a De Remberti ſucceſſoris deſignatione aliqua hic addita erant, ut patet ex Vitæ ſancti Remberti cap. 6, quæ Rembertus ipſe modeſtiæ causâ deleviſſe videtur.

Ann. Chr. DCCCLXV Febr. III.

Quo dicto ipſi exterriti facti conturbati ſunt: domnus verò Epiſcopus evigilavit. Quod illi oſtenſum quàm verum fuerit, teſtatur ultio divina, quæ ſuper ipſum venit Reginarium. Nam non multò pòſt iram Regis meruit, & cellam ipſam unà cum omnibus, quæ ex parte Regis habebat, perdidit, nec ulteriùs in gratiam priſtinam redire potuit.

De grege quàm ſollicitus.

64. Verùm de paſtorali ejus gratia qualis quantuſque exſtiterit, præteriiſſe ne videamur; in illo certè probavimus, quàm verum ſit, quòd beatus Gregorius in figura paſtorum, qui in Nativitate Domini ſuper gregem ſuum vigilabant, de Paſtoribus Eccleſiæ dixit: „Quid eſt, inquit, hoc, quòd vigilantibus paſtoribus Angelus apparuit, eoſque Dei claritas circumfulſit? niſi quòd illi præ ceteris videre ſublimia merentur, qui fidelibus gregibus præeſſe ſollicitè ſciunt? Dumque ipſi piè ſuper gregem vigilant, divina ſuper eos gratia largiùs coruſcat. In omni enim actione illius gratiam Dei cum eo comitaſſe multis experimentis probavimus. Nam quòd ipſe ſuper gregis ſui cuſtodiâ ſollicitus, multa ſublimia videre promeruit, & in mente ſuperna frequentiùs viſitatione inſpiratus ſit, ſuperiùs jam in multis comprehenſum oſtendimus.

in prædicatione ſuavis & ſeverus.

Denique etiam exteriùs gratia Dei in eo largiùs coruſcante, ſermo quoque prædicationis illius multa ſuavitate perfuſus, partim erat horribilis: ut certo probaretur judicio, infuſione ſpiritali verba ejus moderari: in quo miſcens terroribus blandimenta, vim divini prætenderet judicii, in quo veniens Dominus terribilis peccatoribus, & blandus apparebit juſtis. Hac quippe gratia in verbis & vultu admirandus erat: ita ut eum potentes & divites, maximè tamen contumaces & protervi terribilem attenderent; mediocres verò quaſi fratrem complecterentur; pauperes autem quaſi patrem piiſſimo venerarentur affectu.

prohibet laborem in die feſto.

65. Porro licèt ſigna virtutum, velut inſtrumenta jactantiæ, cautè fugeret, tamen eo non quærente & hæc ipſa non deerant: quod evidenti probatum eſt indicio, quia ſcilicet mandatum Domini ex ore illius in irritum prolatum non ceſſit. Nam cùm quodam tempore in Friſia, in pago Oſtergao *, in die dominica prædicaret populo, & inter alia prohiberet, ne quis in die feſto opus ſervile exerceret; quidam illorum, ut ſunt contumaces & ſtolidi, domum reverſi, quia ſerenus erat aër, in pratum euntes, collecto feno acervos fecerunt. Quibus factis, adveſperaſcente die, omnes illi acervi, qui eadem die facti fuerant, divinitus igni conſumti ſunt, illæſis illis permanentibus qui in anterioribus diebus in medio præparati conſtabant. Quo facto, populi in circuitu manentes, fumum à longè cernentes, hoſtes adeſſe putantes, timuerunt valde: ſed diligentiùs rei veritatem perſcrutantes, contumaciam nonnullorum probaverunt eſſe multatam.

* al. Oſtargao

Deo tranſgreſſores puniente.

Captivorũ liberationẽ procurat.

66. Nec ſilendum arbitramur, quia cùm quodam tempore gens Nordalbingorum plurimùm deliquiſſet, quorum delictum hujuſmodi erat, videlicet cùm nonnulli miſeri captivi de Chriſtianis, qui apud barbaros affligebantur, inde effugerent, & ad Chriſtianos venirent ad prædictos Nordalbingos, qui proximi noſcuntur eſſe paganis; ipſi eos capiebant, & in vinculis ponebant: quorum alios iterum paganis vendebant, alios ſuo mancipabant ſervitio, aut aliis Chriſtianis venumdabant. Cùm igitur hoc domno innotuiſſet Epiſcopo, & de hac re nimiùm anxius eſſet, quòd in ſua diœceſi tantum nefas contigiſſet; ſed qualiter id emendari potuiſſet, non ſatis ratione colligebat. quoniam in hoc nefandiſſimo ſcelere erant plurimi irretiti, qui potentes apud eos & nobiles habebantur. Denique cùm de hac re nimium eſſet anxius, quadam nocte divina ei apparuit conſolatio. Videbatur namque illi, quòd Dominus Jesus eſſet in præſenti ſæculo, ſicut olim fuit, quando ſuæ præſentiæ doctrinam & exempla populis prædicabat: viſumque eſt ei, quòd eſſet cum multitudine Fidelium, & quòd ipſe domnus Epiſcopus cum eo in eodem eſſet itinere lætus & gaudens; & ut ipſi videbatur, erat in omnibus contumacibus terror divinitus

illatus, & ereptio fiebat oppreſſorum, & quies magna in omnibus, ita ut nihil contrarietatis in ipſo videretur eſſe itinere. Poſt hanc itaque viſionem confirmatus, ad prædictum populum ſuum ipſe paravit profectionem, ea videlicet voluntate, ut & miſeros qui irrationabiliter ſervituti addicti fuerant & venditi, quoquo pacto liberaret; & ne in poſterum aliquis tantum malum committere auderet, cùm Domini gratia prohiberet. in qua profectione tantam illi Dominus gratiam conceſſit, tantumque auctoritatis ejus contumacibus terrorem incuſſit, ut, licèt eſſent nobiles & malè potentes, nullus tamen illorum ſuo imperio auderet contradicere: ſed quærebantur miſeri ubicumque venditi fuerant: & donati libertate, dimittebantur, ut irent quocumque vellent. Inſuper ne ulla fraus in futurum pro eadem re obtenderetur, conventionem talem fecerunt, ut non juramento nec teſtibus ſe ullus eorum, qui in prædicta rapacitate maculati fuerant, defenderet; ſed judicio omnipotentis Dei ſe committeret, aut ipſe, qui pro tali ſcelere impetebatur, aut certè captivus quem alius impetebat. Hoc ergo facto in ipſo itinere Dominus veraciter exhibuit, quod Fidelibus pollicitus eſt, dicens: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Tanta proſperitate & gaudio iter illud perfecit, ut quidam cum eo comitantes dicerent, numquam ſe in vita ſua tam bonum & tam ſuave iter egiſſe. ANN. CHR. DCCC LXV FEBR. III.

67. Quanti verò oratione illius & unctione olei ſanati ſunt, enumerare non poſſumus. Hoc enim multorum adſertione comperto, certatim ad eum non ſolùm de ipſius diœceſi, ſed etiam de longinquo venire ſolebant ægrotantes, medicinam ab eo ſalutis poſcentes. Ipſe tamen hæc omnia ſemper occultari maluit quàm vulgari. Nempe cùm de hujuſmodi virtutum ſignis aliquando coram eo fieret ſermo, ipſe cuidam ſuo dixit familiari: Si dignus eſſem apud Deum meum, rogarem quatenus unum mihi concederet ſignum, videlicet ut de me ſua gratia faceret bonum hominem. oleo ſanat ægrotos. vanam gloriam fugit.

68. Præterea cùm talis ei eſſet vita, in infirmitate tamen corporis proprii pæne aſſiduè laborabat. Omnis quippe vita ejus ferè martyrium fuit, quippe in laboribus plurimis infra diœceſim propriam, propter incurſiones & deprædationes barbarorum, necnon & contradictiones malignantium; inſuper & cruciatione propria, quam ſibi ipſe in corpore ſuo pro amore Chriſti numquam ceſſavit inducere. Sed quid facimus, qui poſt tot dulcia & ſalubria illud cogimur referre, quod ſine noſtro luctu non valemus explicare? Nam ætatis ſuæ anno ſexageſimo quarto, Epiſcopatus verò trigeſimo-quarto, gravi cœpit corporis morbo laborare, dyſenteriâ ſcilicet jugi, quâ cùm per multos dies, menſibus videlicet quatuor & ampliùs, acriter laboraret, & ſe ad mortem urgeri ſentiret, ſemper Deo gratias agebat, minoremque ipſum laborem eſſe dicebat, quàm ſua mereretur iniquitas; illud beati Job ſæpius decantans: *Si bona ſuſcepimus de manu Dei, quare mala non ſuſcipiamus?* Tamen ſe propter ſupradictas viſiones martyrio potiùs quàm tali infirmitate credebat conſummari; triſtis admodum factus, ſibimetipſi & peccatis ſuis cœpit reputare, quòd quaſi ſpe certiſſima ſuâ eſſet culpâ defraudatus. illud Pſalmigraphi ſæpiùs decantans: *Juſtus es, Domine, & rectum judicium tuum.* Quem videlicet mærorem cum ſuo fideliſſimo [a] diſcipulo, qui ei conſcius, quærendo revelaret; & eum ipſe conſolari intentiùs ſtuduiſſet, dicens, quòd non ei promiſſum fuiſſet, ut gladio trucidaretur, aut igne cremaretur, aut in aqua necaretur; ſed ut cum corona martyrii ad Dominum venire deberet; nullatenus tamen conſolationem recipere potuit. Denique cùm ſæpius de eadem re cum diſcipulo ſuo, qui ei conſcius pæne in omnibus fuit, colloqueretur; & ſummopere eum conſolari voluiſſet, ad memoriam ejus revocare ſtudens, quantam in Dei ſervitio ſuſtinuerit, quantamque corporis ſui pertulerit moleſtiam; & quòd etiam ipſa infirmitas noviſſima gravis nimiùm & diuturna & ſatis ipſi pro martyrio reputari Martyr totâ vitâ. affectus dyſenteriâ. Job 3, 10. Pſal. 118, 137. triſtatur ob martyrium ſibi præreptum.

[a] Rembertum ſcilicet, hujus Vitæ ſcriptorem, uti explicat Adamus in lib. 1 cap. 42.

Ann. Chr. DCCC LXV Febr. III.

potuiſſet; ipſe tamen nullo modo conſolationem recipiens, ſed in ſupradicto manebat mœrore.

à Deo confortatus.

69. Unde factum eſt, ut Dominus ſervum ſuum, non jam ut priùs per ſomnium, ſed apertiùs conſolari dignatus ſit, quatinus tanto mœrori ſuæ gratiæ præſtaret remedium. Nam cùm quadam die ad Miſſam in oratorio conſiſtens, pro hoc ipſo nimiùm ſollicitus eſſet; ſubitò in exceſſum mentis raptus audivit vocem quaſi vigilans, quæ ipſum vehementer increpabat, quòd nullatenus de Dei promiſſione dubitare debuiſſet, quaſi aliqua iniquitas Dei potuiſſet pietatem vincere. Firmiſſimè crede, inquit, & nullatenus dubites, quia utrumque tibi Deus ſuâ gratiâ faciet, id eſt & peccata dimittet, pro quibus modò ſollicitus es, & omnia quæ promiſit, implebit. Qua conſolatione ſuſcepta, ipſe quoque conſolabatur ſemetipſum. Et exinde ſollicitiùs quæque in diœceſi ſua procurando cœpit diſponere: inſuper privilegia apoſtolicæ Sedis, quæ erant de legatione ejus facta, in multis libellis juſſit deſcribere, & per omnes pæne Domini Ludovici Regis Epiſcopos deſtinare [a]. Ipſi quoque Regi Ludovico, filioque ejus æquivoco, hoc ipſum dirigens, addens & ſui nominis litteras, quibus poſtulavit, ut hæc in memoriam haberent, ſimul etiam, prout dictaret res, adjutorio eſſent: quatenus legatio ipſa, Dei auxiliante gratia, & ipſis adjuvantibus, fructificare & creſcere in gentibus potuiſſet.

Privilegia ſibi conceſſa deſcribi curat, [a] executionem Regi commendat.

optat mori die Purificationis B. Mariæ,

70. Porro cùm jam per tres menſes continuos, prædicta laboraret infirmitate, & Epiphania Domini tranſiſſet; optare cœpit, quatenus eum in Purificatione ſanctæ Mariæ ad Domini gratiam tranſire liceret. Qua ergo feſtivitate appropinquante, præcepit Clero & pauperibus convivium præparare, ut in ipſo ſanctiſſimo die epularentur. Juſſit etiam ut tres fierent cerei magni ex ſua ſpeciali cera. Quibus factis, in ipſa vigilia prædictæ feſtivitatis fecit eos ante ſe ferri, & unum ante altare ſanctæ Mariæ accendere præcepit, alterum verò ante altare ſancti Petri, tertium ante altare ſancti Johannis Baptiſtæ, optans ut ipſi eum de corpore ſuſciperent egredientem, qui in ſupradicta viſione olim ejus fuerant ductores. Ceterum prædicta infirmitate ita erat fatigatus & attritus, ut pæne jam in corpore ejus nihil remaneret, exceptis oſſibus nervis ligatis & corio tectis. attamen ipſe ſemper in Domini laude ſe exercebat. Illuceſcente verò jam dictæ feſtivitatis die, pro eo Miſſas, ſicut quotidie ſoliti fuerant, cuncti qui adfuere Sacerdotes, celebrarunt. Ipſe verò ordinare cœpit, qualiter ad populum fieret ſermo, adſerens ſe nihil eodem die guſtaturum, donec publica finiretur Miſſa. Quâ finitâ, cùm parumper comediſſet & bibiſſet, per omnem diem ſtudioſiùs ſuos commonere, & ad Domini ſervitium accendere ſtuduit, nunc communiter, nunc ſigillatim quemque, prout poterat, ad divinum animans ſervitium. maximè tamen ejus cura & ſollicitudo fuit de ſua legatione ad gentes. Noctem quoque ſequentem in talibus admonitionibus perduxit continuam.

in cujus vigilia tres cereos accendi jubet.

in die feſto Miſſis pro ſe dictis,

Miſſam publicam exſpectat jejunus.

Litaniis dictis,

71. Fratres verò qui aderant, cùm Litaniam facerent, & pſalmos ex more pro ejus exitu decantarent, admonuit ipſe, ut etiam hymnum ad laudem Dei compoſitum, id eſt *Te Deum laudamus*, pariter cantarent; Fidem quoque catholicam à beato Athanaſio compoſitam. Mane verò facto omnibus qui aderant, Sacerdotibus ſacra ſollemnia Miſſarum pro eo celebrantibus, dominici corporis & ſanguinis communione percepta, elevatis manibus precabatur, ut quicumque in eum quoquomodo peccaſſet, divina ei hoc pietas dimitteret. Deinde verſiculos iſtos cœpit frequentiùs repetere. *Secundùm miſericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam, Domine.* &, *Deus propitius eſto mihi peccatori.* &, *In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum.* Cùm hæc ipſe ſæpius repeteret, & frequenti anhelitu jam ea frequentare non valeret; cuidam Fratri præcepit, ut hæc eadem vice illius frequentando cantaret. ſic-

Poſt Miſſas viaticum recipit.

ingeminat preces pro ſe & pro aliis.

[a] Huc ſpectare videtur Anſcharii epiſtola in fine hujus Vitæ relata, qua hæc privilegia Epiſcopis Germaniciis commendavit.

que

que oculis in cælum intentis, Domini gratiæ commendatum ſpiritum exhalavit [a]. Ann. Chr. DCCC LXV Febr. III.

72. Cujus corpore ex more curato, feretroque impoſito, cùm ad eccleſiam deferretur, iterari viſus eſt luctus omnium, & vox una plangentium, maximè tamen Clericorum, orphanorum, viduarum, pupillorum & indigentium. Quamvis enim de illius ſalute non ſit dubitandum, quis Religioſorum aut Fidelium ſe à fletu continere poterit, cùm ille nos deſolatos reliquerit, in quo ſolo pæne omnium antiquorum vigebant exempla Sanctorum? Siquidem, ut ab ipſo electorum omnium capite incipiamus, Christum inopem inops ipſe ſecutus eſt, cum Apoſtolis omnia dereliquit, & cum ſancto Johanne Baptiſta primævum tempus à turbarum frequentia remotum ducens, Monaſterii ſolitudinem expetiit: videlicet cùm temporis proceſſu quotidiano profectu excreviſſet, & de virtute in virtutem iviſſet, vas electionis ad portandum Christi nomen coram gentibus cum beato Apoſtolo Paulo deputatus; paſcendarum Christi ovium poſtmodum curam cum Principe Apoſtolorum Petro ſuſcepit. in quo regimine qualem ſe quantumque exhibuerit, hoc vel maximè probare videtur, quòd inter cælum & terram medius, inter Deum & proximum ſequeſter, nunc divinæ viſioni & cæleſtibus revelationibus intererat, nunc commiſſorum ſibi actus & vitam diſponebat: ad quas activè & contemplativè geminas alas ideo ipſe ſufficiebat, quia cùm mundicordes ſoli juxta Evangeliorum fidem Dominum credantur viſuri, ipſe virgo ab eo electus, cum ſancto Apoſtolo & Evangeliſta Johanne, & mente & corpore virgo in ævum permanſit; & tanta inſuper ad cunctos caritate tenebatur, ut cum beato Protomartyre Stephano etiam oraret pro ſuis perſecutoribus. O verè beatum & omni laudis præconio digniſſimum virum, quem talem ac tantum imitari, quem ſolum plurimorum, tot ſimul habere virtutes contigit: qui mente ſanctus & corpore caſtus, cum Virginibus Agnum, quocumque ierit, ſequetur: qui ſemper in confeſſione Christi perſeverans glorioſum admodum inter Confeſſores locum habebit: qui in ſublimi illa cum Apoſtolis Judicum ſede in regeneratione ſeſſurus eſt, ac mundum, quem contemſerat, judicaturus, & cum Martyribus juſtitiæ coronam & palmam martyrii adepturus.

Moritur. Lugentibus omnibus. Epilogus ejus elogii.

73. Martyrii duo genera eſſe conſtat, unum in pace Eccleſiæ occultum, alterum perſecutionis articulò ingruente manifeſtum: utrumque voluntate tenuit; ad alterum effectu pervenit. Quia enim quotidie ſemper lacrymas, vigilias, jejunia, carnis macerationem, & deſideriorum carnalium mortificationem in ara cordis Deo mactabat, martyrium profectò, quod pacis tempore non potuit, voto conſecutus eſt. Quia verò ad apertum corporis martyrium perſecutoris ſibi animus non defuit, quod opere minùs potuit, voluntate adeptus eſt. Quamvis hoc quoque martyrium opere eum habuiſſe omnino negare nequeamus, ſi tantos ejus pro Domino labores juxta Apoſtolum attendamus, in itineribus ſæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus: in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & ſiti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate: præter illa quæ extrinſecùs ſunt, inſtantia ejus quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum. Quis infirmabatur, & ipſe non fuit infirmus? quis ſcandalizabatur, & ipſe non urebatur? Qui ergo tot ac tantis eſt pro Domino & corporis adverſitatibus, & animi æſtibus excoctus, quomodo Martyr eſſe jure negabitur? Nam ſi ſola vita per paſſionem terminata martyrio deputaretur, nequaquam

Martyrque modo.

[a] *Obiit anno Domini* DCCCLXV, *Indict.* XIII. *qui eſt Ludovici ſecundi* XXVI, *ſepultuſque eſt in baſilica ſancti Petri ante altare ſanctæ Dei genitricis* MARIÆ, inquit Adamus in lib. I cap. 31. Albertus Stadenſis & Chronicon Saxonicum eumdem annum ſignant. *Sedit omnes annos* XXXIIII. *cujus depoſitio ſumma veneratione colitur* III *Non. Februarii*, ex Adamo.

ANN CHR. DCCC LXV FEBR. III.

ſanctum Evangeliſtam Johannem calicem ſuum Dominus bibiturum eſſe teſtaretur, quem minimè vitam martyrio finiviſſe ſcimus. Proinde ſi illum juxta dominicam ſententiam inter Martyrum numerum adſcribendum eſſe non dubitamus, de eo quoque, quem præmiſimus, ſancto planè ac beato admodum viro omnino ambigere non debemus. Martyr enim fuit, quia juxta Apoſtolum & ipſi mundus & ille mundo crucifixus erat. Martyr fuit, quia inter Diaboli tentamenta, inter carnis illecebras, inter perſequentes Paganos, inter obſiſtentes Chriſtianos ſemper imperterritus, & immobilis, & invictus in Chriſti confeſſione uſque ad exitum vitæ permanſit. Martyr fuit, quia dum μάρτυρ teſtis dicatur, ipſe divini ſemper verbi, & Chriſtiferi nominis exſtitit teſtis. Qua in re nemo miretur eum ad hoc, quod ſummo ipſe deſiderio optabat, & ſibi repromiſſum putabat, martyrium non perveniſſe; quia nec hoc ſibi pollicitum juxta hujus nominis interpretationem probatur. Et certè poterat in accepto corporis martyrio aliqua fortè ſuæ menti elatio ſubrepere: quod ut caveretur, hoc divina prudentia & ſpopondit & conceſſit; videlicet ut meritis ſuis nihil minueretur, & humilitati, quæ omnium eſt cuſtos virtutum, provideretur.

74. Quocirca, quia jam ex his, quæ ſuperiùs commemoravimus, claret, quantæ vir iſte ſanctitatis, quanti apud Deum meriti fuerit; reſtat, ut ſicut ipſe Chriſti imitator in omnibus fuit, ſic nos quoque ejus imitatores eſſe ſtudeamus. Sic quippe fieri quibit, ut & ipſe ſemper uſque ad conſummationem ſæculi nobiſcum vivere poſſit in terris, & nos poſt præſentis vitæ tranſcurſum cum eo in cælis vivere mereamur. Vivet namque nobiſcum in terris, ſi eum vitæ ſanctitas & doctrinæ recordatio nobis repræſentat: vivemus nos cum ipſo in cælis, ſi ejus exempla ſequentes, ad eum ſemper toto deſiderio & tota virtute tendamus, ad quem nos ille præceſſit JESUM-CHRISTUM Dominum noſtrum, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

MONITUM.

CONSEQUENS *erat ut Gualdonis librum metricum de S. Anſchario hic ſubjiceremus: at cùm in eo præter præfationem & metri formam nihil à Remberti proſa diverſum occurrat; ſufficere viſum eſt ut Gualdonis præfatio ad Albertum ſeu Adalbertum Bremenſem Archiepiſcopum cum exordio carminis in ſpecimen referatur, ne ſuperfluis repetitionibus paginas oneremus. In mſſ. codicibus Corbeiæ Gallicæ ita inſcribitur Gualdonis carmen.* Vita ſancti ANSCHARII Corbeienſis in Gallia Monachi, Bremenſis Archiepiſcopi, Suevorum cæterorumque Septemtrioni ſubjectorum populorum Apoſtoli, in eaſque regiones ſanctæ Sedis à latere Legati, verſibus heroïcis comprehenſa incipit ad ALBERTUM, itidem poſt eum in eaſdem plagas prædicationis cauſâ horumque populorum ſalutis deſiderio tranſportatum.

ANN. CHR. DCCC LXV FEBR. III.

ALIA VITA

Auctore GUALDONE, Corbeiæ Gallicæ Monacho, medio ſæculo XI.

Ex Lambecio, Bollando, & codicibus mſſ.

PRÆFATIO AUCTORIS AD ALBERTUM.

DULCE tuis, ALBERTE, decus, jubar ignivaporum,
Eccleſiæ turris, Regni diadema decorum,
Gloria Pontificum, Regum venerabile numen.
Quod tibi mater init Corbeïa, ſume volumen.
Id tamen antè tui ſibi direxere priores:
Sed non illa ſuos acuit ſcriptura tenores.
Per planum diſcurrit iter ſermone pedeſtri,
Non ſe per tumulos moderamine flectit equeſtri.
Scanditur hæc ſenis pedibus modulante Thalia,
Quam petimus ne veſtra velit reprobare ſophia.
Hæc pro pignoribus [a] collatis dona rependit,
Cujus ab uberibus felix puer ille pependit,
Qui lac ſalvificum Scythico ſtillavit in orbe,
Primus & in veſtra ſurrexit Epiſcopus urbe.
Quàm ſpecioſa fuit tua, mater ſancta, juventus, Corbeiæ veteris elogium.
Cujus adhuc vernat jam canis ſparſa ſenectus.
Qualis eras cùm Regis opes ADALHARDUS & aulas
Reſpuit, atque tuas albo cum vellere caulas
Ingrediens, primo gradu ſurrexit ab uno.
Hic tibi RATBERTUM genuit, ſapientia cujus
Guttura ditavit dociles ingreſſa receſſus,
Contra Catholicos ne ſibilet impius anguis,
Verus in altari Chriſti de corpore ſanguis
Stillat, & occiſi pro mundo carnibus Agni
Veſcimur in terra, per quod revocamur ad aſtra;
Fitque per hoc epulum Domini mens noſtra ſepulcrum.
Hanc ſcriptura fidem tenuit, quam condidit idem.
Matris Corbeiæ Rector PASCHASIUS ipſe,
Tertius à primo decimus, ſed quartus ab ipſo,
Qui dedit Auſoniis leges & fœdus in armis,
Regni præſidium, lux mundi, gloria Regum,
Et pater & cuſtos ADALHARDUS nobilis Heros.
Hic tuus, ANSCHARI, bonitate magiſter in omni Ex qua prodiit Anſcharius.
Exſtitit, hoc dulces hauſiſti fonte liquores,
Queis inroraſti Sclavos, Danoſque rigaſti,
His aquilone rigens, choriſque nivalibus arens,
Fota madet guttis, fecundaque fruge ſalutis.
Erroris lolium contrivit humus Sueonum,
Inviâ terrarum rivis potantur aquarum.

[a] Nempe pro ſancti Anſcharii reliquiis Fulconi Corbeiæ veteris Abbati tranſmiſſis, de quibus Alberti epiſtola exſtat infrà.

Ann Chr.
dccc lxv
Febr. iii.

Stagnat enim fluviis eremus priùs uſta pruinis:
Per deſerta rubent incultis ſentibus uvæ;
Cum myrtho redolet lignum felicis olivæ.
Cedrus odora comis, abies ſublimis, & ulmus
Collibus incubuere; venuſtat humillima buxus,
Quæ neſcit labi, convalles fronde virenti.
Fontibus irriguis divini gratia roris
Exprimitur, per quam reparatur languidus Adam,
Per torrentis aquas fidei doctrina redundans
Rite figuratur, eremi ſitis unde rigatur:
Spina manum lacerat, Doctoris lingua cruentat
Cor delinquentis verbi mucrone potentis.
Quas Deus infundit, quas mens liquefacta refundit.
De lacrymis animæ, pendent in ſentibus uvæ.
Contuſi myrthus, quæ corporis alligat artus,
Exprimit afflictis affectum compatientis.
Myrthus membra fovet, compaſſio triſtia mulcet,
Pectore propellit curas, animumque reducit.
Et quid elemoſynæ ſpeciem, niſi fructus olivæ
Innuit? hac flammas aſſumit ab arbore lampas,
Et dum diffuſis opibus miſeretur egenis,
Fructus elemoſynæ liquor ut redolentis olivæ
Emicat ante Dei faciem ſplendore perenni:
Quæ cariem neſcit, quæ nulla labe putreſcit,
Quos virtus celebrat ſua, cedrus odora figurat.
Horum tota Dei domus halat odore ſuavi,
Qui meritis operum per ſigna potentia rerum
Chriſti pace vigent, nullaque putredine lucent.
Hirta comis abies ſublimi vertice nubes.
Excreſcendo petit, cælumque cacumine tangit:
Quis tenet hanc ſpeciem; niſi qui trans æthera mentem,
Vibrat, & in terris poſitus caput inferit aſtris?
Ulmus opacat humum, per frondea brachia fructum
Non habet: ipſa tamen portat cum germine vitem.
Divitiis mentes ut frondibus exuberantes
Ex mundi culmo, portendi remur ab ulmo.
Sed quamvis terræ famulantes germina ferre
Virtutum nequeunt, juſtis umbracula fiunt,
Quos dum ſuſtentant, botrum cum palmire portant.
Buxus nec fructum profert, neque creſcit in altum;
Eſt tamen hyrtarum fecunda virore comarum.
Imbecilla per hac ſpeciem prætenditur ætas,
Quæ ſi cum fructu non tollit ad alta cacumen,
Sed tamen æternum fidei tenet ipſa virorem.
Quid virgulta per hæc diſcurrit ſermo poëtæ?
Quidve per exceſſum perſtringit verba prophetæ?
Rite ſub arboribus typicum paradigma ciemus.
Namque per Anscharium Dominum plantaſſe videmus
In Danis hortum virtutis odore refertum.
Cum cedro ſpinam, cum myrtho ſevit olivam.
Hæc fragrat, hæc pungit, micat hæc, ea membra. . . .,
Nam redolet virtus, fit enim correctio clavus;
Fit medicina dolens, miſerans jubar, & liquor ungens.
Alta petens abies, ulmus frondoſa vireſcens,

Buxus ut accumulent, horti ſpecioſa cohærent. ANN. CHR. DCCCLXV FEBR. III.
Hac theoria videt, hac vitis ab arbore pendet,
Hac viret alma fides, quæ nec ſub ſidere Canis
Æſtuat, hiberno nec marcet frigore Tauri.
Ergo per Anſcharium glacialis & invia tellus
Danorum Domini frondeſcit uti paradiſus.
Occidit umbra nocens, feralis ſilva comantes
Ramos depoſuit, luti cecidere vacantes
Uſibus errorum: latebræ patuere magorum.
Exceſſit cultura deûm polluta cruentis
Officiis pecudum, jam non fuit augur in extis.
Omnis in Eccleſiæ populus ſacramenta cucurrit.
Reppulit omne nefas, Chriſto ſua colla ſubegit.
Imperat in terris Deus, exſulat invidus anguis.
At qui barbariem domuit, qui propulit hoſtem,
Signifer & Domini præcurſor in urbe Bremenſi
Tranſque Albin regnat, ſed Gallica rura ſerenat,
Pignoribuſque ſuis ditat cunabula matris.
Unde pater dignè grates, ALBERTE, referre Alberti laudes.
Non tibi ſufficimus. meditari quippe nequimus
Quid de te primùm ſit nobis commemorandum.
Si genus occurrit, Regum [a] de ſanguine prodit
Stirpis origo tuæ: ſed nobilitatis opimæ
Fultus apex titulis tranſſcenditur indole mentis,
Præminet imperio ditione hierarchicus ordo,
Altior officii gradus eſt diademate Regni.
Quamvis per Regem conſcendit honoris ad arcem,
Infula Pontificis plus eſt quàm purpura Regis.
Nil tibi detractum, nihil eſt, Alberte, negatum:
Gloria, nobilitas, ſpecies, decus, ampla facultas,
Progenies: quæ prima putat mortalis & ambit.
Omnia ſufficiunt tibi, nil fortuna reliquit,
Quo poſſit niti, quo poſſit opinio tendi.
Quæ partim conferre ſolet natura quibuſque,
Dona ſuæ cumulavit opis locupletiùs in te.
Corporis eſt habitudo decens, jocunda ſenectus,
Cor prudens, mens ſancta [b], fluens dulcedine pectus;
Adſpectu frons læta ſuo, vox blanda loquentis,
Gratior in ſermone favi dulcore loquentis;
Affectu miſeris pietas effuſa benigno!
Larga manus, nulli vultu contracta retorto.
Ergo quid, alme Pater, reparati corporis Iſraël
Currus & auriga, Chriſti libamen & ara;
Tene levem dicam nubem, reſidemve columbam?
Nil defraudabo tibi, nomen utrumque vocabo.
Dum terris cedens animo, cæleſtibus hærens,

[a] Albertum nobiliſſimum vocat Adamus: ſignantiùs verò Chronicon Saxonicum mſ. hæc de eo habet ad annum MXLIII, quò Adalbrando ſucceſſit in annos undetriginta. *Hujus pater fuit* FRIDERICUS *Comes, qui duxit uxorem filiam* DEDONIS *Marchionis junioris, & ex matre* OTTONIS *Marchionis de Orlagemunde: genuitque ex ea hunc Adalbertum Archiepiſcopum, & Dedi & Fridericum palatinos Comites, &c.*

[b] Henſchenius putat Gualdonem hoc loco adblandiri Alberto, uti & Adamum, qui Adalbertum mirificè laudat in lib. 3 cap. 1 & ſeqq. At quàm alienus ab adulandi ſtudio fuerit Adamus, apparet tum ex prædicto cap. 18, ubi eum ait maximè laudabilem fuiſſe ab initio, ſed circa finem deteriorem factum; tum ex cap. 27, ubi ejus vitia generalitè notat. Cùm ergo Gualdo ſub ipſa Pontificis primordia de eo hæc ſcripſeris, citra fucum loqui cenſendus eſt. Lege Adami caput 33, ubi ſinceri Auctoris ſpecimen egregium in ſe præbet.

ANN. CHR. DCCCLXV FEBR. III.

Abdita rimaris hominum dum pectora guttis
Doctrinæ inroras quaſi nubes æthera tranas,
Cùm verò refugis per turpia lucra rotari,
Nec cohibes oculos per devia quæque vagari,
Cùm mitis placidus non exardeſcis in ira,
Ad propriam reſides ſine felle columba feneſtram.
Hæc ſuper urbs Romana tibi ſacravit honorem,
Legatum terram quem fecit in ulteriorem
Sedis Apoſtolicæ primæque Vicarius urbis.
Caſtra Dei metator habes in finibus orbis.
Sic tua majeſtas, adeoque potentia crevit,
Ut rerum dominæ quæ mundi Regna ſubegit,
De ſolio Romæ confidat Epiſcopus in te,
Qui cælos reſerat, qui vincula cuncta reſolvit,
Auſpiciis Patriarcha [a] tuis ad regmina ſurgit.
Ergo tuæ, petimus, memor eſto ſenilis alumnæ.
Ne titubet, ſis turris ei, roburque columnæ,
Quâ nihil in terris fuit excellentius umquam.

Corbeiæ veteris conditio & privilegium.

Extulit hanc BALTILDIS humo Regina puellam,
Fecit ei thalamum genitrix pulcherrima Regum,
Pulcra ſubornavit gemmis, Simonique dicavit
Cum thalamo ſponſam. Petrus illi contulit artam
Libertatis [b] opem, ſibi ne manus æmula dotem
Auferret per vim, vel eam ſubverteret olim.
Nupta ſemel ſoli poſt ſe non nuberet ulli,
Nec ſibi rivalis Præſul foret Ambianenſis,
Neve bonis ſponſæ præſumeret improbus eſſe.
Talibus auſpiciis centum quater hactenus annis
Altrix Anſcharii, conjux Corbeïa Petri,
Quamvis pertulerit diſcrimen, libera manſit.
Verùm quæ quondam viguit quaſi Libana cedrus,
Jam ſenio marcens dependet ut arida quercus,
Sed tamen hæret humo, nec turbine flectitur ullo.
Ergo manum prætende, libenter Epiſcopus urbis
Romanæ decernet ei quodcunque rogabis.
Talem ſe lætetur anus genuiſſe nepotem [c],
Quo tutante ſuam conſervet libera dotem.
Maternis laribus ſacro de corpore pignus
Tranſmiſſum per te, fœdus renovavit utrimque,
Quod Deus æternet nobis, omnique gubernet
Tempore, te mortis, Pater, eripiendo periclis.
Contra naturam quem compulit eſſe poëtam,
GUALDO tibi fidus, ſanctiſſime Præſul, amicus:
Tu ne fortè ſcaber ſtilus informiſve character
Irruget nares doctas, aut differat aures,
Corrige tranſductis abolens errata lituris.

[a] Nempe Clemens Patriarcha ſeu Pontifex Romanus, qui agente Alberto electus eſt, ut ſcribit Adamus in lib. 2 c. 8. *Henricus Rex*, *Romam tractus eſt, comitem habens cum ceteris Imperii Magnatibus & noſtrum Archiepiſcopum, ubi depoſitis qui pro apoſtolica Sede certaverant, Benedicto, Gratiano, & Silveſtro*, ADALBERTUS *Epiſcopus eligi debuit, niſi pro ſe collegam poſuiſſet Clementem*, qui Suitgerus antea dictus, Epiſcopus Bambergenſis, electus anno MXLVII in menſes novem, quo tempore hoc poëma conditum videtur.

[b] Id eſt Privilegium exemtionis à Bertefrido Ambianenſi Epiſcopo primùm conceſſum, quod exſtat in tomo 1 Conciliorum Galliæ.

[c] Non quo Albertus fuerit Monachus Corbeïenſis, cùm ex Præpoſito Bambergenſi creatus ſit Epiſcopus: ſed quod Bremenſis eccleſiæ congregatio ex veteri Corbeia, per Anſcharium duxerit originem. Hinc explica id quod ſuperiùs dixit Auctor de hac Corbeia, quam Alberti *ſenilem alumnam* vocat. Adalbertus tamen ſeu Albertus, Monachus multoties fieri deſideravit, teſte Adamo in lib. 3 cap. 39.

Ann. Chr. DCCCLXV Febr. III.

PROLOGUS.

PRÆSULIS *Anſcharii tenet actus iſte libellus*,
Qualiter altriei quondam tellure profectus.
Sidus uti rutilans, quod noctis nubila pellit,
Diſponente Deo Danorum Regna petivit.
In tenebris mortis gens illa ſedebat & umbra,
Mors erat errorum * populos caligo profunda.
Barbara ſacrilego cultu portenta colebant,
Horrendumque nefas ſub Religionis habebat.
Nondum juſtitiæ ſol luxerat in regione:
Nullus adhuc liquidis baptiſmi merſus in undis
Per ſacramenta piæ fidei deterſerat in ſe
Aut labem propriam, vel quam pater intulit Adam.
Ergo Dei penitus leges miſerabile vulgus
Ignorans, ſacris operum dabat impietatis.
Aſt opifex hominum qui librat pondera terum,
Te, pater Anſchari, Deus illum miſit in orbem,
Ut per te populi diſſolveret impietatem.
Ergo, beate Pater, ſtellanti ſede receptе,
In terra poſitis fer opem fidentibus in te.
Addere pauca tuis amor eſt epigrammata geſtis,
Vela damus pelago, votis, Pater alme, faveto.

* al. populi

CAPUT I.

*Libri principium lacrymas habet * & gaudia miſcet.*
Corbeiæ Patres inprimis rite ſalutant
Diſcipuli patris Anſcharii, gemitumque frequentant,
In partes animi fluctu pietatis aguntur:
Et nunc ad lacrymas, ad gaudia nunc rapiuntur;
Quòd pater occubuit, quòd mortis debita ſolvit
Plangunt & lugent, petiit quia ſidera gaudent,
Ut ſit in exemplum lecturis vita per ævum;
Tradunt notitiæ bona quanta peregerit ipſe.

* al. aſta notandum

II. *Arguit infantem levitatis Virgo vacantem.*
Virtutum meritis primis excrevit ab annis.
Luſtrum fermè puer compleverat, & ſua mater
Ceſſerat humanis, thalamis illata ſupernis.
Tradiderat natum pater artibus erudiendum:
Cum ſociis pueri pariter proclive vagantis
Arguit errantem per ſomnum viſio mentem.
Lubricus & limi locus humens labe tenaci
Infantem quadam ſopitum nocte tenebat,
Ut vix inde ſuum poſſet convertere greſſum:
Sed via propter erat, mulier ſpecioſa per illam
Ibat, eam multas vultu formaque venuſtas
Vidit pone ſequi, matremque ſuam comitari.
Ut tener agnus ovem cupiebat adire parentem,
Sed palus obſtabat, greſſumque movere nequibat;
At mulier ſanctam quam credidit eſſe MARIAM
Dixit ei, Fili, vis eſſe comes Genitrici?

Ann. Chr. DCCCLXV Febr. III.

Otia mundanæ levitatis lubrica ſperne;
Sperne voluptatem, gravitatis habeto rigorem.
Nullus enim noſtri poterit collega videri
Captus ludibrio, quod nos horremus ab illo
Tempore ſe totum puer immutavit in actum,
Ut vitæ ſpecies ſociis mirabilis eſſet.

III. *Principis interitus Monachi deterruit actus.*
Cæſariem tonſus poſt hæc, Monachúmque profeſſus,
Cœperat in ſtudiis ſancti torpere rigoris.
Cùm ſubitò Regem CAROLUM cognovit obiſſe,
Et vitæ ſceptriſque modum ſimul impoſuiſſe.
Regis deceſſu gravis illum terruit horror.
Rurſus & in totis incanduit oſſibus ardor;
Rurſus amore Dei cœpit langueſcere juſtus.
Prorſus cœpit ei florens areſcere mundus.
Venerat ergo dies omni pietate celebris,
In quo diſcipulos quondam ſacer imbuit ignis.
Nox erat, & ſomnus languentes ſolverat artus,
Cùm ſubitò ſeſe moriturum cernit, & ipſe
Horreſcens mortem, Petrum vocat atque Johannem.

IV. *Occurrunt hilares animæ Petrus atque Johannes.*
Jámque per exceſſum de corpore raptus abibat,
Splendidiórque virum ſpeciei & vultûs obibat,
Ecce repentè viri forma cultúque verendi
Apparent; unus cano planóque capillo
Jam ſenior, miti vultu faciéque rubenti;
Veſte coloratus, habitu brevis & moderatus.
Indicio formæ Petrum cognovit adeſſe.
Alter erat longus, juvenis, macer, ore ſerenus;
Tuſca cæſarie, criſpus, barbatus, habénſque
Purpuream veſtem, quem credidit eſſe Johannem.
Hi circumſtantes animam per luminis auram,
Ad quemdam duxere locum, qui torridus igne
Flammivomo verè ſibi purgatorius eſſe
Conſtiterat, nullo narrante quid eſſet. in illo
Demiſſus tot ſuſtinuit tormenta malorum,
Inter preſſuras denſóſque globos tenebrarum,
Immemor ut mundi vix ſufficeret meditari,
Quî tam difficilis potuiſſet pœna parari.

APPENDIX

De ſancti Anſcharii reliquiis, epiſtola, aliiſque monumentis.

1. Sancti Anſcharii *reliquiæ quædam Bremæ in privatis ædibus adſervantur, quædam in utroque Corbeienſi Monaſterio, Gallicano & Saxonico. in Gallicano quidem os brachii ejus ſcrinio argenteo incluſum. quod Fulconi Abbati Adalbertus Bremenſis cum epiſtola inferiùs edita dono tranſmiſit circiter annum* M XLVIII. *in Saxonico verò nonnullæ particulæ, quas Vicelinus Bremenſis Canonicus, cum conſenſu Friderici Epiſcopi ſui Monachis contulit procedente ſæculo* XII, *ut ad Vitam ſancti Willehadi obſervatum in Sæculo* 3. *In mſ. Martyrologio Corbeiæ Gallicæ hæc leguntur:* Kal. Martii exceptio reliquiarum ſancti Anſcharii Hammaburgenſis Archiepiſcopi. *quæ verba de prædicto brachii oſſe intelligenda videntur. Adalbertus in ſuis litteris meminit cujuſdam tranſlationis, de qua nihil dicendum occurrit.*

2. *Præterea Nicolaus Serarius tradit in rerum Moguntiacarum lib. 3 Notatione 23, anno* M DC III *altare portatile, quo ſanctus Anſcharius uti ſolebat, è Saxonia Moguntiam allatum fuiſſe, in eamdemque poſt piè relatum: in quo ipſe ſacris operatus ſit.* ANN. CHR. DCCC LXV FEBR. III.

3. *Supereſt ut ſancti Anſcharii epiſtolam, quæ una è multis ad nos pervenit, hic referamus, una cum diplomate Ludovici Auguſti de ordinatione Anſcharii, & litteris Gregorii Papæ quarti eam ratam habentis. quas litteras primus edidit Erpoldus Lindembrogius cum Adami hiſtoria, & poſt eum Philippus Cæſar in Triapoſtolatu. atque Henſchenius in Februario Bollandiano. Exſtant & aliæ Leonis Papæ quarti litteræ apud Lindembrogium, quibus Pontifex Anſchario uſum pallii concedit, mitra & crucis ante eum delationem. Verùm eæ litteræ ſuſpicionis expertes non ſunt, tum quia* beatiſſimo Anſchario *inſcribuntur. tum quia earum non meminit Nicolaus in ſuis, qui Gregorianas laudat. tum quia illas Philippus Cæſar non retulit. Nicolai litteras hic omiſi, eo quòd majori ex parte à Remberto relatæ ſint in Vita ſuperioris num. 39.*

Anscharii epistola.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Anscarius gratiâ Dei Archiepiſcopus, omnibus ſanctæ Dei Eccleſiæ Præſulibus in regno dumtaxat Ludowici Regis commanentibus. Noſſe vos cupio, quia in hoc libello continetur, qualiter Ebo Remenſis Archiepiſcopus, divino afflatus Spiritu, temporibus domini Ludowici Imperatoris, cum conſenſu ipſius ac pæne totius regni ejus Synodi congregatæ, Romam adiit; ibique à venerabili Papa Paſchali publicam evangelizandi licentiam in partibus Aquilonis accepit. & qualiter poſtea Ludowicus Imperator hoc opus ſublimavit, ſeque in omnibus largum præbuit & benivolum; & cetera quæ huic legationi contigerunt. Quapropter ſuppliciter deprecor, ut apud Deum intercedatis, quatenus hæc legatio creſcere & fructificare mereatur in Domino. Jam enim Chriſto propitio & apud Danos, & apud Sueones Chriſti fundata eſt Eccleſia, & Sacerdotes abſque prohibitione proprio funguntur officio. Precor etiam ut has litteras in bibliotheca veſtra ad perpetuam memoriam reponi faciatis; & prout locus dictaverit, tam vos quàm ſucceſſores veſtri, ubi utilitatem perſpexeritis, notum omnibus iſtud faciatis. Omnipotens Deus faciat vos omnes hujus operis piâ benivolentiâ participes, & in cæleſti gloria Chriſti coheredes.

Hos poſtremos verſus citat Adamus in hiſtoria lib. 1 cap. 31. de hac etiam epiſtola loquitur Rembertus in Vita præmiſſa num. 69.

Ludovici Pii Præceptum
De miſſione S. Anſcharii ejuſque ordinatione.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jesu-Christi, Ludowicus divina propitiante clementia Imperator Auguſtus. Si ſpecialibus cujuſque fidelium noſtrorum neceſſitatibus perſpectis, ſubveniendum eſſe imperialis auctoritas monſtrat, quantò magis ad debitam generalitatis providentiam æquum dignumque pertinet, ut & Eccleſiæ Catholicæ atque Apoſtolicæ, quam Chriſtus ſuo pretioſo ſanguine redemit, eamque nobis tuendam regendamque commiſit, piam ac ſollicitam in cunctis oporteat gerere curam; & ut in ejus provectu vel exaltatione congruam adhibeamus diligentiam, novis ad ejus neceſſitatem vel utilitatem atque dignitatem pertinentibus rebus, nova, imò neceſſaria & utilia provideamus conſtituta. Idcirco ſanctæ Dei Eccleſiæ filiis, præſentibus ſcilicet & futuris, certum eſſe volumus, qualiter divina ordinante gratia noſtris in diebus, Aquilonalibus in partibus, in gente videlicet Danorum ſive Sueonum, magnum cæleſtis gratia prædicationis ſive acquiſitionis patefecit oſtium: ita ut multitudo hinc inde ad fidem Chriſti converſa myſteria cæleſtia eccleſiaſticaque ſubſidia deſiderabiliter expeteret. Unde Domino Deo noſtro laudes immenſas perſolventes extullimus, qui noſtris temporibus & ſtudiis ſanctam Eccleſiam, ſponſam videlicet ſuam, locis in ignotis ſinit dilatari atque proficere. Quamobrem unà cum Sacerdotibus ceteriſque Imperii noſtri fidelibus, hanc Deo dignam cernentes cauſam valde neceſſariam atque futuræ Eccleſiæ dignitati proficuam; dignum duximus, ut locum aptum noſtris in finibus evidentiùs eligeremus, ubi Sedem epiſcopalem per hoc noſtræ auctoritatis præceptum ſtatueremus: unde omnes illæ barbaræ nationes æternæ vitæ pabulum faciliùs uberiuſque capere valerent, & ſitientes ſalutis gratiâ præ manibus vel oculis haberent inceſſanter, inſuper & magnorum progenitorum ſacra lucrandi ſtudia noſtria in diebus numquam deficerent. Genitor etenim noſter glorioſæ memoriæ Karolus omnem Saxoniam eccleſiaſticæ religioni ſubdidit, jugumque Chriſti adoſque ad terminos Danorum atque Slavorum, corda ferocia ferro perdomans, docuit. Ubi inter has utraſque Gentes, Danorum videlicet ſive Wandalorum ultimam Saxoniæ partem ſitam, & diverſis periculis, temporalibus videlicet & ſpiritualibus, interjacentem proſpiciens, pontificalem ibidem Sedem fieri decrevit trans Albiam. Unde poſtquam terra Nordalbingorum laxata captivitate, quam ob multam perfidiam in ipſis Chriſtianitatis initiis patratam per ſeptennium paſſi ſunt, ne locus ille à barbaris invaderetur, Egberto Comiti, reſtituere præceperat,

Ann.Chr. DCCCLXV Febr. III.

non jam vicinis Epiſcopis locum illum committere voluit. Sed ne quiſquam eorum hanc ſibi deinceps Parochiam vindicaret, es remotis Galliæ partibus quemdam Epiſcopum Amalarium nomine, direxit, qui primitivam Eccleſiam ibidem conſecraret. Sed & eidem Eccleſiæ ſacras Reliquias ac plura eccleſiaſtica munera pia largitate ſpecialiter deſtinare curavit. Poſtmodum verò captivis optatam ad patriam undique confluentibus, eamdem Parochiam cuidam Preſbytero, Heridac nomine, ſpecialiter commendavit, quem univerſæ Nordalbingorum eccleſiæ, videlicet ne ad ritum relaberentur gentium, vel quia locus ille lucrandis adhuc gentibus videbatur aptiſſimus, diſpoſuerat conſecrari Epiſcopum, ut ipſa occaſione vel auctoritate ſumma in ipſis terminis gentium, ſedulitate prædicandi ſancta multiplicaretur Eccleſia, dum vicinorum ipſius novitatis Epiſcoporum multa latitudinis cura non ſufficiebat, diſcurrere per omnia. Delegavit etiam eidem Preſbytero quamdam cellam, Hrodnace vocatam, quatinus eidem loco periculis undique circumdato fieret ſupplementum. Sed quia conſecrationem jam dicti viri velox ex hac luce tranſitus pii genitoris noſtri in diebus ejus fieri prohibuit: ego autem, quem divina clementia in ſedem Regni ejus aſciverat, cùm in multis Regni diſponendis negotiis inſiſterem; hoc quoque prædicti patris mei ſtudium Regni in finibus peractum minùs cautè attenderem, ſuadentibus quibuſdam jam dictam cellam ad Indam Monaſterium contuli, vicinam verò Parochiam vicinis Epiſcopis interim commendavi. Nunc autem tam propter ſuprà ſcripta eccleſiaſtica lucra in Gentibus demonſtrata, quàm & propter votum pii genitoris noſtri, ne quid ejus ſtudii imperfectum remaneat, ſtatuimus unà cum conſenſu eccleſiaſtico, præfata ultima in regione Saxonica trans Albiam in loco nuncupato Hammaburg cum univerſa Nordalbingorum provincia Eccleſiæ proprii vigoris conſtituere ſedem. Cui & primum præeſſe atque ſolenniter conſecrari per manus Drogonis Mettenſis & ſummæ ſanctæ Palatinæ dignitatis Præſulis, Anſgarium fecimus Archiepiſcopum, aſtantibus Archiepiſcopis Ebone Rhemenſi, Hetti Trevirenſi, & Otgario Mogontiacenſi, cum plurimis aliis generali in conventu totius Imperii noſtri Præſulibus congregatis, aſſiſtentibus quoque ſpecialiter & conſentientibus atque conſecrantibus, Helingaudo ſive Willerico Epiſcopis, à quibus jam dictæ Parochiæ partes à nobis ſibi olim commendatas recepimus. Cui, videlicet Anſgario, quia præfatis in Gentibus hæc noſtris in diebus digniſſima in convocatione Gentilium vel redemtione captivorum monſtrata ſunt lucra, tam noſtra quàm ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Sedis auctoritate hanc Deo dignam in Gentibus commiſimus legationem, ac proprii vigoris adſcribere decrevimus dignitatem. Et ut hæc nova conſtructio periculoſis in locis cœpta ſubſiſtere valeret, nec prævalente barbarorum ſævitia deperiret, quamdam cellam *Turholt* nuncupatam tam huic novæ conſtructioni perenniter ſervituram, quàm ſuæ ſucceſſorumque ſuorum in Gentibus legationi ad noſtram noſtræque ſobolis perpetuam mercedem divinæ obtulimus Majeſtati. Homines quoque qui ejuſdem cellæ beneficia habere videntur ab omni expeditione vel militia ſive qualibet occupatione abſolvimus, ut idem venerabilis Epiſcopus ad hanc Deo dignam peragendam in proviſis temporibus legationem nullum in hoc patiatur impedimentum: dona verò quæ ex eadem cella noſtris partibus dare ſolebant, & nobis quoque ſucceſſoribuſque noſtris ſimiliter dari volumus. His exceptis majus minuſve in convocatione paganorum, vel redemtione captivorum, ſive ejuſdem Sedis ſupplemento multimodis periculis circumdato, vel ibidem Deo militantium ſolatio, ob amorem Dei ac beati Sixti Confeſſoris ejus perpetuò delegamus. Res quoque præfatæ Sedis & præſcripti Monaſterii ſub pleniſſima defenſione & immunitatis tuitione volumus ut conſiſtant ac tueantur: ita ut nullus judex publicus aut alia quælibet poteſtate publica prædita perſona de eorum rebus freda, tributa, manſionaticos, vel paratas, aut teloneum, vel fidejuſſores tollere, aut homines ipſorum tam litos quàm & ingenuos, ſuper terram eorum manentes diſtringere; nec ullas publicas functiones, aut redibitiones, vel illicitas occaſiones requirere vel exigere præſumat. Sed liceat prædicto venerabili Epiſcopo ſuiſque ſucceſſoribus, ac omni Clero ſub eorum regimine conſtituto, quietè in Dei ſervitio degere, & pro nobis prolequè noſtra, atque ſtatu totius Imperii noſtri, divinam miſericordiam exorare. Et ut hæc auctoritas ſui vigoris perpetuam obtineat firmitatem, manu propria ſubter eam firmavimus, & annuli noſtri impreſſione ſignare juſſimus. Data Idus Maii, anno Chriſto propitio XXI. Imperii Domini Ludowici Piiſſimi Auguſti, Indictione XII. Actum Aquiſgrani Palatio Regio, in Dei nomine feliciter, Amen.

Exemplar Decreti

Venerandæ memoriæ Gregorii Papæ IV. de eadem re.

GREGORIUS Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei. Omnium fidelium dinoſcentiæ certum eſſe volumus, qualiter beatæ memoriæ præcellentiſſimus Rex Karolus tempore prædeceſſorum noſtrorum divino afflatus Spiritu gentem Saxonum ſacro cultui ſubdidit, jugumque Chriſti, quod ſuave ac leve eſt, adusque terminos Danorum ſive Slavorum corda ferocia ferro perdomans docuit, ultimamque Regni ipſius partem trans Albiam inter mortifera paganorum pericula conſtitutam, videlicet ne ad ritum relaberetur Gentilium, vel etiam quia lucrandis adhuc Gentibus aptiſſima videbatur, proprio epiſcopali vigore ſubdere decreverat.

creverat. Sed quia effectum mors probibuerat, ſuccedente ejus præcellentiſſimo filio Ludowico, Imperatore Auguſto, pium ſtudium ſacri genitoris ſui efficaciter implevit. Quæ ratio nobis per venerabiles Ratoldum ſive Bernodum Epiſcopos, necnon & Geroldum Comitem vel Miſſum venerabilem, relata eſt confirmanda. Nos igitur omnem ibi Deo dignam ſtatutam providentiam cognoſcentes; inſtructi etiam præſentiâ Fratris filnque noſtri Anſgarii, primi Nordalbingorum Epiſcopi, per manus Drogonis Metenſis Epiſcopi conſecrati, ſanctum ſtudium magnorum Imperatorum tam præſenti auctoritate, quàm etiam Pallii datione more prædeceſſorum noſtrorum roborare decrevimus: quatenus tanta auctoritate fundatus prædictus filius noſter ejuſque ſucceſſores lucrandis plebibus inſiſtentes adverſus tentationes diaboli validiores exiſtant. Ipſumque filium noſtrum, jam dictum Anſgarium Legatum in omnibus circumquaque gentibus Sueonum ſive Danorum, necnon etiam Slavorum, vel in ceteris ubicumque illis in partibus conſtitutis divina pietas oſtium aperuerit, unà cum Ebone Rhemenſi Archiepiſcopo, ſtatuentes ante corpus & confeſſionem ſancti Petri, publicam evangelizandi tribuimus auctoritatem: ipſamque ſedem Nordalbingorum, Hammaburg dictam, in honore Salvatoris ſanctæque ejus & intemeratæ genitricis ſemper virginis Mariæ conſecratam, archiepiſcopalem deinceps eſſe decernimus. Conſecrationem verò ſuccedentium Sacerdotum, donec conſecrantium numerus augeatur ex Gentibus, ſacræ Palatinæ providentiæ interim committimus. Strenui verò prædicatoris perſonæ, tantoque officio aptæ, eligatur ſemper ſucceſſio. Omnia verò à venerabili Principe ad hoc Deo dignum officium deputata, patriâ etiam pia ejus vota auctoritate firmamus: omnemque reſiſtentem vel contradicentem anathematis mucrone percutimus, atque perpetua ultione reum diabolica ſorte damnamus; ut culmen apoſtolicum more prædeceſſorum noſtrorum, cauſamque Dei pio affectu zelantes ab adverſis hinc inde partibus tutiùs muniamus. Et quia te, cariſſime fili Anſgari, divina clementia nova in ſede primum diſpoſuit eſſe Archiepiſcopum, nos quoque Pallium tibi ad Miſſarum ſolemnia celebranda tribuimus, quod tibi in diebus tuis, uti & eccleſiæ tuæ perpetuo ſtatu manentibus privilegiis, uti largimur. Idcirco hujus indumenti honor morum à te vivacitate ſervandus eſt. Si ergo paſtores ovium ſole geluque pro gregis ſui cuſtodia, ne qua ex eis aut errando pereat, aut ferinis lanianda morſibus rapiatur, oculis ſemper vigilantibus circumſpectant; quanto ſudore quantaque cura debeamus eſſe pervigiles, nos qui paſtores animarum dicimur, attendamus; & ne ſuſceptum officium in terrenis negotiis aliquatenus implicare debeas, ammonemus. Vita itaque tua filiis tuis ſit via: in ipſa, ſi qua tortitudo illis ineſt, dirigant; in ea, quod imitentur, aſpiciant; in ipſa, ſe ſemper conſiderando, proficiant, ut tuum poſt Deum videatur eſſe bonum, quòd vixerint. Cor ergo tuum neque proſpera, quæ temporaliter blandiuntur, extollant, neque adverſa dejiciant; diſtrictum mali cognoſcant; pium benivoli ſentiant. Inſontem apud te culpabilem malitia aliena non faciat; reum gratia non excuſet. Viduis ac pupillis injuſtè oppreſſis defenſio tua ſubveniat. Ecce, Frater cariſſime, inter multa alia iſta ſunt Sacerdotii, iſta ſunt Pallii; quæ ſi ſtudioſè ſervaveris, quod foris accepiſſe oſtenderis, intus habebis. Sancta Trinitas Fraternitatem veſtram diu conſervare dignetur incolumem, atque poſt hujus ſæculi amaritudinem ad perpetuam perducat beatitudinem.

Ann. Chr. DCCC LXV Febr. ſis.

Litteræ Adalberti

Archiepiſcopi Hamaburgenſis ad Fulconem Abbatem Corbeiæ veteris, quibus ſocietatem cum eo renovat, & Reliquias S. Anſcharii pollicetur.

Ex mſ cod. Corbeienſi n. 295.

A. ſanctæ Romanæ & apoſtolicæ Sedis Legatus. . . . . Septemtrionalium . . . . Archiepiſcopus, Hammaburgenſis quoque eccleſiæ Proviſor indignus, F. excellentiſſimo Patri fidelem orationem & perpetuam dilectionem. Geminas, Patrum ſanctiſſime, immo jugiter in Chriſto amande, cauſas eſſe conſpicimus, quibus perſuadentibus amicitiam tuam pariter & fidem diu optatam jure expetimus. Te enim nobis non modò incremento non indigens, verùm meritò cunctis imitanda virtus tua conjungit & copulat. Sed & locorum noſtrorum vetus nos concordia indiſſolubili modo altrinſecus ligat: quia ſanctiſſimus Patronus noſter Ansgarius nobiſcum converſatus, divina diſponente clementia noſtræ Sedi primus eſt inthronizatus Archiepiſcopus, qui & verbum vitæ noſtris partibus intulit, & univerſitatem Freſonum, Danorum, Sclavorum, Norvingorum, Sueonum cum ceteris innumerabilibus ad Fidei ſacramenta prædicando convertit. Quæ quidem apud nos ſcripta, vobis credimus eſſe notiſſima. Igitur tantum Patrem inter nos medium ponimus, & fœdus perpetualiter obſervandum tecum inimus, rogantes ut noſtri noſtrorumque fraternitas & memoria veſtro in loco habeatur, & veſtra ſimiliter memoria apud nos idem ſortiatur. Quod quidem facientes, nobis noſtriſque temporibus celeberrimum quid attribuimus, quæ tanto fidei & concordiæ bono inſignia reddimus. Nuntium tuum in proxima æſtate nobis dirigito, per quem & cartam, omnia hæc, ſcilicet alternam memoriam & fraternitatis titulum, continentem deſtinare memento. Per ipſum autem Reliquias tibi ejuſdem ſancti Patris noſtri Anſgarii & tranſlationem mittemus. Vale.

CIRC. ANN. DCCC LXV APRILIS XXVI.

S. PASCHASII RADBERTI ABBATIS CORBEIENSIS IN GALLIA ELOGIUM HISTORICUM.

CAPUT I. Radberti vita, natale ſolum, educatio.

1. TANTA *fuit* PASCHASII RADBERTI *apud homines ſui temporis exiſtimatio, ut* ENGELMODUS *Sueſſionenſis Epiſcopus carmen condiderit de ejus laudibus, eidemque adhuc viventi nuncupaverit. Præter Engelmodum Abbas piiſſimus multos habuit laudatores, ut inferiùs dicam: nullum verò, qui res ab eo geſtas accuratè in litteras retulerit. Vir quippe modeſtia ſingularis*, cùm obitum ſuum præſenſiſſet imminere, convocatis Fratribus extremum vale dicens, ne quid de vita ſua ſcriberetur, dicitur interdixiſſe, *teſtante Antonio de Caulincurte in Corbeienſi Chronico mſ. quod ſuperiori ſæculo ineunte conditum eſt. Engelmodi de Radberto poematium, rude prorſus & obſcurum, quod ipſius Radberti operibus à Sirmondo præmiſſum eſt, non viſum eſt tanti ut hìc recuderetur; ſed ſatis eſſe duxi, ſi inde, quæ ad illuſtranda viri ſancti geſta faciunt, hoc in Elogio delibarem.*

2. *Natus eſt Radbertus in pago Sueſſionico, aut forſan in ipſa urbe, parentibus ignotis. Cùm enim in Monaſterio B. Mariæ ejus urbis Deo puer conſecratus ſit, id argumento eſt, eum indigenam Sueſſionenſem fuiſſe. Suſpicatus ſum aliquando, virum ſanctum ortum eſſe apud Baſilicas* * *opidulum Sueſſionici pagi, ea motus ratione, quòd petentibus ejus loci incolis librum de vita & paſſione ſanctorum Rufini & Valerii expolierit. Fallitur certè Chronographus Corbeienſis prælaudatus, cui* Ratbertus Paſchaſius natione Romanus, in ordine Diaconorum ſeptimus *fuiſſe dicitur, & à beato Adalhardo in Galliam adductus. In idem erratum impegit Menardus noſter, & alii nonnulli. Errandi occaſio nata mihi videtur ex communione nominis & ordinis Paſchaſii S. R. E. Diaconi tempore Symmachi Papæ, qui tamen Paſchaſius annis trecentis ſuperior fuit Paſchaſio noſtro. Quidquid ſit, proprium huic nomen erat* RADBERTO, *quo nomine ſubſcribit Synodo Pariſienſi, eidemque ſcribit Lupus: adſciticium* PASCHASIO, *quod agnomen proprio nomini præponere ipſe ſolet, ut in epiſtola ad Carolum Calvum inferiùs referenda.*

* Baſoches

3. *A tenerioribus annis educatus eſt in Sueſſionico Virginum Benedictinarum Cœnobio beatæ Mariæ ſacro: cujus Parthenonis hiſtoriam recèns compoſuit noſter Michaël Germanus, ſtudiorum meorum ſocius & adjutor. Iſtius beneficii Paſchaſius meminit non ſemel in lucubrationibus ſuis, nempe in expoſitione Pſalmi 44, & in libello de virginitate beatæ Mariæ: quod utrumque opus prædictis Sanctimonialibus dedicavit in grati animi monumentum. His enim in locis ſe earum* alumnum *profitetur, maximè in epiſtolis nuncupatoriis. Accedit Engelmodi teſtimonium in poëmatio, ubi de iſtis Virginibus agit in hunc modum.*

His etenim temet vegetandum providus auctor
Imperio qui cuncta tenens excelſa vel ima,
Æterna ratione tegit quod condidit ipſe;
* Legavit tenerum, cùm prima crepundia matris,
Quæ genuit, nigri faſcirent tegmina panni,
Expoſitúmque vorax ambiret mortis imago.

Ex his verſibus obſcurè intelligimus, Radbertum puerulum matre orbatum, in vitæ diſcrimen incidiſſe: ob idque expoſitum pro more illorum temporum, quaſi deplora-

tum; aut certè in ædem virginis Deiparæ illatum ſanitatem recepiſſe, & Sanctimonialium providentia cælitus commiſſum. Circ. ann. DCCC LXV Aprilis XXVI.

II. Ejuſdem tonſura, vita ſæcularis, & monaſtica.

4. Eo *in Parthenone conſtitutus Radbertus, corona clericali inſignitus eſt, uti ipſe fatetur initio libri tertii de expoſitione Pſalmi quadrageſimi-quarti, Engelmodo his verſibus concinente poſt prædicta.*

Germine quæ ſupero divini ſanguinis ortæ,
Angelicique chori conferta dote gregales,
Te quoque concivem cæli ſuper ardua raptum
Rite miniſteriis aptarunt cunctipotentis.

Audiendus Sanctus ipſe in loco mox citato Sueſſionenſes alloquens Sanctimoniales. Idcirco, dilectiſſimæ, dum perpendo excellentiam veſtram, dum conſidero ſponſalitatis jura & laudes ubique divinas; vereor loqui, ne fortè offendam in quibus placere deſidero, ſi non debitam exhibuero reverentiam meis ubique in ſcriptis. quas ſic in cælo, ubi nomen dediſtis, intelligo honoratas, ut non ſolùm ſponſæ, verùm etiam flores Eccleſiæ & ornamentum Sponſi ſitis. Quas cùm in dexteris benigniſſimi Dei & Salvatoris noſtri Chriſti contueor multiplici varietate decoratas, ingemiſco valde, eo quòd CORONAM quam ſuſceperam puerulus coram ſancto altare Genitricis Dei, veſtris cum precibus & officio laudis, quo veſtra ſponſo Deo Regi immortali corda conſecrantur & capita; longè diu exſulatus in ſæculo perdidi eam, coinquinatus multis mundanis actibus.

5. *Humili ac modeſta hac confeſſione docet nos vir ſanctus, ſe ex eo Monaſterio diſceſſiſſe in ſæculum, in quo* mundanis actibus *dederit operam, in clericali, an laicali vita; atque multum temporis hoc in vitæ genere conſumſiſſe. Quam ob rem ita ſubdit:* Unde rogo ſauciatus, dum corda ſurſum ſublevatis, ante vobis jam conceſſam divinitatis gratiam mei memores ſitis exorando, quatenus veſtris intervenientibus meritis clementiſſimus Judex pœnas à me debitas removeat, reddatque pius coronam perditam.

6. *Poſtea Radbertus ſæcularis vitæ pertæſus, ſeceſſit in Corbeienſe Monaſterium, in quod admiſſus eſt (teſtante Gualdone Monacho in Prologo libelli de vita S. Anſcharii) à S. Adalhardo Abbate, quem ſuum ipſius magiſtrum ac præceptorem paſſim appellat. Eo in loco litteras excoluit tantâ induſtriâ, ſedulitate ac pietate, ut ipſe poſtmodum ſodalibus ſuis præceptor fuerit approbatus, magnamque ſui exiſtimationem promeruerit apud omnes. Corbeiam Radberti ætate,* inquit Sirmondus, *cùm plurima illuſtrarint, haud ſcio tamen an Radberto ipſo quidquam fuerit illuſtrius, viro ſcientiâ & integritate atque omnibus religioſiſſima ſanctiſſimaque vita inſignibus præſtantiſſimo: cujus & ſapientia ceteri doctiores, & exemplo ſanctiores, & ſtudio ac vigilantiâ, cùm omnibus præeſſet, excitatiores fuerunt.*

III. Præceptoris munus, exercitia, diſcipuli, ac legationes.

7. RADBERTUS *litteras humaniores non leviter attigerat, ut conſtat legenti ejus ſcripta, in quibus profanos auctores aliquando in medium adducit: nec dubito, quin etiam alios ejuſmodi imbuerit diſciplinis. Et eas quidem diſciplinas quantum neceſſarium fuit, ad animi ſui aliorumque informationem addidicit: at potiſſimum ejus ſtudium fuit in ſacra Scripturæ ſanctorumque Patrum lectione ac meditatione. Hinc eſt quòd diebus ſollemnibus Evangelium coram ſodalibus ſuis ediſſerebat nondum Abbas: cujus rei fidem facit Prologus in Matthæum ad Guntlandum Monachum.* Dum ſacræ profeſſionis obedientiâ, *inquit*, coram Fratribus Evangelium, uti conſuetudinis eſt, diebus ſollemnibus, licèt inelimato loquendi genere, exhortandi magis gratiâ tractaretur; cœperunt nonnulli eorum

Circ. ann. DCCC LXV Aprilis XXVI.

religione ferventes inſtanti devotione frequenter expoſcere, nec, ſi poſſem, intendentes, beati Matthæi Evangeliſtæ textum narrationis per ordinem explicarem.

8. *Omnina verò in ſtudiis ac ſcriptis ſuis vir ſanctus nullum prætermittebat officium monaſticæ vitæ: ſed* furtivis horis, *uti ipſe ait in prædicto Prologo*, quia ſub hac diſciplina aliter non vacat, ſcribendi diligentiam perſolvebat. *Quippe videbatur ei* nulla in præſentiarum actio beatior aut verior, quàm angelicis intereſſe officiis, & divinis admiſceri colloquiis, & adſpectibus præſentari. *Hæc enim ejus verba ſunt initio Prologi in expoſitionem pſalmi 44. In omnibus otium maximè deteſtabatur, ratus conceſſum eſſe Monachis otium & ſolitudinis opportunitatem*, non ut ignaviter torpeamus, ſed ut meditemur in mandatis Dei, in laudibus & contemplatione divina, in Scripturis ſacris, in lege & Prophetis, in Evangelio & doctrina Apoſtolorum, in traditionibus ſanctorum Patrum, ſi quo modo quæ novimus, Chriſto exhibeamus. *Huc ferè omnia ſua direxit ſtudia & lucubrationes omnes, nimirum ut ſupinam otioſitatem vitaret, quod poſtea uberiùs dicendum erit.*

9. *Diſcipulos quamplures habuit Radbertus in Academia Corbeienſi, quos inter inſigniores fuere* ADALHARDUS *junior, ſenioris diſcipulus ac vicarius in regimine Monaſterii;* S. ANSCHARIUS, *nationum Septemtrionalium Apoſtolus;* HILDEMANNUS, & ODO, *ambo unus poſt alterum Bellovacenſes Epiſcopi, intermedio Hermenfrido;* WARINUS *Corbeiæ novæ pòſt Abbas, aliique permulti.*

10. *Inter hæc varias obiit legationes, peregrinationeſque. Anno quippe* DCCC XXII causâ novi Cœnobii (*ſic ipſe loquitur in lib. 1 de vita Walæ cap. 7*) *in Saxoniam, ut ſcilicet Corbeia nova conditio abſolveretur, profectus eſt unà* cum Antonio & Arſenio, *id eſt Adalhardo Abbate & Wala ejus fratre:* quorum is comes fuit in omnibus ſpecialis, & quaſi tertius inter eos in omni negotio, *ex ejuſdem libri cap. 54. Dein anno* DCCC XXVI, *cùm mortuo Adalhardo Abbate Corbeiæ Gallicæ Monachi in Walam ſuffragia ſua contuliſſent; ipſe miſſus eſt ad Ludovicum Auguſtum, ut iſtius electionis confirmationem ab eo impetraret.* Defuncto Antonio, *inquit Radbertus in libri jam citati cap. 15*, paullo pòſt ſubſtituitur Paſtor eximius ejus in loco: ob cujus nimirum electionem à Fratribus egomet directus, mox obtinui apud Auguſtum, quod olim omnes optabant. *Quo in munere cuidam Optimatum interroganti, cur hominem tam ſeverum elegiſſent; reſpondit inter alia Paſchaſius, eum præferri oportere*, non qui poſt tergum eat, ſed potiùs eum qui præcedat. *Nec ſolùm à domeſticis, ſed etiam âb ipſo Ludovico Auguſto publicis negotiis adhibebatur. Anno enim* DCCC XXXI *ab eo in Saxoniam causâ ſacræ (ut puto) expeditionis, quæ per Anſcharium in populos Septemtrionales, procurante Imperatore, tum fiebat, legatus eſt, ex ejuſdem libri cap. 8. unde* cùm remeando Agripinam veniret, *comperit Walam* exilium tuliſſe pro munere. *Denique Wala exſulante prope* Limanium lacum, *ipſe* ab *eodem* Auguſto directus *eſt* ob eccleſiaſticarum rerum & monaſticarum negotia, *ex lib. 2 cap. 10. Quo verò in loco ipſum habuerit Wala, quantique ipſius conſilia fecerit; inde conſtat, quòd nuſquam ferè ſine eo, aut iter agebat, aut negotia tractabat. Hunc quippe ſocium habuit tum in comitiis regni Juditha causâ convocatis, ex ejuſdem lib. capitibus 9 & 10. tum in profectione ad Gregorium Papam IV, ex capitibus 15 & 16. Nihil tamen, meo quidem judicio, Walæ in Paſchaſium amorem plus commendat, exiſtimationemque ſic teſtatur, quàm extrema Walæ morientis verba, quæ Paſchaſius refert in Epitaphii lib. 2 cap. 5 in hunc modum.* Infelix nimiùm ego, „ qui ultima verborum tuorum monita tam longè abſens hauſi! Ais namque, „ ut noſter mihi Chremes attulit, aiſque; Ita, fili, fac ſi quo modo, quæcum„ que ſcis boni, opere agas, ne tui minor inveniaris. Hæc tua, mi Pater, mihi „ noviſſima verba: hæc tuæ æſtimationis mandata. Non quod ſcierim quòd „ perfectus ſim: ſed ut ſciendo proficerem, ſollicitè procurabas. *Nihil tenerius iſtis Walæ verbis, nihil modeſtius hac Paſchaſii ſententia.*

IV. Leviticus gradus, Abbatis dignitas & geſta.

Circ. Ann. DCCC LXV Aprilis XXVI.

11. *Tantus cùm eſſet apud omnes vir ſanctus, ita tamen de ſe modeſtè ſemper ſenſit, ut Levitico gradu fuerit contentus, nec umquam ad Sacerdotium ſuſcipiendum adduci potuerit. Hinc familiaris illi erat ſubſcriptio iſta:* Paschasius Radbertus Levita, Monachorum omnium peripſema. *quam modeſtiæ ſignificationem ampliùs factis probavit, quàm verbis.*

12. *Neque tamen inferior ille gradus removit ab eo dignitatem Abbatialem, quam Iſaac Abbate Corbeienſi mortuo inire coactus eſt.*

Tertius à primo decimus, ſed quartus ab ipſo,
Qui dedit Auſoniis leges & fœdus in arvis.

inquit Gualdo Monachus initio carminis de vita S. Anſcharii. Nempe Radbertus à S. Adalhardo, qui Italiam ſub Pippino minorenni moderatus eſt, quartus fuit Abbas Corbeienſis. nam præter Adalhardum juniorem Adalhardo ſeniori ſucceſſerant Wala *ejus frater,* Heddo, *&* Isaac *Radberti deceſſor. Tempus initi a Paſchaſio regiminis annum* DCCC XLIV *ſignat Chronicon Corbeienſe manu ſcriptum.*

13. *Biennio pòſt Concilio Pariſienſi interfuit, & à Patribus obtinuit litteras in confirmationem immunitatis Corbeienſis qua de immunitate agit Gualdo Monachus in Prologo Vitæ ſancti Anſcharii, ſuprà. Interfuit etiam Synodo Cariſiacenſi Paſchaſius, anno* DCCC XLIX *convocata adverſus Goteſcalcum. quem ſine dubio habebat in animo, quum dixit libro octavo in Matthæum:* Quapropter ſcire certò debemus, quotiens aliquis perit, non ex prædeſtinatione Dei, ut quidam malè ſentiunt, neque ex voluntate patris perit, ſed proprio ſuo peccato juſtoque Dei judicio.

14. *Eo in munere variis curis pulſatus, ſtudia intermittere coactus eſt. ſic enim hanc in rem loquitur initio tum expoſitionis in Pſalmum 44, tum libri quinti in Matthæum, ubi hæc legimus.* Expoſitum in Matthæo, cariſſimi, quod olim inchoaveram, ut eo in officio Fratribus penſum ſervitutis meæ pro voto perſolverem; multis demum, ſuſcepto regiminis loco, præpeditus ſollicitudinum curis, & cauſarum ſæcularium variis implicatus negotiis, tantum à me longè abductus, quantum à ſtudio litterarum remotus, non ſolùm illud imperfectum reliqui quod cœperam; verùm etiam prætermiſſo quietis bono memetipſum pæne plurimis aurarum alliſus impulſionibus in naufragium dedi. Sed quia Deus nobis, ut ille Vates ait, ſuâ providentiâ hæc otia fecit, *&c.*

15. *Ex hoc loco intelligimus, Paſchaſium aliquas ſuſtinuiſſe turbas, ut loco cedere coactus ſit. quod apertiùs paullo pòſt ſignificat, dum ait ſuſceptum ſe à Centulenſibus fuiſſe in adverſis rebus.* Quoniam ut præſenti ex omnibus & in omnibus gratiſſima me dilectione in Chriſto ſuſcipere dignati eſtis & refovere ſinu caritatis, Deoque committere precibus, maximè eo in tempore, juxta illud antiquum proverbium, quando amicus & medicus in neceſſitate probantur: hinc eſt, cariſſimi, quòd tanto ſtudio causâ viſitationis ad vos quàm ſæpe venire decrevi, deſiderans vos videre & corrigere in me quod diu negligentiùs omiſeram: qui me dilectionis affectu contra omnia adverſa conſolati eſtis in orationibus veſtris. *Quæ fuerit hujuſce tumultus cauſa, accuratè paucis inveſtigandum eſt.*

16. *Principio huic malo originem forſan præbuerunt diſcidiola nonnulla, quæ Paſchaſium inter & Ratramnum interceſſere, tum de partu beatæ Virginis; tum de rebus (ut plerique volunt) euchariſticis; tum etiam de gemina prædeſtinatione: qua in re Goteſcalco favebat Ratramnus, improbante Paſchaſio, uti ſuperiùs vidimus num 13. Fit enim, ut inter litterarias hujuſmodi lites, ubi partium ſtudiis abrepti fervent, alii ab aliis ſeceſſionem faciant. quod quidem contigit in Paſchaſii cauſa. Siquidem Ivo Monachus de quo infrà, & Chremes unus ex interlocutoribus à Paſchaſio adhibitis in libro 1 de Epitaphio Walæ, inter* diſcrimina illa *diſ-*

Circ. Ann. DCCC LXV Aprilis XXVI.

ceſſiſſe memoratur initio libri ſecundi. An etiam Ratramnus, mihi non liquet. Certè in eodem loco adhuc reſidebat ſub finem anni DCCC XLIX, *quo ei Lupus Abbas Ferrarienſis pro Hilmeradi Ambianenſis Epiſcopi confirmatione direxit epiſtolam 79,* cariſſimo ſuo Rotramno *inſcriptam, in qua ei quædam Hilmerado electo ſuggerenda committit. quod argumento eſt, ipſum in vicino Ambianis Monaſterio, ſcilicet Corbeienſi, tum deguiſſe, aut certè in Centulenſi.*

17. His etiam turbis materiam ſubminiſtrare potuit Caroli Principis retruſio in Monaſterium Corbeienſe. Anno quippe DCCC XLIX *Carolus Pippini Aquitaniæ Regis filius, alterius Pippini frater, tonſus, retruſuſque eo eſt, teſtante Fontanellenſi Chronographo apud Cheſnium tomo 2. Annales tamen Fuldenſes Caroli tonſionem, retruſionemque referunt ad annum* DCCC LI, *quo anno Paſchaſius dignitati ceſſit. Fortaſſe quòd factioſorum partes juvaret Carolus, quem inde poſtea fuga elapſum invenio in Annalibus Bertinianis, in quibus hæc leguntur ad annum* DCCC LIIII. Karolus Pippini frater, jam Diaconus ordinatus, à Corbeienſi Monaſterio recedit. *nempe ad Ludovicum Germaniæ Regem, ut ex Annalibus mſſ. probat Henſchenius in Commentario prævio ad Vitam Rabani Archiepiſcopi Moguntini,* cui Karolus, Pippini Regis filius, qui de cuſtodia Corbeienſis Monaſterii lapſus ad HLudovicum Regem patruum ſuum defecerat, in Epiſcopatum ſucceſſit VIII Idus Martias, non ſolùm ex voluntate Regis, verùm etiam ex conſenſu & electione populi. *Ex eodem Monaſterio etiam fugiſſe Carolomannum, Caroli Calvi filium, itidem Diaconum, ac multorum Monaſteriorum Abbatem, conjicio ex verbis Hincmari Archiepiſcopi Remenſis, qui in conſilio quod de Pippini quondam Aquitaniæ Regis pænitentia ſuggeſſit, ait non obliviſcendum eſſe,* quod de eo (*Pippino*) in Monaſterio ſancti Medardi accidit; & quod de Karlomanno in Corbeia evenit. Nam quod factum eſt, *inquit,* adhuc fieri poteſt. *Pippinus enim Pippini Aquitaniæ Regis filius, in Medardenſe Monaſterium retruſus, ibique tonſus, inde duorum Monachorum factione ſubductus fuerat, ut teſtantur Acta Concilii Medardenſis anno* DCCC LIII. *Ex variis hiſce Principum diſcurſibus varios etiam Monachorum Corbeienſium motus proveniſſe veri ſimile eſt: quibus ſedandis cùm operam ſuam fruſtra locaſſet Paſchaſius, tandem Abbatiæ nuntium remiſit.*

18. His duabus cauſis affinis eſt tertia, ex reprehenſione procedens quorumdam vitæ laxioris Monachorum: qui cùm juſtam Paſchaſii cenſuram ferre non poſſent, ex Monaſterio Corbeienſi diſceſſerunt. Etſi enim Paſchaſii tempore ſic floreret monaſtica diſciplina apud Corbeienſes, ut, vel Synodi Pariſienſis teſtimonio, majores auctoreſque ſuos non æquarent modò, ſed anteire atque antecellere viderentur; fuere tamen aliqui (ut nulla eſt ſocietas tam ſancta, quæ improbos non habeat admiſtos) qui ad ſolutioris vitæ mores prolapſi ſunt. Ejus mali originem aperit Paſchaſius ipſe in Epitaphio Walæ, qui remiſſiorum ſocordiam, vitioſorumque contumaciam nunc minis, nunc plagis, nunc beneficiis, nunc blandis perſuaſionibus *repreſſiſſe fertur in libri 1 cap. 23,* ob id ſeverus ac durus *ab ipſis appellatus. Walæ autem mortuo, cùm tanta non eſſet ſucceſſorum ejus, Heddonis & Iſaaci, auctoritas, eo prorupit vitioſorum licentia, ut* jus & æquum *perverterent, referente Paſchaſio in lib. 1 de vita Walæ cap. 10, inerti otio, ſomno, atque deliciis proclivius indulgerent ex cap. 25. Ex eorum numero fuit Ivo ejus loci Monachus, Lupi Abbatis propinquus, qui Corbeiâ pulſus, an fugâ elapſus, eò reverti parabat, inſtructus* præſidio, *id eſt litteris, Caroli Regis,* quò impunitatis ſecuritatem *de malè factis ſuis obtineret. Quapropter Lupi auctoritatem apud Carolum poſtulavit Radbertus, impetravitque, quatenus Ivo refugium penes Regem non inveniret, ut intelligimus ex Lupi epiſtola 56. In ſequenti verò epiſtola, quæ* dilectiſſimo Abbati Ratberto *inſcribitur, ſatis innuit, quemdam virum præpotentem Ivoni propinquo ſuo ſæviſſe, eoque tandem à Lupo adductum,* ut non modò noceat nihil, verùm etiam proſit plurimùm, ſi erga propinquum qui TEMPORE TUMULTUS diſceſſit, & inſtaurata pace reverteretur, benignus exſtitiſſet *Radbertus. Cla-*

riùs illum tumultum ejuſque auctores ac fautorem deſignat Lupus poſt prædicta. Circ. ann. DCCC LXV Aprilis XXVI. Id vos & libenter facturos, & in omnibus quæ jubere dignaretur obſequuturos, dum ejus gratiâ frueremini, fiducialiter ſpopondi; atque eò uſque inſtiti, donec firmiſſimè promitteret, nihil ſe vobis offecturum, niſi priùs mecum cauſam conferret. Itaque modum petitionis meæ hoc fine terminavi, ut ſi quando REBELLES ejus favore ſuas querelas fulciri depoſcerent, non vulgo adquieſceret, verùm res dumtaxat dignas veſtræ conſcientiæ reſervaret. *Paſſus ergo eſt* rebelles *Paſchaſius è Monachis ſuis nonnullos, qui ſeveriorem forſan ipſius diſciplinam ferre non poterant. Subdit Lupus:* Quædam alia comperi tam cautè revelanda, ut ea litteris comprehendere tutum non putaverim; tamque neceſſaria cognitu, ut quàm poteſtis celeriùs prætermiſſa qualibet alia utilitate mihi ad colloquium occurrere debeatis. Ceterum niſi jam moleſtum ſit, profecturo mihi cum Rege, ſi Deus vult, ad Silvacum dirigite, ut cùm gratias agere cœpero, uberiùs dicendi copia fruſtra conantem plurima non deficiat. *Sic tandem ſopita eſt (ut puto) factio illa rebellium conſilio & auctoritate Lupi, cujus & alia exſtat ad Radbertum epiſtola proximè ſequens, in qua itidem amici negotium Regi à ſe exponendum eſſe pollicetur. Tanta erat inter utrumque Abbatem neceſſitudo, tanta Lupi apud Regem auctoritas! In omnibus verò iſtis procellis Radbertus tantam ſemper moderationem ac placabilitatem præ ſe tulit, ut cùm de ſua ipſius abdicatione mentio frequens occurrerit in ſcriptis ſuis, nullum umquam indignantis animi verbum ab ejus calamo extorſerit æmulorum acerbitas, quos ne nomine quidem uſpiam expreſſit, aut quoquam pacto deſignavit.*

V. Regiminis abdicatio, regreſſus ad ſtudia, obitus.

19. POST *hæc de abdicando regimine cogitavit Radbertus: id quod ejus animo inſedit tum eximiâ viri modeſtiâ, tum ſuperiorum turbarum conſideratione, tum deſiderio repetendi ſtudia intermiſſa. Reſtitere conſilio iſti primùm alumni ſui: ſed tandem annuente Deo votis potitus eſt ſuis. Rem geſtam declarat Præfatio libri noni in Matthæum.* Mihi quidem poſt innumeros actus ſæculi & moleſtos vitæ labores, poſt ſollicitudines tanti regiminis & longa vitæ præſentis diſpendia, optabile ſatis tandem prudenti viro conceſſit otium *Deus.* adeo ut nihil illi profecerint, qui moliebantur aliud: & filio tunc mihi cariſſimo, vix expleto tirocinio, valde negotioſiſſimum impoſuit jugum, quia vigebat animo & corpore, ut opto etiam & merito ſanctitatis. *Odonem intelligit, futurum poſtea Bellovacenſem Epiſcopum, qui magiſtro ſuo ſucceſſit anno* DCCC LI, *quo anno Radbertus perperam obiiſſe dicitur. Lupi Abbatis exſtant epiſtolæ duæ ad Odonem Abbatem, nimirum 155 & 112. qui Odo Concilio Sueſſionenſi in ſancti Medardi Monaſterio interfuit anno* DCCC LIII.

20. *E procelloſis prælaturæ negotiis eductus vir ſanctus, ſtatim reditum fecit ad optata ſacrarum litterarum ſtudia, quibus ſenectutis moleſtias temperavit ac demulſit. Hoc ipſe cum magna voluptate animi teſtatur non ſemel, maximè initio jam dictæ Præfationis, cujus hæc verba.* Numquam dignè ſatis laudari Philoſophia poteſt, Fratres cariſſimi, cui qui paret, omne tempus ætatis ſuæ poterit ſine moleſtia quodam modo converſari: quia quos nutrierit à puero, etiam in ſenectute non deſerit. Hinc eſt, quòd me, licèt ego deſeruerim eam, non paſſa eſt in hac ætate longiùs à ſe ampliùs peregrinari: ſed mox ut redii ad eam, multum diuque malè vexatus ſæcularium rerum curis, recognovi veram non eſſe viam prioris vitæ, & lactare me cœpit quaſi puerum, ſuiſque recreare uberibus. Meritò igitur quia puerorum & ſenum pæne una eſt conditio, & coæqualis eorum mors mihi videtur. Et ideo eorum ſemper utrorumque lacte Scripturarum divinarum nutriendus eſt animus; puer ſiquidem ut creſcat, ſenex verò ne deficiat; immo uterque eorum ut proficiat in melius, & vivat divinis lactatus uberibus. *Vides, ut præ gaudio reſtituti otii vix ſibi temperet eme-*

CIRC. ANN. DCCC LXV APRILIS XXVI.

ritus ſenex. adeo totus in amorem ſtudiorum ſacrorum incaleſcebat. Legendus etiam liber primus in pſalmum 44, cujus libri initio ſic habet : Cùm ſollicitudine paſtoralis officii curiſque regiminis & negotiis actionum eſſem tandem exoccupatus, divino diſpenſante judicio retuli me ad ea ſtudia, quæ profectò retenta animo, remiſſa temporibus, inter varios rerum ſæcularium anfractus abjeceram: ſicque longo intervallo intermiſſa revocavi. *Idem etiam præfert initio libri ſecundi de Walæ epitaphio.*

21. *In his ſtudiis conſenuit, defecitque vir piiſſimus: at quo id contigerit anno, certò non liquet. Eum tamen non exiguo tempore poſt abdicatam præfecturam ſuperfuiſſe probant relictæ ab eo lucubrationes. Siquidem liber ſecundus de Walæ epitaphio, poſtremi quatuor libri explanationis in Matthæum, de pſalmo 44 libri tres, atque etiam (ut mihi videtur) libri quinque in Threnos Hieremiæ, hoc eſt Operum ejus media ferè pars, omnes poſt regiminis abdicationem conditi ab eo ſunt. Hinc colligere licet, eum non deceſſiſſe ante annum* DCCC LX. *Certè in libro quarto expoſitionis Threnorum, meminit incendii Pariſiacenſis ad litteram* Lamed. Quis umquam crederet, vel quis umquam cogitare potuiſſet, quòd accidere aliquid tale potuiſſet in noſtris partibus, quod tranſcurſo tempore omnes accidiſſe conſpeximus, doluimus, ac deflevimus, & valde pertimuimus, unde & adhuc hodie non minùs pertimeſcimus? ut piratæ diverſis admodum collecti ex familiis, Pariſiorum attingerent fines, eccleſiaſque Chriſti hinc inde igne cremarent circa litus. *Et infrà:* Fateor enim, ut æſtimo, non longè retro, quod nullus ex Regibus terræ iſta cogitaret, neque ullus habitator noſtri orbis audire potuiſſet, quòd Pariſium noſtrum hoſtis intraret. *Nortmanni Luteciam Pariſiorum aggreſſi ſunt uſque quater, nimirum anno* DCCC XLVI, *teſte Aimoino in libro primo de miraculis ſancti Germani; dein anno* DCCC LVII, *tum poſt annos quatuor, ex Annalibus Bertinianis, aliiſque; ac demum anno* DCCC LXXXVI. *Prima vice vacuam urbem ac ſuburbana reperiſſe, ſecundâ & tertiâ eam cremaſſe dicuntur. Erit forſan qui præmiſſum Radberti locum explicet de prima vice, cum Nortmannos* Pariſium intraviſſe *dicat: Aimoinus verò* vacuam urbem *tum inveniſſe. At de Nortmannorum ſecunda impreſſione ſine dubio interpretandus eſt, quum iſti* Luteciam Pariſiorum invaſerunt, atque incendio *tradiderunt cum pluribus eccleſiis. In prima enim impreſſione nulla, aut pæne nulla facta eſt clades, nulla incendia. Diem quo Radbertus obiit, ſignant veteres chartæ Corbeienſes* VI Kalendas Maii, *quo die in mſ. Nevelonis Martyrologio notatur his verbis :* Corbeia Monaſterio tranſitus ſancti Ratberti Abbatis & Confeſſoris. Sepultus eſt in eccleſia ſancti Johannis Evangeliſtæ; medio loco ante introitum Preſbyterii, *ut legitur in Corbeienſi Chronico mſ. ubi hactenus ejus cenotaphium cernitur. In pervetuſto indice paſtuum ejus Monaſterii :* VI Kal. Maii obiit Ratbertus Abbas, pro quo Camerarius Fratrum Fratribus impendat ſervitium. *Quo tempore ſacris faſtis inſcriptus ſit, in conſequentibus dicemus. Interim de ejus virtutibus, monitis, & ſcriptis aliqua præmittenda.*

VI. Virtutes, præcipuè otii fuga, & ſtudia ſacra.

22. PRÆCIPUA *virtus in Radberto effulſit humilitas, quæ in cauſa fuit, ut ſe* omnium Monachorum peripſema *identidem appellaret, & numquam ad ſacerdotii gradum conſcendere voluerit, vetueritque ne ſui ipſius mortui geſta litteris mandarentur. Hujus virtutis indicia per omnes ejus lucubrationes reſperſa ſunt. Eam Radberti virtutem in primis commendavit Engelmodus Epiſcopus, teſtatus quòd tametſi Reges ac principes ſeſe viro ſancto ob meritorum exiſtimationem inclinarent, ipſe nihilo minùs ventoſis laudibus exſufflatis* ſimplex atque humilis *remaneret. Huic virtuti proximè accedit ſincerus veritatis amor.* Quod in ſcripturis ſanctis non legimus, *inquit libro 2 in Matthæum*, melius ignorare, quàm temere definire credimus. *Hinc eſt quòd etſi intelligeret quoſdam Patres excuſaſſe ne-*

gationem Petri Apoſtoli, eos tamen qui hoc adſerebant, non eſſe audiendos probat in libro 12 ad Matthæi capita 26 & 28. Sic enim loquitur in primo loco. Pii defenſores Petri! qui ſic eum defendere conantur, ut Dominum mentitum fuiſſe probent. *Ex hoc ſinceri amore factum eſt, ut in exponendo Matthæo non ſequatur* tropologias Evangelii, nec myſticas ſententiarum intelligentias; ſed ſolummodo ſimplicem ſenſum, prout oportuit, explicet, *ut ſcribit in fine libri quarti.* CIRC. ANNI DCCCLXV APRILIS XXVI.

23. Lacrymis etiam totus deditus erat, ob idque Hieremiæ Threnos explanare aggreſſus eſt, ex Præfatione ad Odilmannum Corbeienſem Monachum. Nimirum quia conſeneſcentibus nobis, *ait in Prologo libri ſecundi*, hoc longævum ſemper conſtat fuiſſe officium, orationibus incumbere, inſiſtere lamentis, & vel noſtra vel aliena facinora deflere. *Hanc virtutem potiſſimùm in ſenio ſectatus eſt.*

24. Omni verò tempore maximè abhorruit ab inerti otio, ſtuduitque omnes vitæ ſuæ horas ſubſecivas, (furtivas *ipſe vocat in Præfatione libri primi ſuper Matthæum*) *quæ ſcilicet poſt regularis diſciplinæ penſa reſtabant, litterarum ſtudiis conſecrare. Audi eum initio commentarii in Matthæum ita proloquentem.* Unde, quæſo, nemo mihi ſuccenſeat, ſi tandem Dei confiſus gratiâ elegi ſollertiam, quam in me cæleſtis providentia eruditionis ſale condivit, Domino dedicare, quàm inanis vitæ otio prætermiſſo ſtudio torpere. quia etſi non multis, mihimet tamen meiſque profuturum credidi, ut iſtuc interdum animum tranſponerem, & fugaces doctrinarum ſenſus longo labore quæſitos litteris allegarem: quatenus per hoc eſſem ad cogitandum inſtructior, & ad diſſerendum paratior. *Præclara eſt hanc in rem ejus exhortatio ad Monachos in prologo libri undecimi.* Inter alta ſilentia cordis & negotioſiſſima monaſticæ diſciplinæ otia, nos qui divinis adſtringimur votis, ne ſine fructu æternæ contemplationis otioſi inveniamur, optabile ſatis nobis eſſe debet illud Catonis exemplum, maximè mihi ſeni, ſi fortè umquam ac verè poſſim dicere, quod ipſe jam ſenex de eo ſcripſit, & ait quòd ſolitus eſſet dicere, numquam ſe minùs otioſum eſſe, quàm cùm otioſus; nec minùs ſolum, quàm cùm ſolus eſſet. Quæ nimirum vox magnifica eſt, Fratres mei, & viro magno ac ſapienti digna: ſed nulli magis quàm nobis Monachis decens & perneceſſaria. quæ declarat talem tantumque virum, & in otio de negotiis bonæ vitæ cogitaſſe, & in ſolitudine ſecum loqui utilia ſolitum fuiſſe; neque ceſſaſſe umquam de bonis neceſſariiſque rebus cogitare. Quanto magis nos, cariſſimi, oportet numquam ceſſare in otio, ne divina cogitemus, qui cæleſtibus mancipamur diſciplinis; numquam nos ſolos eſſe in ſolitudine, qui ſemper & ubique coram Deo verſamur, in quo vivimus, movemur, & ſumus; coramque omni frequentia ſupernorum civium, ne fortè derideant hoſtes noſtri ſabbata noſtra, ſi aliqua hora non ſolùm inutiles ſimus nobis, verùm etiam (quod ſæpe contigiſſe dolendum eſt) pernicioſi inveniamur & aliis. *Hæc idcirco fuſiùs retuli, ut tanti momenti ſententia altiùs inſideat animis ſodalium noſtrorum, quibus una ferè pernicies timenda eſt otioſitas.*

25. Id vitii non tantùm vigente, ſed affecta potiſſimùm ætate declinare curavit Abbas ſollertiſſimus. Huc ſpectant ejus verba in fine libri quarti in Matthæum. Quapropter, cariſſimi, ſenectus mea non modò languida circa vos & circa Fratres meos eſſe debuit, quos exhortari debui, cùm præeſſem; neque iners, verùm nec otioſa in ipſo otio; ſed operoſa & ſemper agens aliquid & moliens tale, quo & vita formetur præſentium, & exemplum præbeatur futurorum. ne ſacramentum ſalis, olim in ore puerulus quod accepi, evacuetur vel in ſenectute, vel in ſenio. *Intelligebat ſiquidem vir ſanctus, Monachum illum omnino infatuatum eſſe, ac cæleſtis diſciplinæ expertem; quiſquis vel in ſenectute exercitationem abjiceret. Neque verò id molitus eſt tantùm, cùm aliis præeſſet; verùm etiam poſt abdicatam præfecturam, ut patet ex præfatione libri noni.* Propterea nullum debet eſſe tempus ſenectutis otioſum quod non proſit: maximè quia in aliis meminimus proficere ſtudia Scripturarum, divina verbi ſemina ſaltem juvenibus ſpargo. *Legatur initium libri primi in pſalmum 44.*

Circ. ann. DCCC LXV Aprilis XXVI.

26. *Hæc ergo præcipua mentis agitatio erat in viro ſancto, ut ne remaneret otioſus, ſed animum ſemper piis ſtudiis ac cogitationibus, ubi tempus ſuppetebat, occuparet. Omnino verò addictus erat lectioni ſanctarum Scripturarum & Patrum orthodoxorum, in primis Hieronymi, Ambroſii, Auguſtini, Gregorii Magni, Johannis Chryſoſtomi, & Bedæ Venerabilis, quos ipſe laudat in præfatione libri primi ſuper Matthæum. His adjungebat Tertullianum, quem inter primos ejus ætatis Scriptores Gallicanos laudat adducitque in Vita Adalhardi. His, inquam, ſtudiis vir ſtudioſus animum recreabat. Neque enim probabat quorumdam ſui temporis hominum diligentiam in meditandis & exponendis profanorum Auctorum ſcriptis. Egregius eſt hac de re locus in præfatione libri tertii ſuper Matthæum, ubi arguit* ſæcularium litterarum amatores, *qui* varios & diverſos requirunt expoſitores, ut ad luculenta nefandarum rerum mendacia intelligendo valeant pervenire; *qui* nullam non dico paginam, ſed neque ſyllabam prætermittunt, quam non enucleatiùs diſcutiant ſumma cum vigilantia ac labore; *divinos autem libros peſſimè negligunt.* Unde miror, *inquit*, ſatis, quid divina eloquia quorumdam mores offenderunt, quòd non velint myſtica Dei ſacramenta eâ diligentiâ perſcrutari, qua tragœdiarum nænias & Poëtarum figmenta ſudantes cupiunt inveſtigare labore. Quorum inefficax laboris ſtudium nemò qui ambigat, ubi de re agitur, quæ profectò caret fructu, & ſine præmio invenitur. *Quod etſi in omnibus Chriſtianis & eccleſiaſticis viris indecorum eſt, certè longè turpiſſimum in Monachis, quorum ſingulare ſtudium eſſe debet, abjecta omni cogitatione ſæculari, adhærere Deo, & cæleſtibus occupare animos. Pulcrè Auctor noſter in prologo libri tertii ſuper Hieremiæ Threnos.* Non noſtri operis eſt, Frater & conſenex, *inquit Odilmannum alloquens*, falſas Poëtarum fabulas jam revolvere, vel Mileſias: quoniam noſtra inſtitutio alios repoſcit mores. neque Philoſophorum perſcrutari libros: quia in altero ludus & oblectatio eſt, in altero verò difficultas & ſudoribus admixtus labor. verùm magis threnis nos decet & lamentis indeſinenter inſiſtere, *&c.*

27. *Cur verò in explanandis Scripturis ſacris ſanctos Patres adhiberet, exponit in præfatione libri ſexti ſuper Matthæum.* Expoſitio mea, dilectiſſimi, multorum eruditiſſimorum eſt Doctorum, quos antiquior tulit ætas, & firmavit auctoritas veritatis. ſed propno commendatam ſtilo novitas facit eſſe meam. ita ut tractatus qui de omnibus colligitur, unus verè videatur & ſpecialiter eſſe meus: quo communes plurium Doctorum ſepſus fide & intellectu catholicorum proprios eſſe feci. Non enim myſteria divinæ intelligentiæ ſeu ſententias Salvatoris Dei, meis tantùm explanare probavi auſibus; quod multi fecerunt, qui noluerunt ſapere, quæ ſacra interiùs Scriptura divinitus inſpirata ſapit; ſed eam in multis perversè ſuis applicuerunt erroribus, *&c. Hinc eſt, quod nonnullos expoſitores argutis nimium indulgentes cavillationibus reprehendit in libro octavo ſuper Matthæi caput 17.* quoniam etſi exercitium in eo eſſe poteſt, fructus intelligentiæ neſcio ſi ullus eſſe poſſit. *Eſt & locus ejuſdem argumenti libro ſexto in Matthæi caput 11, pag. 527. Meritò proinde illi aptavit Engelmodus hos verſus:*

Non mentita fidem ſimulatio crimine fallens,
Non quoque latratus ſpumantis gurgia litis,
Sordidulæ labis cœnoſo polluit actu,
Aut tempeſtivum mentis tenebravit acumen:
Sed pia ſimplicitas, virtus & conſcia recti.

VII. Mores ſui ſæculi, varia ad diverſos monita.

28. MORES *ſuæ ætatis vir ſanctus deplorat pluribus in locis, ambitionem, ſimoniam, avaritiam, errores, & hæreſes, aliaſque ſui ſæculi peſtes. In ambitioſos invehitur libro ſecundo in Matthæi caput 7.* Infelix nimiùm noſtri ſæculi ætas, quando rariſſimè invenitur aliquis vivendo evangelicam habens formam: ſed

Circ. ann. DCCC LXV Aprilis XXVI.

ſed omnes præſentium rerum ſectantur honores, ut per fas & nefas magis præeſſe valeant, quàm prodeſſe. Verumtamen omnes ea prædicant, quæ vix pauci tenere moribus ac vita velint: quia dum paupertatem perſuadent, cuncti regnare cupiunt.

29. *In ſimoniacos non uno in loco invehitur. ſic enim libro nono in Matthæi caput 21.* Ceterum de venditione columbarum ſatis abundéque diſputatum eſt à ſanctis Patribus multis in locis, maximè contra ſimoniacam hæreſim, quæ multoties eſt oppugnata in Galliis, ſed numquam expugnata. quia latrones facti ſunt, & qui emunt quæ propriè Eccleſiæ ſunt, & qui vendunt. Quæ nimirum hæreſis, etſi damnari potuit, ideo non potuit hactenus expugnari, quia latro ſicut à latendo dictus eſt, ita & iſti quàm ſæpe latenter faciunt, aut ita tamen audenter, quamvis impudicè, ut nullus audeat contraire. Quod factum hodie, ut ita fatear, tota Gallia ſentit & dolet. *Illud autem hoc in loco dignum obſervatione eſt, quòd ſimoniacos appellat eos, non ſolùm qui eccleſiaſtica beneficia venderent, ſed & qui indignis conferrent. ita enim ſubdit paullo pòſt prædicta.* Non enim dico iſto in tempore qui cathedras tenent eccleſiarum, quòd columbas vendant: ſed quia quibus non oporteat, eccleſiæ committuntur, non ad lucrum animarum, ſed ad luxum & voluntates proprias. Hinc ſanè præcavendum valde arbitror, ne fortè columbas ſit eis vendere, qui tradunt eccleſias, Chriſto Domino conſecratas, flagitioſis & avaris hominibus tyrannicè, quibus non oportuerat; indiſciplinatis & inreligioſis, *&c. Quinam verò ſint illi, quos hoc loco notat, ex lib. 2 de Epitaphio Walæ cap. 5 forſan intelliges. Demum ſimoniacos rurſus exagitat libro 12 in Matthæi caput 26.* Tales igitur ſemper timendi ſunt Sacerdotes, quicumque pretio, & non ex gratia Spiritus-ſancti, honores ſectantur eccleſiarum: cum quibus ſemper falſum aggregatur concilium, falſi teſtes quæruntur; cum quibus non veritas, non religio, ſed iniqua ſemper in cauſis præfertur auctoritas.

30. *In avaros Sacerdotes intorquet hunc verſum ex libro quinto in Threnos Hieremiæ,* Aquam noſtram pecuniâ bibimus, *&c. quo verſu expoſito ita ſubdit:* Congruit autem iſte ſenſus adverſus cupidos Sacerdotes templorum Dei, qui domum Dei domum faciunt negotiationis: quia propter baptiſma & doctrinam prædicationis ſuæ, ſeu propter chariſmata donorum Dei, lucra ſectantur, & impenſiores quærunt ſui quæſtus: contra quos plebs Chriſti jure deplorat & plangit.

31. *Eodem zelo arguit eccleſiaſticos viros, qui* pro rebus pecuniariis lites ac jurgia graſſantur, *libro quinto in Matthæi caput 5. & libro quarto in Threnos Hieremiæ Clericos & Monachos ſæcularibus negotiis addictos plangit in hunc modum.* Ecce jam pæne nulla eſt ſæcularis vitæ actio, quam non Sacerdotes Chriſti adminiſtrent: nulla mundi negotia, in quibus miniſtri altaris ſe non occupent: nulla rerum improbitas, qua ſe monaſticus Ordo non implicet: pæne nulla inlecebris vitæ blanditiеs, qua ſe caſtitas Sanctimonialium non commaculet. *& infrà:* Aliud ex honore ſuſceptæ religionis quærunt, atque aliud ex officio actionis exhibent, & quotidie per multas nequitias pereunt. Curis enim ſæcularibus intenti & vitiorum, tanto inſenſibiliores redduntur, quanto ad ea quæ foris ſunt, & carnis concupiſcentiarum cum ſtudio avidiores inveniuntur.

32. *Epiſcopos monet in libro octavo ſuper Matthæi caput 26, ut ne nimia facilitate excommunicandi abutantur poteſtate, quam Chriſtus eis conceſſit ligandi ac ſolvendi: ubi etiam egregia dat monita ſubditis, quamvis injuſtè ligatis. tum infert.* Abſit ergo hoc ab illo Senatu cælorum, ut ſecundùm motum animi ſuperbientis aut iraſcentis cujuſlibet, & ipſi injuſtè ligent aut ſolvant coram oculis ſummi Judicis omnia circumſpicientis. *E contrario verò conqueritur de nimia facilitate paſtorum in abſolvendis peccantibus.* Hinc *enim* eſt, quòd hodie in Eccleſia indulgentia pænitentiæ toties conculcatur, & ſecuritas promittitur: ita

Circ. ann. DCCC LXV Aprilis XXVI.

ut illuſio potiùs interdum, quàm medicina ſordeſcentibus fiat. quia dum facilè præſtatur, vilior habetur, & percepta negligentiùs cuſtoditur; atque culpa in facto cum ſpe veniæ audentiùs nonnumquam reiteratur. Hæc non ideo dixerim, *inquit*, ut crudelem eſſe Doctorem doceam, ſed ut ad cautelam incautos reducam. quia ſicut quærentibus cum fide dilectionis non eſt neganda; ita deluſoribus & infidis non eſt continuò præſtanda. Inde eſt quòd ſacri canones multotiens ad pænitentiam reiterantes non facilè admittunt. quos ſanè terminos nec nos oportet indifferenter tranſgredi, ſed omnia cum diſcretione penſare. *Denique libro ſeptimo in Matthæi caput 14 notat puſillanimitatem quorumdam Epiſcoporum, qui Principes non eſſe arguendos dicebant: quod etiam confutavit Theodorus Studita in epiſtola ad Stephanum à ſecretis Conſtantini Imperatoris, apud Baronium ad annum 795.*

33. Varios errores ſuo tempore exortos convellit Radbertus. Felicis Urgelitani Epiſcopi dogma perverſum de Chriſti adoptione, paſſim in libris ſuper Matthæum & in pſalmum quadrageſimum quartum; Claudii Taurinenſis Epiſcopi, qui cultum ſacrarum reliquiarum & peregrinationes elevare tentabat, libro undecimo in Matthæi caput 24. Arguit etiam quoſdam novos aſſertores falſitatis, *qui* nulla alia eſſe genera pœnarum, neque loca tormentorum, præter proprias conſcientias hominum, *adfirmabant, in eodem libro ad caput 25. quod in Johannem Scottum ejus erroris aſſertorem cadere non dubito. Denique in epiſtola Frudegardo inſcripta notat aliquos, qui non rectè de Euchariſtia ſentiebant, de quibus in Præfatione.*

VIII. Judicium de ejus ſcriptis.

34. PRIMA *ejus lucubratio ex iis quæ nobis relicta ſunt, eſt liber* de corpore & ſanguine Domini, *ſcriptus anno* DCCC XXXI, *tempore ſcilicet exſilii Walæ Abbatis Corbeienſis, quem ſui temporis Arſenium & Hieremiam appellat, ut in Præfatione hujuſce tomi expoſui.*

35. Poſtea ſcripſit in Matthæum libros duodecim, quatuor quidem adhuc Monachus Guntlando Centulenſi Monacho: quatuor conſequentes jam Abbas, univerſis ejuſdem Cœnobii Monachis nuncupatos: quorum Monachorum doctrinam, ſapientiam & religionem prædicat; reliquos poſt abdicatam præfecturam. Epiſtola ad Frudegardum, quæ libro de corpore & ſanguine Domini ſubjecta eſt, ſcripta fuit poſt commentarios in Matthæum.

36. Vitam ſancti Adalhardi Abbatis Corbeienſis ſcripſit circiter annum DCCC XXX. *Epitaphium (quod vocat) Walæ, itidem Abbatis & Adalhardi fratris ac ſucceſſoris, edidit duobus libris, quorum priorem condidit anno* DCCC XXXVI, *poſteriorem abdicatâ præfecturâ, id eſt, poſt annum* DCCC LI. *In utroque hoc opere, quod in ſuperioribus exhibui, præclara commemorat Paſchaſius ad res tum Francicas, tum monaſticas illuſtrandas, maximè in Walæ Epitaphio: in cujus libro 2 arcanam exauctorationis Ludovici Pii hiſtoriam accuratè refert teſtis ipſe plurimùm oculatus; & Eccleſiæ Gallicanæ ſtatum, qualis tum erat, egregiè depingit. Scriptus eſt autem liber primus ſtatim à Walæ obitu: ſecundus nonniſi poſt abdicatam à Paſchaſio præfecturam, ex initio ejuſdem libri, & quidem poſt mortem Ermengardis Imperatricis, Lotharii Auguſti uxoris, ex cap. 24. id eſt poſt annum* DCCC LI. *immo poſt annum* DCCC LVII, *ſiquidem Severus, qui unus eſt ex interlocutoribus libri primi, idem eſt cum Odilmanno Severo, cui Paſchaſius explanationem in Threnos poſt hunc annum nuncupavit. Scriptus verò eſt ante initam à Carolo & Ludovico concordiam ex cap. 19. ac proinde ante annum* DCCC LX, *quo eam referunt Annales Bertiniani. Neſcio an hanc Paſchaſii lucubrationem viderat Antonius de Caulincurte, in cujus Chronico Paſchaſius* Walæ vitam edidiſſe *perhibetur. De hoc Epitaphio iterum infrà.*

37. Librum de partu B. Mariæ virginis inſcripſit venerabili Matronæ Chriſti, *nimirum* THEODRADÆ *Abbatiſſæ, ſorori ſancti Adalhardi,* unà cum ſa-

cris Virginibus Veſona degentibus PASCHASIUS Radbertus Monachorum CIRC. ANN. DCCC LXV APRILIS XXVI. omnium peripſcma. *Præfationis initium hoc eſt:* Quæſtionem, cariſſimæ, de partu beatæ Mariæ Virginis mihi nuper allatam vobis perſolvere decrevi, *&c. Præfatio iſta ante Spicilegii* XII *editionem deerat in libris impreſſis, in quibus libellus iſte mendosè impreſſus Hildefonſo Toletano Epiſcopo malè adſcriptus erat, nunc demum auctori ſuo reſtitutus. Eum compoſuit Radbertus occaſione libri à Ratramno editi de Nativitate Chriſti. Porro* Veſonæ *vocabulum non eſt proprium nomen Parthenonis Sueſſionici, ſed urbis ipſius, qua* Veſona *& Sueſſio promiſcuè appellatur à Radberto. Neque veri ſimile eſt amanuenſis errore ſcriptum eſſe* Veſona *pro* Sueſſona. *Nam præterquam quòd* Veſona *legitur in duobus codicibus mſſ. in quibus iſta lucubratio continetur; idem etiam vocabulum tribus in locis reperitur in expoſitione pſalmi 44, & quidem conjunctum cum vocabulo* Sueſſionis. *Ex ipſo autem contextu manifeſtè liquet eo nomine ſignificari civitatem Sueſſionicam, non Monaſterium Virginum. Sic enim legitur in libro tertio prædictæ expoſitionis.* Inter quas etiam Veſona quam incolitis, quæ priùs meretricabatur poſt idola fornicationis, cum muneribus venit, & facta eſt fidelis, quæ fuerat filia fortiſſimi diaboli. Et ut cernere poteſtis, ſicut dixit Eſaias, mercedes ejus jam ſanctificatæ ſunt Domino. quia tota eccleſiis repleta fulget, & facta eſt poſſeſſio piiſſimi Salvatoris, quæ fuerat filia perditionis & præda vaſtatoris. Habet namque ad orientem ſui nunc caſtra Monachorum cum ſuis ſanctis Confeſſoribus atque Martyribus: ad occidentem verò, acſi poſt tergum veſtrum, tuba reſultat ſancti Evangelii in voce monentis; ſitque, ut nullis fraudetur donis cæleſtibus locus in quo eſtis. Vos autem quaſi in medio conſtitutæ, unum elegiſtis angulum tantùm Sueſſionis anguſtæ. *& paullo infrà:* Iſta igitur ſunt munera.·. quæ mittit Veſona Chriſto, olim dicata dæmonibus, nunc conſecrata Deo. *& in fine prædicti libri:* Ad hunc angulum Veſonæ convolaſtis. *Ex quibus patet, Veſonam eſſe ipſammet civitatem, quæ ad orientem habet Monaſterium S. Medardi, ad occidentem eccleſiam cathedralem, in medio utriuſque Parthenona beatæ Mariæ, qui in ejus urbis angulo conſiſtit. Certè Ptolemæus* Veſones, *& Strabo* Veſiones *appellant Sueſſionenſes. Quod attinet ad hujus operis argumentum, per id tempus controverſia quædam exorta eſt, an Chriſtus communi ceterorum hominum via, id eſt dilatatis virginalibus clauſtris, an clauſo matris utero in lucem prodiiſſet. Quæſtio hæc primùm in Germania ventilari cœpta eſt, forſitan in Fuldenſi Academia, Rabano præceptore; indeque in Galliam invecta eo fere tempore, quo Lupus tum Ferrarienſis Monachus ex ſcholis Fuldenſibus in patriam remeavit. Poſteriores iſtius controverſiæ partes tuebantur plerique omnes; priores Ratramnus Corbeiæ Gallicæ Cœnobita, edito libello* de Nativitate Chriſti, *rátus, Chriſtum ſi communi via non proceſſiſſet ex matre, non verè natum genitumve, ſed* violenter egreſſum *dici debere. Ratramnum ejuſque ſequaces refutavit Paſchaſius, aſſerens Chriſtum haud* ſecundùm communem legis naturam *fuiſſe natum,* qui non ſecundùm uſum naturæ in utero de carne Virginis *eſſet* procreatus. *Sic quorumdam Fratrum* impudicam (*quam vocat*) temeritatem *compeſcere tentavit uno libro: at cùm nec ſic diſcederent à ſententia ſua, ſed ſive ſcriptis, ſeu verbis eam propugnare pergerent; addidit ſecundum: totumque opus* venerabili matronæ Chriſti, unà cum Chriſti virginibus Veſona monaſticè degentibus *nuncupavit. Hæc Chriſti Matrona eſt Theodrada Parthenonis beatæ Mariæ apud Sueſſiones Abbatiſſa, ſic dicta, quòd in ſæculo conjugata fuiſſet. Nam Immam ipſius Theodradæ filiam, & in Cœnobii regimine ſubſequacem, perpetuò* Virginem Chriſti *ac* filiam *appellat Paſchaſius in explicatione pſalmi 44. Itaque primum ſaltem hujus operis de Nativitate Chriſti librum ſcripſit Paſchaſius ante annum* DCCC XLVI, *quo Theodrada è vivis exceſſerat. Scripſit, inquam,* multo ſenio jam confectus, *ut ipſe in præfatione teſtatur, id eſt ſexagenario major. Ex quo intelligitur, cum ad annum ætatis propè octogenarium perveniſſe, cùm annum Chriſti* DCCC LX *attigerit, aut fortè exceſſerit. Certè ſæculo octavo natus, adultuſque fuerat, ut colligitur ex lib. 1 de epitaphio Walæ cap. 3.*

Circ. ann. DCCC LXV Aprilis XXVI. *38. Libellum de paſſione ſanctorum Rufini & Valerii compoſuit Abbas rogatu incolarum opidi ipſis dicati, quod Baſilicas vocant, in pago Sueſſionenſi.*

39. Expoſitionem in pſalmum 44 tribus libris conditam poſt abdicatum Monaſterii regimen nuncupavit, tacito licèt nomine, Immæ Sueſſionici Parthenonis poſt Theodradam Abbatiſſæ, & Sueſſionici Parthenonis Virginibus, quas laudat præcipuè in libris ſecundo & tertio: & in libro primo eas monet, ut ipſis ſufficiat cohabitatio ad neceſſitatem naturæ, & cenſus exiguus. *Tria verò de ipſius Cœnobii diſciplina eo tempore ſervata notat in libro tertio, nimirum* oblationem *Virginum à parentibus fieri ſolitam, earumdem* æternam clauſuram, *& vota Sanctimonialium tam Virginum quàm viduarum:* quarum, *inquit*, unum eſt votum obedientiæ, una ſit converſio morum, una ſtabilitas loci. *quibus verbis exprimitur Benedictina profeſſionis ritus, quo profitentes promittunt obedientiam, converſionem morum, & ſtabilitatem in congregatione.*

40. Ultimo loco venit explanatio in Threnos Hieremiæ, Seni Odilmanno Severo *inſcripta: quod poſtremum Radberti opus fuiſſe credit Antonius de Caulincurte in Chronico Corbeienſi. Is forſan eſt Odilmannus Severus, qui unus eſt ex interlocutoribus libri primi de Walæ epitaphio, Severus appellatus. Non ergo Heddo Abbas Walæ ſucceſſor, uti ſuſpicabar in notatione ad ejuſdem libri caput 21. Quod ſi ita ſit, liber ſecundus de Walæ epitaphio, quem librum mortuo Severo ſcriptum eſſe conſtat ex initio libri, conditus eſt poſt explanationem in Threnos. Eam porro aggreſſus eſt Paſchaſius* multo, longoque confectus vitæ tædio, *& quidem poſt annum* DCCC LVII *ex ſuperiori num. 38. In his porro lucubrationibus omnibus apparet, Auctorem Græcè & Hebraïcè doctum fuiſſe.*

41. Præter ea opuſcula varias etiam ſcripſit epiſtolas ad Lupum Ferrarienſem Abbatem, alioſque, quas excidiſſe dolemus. Trithemius Paſchaſio tribuit librum de vitis Patrum è Græco in Latinum verſis, quas Paſchaſii Diaconi annis trecentis antiquioris eſſe conſtat. Sunt qui Vitam S. Richarii Abbatis Centulenſis à Paſchaſio noſtra expolitam atque auctam ferunt, ſed perperam, ut probatum eſt in Sæculo ſecundo ad S. Richarii Vitam. Idem eſto judicium de carmine, quod Nicolaus Mameranus poſt librum de corpore & ſanguine Domini Coloniæ vulgavit anno MDL, *tribuitque Paſchaſio, merâ conjecturâ, propterea quòd in eodem codice carmen iſtud cum Paſchaſii libro de Euchariſtia compactus eſſet abſque nomine Auctoris. In mſ. cod. Anicienſi idem carmen ſic inſcribitur:* VERSUS DE DIE JUDICII BEDÆ. *quamquam nec Bedæ venam aſſequi mihi videtur. Sed tamen probabilior eſt titulus, quàm libri editi,* de ſolitaria converſatione. *Errat porro Mameranus, qui ejus carminis auctori filiam fuiſſe colligit ex poſtremo dyſticho: cùm ibi ſermo ſit de filia ſpiritali. Denique vana eſt Anonymi conjectura, librum de Pontificibus Romanis, quem Liutprando in fronte tribuit, Paſchaſio Radberto in præfatione ſub dubio adſcribentis: cùm nec tempus, nec ſtili qualitas Radberto conveniant.*

IX. Varia ejus elogia, Canonizatio.

42. RADBERTI *varia leguntur elogia, tum apud Auctores ſui temporis, tum apud ſequiores. Patres Synodi Pariſienſis in privilegio ei conceſſo laudant* venerabilem *fratrem Radbertum Abbatem, ejuſque diſcipulos appellant* præclara & pretioſa membra æterni Regis. *quæ laus in præceptorem ac ducem redundat. Eumdem* bonis omnibus amplectendum *dixit Lupus in epiſtola præcitata; Engelmodus verò verſibus heroïcis (ut ſuperiùs dictum eſt) adhuc viventem commendavit. Engelmodum Sueſſionenſis Eccleſiæ Epiſcopum fuiſſe conſtat ex privilegio, quod Epiſcopi Gallicani Piſtis Sueſſionas convocati, anno* DCCCLXII *Dionyſianis Monachis conceſſerunt: cui privilegio, quod autographum vidi, & cum editis conferri curavi, ſubſcripſit* ANGILMODUS Sueſſonicæ Eccleſiæ indignus Epiſcopus, *apud Dubletum pag. 798. ſive is in locum Rothadi, qui eo in*

*conventu abjectus eſt, tum ſuffectus fuerit: ſeu ſub ipſo Rothado Chorepiſcopi officium geſſerit. Ratberti librum de corpore & ſanguine Domini eximiè laudat S. Odo Abbas Cluniacenſis in Collationum libro 2, capitibus 30. & duobus ſequentibus. Ob id etiam Durandus Abbas Troarnenſis in libro de Euchariſtia, cum vocat di-*vini Sacramenti ſcrutatorem diligentiſſimum, diſcuſſoremque catholicum: *& ante eum Herigerus Abbas Laubienſis in epiſtola ſeu libello de Euchariſtia, qui ſub titulo Anonymi Cellotiani hactenus vulgatus eſt. His accedit Antonius de Caulincurte ſuperioris ſæculi Monachus in Corbeienſi Chronico mſ. quod deſinit in anno 1529. Idem argumentum fuſiùs & accuratiùs perſequitur noſter Paulus de Bonofonte in ſua hiſtoria Corbeienſi inedita.*

Circ Ann. DCCC LXV Aprilis XXVI.

43. Demum Fulcone Corbeia trigeſimo Abbate, ejus nominis primo, tanta per Dei gratiam ad ſancti RATBERTI Abbatis facta eſt multitudo ſignorum, tam evidentia ſuper his qui infirmabantur, per ipſius merita claruerunt prodigia ſanitatum, ut auctoritate Sedis apoſtolicæ corpus illius quarto Idus Julii de ſepulcro levaretur, & ſpectantibus pariterque adorantibus populorum turbis innumeris ad majorem eccleſiam ſancti Petri decenter tranſlatum cum aliis anno ſalutis milleſimo ſeptuageſimo tertio. *Hactenus vetuſtus Abbatum Corbeienſium catalogus, ex quo corrigas Martyrologium Gallicanum, in quo id factum dicitur* anno M LX, *& quidem à* WIDONE *Ambianorum Epiſcopo, qui in recentiori Abbatum catalogo ejus rei auctor fuiſſe dicitur. Sancti hujus reliquiæ hactenus in eccleſia Corbeienſi adſervantur; & in loco primarii ſepulcri, nimirum in eccleſia ſancti Johannis, ejus effigies rudi ac recentiori opere lapidi inſculpta cernitur cum pedo inſigni Abbatis. Ejus feſtum diem ritu duplici Corbeienſes noſtri colunt* VI *Kal. Maii: quo etiam die in vetuſto Martyrologio Corbeienſi* ſanctus *appellatur, itidemque in alio codice ante annos quingentos manu exarato, qui poſteriores in Matthæum libros quatuor, & expoſitionem pſalmi 44 continet: ubi initio prædictæ expoſitionis pingitur cum aureola in capite.*

X. Appendix, in qua libri duo de vita Walæ Paſchaſio vindicantur, & refertur ejus epiſtola ad Carolum Calvum in librum de corpore & ſanguine Domini.

44. TANTA *eſt ſtili convenientia inter Epitaphium Arſenii ſeu Acta Walæ & Vitam Adalhardi ejus fratris, ut licèt mſ. codex quo uſus ſum in edendo Epitaphio, nullum præferat Auctoris nomen; hoc tamen Paſchaſio Radberto indubitanter aſſeruerim, tum propter quoſdam catalogos & Auctores, qui hoc opus Radberto adſcribunt, tum propter Paſchaſii nomen, qui unus ex interlocutoribus eſt, & quaſi ſcenæ choragus eſſe videtur. Hunc verò Paſchaſium interlocutorem haud alium eſſe à Radberto patet ex initio libri ſecundi, ubi fit mentio de abdicatione regiminis paſtoralis, & reditu ad intermiſſa ſtudia. quod utrumque Radbertus in genuinis ſcriptis ſuis identidem commemorat. Verùm quoniam vir doctus nuper in contrariam abiit ſententiam, alia proferenda ſunt argumenta, quæ Adalhardi & Walæ Acta conferentibus unum eumdemque Auctorem eſſe perſuadeant. Primo* Epitaphium Arſenii, *quæ titulus eſt Vitæ Walæ præfixus, Radberti verbis reſpondet in Vita Adalhardi, ubi Ambroſium & Hieronymum laudat, qui* ſuis epitaphia caris facundiſſimè condiderunt. *Deinde modus tractandi res lugubri & funebri more utriſque Actis convenit, in quibus Walam, uti & Adalhardum, ob lacrymarum gratiam maximè laudat, ut patet conferenti num. 25 Vitæ Adalhardi & initium epitaphii Walæ. Tertio Adhalhardi educationem num. 7 deſcribens Radbertus, ait eum* inter palatii tirocinia omni mundi prudentia eruditum *fuiſſe. De Wala,* Fuit à puero, *inquit*, inter tirocinia palatii liberalibus mancipatus ſtudiis, *in lib. 1 cap. 6. Quarto Adalhardum paſſim* Senem & Antonium *in utroque opere appellat. Quinto Adalhardum ob intrepidum juſtitiæ zelum Johanni comparat Radbertus in ejus Vita num. 7. itidemque Auctor epitaphii in lib. 2 cap. 12. Sexto*

Circ. ann. DCCC LXV Aprilis XXVI.

in Adalhardo paupertatis ſtudium pluribus dilaudat num. 13, 23, 59, & maximè 68 ejus Vita. Iiſdem pæne verbis id præſtat epitaphium Walæ in lib. 1 cap. 18, & 19. Quippe in Vita Adalhardi num. 68 inducit Adalhardum ſuos, id eſt Corbeiæ novæ Monachos, ad ſtudium paupertatis hortantem, & commendantem eis per omnia, ut in nullo terrenorum cupidi eſſent, neque quidquam vellent accipere unde alii gravarentur. *inſuper etiam dicentem*, quòd mult non ſolùm rectores eccleſiarum, ſed etiam ipſi ibidem Deo degentes, qui ſæculo renunciaſſe videntur, ob id decepti eſſent, quòd rebus nimiis abundarent. *Idem de Adalhardo & Wala tradit interlocutor Paſchaſius in lib. 1 cap. 18.* Ad hoc quippe duo iſti eximii fundamenta in gentibus ad boream civitatis cùm ponerent... tria iſta omnino monebant, ne rebus multum diteſcere gauderent, neque divitias ſæculi appeterent, ita ut in eis cor apponerent; ſed omnino delicias & voluptates, acſi venena fugerent. Ad ultimum, ne ullis, acſi pro religione, honoribus & faſtu delectarentur ſuperbiæ, ne fortè ex toto fateſcerent, & in vacuum deperirent: ſicut in Galliis multas deperiſſe à religione eccleſias bene olim fundatas cernimus. *Septimo Radbertus Adalhardo accommodat illud ex Horatio elogium.*

Fortis & in ſeipſo totus teres atque rotundus.

Idem Walæ tribuit Epitaphium Arſenii in lib. 1 cap. 9. Octavo Zeuxis pictoris exemplum in medium adducit Adalhardi Vita num. 20, idemque Epitaphium Walæ ſtatim ab initio. Nono Walæ juſtitiam prædicant Adalhardi Acta num. 32, ubi juſtitiæ cuſtos, & decus honeſtatis, oppreſſorum quoque juſtus oppreſſor *dicitur: in Epitaphio* juſtitia ferventior *in lib. 1 cap. 52. Decimo quæ de novæ Corbeiæ conditione leguntur in primi operis num. 66, 67 & 68, omnino reſpondent iis quæ in ſecundi cap. 14 & ſequentibus referuntur. Denique, ut cetera mittam, iidem utrubique characteres, idemque genius, idem ſtilus, eademque non rarò verba, & quidem ſingularia: quale eſt* interdum *pro* interim, *quod in Actis Adalhardi num. 71 occurrit hoc ſenſu, & in Epitaphio lib. 1 cap. 55, & alibi.*

45. Reliquum eſt, ut Radberti epiſtolam ad Carolum Calvum, quâ ei librum de corpore & ſanguine Domini jam antè abs ſe vulgatum dono tranſmittit, exhibeamus ex ipſo (ut videtur) autographo, ex quo epiſtolam eruit noſter Claudius Stephanotius. Hanc epiſtolam antecedunt verſus quidam ejuſdem Auctoris ad eumdem Carolum, eodem ordine hîc adſcripti.

Verſus quos ſcripſit ad KAROLUM Regem PASCHASIUS RADBERTUS Abbas, quando ad eum miſit librum ſuum de corpore & ſanguine Domini.

AUDENTER nunc nunc gelidæ de rupe camœnæ
Ut veniant petimus: verùm te, ſophia virgo,
Fulgentis niveum quæ ſervas lumen olympi,
Aurea lux mundum inradians cui vertice ſurgit,
Et Phœbæ radios facies gratiſſima mittit,
Componitque humeros ignitis purpura gemmis;
Deprecor ut precibus digneris cedere noſtris:
Regis & ad ſolium pro majeſtate verendum
Inceſſu properes gravido, vultuque modeſto:
Ut coram ſteteris, nitido ſic ore loquaris.
Rex virtute potens, ſophiæ quem ſplendor adornat,
KAROLE, cui nomen ſerie deſcendit avita,
En offert famulus devoto pectore munus

Abbas RADBERTUS placidè quod diva poteſtas
Accipias, necnon oculis & pectore cernas
Quid habeat, ſeu quid calamo ſignante peroret.
Non terrenum aliquid, ſed cæli myſtica promit.
Nam corpus Chriſti, roſeam ſeu ſanguinis undam
In lucem retegit, quæ ſunt myſteria monſtrans.
Legerit ut quiſquis devota mente fidelis,
Viſibili ſpecie cælorum arcana paveſcit.

CIRC. ANN. DCCC LXV APRILIS XXVI.

Epiſtola quam ſcripſit ad CAROLUM Regem RADBERTUS Abbas, quando ad eum miſit ſuum librum de corpore & ſanguine Domini.

DOMINO præcellentiſſimo Regi humilis & exiguus PASCHASIUS RADBERTUS veſter, etſi indignus, Abbas ac Levita Chriſti, Monachorum omnium peripſêma, ſalutem, Rex inclite, vobis. Hinc inde, ut condignum eſt, ad superventura diei Dominici feſta miſſuri ſunt auri argentique & vaſorum diverſi generis munera, necnon & variæ ſupellectilis veſtium ornamenta, atqoe falerata equorum ceterorumque animalium quæque præcipua: inter quos nimirum, etſi ultimus, fide devotus, quia monuiſtis, & mea (ut opto) vos delectant; decrevi non ignavi ponderis metalli veſtræ majeſtati munus offerre: ſed libellum, quamvis exiguum corpore, magnum tamen de ſacramentis ſacræ communionis, quem dudum PLACIDIO meo, WARINO Abbati, devoto & fideli veſtro conſecrans, ideo ſiccommuniùs volui ſtilo temperare ſubulco, ut ea quæ de ſacramento corporis & ſanguinis Chriſti ſunt neceſſaria reſcire, quos necdum unda liberalium attigerat litterarum, vitæ pabulum & ſalutis hauſtum planiùs caperent ad medelam. Nunc autem dirigere non timui vobis, quatenus nobis operis præſtantior per vos exuberaret fructus mercedis pro ſudore, cùm per vos ad plurimos pervenerit commendatus, & gratia nobis reſponderit oblati muneris: quia pecunia verbi (ſicut pleniùs, domine mi Rex, noſtis) quantos repleverit ſuis ſumtibus auditores, tantis copioſiùs in ſe amplificatur meritorum opibus. Qua de cauſa velim non levi animo iſta perlegat veſtræ ſollertiæ magnitudo, verborum ad alia pretioſorum amore ductus: ſed ſic ſuper hanc intendat prudentia veſtra menſulam paupertatis, acſi ad ferculum Salomonis, quod ambiunt ex fortiſſimis ſupernorum civium electorum ſexaginta fortes. Ubi profectò ſi quis ſuperciliosus, aut invidus, vel indignus acceſſerit uſquam, eorum tutus loquor præſidio, de quibus eſt ſermo, non iſta abſque periculo contemni: quoniam uniuſcujuſque enſis hinc inde vibratur, tam ut talium retundat audaciam, quàm ut Regis excubias cuſtodiat contra hoſtes. Qui etſi minus eſt in eloquio, multo præſtantius in materia, quâ dignè credentibus vita præſtatur incorruptibilis & æterna. Idcirco ne me putes, Auguſtorum * cariſſime, fabulam vobis contexere de Maronis ſalſura. Immo cavendum, ne ullus in his offendat: quia nihil felicius, ſi dignè ad ea guſtu intelligibili quiſque pertingat. Ubi, ſi rectè ſapio, quotienſlibet quicumque recumbit inter ea de quibus agitur, inter Angelorum frequentiam & ſanctorum omnium epulas verſatur: quia convivium æterni Regis eſt ad quod ingreditur, ubi ſponſus & ſponſa dulcibus deliciarum fruuntur muneribus, & Rex totius creaturæ quotidie ingreditur ut videat diſcumbentes, ſi veſtem, in qua renati ſunt, habeant nuptialem. Quaptopter non parvipendere debemus tantam gratiam: ſed cogitare qualiter poſſimus cum fiducia æternæ vitæ paſcua contingere. Hinc ergo, præſtantiſſime Rex, de hoc exiguæ lectionis eloquio placeat

Eadem ferè in epiſtola ad Placidium.

* clariſſime

Circ. ann. DCCCLXV Aprilis XXVI.

diligenter intendere, quanta ſit virtus in eiſdem myſticis ſacramentis, vitam æternam in præſentiarum accipere, & angelicis eſcis Chriſti in corpore cotidie ſaginari. Quoniam etſi à Deo plena ſunt omnia, noſque coram oculis divinæ majeſtatis ſemper verſamur, & perfidis ubique nullus tutus eſt locus; tamen plurimum coram ſanctis altaribus frequentiam Angelorum vultum Dei contemplantem divina obſequia obſervare oportet & vereri, taliaque mente & animo inſtantiùs perſcrutari. Et ut hoc diligentiùs veſtra perlegat ſagax intelligentia, licèt humilia videantur, proſtratis imploro precibus, quatenus veſtro examine comprobatus codex, etſi jamdudum ad plurimos pervenit, deinceps ſecuriùs haberi poſſit: quia non de noſtro iſta edidimus, ſed Catholicorum Patrum doctrinam veritatis calamo conſcriptam noſtro ſtilo commendavimus. Quòd ſi dignitas veſtra ea quæ devotus offero, dignanter acceperit; in ea quæ taliacumque grata fuerint, illud Maronis in fine cantabo:

hucuſque.

Aurea mala decem miſi, cras altera mittam.

46. Hactenus Paſchaſii epiſtola, ex qua Warino *Corbeiæ novæ Abbati adſciticium nomen fuiſſe* Placidio *intelligimus. In eodem porro Anicienſi exemplari occurrunt variæ lectiones ab editis diverſæ non parvi momenti, itemque additamenta tria, quæ habet Sirmondi editio, in Colonienſi prætermiſſa, nimirum exempla duo ex Actis S. Baſilii & S. Gregorii Magni relata cap. 14 apud Sirmondum, & additamentum capitis 19 ab his verbis,* reparandus credatur. *Quod idcirco noto, ne quis hos duos locos apud Sirmondum interpolatos credat. ſiquidem reperiuntur in codice Anicienſi, quem autographum eſſe exiſtimo. Cur verò in codicibus nonnullis deſiderentur, illud in cauſa eſt, quòd Paſchaſius libro ſuo non primùm vulgato, ſed ſecundis ab ſe curis recognito auctoque, qualis eſt codex Anicienſis Carolo Calvo oblatus, inſeruit. Ad hæc in eodem codice Anicienſi, ad calcem libri, ubi ſententiæ Patrum de Euchariſtia referuntur, adjicitur teſtimonium Hieronymi ex epiſtola ad Lucianum, quod in editis deeſt.*

Ceterum quod Paſchaſius librum de corpore & ſanguine Domini jam dudum ab ſe editum, denuo recognitum Carolo Calvo obtulit; hac in re Rabanum imitatus eſt, qui ſuum de cruce librum primum quidem Ludovico Auguſto, dein Gregorio Papæ IV, ac poſtmodum Monachis Dionyſianis ſimiliter obtulit. Hæc interim de Paſchaſio Radberto.

ORATIO PASCHASII RATBERTI

ante perceptionem Euchariſtiæ.

Ex mſ. cod. Corb. n. 461.

SIT nobis hoc ſacramentum tuum, Domine JESU CHRISTE, ad vitam, ſit ad remiſſionem peccatorum: fiat nobis hæc Euchariſtia ad vitam, & viſcera miſericordiæ & gratiam ſalutis, ſanitatemque animarum noſtrarum. Amen.

LIBELLUS

LIBELLUS
DE TRANSLATIONE ET MIRACULIS SANCTI BASOLI CONFESSORIS, Circ. ann. DCCC LXV Oct. XV.

Auctore Adsone, Abbate Dervenſi, ſæculo x.

Ex mſ. codice Cænobii S. Baſoli.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Historiam *tranſlationis ſeu elevationis S. Baſoli ab* Adsone *Abbate Dervenſi ſub annum* DCCCC LXXX *ſcriptam fuiſſe diximus in Sæculo ſecundo, ubi ejuſdem Sancti Vita relata eſt. Hanc Adſonis lucubrationem hic exhibemus cum nonnullis miraculis, quorum aliqua commemorat Frodoardus, nulla (quod ſciam) tranſlationis mentione facta. An verò Frodoardus ex Adſone, an Adſo ex Frodoardo quædam mutuatus ſit, mihi incompertum. nam alter alteri æqualis fuit, tametſi Frodoardus annis fere viginti ante Adſonem deceſſit. Utrùm Canonici vel Monachi in Cœnobio S. Baſoli tum, cùm tranſlatio celebrata eſt, extiterint, non ſatis liquet. Certè anno* DCCC LXXXII *jam locum inſidebant Canonici Monachis ſuffecti, ut teſtantur litteræ excuſatoriæ Clericorum Remenſium ad Hildeboldum aliaſque ſuffraganeos, quibus ſe ſe purgabant ex eo, quod mortuo Hincmaro de futuro ſucceſſore ante Viſitatoris adventum tractaverant. Demum Canonicis abjectis reſtituti ſunt Monachi anno* DCCCC LII*, ut ex Frodoardo ad Vitam S. Baſoli obſervavimus; & ſub ſecundo Abbate Adſone, Odolei primi poſt reſtitutionem Abbatis ſucceſſore, Adſo Dervenſis Abbas hunc Libellum exaravit. In illis primordiis apud S. Baſolum utcumque viguiſſe litteras, colligimus ex Gerberti epiſtola 7, in qua Plinium & Eugraphium ex S. Baſoli aut Orbacenſi Monaſterio ſibi perſcribi ab Airardo Gerbertus poſtulat.*

Caput I. *Monaſterii S. Baſoli inſtauratio, ejuſdemque Sancti tranſlatio.*

Postquam autem beatiſſimus Pater Basolus hinc ad ſuperna cælorum tranſierat regna, in illo duodecim Monachorum Cœnobio, quod ad radices montis ſtatutum olim fuiſſe diximus, longo defluenti tempore partim propter incurſus barbaricos, partim verò propter frequentes & perpetes in regno Principum diſcordias, omnis antiquorum Patrum deperit inſtituta traditio. Tunc etiam & alia Monaſteria ſunt ſuo honore privata, nudatæ rebus eccleſiæ, & plurimæ ſubverſæ.

Poſt multos igitur dies redeunte eccleſiis pace, rurſus in diverſo montis latere, eo in loco ubi Sanctus Domini egregiè converſatus fuerat, ob miraculorum aſſiduitatem, quæ Dominus dignabatur operari per eum, aliud eſt Monaſterium à B. Nivardo Remenſi Archiepiſcopo congruo ſatis & decenti opere fabricatum, habitaculis in circuitu juxta cultum religionis convenienter diſpoſitis. Quando verò totum ejus loci ad laudem & gloriam divini nominis eſſet conſummatum opus, ſed & poſt multa annorum curricula venerabilis Hincmarus Remorum Archiepiſcopus ſanctiſſimi Baſoli corpus à loco, in quo erat venerabiliter humatum, decrevit transferendum. Hic igitur convocato omni clero ſuo atque maxima multitudine populi, prout tanto negotio dignum fuerat; effodiens ſacri corporis theſaurum, de loco in quo priùs jacuerat, compoſito quoque eccleſiaſticæ dignitatis plurimo competenter apparatu, cum canticis & hymnis in ipſa eccleſia multo nobiliùs, quàm antè fuerat repoſitum, collocavit. In eadem verò die, qua honorificentiſſimum tranſlatum eſt ejus corpus, ipſa etiam dedicatur eccleſia in honore beati Martini Chriſti Domini Confeſſoris, ac ſanctiſſimi Baſoli noſtri per ſæcula patroni ſpecialis. Corpus ejus à terra elevatur per Hincmarū Remenſem Archiepiſcopum.

Circ. ann. DCCC LXV Oct. XV.

Hæc verò tranſlatio ſimul & eccleſiæ ſacræ dedicatio Idus Octobris facta eſt à præfato Hincmaro, magnæ auctoritatis Archiepiſcopo, qua ſcilicet die ipſius Sancti ſollemnitas recolitur celebrior, quia propter populorum (ut diximus) ex diverſis & longinquis partibus confluentiam contigit ut haberetur famoſior. Ex eo denique tempore multis & intercesſionibus Sancti hujus, multa ſunt ſigna oſtenſa virtutum, quæ non ſunt comprehenſa litteris ad memoriam poſterorum. Nos autem quantum noſtra ætate aut fieri vidimus, aut certè vera fidelium relatione jam olim facta cognovimus; ſive ea quæ à prudentioribus hiſtoriis breviter notata ipſi perſpeximus, ad utilitatem legentium palam exſecuti ſumus.

II. *De illo qui irreverenter Sancti baculum accepit, cujus pes emarcuit.*

Ultio divina in deriſorem.

Corpus ejus nec in templo S. Baſoli aut ſancti Remigii potuit humari.

LONGE poſt beati Chriſti Confeſſoris obitum, quidam natione nobilis, ſed elatus tumore & beſtiali feritate mentis, ad ſacram acceſſit eccleſiam, velut cauſâ orationis, qui poſt orationem ſolo excuſſus baculum Sancti accepit, ac mento ſuſpenſum, ſuper pedem ſtultus & amens ponit, deinde ſubſannando dixit: En baculus iſte indicat quàm parvulæ ſtaturæ Baſolus hic fuerat. Nec mora hanc blaſphemiam ultio divina complectitur. Nam pes ejus, cui Sancti baculus fuerat ſuperpoſitus, emarcuit, è veſtigio putrefactus, nec multò pòſt cum gravibus tormentis de corpore eſt evulſus. Corpus itaque ad templum viri Dei diſponitur evehendum: quod tamen ita eſt loco infixum, quaſi quoddam ſimulacrum immane ſaxeum. Cumque ad locum ſancti Remigii illatum, etiam exſequiis decernerent inferendas, ut poſſet elevari gleba, non eſt à Deo & ſancto Baſolo conceſſa licentia. At verò neceſſitate cogente, in Cathalaunico territorio demum permittitur habere ſepulturam.

III. *De monſtruoſo homine ex vico Curmolenſi curato.*

* *Cournelous*

Contractus ſanatur.

NEc illud quoque ſilendum eſt, quod ad Sancti hujus obtentum divino nutu novimus fuiſſe conceſſum. Pluribus eſt compertum, vicum Curmolenſem * non longè eſſe à Monaſterio ſitum. Tempus inſtabat, quo ſancti Confeſſoris ſollemnitas annuis gaudiis celebranda eſſet. Illuc ſe plebs univerſa contulerat: promiſcui multitudo ſexus hanc è diverſo frequentiam impleverat. Huic quoque tantæ claritatis ſpectaculo, ex vitu ſuperiùs illatu inter populares turmas ſe etiam quidam immerſerat, qui corporis in maſſam contracta congerie, greſſum vivo ferens in corpore ſepultum, videntibus quemdam horrorem incuſſerat miſerabilem. Per totam tamen repens ab hujus diei ſpectaculo non abſtinuit, ipſe potiùs omni populo ſpectaculum factus, voti ſui cenſum breviſſimum cum aliis plena fide intulit. Cùm jam hiems cæleſtibus nocturna eſſet celebranda celebritas, divina circa ſe irruente veſtigia, quæ dorſualibus inhæſerant partibus, extenſis nervis loca ſua violenter repetunt, ſupra pedes teſte populo conſtitit, & ex inceſſu novo lætitiam feſtivitatis turbis mirantibus auxit.

IV. *De illuminatione puellæ.*

* *Aiſne*

AXONAM * fluvium noſtrorum multi noverunt, in cujus partibus puella quædam fuerat, quam à cunabulis inviſa cæcitas tenebat. Hæc ferè quadraginta annis tali fuerat incluſa carcere pœnali, quam parentes tandem impoſitam vehiculo, inſtante die feſto, longo exacto itinere inter ceteras vulgi frequentias, ad Monaſterium ducentes, perveniunt, illatiſque voti ſui muneribus, hanc quoque Sancti meritis medendam offerunt. Neque hic defuit profuſæ pietatis myſterium, nam longi mæroris anguſtias ſubitò in gaudia commutavit; quæ cæca venerat, illuminata receſſit, ac poſtea plures vivens per annos, miraculum ſuum ipſa circumtulit.

V. *De muliere cæca atque illuminata.*

ALIUD ſiquidem huic non ex toto diſſimile virtutis opus geſtum referimus ſuper Coſlam ᵃ itidem fluviolum. Quidam inter proximos habitans, nativum incolebat cæſpitem, qui videlicet à loco diſtare cernitur decem & octo ferme milliariis. Hic uxorem habuerat, quam paſſiva qualitas intra cæcitatem diu concluſerat, quam conjux ſollicitus per Sancti hujus meritum credidit liberandam. Jumentum igitur ſtravit, hac ſuperpoſita procedenti ſanctæ celebritatis feſtivo conventu, fit ipſe cum uxore cæca unus è circumſtantium turba. Jamque pæne itineris illo ſuo labore conſummato, bino adhuc reſtante mi-

ᵃ Coſla fluviolus, *Coſle*, in pago Catalaunenſi paullo ſupra urbem influit in Matronam, habetque vicum cognominem, ubi ſepultus S. Gibrianus, ex Frodoardi lib. 4 cap. 9.

Circ. ann. DCCC LXV Oct. XV.

liario, ſenſit etiam in via virtutem ſancti Baſoli, qui non eſt paſſus ut devota fides antequam laborem caſulveret, laboris præmio fruſtrata remaneret. Nam mox orbata femina malæ poſſeſſionis tenebras deſerit, pinnaculum templi apertis oculis de longè reſpicit, gaudenſque marito dixit: Gratias Deo & ſancto Baſolo, redditi luminis gratiam recognoſco, atque eccleſiæ culmen fulgere video. Indeque ſe terræ protinus excutiens, nudatis pedibus reliquum itineris quod ſuperfuerat, celeriter peragit. Ad templum gratias actura pervenit, & lætanti populo gaudia majora cumulavit.

VI. *De quodam Adminiſtratore* Sperno *nomine, qualiter correptus fuit.*

Non longè à noſtra ætate [a] quidam religioſus vir & vitæ probabilis, Benedictus oomine, ipſius Monaſterii Abbas & Rector eſt conſtitutus, vir ſimplicitati ſtudens, & altaris familiam juſtè & moderatè gubernans. qui Benedictus decus eccleſiæ ſpatiis ampliavit, & variis donariis exornavit, & poſt non modica vitæ ſuæ ſpatia bono fine quievit. Huic germanus frater, nomine Spernus, Pater eſt ſubrogatus, qui fraternis degenerans moribus, dira cupiditate correptus, vinoque ad os uſque perflatus, cœpit ſibimet aliquando dicere: Hic meus germanus prædeceſſor ignaviâ detentus, ut puto ſegnitie, ex lucris hujus familiæ neſcivit ſua lucra doctè cumulare. Præcepit ergo ipſe procuratori ſuo villarum incolas ſibi tamquam ad puteal exhiberi: quos per varia diſtringens ſupplicia, ſibi bona eorum poſſet violenter extorquere. Adeſt tremens & miſera ruſticanorum multitudo confuſa, injuſtas ſibi intentari pœnas conſiderat. Tunc ad notum cuncti recurrunt auxilium, protendunt manus ad templum, flebili gemitu ſanctum invocant Baſolum. Nec ille plebis ſuæ diu querelas ſuſtinuit. Spernus malorum intentator & minarum ſpirans, nocturno ſilentio, in ſtratu ſuo divina virtute confunditur, ſenſum perdidit, medius crepuit, cum fœtore nimio peſſimè vitam amiſit. Familiâ tremore ſolutâ, cuncti ſunt inſtantibus periculis liberati.

Benedictus Abbas Monaſterium decoravit ac dilatavit.

VII. *Quòd per preces & merita beati Baſoli Wandalorum exercitus redit.*

Proptar perſeverantes malorum noſtrorum nequitias, has Galliarum partes divina ultio gentili gladio diſpoſuit tradere feriendas. Francorum regnum eo tempore Regem habuerat Carolum [b] Regis HLudovici filium, ante cujus tempora hoc paganorum genus intra fines Franciæ inviſum incognitumque fuerat, ſed abſque dubio totius populi commune ſit meritum nos ultionis incurriſſe diſcrimen horrendum: quia videlicet modò ubique regnat ceſſante caritate mater impietas, lex Dei confunditur, juſtitia ſubvertitur, ſecundùm prophetiæ dictum, adulterium, homicidium, perjurium inundaverunt, *ſanguis ſanguinem tetigit*, id eſt peccatum ſuper peccatum ſine aliqua interpoſitione cumulando crevit. *Oſee 4, 2.* Omnia confuſa ſunt & corrupta. Inter ſæculares, atque (quod eſt pejus) inter eos qui nomen habent religionis, jam ſine differentia cupiditas diſcurrit, & avaritia, multiſque rectas juſtitiæ ſemitas deſerentibus multiplicata ſunt mala in terra. Minoratur quotidie Chriſtianorum numerus; alii in captivitatem abeunt, alii ferro intereunt, alii inter pœnas & cruciatus deficiunt, alii præfocantur aquis, alii manibus & pedibus detruncantur, alii flammis injecti comburuntur, alii captivi ducti extinctis cadaveribus crudeliter ſunt per vias projecti, alii ex captivitate redeunt prô dolor! miſerandi. Everſæ ſunt villæ, paucæ extra urbes remanſerunt eccleſiæ; extinctis colonis, vacuæ relictæ ſunt terræ. Hujus igitur deteſtandæ gentis formidine, quando primùm ſe rumor per has partes fama volante diffuderat, præſidiis quique munimenta capiunt. Tunc quoque collecta ſancti Confeſſoris non modica multitudine, clerici omnes in unum conveniunt, cum ſui patroni ſacro pignore ad civitatem deliberant greſſus intendere; relictiſque non ſine mæſtitia propriis ſedibus, illa ſua domeſtica undique turba, tunſis in ſequente pectoribus ad vicum cui Puſiolus [*] nomen eſt, fluvio Vidulæ [*] contiguum duobus jam millibus pervenerant. Tunc clamor mæſti populi in excelſis attollitur, confuſæ lamentis voces longiùs inceſſanter audiuntur clamantium atque dicentium: O Sancte Dei, quid eſt quòd tale tibi adhibes obſequium, talemque tibi colligis comitatum? quò te ſequemur? cur locum tuum ſic vacuum eſſe pateris? Illis ita ſe terræ proſternentibus atque clementiam Dei & ſancti Baſoli deprecantibus, ut ſi ab hac auditione aliquid ſibi deberet noxium contingere, certum aliquod daret indicium, ne eſſet neceſſe ampliùs fatigari populum. Tanto pondere mox Sancti gleba ſigitur, ut oon oltra quàm in vicinam eccleſiam divertendi facultas concederetur,

[*] *Puiſieux*
[*] *la Veſle*

[a] *Tempore ſcilicet Domni Ebonis Archiepiſcopi*, addit Frodoardus, id eſt imperante Ludovico Pio.

[b] Carolum Simplicem intelligit, cujus tempore Hungari in Gallias effuſi ſunt, ſcilicet anno DCCCC XIX, ex Chronico Frodoardi.

CIRC ANN. DCCC LXV OCT. XV. ubi imminentem noctem vigiliis tranſigunt. In craſtinum cum ſui protectoris auxilio, omnes ad propria redeunt. Prædicta verò paganorum gens, eo quidem tempore eccleſiam ſancti Mauricii non tranſiit, quæ eſt ſita in confino Campaniæ ac ſilvæ Arguennæ.

IX. *De illo qui metallum deauratum in ſummitate turris cœperat convellere.*

SED quia paganorum gentem ſemel ingreſſi ſumos, referre etiam debemus, quæ diverſis temporibus facta fuiſſe cognovimus. Nam quia humanæ duritiæ non ceſſat culpa, non poſſunt quoque ſuper nos divini judicii ceſſare flagella. Alio etenim tempore hæc iterum intra Gallias facta eſt barbarorum irruptio, qui more ferino, quidquid ſibi obvium habuit, cepit, occidit, incendit, & vaſtavit, quorum adventu præcognito, dom quiſque vitæ munimenta capit, atque interitum cuncti verentur, clerici accepto corpore ſacro feſtini ſe in civitatem conferunt. Quare multitodo gentilium, vacua ab hominibus Cœnobii loca inveniens, divinum non verita defenſorem, liberè ingreditur, ac propter loci congruentiam cum univerſo comitatu tota paganorum ſtatio ibidem collocatur. Huc etiam ſtrages qoamplurimum & ſpolia paſſim inſectantes, ex diverſis partibus prædatu revertuntur. Interea dum turriculam in ſummo eccleſiæ poſitam deaurata conſpiciunt ſpecie refulgere, eorum unus auri cupiditate ductus, cui videlicet vicinæ mortis erat interitus præſinigus, per tecta repit, culmen templi conſcendit, ac fulgida metalla convellere cœpit. Sed cùm in id operis eſſet irreverenter intentus, divinam expertus à loco non deeſſe cuſtodiam, ſubitò per tecta rotatus in præceps datur, atque confractis membris ad terram perveniens, debitâ mortis pœnâ corripitur.

X. *De barbaro ſeu Wandalo, qui cornu altaris ut convelleret, temère apprehendit.*

ITERUM alius quoque ſacrum altare indigna pervicacia niſus conſcendere dum cornu altaris temere apprehenderet, ita manos ejus ſubitò inhæſit ſuperpoſita marmori [a], ut cùm magis poſſet abrumpi, nullatenus poſſet avelli. Cerneres captivam beſtiam abſque catenarum vinculis uno ſtare in loco divina virtute confixam. Interea barbara mirari multitudo, ne ſe par ultio coſtringeret, horreſcere ac numen inviſibile bruta audacia præſentialiter perſentire: ſed hunc ita revinctum, alii ita remanere non paſſi, hinc inde circa manum appoſitis bipennibus, lapidem concidentes, tandem gentilem ſolvunt: particula tamen marmoris manu ejus perpetua tenacitate inſolubiliter adhærente. Hoc itaque tale pondus uſque ad terram ſuam deferens, virtutis ſancti Baſoli iovitus prædicator referentibus ex captivitate quamplurimis viſus eſt ad ſuos jam arente brachio perveniſſe.

XI. *De illo qui cum uxore incidit in latrones.*

QUIDAM quoqoe antiquus [b] Remorum metropolis, & ſanguine & ſedulitate multis notiſſimus civium, ſemel in aono ad Sancti Dei Cœnobium conſueverat celerem pertendere greſſum, cupiens ſuarum ex facultatibus rerum ejoſdem loci Fratribus ad augmentum juſtitiæ devotiùs ire mioiſtratum. quò cùm aliquando ſolito more venire decerneret, & ſancti Confeſſoris famulis quædam largitate ſua offerenda ſecum aſſumeret, latrones offendit in itinere. Cui mox equus diripitur, omnis delata pecunia ad ſpolium retorquetur, comitantis oxoris univerſa, ut illa ſunt mulierum ornamenta, in prædam rediguntur. His acceptis greſſum latrones corripiont, hos infelicitatis damno mæror & anxietas confuderuot. At mulier dolore ſtimulata diſpendii, querelоſis Sanctum Dei cœpit inclamare vocibus, dicens, non ſe eſſe deinceps ſervorum ejus acturos obſequium, ſi ſic eos abire ſineret non ferendo præſidium? Poſt voces autem lamentis convulſas & gemitu, latronum equi obrigeſcunt, ut fixa ſimulacra dextra lævaque nec ad modicum flexibilia. Cum præda ſua miſeros horrere conſpiceres, eoſque divino quodam numine ad injuriam Sancti veluti ſaxa rigids uno in loco immobiles hærere non ſine admiratione perpenderes. Cùm itaque diutius ad ſe invicem rotarentur, tandem inter ſe conferunt, ob ſuam contra innocentes temeritatem factam divinitus ſe teneri, ac oiſi reſipiſcant, penitus abeundi privari liceotia: initoque conſilio ad eos quos rebus injuſtè nudaverant, trepidè redeunt, quibus cuncta reſtituont, & ut ſuorum veniam deprecentur facinorum, pudore perfuſi expoſcunt. Ita ſancti Baſoli

a Iſtius miraculi meminit Hugo Flaviniac. Abbas in Chron. ad ann. CM XXXVII, his verbis: *In Eccleſia S. Baſoli cùm quidam Hungarorum aſcendere ſuper altare niteus arcum manu applicuiſſet, manus ejus adhæſit lapidi, nec omnino quivit evelli, donec ceteris ſaxum circa manum ipſam incidentibus, partem ipſam lapidis in omnium admiratione perferre cogeretur otiocus.*

b Avunculum matris ſuæ, nomine Flavvardum, appellat Frodoardus, atque duos eidem Flavvardo filios in S. Baſoli Cœnobio Deo ſervientes fuiſſe.

ſuffragante ſibi patrocinio hoſtibus in via relaxatis, iſti devotiores facti, ad deſtinatum properant Cœnobium, gratias Deo & ſancto ſuo Confeſſori pro indultis ſibi beneficiis referunt; læti quod detulerant offerunt, donariis locum honorant, ac deinceps annis ſingulis quod cœperant, animis promtioribus exſolvunt. Circ. ann. DCCCLXV Oct. XV.

XII. *De rectore qui noluit prohibere canes à fonte.*

ILLUD denique referendum exiſtimo, quod cùm idem locus ſacros olim decenter ſatis habitæ cœpiſſet religionis amittere cultus, noſtri ſæculi jam moribus depravatis, Cœnobium cum rebus eſt cuidam laico Francigenæ in jus dominandi conceſſum. Nec mirum quoque, cùm per ea tempora etiam ſedes Pontificum ſubripuerit ſibi temeritas inepta ſæcularium poteſtatum; & ubi Abbates aut religioſi viri priùs ſedere conſueverant, inſipientium jam facta conventicula terreni faſtus ac vanæ multitudines loca poſſidebant, ſicut Propheta ſanctus, lapides ſanctuarii diſperſos ingemuit, & ſacris elatos ſtationibus oraculis oſtendit. *Thren. 4,1.* Hic ſiquidem cui poſſidenda tanta res fuerat, genere quidem clarus, ſed animia & vultu cernebatur nimiùm efferatus. Hac igitur ſibi ſtatione conceſſa vir ſæcularis ſuam illuc cogit familiam, Cœnobii ſedes occupat, res ſuas convehit, apparatum componit, atque hic potiſſimum manſitare decernit: illic tonſtrinas mulierculamm collocat, & greges canum plurimorum. Interea dum ſolutis habenis palantes canes latiùs evagantur, ut ſunt naturæ avidæ, ad fontem ſancti Baſoli, cujus ſuperiùs mentionem fecimus, incautè perveniunt: ubi cùm frequenter indiguis hauſtibus ſacri fontis aquas nil lambere prohiberentur, omnis illa canica multitudo verſa in rabiem, Confeſſoris ſancti injuriam pœna furiali digniter expiavit. Sed nec conquievit ira tot motibus divinitus excitata. Nam & ipſe indebitus dominator ſimili vindicta corripitur, qui inimici poteſtati traditus totus confunditur, amittit ſenſum, ferro religatur, ac circumſeptus amentia nec hominem ſe cognoſcit, qui immunda animalia à ſacris templi ſollicitus arcere contemſit. At verò familiaribus ejus ſanctum Baſolum piè conclamantibus, ac locum muneribus honorantibus, tandem curatus inſania, cavit ſervare reverentiam, cujus in ſe meminerat exercitatam ultionem.

XIII. *De pincerna impudico.*

HUJUS verò ad obſequium potentis cura quidam domeſtica pincernæ gerebat officium, vir levis nimis & frænos reſpuens continentiæ, promtus ad actus illicitos. Nam ſacro templo parte occidentali adhærens quoddam priori ævo ſtructum parvum fuerat habitaculum, in quo adhuc clauſuris exſtantibus rebuſque aliis deputatis, aræ jam collapſæ cernitur indicium. Hic denique ille dormitare ſolitus, cùm epotato nimiùm urgeretur vino, noctis opportuna ſecutus, uni ex grege feminarum vi irreverenter jungitur, tamquam beatus Baſolus aut ſuo abeſſet loco, aut quaſi clementer ferens nollet punire facinus. Sed is qui ſemper fuerat amicus pudicitiæ, non eſt paſſus juxta ſe nefariam temeritatem inultam remanere. Nam inter ſibi familiares tenebras dæmone corripitur, gravique ſupplicio infeliciter toto corpore laniatur, aſtrictiſque fortiùs loris nexualibus tamquam efferatum animal ad arborem religatur ulmum. Diverſorum utique monſtrorum voces imitatus cum canum latratibus ſua membra ipſe exulcerans, poſt longos cruciatus ad invocationem rurſus Confeſſoris Chriſti Baſoli dæmonio ſolvitur, ne quid illic tam indecens præſumeret agere de cetero caſtigandus.

XIV. *De illo qui tertiò monitus eccleſiam adiit, & ſanitatem integerrimam recepit.*

SED nec premendum ſilentio, quod non parvo excedenti tempore per aures effluxerat plurimorum, cujus facti eſt innumera teſtium multitudo. Maximum inter Principes Regni animoſitas accenſo fomite divortium fuerat concitatum, quibus neutri parti cedentibus cuncta irarum pondera, caſtri quoque Catbalaunenſis ſenſere diſpendia. Nam gravi undique excitata multitudine, quodam Baſone præduce, facto impetu aſſiſtunt mœnibus, ac flammis univerſa committunt abſorbentibus, ubi laxatis habenis toto regnante incendio, nil ſupereſſe potuit coacto in cineres municipio, ignibus quodammodo Trojanis revirentibus. Huic tanto facinori quidam Belgicæ provinciæ interfuiſſe traditur, cùm ceteros quidem, tum hunc quoque ultio divina impunem abire non ſiverat. Nam morbo concuſſo intolerabili, in modum utris pars lateris tabefacta diſtenditur, ac per diuturna tempora vivis excruciatus doloribus, diebus ſingulis infelicem animam pæne intra fauces volvens ſolum exitum præſtolatur. Nudatur ſubſtantia, caret familia, deſeritur à conjuge propria, abjicitur à cunctis velut jam cadaver exanime. Inter hæc itaque pœnarum incendia,

Circ. ann. per viſum Cœnobium ſancti Confeſſoris adire tertiò monitus, nullo modo ſe ſalvari niſi
dccc lxv virtute ſancti Baſoli, cùm uſque ad ea tempora nec nomen ipſius, nec locum audierat.
Oct. xv. Tandem feretro ſemivivus imponitur ad locum devehendus, ubi cùm adhuc vitæ diffidens paullulum orationes animo deſperatus effunderet, ac è ſepulcro Sancti mixti liquoris aliquid prælibaſſet; rediviva cœperunt membra paullatim reviviſcere, ita quòd non poſt multum temporis ſaluti redditus, tantæ incolumitatis exſtitit, quantam numquam fuerat expertus.

Plura ſane denique quæ de hujus beati Confeſſoris actibus viſa vel audita referuntur: nos tamen hæc ad utilitatem legentium humilitatis perſequi exempla volentium paucis edidiſſe ſufficiat. Cumque geſtorum excellentiora ſolummodo lector notata deprehenderit, ſublato prolixitatis tædio gratiùs iſta ſuſcipiat, & noxia ſcrupuloſitate animus nuſquam evacillet. Nam ſi cuncta quæ geſta ſunt, cæſæ membranæ ſuſciperent, non brevi hiſtoria elimata tenerentur. His ante omnia providi vera cautiùs dicere & faſtidioſis effuſiùs non obeſſe. Sicut autem qui cibo ſemper uno alitur, tædio gravatur, alternis verò veſci delectabiliùs mens trahitur: ſic ſi verba prolixiùs cudendo pertrahimus, verborum faſtidium de verbis congerimus. Hic ergo finem facimus, & tamquam poſt emenſi diſpendia gurgitis laborioſum navis noſtræ non ſine mercedis fructu quieta ſtatione finem religamus; agentes Deo gratias humiliter, qui nos per ſanctum Confeſſorem ſuum Baſolum & miraculorum honorat inſigniis, & inceſſantibus adjuvat patrociniis, favente Domino noſtro Jesu-Christo, qui cum Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat Deus per omnia ſæculorum ſæcula. Amen.

MONITUM.

Sequebatur *in mſ. codice hiſtoriola de relatione corporis S. Baſoli in ipſum Cœnobium* anno primo ſacerdotii Rodulfi Archiepiſcopi *facta de more.* Moris *quippe* eſt, ut hujus beati viri corpus per ſingulos annos ab Abbate Monaſterii & Fratribus ad Indictum Remenſe deferatur, & facto ſermone à Pontifice ad populum, rurſum ad locum ſibi deſtinatum deducatur. *quod hactenus in ſecunda feria Pentecoſtes obtinuit. Eo igitur anno, id eſt anno Chriſti* MCVIII, *quidam Lotharingus, nomine Dominicus, corpore procerus, cùm S. Baſoli clientes ob corporis brevitatem ſubſannaret, & Sanctis officium exhibere detrectaret; ilico à dæmonio correptus dicitur: ſed mox facti pœnitens, cooperante Girulfo* probatæ vitæ *Monacho, meritis S. Baſoli hac infeſtatione liberatus.*

Ann. Chr. dccc lxv Nov. xix.

VITA SANCTI JACOBI
MONACHI ET EREMITÆ
IN BITURIGIBUS,

Auctore Monacho Sulpiciano anonymo, qui ſæculo XVI vixiſſe videtur.

Ex mſ. codice Monaſterii Sulpiciani.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vita hæc cur data. 1. Vitam *ſancti* Jacobi *Monachi Græci, dein Eremitæ in Gallia, hìc exhibere non incongruum fuerit. Etſi enim conſtare videatur, eum Græcorum Monachorum habitum & vivendi genus in Gallia retinuiſſe, nec in Martyrologio noſtro ejus memoria inſerta ſit: quia tamen in Monaſterio Ordinis noſtri apud Bituriges aliquamdiu vixit, coliturque hactenus in Monaſterio noſtro Sulpiciano; ad nos pertinere judicavi, ut ejus memoria tranſmittatur ad poſteros. Vitam ejus*

à quo ſcripta. *primus ſcripſit* vetus Scriptor, qui oculato teſtimonio iſta & plura didiciſſe teſtatus eſt, *ut in ſequentis libelli num.* 20 *legitur. Hinc ſuſpicor auctorem fuiſſe* Johannem *Jacobi diſcipulum, de quo infrà num.* 23 & 24. *neque enim alius quis ejus geſtorum faciliè conſcius*

Ann. Chr. DCCCLXV Nov. XIX.

eſſe potuit. Primam hanc Vitam in compendium redegit recentior quidam Monachus Cœnobii ſancti Sulpicii in ſuburbio Bituricenſi, ubi ſancti Jacobi memoria præcipuè honoratur. Expolitorem hunc ſæculo ſuperiori vixiſſe conjicio, tum quia de ſodalibus noſtris agens vocat eos Benedictinos, *quæ appellatio ab uno aut altero ſæculo nata eſſe videtur: tum quia ſtilus ſatis elegans iſtud tempus ſapit: tum denique quia Auctor Patriarchii Bituricenſis, qui Monachus itidem Sulpicianus fuit, fragmentum ex veteri Vita refert, nulla mentione facta recentioris. Vivebat porro Auctor iſte anno* M D XL. *cui Philippus Labbeus Benedicto Vernerio nomen fuiſſe conjiciebat. Auctoris hujus verba hæc ſunt in Patriarchii cap.* 47. Sub idem verò tempus apud Saciacum vicum, qui nunc dicitur Capella-Gillonis, ſanctus Jacobus Confeſſor, vir omni laudum cumulo, aggere, faſtigio, pro ſanctiſſimæ vitæ merito efferendus, eremiticam ducens converſationem, beatiſſimum Antiſtitem Radulfum brevì moriturum prophetica voce prædixit, ſicut actuum ipſius fidelis relator ut facundè, ita & veriſſimè his verbis proteſtatur dicens: Interea vir Domini Jacobus inter tot præclara bonorum operum exercitia, illuſtratus gratiâ divinâ prædixit prophetico ſpiritu obitum præſtantiſſimi Pontificis Rodulfi. qui inſitâ ſibi prudentiâ, animi quoque nobilitate, ſua tempeſtate plebem ſibi creditam optimè regens, meritò Pater patriæ à cunctis Aquitanicæ gentis primoribus dici poterat. *Ex his verbis, quæ alio modo reddit expolitor num.* 26, *ſatis apparet, primum ſcriptorem hujus Vitæ non ita barbarum fuiſſe, ut expolitor in prologo ſuo perſuadere conatur. Antiquum hunc Auctorem, quantum in me fuit, perquiſivi. at neque per me, neque per amicos reperire mihi licuit.*

S. Jacobi memoria.

2. *In pervetuſto Uſuardi Martyrologio aliquot Sanctis Bituricenſibus aucto, quod Philippus Labbeus ex mſ. codice Bituricenſis Parthenonis ſancti Laurentii eruit in Bibliotheca nova tomo* 2, *ſancti Jacobi memoriam lego his verbis.* XIII Kal. Decembris, Bituricas territorio, loco Saciaco, ſancti Jacobi Confeſſoris. *In mſ. codice Sulpiciano, ut mihi ſignificavit Stephanus noſter Wichardus, inter alia Sanctorum officia propria habetur officium ſancti Jacobi cum Hymnis, Antiphonis, Reſponſoriis, Miſſa & Proſa propriis. præfixo hoc titulo.* Sequitur officium divi Jacobi Heremitæ celebrandum undeviceſima die Novembris: cujus corpus ſacratiſſimum apud Capellam-Gillonis, non ignobile oppidum Bituricenſis diœceſis, veneratur. *In Breviariis etiam tum mſſ. tum editis exſtant de eo Lectiones octo.*

Loca ab eo in Biturigibus culta.

3. *Complura loca ſanctus Jacobus præſentiâ ſuâ illuſtravit, ut patet ex ſequenti libello: de Bituricenſibus tantùm hic aliqua præmittenda. Biturigas profectus vir ſanctus, Epiſcopi permiſſu in vicinum Monaſterium Ordinis ſancti Benedicti ſeceſſiſſe dicitur. Sulpicianum interpretantur, ut audio, recentiores. Monaſterium hoc, Navenſe principio dictum, in ſuburbio ejus urbis condidit ſanctus Sulpicius Epiſcopus, cognomento Pius, cujus Vita exſtat in Sæculo noſtro ſecundo, à quo nomen ſancti Sulpicii loco acceſſit.* Monaſterium quod tam vehementer placuerat Jacobo, aliquot milliaribus diſtabat ab urbe Biturica. *quod dici non poteſt de Navenſi Cœnobio ſuburbano. Plura erant tum in Biturigibus Monaſteria. Longoretenſe, Millepeccenſe, Gaudiacenſe, Stradenſe, Maſciacenſe, Dovertenſe, poſtea Virzionem tranſlatum. Maſciacenſe & Dovertenſe ſpectabant verſus Saxiacum, ubi poſtea Jacobus ſolitariam vitam duxit. Nunc locus dicitur* Cella-Gillonis, *vulgò* la Chapelle Dangillon, *ad Saleram* minorem, qui in majorem influit: ſic dicta à Gillone domino Sulliacenſi, Capellæ & caſtri adjacentis conditore. Diſtat ab urbe Biturica octo leucis, in via quæ fert Luteciam Pariſiorum. In ejus loci eccleſia coluntur ſancti Jacobi reliquiæ, habeturque Prioratus Abbatiæ Sulpicianæ unitus. Ab eadem etiam pendet & alius Prioratus ſeu eccleſia ſancti Jacobi unâ leucâ à civitate Virzionem verſus: in qua viſitur latibulum quoddam inſtar cellulæ obſcuræ ſeu potiùs ſepulcri, ubi ſanctus Jacobus delituiſſe creditur antè, quàm Saxiacum ſe reciperet. An fortè eo in loco ſitum erat Monaſterium, in quo aliquantiſper hoſpitatus eſt? nam duo tantùm loca in Biturigibus incoluiſſe memoratur.*

* la petite Saudre

Græci Monachi in Gallia.

4. *Ceterum conſiderato acceſſu Jacobi in Galliam, ſubit in mentem id quod de Gorzienſi Monaſterio legitur in hiſtoria tranſlationis ſancti Gorgonii edita in Sæculi tertii parte* 2, *ubi Auctor ait, convolaſſe in Gorzienſe Monaſterium homines ex omnibus orbis partibus, ſpecialiter* ex Græcia: *unde etiam ſanctus* GHISLENUS *in Belgium acceſſit.*

PROLOGUS AUCTORIS.

Monaſteriorum mos legendi Vitas Sanctorum.

1. CUM ſit obſervata in Monaſteriis conſuetudo, ut ſi rotante animo ſint ſollemnia cujuſcumque Sancti vel Sanctæ celebranda, eorum Vita vel in nocturna ſynaxi, vel refectionis hora prælegatur; hoc jus nos cogit, Frater cariſſime, ut beati JACOBI Eremitæ, cujus merito Cœnobium hoc Sulpicianum annuo proventu ditеſcit, etiam recordatio ejus fiat ſollemnior. Non igitur citra culpam eſt obmittere geſtorum ejus narrationem. Sed Fratres nolunt hoc ſibi adſcribi vitio, quòd Vita Sancti non legitur, dicentes prolixiorem eſſe lectionem, quàm conveniat

Ann. Chr. DCCCLXXV Nov. XIX.

ejus Auctor veterem S. Jacobi Vitam breviavit.

vigiliis nocturnis: ne illis ſuccedat nimia fatigatio. Vita ſiquidem porrigitur ultra mille quater centum verſus, quos vulgus lineas appellat: & intermixta ſunt multa ſuperflua, quæ monachali inſtituto minimè congruunt. Nec hæc præfamur in ſuggillationem antiqui Auctoris, qui profectò ſuo tempori apprime interviuit. Sepultæ ſiquidem tunc erant litteræ ſæculares, quæ juvant dicendi opificem. Nam illa tempeſtate, qui Latinè balbutire ſciebat, quaſi Ciceronis aſſecla exiſtimabatur. Danda eſt ergo venia antiquo Scriptori, qui geſta Sancti ſuperfluo ſermone proſecutus eſt. Diſgreditur enim in varias topographias & etologias, quæ ad rem non multum pertinent: quorum tamen deſcriptione nos reddit admonitos, ſe non fuiſſe fandi pro ſuo tempore ignarum. Addunt præterea Fratres pro excuſatione ſua, vitam illegibilem eſſe, quia membrana vetuſtate deleta eſt, & multa verba deſiderantur, marginesque aliquot diſlutæ & ſciſſæ ſunt, amputatis capitalibus litteris, ut Sibyllæ opus eſſet ad divinandum quod corroſum eſt. Tua tamen caritate me cogente, ô cariſſime Frater, accingar ad reſarciendam Vitæ editionem, omittendo minùs neceſſaria, amputando ſuperflua, inſtaurando deſiderata, & ſimplici hiſtoriæ inſtando. Res ardua eſt, & quæ proprias vires excedit & modum. Quis enim pollutus labiis audeat cæleſti gloriæ inſertum prædicare? Sanctos ſancta decent eloquia, terrenos autem terreſtria. Mihi igitur peluſiotæ & de limo producto & in limo verſanti os erat oppilandum, ne ineptè ſermocinarer de Sancto: nec hortationem tuam probaſſem, niſi neceſſe foret quod rogas. Caritati igitur tuæ neceſſaria poſcenti expono vela: tu oratione contende ut adſpiret aura cæleſtis, quæ nos poſſit perducere ad portum optatæ conſummationis.

INCIPIT VITA

ſancti Jacobi Monachi & Eremitæ.

Jacobus Græcus,

claris parentibus,

militiæ addictus,

2. FUIT igitur puer præclarus JACOBUS, cognomento EREMITA Saxiacus, ad Gallos ex Græcia profectus, à Deo ex generis humani maſſa exemtus, ut eſſet illi vas electionis ad ſalvandas gentes multas. O vas admirabile, & mirabili gratia ex contumelia in honorem mutatum! Iſte Sanctus natione Græcus parentes habuit ſecundùm ſæculum generoſos, locupleteſque, & (quod felicius eſt) pietate Chriſtiana celeberrimos. Patre namque FELICE nomine, & matre HERMENA progenitus, ad nos pervenit gratiâ & virtute plenus. qui cùm more patrio pueritiam liberalibus diſciplinis imbuiſſet, quantum opus erat, nobilibus parentibus nato & properanti ad militiæ ſæcularis ſtratagemata, tantùm in tirocinio profecit, ut nemo ei ſeſe præferre auderet. Nam ſcholis & Muſis relictis, juvenis factus ſe militaribus præludiis exercuit, & quidquid glorioſum eſt in tirone ſeſe exercenti ad militiam, ſtatim tamquam provectus miles habere prædicatur. Ad hoc etiam naturalis diſpoſitio eum juvabat. Erat enim ei immenſitas virium, dexteritas agillima, membrorum expeditio, corporis venuſta & robuſta compoſitio, vigil animus, manus ſtrenua, pectus toroſum, cervix erecta, humeri lati, oculi acres, celeritas pedum, & reliqua perfecto militi optabilia.

Leoni Imp. acceptus a

auræ ſæculari ſtudet,

ſex fratres ad aulam vocat.

3. Qua de re accerſitur ad aulam LEONIS a Imperatoris, cui etſi gratus erat propter generis originem, fama tamen viri ad militiam inſtructi reddidit gratiorem. Aulicis namque adſcriptus, Imperatori fuit acceptiſſimus. Qui cùm in dies ſentiret ſe prævalere commendatione & favore erga Principem, cœpit ejus animus expalpari gloriæ ſæcularis titillatu, quo delinitus, mirabilia in futurum ſibi pollicebatur, adeo ut conciperet ſe potentia ſæculari poſſe reddere progeniem ſuam ſolito glorioſiorem. Ideo cùm haberet ſex fratres, primogenito nomine HERPELINO jam ſacris rebus initiato, reliquos quinque qui militari gloriæ inhiabant, ad comitatum regium accerſivit. Sed eorum mens cùm averſa eſſet ab omni modeſtia, qua Jacobus licèt jam gloriæ temporalis foret mancipium, non uſquequaque deſtituebatur. Illi enim ingratioribus vivendi formis apud multos malè audiebant: Jacobi verò mores cunctis placere procedebant, quamvis in eum ambitio ſæculi graſſaretur, ut eum poſſideret ſervum ſempiternum. Cui tamen reluctabatur nativa honeſtas, qua ab initio præditus fuerat, & perſeverabat in ea, licèt vitiis juvenilibus aliquantiſper obſcurata.

ab Herpelino fratre trahitur ad meliora.

Interea rumor per totam Græciam evulgatur, Jacobum eſſe Imperatori cariſſimum. Audit talia venerabilis ejus frater Herpelinus primogenitus; & ſentiens hujuſmodi famam prodire ex vanitate ſæculi, profundè ingemuit: & animas fratrum ſuorum verſari cum pe-

a Nempe Leonis V, cognomento Armeni, qui ab anno DCCCXIII ad XX imperavit. nam Leo IV, cujus principatus ab anno DCCLXXV in annos quinque, remotior eſt ab ætate Jacobi: & Leo VI eo mortuo imperare cœpit anno DCCCLXXXVI. Hinc colligas, Jacobum Protoſpatharium, de quo Theophanes ad annum DCCLXXX, & Hiſtoria miſcella lib. 23, alium eſſe ab iſto, qui eo tempore necdum fortaſſe natus erat.

riculo in aula conſiderans, ſe diu noctuque macerat coram Deo, ut converſionem eorum impetret à vanis ſpebus ad ſolidas. Præcipua tamen cura de Jacobo eum artabat, quem artiùs amabat, eo quòd uterina effuſione eſſet illi propinquior, quia major natu poſt ſe erat. Et quia ingenitam à cunabulis docilitatem in ipſo eſſe conſpexerat, magis quàm in ceteris fratribus, quos jam mundus ſuis moribus immiſcuerat, & quos deſperabat ad ſaniora converti; in unius Jacobi ſperabilem ſalutem à Domino impetrandam totus incumbit, non parcens jejuniis & orationibus. Quibus præmiſſis deſiderio fraternæ viſitationis illum invitavit ad mutuos conſpectus. Qua invitatione plurimùm delectatus eſt Jacobus: nec diſtulit accedere ad fratrem, hoc adſcribens gloriæ ſuæ, quòd dignus fuerit accerſiri à fratre, quem fama Sanctum eſſe ubique divulgaverat. Ab ineunte ſiquidem ætate à patre Felice nobili & religioſo viro fuerat oblatus Eccleſiæ, ut Monachus eſſet & Clericus, qui nuper etiam dignè pro meritis ab Epiſcopo SERGIO [a] fuerat Sacerdos ordinatus. Venit igitur ad fratrem Herpelinum venerabilem Preſbyterum Jacobus miles, totus ſæculum ſapiens, & pompas ejus ambiens; lætus tamen propter fraternum conſpectum diu deſideratum. Occurrit Herpelinus in amplexos, genialis exhibetur hoſpitalitas, fiunt omnia quæ honeſtus amor inter fratres poſtulat. Tandem peractis omnibus quæ lætitiam novi adventus conciliaverant, ſederunt pariter, & collocuti ſunt mutuò. Ingrediente autem Herpelino evangelicam diſputationem, exponenteque doctrinam præcurſoris ſancti Johannis Baptiſtæ præſcriptam militibus, qui ne damnarentur, oporteret eos nulli inferre calumniam, neminem concutere, & contentos eſſe ſtipendiis ſuis; tantâ efficaciâ ille ſermo proſiliit, ut Spiritus-ſancti gratia diffuſa in labiis Herpelini infunderetur in præcordia Jacobi: in quo metamorphoſim mirabilem operata eſt, dum hominem mundanum transformavit in virum ſpiritualem. Sicut enim urſa catulos crebris linctibus in ſpeciem maternam producit; ita refiguratus eſt Jacobus bonis ſermonibus Herpelini. Diſſipato enim milite ſæculari miles Chriſtianus affabrè compactus eſt. Hæc mutatio dexteræ Excelſi, qua glaciatum cor, emiſſo verbo Dei liqoefactum eſt. Flante enim ſpiritu ubertim lacrymarum ſcatebræ ab oculis amborum emanaverunt, diſtincto tamen affectu. Nam Herpelinus flebat præ gaudio, & Jacobus corde contrito & humiliato, quod Deus non deſpexit. Corruens nempe Jacobus ad pedes Herpelini, ait: O mi frater, benedicta ſit lingua tua, quæ dulci vulnere cor meum ſauciavit, ut nihil aliud optem præterquam monitis tuis parere. Ecce pater noſter & mater noſtra nos genuerunt carnales: tu autem hodie mihi factus es pater ſpiritalis. Heu! cur hactenus in ara ſatanæ animam meam mactavi deinceps cremandam gehennæ ignibus, ſi meo more vivere perſeveraſſem! Et hoc ignorabam! Poſt hæc. Obſecro te, mi frater, para me victimam dignam ſuperponi altaribus crucis, ut in æternum proficiat in laudem Creatoris ſui. Nunc ergo quid me vis facere? jube quod vis, & nunc me aſſeclam polliceor.

Ann. Chr. DCCCLXV Nov. XIX.

5. Cui Herpelinus totus gaudio perfuſus ait: Vides, mi frater, gratiam tibi cælitus & ſubitò collatam, quæ neſcit tarda molimina, facit enim repentè quod libitum eſt ei. Telonearium vertit in Apoſtolum, peccatricem confeſſam in profeſſam, Principem publicanorum in reddentem quadruplum dolo deceptis, in oſora preſſis, & donantem dimidium bonorum ſuorum pauperibus. Syrophœniſſam catellam liberat à dæmonio, vertens eam in Iſraëliticam oviculam. Sic te dudum ferocientem & meditantem inania mutat in virum mundum relinquentem, & à Deo collectum, ad cæleſtia deſideria erectum. Sed non ſufficit ut exiens de regione diſſimilitudinis, & intrans in reformationem mentis, niſi recidivis caſibus oppilaveris aditum, ne triviale illud tibi conveniat: Canis reverſus ad vomitum, & ſus lota in volotabro luti. Hoc fac ergo quod dicit Dominus de Johanne: *Quid exiſtis in deſertum videre hominem mollibus veſtitum? ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt.* ſed qui cingitur zonâ pelliceâ, & pilis camelorum veſtitus eſt, melle ſilveſtri & locuſtis victitans, ille eſt pluſquam Propheta. Exuere ergo, frater, indumentis ſericis, & ſuſcipe ſchema Monachorum, ut omnes ſciant te poſt hæc alteri velle fortitudinem tuam cuſtodire. *Matth. 11. 7.*

6. Hæc loquente Herpelino, Jacobus ait. Frater mi, quid currenti calcar addis? præſtò ſum tuo conſilio parere. Et ſtatim Jacobus animo mutatus mutatur & habitu. Sed ne tentaret illum qui tentat, ne etiam faſtidio pugnæ ſpiritualis aporiatus repeteret dimiſſa; monachatui additur Diaconatus officium, ut Levita nequiret voto [b] adſtrictus reſilire ad ſæcularem militiam. Protinus igitur ab Herpelino Jacobus Epiſcopo nomine SERGIO præſentatur, qui pridem Herpelinum Preſbyterum conſecraverat. quem intuitus cum fratre, ga- *a fit Monachus & Levita.* [b]

[a] Non Conſtantinopolitano. nam toto ſæculo nono nullus eo nomine hanc eccleſiam rexit. Auctor iſte putavit fuiſſe Sergium, qui poſtea Papa hoc nomine ſecundus factus eſt. Mirum verò ſit, ab Epiſcopo Latino (nam Sergius Romanus erat) ordinatum fuiſſe hominem Græcum in Græcorum urbe primaria. Neque id factum ob intruſionem Johannis Patriarchæ, qui poſtea Jacobum Preſbyterum ordinaſſe dicitur num. 11.

[b] Non quò monaſtica profeſſio eum non ligaret: ſed quòd duplex vinculum fortius adſtringat quàm unicum.

Ann. Chr. DCCCLXV Nov. XIX.

vitus eſt plurimum, offerens benignè & hilariter quod petebatur à fratribus hoſpitali gratia exſultanter exceptis. quibus redire ad propria volentibus gratulabunda benedictio exhibita eſt.

Invitatur à fratre in Galliam.

7. Interea quotidie fratres proficiunt in via Domini, in qua annum vel paullo plus tranſigunt, cogitantes & proponentes inſtar Abrahæ Patriarchæ inire peregrinationem, ut tandem in hæc verba Herpelinus prorumperet loquens ad Jacobum. Quid hic, frater,
» reſidemus inter notos & cognatos? inter quos nec Maria, nec Joſeph invenire potuerunt
» duodennem Jesum. Nemo Propheta eſt in patria. Qui Patriarcharum, Prophetarum, &
» Apoſtolorum ſequi veſtigia decreverunt, qui circuierunt in melotis & in pellibus caprinis,
» egredientes, anguſtiati, tamquam peregrini & advenæ, per diverſa diſcurrentes; quare ſter-
» timus hic, & non contendimus cenſeri eorum imitatores? Diſtrahamus ergo, frater Ja-
» cobe, quod nobis ſupereſt de poſſeſſione paterna ad viaticum, & adeamus regiones longin-
» quas. Fama vulat non fallax in Galliis plures eſſe Sanctos, quorum exemplo & doctrinâ
» proficere poſſimus. Peregrinantes igitur ſanctiorem vitam noſtram faciamus: & dum per-
» venerimus ad illos, cum ipſis, ſi ſenecta & ſenium nobis ingruerit, metam vagandi fige-
» mus, exſpectantes diſſolvi & eſſe cum Chriſto.

Navim conſcendit cum fratre.

8. Conſilium hoc Jacobo placuit, & mox diſtractis omnibus ad commeatum neceſſariis litus Conſtantinopolitanum adeunt, & claſſem quinque navium ex conducto præparant, & conſtipant quibuſcumque ad viam longinquam peragendam neceſſariis, non deſperatione egeſtatis trepidi, quaſi de craſtino infideliter cogitantes; ſed ut ubique locorum quibuſlibet egenis ſtipem impartirent, erga ſe parſimoniam, & erga inopes liberalitatem exercere meditantes. Conſcenſis igitur altrinſecus navibus cum ſuis comitibus & ſarcinis Romam priùs expetunt, benedictionem à ſummo Pontifice ſuſcepturi: & illinc, ſi aura fauſta afflaret, Hieroſulymis ſepulcrum Domini ſe viſuros decreverunt; deinde marina excurſione ad Gallias navigaturi, ubi manſione potirentur optata. Aſt poſtquam æquoreis fluctibus commiſſa eſt navigatio, per triduum & ...noctium fuit proſpera. Sed tertia nocte, Deus bone! quid voluiſti ut confunderes exſpectationem ſervorum tuorum? nonne illis inſpiraveras peregrinationem ſuſcipiendam? Quàm terribilia opera tua, Domine! nimis profundæ ſunt cogitationes tuæ! vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc. Certè quantum diſtat cælum à terra, ita cogitationes tuæ à cogitationibus hominum, quas etſi aliquando non reprobes, mutas tamen in melius. Cogitaverant Herpelinus & Jacobus ſimul peregrinari, & numquam divelli ab invicem, & viaticum congregatum diſpergere pauperibus, victum & veſtitum parvum ſibi reſervaturi. Et hæc bona fuerat cogitatio. At diſpenſatio tua longè melior. Igitur conturbaſti mare & profundum ejus, dixiſti, & adſtitit ſpiritus procellæ, & exaltati ſunt fluctus maris adſcendentes uſque ad cælos, & deſcendentes uſque ad abyſſos. ad quorum horrificam tempeſtatem contabuit & turbata anima navigantium, & nautarum induſtria devorata eſt. Tres nothus abreptas naves per cærula ponti diſpergit cum Herpelino, reliquas duas de claſſe cum Jacobo repulit in Africam, ubi ſtatione ſatis infida excipiuntur. Unde triduo tranſacto, ubi cælum cœpit arridere, & freta conquieverunt, iteratur navigatio non commodior priore. In litus nempe allabuntur quod Lybies ab Ægyptiis diſterminat, quod Sarracenorum tyrannide infeſtabatur, & illic manere novemdialem moram tempeſtas coëgit, donec ſale tabentes artus & corpora tantillum refeciſſent. Ideo ocius illinc adſcendunt, & Dei voluntati navigium committitur, quod rectà Sardiniam inſulam appulit: ubi inventa natione Chriſtiana Jacobus Chriſtianiſſimus cum ſuæ pietatis æmulis Chriſtiana hoſpitalitate exceptus eſt, ductuſque ad Principem, nomine Primum, coram quo euchari lingua obtinuit trium menſium hibernationem cum omni humilitatis & caritatis gratia.

Tempeſtate jactatur in Africam.

In Sardiniã appellit.

In portum Conſtantinopoleos reducitur.

9. Accedente autem verno tempore & zephyris flantibus, optata valetudine & gratiis actis ſuſceptoribus ſuis, hoſpes Jacobus cum ſuis nautis naves conſcendit, quas remigio divinæ providentiæ precibus ſinceris commendavit: & paulò pòſt unde à principio ſolverat, portum Conſtantinopolitanum ſe reverſum miratur. Omnibus autem naves exeuntibus, ſtatutum eſt reſidere in patria, nec deinceps pericula maris tentare, quæ vix vita comite evaſerant. Aſt Jacobus patrios lares præ peregrinandi pietate pertæſus, cogitabat reditum ad maris aquas: priùs tamen tota diligentia à Conſtantinopolim confluentibus undecumque terrarum populis propter urbis celebritatem & comitatum Imperatoris percunctatur, ſi fratris ſui Herpelini, & ſecum navigantium obiter noviſſent acceſſum; & ſi qua parte terrarum reſediſſent, quorum luxerat dubiam fortunam. Quod cùm penitus ſe ignorare reſpondiſſent, flebili mente divulſionem fraternæ præſentiæ, & verbis funebribus proſecutus eſt; & Domini miſericordiæ commendans eventum ait: Juſtus es, Domine, & rectum judicium tuum! Forſitan ſic egiſti, ne ſpes noſtra ſubmergeretur terrenis opibus, quas præparaveramus ad viaticum. Potuiſſet ſiquidem vermis aut tinea demoliri theſaurum noſtrum. Fortè etiam prævidebas ſolatia carnis fraternæ non uſquequaque eſſe tuo ſpiritu excocta: nondum

Fratris avulſionem fert patienter.

Ciac. ann. dccc lxv Nov. aix

delectationis ſanguineæ ſcoria ad purum à nobis exſulaverat: cujus nobiſcum manente tenacia, minùs te dilexiſſemus. Tu enim ſanctus Sanctos diligis, & tibi adhærentes unum ſpiritum tecum efficis. Fiat voluntas tua. Nolle quippe vellem io quos maria ſinus & in quas regiones ignotas ſævâ turbinum irâ jactatus ſit frater meus, ut illuc pergerem, quatenus illius ſpiritali ſolatio fruerer, quem dederas mihi pro fratre patrem. Sed quoniam id communione humana mihi ſit impoſſibile, oro te, Domine Jesu, ne patiaris me ineſcari natalis ſoli dulcedine, & illecebris familiarium rurſus irretiri. Aperi mihi viam io qua ambulem, quia ad te, Domine, levavi animam meam; & venerabili fratri meo Herpelino concede, ut ubicumque terrarum reſederit, toto te corde perquirat, & quæ dignè poſtulat adſequatur. Quòd ſi abſorptus eſt naufragio, illius & comitum ejus animas in regni tui perennitate fac eſſe felices.

Navi conſcenſa jactatur in Joppen.

10. Poſt luctum pro fratre Herpelino ſuſceptum venerabilis Jacobus nautas ſibi notos requirit, & mercede conducit, ut priori excuſatione ſopita recipiant ſecum navigationem verſus oſtia Tyberis. quod celeriter proſequitur, ne ei fieret in genitali territorio mora prolixior. Conventione igitur firmata conſcendit navim cum reliquo commeatu qui ſuperfuerat. & ecce iterum immittit Deus navibus auſtros, & æſtuoſum mare furit, & evomit navem in Joppem. Deſcenditur ad litus, & miratur Jacobus ſe illuc appulſum: & tribuens divinæ pietati quòd ad Judæam pervenerat, ad quam priùs optaverat accedere, fecit de neceſſitate virtutem. Loca ſancta diu deſiderata viſitat: in primis auguſtiſſimum illud templum omni terra ſanctius, cujus ambitu mauſoleum Domini continetur, ad quod gentes univerſæ quotidiano concurſu venerabiliter prorumpunt quibus dum ſe Jacobus comitem immiſcet, priùs Patriarcham Hieroſolymitanum adit, ab eo benedictionem expetiturus, & locorum ſanctorum viſitandorum ordinem edocendus: à quo læta fronte excipitur, & de quibus optat inſtrui, affatim edocetur. Ante omnia igitur ſacroſanctum Sepulcrum cum peregrinis de cunctis terrarum climatibus prodeuntibus inviſit, veneratus eſt, & lacrymis adſperſit. Locus quippe eſt ille tam ſanctus, ut ante omnes glorioſis Chriſti reſurgentis pedibus calcatus ſit, quem proxima veneratione & ſimili argumento mons Oliveti ſequitur, utpote qui retineat ſtigmata veſtigiorum Domini noſtri Jesu-Christi ad cælos conſcendentis. Tanta devotione prædicta loca viſitavit Jacobus, ut propemodum inſtitutæ peregrinationis obliviſceretur proſecutionem, optans, ſi Deo placeret, inter ſuſpiria & ſingultus & lacrymoſas orationes emittere ſpiritum. At nondum venerat meta laborum, redeundum erat ad agones. Igitur ad ſe reverſus Jacobus, & viſitatione ſanctorum locorum peracta, iterum Patriarchæ Hieroſolymitanorum ſe offert; & interrogatione facta utrum eſſet peregrinis ſecura habitatio in Hieruſalem, audivit Saracenos immenſis tributis & exactionibus tyrannicis Chriſtianos incolas loci illius & inquilinos ſubjugari validè, barbaricos faſtus infideliumque Agarenorum imperia quaſi importabilia eſſe.

Loca ſancta luſtrat.

Patriarcham inviſit.

Byzantium redit.

11. Quibus conſideratis, videns Jacobus ſe imparem talibus incommodis, utpote qui ſibi & quietus vivere ſemper optaverat, benedictione ſuſcepta à ſancto Patriarcha & hominibus Chriſtianis illic commorantibus, ſalute optata repetere Conſtantinopolim decrevit: & eo quòd ſibi deficerent vitæ ſtipendia, reverſionem accelerabat, quæ à notis & amicis facilè recuperanda ſperabat quibus receptis, mox peregrinationi dudum inceptæ incumberet. Allabitur ergo è Judæa Byzantium. (ipſa eſt Conſtantinopolis) & ingreſſus urbem, venerabili Patriarchæ Conſtantinopolitano Johanni [a] ſeſe præſentavit: ſiquidem optimè erat illi notus Jacobus. qui recenſuit varios caſus & diſcrimina rerum, quæ terris jactatus & alto pertulerat. Sed nec hactenus perveniſſe ad ſuæ peregrinationis ſcopum flebiliter conqueſtus, pacem animi non poſſe adipiſci confitebatur, donec ſe voto peregrinationis confecto liberaret. Commeatum tamen ad Gallias profecturus priùs emendicare cupiebat à piis viris, aut conferri à ſuis notis, & hoc celerrimè, ne illi fieret mora navigium repetendi. Reverendus autem Epiſcopus intuitus hominem ſibi bene notum, & olim gloria & divitiis abunde præditum, ſed propter Deum ad egeſtatem prolapſum, juſſit eſſe bono animo, utpote qui penuriam ejus libenter suppleret. Nec tardavit exſequi promiſſa. dedit viaticum, & ſeptem vaſa, quæ magides vocant, partim aqua fontana neceſſaria navigantibus, partim mero optimo plena Jacobo contulit, deprecans ei fauſtam navigationem, & ſua benedictione epiſcopali præmuniens.

A Patriarcha accipit neceſſaria.

Nautas quærit ad iter Romanum.

12. Tanto munere donatus Jacobus gratiarum actiones immenſas egit, & tota ſubmiſſione Epiſcopo exhibita cum ſuis ſarcinis feſtinat ad portum. quærit nautas ſuos, quibus rogatis ut ſecum repeterent navigationem, qua poſſet Romam pervenire, non obtinuit quod petebat, eo quòd naves priſtinæ eſſent inhabiles ad maris furentis ſuſtinenda pericula, quia vetuſtate & putrefactione puppis, & prora, & ſentina putreſcebant, ſeque dicebant in poſterum pelagi fortunas ferre non poſſe. Hac excuſatione repulſus Jacobus, alterum nau-

[a] Johannes Methodio ejecto intruſus eſt in ſedem ejus civitatis.

Ann. Chr. DCCCXLV Nov. XIX.

clerum qui Romam tenderet, compulſus eſt inveſtigare: & uno invento peracta conventione cum illo ſtipulatum naulum ſe ſoluturum ſpopondit, mox ut oſtia Tyberina appuliſſent. Solvitur ergo à portu Conſtantinopolitano, mare ſulcatur ſatis proſpere ad Corſicam inſulam uſque, quæ mediaſtina eſt inter Conſtantinopolim & Romam, ubi navis depoſitura erat onus, ſi nauclerus promiſſis ſtetiſſet. Væ mendacibus nautis plus nummum in burſa amantibus quàm veritatem in conſcientia!

In Corſicam deponitur.

Quid non mortalia pectora cogis,
Auri ſacra fames?

Virgil Æneid.

Plus marſupium ſuffarcinare, quàm Deum amare cura fuit perfidiſſimo nauclero, dum Jacobum contra jus faſque violenter expoliat rebus ſuis, & in Corſico littore derelinquit ſarcinis & pecuniis privatum. O piratis iniquiorem navis magiſtrum, quando fit de ſponſore latro! Nam cauſanti Jacobo nondum eſſe perfectam velificationem uſque ad portum Romanum, fit violentia & ſpoliatio omnium quæ ſuo uſui erant, & relinquitur in litore Corſicano ſolus, recedente carina. Putas quid animi haberet, quid ageret, quove abiret ignarus locorum, anxius & mæſtus Jacobus? Ignorabat enim inſulæ diverticula: ſpatiatur tamen vagus huc illucque, & dum loca ignota perambulat, comprehenditur ab inſulariis tamquam explorator, & captus ad quæſtionem trahitur, verberatur, torquetur, ut quid ageret in pectore, exploratum eſſet.

A nautis ſpoliatus malè tractatur.

13. Sed cùm nihil à peregrino homine extorqoere valerent præter innocentiæ confeſſionem, magis ac magis inardeſcunt in eum increduli: & raptum nodoque ſtrictiſſimè per latera vinctum brachiis ſurſum levatis ad arborem biduo ſuſpendunt, exſpectantes per cruciatum ſuſpicionis ſuæ confeſſionem. Sed dum injuriis & pœnis non cedit, quo minùs à veritate recederet, compuncti tortores formidare cœperunt, ne inſontem pro ſonte damnaſſent, & mutuò loquentes, Satius eſt, aiunt, hunc hominem dependere, & ducere ad ſanctum Epiſcopum noſtrum PANTALEONEM virum ſpiritualem, qui judicat omnia, & à nemine judicatur, & ſcitè probat ſpiritus ſi ex Deo ſint, an à Satana; qui interrogato hoc homine facilè ſubodorabit per Spiritum ſanctum, an vera loquatur, & nos à ſuſpicione liberabit. Bonus viſus eſt ſermo: & ſtatim tortum hominem quaſi ſemiviventem Epiſcopo præſentant, relatis omnibus ad integrum quæ egerant. Conſpicatus Epiſcopus miſericorditer virum ad ſe adductum, & quia ignotæ erat linguæ vulgaribus turbis, Græcè ſciſcitatur de genere, de patria, de miniſterio, de profeſſione; & conſequenter reſpondet Jacobus: & vir ſimplex & ſine dolo inventus eſt, & profeſſione ſanctus. Et verſus Pantaleon ad ſuos ait: Inconſultè egiſtis, qui innocentem virum & ſanctum ſupplicio affeciſtis immeritum: & niſi vos excuſaret inſulæ cauta cuſtodia, adſcribendi eratis factioni tyrannorum, qui martyres Chriſti torturis horribilibus interfecerunt. Eſto quòd inſula hæc ſollicitum poſtulet undequaque præſidium, ne incurſione piratica devaſtetur, & latrunculis latenter introeuntibus præda ſit & direptio, vobiſque incumbat ſtudioſè Corycæos deprehendere; non tamen illico captis ſunt adhibenda ſupplicia, qualia huic viro ſancto intuliſtis. Quare potiùs non reſervaſtis in carcere, donec maturo conſilio procederetis ad vindictam prædonis, vel ad dimiſſionem peregrinantis? Stultè igitur egiſtis & crudeliter. quare pœnitemini. Et poſtulata venia atrocitatis veſtræ, homo innocens orabit pro vobis, & ignorantias veſtras remittet Dominus. Tunc dicto obedientes inſulani, poſtea revertuntur ad ſua negotia, proponentes in poſterum cautionem magis ſalutarem circa deprehenſos.

Vinctus ad Epiſcopum ducitur.

Ejus juſſu liberatur.

14. Venerabilis autem Epiſcopus omni ſollicitudine juſſit Jacobum curari, nullis parcens impenſis, ut medicatus integræ valetudini redderetur. Quam adeptus, toto anno manſit in inſula, intrans & exiens familiariter ad Epiſcopum, cui plurimùm venerabilis habebatur propter ſanctitatem in eo inventam; libenterque detentus fuiſſet, ſi peregrinationi initæ terminos ſtatuere placuiſſet. Volenti igitur conſummare profeſſionem, dedit litteras commendatorias ad quemdam Epiſcopum nomine LIBONEM, qui erat unus ex duodecim Cardinalibus, quorum intererat ſollicitudinem papalem ſublevare. Propoſuerat ſiquidem Jacobus Romam videre & Apoſtolorum memorias, & Martyrum cryptas cultu Chriſtiano venerari, & benedictione ſummi Pontificis firmari, ut confidentiùs Gallias adiret. Procedit ad portum verè Jacobus factus, ſcilicet ſupplantator tentationum, quæ in eum irruerent per multas tribulationes ad damma rerum, & corporis cruciatum. O beatum virum, qui tamquam aurum in fornace & holocauſti victima probatus & examinatus, tranſivit per ignem & aquam, jam dignus qui induceretur in refrigerium; niſi voluiſſet Chriſtus ſuum militem perſecutione acriori reddere glorioſiorem. Pervenit igitur ad Romanos æquoreo lapſu, ſe offert LIBONI Epiſcopo cum epiſtola Pantaleonis, excipitur religioſo affectu, & poſt hoſpitium aliquot dierum ſummo Pontifici SERGIO [a] præſentatur, à quo recognitus

Ab eo humaniſſimè acceptus,

commendatur Romanis.

A Pontifice benignè excipitur.

[a] Id ergo contigit circiter annum DCCCXLV. nam Sergius ſecundus ſedit ab anno DCCCXLIV ad XLVII.

Ann Chr. dccc lxv Nov. xix.

(nam olim Levitarum ordini eum adconſcripſerat, dum in Græcia Epiſcopus [a] reſideret, & fratrem ejus Herpelinum quondam conſecraverat Sacerdotem) benignè ſuſceptus eſt, mirantibus omnibus quòd peregrinum hominem tam comiter complecteretur. ignorabant enim Jacobi primordia. Sed rerum ſerie intellecta, totum negotium non admirationem, ſed laudis divinæ recepit encomium. O quàm libenter Jacobum Sergius ſecum detinuiſſet, niſi peregrinandi amor urgeret quo ſcopum præfixerat !

Romá cum reliquiis digreditur in Gallias.

15. Digreſſurus itaque Jacobus, optatam benedictionem ſuſcepit cum reliquiis Martyrum Canti, Cantiani, & Cantianillæ, quas ſedulè conjunxit alteris ab Hieroſolyma aſportatis: adjunctoque itineris ſtipendio, navem petiit Tuſculanum mare ſulcantem, donec Pilas opidum Italiæ appelleret: ubi triduo moratus Lucas aliud opidum pervenit, ubi quinquandialem moram fecit. Dehinc Salmonem pervenit, laſſus & defectus in tantum, ut cogitaret curſui ſuo habenas ſtringere. Sed Galliarum fines intervallo modico diſtabant: ideo Liguriam deſcendit, ubi Genua urbs nobilis Galliæ ciſalpinæ initium facit. Propterea æſtimabat perveniſſe quò cupierat, nec longius producendam peregrinationem ſuſpicabatur, maximè delectatur urbis Præſule admirabili viro nomine Massito [b], quem religioſè adiit, recenſens ſuæ peregrinationis rationem. Unde à Maſſitu tantu benevolentiæ ardore ſuſceptus eſt, ut beneficiis & precario ipſo niſus ſit Jacobum retinere, eo quòd deprehendiſſet virum ſuis votis per omnia faventem, qui poſſit ſuas partes & ſollicitudines exemplo & doctrina juvare. Effecit itaque Epiſcopus Maſſitus vehementi poſtulatione, ut Jacobus ſecum reſideret: & quatuordecim annis manſit in Liguria, cujus metropolis urbs Genua erat. Sed quo modo vixit, non communiter, ſed ſingulariter, ſimilis factus pellicano ſolitudinis, & ſicut nycticorax in domicilio, vigilans ſicut paſſer ſolitarius in tecto, quis enarrabit? Cellam vix exiens ſilentio linguam frenabat: inedia, jejuniis, oratione, & opere ſpirituali tam conſtanter tempus tranſigebat, ut nulli dubium fuerit, ſanctum virum ad Genuenſes adventaſſe.

Genuæ manet annos 14.

Infirmos ſanat.

16. Unde factum eſt ut importunis concurſibus miſerabilium perſonarum quærentium medelam ſuis languoribus vir Dei pateretur ſuæ quietis interpellationem, quam plurimum incurrere formidabat, & repuliſſet omnino, niſi Chriſti gratiam ſibi collatam in vanum pertimuiſſet accepiſſe. Quam ob rem cogebatur invitus pro infirmantibus orare ut ſanarentur, quia effectus ſequebatur orationem. Quod evidenter apparuit in nobili femina, nomine Petronilla, originem trahente à cognatione venerabilis Epiſcopi Nazarii [c], qui Maſſitum præceſſerat. Nam cùm eſſet oculis capta, & ſummopere optaret oculorum aciem ſibi reddi priſtinam, tanto fidei ardore efferbuit, ut pertinaciter Jacobi cellæ inhæreret, donec ſua prece Chriſtum inflecteret ad reſtituendum ſibi lumen amiſſum. Cujus fidem intuitus Jacobus ait illi: Vade, filia, in proximo ſabbato curaberis. Quæ revertens. credidit illa: & ad condictum diem reverſa, in ipſo itinere viſum recepit antequam oſtium cellæ viri Dei pulſaſſet. Quæ non ingrata accepti beneficii iter perfecit, donec veniret ad Jacobum. ad cujus pedes proruens gratias egit immenſas Deo & ſervo ejus, cujus ſupplicationibus oculorum receperat amicum lumen. Quæ volebat multa offerre munera ſuo precatori: ſed illum videns pauperiem præferre remunerationibus, non potuit eſſe munifica, ut cupiebat.

Imbres nimios compeſcit.

17. Aſt nationis Liguriæ pariter adunati homines ſtatuerunt virum Dei adire, ut prece tam potenter experta auxilium de ſancto impetraret illis, ne quot annis grandineos imbres paterentur, quibus agri, & vineæ, & quæcumque loca uſibus humanis ſubſidialia viderint alterari, & fallere cultorum exſpectationem. Supplices ergo & rogaturi accedunt ad Jacobum, ut oratione ſua averteret indignationem Dei ab ipſis, & ceſſaret grando conquaſſare fructus terræ illorum. Et ecce gentis proceſſio, quam conſpicatus Jacobus de Domini miſericordia confiſus pollicetur eis orationem. Credidit populus, revertitur unuſquiſque ad ſua: & quamdiu manſit in illis terris, oratione ejus omnes ſenſerunt iram Dei verſam in clementiam, nec viſa eſt grando nociva, quamdiu vir ſanctus fuit illius terræ incola.

Genuâ tendit Arvernos.

18. Timens autem vir ſanctus ne frequentia turbarum illius requiem excluderet, & cenodoxiæ mellitam perniciem ſanctæ ſuæ converſationi intruderet; meditatur fugam à Genuenſi ſolo, quam properantiùs urgebat barbarus mos illius gentis. Gaudebant enim homines illi beneficia à Deo ſuſcipere per ſervos Dei, & detrectabant vitas ſuas converſione morum reddere emendatiores: gaudentes perfrui bonis, ſed à vitiis inſolitis nolentes recedere. Tantam ingratitudinem peroſus Jacobus clam fugit, & Galliæ remotiores ſinus ex-

a Hinc colligitur, Sergium ante pontificatum Conſtantinopoli reſediſſe, ubi Jacobum Levitam ordinavit, ſuprà num. 4

b Maſſitus deſideratur in Indicibus vulgatis Epiſcoporum Genuenſium apud Ughellum in Italiæ ſacræ tomo 4.

c Nazarius item deeſt apud Ughellum, qui duos tantùm ſæculi noni Antiſtites Genuenſes exhibet, Sigibertum anno dccc lxiv, & Sabbatinum anno dccc lxxvi.

ANN. CHR. DCCC LXV Nov. XIX.

petiit. & pertranſiens Lugdunum ad Arvernos pervenit: propter famigeratiſſimum FREDEGISUM [a] Epiſcopum Claromontenſem, cui hærere optabat ut diſceret ſanctiora. quia Præſul erat ſermone & opere potens, & ſanctus ubique prædicabatur. Acceſſit igitur ad eum Jacobus: & narrato vitæ ſuæ diſcurſu, factus eſt cum Epiſcopo cor unum & anima una. à quo Preſbyter ordinatus eſt. Sed præ amore ſolitudinis ſeorſum petiit habitaculum eremiticis meditationibus congruum, quod obtinuit: ubi jugiter Deo vacans, & ſacroſanctum altaris holocauſtum offerens, in totius regionis venit admirationem, quia Deus ſervum ſuum miris modis glorificabat in tantum, ut à nobilibus & divitibus loci rogaretur prædia & pecunias accipere ad conſtruendum Monaſterium, in quo præficeretur Abbas, & adjuvaret plurimos ſui inſtituti æmulatores, fieretque Monachorum Pater plurimorum.

Preſbyter iſtic ordinatus.

Bituriges diſcedit.

18. Videns beatus vir Jacobus Arvernos ſic erga ſe affectos, cum quibus jam quindennem [b] moram traxerat, timuit ne importunè rogantes ſuam frangerent peregrinandi conſtantiam. ſentiebat enim ſe adhuc forticulum ad excurrendum longius. Metuebat denique, quod ſemper metuerat, ne meritorum diſpendia pateretur à linguarum blandimentis. Ideo verbis bonis excuſationem leniens, ſe oportere ad Bituriges proficiſci denuntiabat, ut viſitaret memorias Sanctorum, de quibus vulgabantur mirabilia, & maximè de Sanctis quos Bituriges venerabantur. Propterea neceſſe ſibi regionem Bituricam adeundam profitebatur: qua peragrata ſiſteret gradum, & fortè ad Arvernos reverteretur, ſi Deo placeret. Talibus verbis lætati Arverni verum dicentem, alioquin vim adhibituri receſſuro, & invitum penes ſe retenturi. Et ſic Jacobus venerabilis peregrinus Bituriges acceſſit. Cujus adventus illico univerſis innotuit, quia fama ſanctitatis ejus olim circumquaque percrebuerat. Fit Epiſcopus Bituricenſis certior de adventu: qui hoſpitem Jacobum hilariſſimè ſuſcepit, & ultro citroque per aliquot dies inita colloquii communio effecit de duobus amicis unum.

Epiſcopi permiſſu ſecedit in Monaſterium.

19. Cùm verò Jacobi intentio properaret ad diœceſeos Bituricæ ſancta loca veneranda, ab Epiſcopo dimiſſionem & commendationem requiſivit, ut ſi quo in loco ejus ditionis comperiret gratam habitationem, illic remorari concederetur. Talis petitio nullam patitur repulſam: annuit Epiſcopus. Et quamvis libentiùs optaſſet virum ſecum morari, non fuit tamen vis refragandi, tam ſanctæ poſtulationi. Viſitat igitur Jacobus Monaſteria diverſa, & eccleſias varias intra urbis mœnia & in ſuburbiis ejus. poſtea haud procul progreditur circumquaque adorans, ſicubi vitæ regularis Cœnobitas inveniret: & tandem auſpice Deo Monaſterium beati Patris noſtri BENEDICTI regularibus diſciplinis ad amuſſim inſtitutum comperit. Rogat hoſpes illic admitti, conſiderat mores, & obſervat converſationem habitantium. Intuetur cuncta conformiter agi ſecundùm normam Monachorum Benedictinorum: complacet illic reſidere niſi diſpliceat habitatoribus. Sed bone Deus! quomodo diſpliceret Sanctus tuus Sanctis tuis? cùm ſcriptum ſit: *Volatilia ad ſibi ſimilia conveniunt, & veritas ad eos qui operantur illam, revertetur.* Monaſterium quod tam vehementer placuerat Jacobo, aliquot milliaribus [c] diſtabat ab orbe Biturica, in quo tota humanitate & caritatis effuſo officio ſuſceptus eſt. Amplexantur omnes Monachi ſanctum virum, quem gaudent ad ſe acceſſiſſe, ut imperfectionem ipſorum ſuo exemplo perficeret. quod abſque dubio heroicum erat.

Eccli. 27, 10.

Qua veſte, quove cibo & potu uſus.

20. Nam beatus vir indutus ad cutem cilicio tota corporis porrectione ſetaceis aculminibus ſtimulabatur, deſuper tunica talari & pulla tegebatur, capite caputiato, ut moris eſt Græcis Eremitis & Monachis, unde proceſſerat. Potus erat illi aqua pura & rara; victus panis durus & acetoſus, piſciculis interdum admixtis. Si propter hoſpitem à conſuetudine declinaret, tam parcè hoc agebat, ut vix aliquid relaxaſſe videretur. Carnis [d] ſementivam, ſcilicet ova & caſeum, niſi infirmitatis causâ & accedente virorum bonorum hortatu, vix libabat. Stratum ejus terra ſolida erat, niſi quandoque ægrotatio paleas ſubſterni ſuaſiſſet. Et ſi aliquando hoſpitium ſæcularium eſſet coactus adire, genialia lectorum ſtramenta in ſpecie putabatur excipere, tempori & amicis ſerviens. Sed illis ab adſpectu ſubmotis, nudæ humo artus feſſos locabat, & omnia carni moleſta ingerebat, ut ſpiritus ſemper liberrimo jure viveret raptus ad aſtra. Si quis hæc diſcredat, remittimus ad veterem vitæ Scriptorem, qui oculato teſtimonio iſta & plura didiciſſe teſtatus eſt, & dixiſſe non eſt confuſus.

[a] Fredegiſus iſte alius ſine dubio fuit à Fredegiſo ſeu Fredogiſo Abbate Martiniano, Alcuini diſcipulo ac ſucceſſore, qui mortuus eſt Abbas anno DCCCXXXIV, uti apparet ex libro I de miraculis ſancti Bertini capp. 6 & 7.

[b] Legendum *quinquennem*. quamquam nec ſic conſtare poteſt annorum numerus, quem in ſuam peregrinationem Jacobus exegiſſe dicitur.

[c] Non ergo erat Monaſterium Navenſe ſeu Sulpicianum, quod in pomœrio urbis ſitum eſt. Lege Obſervationem 3 ſuprà.

[d] Carnium eſu abſtinebant Monachi Græci, etiam in morbis, ut Carthuſiani. Hinc Græci ſchiſmatici tempore Michaëlis Cerularii Latinis improperabant, quòd ſanctus Benedictus infirmis carnium uſum concederet, apud Humbertum ex libello contra Græcorum calumnias. Hoc improperium forſan occaſionem præbuit S. Brunoni, qui tum vivebat, ut ſuos ad jugem à carnibus abſtinentiam adduceret.

21. Sanctus autem vir fratrum caritate hilaratus, prudenter conſiderans, aut ſe debere Ann. Chr.
communiter [a] vivere cum Fratribus, ſi cum illis verſaretur; aut ſecedendum eſſe, ut auſte- DCCC LXV
ritatem vitæ perſequeretur, variis cogitationibus in diverſa propoſitum ſuum rapientibus, Nov. xix.
tandem elegit ſecedere in eremum, ne ſingularitate vitæ turbaret infirmos. Circuivit igitur Secedit in
per gyrum regionem: & invento ſeceſſu ſuo propoſito arridenti in ditione illius magnifici eremum.
viri Roberti [b] revertitur ad Monaſterium Benedictinorum: revelat locum ſibi placitum.
Sed rationem adipiſcendi ignorans, de modo obtinendi iniit conſilium cum ſenipetis [c] Fra-
tribus. quibus viſum eſt poſſe fieri quod optabat, ſi dominum Saxiaci vici, qui ampliſſima
circumquaque territoria poſſidebat, adiret, & poſceret ab eo facultatem conſtruendi gur-
guſtioli, ubicumque deſertorum ſibi grata apparuiſſet habitatio: ut ſemotus à turbis & con-
ſpectu hominum Eremita ſolitarius viveret. Ubi ſic conſultum eſt, maturè adiit Principem
Robertum, cui exponit votum ſuum: & ilico gratulabundus Princeps, tota libertate plura
conceſſit, quàm petebatur: valde gaviſus quòd ſancto viro fuiſſet dignus in ſuis terris de-
diſſe habitaculum. Robertus ſiquidem Saxiaci vici, & circumjacentis regionis dominus,
vir potens & nobilis, ex Regum [d] Francorum genere ortus erat, &, quod optabilius eſt,
Chriſtiana pietate inſignis. cui affectu & origine reſpondebat uxor ejus nomine Agana ex
patre Vvichfrido [e], Comite quondam Bituricenſi, regali proſapia exortu, & matrona
Oda nomine filia: & hi omnes à ſanguine regio Francorum traxerunt originem. Jacobus
autem deſiderio potitus, & gratiarum actione acta, tam benigno domino locum obſerva-
tum & anachoreſi congruum efferenti. Siquidem in ripa minoris Saleræ * locus ſitus erat, * la Saudre
indicia oſtendens olim illic fuiſſe habitationem hominum propter ruinas murorum hic illic-
que eminentes. hunc, inquam, locum elegit in habitationem ſibi verus Eremita, ſeque
illic poſſe latere propter ſilvarum umbracula æſtimavit.

22. Totis igitur viribus inculta ſarculo & ligone excoluit, & redegit in planiciem, quam locum re-
in areolas dividens gramine ſuperjecto exportat herbas & legumina & radices, oleraque ad purgat &
opportunum victum productura. Et ait: Hîc habeo fluviolum Saleram pro potu, & her- excolit.
benſia pro paſtu: hic habitabo. Et tunc accinctus falcaſtro averruncat radicitus ſtirpes
inolitas, amputat virgulta, & quæ ſcaturierant dumeta & ſpinas occat animoſè, & in area
præparata tuguriolum conſtruit cratibus arbuteis & tortilibus geniſtis, ramaliumque ma-
teriarum conſtipatione. Tanto prætorio gaudebat Jacobus Eremita ſe fuiſſe dignum.

23. Ne autem illi eſſet frequens procedendi neceſſitas ad Monaſterium, propter ſacrificii Oratorium
mirandi hoſtiam offerendam, emendicatis eleemoſynis à gente vicina ædificavit ædiculam conſtruit.
paullo anguſtiorem ſuo tuguriolo: ubi ſecundùm animi ſui affectum comite quodam Jo-
hanne famulante, crebriùs dominicum corpus in Miſſa immolabat. Cui ſacrificanti ſi ali-
qui ex populo adſtitiſſent, illos breviter bonis ſermonibus eruditos remittebat ad ſua, ut
confeſtim lucum & nemus ſolus ſubiret, præcepto Domini auſcultans qui ait: *Dum oras,* Matth. 6, 6.
intra in cubiculum tuum, & claude oſtium ſuper te. Sic in opaco ſilvarum receptaculo ſub-
ductus ad crepuſculum uſque orabat Patrem in abſcondito: & nocte cogente repetebat cel-
lam ſuppeditaturus neceſſaria naturæ.

24. Sed quis recenſeat in illa eremo modum vivendi ejus? Cogitet qui poterit, quis quo modo
nullius ſermo exponere valebit theorias, ſingultus, ſuſpiria, orationes, gemitus, & plan- ibi vixerit
ctus, quos inceſſanter intus & foris fundebat, lacrymis ferventibus, vigiliis continuis at-
tenuatus. Oſſa nempe ejus ut cremium aruerant, & qui nudipedalia exercebat, dum miri-
ficatas calcat ſemitas, ſanguinolenta veſtigia relinquebat, ſuris etiam nudatis veprium pun-
ctiones & ruborum uncinos patiens eundo viam ſanguine purpurabat. Tanta demum contra
ſe auſteritate uſus eſt, ut carnis ſenſus mentis vigore funditus voraretur. Et hanc ſibi car-
nificinam indixerat, quatenus qui non poterat eſſe martyr ceſſante perſecutione, ipſe ſibi
martyrium inferret: ut quando Chriſtum offerret Patri in altaris ſacramento, poſſet vera-
citer illud Davidicum effari: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Ca-* Pſal. 115, 13.
licem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Sic ſe beatus ille vir in ergaſtulum
tantæ pœnitentiæ per aliquot annos injecit, videlicet uſque ad vitæ exitum. Et ſua erat iſta
quotidiana conſuetudo exactris meritorum rigidiſſima, ut orto ſole & ſacro peracto quem-
dam locum opacis frondibus occultatum expeteret ad orationem continuo die perſeverantem,

[a] Hinc colligitur Jacobum non receſſiſſe à priori vitæ monaſticæ inſtituto, quod in Græcia ſuſce-perat.

[b] Hic eſt Rotbertus Comes palatii ſub Pippino Aquitaniæ Rege, Saxiaci dominus, de quo plura in hiſtoria de tranſlatione ſancti Genulfi.

[c] Vox deſumta ex Rev…æ noſtræ cap. 27, anti-quis *Sempectas*, rectiù· *Sympectas*, qua voce ſanctus Benedictus ſignificat *ſeniores ſapientes Fratres.* Ingulfus Crulandenſis Abbas de Turketulo agens, *Sem-pectas*, inquit, *Monaſterii, qui verbo vitæ ipſum ad Dei ſervitium genuerant, ſemper in ſumma venera-tione habebat.* Lege Menardum in Concordiam Regularum.

[d] Nempe Rotbertus patrem habuit Theodeber-tum Matricenſem Comitem, filium Nebelongi, qui Childebrando Duce Caroli Tuditis germano, Pip-pini Regis patruo natus eſt.

[e] Lege Vvicfrido, de quo agendum infrà ad hi-ſtoriam tranſlationis ſancti Genulfi.

Ann. Chr. DCCC LXV Nov. XIX.

niſi impediret fortuita interpellatio quærentis illum à cella abſentem: nec facilis erat inventio hominis Dei orantis in ſecreto nemorum, niſi veſtigia guttis ſanguineis lita prodidiſſent abſtruſum. Qui cùm quandoque corpuſculi debilitate fractus, in itinere colliſus, in terram cogebatur reddere, ut nec ope baculi, quem manu ſemper gerebat, eſſet vis reſurgendi. Qua de re JOHANNI viro ſimplici diſcipulo ſuo, quem ſolum habebat miniſtrum, ſæpe ſæpius auxilium faceſſebat requirendi & reportandi ad cellam famulatum. qui cùm eſſet quandoque impar viribus ad ſuſtentandum ſenem, opus erat paſtorum acceſſitâ operâ explere ſuæ ſervitutis obſequium.

Curatus à vicinis,

25. Quamobrem cunctos per circuitum incolas, quibus venerabiliſſimus habebatur ob meritum vitæ, & patrocinium ſpiritale, quod illis ſua oratione impendebat apud Deum, ſanans languores eorum, & à caſibus eripiens, metus concuſſit, ne tanta vitæ auſteritate deficeret in via, & amitterent ſuum apud Deum tam efficacem patronum. & iſte metus dominum ROBERTUM & uxorem ejus AGANAM vehementiùs ſollicitabat. Quapropter totâ inſtantiâ ſtuduerunt ubviare periculo: autumantes & formidantes, quòd ſi ſe ſuperſtitibus beatus Pater ab humanis decederet, iram Dei incurrere: & vice verſa ſi ſuo ſubſidio vir Dei productiùs viveret, æſtimant eſſe ſibi ad vitam æternam profuturum. Et hoc erat mirabile in viro Dei, qui ſicut veſperi cicada cadit deficitque, & mane ex folliculo veteri nova prodit ad cantum; ita Pater ſanctus ſero viribus deſtitutus, diluculo ad heſterna reparatus procedebat. Ideo Princeps cum uxore intendebat ſanctum Eremitam quotidianis curare alimentis, quæ per Diſcophorum ſervum mittebantur. Sed vix Sanctus cum gratiarum actione miſſa dona tantùm prælibabat, & reliquias in remedium animarum eorum qui ei benefici erant, pauperibus erogabat, victu famulantis ſibi reſervato, & ſolo lacte pani addito, robur corpuſculi refocillabat: & ſi aliquid auctarii aliquando addebatur, fabarum erat pulmentum. Si quis tantæ abſtinentiæ fidem adhibere noluerit, ipſe dominus Robertus & Agana jugalis ejus exemplo hoc evidenti probaverunt. Nam dum quadam die relatione certa didiciſſent virum Dei ad ſolitam ſolitudinem iviſſe, ut Deum ſolito more precaretur, ſervo ſuo imperaverunt, ut lancem edulius ægro reficiendo congruentibus refertam ad virum Dei portaret, nec reverteretur illo incomperto, cui haberet preces ſuorum dominorum offerre, quibus quàm maximè optabant virum Dei adquieſcere. Servus mandata ſtrenuè exſequitur: venit ad cellam viri Dei. quo non invento dubius fit, qua parte iter faciat ut occurrat quæſito, rotat caput, oculos circumagit, ſi intueatur veſtigia abſentis. Tandem ſanguinis guttas avium iter ſignare conſpicit: ſubſequitur rubricatam viam, & uſque ad laſſitudinem progreſſus intrat umbraculum nemoroſum, & offendit quem quærebat, protenſis in cælum brachiis, orantem, gementem, ſingultientem, plangentem, crebrò genua flectentem, nec lacrymas, nec preces finientem. Dum ſervus diu exſpectaſſet, tædio moræ affectus excreat, & perſtrepit pedibus, ut avocet orantem ab intentione, & dominorum ſuorum juſſa impleat. Contremuit vir Dei, & pone ſpeculatus famulum, interrogat quid quæreret. Cui legationem injunctam exponit, & factum eſt ut ambo regrederentur ad cellam: ubi miſſa munera vir ſanctus cum gratiarum actione prægustat, reliquiis more ſolito diſtributis. Revertitur ſervus ad dominos ſuos, refert oculitus viſa, unde erga virum Dei major reverentia dominis Roberto & Aganæ invaluit. & ſollicitior cura nutriendi Sanctum adjicitur, quem compertiſſimum probaverant eſſe Chriſti famulum fidelem.

cibos à Roberto miſſos dat pauperibus.

Normannorum adventum prædicat.

26. Tandem venit hora remunerandi ſervi Dei: ſed priùs ſpiritu prophetiæ à Chriſto honoratur. ſiquidem vir ſanctus prænuntiavit[a] quibuſdam in proximo emerſuram eſſe ab Aquilone gentem Danorum, quos vulgus Normannos vocat, Galliarum non minimam partem igne & gladio vaſtaturam, ac ſacra profanis æqua lance confuſuram, quæ etiam funditus Monaſteria & templa dirueret. cujus furibundam crudelitatem Monaſterium illud Benedictinum, unde nuper egreſſus fuerat, experiretur, direptis ac vaſtatis cunctis ad illud pertinentibus. Addiditque propediem venerandum Archiepiſcopum Bituricenſem RADULFUM[b] fatis conceſſurum: cujus providentiâ ſic Bituriges gubernabantur, ut à cunctis pater patriæ eſſet vocatus. Prædixit quoque futuræ famis inopiam tantam, ut ſequeretur deſolatio plebis. Et inter hæc omnia ſibi adeſſe diem defunctionis ſuæ palam fecit accolis terræ & vicinis. quem dum exſpectaret, addidit penſo ſolito continuam meditationem, ut paratus eſſet intrare cum ſponſo ſe invitante ad nuptias. Adeſt dies celebris, qua de carnis vinculis ſolvendus erat: & accedens ad ſacellum quod conſtruxerat, deſignavit locum ſepulcri, quantumque terræ eſſent foſſores ablaturi prædixit. Qui cùm adſererent foveam incapacem ſui cadaveris, niſi profundiùs & ſpatioſiùs pararetur; reſpondit ſufficere talem deſignationem ad ſarcophagi receptaculum. Et commonitis omnibus, & maximè Sacerdotibus qui aderant,

ſepulturam ſuam parat.

[a] Et tamen Normanni ante Jacobi acceſſum in Gallias, jam in has partes irruperant. forſan Jacobus prædixit cladem Biturigibus eventuram. Certè *Biturix anno* DCCC LXVII *à paganis*, id eſt à Normannis, *vaſtatur & incenditur*. ex brevi Chronico Maſciacenſi.

[b] Radulfi ſeu Rodulfi elogium habes anno ſequenti.

ut

ut memores eſſent præceptorum ejus, quæ juſſu Domini JESU illis prædicaverat. Incredulis autem foſſoribus & plus edicto terram cavantibus inanis labor opprobrio fuit. Nam ultra edictam menſuram à viro Dei nequiverunt procedere. Paratis itaque neceſſariis ad funus explendum, defungitur terreſtri vir Deo amabilis fruiturus vita cæleſti, & æterna in cælis, tertio decimo Kalendas Decembris [a], regnante Domino JESU in cælo & in terra & in omnibus abyſſis. ANN. CHR. DCCC LXV Nov. XIX. Obit 19. Novembris.

27. Suum autem Sanctum Dominus JESUS tot & tantis auxit illuſtrare miraculis, ut concurrentibus ad memoriam ejus detur deſideriorum plenitudo. Nam ægri ſanantur, dæmoniaci liberantur, avertuntur grandines ab agris, præcaventur infortunati caſus, aqua & igni periclitantes eripiuntur, beſtiarum rabies compeſcitur, pace & proventu annuo gaudet populus, orante Sancto pro illis qui ſe illi toto affectu devoverunt. Et hæc ſuprà dicta beneficia dari à Deo per interceſſionem Sancti ejus hac noſtra tempeſtate crebrò experimur. Miraculum autem quod præſtitum eſt in ejus exſequiis, non libet præterire. Nam cùm juſta peragentes feſſi & labore fatigati poſcunt refectionem, inquirunt à Dei famulo Johanne, utrum aliquid reſidui intereſſet annonæ defuncti. Reſpondet quidem ſe habere ſextarium fabarum menſuræ Bituricenſis: ſed qui contulerat viro Dei, hac conditione dederat, ut ſi ſanctus vir defungeretur vità antequam ſextarius conſumeretur, ei redderetur ad ſeminarium: ideo non eſſe ſibi liberum committere comeſturis. Sed inter funerantes aderat Archipreſbyter ADHELBERTUS, qui audacem reddidit famulum, & liberavit eum à promiſſione facundo oratu. Credidit Johannes hortanti: dedit fabas in pabulum. Revertitur qui ſextarium fabarum dederat, repetens commiſſum conditione præfata. Erubeſcit Johannes, ſciens in ſumtus funeratorum fabas editas: urgetur nihilo minus repetuntlarum. Et inter has verborum ſymplegades obiter reſpicit vas, ubi reconditus erat ſextarius: & ecce menſura integra conſpicitur. Miraculum patefit omnibus: laudatur Deus in Sancto ſuo, & creditor recipit quod poſtulabat. Miraculis illuſtratur,

28. Si cuncta quæ ſuperſunt miracula litteris niteremur committere, labor non eſſet par narrationi, cùm etiam uſque ad hæc tempora quotidie & quotannis renovari experiamur, ut fideliùs in memoriam viventium habeantur, quàm ſi in membranis deſcriberentur. Interrogent igitur qui plura velint noſſe, ſuperſtites Capellæ-Gilonis: & vera eſſe quæ diximus, experimento probabunt. Igitur ſit finis narrandi. Amen. etiam tempore Auctoris.

[a] Et quidem anno DCCC LXV. ſiquidem obiit paullo ante Rodulfum mortuum anno ſubſequenti.

DE TRANSLATIONE
SANCTI SINDULFI
ET SANCTÆ HELENÆ
IN MONASTERIUM ALTIVILLARENSE.

ANN. CHR. DCCC LXVI.

1. *ACTUM eſt in Sæculo primo de vita S. Sindulfi Eremitæ & Confeſſoris, cujus tranſlationis hiſtoriam remiſimus in hunc locum. Hæc tranſlatio ex Alſontia* vico diœceſis Remenſis, Carolo Calvo regnante facta eſt in Monaſterium Altivillarenſe; eamque Altmannus ejuſdem loci Monachus, qui eo tempore vivebat, litteris mandavit, ſed modo adeo exili atque jejuno, ut ejus libellum hic integrum exhibere non videatur opera pretium. Hinc ſufficient quæ ex eodem Auctore Frodoardus de hoc argumento retulit in Hiſtoriam Eccleſiæ Remenſis, ſcilicet in lib. 2 cap. 9. Facti hæc ſumma eſt.* * Anſonia

2. *Ad Monaſterium Altivillarenſe tranſlata ſunt oſſa B. Sindulfi ex villa Alſontia,* ubi Deo idem ſanctus vir ſacerdotali ſervierat officio, pluribuſque poſt obitum claruerat miraculis. *Ejus* pignora primò perlata ſunt ad villam quæ dicitur Spida*: *tum Remos in eccleſiam S. Mariæ; indeque,* celebratis miſſæ ſacramentis, in baſilicam S. Remigii. In craſtinum *ſacrum corpus* defertur ad Monaſterium Avennacum*, occurrentibus Sanctimo- Sindulfi translatio. * Eſpois * Avenay

Circa an. DCCCLXVI. nialibus, *ac demum* perlatum eſt ad Monaſterium Altivillarenſe, *ubi hactenus ejus Sancti reliquiæ aſſervantur. Varia in itinere patrata miracula lege ſis apud Frodoardum.*

Delatio anno 1048. 3. *Anno ab Incarnatione Domini* M XLVIII, *Indict.* I, HENRICO *Rege &* WIDONE *Archipræſule Remorum, cùm Remenſis provincia, nedum Francia tota, imbrium inopiâ laboraret*; Pontificum, Abbatum, Clericorum, Monachorum, gentiſque totius provinciæ unanimi conſilio decretum eſt, quatinus fierent Sanctorum deportationes, ſi quo modo exinde divina iracundia mitigari valeret. *Hinc viſum eſt Altivillarenſibus Monachis ſacras quas poſſidebant reliquias ſollemni pompa deferre quartâ feriâ Pentecoſtes. Delatæ ſunt & ſancti Sindulfi reliquiæ.* Eſt *autem* conſuetudo *ut ſimili occurrente celebritate ruſtici villæ Alſentia corpus S. Sindulfi* deferant extra fores Monaſterii. *quâ quidem gratia, ex eo quod idem Sanctus apud eos hoſpitatus mortuuſque eſt, ad eos fluxit. Itaque S. Sindulfi reliquiæ cum aliis delatæ ſunt in pratum quoddam ad radices ejuſdem montis ſecus ripam Matronæ fluminis ſitum: ubi cùm Adalbertus Remenſis Clericus ſermonem ad populum feciſſet, ingens pluviarum copia ſubſecuta eſt. Hæc carpimus ex veteri codice Altivillarenſi.*

S. Helenæ translatio. 4. *Præter hanc tranſlationem ſcripſit etiam Altmannus Monachus libellum de advectione corporis S. Helenæ Reginæ in Monaſterium ſuum. Hanc item paucis perſtrinxit Frodoardus in lib.* 2 *cap.* 8; *idque factum tribuit* TEUTGISO Preſbytero Remenſis parochiæ, *qui* Romam profectus, noctis inopinus in eccleſia remanens tempore, *corpus illud* furatus cautiſſimè, ſecum ſtuduit deferre. *Hunc Monachum Altivillarenſem fuiſſe tradit Notkerus Abbas. Ubi ſancti nominis reliquiæ in Cœnobium Altivillarenſe invectæ ſunt, mox ejus rei fama per totam provinciam ſparſa eſt*, quibuſdam dubitantibus an ipſa eſſet Helena Conſtantini Auguſti genitrix. *quod* probabili Chriſtus alleverare dignatus eſt aquæ judicio, triduano ſupplicatus jejunio, *inquit Frodoardus. Rem ſignantiùs explicat Notkerus Abbas his verbis.* CAROLUS tertius * Rex cum famâ audiſſet, quòd in Altovillari ſancta Helena deportata jaceret, nullo modo credere voluit. Unde HINCMAROM convocans Epiſcopum Remenſis eccleſiæ cum Abbatibus & viris religioſis, in ipſo Monaſterio voluit judicium publicum fieri, utrum Monachi vera vel falſa proferrent. Judicaverunt itaque non aliter eſſe credendum, niſi Monachus idem, qui eam ad nos tranſportaverat, manifeſtum judicium feciſſet, & in calidam aquam toto corpore nudatus intraret. Sed ut Deus rei veritatem manifeſtiùs panderet, ita hunc intra fervidas aquas conſervavit illæſum, ſicut & ab ipſo mendacio, quod dicebatur, fecerat alienum. Hoc viſo experimenti teſtimonio fides Regis & Principum ad credulitatem invaluit, ipſumque locum maxima deinceps devotione percoluit, & omnis poſteritas ei condignam venerationem attribuit. *Addit Frodoardus miſſos Romam* tres Fratres ex eodem Monaſterio ad indagandam tranſlationis hujus certitudinem, qui redeuntes, & veritatis hujus indaginem, & geminatum gaudium, corpus videlicet beati Polycarpi Preſbyteri collegæ S. Sebaſtiani, huic attulere Cœnobio.

** Calvus*

Probatio facta.

Alia item dubitatio exorta. 5. *Procedente tempore, id eſt ſub finem ſæculi* XI, *cùm Notkerus Abbas eamdem circa S. Helenæ Reginæ veritatem reliquiarum dubitationem recrudeſcere animadverteret, rem judicio Archiepiſcopi Remenſis ejuſque Suffraganeorum definiendam procuravit. Totius rei geſtæ ſeriem idem Notkerus ſingulari libello in capitula novemdecim diſtincto complexus eſt, ex quo ea quæ ad hiſtoriam potiora videntur, deflorare juvat, prout in mſ. codice Altivillarenſi habentur. Exordium duco ab ejuſdem libelli capite quarto, in quo hæc totidem verbis leguntur.*

Epiſcoporum judicio terminanda in feſto S. Simonis anno 1095. Anno igitur humanati Verbi milleſimo nonageſimo quinto, Indictione IIII, anno autem triceſimo quinto Regis Francorum PHILIPPI filii Henrici Regis, duodecimo verò anno RAGINOLDI Remenſis Archiepiſcopi, acta eſt Remis conſecratio ſollemnis Domni PHILIPPI Epiſcopi in Catalaunenſi ſede, fratris STEPHANI Comitis Palatini: ad quam canonicè adminiſtrandam affuerunt Remenſis diœceſeos Suffraganei, ſcilicet HUGO Sueſſionenſis Epiſcopus, & GIRARDUS Morinorum Epiſcopus, & GERVINUS Ambianenſis Epiſcopus: inter quos cùm in præſentia Archiepiſcopi Raginoldi multa laude digna eccleſiaſtica ſanctione auctorizarentur, & quædam neglecta corrigerentur: ego NOTCHARUS humilis Altivillarenſium Abbas relationem feci, ut revelatio corporis ſanctæ Helenæ digna tranſlatione fieret, & dubitantibus Francigenis certæ fidei teſtimonium appareret. Diu itaque, ut in tali negotio ſolet, ſacerdotali reverentia conſultum eſt, & decretum apoſtolica auctoritate, ut in ſuperventuro feſto Apoſtolorum Simonis & Judæ omnimodis transferretur. Verùm quoniam pro negotiis regni ſtatuendis octavo die occurſuri erant glorioſo Regi Philippo cum aliis Galliarum Coepiſcopis in vico Sueſſionicæ ſedi ſubjecto, qui vocatur Mons ſanctæ Mariæ, placuit, ut tantæ rei conſenſus in conſpectu Regis & procerum ejus referretur, & edicto ipſius ſive omnium aulicorum & Epiſcoporum, qui venturi ibi erant, authentica confirmatione corroboraretur. quod ita & factum eſt. Divina enim diſpoſitione credimus contigiſſe, quòd ibi totius Galliæ majores Metropolitæ affuerunt, ſcilicet Domnus noſter RAGINOLDUS Remenſis Archiepiſcopus, & RODULFUS Turonenſis Ar-

Comitia regni in Monte S. Mariæ.

Circ. Ann. DCCCLXVI

chiepiſcopus, & Ricarius Senonenſis Archiepiſcopus, ſinguli cum aliquantis ſuæ diœceſeos Suffraganeis & Abbatibus. Et ut revera clareſceret quod Job ait, *Qui facit concordiam in ſublimibus*; omnes unanimi concordia conſenſerunt, Rex cum Optimatibus & Palatinis & totius regiæ dignitatis faſcibus, Archiepiſcopi cum Suffraganeis, & Abbatibus & reliquis eccleſiaſtici ordinis gradibus. Itaque auctorali edicto divulgaverunt, ut abſque intermiſſionis excuſatione illud corpus ſanctiſſimum glorioſæ Helenæ Reginæ in ſupradicto feſto Apoſtolorum Simonis & Judæ deberet tranferri.

Concilio Claromontenſi adeſt Reginoldus Archiepiſcopus.

7. Interea pro ſtatu eccleſiarum Galliæ reformando Domnus Apoſtolicus urbe Roma advenerat. Inter eundum autem aliquamdiu commoratus, ut eccleſiaſticam dignitatem, quæ ea tempeſtate ſatis miſerabilis erat, recuperaret; legationem apoſtolicam per omnes Galliæ provincias direxit, ut omnes Metropolitæ cum Suffraganeis, ſinguli cum Abbatibus & ceteris Eccleſiæ ordinibus, Rex cum totius regni viribus convenirent ad decretalem Synodum in urbe, quæ dicitur Clarus-mons, ſita in pago Arvernenſi. Hinc tantæ auctoritatis edicto obſtrictus Raginoldus Archiepiſcopus, iterum alio urgetur negotio, ut fieri ſolet in turbine hujus mundanæ reipublicæ, ſcilicet ut Regi Philippo occurrat Cabillonis in ſupradicto feſto Apoſtolorum. Anceps itaque in harum rerum meditullio, vices ſuas delegat magni teſtimonii viro domno Hugoni Sueſſionenſi Epiſcopo & Philippo Catalaunenſi Epiſcopo, ut ipſi ſcilicet fungerentur officio ſuæ auctoritatis in hoc pio opere ſanctæ tranſlationis. Tali præventus occaſione Archiepiſcopus nequivit adeſſe: quia (ut diximus) Regi occurrit Cabillonis eodem die.

Et Cabillone cum Rege.

Indictis die reliquiæ S. Helenæ igneo globo illuſtratæ.

8. Igitur diu deſiderata & votis omnibus à nobis expetita celebritas Apoſtolorum illuxit in die dominica. Non ſolùm verò Francia ad obſequium tantæ Reginæ ſuos fideles filios miſit, ſed etiam tota pæne Lotharingia ſuos tamquam ſanctæ pacis legatos, & piæ devotionis obſides deſtinare gaviſa eſt. Quomodo enim non ei tota religio Chriſtiana applauderet, quæ tot beneficia meritorum ejus accepit, cui etiam muta elementa ſignorum acclamatione ſerviebant? Eſt enim quidam locus in proſpectu totius Altivillaris, ab incolis Montiſcola denominatus. Hic alto ſupercilio quaſi umbilicus prominens, ſatis accommoda planitie deſuper dilatatur & molli prolapſu ad crepidinem Matronæ fluvii uſque porrigitur. Hic divinæ diſpenſationis intuitu prælectus erat, in quo transferri oporteret tantæ venerationis membra. In hoc erecta mole trabium, tantæ capacitatis machina fabricata eſt; ut ei totius cleri ſacros ordines reciperet, & palatinis dignitatibus ſufficeret. Ergo intempeſtæ ſilentio noctis, quæ & Apoſtolorum martyrio celebris erat, & encœniorum eccleſiæ nuptiali prærogativa, magnæ commendationis gratia ſupradictum locum divina majeſtas beavit. Siquidem ut palam fieret quanti meriti eſſent, cujus membra illic transferri deberent; ſubita inruptione fulgor vibratus ab æthere ſuper eumdem locum ſedit, non modica exſpectatione: deinde longo crine ſerpens & ſenſim procedens tandem ſuper caput eccleſiæ viſus eſt deſcendiſſe, ubi Sanctorum lipſana ſuo requieſcunt honore. Non à paucis vel levibus perſonis tantæ admirationis notata eſt viſio: verùm ſe vidiſſe teſtatus eſt quidam noſter Monachus reverendæ ætatis & magnæ gravitatis; & piſcatores qui in fluvio Matrona fluctivagis invigilabant capturis; & multi laïci ſatis religioſæ moderationis, quos ad ſollemnes vigilias invitabat devotio gratuiti voti. Si quis garrulus inde contentioſum funem trahere voluerit, quod ubiubi Deitati complaceret, id aliquando fieri ſolet; ſciat quòd nox illa nullo ſidere illuſtrata; uſque ad lucem indeſinenti imbre madueric: & miretur quòd cùm ſolùm hunc locum columna divini ignis non levi mora dedicaverit, longo ductu aërem gyrans, tandem ſuper Sanctorum pignora ſederit, & ibi longa exſpectatione in ſe ipſum reſederit.

Celebritati quinam adfuerint.

9. Convenerant itaque ad vices Archiepiſcopi Hugo Sueſſionenſis, & Philippus Catalaunenſis Epiſcopus: & inter hos etiam affuerunt magna normæ monachalis luminaria, ſcilicet Burcardus Abbas ſancti Baſoli, & Petrus Abbas Orbacenſis, & Rodulfus Abbas ſancti Theodorici, & Humbertus Abbas ſancti Petri de monte Catalaunenſi, & Philippus Abbas Reſbacenſis. Sæcularis verò potentiæ affuit Stephanus Comes Palatii, & uxor ejus Adelaidis, filia Guillermi Regis Anglorum; & filia Philippi Regis Francorum Constantia, uxor Comitis Trecaſinenſis Hugonis fratris ejuſdem Stephani; & Dudo Vicecomes Marogienſis, & aliæ innumerabiles perſonæ ſatis ſpectabiles in ſuo genere, quas dicere ſuperſedi.

Miſſa præmiſſa.

10. Omnipotens Verbum Dei Filius qui ſuis ait Apoſtolis, *Sine me nihil poteſtis facere*; hanc diem ſua mirabili adminiſtravit diſpoſitione. Conſulentes enim qua hora ſanctiſſimam glebam oporteret transferri, inſpiratione Dei omnes unanimi conſenſu aſpirant, ut priùs à Domno Hugone Epiſcopo dominicæ redemtionis myſterium celebraretur: & ſic initiatis abſoluta expletione divini officii digniore devotione meritum accreſceret ad tam pium opus dignè exſequendum. Quod ut factum eſt, piæ gravitatis fratres electi ſunt, qui lipſanum tam glorioſæ glebæ ad locum uſque tranſlationis, qui Montiſcola dicitur, evexerunt. Inter

Circ. Ann. DCCC LXVI

eundum agebat pompa tantæ Imperatricis antè & retro, & altrinſecus milia populorum; qui digna oratione jubilos canerent in triumpho ſuæ exaltationis. Conſcenſis itaque pontificibus trabalis machinæ quæ ad recipiendos eccleſiaſticos gradus & ſæculares potentatus (ut dictum eſt) compacta erat, deponitur theca ſanctorum pignorum ſuper eminentius tabulatum, quod ideo altiori compage trabium deſuper prominebat, ut quaquaverſum atteſtantibus diffuſiori ſpecula ſufficeret. Verùm arrectis omnium animis ad tam piæ devotionis ſtudium, celebratur letania cum effuſione digna fletuum. Qua finita & pro rei incœptæ negotio ad populum ſermone habito, aperitur cum ſumma veneratione urna argenteæ arcæ, quæ revera in ſe pretioſius illo manna continebat, quod cælitus ſibi in cibos placuiſſe quadraginta annos carnalis Iſraël gloriatur. Deinde ſanctos cineres turifero odore reſpergentes, indiculum ab intus extrahimus, in quo ſcriptum legimus: CORPUS SANCTÆ HELENÆ REGINÆ MATRIS CONSTANTINI SINE CAPITE. Quod etiam & à Comitiſſa ADELAIDE uxore Stephani Comitis Palatini lectum, & ceteris ejuſdem potentiæ perſonis ipſa indice eſt interpretatum. Deinde in alio novo vaſe, in quo nunc ſunt, ipſius beatæ Reginæ reconduntur membra.

Corpus detectum.

Nundinarum jus à Stephano Comite conceſſum.

11. Certificati itaque omnes ſignorum atteſtatione fundunt lacrymas gaudiis plenas. Nulla umquam rerum pompa gratiorem duxit triumphum. Hinc clerus lætos ducens choros, Deo reboat cantici laudes in excelſo: at hinc laicalis frequentia plaudens manibus jubilat in voce exſultationis. Finita verò gratiarum actione operæ pretium rati ſumus convenire STEPHANUM Comitem Palatii, ut ipſe vir patriciæ dignitatis tale donum voveret tantæ Imperatrici, quod non cederet honori. Ad hoc vir prudens, ut ſemper erat benivolus, juſtæ petitioni requirit quid commodius ſibi dari gauderet eccleſia. Et ut didicit, quod in hoc res eccleſiæ proficeret, ſi publicis commeatuum mercimoniis nundinas banniret; communicato conſilio cum uxore fratris ſui Hugonis Comitis Trecaſinenſis CONSTANTIA filia Regis Francorum, & cum fratre PHILIPPO Catalaunenſi Epiſcopo, qui jure patrimonii participes erant in Comitatu, edicto legitimi banni mercatum ſexta feria inibi fieri deinceps indixit; in hoc quoque ſibi aſſentiente DUDONE Vicecomite Marogienſe. Et ut rata ſtipulatione hæc fieret conſtitutio, omnibus his manus imponentibus delegatur ſanctæ Helenæ jure perpetuo.

12. *Hæc ſatis de illa probatione, prætermiſſis variis miraculis, quæ in ea contigiſſe à Norbero dicuntur. De Cœnobii Altivillarenſis conditione dictum eſt in Sæculo 2 ad Vitam S. Berchari Abbatis.*

Ann. Chr. DCCC LXVI Junii xxi.

SANCTI RODULFI
ARCHIEPISCOPI BITURICENSIS
ELOGIUM HISTORICUM.

1. NON *immeritò inter Sanctos Ordinis noſtri referendus mihi videtur* RODULFUS *Bituricenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus: qui ſi Monachus non fuit, Abbas certè fuit, & eximiæ affectus erga ſanctum Benedictum: ſub cujus Regula Monaſteria quatuor, tria virorum, quartum virginum ædificavit: ex quibus duo in ſanctiſſimi Patris honorem conſecrari voluit. Mihi proinde religio eſt his in Actis prætermittere tantum virum: tametſi nomen ejus in vulgatis Sanctorum noſtrorum indicibus non habet locum. Utar præcipuè Chartario Monaſterii Bellilocenſis, quod ejus monumenta pietatis ad poſteros tranſmiſit.*

Rodulfi genus.

2. RODULFUS, *aliis* RADULFUS, *patre cognomine, Cadurcorum Comite, &* AIGA *matre natus eſt. Genus ejus ex Bellilocenſi Chartario ita deſcribitur apud Juſtellum in Probationibus hiſtoriæ Torinenſis pag. 6.* RODULFUS Comes Cadurcorum, Domina AIGUA uxor ſua. Filii eorum RODULFUS Clericus, GODAFREDUS Comes, ROTBERTUS, LANDRICUS; IMMENA filia

ANN. CHR. DCCC LXVI Junii XXI.

eorum fuit Abbatiſſa ſancti Geneſii apud Sarraſiacum. Iſte GODAFREDUS Comes, filius Rodulfi Comitis, habuit uxorem dominam GERBERGAM, & duos filios, GODAFREDUM & RODULFUM. *Rodulfi Comitis mortem ac ſepulturæ locum poſtea referam num. 15.*

Clericatus.

3. Rodulfus & Aiga filium ſuum à teneris in Clericorum ordinem adſcribi curàrunt anno DCCC XXIII, *ut patet ex eorum litteris, quarum hæc verba.* Ego in Dei nomine RODULFUS Comes & uxor mea AIGA cedimus filio noſtro dilectiſſimo Rodulfo, quem ad clericatus ordinem Deo & BERTRANNO viro religioſo vice ſancti Petri tradimus, villam ſeu curtem noſtram indominicatam Bellomontem ſeu Catinairo, quæ eſt in pago Lemovicino in vicaria Aſnacenſe, extra conſortium Fratrum, ipſam curtem cum omnibus appendiciis ſuis, vineis, terris, cultis incultis, pratis, paſcuis, ſilvis, adjacentiis & juxta fluvium Dordoniæ, *&c.* tibi filio noſtro tradimus ad habendum & poſſidendum. Cedimus etiam ipſi filio noſtro & filiæ noſtræ EMENANÆ, quam Deo ad Sanctimonialium habitum tradimus pro tremore & amore Dei, ut animæ quæ militant Chriſto, per noſtram intermiſſionem remedium queant recipere peccatorum ſuorum; eccleſiam juris noſtri in honore ſancti Projecti conſtructam in orbe Caturcino, in loco qui nuncupatur Blauguris, *&c.* Facta ceſſio in menſe Novembri, regnante LUDOVICO domino noſtro sereniſſimo Auguſto. *In his litteris illud obſervatione dignum, quòd Rodulfi parentes filium ſuum in Clericorum numerum promovere volentes, pro titulo prædia ei adſignant. qua de re exſtat in prædicto libro alia charta Ratbodi cujuſdam, redditus nonnullos concedentis Rodulfo Abbati & Monachis Cœnobii Bellilocenſis cùm cauſâ pietatis, tum* pro clericatu cujuſdam conſanguinei ſui nomine Gumberti, ea quidem ratione, ut ſuprà dictus Gumbertus tamdiu iſtas res denominatas teneat, uſquedum Abbas & Monachi ſuprà dicti loci aut Eccleſia alium honorem ei concedat, ut ſecundùm clericatus ſui officium vivere poſſit. *Ex quibus intelligitur, clericos ſub titulo (ut vocant) patrimonii ſæculo nono jam admiſſos fuiſſe. Ceterùm quis fuerit Bertrannus ille, ſub cujus diſciplina Rodulfus factus eſt clericus, mihi incompertum.*

Abbatialis dignitas.

V. Trithem. de viris illuſt. Ord. S. B. lib. 3. cap. 221, & lib. 4. c. 85.

4. Rodulfus iſte variorum Monaſteriorum Abbas fuiſſe dicitur, nempe ſancti Medardi apud Sueſſionas, quo nomine Concilio Moguntiacenſi dicitur ſubſcripſiſſe anno DCCC XLVIII *apud Trithemium in Chronico Hirſaugienſi, tametſi jam Epiſcopus erat; Floriacenſis, ut probat Sirmondus in Notis ad Capitula Caroli Calvi pro Synodo Tullenſi apud Saponarias; Sollemniacenſis, ut quidam putant; & Veterinenſis, de quo poſtea. Sanè in quadam charta Bellilocenſis codicis legitur venditio à Boſone ejuſque conjuge Talaſia facta* venerabili Abbati Rodulfo, anno primo quo domnus Lotharius excellentiſſimus Imperator adſumſit Imperium. *quod de Rodulfo noſtro intelligendum eſſe conſtat ex ipſius litteris donationis in eo codice ſubſequentibus. Et quidem Abbatiam Floriacenſem retinuit Archiepiſcopus. quod adeo movit Patres prædictæ Synodi Tullenſis, ut* poſtulaverit humiliter Synodus generalis, ſe ad terram uſque proſternens ante Karolum Regem & Rodulfum Archiepiſcopum, obſecrans & adjurans per crucem & Chriſti ſanguinem, ut privilegium Monaſterii ſancti Benedicti, quod annuente Rege præfato firmaverat, quodque idem Rodulfus ſubſcripſerat, qui præfatam Abbatiam irregulariter retinebat; ratum & inconvulſum ſervare ſtuderent. *nempe ut liceret Monachis regularem habere Abbatem. An autem Sueſſionenſis Abbas fuerit Rodulfus, fruſtra inquiras ultra Trithemium. Officium quidem fit de eo in Cœnobio S. Medardi, ſed ante paucos annos invectum ob Trithemii auctoritatem. Certè in proprio iſtius Abbatiæ Breviario, quod ſæculo ſuperiori typis vulgatum eſt, S. Rodulfi memoria non comparet. Denique Trithemii hac in re auctoritas non obtinet apud eruditos, quippe qui in Patribus Synodi Moguntinæ recenſendis tot ferè errata edit, quot nomina, ut oſtendi ad Elogium Rabani num. 28. & Synodo Moguntinæ anno* DCCCXLVIII *Radulfum ait ſubſcripſiſſe Abbatem S. Medardi,* poſtea *factum*

Archiepiſcopatus.

V iij

Ann. Chr. DCCC LXVI Junii XXI. *Bituricenſem Archiepiſcopum, quem ante annos octo huic ſedi præfuiſſe conſtat.*

Veterinenſis Monaſterii conditio. *5. Is quippe Archiepiſcopus creatus, anno* DCCC XL *Veterinenſe Cœnobium condere cœpit, datis litteris, in quibus hæc leguntur* Ego in Dei nomine Rodulfus, primæ ſedis Epiſcopus, ſollicita mente pertractans, qualiter ex rebus caducis atque tranſitoriis, ſumtus virtutum præbere valerem, cujus gradibus ab omni contagione terreni pulveris exutus, aulam ſupernæ civitatis merear ingredi; Dominum Salvatorem omnium per hoc teſtamentum mihi heredem de quibuſdam proprietatis meæ rebus eligo, quæ ſunt in pago Caturcino, in vicaria Caſiliacenſe, Saraciacum ſcilicet cum eccleſia ſancti Geneſii Martyris; necnon in alio loco in orbe Lemovicino, in vicaria Aſnacenſe, caſam noſtram dominicariam ſuper fluvium Sordariam ſitam, cujus vocabulum eſt Veterinas, cum manſis ad ſe pertinentibus in his dumtaxat locis, caſis, ædificiis, domibus, vineis, ſilvis, campis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, farinariis, utriuſque ſexus mancipiis ibidem commanentibus, quantumcumque in prædictis locis noſtris cernitur eſſe poſſeſſio, & omnia quæ genitrix mea Aigua per teſtamenti cartulam mihi conceſſit, totum & ad integrum à die præſenti hilari mente promtaque voluntate Domino Salvatori omnium devotus offero, & Silvio Abbati contrado, ita dumtaxat, ut idem Silvius unà mecum in Veterinas Monachorum ſub Regula ſancti Benedicti degentium in honore Dei Sâlvatoris noſtri, venerationeque beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli & omnium Apoſtolorum, ſancti Laurentii, Sebaſtiani, Dionyſii, Mauricii & cunctorum Martyrum, Hilarii, Martini, Martialis, Eligii, Auſtrigiſili, Sulpicii, Benedicti, & univerſorum Confeſſorum Cœnobium conſtruat: ut ibi ſub vera religione degentes, pro remiſſione meorum peccatorum & perceptione vitæ æternæ præmio, & pro piæ recordationis nomine genitoris mei Rodulfi jugis oblatio fiat; pro parentum etiam noſtrorum, tam pro præteritis, quàm præſentibus & futuris erratibus, necnon pro catholicæ & univerſalis Eccleſiæ ſtatu ſedulis prêcibus divinam miſericordiam implorare decertent. Quin etiam huic teſtamento inſeri placuit, ut quamdiu ego & præfatus Silvius vixerimus, noſtrorum diſpoſitione communique regimine ibidem Deo famulantes conſiſtant, *&c.* Datum menſe Martio, anno primo Caroli Regis. Actum Condato villa. *Veterinenſe Monaſterium modò exſtinctum eſt, redactum in vicum vulgò dictum* Vegennes, *unâ leucâ prope Bellilocum: cujus vici rector pendet à nominatione Belliloceņſium Monachorum. Sordaria qui dicitur fluvius, rivulus eſt, vernaculè* la Sordoire.

Doverenſis *6. In Chronico Virzionenſi, quod Philippus Labbeus edidit in Bibliotheca novæ tomo 2, ponitur* anno DCCC XLIII principium Abbatiæ de Dovero, *de qua hæc leguntur in Patriarchis Bituricenſis ibidem editi cap. 47.* Denique prætereundum non eſt, quòd idem ſanctus vir, (Radulfus) quemadmodum in veteribus memoriis ſcriptum invenimus, templum nobile ſub Doverenſi nomine exſtruxerit, eique pari dignitate Monaſterium addiderit. *Litteras quas de hac conditione condidit Rodulfus, mihi recuperare non licuit: ſed tantùm eas quibus Carolus Calvus eam ratam habuit. Sic autem ſe habent.*

Caroli Calvi hac de re litteræ. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Carolus gratiâ Dei Rex. Si petitiònibus ſervorum Dei juſtis & rationabilibus benignum commodamus aſſenſum, Regiæ dignitatis debitam exercemus conſuetudinem, ac etiam apud æternam beatitudinem idipſum nobis rependi non diffidimus. Quapropter comperiat omnium ſanctæ Dei Eccleſiæ noſtrorumque fidelium, præſentium ſcilicet & futurorum, ſollertia, quia Rodulfus, Bituricenſis eccleſiæ venerabilis Archiepiſcopus, noſtræ innotuit Serenitati, qualiter cuidam Monaſteriolo memoratæ eccleſiæ ſuæ, nomine Dovero, ad ſtipendia Monachorum ibidem Deo militantium quaſdam res ejuſdem Epiſcopii eiſdem Monachis & eorum Abbati, nomine Aimerico, largitus fuiſſet, qui ibidem conſiſtentes

abſque ulla indigentia Domino famulari potuiſſent; hoc eſt villam Granicas cum ſuis appenditiis, & villam Vidiliacum cum ſua integritate, & ſilvam de Villa-Canologio, cujus vocabulum eſt Malavilla, & in loco, qui dicitur Mons, manſos duos, & de villa Brienniaco prope Marologio manſum unum, & de villa Mariaco manſos quindecim cum eccleſia inibi conſtructa, & vicum ſancti Georgii cum duabus capellis, habentes manſos ſex cum farinariis tribus, & areis tribus in civitate Biturica ſitis; & in villa Miſeriaco manſum unum, & in villa Livo manſum unum, in villa Gothorum manſum unum, & ad illas Bordas manſum unum. ſimiliter etiam & villam vocabulo Droſgadam cum omnibus colonis ibidem conſiſtentibus, & res in villa Baniolo emtas à quodam homine, nomine Sulpicio. Unde petiit idem Pontifex noſtræ Celſitudinis clementiam, ut prædicto Abbati ſuo Aimerico & Monachis ſub ſe conſiſtentibus noſtræ auctoritatis præceptum ſuper hanc ſuam largitionem fieri dignaremur: quatenus ipſi Monachi ſucceſſoreſque eorum perpetim memoratas res abſque cujuſpiam inquietudine aut diminoratione tenere valerent, & eoſdem Monachos cum omnibus rebus eorum & mancipiis more paterno ſub noſtræ defenſionis mundeburdo, immunitatis tuitione recipere dignaremur. Cujus petitionem ob amorem Dei & reverentiam ipſius loci libenter annuimus, & hanc noſtram auctoritatem illis fieri juſſimus: pro qua ſtatuimus atque firmamus, ut prædicti Monachi ſuprà ſcriptas res cum omni integritate, à venerando Pontifice Rodulfo vel ejus anteceſſoribus ad eorum ſtipendia deputatas, perpetuò teneant atque poſſideant, remotâ totius inquietudinis moleſtiâ: ſimul etiam propter divinum amorem & Monachorum quietem ibidem degentium, ſuſcepimus eos cum omnibus rebus eorum, quas præſenti tempore habere noſcuntur, & quæ deinceps divina pietas augere voluerit, ſub pleniſſima defenſione & immunitatis noſtræ tuitione, ita dumtaxat, ut ſucceſſores memorati Epiſcopi, qui eamdem cellam poſt eum ſub ſui regiminis cura habituri ſunt, nihil de ſuprà memoratis rebus habeant minuendi licentiam: ſcilicet cum omni integritate ſub prætextu proprii Antiſtitis eas quietè poſſideant, & in eorum uſus perpetuo jure conſiſtant, remota iniquæ occaſionis dominatione. Interea præcipientes jubemus, ut nullus judex publicus, neque quiſlibet ex judiciaria poteſtate, nec ullus ex fidelibus noſtris, in eccleſias aut loca vel agros, ſeu reliquas poſſeſſiones prædictæ cellulæ, quas moderno tempore juſtè & rationabiliter poſſidere videntur in quibuſlibet pagis & territoriis, vel quæ deinceps in jure ipſius ſancti loci voluerit divina pietas augeri, ad cauſâs audiendas, vel *freda exigenda, aut manſiones vel paratas faciendas, ad fidejuſſores tollendos; nec homines ipſius cellulæ, tam ingenuos, quàm & ſervos, qui ſuper terram reſidere videntur, diſtringendos, nec ullas redhibitiones, aut illicitas occaſiones requirendas ullo umquam tempore ingredi audeat, vel ea quæ ſuprà memorata ſunt, penitus exigere præſumat; & quidquid de rebus præfatæ cellulæ exigi vel adquiri poterit, concedimus ut perennis temporibus ad ſtipendia Monachorum ibidem Deo famulantium & alimonia pauperum proficiat in augmentum. Et quandoquidem divina vocatione ſuprà dictus Abbas vel ſucceſſores ejus de hac luce migraverint, quamdiu ipſi Monachi inter ſe tales invenire potuerint, qui ipſam congregationem ſecundùm Regulam ſancti BENEDICTI regere valeant, per hanc noſtram auctoritatem & conſenſum proprii Epiſcopi licentiam habeant eligendi Abbates: quatenus ipſos ſervos Dei, qui ibidem Deo famulari videntur, pro nobis, conjuge, prolèque noſtra, ac ſtabilitate totius regni à Deo nobis collati, attentiùs Domini miſericordiam exorare delectet. Et ut hæc auctoritas noſtris futuriſque temporibus, Domino protegente, valeat inconvulſa manere, manu propria ſubter eam firmavimus, & anuli noſtri impreſſione adſignari juſſimus. Signum KAROLI glorioſiſſimi Regis. JONAS Diaconus ſcripſit.

ANN. CHR. DCCCLXII Junii XXI.

Ann. Chr. DCCC LXVI Junii XXI.

Centulfi donatio pro eodem loco.

7. In mſ. codice, ex quo ſuperiores litteras eruit noſter Claudius Stepharotius, nulla appoſuit chronologica nota: at eas anno DCCC XLIII *datas fuiſſe ex prædictis intelligitur. Paullo pòſt, id eſt anno* DCCC LIII, CENTULFUS, *vir præpotens*, ſacroſanctæ baſilicæ S. Petri Dovetenſis Monaſterii, quæ eſt conſtructa in honore Apoſtolorum Principis Petri, & intemeratæ virginis Mariæ, ubi etiam ſanctorum Optati Confeſſoris & Felicitatis Martyris corpora quieſcunt, ubi etiam ASINARIUS Abbas præeſſe dignoſcitur, *tradit res ſuas* ſitas in pago Santoniaco, in duabus vicariis, Braſdunenſe & Chriſpenſe, *litteris datis menſe Februario, regnante Carolo Rege anno tertio-decimo.*

Ludovici Balbi confirmatio.

Utramque donationem, tam eam ſcilicet quam Rodulfus eidem loco pro Cœnobii conſtructione fecerat, quàm Centulfi, confirmavit Ludovicus Balbus, rogatu Aſinarii Abbatis. Denique cùm Abbatia Doverenſis infeſtatione perverſorum hominum pene ad nihilum redacta eſſet; quidam eccleſiæ Bituricenſis Canonici eam in tutiori loco, id eſt in caſtello Virzione proximo, inſtaurarunt, favente Comite Theobaldo, ut docet inſtrumentum ſequens.

Doverenſis Cœnobii tranſlatio Virzionem.

ANNO ab Incarnatione Domini nongenteſimo-tertio, eccleſia Doverenſis, quæ conſtructa quondam à Rege CAROLO & RODULFO Archiepiſcopo videbatur, infeſtatione iniquorum hominum devaſtata ad nihilum pæne redacta exſtitiſſet, niſi inſtinctu miſerationis omnipotentis clementia quorumdam Canonicorum ſancti Stephani ei ſuccurreret. Quod qualiter geſtum ſit, & quis inde fructus eccleſiæ Bituricenſi acceſſerit, ad utilitatem futurorum notare ſtuduimus. Namque GIRBERTUS eccleſiæ ſancti Stephani Decanus, & GAUFREDUS Præcentor, & JOHANNES Præpoſitus ſuprà dictum locum ſic redigi in deſolationem conſpicientes, Monachos & Abbatem eorum RAIMUNDUM adſumſerunt; & de THEOBAUDI Comitis amicitia præſumentes, in cellulam caſtellulo Virſione ſitam eos collocaverunt, & eis ex rebus ſancti Stephani neceſſaria ad eumdem ipſum etigendum locum, ut ibi abſque penuria Domino ſervirent, largiter præbuerunt. Poſtea verò Comitem prædicti Canonici adeuntes, & Carnotum eum reperientes, ei quæ geſta erant, ſeriatim retulerunt: & pro miſericordia ſervis Dei attributa ab eo collaudati, eumdem ipſum locum, quia tutior, quàm Doverenſis videbatur, ſupradictis Monachis & eorum ſequacibus in Abbatiam ſuo præcepto firmavit, & ſub tuitione & defenſione Canonicorum ſancti Stephani magno munere ab eis accepto in perpetuum eumdem Monaſterium conſtituit; &, ut id ratum foret, chartulam fieri, & nomen ſuum adnotare in ea juſſit. Legitimos quoque teſtes juſſit conſcribi de ſua parte, GUALTERUM, GUIDONEM, GEDEONEM, FRODGERUM. Ex Canonicis GIRBERTUS, GAUFREDUS, JOHANNES, VAUDRADUS, ARNULFUS. Actum menſe Novembris die Jovis, in feſtivitate ſancti Clementis, quarto anno RODULFI Regis, adſiſtente & adjuvante Domno GERONTIO Biturigenſium Archiepiſcopo. GAJANUS Canonicus ſancti Stephani ſcripſit. Signum THEOBAUDI Comitis.

Doveri ſtatus.

* Devre
* Vierzon
* Meneton

8. Hinc diſcimus fortunam Doverenſis Monaſterii, quod modò redactum eſt in ſimplicem (ut vocant) Prioratum: cujus ſitus eſt inter Virzionem* & Menetonem*. De iſtius Cœnobii tranſlatione Virzionem agit Chronicon Virzionenſe à Labbeo editum tomo 2 Bibliothecæ novæ, his verbis.* Anno DCCCC III eadem Abbatia *Doverenſis* tranſlata eſt Virzionem cum Abbate Raimundo. *Perſtat etiamnunc Virzionenſe Monaſterium in Biturigibus ad confluentes Avarici* amnis in fluvium Carum*, Congregationi S. Mauri nuper aggregatum, uti & Bellilocenſe, de quo nunc agendum.*

* l'Avron
* le Cher

Bellilocenſis Cœnobii conſtructio.

9. Hujus Cœnobii fundamenta poſuit anno DCCC XLVI *Rodulfus in paterno fundo ad Dordoniam fluvium, qui Lemovices dirimit à Cadurcis. Locus antea vulgo appellabatur* Vellinus, *cui nomen indidit Rodulfus* Belloloco: *ubi coloniam poſuit*

ſtit Monachorum, quibus præfectus GAIRULFUS *ſeu* Garulfus *Abbas primus, ex Monaſterio Sollemniacenſi arceſſitam. Hæc omnia colligimus ex teſtamento ſeu litteris Rodulfi ſcriptis in hunc modum.* ANN. CHR. DCCC LXVI JUNII XXI.

EGo in Chriſti nomine RODULFUS Bituricenſis eccleſiæ Epiſcopus, ſollicita mente pertractans, qualiter ex rebus caducis atque terrenis turrem conſtruere valeam, cujus aſcenſu ab omni contagione mortalis pulveris exutus, multimodaque ſorde peccati immunis, aulam ſupernæ civitatis merear ingredi; Dominum & Salvatorem omnium totiuſque bonitatis largitorem per hoc teſtamentum ſcriptum nobis heredem ex rebus proprietatis noſtræ eligimus, quæ ſunt in pago Lemovicino, in vicaria Aſnacenſe, ſuper fluvium Dordoniæ, qui locus nuper à ruſticis Vellinus, à nobis autem Bellus-locus nominatur, cum caſis, domibus, ædificiis, pratis, campis, vineis, ſilvis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, farinariis, mobilibus & immobilibus, perviis, adjacentiis, exitibus & regreſſibus, quantumcumque in ſuprà dicto loco noſtra cernitur eſſe poſſeſſio, ex emtione ſeu quolibet modo adquiſitum, vel quidquid ad prædictum locum adſpicit aut adſpicere videtur, totum & ad integrum à die præſenti, hilari mente promtaque voluntate Deo Salvatori omnium devotè offero, & in vice Chriſti CHUNIBERTO Abbati Monaſterii Sollemniacenſis, necnon Godoni Monacho, Frannario, Bernardo, GAIRULFO, Flotgiſo, Rigaldo, Rainulfo, Silvio, Rainerio, Girberto, Umberto, Abraham trado. ita dumtaxat, ut prædictus Chunibertus Abbas vel præfati Monachi in eodem loco Cœnobium Monachorum ſub Regula ſancti BENEDICTI degentium in honore beatiſſimorum Apoſtolorum Petri & Pauli conſtruant: ut ibi ſub religione viventes, pro Regis noſtri parentumque noſtrorum erratibus, quin etiam pro catholicæ atque univerſalis Eccleſiæ ſtatu ſedulis precibus divinam clementiam implorare decertent. Damus etiam ad ſuprà dictum locum curtem noſtram indominicatam, quæ vocatur Bellus-mons, cum eccleſia quæ eſt ſacrata in honore beati Stephani in villa Staliaco, & manſis qui ſunt in Membriaco, cum piſcatoriis, *&c.* & in alio loco in prædicto pago & in præfata vicaria aliam curtem noſtram, quæ vocatur ad ſanctum Geneſium cum ipſa eccleſia, *&c.* & in alio loco in orbe Lemovicino & territorio Torinenſe aliam curtem noſtram & eccleſiam quæ vocatur Sivalis, *&c.* & in alio loco in orbe Lemovicino in vicaria Aſnacenſe eccleſiam noſtram cum adjacentiis atque appendiciis & omnibus ad ſe pertinentibus, & quidquid ibidem habere videmur, quæ vocatur Nonars. Similiter in alio loco in orbe Lemovicino & territorio Torinenſe manſum noſtrum, quem de Bobino dato pretio comparavi in villa Terniaco cum omnibus ad ſe pertinentibus; omnia ſuperiùs nominata cum præfatis eccleſiis & villis atque appendiciis earum prædicto Abbati ſeu prænominatis Monachis, necnon & ſucceſſoribus eorum trado atque transfundo in eorum uſibus vel ſtipendiis in futuris generationibus, abſque ullius hominis contradictione, firmiſſima libertate. Volumus etiam, prout opportunitas atque poſſibilitas ejuſdem loci ſeſe*, cotidie miſericordiæ opera pauperibus indigentibus & advenis pro levamine noſtrorum peccaminum exhiberi. Placuit etiam huic inſeri teſtamento, ut nec meo, nec parentum meorum*, nec faſcibus regiæ magnitudinis, nec cujuſlibet terrenæ dignitatis ſubjaceant: ſed quemcumque præfati Monachi è ſemetipſis Abbatem vel Paſtorem, ſuique rectorem ſecundùm beneplacitum Dei & Regulam ſancti BENEDICTI eligere voluerint, & vero in omnibus jure eligendi potiantur, abſque ullius poteſtatis vel inquietudinis artibus. Pro infeſtatione verò peſſimorum iniquorumque hominum, regium expoſcimus mundiburdum, ut illius ſolatio fulti, tuitioniſque ope relevati, lætiori animo pro regiæ dignitatis exaltatione atque cunctorum catholicorum ſalute, divinæ votis ſupplicibus queant adſtare clementiæ. Rogo etiam & poplite flexo humiliter omnes Reges, Epiſcopos,

* *f. erit*

* *ſupple dominio*

ANN. CHR. DCCC LXVI JUNII XXI. Abbates, Comites, Vicarios, cunctosque rei publicæ adminiſtratores, atque in commune omnes ſanctæ Dei Eccleſiæ Fideles expoſco, & per individuam & inſeparabilem Trinitatis majeſtatem obnixè flagito, & flagitando adjuro, ut ſecundùm tempus, poſſe, & locum, ſi aliquis Dei inimicus hanc noſtri ſtudii devotionem infringere, aut inſtinctu diabolico, maligna cupiditate violare conatus fuerit, adjutorium divini zeli ardore inflammati, caritatiſque atque veræ fraternitatis igne ſuccenſi, ferre non dedignentur: Reges, ſecundùm virtutis ſuæ potentiam fortiter illos comprimendo; Epiſcopi verò, juxta poteſtatis ſuæ ſanctitatem à cœtu Fidelium & ab Eccleſia Dei ſeparando, ac anathematis vinculo colligando; ceterique Fideles, aut pro miniſterii poteſtate coercendo, aut etiam vel verbis juxta poſſe ſolatium ſupplendo. Ego autem omnium ſervorum Dei exilis ſervus, licèt indignus, epiſcopali tamen infula adſtrictus, illum omni iniquitate repletum & in omnibus voluntati Dei contradicentem, qui hoc noſtræ parvitatis donum, quod ſpontaneè ac devotiſſimè Deo offero, deſtruere, aut in ſuos vel aliorum quorumcumque uſus retorquere, niſi in ſtipendia Monachorum ibi Deo ſub Regula ſancti BENEDICTI degentium conatus fuerit; non inflationis vel præſumtionis audaciâ, ſed miniſterii mihi à Deo commiſſi auctoritate, ab omni cœtu Fidelium extraneum fore cenſeo, & canonica inſtitutione anathematizo. Si quis verò contra hoc teſtamentum, quod ego pro amore Dei omnipotentis ac veneratione beatiſſimi Apoſtolorum Principis Petri fieri ſancivi, aut regiæ poteſtatis dignitas, aut quorumlibet regalium Procerum ſublimitas, ſive etiam heredum aut proheredum meorum calliditas venire, aut callidè tentaverit infringere; doli ejus & fraudes penitus irrita fiant, & omnipotentis Dei iram incurrere certiſſimè ſciat, & ab Eccleſia proprio Chriſti ſanguine mercata ſequeſtratus, & à communione Chriſtianorum fiat extraneus. Et inſuper ut pœna temporali dignus expiatus, cogente fiſco auri libras centum & argenti pondera quinquaginta coactus exſolvat, & ſua petitio nullum obtineat effectum: ſed præſens teſtamentum pro animæ meæ parentumque meorum remedio inſtitutum omni tempore maneat inconvulſum cum ſtipulatione ſubnixa. Et ut veriùs credatur, & diligentiùs conſervetur, & ab omnibus firmiùs cuſtodiatur, manu propria ſubter firmavi, & bonorum hominum Canonicorum, ſive fidelium laicorum manibus firmandum contradidi. STODILUS Epiſcopus Lemovicenſis eccleſiæ ſubſcripſi. LAUNUS Epiſcopus & Abba huic teſtamento ſubſcripſi. † RODULFUS Epiſcopus S. GODEFREDUS S. LANDRICUS S. IMMO S. RAIMUNDO Comite S. AGINE S. TEUTARIUS S. IDONEUS Preſbyter S. ARNULFUS acſi indignus Preſbyter S. BERTALDUS S. ARTALDUS S. GODIFREDUS S. Signum Daconi. S. Adalradi. S. Aſpaſii. S. Bernardi. S. Vildraus *. S. David. S. Fulconi. S. Ildoardus. S. Rodulfi. S. Aboni. S. Adraldi. S. Baraldi. S. Bertrandi. † ADDO Abba S. ALAMARIUS Abba S. ABBO Abba S. Samuel S. Agarius Preſbyter S. Garnarius Preſbyter S. Ingilbertus inutilis Levita S. Daniel Diaconus S. Admondus Clericus. Berengarius Clericus. Elias. GARULFUS Monachus. Data donatione in menſe Novembri, anno VI regnante CAROLO Rege ſereniſſimo, XV *. Indict.

* al. Eldraus

* l. VIIII

Garulfus & Abbo Abbates. 10. *Qui in præmiſſis litteris exprimitur* GARULFUS *Sollemniacenſis Monachus, is poſtea Belloloco præfuit Abbas primus, ut poſtea dicemus.* ABBO *Abbas videtur eſſe is, qui ſecundus Lemovicenſi Cœnobio ſancti Martialis poſt adductos Monachos præfectus eſt, tametſi annus apud Ademarum Monachum de Abbatibus Monaſterii ſancti Martialis non omnino reſpondet. Cùm enim Monachorum introductionem ſtatuit anno* DCCC XLVIII, *primum Abbatem per tres annos habet* DODONEM, *alii* Odonem, *cui ſuffectus dicitur* ABBO *in annos undecim*, cujus anno quinto, *inquit*, Carolus Calvus in Regem Lemovicas unctus eſt à Radulfo Bituricenſi Archiepiſcopo, & Stodilo Lemovicenſi Epiſcopo, & aliis Franciæ & Aquitaniæ & Italiæ & Burgundiæ multis Archiepiſcopis & Epiſcopis. *tum ſub-*

jungit: Hoc anno Cœnobium Bellolocum à Rodulfo Archiepiſcopo fundatum & conſecratum eſt. niſi ſi hoc referendum eſt ad annum DCCC XLVIII, quo in baſilica ſancti Martialis collocati ſunt Monachi. Et Cœnobio Maſciaco diœceſis Bituricenſis tum præerat ABBO Abbas, qui anno DCCCXLVII ordinatus eſt, ut conſtat ex Chronico Maſciacenſi apud Labbeum in Bibliotheca nova tomo 2.

ANN. CHR. DCCCLXVI JUNII XXI.

11. Bellilocenſis eccleſia dedicata eſt in honorem ſancti Petri & ſanctæ Felicitatis, ut paſſim legitur in prædicto Chartario: additur ſanctorum Dionyſii, Ruſtici, Eleutherii, Pancratii, Criſpini, Criſpiniani, Hilarii, Martini, Benedicti, Eligii, & Tilloni, in quadam charta Dauberti Sacerdotis data anno VII Caroli Regis. quibus etiam adjunguntur nomina ſanctorum Primi, Feliciani, & Æmilii; quorum, uti & ſanctæ Felicitatis, reliquiæ ibidem quieſcere dicuntur, tum in quibuſdam Chartarii litteris, tum apud Gaufredum Priorem Voſienſem & Bernardum Guidonem de Sanctis diœceſis Lemovicenſis.

Bellilocenſis eccleſiæ patroni.

12. Locum hunc multis prædiis & cenſibus ditavit Rodulfus, quem etiam ſecuti Frotarius ipſius ſucceſſor, Stodilus Lemovicenſis Epiſcopus, aliique permulti: quas donationes confirmaverunt Carolus, Pippinus, Carolomannus, & Odo Reges. Inſignis eſt charta Frotarii concedentis Orbaciacum villam in valle Exandonenſi, eo pacto, ut annis ſingulis Fratribus refectio exhiberetur poſt funus ſuum in die ſuæ depoſitionis: & ut annuatim cuſtodi eccleſiæ vini modii decem tribuerentur, unde ſacrificium cotidie Domino offeratur. Notatu etiam digna eſt charta Geraldi & Adalgarii Abbatum, qua inter ſe compromittunt, ut in quibuſdam locis ſibi ſubjectis ſervi Vicarii, id eſt Judices, imponantur: quos ideo ſervos eligunt, ut fideliter exigant ſervitium dominis ſuis, ea conditione, ut nullus ex illis neque ex poſteris eorum efficiatur Miles, neque ullus portet ſcutum aut ſpadam, neque ulla arma, niſi tantùm lanceam & unum eſperonem. non habeant veſtes ſciſſas antè & retrò, ſed tantùm clauſas. quos eximunt à vectigalibus, iiſque ex quolibet manſo vicariæ ſuæ quatuor denarios & unam gallinam & tertiam partem de omnibus placitis & de veſtitionibus concedunt.

donationes. Notā.

13. Ad primos Belliloci Abbates quod attinet, GERULFUS ſeu Gairulfus præfuit à primordiis ad annum Odonis Regis octavum, id eſt ad annum DCCC XCI. tametſi jam ejuſdem Regis anno quarto coadjutorem adſciverat Rainulfum, qui ei poſtea in ſolidum ſucceſſit. Plura ejuſmodi coadjutorum exempla reperio in eodem Chartario. nam Guerno Belliloci Abbas quintus cum Geraldo; Geraldus deinde cum Bernardo; Gerardus cum Adalgiſo Abbates bini in nonnullis chartis nominantur. Garulfus privilegio Carilocenſis Monaſterium anno DCCC LXXVI ſubſcripſit in Concilio Pontigonenſi, ubi mendoſè Carnulfus ſcribitur in editis apud Severtium, & in novo editione Conciliorum ad calcem tomi 9. Garulfo ſucceſſit RAINULFUS ſeu Ranulfus anno (ut puto) Regis Odonis nono; Ranulfo RODULFUS, qui anno Caroli cognomento Simplicis nono primùm nototur, ultimùm anno primo Rodulfi Regis: cujus Regis anno quinto ſignatur JOHANNES; deinde GUERNO Lotharii anno XIII, poſtea cum ſocio Geraldo; GERALDUS dein cum Bernardo, tum cum Adalgiſo ſeu Adalgario regnante Lothario; BOSO Ludovici Regis anno tertio; BERNARDUS duodecimo. Alios aliorum inquiſitioni permitto. In Concilio Lemovicenſi anni M XXXI conqueſti ſunt Monachi Bellilocenſes, quòd ipſis dominaretur Abbas ſæcularis: cui malo remedium Patres attulerunt.

Abbates.

14. Ex eodem Monaſterio proceſſit beatus RAMERUS * Præpoſitus, in cujus honorem Remigius quidam villam Arnolz concedit tempore Guernonis Abbatis, ob hanc ſcilicet cauſam, quia ipſe Ramerus, inquit Remigius, virtutem magnam omnibus qui aderamus oſtendit. Adoleſcens enim qui deportatus ad tumulum contractus fuit, ipſius interceſſione cum magna facilitate ad altare ſancti Petri currendo pervenit. & illud magnum miraculum oſtenſum fuit in feſtivitate ſancti Martialis. De Belloloco ſatis.

B Ramerus Præpoſitus. * an Raînerus

15. Quartum Cœnobium à Rodulfo conditum, eſt ſancti Geneſii, in gratiam Virginum Benedictinarum, conſtructum in orbe Caturcino, ſecus caſtrum Coſilia-

Ann. Chr. DCCCLXVI Junii XXI.

cum, ubi RODULFUS Comes bonæ memoriæ corpus ſuum ſepelire curavit, in loco qui dicitur Saraſiac, in eccleſia quæ dicitur ſancti Geneſii. *cui Cœnobio* AICUA, *Rodulfi Comitis uxor, conſentientibus filiis ſuis* RODULFO Archiepiſcopo, GODAFREDO Comite, ROTBERTO, LANDRICO, & IMMENANA dilecta filia ſua Deo devota atque Abbatiſſa, *quædam prædia concedit* pro anima Rodulfi Comitis ad ſuum ſanctum ſacrificium offerendum. Facta ceſſio in menſe Februario in anno obitus bonæ memoriæ Rodulfi jam dicti, & anno tertio quo aſſumſit Imperium domnus Lotharius Rex propitius.

16. Rodulfo Biturigenſi pro rebus Remenſis eccleſiæ in pago Lemovicino conjacentibus *ſcripſit Hincmarus teſte Frodoardo in lib. 3 cap. 21. cujus Hincmari alia epiſtola de nuptiis Stephani & filiæ Regimundi Comitis Rodulfo & Frotario Burdigalenſi inſcripta exſtat in tomo 3 Conciliorum Galliæ. Ad ejuſdem Rodulfi conſulta reſpondet Nicolai Papæ I epiſtola 39, ſæpius laudata in decreto Gratiani. Item ei ejuſque Coepiſcopis Nicolaus ipſe ſcripſit epiſtolam 40 de Thetgaudo & Guntario ab apoſtolica ſede damnatis, ut ab eorum communione abſtinerent. Rodulfus porro capitula quindecim de rebus eccleſiaſticis condidit in gratiam ſuæ diœceſeos Sacerdotum & Clericorum, à V. Cl. Stephano Baluzio propediem vulganda. Variis etiam Conciliis interfuit, nempe Meldenſi anno* DCCC XLV, *Tullenſi apud Saponarias anno* DCCC LIX, *Tuſiacenſi anno ſequenti, ad hæc privilegio S. Dionyſii in Synodo Piſtenſi anni* DCCC LXII, *& biennio pòſt privilegio Autiſiodorenſis Monaſterii S. Germani in alia Synodo Piſtenſi ſubſcripſit.*

Rodulfi ſanctitas & obitus.

17. Hæc ſunt quæ de Rodulfi Archiepiſcopi geſtis obſervare mihi licuit: quem Euſtorgius Lemovicenſis Epiſcopus, medio ferè ſæculo decimo, ſanctæ memoriæ magiſtrum *ſuum vocat in litteris Geraldo Abbati conceſſis. Sanè ſi quid peccavit vir ſanctus, quòd Abbatias quaſdam tenuit Epiſcopus; non ſolùm reditus inde profectos refudit in Monachorum profectum, ſed etiam prædia & bona ſua liberali manu contulit in Monaſteriorum ejuſdem Ordinis ædificationem. Rodulfus obiit annò Chriſti octingenteſimo ſexageſimo ſexto, teſte Adone, XI Kal. Julii, ſepultus in baſilica ſancti Urſini apud Biturigas, ubi magna veneratione colitur, ut legitur in Patriarchio Bituricenſi. Jacobus piiſſimus Eremita, de quo ſuprà, prædixit obitum ſancti Rodulfi:* cujus providentia ſic Bituriges gubernabantur, ut à cunctis Pater patriæ eſſet vocatus.

HISTORIA TRANSLATIONIS
CORPORIS S. MAURI ABBATIS
IN FOSSATENSE MONASTERIUM
AGRI PARISIENSIS,

Ann. Chr. DCCC LXVIII April. VII.

In qua præmittitur narratio de everſione & inſtauratione Monaſterii Glannafolienſis.

Auctore ODONE Abbate Glannafolienſi & Foſſatenſi anno DCCC LXIX.

Ex Jacobo Brolio, Bollando, & codicibus mſſ.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. SEQUENS *hiſtoria quatuor partes complectitur, nempe hiſtoriam everſionis Monaſterii Glannafolienſis, in pago Andecavenſi ad Ligerim conditi à ſancto Mauro beati Patris Benedicti diſcipulo, ut in ſancti Mauri Vita legimus Sæculo* 1. *tum inſtaurationem ejuſdem Cœnobii; dein miracula ad ſancti Mauri tumulum patrata; denique corporis ejus tranſlationem in Monaſterium Foſſatenſe. Auctor* ODO *Abbas, qui corpus ſacrum per varia loca comitatus eſt, Foſſatenſi demum Cœnobio præfectus à Carolo Rege cognomento Calvo, is qui librum de vita ſancti Mauri, qualis in Sæculo* 1 *editus eſt, invenit, & locis aliquot interpolavit. Petrus Diaconus Caſinenſis* hiſtoriam de everſione ſeu reſtauratione Cœnobii beati Mauri ex juſſione Abbatis Senioretti emendaſſe, & prologum ſcripſiſſe dicitur. *Quid in hac hiſtoria emendaverit Petrus, non mihi conſtat, ut qui ejus correctorium non viderim. ſed tamen conjicio locum illum, ubi Odo ſcribit, Glannafolium Foſſatenſi Monaſterio regia auctoritate fuiſſe ſubjectum, Petro diſplicuiſſe; atque ut erat fervidi ingenii, ab eo maturum atque in eo latum fuiſſe. Certè eam ſubjectionem* tyrannidem *vocat, infrà num.* 6. *Et tamen hæc hiſtoria bona fide ab Odone ſcripta eſt tum ex relatione teſtium oculatorum, cum rerum ab ſe viſarum perceptione: ejuſque auctoritas inſtrumentis & litteris eo tempore confectis approbatur.* Hiſtoriæ hujus argumentum, Auctor, & fides.

2. *Rorigonis Comitis littera de donatione à ſe facta Monaſterio Glannafolienſi typis edita habentur apud Johannem Beſlium in hiſtoria Epiſcoporum Pictavenſium: quibus in litteris Rorigo prædium ſuum* Matminias *ſitum* in pago Andegavenſi in condita Muciacenſe, quæ eſt in Vallegia, hoc eſt eccleſiam ipſius villæ cum decima, oblatione atque ſepultura; cum campis, vineis, ſilvis & aliis rebus, ſicut genitor, *inquit*, meus GAUZLINUS & mater mea ALDETRUDIS habuerunt, tradit Deo omnipotenti & Salvatori noſtro JESU-CHRISTO & genitrici ejus perpetuæ virgini MARIÆ & beato Petro Apoſtolo, ad Monaſterium Glanna, ubi beatus Chriſti Confeſſor MAURUS corpore quieſcit, & ubi vir venerabilis germanus, *inquit*, noſter GAUZBERTUS devotiſſimus Chriſti famulus, unà cum aliis Monachis regularem vitam ducit, & filium noſtrum GAUZLINUM Deo obtulimus. Actum in ipſo Cœnobio ſancti Mauri anno XXVI imperii HLudovici Auguſti die ſabbato, ipſo die Kal. Martii. *Subſcribunt cum* RORIGONE *&* BILECHILDE *ejus uxore, quæ mendosè* Milechildis *ſcribitur,* DODO *Andecavenſis, &* HEBROINUS *Pictavenſis Epiſcopi, & alii: quem Hebroinum Rorigo* conſanguineum *ſuum vocat. Erat iſte Hebroinus ſeu Ebroinus* ſacri palatii Archicapellanus *& Abbas Pratenſis Monaſterii ſancti Germani apud Pariſios, qui à Carolo Calvo pro Monaſterio Glannafolienſi ſibi in beneficium à Ludovico Pio conceſſo, binas litteras obtinuit apud Beſlium in eadem hiſtoria vulgatas. In poſterioribus litteris gloriatur Hebroinus, ſe Monaſterium* in ſtatum & religionem monaſtici ordinis retraxiſſe, atque in habitum quo olim excultum fuerat, omnino diſparaſſe. *quod tamen potiùs præſtiterat Rorigo Comes, ut patet ex ſequenti hiſtoria & ex diplomate Caroli* Glannafolii inſtauratio.

ANN.CHR. DCCC LXVIII APRIL. VII. Calvi, de quo poſtea Nortmannis ſævientibus maximè in pago Andecavenſi, Monachi Glannafolienſes pars cum corpore ſancti Mauri ſugerunt in pagum Sagienſem, Odo ſcilicet Auctor iſte cum aliis; pars in Pictavenſem, qui in Monaſterio S. Savini conſederunt, ut in Actis ſancti Hugonis Monachi Æduenſis dicemus Sæculo inſequenti.

Monaſterium Foſſatenſe. 3. Poſt varias ſacri corporis huc & illuc delationes factas ob metum Nortmannorum, deportatum eſt tandem in Foſſatenſe Monaſterium, quod refugii locus à Carolo Rege Monachis Glannafolienſibus conceſſum fuit anno DCCC LXVIII. De hujus Monaſterii origine dictum eſt in Sæculo 2 in Actis ſancti Babolení Abbatis. Iſtud neſcio qua temporum injuriâ collapſum reſtituit Bego Comes Pariſienſis, imperantibus Carolo Magno ejuſque filio Ludovico, præfecto Abbate BENEDICTO, quem alium eſſe à magno illo Benedicto Aniana Abbate perſuaſum habeo, idque in fine hujuſce tomi demonſtrabo. Begonis Comitis ejuſque uxoris Alpaidis filiæ Ludovici Auguſti meminit Frodoardus in hiſtoria lib. 2 cap. 12, & lib. 4 cap. 46. cujus Begonis obitus in Chronico Hildeneſheimenſi notatur anno tertio Ludovici Auguſti his verbis: BIGGO de amicis Regis, qui & filiam Imperatoris nomine ELPHEID duxerat uxorem, eo tempore defunctus eſt. In litteris Caroli Simplicis, quas in lucem protulit Philippus Labbeus in Miſcellaneis curioſis, laudatur Bego iſte, & Adaleidis Caroli ipſius matris proavus fuiſſe perhibetur. Poſt Benedictum INGELBERTUS Abbas ſanctæ memoriæ, ut in quodam Caroli Calvi diplomate legitur, poſtulante Rorigone & Bilchilde ejus uxore Glannafolienſe Monaſterium reſtituendum ſuſcepit, & collegium Monachorum ex Foſſatenſi Monaſterio illuc adduxit, locum ornamentis monaſterialibus honorificentiſſimè adornavit, & in eo regularem obſervationem agere optime edocuit, regnante Ludovico Auguſto, cujus ea de re litteras obtinuit. Rem fuſius narrat Odo Abbas infrà. Anno DCCC LXI Dani duce Wellando filio Foſſatis Monaſterium occupant, ut legitur in Annalibus Bertinianis, quod anno inſequenti Carolo Regi reddiderunt.

Translatio eò facta. 4. Anno dein DCCC LXVIII, cùm corpus ſancti Mauri in pago Sagienſi annum unum, in Burgundia tres annos in prædio Audonis Comitis ad Ararim* fluvium, tandem delatum eſt in Monaſterium Foſſatenſe, Ænea Pariſienſi Epiſcopo ſacram pompam ducente & ſanctum corpus humeris geſtante. Anno inſequenti Carolus eò venit, & Glannafolienſem Abbatiam Foſſatenſi attribuit, præpoſito utrique Odone Abbate hujus hiſtoriæ ſcriptore, ut patet ex litteris, quas Johannes Beſlius in hiſtoria Comitum Pictavenſium edidit pag. 171 & 179. Jacobus Brolius Æneæ Epiſcopi litteras de hac tranſlatione ab eo facta refert poſt ſubjectam hiſtoriam ab ſe editam in Supplemento Antiquitatum Pariſienſium: quarum litterarum notanda ſunt hæc verba. Ego ÆNEAS Dei [gratia] Pariſiorum Epiſcopus notum facio

* la Saone

anno 868 cunctis ſanctæ Dei Eccleſiæ filiis, quòd anno dominicæ Incarnationis octingenteſimo ſexageſimo octavo, Indictione prima, juſſu ſereniſſimi Caroli Regis, ad Foſſatenſem ob recipiendum corpus beati Levitæ MAURI accedens Abbatiam, dum à propriis ſacram præfati Sancti depoſui humeris ſuper beatorum Apoſtolorum altare glebam, conceſſi eidem eccleſiæ, annuentibus cunctis Archidiaconibus & Clericis noſtris, qui unà mecum illic aderant, in ſede noſtri Epiſcopatus, in eccleſia videlicet beatæ Dei genitricis Mariæ perpetuò Præbendam integram: ita ut ab hac hora uſque in noviſſimam hujus ſæculi horam tam venerabilis ODO, qui nunc illi Cœnobio præeſt, quàm ſui ſucceſſores eam liberè & abſque ulla moleſtia vel inquietudine aut aliquo ſervitio habeant & ſecurè poſſideant. Proceſſionem denique annuatim in Quadrageſima, quartâ ſcilicet feriâ poſt Dominicam quæ Paſſioni Chriſti prætitulatur, noſtris ſequacibus in monumentum proceſſionis, quam Chriſti dilecto Confeſſori Mauro exhibuimus, die qua primùm receptus eſt à Foſſatenſibus, indicimus: ut cujus ſemel in anno membra reviſimus, ejus precibus & meritis aſſiduè muniamur, &c. Proceſſio iſta fiebat adhuc initio ſæculi XI, ut patet ex litteris Rainaldi Pariſienſis Epiſcopi eam confirmantis anno milleſimo ſexto in gratiam RAINALDI Abbatis, cui poteſtatem etiam facit inſtituendi Vicarium in eccleſia beatæ Mariæ, in qua Præbendam (ut vocant) ab Ænea obtinuerat. Dein acceſſit loco religio ex litteris Innocentii V & Martini IV Romanorum Pontificum, qui viſitantibus eccleſiam Foſſatenſem, ubi corpus beati Mauri ſub veneranda cuſtodia requieſcit, omnibus verè pænitentibus & confeſſis in feſtivitate ac tranſlatione ipſius Sancti uſque ad Octabas quadraginta dies de injuncta pænitentia relaxant. Perſeverat hactenus Fidelium cultus, maximè in pervigilio nativitatis ſancti Johannis Baptiſtæ, in ſanctum Maurum, cujus corporis oſſa præcipua in ea eccleſia nunc uſque adſervantur, incluſa capſa ex ligno deaurato; cranium verò in ſcrinio peculiari. Porro radii ejus duo, alter in Glannafolienſi, alter in Caſinenſi Monaſterio habentur, ut dicetur infrà.

religio in Sanctum.

Monaſterii Foſſatenſis fortuna 5. Ad Monaſterii fortunam quod attinet, Monachi Foſſatenſes paullo poſt illam tranſlationem iterum vexati ab Nortmannis, pars in Burgundiam ſe ſe receperunt. His Aurelianus Lugdunenſis Antiſtes ſedem tribuit in Monaſterio Saxiaco* ad Rhodanum, quod Aurelianus ipſe, antè Abbas Athanacenſis, in fundo ſuo condiderat anno DCCC LIX, præfecto BADILONE Abbate. Ejus rei litteras habes infrà in Elogio Aureliani. Labe-

* Seſſion

factatum poſtea Foſſatenſe Monaſterium Aeeo *Pariſienſis Epiſcopus*, Hagano Comes, *&* Rainaldus *loci Abbas ſecularis*, Adaleidis *Caroli Simplicis matris* conſanguineus, *reſtituerunt* ſub monaſtico Ordine, *ut conſtat ex ipſius Caroli litteris datis* x Kal. Maii, Indict. viii. *tandemque Monachi in Canonicos ſeculares evaſerunt permiſſu Clementis Papæ VII anno Chriſti* mdxciii, *cujus rei litteras Jacobus Brolius retulit in Supplementum ſuum.* Ann. Chr. dccc lxviii April. viii.

6. *Monaſterium verò Glannafolienſe Foſſatenſi ſubjectum manſit uſque ad pontificatum Urbani ſecundi, qui in Concilio Turonico illud à jure Foſſatenſium exemit, & in primigeniam libertatem reſtituit anno* mxcvi. *De hac libertate Petrus Diaconus Caſinenſis ita ſcribit in Chronici Caſinenſis lib. 4 cap.* 18. Pontifex apoſtolicæ Sedis Urbanus pro negotiis eccleſiaſticis Galliam ingreſſus, in plenario Turonenſi, ubi ipſe præſidebat, Concilio Monaſterium S. Mauri in Glannafolio à tyrannide Foſſatenſium Monachorum abſtrahens, priſtinæ libertati reſtituit, ſub magiſterio tantùm & tutela Monaſterii Caſinenſis perpetuò manſurum. *Verùm immoderata & preceps videtur hæc Petri locutio, & ex nimio in proprium Monaſterium ſtudio contra ipſos Caſinates retorquenda. Non enim* tyrannis *dicenda eſt unius Monaſterii ſubjectio alteri, legitima ratione & auctoritate facta & probata.* alioquin tyrannidis *etiam appellatio traduceretur ad ipſos (quod abſit) Caſinates, qui Glannafolium Caſino ſubjectum ab Urbano Pontifice fuiſſe ſcribunt. Quamquam nulla ejuſmodi ſubjectionis mentio eſt in epiſtola Ivonis Epiſcopi Carnutenſis Urbano Papæ ſcripta pro legitimo jure Foſſatenſium. immo contrarium ex ejus verbis colligitur, conquerentis* ſubreptum fuiſſe domno Papæ Urbano ad ſuggeſtionem Comitis Andegavenſis, ut Monaſterium ſancti Mauri ſitum in patria Andegavenſi, quod ſub jure Foſſatenſis Monaſterii antea per trecentos & eo ampliùs annos exſtiterat, de ejuſdem Monaſterii jure auferret, & ordinato ibi Abbate liberum eſſe conſtitueret. *Non dicturus* liberum, *ſi alteri denuo ſubjectum fuiſſet. Et verò quid intererat Comitis Andegavenſis ſollicitare Pontificem, ut in extraneorum dominium transferretur Cœnobium iſtud, popularibus ſuis fruſtratis? Quæ quidem dicta velim citra ullam invidentiam juris Caſinatium noſtrorum, quibus libenter faverem, ſi cauſa ipſa eſſet faventior. Quidquid id eſt, perſeverat hactenus ſub Abbate regulari Glannafolienſe Monaſterium tenuiſſimi reditus, Benedictina ſancti Mauri Congregationi recèns unitum, & meritò, ut ibi denuò refloreſcat ſub auſpiciis ſancti Mauri ſacra illa inſtitutio, quam ipſe in Galliam attulit primus.* & Glannafolienſis.

7. *Jam tempus eſt, ut videamus Odonis Abbatis hiſtoriam, quæ primùm à Jacobo Brolio hujus Monaſterii Germanenſi Monacho in Supplemento Antiquitatum Pariſienſium, tum à Johanne Bollando in Januario ſuo edita eſt: Diſtinctionem capitum à Brolio ſervatam ad marginem apponam, quæ cùm deſit in nonnullis codicibus mſſ. non videtur ipſius eſſe Auctoris. Hiſtoria hæc* Adelmodo *Cenomannenſi Archidiacono inſcripta hunc præfert titulum in codice noſtro mſ.* Incipit libellus miraculorum præsentis temporis seriem describens, quæ per beatum Maurum divina operari dignata est majestas, quæque ab Odone Abbate plena fide expressa sunt.

PRÆFATIO AUCTORIS.

Dilectiſſimo Fratri & venerando viro Adelmodo Archidiacono, Odo Abbas Cœnobii ſancti Mauri, amoris ſubſidium.

1. Historiam everſionis, ſeu reſtaurationis ſancti Cœnobii, quod olim à beato Mauro nobiliter ex antiquo Glannafolium nominatur, quam à venerabilibus & probatiſſimis atque adhuc in carne manentibus perſonis plena fide didici, in corpus unius libelli colligere ac ordinare aggrediens, ſicut crebrò tuam, venerande vir Almode, popoſciſſe reminiſcor fraternitatem; earumdem perſonarum nomina in ipſo exordio narrationis inſerere dignum judicavi: quatinus & ſcrupulum dubietatis legentibus auferrem, & ad veraciter fideliterque amplectenda quæ narro, ex ipſarum Deo placita & hominibus ſpectabili probitate omnes audientes invitarem. Harum primus & ordinis dignitate, & perfectioris vitæ ſanctitate, Godefredus venerandus Abba Foſſatenſis Monaſterii exſtat, qui proli- Teſtes hujus hiſtoriæ.

Ann. Chr. DCCC LXVIII April. VII.

xiori tempore ſub regimine ſanctæ recordationis THEODRADE in eodem ſancto deguit Cœnobio. BILECHILDIS quoque Abbatiſſa [a] noſtro ſæculo ſpeciale ſanctæ viduitatis decus, quæ cum viro ſuo illuſtriſſimo Comite RORIGONE in reparatione ejuſdem Monaſterii, juxta quod illis cælitus oſtenſum ac præceptum fuit, longo ſollicitè invigilavit tempore, cujus & ego plurima quæ refero, frequenti didici collocutione. Sed & BERNEGARIUS Preſbyter his tertius in proferendis ſubſtituitur, de cujus veris adſertionibus nemo noſtrûm dubitare permittitur, qui ejus probabilem in omnibus, & præcipuè in ſanctæ orationis ſtudio vitam cognoſcentes, ut antiquiorem eum antiquiſſimis veneremur Patrem: qui per duodecim continuos annos in jam dicto Monaſterio, & primùm cum piæ memoriæ GAUZLINO [b], & poſtmodum cum fratre ejus ſuperiùs nominato habitavit THEODRADO [c]. His nihilo minùs copulantur omnes pæne ipſius loci congregationis Fratres, qui geſtis ibidem ſui temporis miraculis, revelationibus quoque & viſitationibus divinitus procuratis, concentibus etiam inæſtimabili ſuavitate angelico miniſterio, & præcipuè nocturno tempore celebratis, nimio ſe terrore ſæpiſſime perculſos fuiſſe adſeverant. Aliquotiens verò tantum melos ita ſe animo captaviſſe adſtruunt, ut ejuſdem cantilenæ dulciſonis atque tinnulis modulationibus aure cordis intenti, nihil jam illis niſi tantæ rei liberet inhærere harmoniarum modis. ex quibus nonnullos nominatim exprimo, cùm adſtipulandi opportunitas proſequendi acciderit tenoris.

Tranſlatio anno 868.

2. Hujus autem ſeries narrationis à tempore divæ recordationis PIPPINI incipit, ad noſtram uſque præſentis anni decurrens ætatem, qui eſt ab incarnatione Domini octingenteſimus ſexageſimus octavus, quo etiam anno ejuſdem beatiſſimi viri ſanctiſſimam corporis glebam, juſſu ſereniſſimi Regis KAROLI in Monaſterium ſanctæ Dei Genitricis ſemper virginis MARIÆ, beatique Petri Apoſtolorum Principis, quod antiquitus Foſſatenſe appellatur, digno cum honore populorúmque frequentiſſimo ac celeberrimo detulimus occurſu. quam ſanctus Pontifex ÆNEAS in ipſo introitu Monaſterii ſuſcipiens, propriiſque imponens humeris, cum frequentia venerabilium Monachorum in eccleſiam beati Petri feſtivo ſatis deportavit obſequio, atque ſollemni ſanctæ devotionis in arca ferrea ad hoc ipſum præparata recondidit [d] officio: ubi etiam nunc cum ſuperna opitulatione debitis & aſſiduis Monachorum & veneratur & colitur ſervitiis, ad laudem & honorem nominis Domini, qui ita præſentaliter mirificat Sanctos ſuos, quos jam æternaliter cæleſtium donavit præmiis gaudiorum, conformes eos & coheredes unici Filii ſui conſtituens: quorum meritis & interventionibus veniam conſequi commiſſorum mereamur flagitiorum; qui nos ſancti ſanguinis Chriſti gloriamur redemtos effuſione.

INCIPIT HISTORIA.

Caput I. Gaidulfus Glannafolienſes depilat.

3. IGITUR tempore PIPPINI glorioſiſſimi Regis, cùm adhuc & monaſticæ religionis obſervantia in eodem ſancto Cœnobio optimè cuſtodiretur, honor etiam & dignitas atque affluentia rerum omnium copioſiſſimè exuberaret; numeroſitas quoque religioſorum Monachorum, ut ſtatutum à beato

[a] Cujus loci Abbatiſſa fuerit Bilechildis, mihi non liquet.

[b] Hinc colligitur, Gauzlinum iſtum alium eſſe à Gauzlino Pariſienſi Epiſcopo, qui anno DCCCLXIX, quo hæc ſcribebat Odo, adhuc in vivis erat, necdum Epiſcopus Pariſienſis. Corrigenda ergo hoc loco Gallia Chriſtiana, ubi de Goſlino Pariſienſi Epiſcopo, à quo item diverſus eſt is, cui Abo carmen de obſidione Pariſiaca nuncupavit.

[c] Hic duo notanda. primum, Theodradum fratrem fuiſſe Gauzlini; ac proinde utrumque filium eſſe, Rorigonis Comitis, an Gauzberti, qua de re infrà num. 17. alterum, Theodradum Gauzlini etiam ſucceſſorem fuiſſe. Theodradus rurſus laudatur infrà num. 26 & 27. de ejus ſucceſſore num. 21.

[d] Brolius addit, *Sub die Iduum Novembrium.* Verùm id factum eſſe *feriâ quartâ poſt Dominicam Paſſionis*, quæ feria eo anno in diem 7 Aprilis incidebat, patet ex ipſius Æneæ litteris ſuperiùs citatis.

Mauro

Mauro fuerat [a], ibi pleniter haberetur; locum ipſum cum omnium integritate poſſeſſionum ad eumdem pertinentium, idem præcellentiſſimus Rex GAIDULFO cuidam Ravennati dedit: qui barbariem ſæviſſimi animi, atque efferæ crudelitatis exercens duritiam, execrabili odio Monachos ibidem commorantes perſequi aggreſſus eſt. Qui ejus immaniſſimam ferre non valentes oppreſſionem, circumquaque diffugientes, diſperſi ſunt; ita ut non remanerent ex eis niſi quatuordecim tantùm, qui inopiæ malo compulſi aliud agere non valentes, quotidianam ſtipem vix emendicando à ſupradicto tyranno poterant extorquere: excubias ſemper, prout valebant, apud beati viri corpus ſollicitè obſervabant. Cumque & ipſi tam famis inediâ, quàm ceterarum miſeriarum acerrimo afficerentur cruciatu, nec inſtitutionis ſanctæ Regulæ arduam poſſent ducere vitam; conſilio accepto indumenta deponunt monaſtica, habitum Canonicorum adſumentes veſtimentorum. Unde ipſe tyrannicæ perverſitatis nefandiſſimus homo, occaſione contra eos ſumta, omnes expulit; quinque tantùm Clericos, abjectiſſimæ ſcilicet vilitatis perſonas, ibi conſtituens, à quibus aliquid officiorum divini cultus apud ſancti viri peragеretur corpus.

ANN. CHR. DCCCLXVIII APRIL. VIII.

Monachi pauci relicti.

Canonici habitum adſumunt,

quibus ſuffecti quinque Clerici.

4. Inde inſtigatus à dominatore ſuo diabolo, Monaſterium omne ſolotenus evertit: ita ut etiam fundamenta nonnullorum erueret ædificiorum, quod hodieque inſpicientibus liquidò claret, dum diverſarum adhuc officinarum penitus abdita ibi cernuntur fundamina. Denique nec domibus eccleſiarum in eodem ſancto pepercit loco, dicens: Sicut Dominus cædem interfectionis à ſanctuario ſuo initiari juſſit, ita everſionis noſtræ deſtructio à Sanctis exordium ſumens, audaciùs reliqua pervadet ædificia.

Monaſterium à Gaidulfo everſum,

5. Poſt hæc, omnia teſtamenta, quorum auctoritate rerum cunctarum eidem loco collatarum conſtabat delegatio, ſollicitè perquirens & inveniens, pejora ſemper peſſimis adjiciendo, partim cremavit, partim in Ligerim miſit; nonnulla verò in Monaſterio ſancti Albini cuſtodienda depoſuit. Quod cùm jam noſtro tempore ego auditu comperiſſem, quadam vice Andecavis pergens, atque ANSCHERIUM Præpoſitum adiens, deprecari illum omnibus cœpi precibus, ut ſi aliquid ex his in peribolis [b], aut in ſcriniis chartarum ejuſdem loci eſſe sciret, nobis reddere dignaretur. Tum ille: Fateor, ait, me aliquid hujuſmodi, cùm Præcepta veterum Regum revolverem, reperiſſe: ſed quia nemo umquam exſtitit, qui à me horum quippiam inquireret, & ego in talibus cor non appoſui; inter chartarum copiam ea facilitate qua reperta ſunt, eadem & repoſita fuerunt. Cumque inſtrumenta Præceptorum atque teſtamentorum noſtrorum inſectatione paganorum deperiſſent, cum eis pariter & veſtra diſperierunt. Ne ergo legentibus ex his faſtidium ingeramus, ad propoſita articulum reflectamus.

Chartæ & inſtrumenta diſſipata.

6. Hic itaque miſerior miſerrimis non conſiderans damnationis ſuæ ultricem plagam, quæ cum juſto judicio Dei pro talibus tantarum auſis præſumtionum erat conſecutura; poſtquam cuncta quæ animo conceperat, juſta Dei permiſſione de eodem exercuit loco; convocatis amicorum atque affinium turmis, ad convivium apparatioris prandii, ſceleratè à ſe geſta, poſt inſatiabilem lautiorum edacitatem ciborum, & vini meri nimiam potationem, cunctis qui aderant, jactantiæ deſperabiliter barathro demerſus, referre cœpit: Ne, inquiens, teterrimum Monachorum genus per ſuccedentia tempora hunc locum vanis ſpebus animatum repetere aut evindicare valeat, cum domorum everſione teſtamenta ablata ſunt prædiorum, quibus ſe opinari poterant poſſeſſio-

Gaidulfus dat pœnas;

[a] Numerus centum quadraginta Monachorum eo in loco à B. Mauro inſtitutus fuerat, ex ejus Vita: nunc locus vix capit decem.

[b] Archivum ſeu tabularium Monaſterii Bollandus interpretatur hanc vocem, quæ aliàs ſeptum vallumve, aut xyſtum ſignificat. Ex munita ſunt plurimum Monaſteriorum archiva. In nonnullis codicibus mſſ. ſubditur, *aut in ſcriniis tomo chartarum*. Vox *tomo* gloſſema eſt.

Ann. Chr. DCCCLXVIII Apriil. VII.

nes tantorum recuperaturos fundorum. Necdum verba compleverat, cùm ecce contra ſe ſuper menſam, ad quam laſciviens reſidebat, ſtare videt venerandi Monachi habitus virum, cujus facies igneo reſplendebat adſpectu; canities verò comtiſſimi dignitate honoris ſuper nivem micans candebat. qui ferulam manu geſtans, torviſque aliquantiſper miſerum reſpectans luminibus, eum forti conamine, calce quidem in ventre, ferulâ autem in capite validiſſimè percuſſit. qui ilico amens effectus hac illacque ſuper ſcapulas crebtò jactans, ejulando clamare cœpit: Maure, tu me interficis, Maure, tu me interficis. Cùm hæc cunctis, qui aderant, audientibus, oculis jam cæcatus, quos in capitis percuſſione amiſerat, frequenter tepeteret, Arrii infelicis multatus damnatione, effuſis inteſtinis infelicem (ut erat dignus) finivit vitam particeps dæmoniorum effectus. Hæc ita geſta eſſe teſtatut Gerramnus Monachus noſtræ Congregationis, qui à patruo ſuo ipſius loci Monacho ſe frequenter peracta, ſicut hic inſerta ſunt, iſta audiſſe confirmat. Qui de eodem Cœnobio cum ceteris Fratribus ab ipſo perverſæ mentis homine expulſus, ſæpe ad domum fratris ſui, patris videlicet hujus Gerramni, veniens, cuncta ex ordine referre ſolitus erat. Adſtipulantur etiam huic adſertioni religioſæ admodum ac veteranæ perſonæ, quæ ab eo tempore ad noſtram uſque perdurantes ætatem, evidentiſſimis iſta proſequuntur indiciis. ex quibus ego etiam duos vidi, quos pro hoc ipſo ad me evocans, atque ab eis cuncta diligenter ſciſcitans, veriſſima hæc eſſe, prout ea ipſi oculis inſpexerant, adſeruerunt: addentes etiam hoc, quia poſt expulſionem ipſius loci habitatorum & ejuſdem ſcelerati viri deſperabilem percuſſionem, prædia ac villæ, quarum ſubſidiis ac reditibus locus iſdem eatenus ſubſtiterat, præreptione ſatis injuſta tam à Comite Andecavenſi, quàm ab aliis quibuſque præſumtuoſæ ac cupidæ mentis hominibus uſurpatæ ſunt atque pervaſæ, ea ſolummodo occaſione, quia nemo fuit qui ad notitiam auguſtiſſimi honoris, Magni ſcilicet Imperatoris Caroli, prout geſta erant, hæc perferre curaret.

Monaſterii prædia à Comite occupata.

II. 7. Cúmque iſdem locus pæne jam deſolatus atque in ſolitudinem redactus omnimodis eſſe videretur, jam tempore piiſſimi Auguſti Ludovici, cum pauciſſimo numero villarum (ſicut videlicet eum onager habuerat) ab ipſo Imperatore Rorigoni religioſæ ac nobilis memoriæ Comiti collatus eſt. qui Dei inſpiratione corde tactus ac divini muneris gratiâ præventus, cum conjuge ſua jam ſuperiùs dicta Bilechilde, ſollicitè perquirere cœpit, qualiter ſæculo renuncians, liber ab omni mundana occupatione, perfectionem regularis poſſet adipiſci religionis, vel qualem ipſa ſuper hac re gereret voluntatem. Cúmque ei & adſenſum ſuum eadem venerabilis mulier in tali negotio præbuiſſet, & ſe eadem facturam ſecundùm ſexus ſui ordinem pollicita fuiſſet, de ſola jam locorum opportunitate, in quibus id agere cum ſuperno adjutorio poſſent, ſtudioſè inveſtigare certabant.

Rorigo cum uxore monaſticam vitam meditatur.

8. Sed cùm Deus omnipotens & eumdem locum in priſtinam religionem reformare decreviſſet, & eoſdem religioſos conjuges mercede perfectorum operum, quibus ipſi in reſtaurando invigilâvere loco, à ſe donandos, hominibus notum facere voluiſſet; quadam die cor amborum ut gratiâ orationis corpus beati Mauri adirent, manu ſancti deſiderii tetigit. qui fervore ſanctæ devotionis concepto, de loco habitationis ſuæ, qui Boſcus vocatur, adſcenſis equis, religioſo ſatis obſequio illuc tendere feſtinarunt: perluſtratíſque omnibus convenientiis, quibus locus ipſe digniſſimo & floruit & florere poterat honore, taliter communi conſilio in reſtructione Cœnobii laborare æſtimaverunt. Continuò Turonis mittentes, Lambertum religioſæ vitæ virum de Monaſterio[a] ſancti Pontificis Martini evocant, adſcito nihilominus Ebbone viro ſatis ſtrenuo, affinitate conſanguinitatis ſibi propinquo: quibus cùm vo-

S. Mauri tumulum adeunt.

inſtaurant Monaſterium.

[a] Majori-Monaſterio ſcilicet. nam Monaſterium aliud ſancti Martini jam tum ad Canonicos defecerat.

ANN. CHR. DCCCLXVIII. APRIL. VII.

luntatem ſuam de his quæ ſuprà ſcripta ſunt, venerabilis Rorigo Comes aperuiſſet, eorum conſiliis & exhortationibus in ipſo ſuo deſiderio ardentiores effecti, mox ſummo ſtudio in fabrica Monaſterii laborare aggreſſi ſunt; convenienter coram eis, quos evocaverant, jactis fundamentis.

Intermiſſum opus divino monitu Jacob Abbas urgere nolens,

9. Sed aliquamdiu ædificatione tanti operis aſſiduè cùm occupati fuiſſent, & quorumdam impedimentorum interceptu præpediti, Brennovem ampliſſimum poſſeſſionis ſuæ cæſpitem petunt: ubi dum prolixiori tempore moras innecterent, & cœptum ab eis opus eorum abſentia non adſurgeret, cuidam reverendiſſimæ vitæ Abbati, JACOB nomine, Cœnobii Cormaricenſis [a], cùm poſt matutinale officium ſanctarum inſtantiâ precum Divinitatis more ſibi ſolito pulſaret aures, quidam candidiſſimum Monachi præferens habitum, cujus facies roſeo micabat aſpectu, canicies verò inſtar lactis candebat, adſtans talia infit: Vade, inquiens, & partes Britanniæ aggrediens, Rorigonem perquire Comitem. quem cùm inveneris, iſta illi divinitus tibi nuntiata proſequere: Non rectè vir bonorum agis deſideriorum, quòd ſegnitia improvidæ mentis preſſus, occupatione terrenarum implicatus rerum, his quæ cæleſti inſpiratus deſiderio perficere cogitaveras neglectis, temporalibus atque caducis operam dando inhæres. Sed ſi tibi Divinitatem placabilem & adjutricem fore, ut dudum optaveras, concupiſcis, religioſè quidem à te cœptis, ſed periculosè dimiſſis ſtudioſiſſimè inſiſte operibus, ut meritis viri ſapientis, qui ædificavit domum ſuam ſupra petram, à Deo donatus, cæleſtis regni heres, cum Paulo ſapiente architecto effici merearis. (1. Cor. 3, 10.) Cui reſpondit Abba: Rorigonem non novi: ſed & te, qui talia jubes, ignoro. At ille ſubjunxit: Illum quidem ocius perquirere ſatage; me autem quis ſim, ut ſuperno placuerit Opifici, ſcire licebit. His peroratis diſparuit. Tunc ille ſtupens ad ea quæ audierat & viderat, nulli prorſus prodere illa volebat, eventum rei ſollicitè exſpectans. Expleta verò hebdomada iterum ei iſdem vir in eodem habitu, hora eadem quâ & priùs, in ipſo apparuit loco, auſteriùs arguens, quòd negligentiùs à ſe juſſa perceperit, ſibique eum conſulere adſeruit, ſi feſtinanter his quæ audierat, obtemperare voluiſſet. Sed nec ſic quidem ille etiam hac vice animum appoſuit, ut exſecutor oſtenſorum fieret, defectione quadam ſupra modum torpens: cùm ecce die tertia horribiliter eum compellans in eodem loco illi adſtitit, ac tertiò eum acerbiſſimo flagello, ſicut adclinis reſidebat, in dorſo validiſſimè percuſſit, mortem ei minitus, ſi ultrà ad explenda quæ audierat, tardare præſumſiſſet. Qui nimio percuſſionum excruciatus dolore, ſiquidem & cutis & carnis molliciem divinum tranſiens verber, medullitus, ut ſic dictum ſit, oſſibus inhæſit, timore quoque intentatæ mortis perterritus, ilico quò juſſus fuerat, perniciter tendere feſtinat.

flagello percuſſus,

Comiti rem narrat.

10. Cúmque poſt longos viarum anfractus laborioſo confecto itinere, tandem, ut optaverat, Brennoven deveniſſet, ac Comiti ſupradicto nuntiatus fuiſſet, mox ut ejus ingreſſus præſentiam adiit, ſecretiorem ab illo expetens locum, miſſum ſe ad ipſum ſpecialiter indicavit: & continuò nihil ampliùs dicens, agiliter ſe cœpit exſpoliare. quem in amentiam verſum Comes exiſtimans, prohibere eum reluctando nitebatur. Non, inquit, virorum juſtiſſime, ut tu putas, deſipio, ſed cæleſtis oraculi tibi juſſa deferens, evidentioribus te indiciis roborare deſidero. Et hæc dicens, ac dorſum ſuum retegens, liventes adhuc plagas lacrymis perfuſus ei oſtendebat. Et poſt hæc rei ordinem pandit: cúmque & uxor ejus ab eo vocata veniſſet, illi quoque cuncta replicavit, oſtenſis nihilo minùs divinorum ulceribus flagellorum. Igitur tantis ac talibus attoniti miraculis, tractare ſollicitè cœpere quo modo cœpto operi attentiùs invigilare poſſent. Deinde Abbatem illum diebus quindecim ſecum retinuere, inſtantiam devotionis ſuæ certatim ei impendentes, ac frequentium fovere jubentes inductioue unguinum. quem jam obductis cicatricibus ad ſe evocantes,

[a] Vulgò *Cormery*. de cujus Monaſterii origine actum eſt in Elogio Alcuini Abbatis.

Ann. Chr. DCCCLXVIII. April. VII

divinis ſe per omnia præceptis parere promittunt. Ita demum non parvis donatum muneribus, ad propria eum lætantem & alacri corde remittentes, & poſt hæc pagum Andecavum repetere decernunt.

Comitiſſa in partu periclitatur,

11. Cúmque in locum, qui Vernentis dicitur, manendi gratiâ divertiſſent; ſubitò adverſæ valitudinis incommodo ſupradicta matrona, ut prægnans erat, vehementiſſimè cœpit atteri, ut de ejus vita omnes qui aderant, deſperare cogerentur. Sed honorabilis Comes vir ejus progreſſum illius naviter adminiſtrans, iter ſuum cornipedum velocitate peragere ad ſupradictum locum diſponit, de ſola jam conjugis ſepultura lugubri ſatis mente pertractans. Cùm verò Ligerim navigio ſubvehente tranſmeare cœpiſſet, jámque media fluminis ſpatia celox innare videtur, ſphæra ignis inſtar latioris clypei cælitus emiſſa, illi ſupra caput adfuit, cujus odoris adeo perſenſit vigorem, ut comam capitis ſui abſumi pertimeſceret. Attonitus ergo pro his redditus, quæ & videbat & ſentiebat, hujuſmodi oraculum cæleſtis percipit vocis. Hîc, inquiens, ædifica, hîc ædifica, hîc ædifica. quod niſi te facturum modò Divinitati ſpoponderis, nullo modo deinceps dulcibus dimiſſæ uxoris frueris oſculis, vel proſperè metas tibi conceſſi attingos ævi. Hæc ipſe ſolus in medio fluminis alveo videns & audiens, cuncta ſe impleturum pollicens, mox ut terram rate appellente arenoſum cœpit calcare ſolum, ocius beati Mauri corpus cum fervore ſanctæ devotionis reverenter expetiit, (non longè ſiquidem ab eo loco fluvium tranſnavigaverat) ſed, ut æſtimari valet, quaſi paſſibus ducentis. Denique horâ eadem, ut poſtea ſimul conferentes invenere, graviſſimo pondere infirmitatis conjux ejus exonerata eſt, quæ jam tribus diebus, totidemque noctibus ſine cibi vel potus perceptione jacuerat. Cúmque & ipſa navigio ad eumdem delata fuiſſet, abſque ullius adminiculo urnam ſancti viri religioſo ſatis adiit deſiderio.

Comes in fluvio:

Uterque excepti adeunt tumulum S. Mauri.

Comes iterum monetur ne differat opus.

12. Eo adhuc tempore Bertingus quidam, non ignobili ortus familia, eorum dono, cum conjuge Huninga locum ipſum beneficiario poſſidebat jure. Biduo igitur ibi loci amore & conſideratione morati, ſolitum locum habitationis ſuæ Boſcum reviſere ſtatuunt; ubi dum quadam die iſdem venerabilis Comes in oratoriolo compendiosè ibidem conſtructo, (ut nobilioribus mos eſt) poſt matutinos reſidens hymnos divinis intenderet theoriis, pſalmis, ac precibus per contemplationem inſiſtendo; quidam ignoti ſchematis vir illi viſibiliter adſtans, talia ore protulit: Noli, inquit, de his quæ tibi divinitus ſunt nuntiata, ullo modo deinceps tardare. quoniam poſt Auguſti Ludovici defunctionem, non ita tibi habilis arridebit facultas temporis, ut licenter inſiſtere, ſicut nunc, divinis valeas juſſionibus. Ut verò uxor tua à ſcapulæ & lacerti pleniùs convaleſcere queat incommodo, ſanguiſugæ ſitibunda illi adhibeatur numeroſitas. His dictis, abſceſſit.

Lambertũ & Ebbonem vocat,

& Ingelbertum & Abbatem cum aliis.

13. Porro ille continuò uxorem ſuam evocans, cuncta illi quæ viderat per ordinem enarravit: rurſumque Lambertum & Ebbonem directis nuntiis convocantes, quæ erga ſe geſta vel ſibi oſtenſa fuerant retulere. Qui ſimul cum eis laudantes & benedicentes Deum, hortati eos ſunt, ut ceteris poſtpoſitis, hoc quod ſalubriter quidem cœperant, ſed negligentiùs omiſerant, ſecundùm divinum ad ſe perlatum reſponſum, perficere quantociùs poſſent ſtudioſiſſimè elaborarent. Qui eorum obſecundantes conſiliis, Ingelbertum [a], ſanctiſſimæ vitæ virum, Abbatem Foſſatenſis Cœnobii, ut ſibi cooperator efficeretur, vix infatigabilibus emeruerunt obtinere precibus. Tandem ergo devictus votis eorum & familiaritatibus, adſumtis perfectioribus quibuſque congregationis ſuæ Fratribus, perrexit ad locum: ex quibus duo ſpecialiter noſtro ſæculo tam in divinis contemplationibus, quàm in cunctis ſanctæ Regulæ obſervationibus, velut duo quædam magna luminaria in noſtro Or-

[a] De hoc Ingelberto dictum ſuprà in Obſervationibus num 3. Is eſt Ingelbertus Abbas, qui tractatus S. Auguſtini ſuper Johannem *in honore Dei & S. Petri fieri*, id eſt ſcribi, *juſſit*. qui codex etiam nunc eſt penes Canonicos Foſſatenſes.

ANN CHR. DCCCLXVIII APRIL. VII.

dine emicuere, GAUZBERTUS ſcilicet frater ipſius Comitis Rorigonis, atque WILLELMUS: qui quantæ nobilitatis, quantæque poteſtatis exſtiterint, ac quales in ſæcularibus claruerint honore dignitatis, & quàm perfectam in omnibus vitam duxerint, poſtquam fugitivi ſæculi faſcibus abrenuntiantes, atque non ſegniter præceptis Domini inhærentes, cœnobialem delegerunt expetere converſationem; ſi quis noſſe deſiderat, ab omnibus qui eos cognoſcere potuerunt, & adhuc ſuperſtites in carne morantur, veraciter audire valet. Et quia locus ille in omnibus habitaculis, quæ monaſticæ conveniunt obſervationi, inſtantiâ bonorum conjugum, ſicut nunc habetur, pæne jam ædificatus erat, venerabilis Abba Ingelbertus, cum illis quos ſuprà diximus, copioſiorem Fratrum dimittens numerum, eoſque in ſancta religione corroborans, ad propria reverti acceleravit, certus utique de eorum infatigabili ſanctæ perfectionis obſervantia.

qui ibi Monachos locat.

14. * At verò venerabilis Comes, ne per ſuccedentia tempora locus ipſe habitatorum fortaſſe negligentiâ à rectitudine regularis tramitis exorbitaret, Præceptum imperialis edicti à Sereniſſimo Imperatore LUDOVICO ex ſacro promeruit ſcripto: quatinus Rectores Foſſatenſis Monaſterii providentiam ſemper de eodem loco habentes, inſtantiam ſollicitudinis ſuæ tam loco, quàm congregationi vigilanti cura adhiberent; tales videlicet ſuæ congregationis eis Præpoſitos & magiſtros ordinando Fratres, quorum nutu & regimine cuncta illic perficienda & interiùs & exteriùs ſtudioſè diſponerentur. Quod qualiter tempore Ingelberti ablatum, ignique [a] crematum fuerit, melius reticendum, quàm proferendum putamus. Cùm itaque viri * Domini, quorum ſuperiùs nomina ſunt inſerta, cum reliquis ſibi commiſſis locum eumdem honorificè ſatis ac religioſè ſtabilire & ordinare cœpiſſent, parvo admodum tranſacto tempore nonnullos ibi Deo per ſanctæ religionis obſervationem adquirere ac adunare ſummo ſtudio conati ſunt. Si quidem de ſuo monaſterio juſſu Patris ſui omnia, quæ in divinis cultibus neceſſaria erant, & quibus ſe in noviter cœpto indigere timuerant loco, ſecum detulere.

al. * Rorigo denique

Monaſterium ſubjicitur Foſſatenſi.

a.

* al. illi

15. Cumque in dies augmentatio ſpiritualis incrementi, per eorum miniſterium fructum non modicum animarum ibidem Deo in ſegetem ſanctæ maturitatis proferre non ceſſaret; auguſtiſſimæ recordationis LUDOVICUS PIPPINO filio ſuo cum reliquis quæ magnitudini celſitudinis illius viſa ſunt, etiam Andecavenſem contulit Comitatum, cum Abbatijs & fiſcis in eodem pago ſitis. Unde factum eſt, ut conſilio & hortatu illuſtris viri Rorigonis EBROINUS, tunc adhuc flore juventutis egregiæ in Clericatus pollens ordine, poſtea verò pontificali cathedra in Pictavenſi ſublimatus eccleſia, locum hunc, de cujus reſtauratione à nobis ſermo deducitur, ſollemni donatione Pippini glorioſi Regis percipere mereretur: ob id ſcilicet, ne in alienas decidens manus, regularis (ut dudum) de eo eliminaretur religio. Nam & locum tam ſuæ tumulationis, quàm conjugis & filiorum, ceterorumque propinquorum, idem nobiliſſimus Comes illic decreverat eligendum, ubi etiam ipſe Dei diſpoſitione & ſua quieſcit electione. affinitate enim carnalis generoſitatis ipſe Ebroinus ei propinquus erat. Hoc ergo cùm apud Pippinum, ut optaverat, obtinuiſſet; accedens etiam ad piiſſimum Imperatorem LUDOVICUM jam Epiſcopus conſtitutus, locum ipſum cum omni plenitudine rerum, quas eo tempore dinoſcitur poſſediſſe, in hereditario ac perenni promeruit impetrare dono, ut teſtatur ſacræ auctoritatis ejus celebre teſtamentum [b], quod hodieque ſcrinii noſtri cautiſſima conſervatur repoſitione.

Pippinus accepto Comitatu Andecavenſi.

Ebroino dat Glannafolium,

ubi Rorigo ſepultus.

b

16. Hic denique ſupradicti Comitis juſſionem ſequens, ejuſque obtemperans voluntati; Fratribus Foſſatenſis Cœnobii liberrimam de eodem loco conceſſit poteſtatem, quamdiu iſdem nobiliſſimus & reverendus vir in corpore,

V.

Ebroinus Rorigone mortuo appellit Foſſatenſes.

a Poſtea idem Monaſterium Foſſatenſi denuo ſubjecit Carolus Calvus literis ſuperiùs citatis.

b Lege Obſervationes prævias num. 2.

ANN CHR. DCCCLXVIII. APRIL. VII.

Dei voluntate permanſit. Illo verò præſenti caſſo lumine, cùm auctoritatem ab eis inquireret, qualiter ipſum Cœnobium in eorum deveniſſet poteſtatem atque dominium, nec eam illi oſtendere quiviſſent; quippe quia, ut ſuprà ſignificatum eſt, fraudulenter abſtracta atque igni mancipata fuerat; ille aliquibus Fratribus de ſupradicto Monaſterio retentis, ceteros locum ſuum jubet reperere: & poſt obitum Auguſti Ludovici, & juſtæ recordationis Rorigonis, inductus à quibuſdam non ſani cordis viris agere aggreſſus eſt: accedenſque ad Sereniſſimum Regem KAROLUM, & oſtendens illi teſtamentum patris ejus, cujus auctoritate proprietatis jure eumdem retinebat locum, deprecatus eſt eum, ut ſuis novis præceptionibus domni genitoris ſui roborare dignaretur edictum. Cujus ille precibus libentiſſimè annuens, quod à tanto petebatur Antiſtite, celeberrimis confirmavit ſcriptis: quibus etiam con-

Diploma pro ſe obtinet à Carolo.

„ tinetur, ut quamdiu aliquis de progenie noſtra inveniri poterit, qui locum
„ ipſum ſecundùm auctoritatem beati BENEDICTI regere & gubernare va-
„ leat regulariter; ipſe vivens nullus alius ibi Rectoris fungatur officio.

VI. Gauzlinus Abbas inſtitutus,

17. His denique ſtrenuè ſatis peractis, GAUZLINUM, virum eruditiſſimum atque perfectiſſimum, in monaſtica perfectione religioſiſſimè inſtitutum, filium [a] ſcilicet ſancti viri GAUZBERTI, regiæ præſentavit celſitudini; egitque cum eo, ut illum loco ipſi Abbatis honore præficeret. Quod Rex gratanter accipiens (valde enim eum pro ſua eruditione & doctiſſima locutione diligebat, qua iſdem vir nobiliſſimè pollebat) honorabiliter eum coram Optimatibus totius regni ſui Abbatem conſtituit, ampliora ſe ei daturum promittens, cùm opportunitas id peragendi ſe ei obtuliſſet. Qui ſuſcepta cura paſtorali ejuſdem loci à Rege ſibi injuncta, nobiliter in ſancta religione cœpit excreſcere. denique in divinis cultibus ſuo tempore nemini ſecundus emicuit. qui qualiter corpus beati Mauri de auſtrali climate altaris beati Martini retro, (ut noſtro ſæculo mos eſt) ad orientalem ſcilicet ejuſdem menſæ tranſtulerit partem; ipſius ſcriptis pleniſſimè cognoſci valet. Ita enim

transfert reliquias S. Mauri anno 845.

Tranſlationis monumentum.

„ proſequitur. Anno incarnationis Domini noſtri JESU-CHRISTI octingen-
„ teſimo quadrageſimo quinto, Indictione octava, feriâ quintâ hebdomadis ni-
„ hilominus quintæ [b] in Quadrageſima, quarto Idus Martii, tranſlata ſunt oſſa
„ beatiſſimi Levitæ Mauri à famulo Dei GAUZLINO, aliiſque Sacerdotibus,
„ in locum, in quo nunc venerantur, in arca ferrea cum honore recondita.
„ Hac eadem etiam die reliquiæ Protomartyris Stephani, quæ à BERTULFO
„ Abbate, tempore CHLOTHARII Regis, juxta prædicti Patris Mauri tumu-
„ lum, ob ejus venerationem, in buxtula lignea reconditæ fuerant, ita intactæ
„ & abſque macula ſunt repertæ, ut quaſi eodem die illic repoſitæ fuiſſe cre-
„ derentur. in qua etiam membranulæ vetuſtiſſimæ portiuncula eſt inventa, cu-
„ jus ſeries diuturna obliteratione pæne deleta, vix perſpicaciſſima elucidari va-
„ luit indagine: cujus textus tandem enucleatus hæc continere repertus eſt:
„ HIC REQUIESCIT CORPUS MAURI MONACHI ET LEVITÆ, QUI
„ TEMPORE THEODEBERTI REGIS IN GALLIAM VENIT, ET OCTA-
„ VO-DECIMO KALENDARUM FEBRUARIARUM MIGRAVIT A SÆ-
„ CULO. Beati quoque Petri Apoſtoli patrocinia ſimili modo ibidem ſunt re-
„ perta in arula, quæ ad caput ejus erecta eſt, & arenoſo aggere cooperta, pro
„ conſervatione earumdem (ut opinari poteſt) decente fuerat. Hæc quidem
„ ille.

Miracula patrata.

18. Teſtati verò nobis ſunt Fratres congregationis noſtræ, qui eò die obſequiis tranſlationis tanti viri devotiſſimè interfuere, quòd octo perſonæ ibi à diverſis ſanatæ ſint infirmitatibus: ex quibus tres cæci fuere, claudi duo, paralyticus unus, mulieres mutæ duæ. Eodem anno pridie ante ſanctam Pen-

[a] Et tamen Rorigo Comes, Gauzberti germanus, Gauzlinum filium noſtrum vocat in litteris ſuperiùs adductis in Obſervationum num. 2. Obſcura hæc genealogia.

[b] Quartam vocamus hanc Quadrageſimæ hebdomadam, quæ poſt Dominicam *Lætare* occurrit.

ANN. CHR. DCCCLXVIII APRIL. VII.

tecoſten, tertio * Kalendarum Junii ordioatus eſt famulus Chriſti GAUZLINUS primus Abba poſt reſtaurationem monaſtici Ordinis in Cœnobio ſancti Mauri, in eccleſia ſancti Salvatoris ante altare, quod ipſe ædificaverat in honore individuæ ac vivificæ Trinitatis, à ſummo Pontifice Turonicæ urbis * COSMARO, aliiſque duobus Epiſcopis: quem etiam ipſo anno primùm quidem EBROINUS Antiſtes in eccleſia Pictavenſi ad ordinem Diaconatus: DODO autem Epiſcopus in eccleſia Andecavenſi ad Preſbyterii promoverat dignitatem gradus. Sed jam ad virtutum inſignia, quæ per beatiſſimum virum in hoc eodem loco cælitus demonſtrata ſunt, narrationis ordo eſt convertendus.

* l. ſextodecimo

Gauzlinus Abba ordinatus.

* al. Urſmaro

VII.

19. Cùm locus iſdem providentia & regimine Monachorum Foſſatenſium, juſtæ videlicet memoriæ Gauzberti & ceterorum, quorum ſuperiùs mentionem fecimus, convenienter & religioſè gubernaretur; tempore illo quo inter glorioſiſſimum Regem KAROLUM & ejus fratrem LOTHARIUM, longa certatio pro regni faſtigio exorta eſt, quam, Deo ſe protegente, ſereniſſimus Rex Carolus ſtrenuè ſatis armis decertando publico bello evindicavit; Cenomannicæ eccleſiæ Aotiſtes ALDRICUS cuncta quæ in villa, quæ Cavania nuncupatur, habebat, prædicto Dei famulo Gauzberto, ad noſtrum adducens Monaſterium, cuſtodienda commendavit. Quod cùm HATMERICUS quidam & ejus compar GERARDUS comperiſſent, miſſos ſuos illuc dirigentes, cuncta quæ à ſuprà dicto Pontifice illic depoſita fuerant, ſe per vim diripere mandavere, niſi celerrimè illis à Fratribus traderentur. Cumque eis de Monaſterio remandatum fuiſſet certam legem à Deo de depoſitis conſtitutam eſſe, ſeque omnia pro his cuſtodiendis ac conſervandis etiam extrema pericula pati paratos; ipſi irâ accenſi ac cupiditate cæcati, ad Monaſterium equis ſudaotibus advolavere, ſuis mandatum dantes, ut dum ipſi cum Fratribus loquerentur, illi omnia oſtia domorum, in quibus commendata repoſita erant, pervadere abſque ullius timore pavoris ſatagerent. Qui eorum impiis juſſionibus obtemperantes, mox ut auctores tanti mali introgreſſi, cum Dei famulo Gauzberto & ceteris Fratribus de eadem re auſteriùs agere cœpere, ſtrictis gladiis irrumpentes, auferre omnia diſſectis foribus conabantur. Quod cùm viro Dei nuntiatum fuiſſet, convocatis Fratribus, ut miſericordiam omnipotentis Dei attentiùs precarentur, ac ſancti Mauri ſuffragia ocius ſibi adfutura crebra depoſcerent repetitione, ipſe lacrymis perfuſus hortatus eſt. Deinde ſignis ſonantibus, ſumtis Sanctorum reliquiis, impoſitaque letaniâ, cum omni Fratrum numero pergit ad locum, ubi jam & vinum terræ effundebatur, & cædes cruentiſſima exoriebatur. Cumque & jocundiſſima cæli eſſet ſerenitas, & apertiſſima ſolis reſplenderet claritas, ſubitò dum beati viri Mauri nomen in letaniarum prece à Fratribus inclamari cœpiſſet, tantus fragor tonitruorum minaci ſupra modum concrepuit terrore, tantaque coruſcatio emiſſorum inhorruit fulminum, ut omnes qui rapinæ malo decepti illuc advenerant, vitæ diſcrimen ſe ſubituros jam jamque pertimeſcerent; præſertim cùm repentina effuſione inundatio ſubitaneæ pluviæ ſecuta, limina oſtiorum eos egredi prohiberet. Unde factum eſt, ut quatuor ex eis ſenſu perdito in amentiam verſi, reliquos fugæ tantum ſumere præſidium compellerent: qui miſeriores miſerrimi effecti, ſtrata viarum plena vaſculorum & utrium relinquentes, nulli deinceps ipſius habitatorum loci moleſtiam inferre auſi fuere. Hæc meritis & interceſſionibus beatiſſimi Confeſſoris Chriſti Mauri ita geſta eſſe adfirmat adſertio veridica Monachorum, qui ſe his interfuiſſe teſtantur; ex quibus duos tantùm, BERNEGARIUM videlicet & RAIMUNDUM, ex nomine deſignatos eſſe ſufficiat.

Glannafolis depoſita ab Aldrico diripiuntur.

cælitus puniuntur prædones.

VIII.

20. Eodem anno cuidam ſervo Dei nomine Anowareth, de genere Brittonum, per nocturnam viſionem præceptum eſt, ut Monaſterium ſancti Mauri orationis gratiâ petere non negligeret. qui longioris viæ confecto itinere;

Anowareth Sancti ſepulcrum inviſit.

Ann. Chr. DCCC LXVIII April. VII.

alveum Ligeris non longè ab ipſius beati viri Cœnobio tranſnavigavit. Duo verò ex Fratribus miſſi à venerabili Patre GAUZBERTO Andecavis pergentes, eum obviàm habuere. qui eminus eum frequenter in modum crucis terræ decumbere videntes, (iſte quippe mos ei erat, ut quotiens finito pſalmo *Gloria Patri*, & ſequentia dicere inciperet, continuò toto corpore in terram ſe proſterneret) inſanire eum æſtimavere. Cumque ei appropinquaſſent, ab ejus interprete [a] cauſam frequentis ejus didicêre proſtrationis; & poſt hæc iter ſuum proſequentes, viam ei quæ ad Monaſterium ducit, demonſtravere. Qui eccleſiam ingreſſus, cùm Synaxim Fratres veſpertinam decantare cœpiſſent, inter duos cancellos demiſſo capite humiliter, ſicut revera is qui ante Deum, ſtare cœpit. Præcentoris autem vox antiphonam [b], *Excelſus ſuper omnes Gentes Dominus*, imponens, (erat quippe dies illa magna, quæ Dominica appellatur, paullulùm eum caput erigere fecit; viditque per feneſtram ab auſtrali altaris parte Angelum ingredientem, quem ſequebatur vir valde honorabilis, Diaconi præſerens habitum, atque in ſuo ordine ſtolâ ſanctâ indutus. qui unà cum Angelo ante altare veniens, atque expanſis brachiis deorſum, id eſt ad chorum reſpiciens, ſeque ad altare iterum convertens, quaſi orationes ſervorum Dei Angelo ſuper altare ſtanti offerebat: qui eas ab illo ſuſcipiens, in conſpectu Dei elevare videbatur. Hoc ille diu videns & admirans, cùm oratio à Preſbytero compleretur, Angelum per feneſtram orientalem egredi conſpicatur. Diaconus verò per medium chorum deſcendens, atque ſecus illum tranſiens, hæc eadem verba illi in aure locutus eſt dicens: Sæpe huc venio, & frequenter hoc facio. Hæc dicens diſparuit. Ille verò in terram ſtatim corruens, lacrymis perfuſus, atque pavore anxius, Latinè talia repetere cœpit: *Sancte Maure, tuorum viſitator & cuſtos famulorum, intercede pro nobis indignis & peccatoribus.* Iſta ejulando & plorando terramque capite percutiendo proſequens, tandem à Fratribus qui eum gregatim vallaverant, à pavimento elevatus, ac inquiſitus cur mærens & triſtis inconſolabiliter plangeret: peccatorum ſuorum ſe conſcium eſſe reſpondit, atque ut eorum indulgentiam à Deo percipere mereretur, deprecando flere. GAUZLINUS verò, adhuc tunc bonæ indolis adoleſcens, poſtea autem, (ut ſuprà dictum eſt *) Abba ipſius loci, ordine quo ſuperiùs retulimus, effectus, intelligens eum ibidem aliquid magni aut vidiſſe aut audiſſe, duos ipſius congregationis Fratres, BEGONEM, & WINCHELON, qui Britannicæ linguæ notitiam habebant, deprecari cœpit, ut ipſi ab eo cauſam tanti planctus, vel quò pergeret, familiariùs inquirere ſtuderent. qui devotiſſimè ad eum accedentes, vix ab eo obtinere potuerunt, ut rei geſtæ ordinem, ſicut viderat, & audierat, illis pandere non recuſaret. Quindecim enim eum diebus venerabilis Pater Gauzbertus retinuit, in quibus agere cum eo non potuit, ut vel modicum vini deguſtare debuiſſet. Si quando enim ſe hoc facturum pollicitus fuiſſet, mox ut vini poculum ori admoviſſet, lacrymarum & ſingultuum copioſiſſima prohibebatur inundatione. Quod Domini famulus Gauzbertus altiori mente pertractans, eumque hoc ſolius Dei intuitu agere perpendens, nullo modo illum hujuſcemodi moleſtiâ ampliùs inquietare præſumſit, ſed donatum omnibus, quibus eum indigere perſpexerat, cum gaudio ad propria

Angelum & S. Maurum videt.

* num. 18.

[a] Anaguareth vocatur in carmine de vita ſancti Mauri, quod Paulo Diacono perperam attributum, exſtat in Sæculo I. Iſtius facti hiſtoriam habes in inſtrumento edito per V. C. Stephanum Baluzium in Appendice ad Capitularia, num. LXIX. ubi Anovvareth *partem hereditatis ſuæ quam habebat in Brittannia, hoc eſt terram quæ dicitur Anaſt*, cum eccleſia S. Petri ejuſque capellis S. Mauro tradidiſſe perhibetur, traditione facta per *Bibliothecam veteris ac novi Teſtamenti*, id eſt codicem Bibliorum in Bibliotheca regia nunc adſervatum, ubi iſtud inſtrumentum adſcriptum eſt, datum *anno Dominicæ Incarnationis* DCCC XLVII, *regni autem Regis Karoli anno octavo, decimo gubernante præfatum Monaſterium Gauzberto, ſub dominatione Inmilberti venerandi Abbatis Cœnobii Foſſatenſis*, hoc eſt decimo anno regiminis Gauſberti apud Glannafolium. Quamquam iſtud factum ad annum DCCC XLV refertur ab Odone.

[b] Antiphona hæc in Gallicanis pleriſque eccleſiis hactenus die Dominica retinetur.

remeare

remeare permiſit; benedicentem & laudantem Deum in omnibus, quæ audierat & viderat, ſicut divinitus illi oſtenſa & demonſtrata fuerant. ANN CHR. DCCCLXVIII. APRIL. 28.

21. Item * tempore GAUZLINI Abbatis, in ſollemnitate Innocentium, cùm nocturnum officium Fratres in eccleſia ſancti Salvatoris celebrarent, & duodecimam lectionem [a] idem Abba (ut in congregationibus Monachorum mos eſt) recitaret; ſubitò voces cantantium, cum nimia inæſtimabilique ſuavitate in baſilica ſancti Martini, in qua beati Mauri corpus jacebat, omnes Fratres reſonantes audiere; & hoc antequam ſacratiſſimum corpus ejus de illa in majori tranſlatum eſſet eccleſia, contigit. Cumque tanto miraculo attoniti omnes reſiderent, & ille Abba lectione terminata perquirere cœpiſſet, à quibus tam inæſtimabilis dulcedinis multiplicium ac diverſarum vocum celebrarentur concentus; duo ex Fratribus, quibus cuſtodia ipſius baſilicæ commiſſa erat, ocius pergere cœperunt, ut diligentiùs fores eccleſiæ egreſſi, percipere poſſent ea quæ audiebant, aut aliquid ex his quæ dicebantur, intelligere. Sed antequam ad oſtium eccleſiæ ipſius, quæ in monte ſita tardiorem adſcendentibus greſſum efficit, perveniſſent, omnis cantilenæ illius modulatio finita, deinceps à nullo audiri potuit. ſplendorem tamen immenſi luminis, qui totam illam repleverat baſilicam, partim exteriùs per feneſtras, partim introgreſſi, aperta viſione videre meruere. Omnibus ergo notum factum eſt, Angelorum miniſterio excubias apud beati viri corpus obſervantium, hæc celebrata & peracta fuiſſe. ſiquidem, ut diſcerni potuit, tantæ ſuavitatis melodia cum majoribus, dulciſonis modulationibus frequentior inſtar infantium reſonabat cæleſtium agminum mellifluæ vocis jubilatio. Ex illo itaque die crebrò hæc audita, & præcipuè nocturnis horis, apud ejus ſanctiſſimum ſollemnizata ſunt tumulum, ut veriſſimis approbat adſertionibus reverendiſſimus Abba GODEFREDUS [b], & plerique ejuſdem Monaſterii Fratres, qui frequenter ſe hæc audiſſe teſtantur.

IX Angelorū cantus auditi.

* al. En

22. Clericus quidam nomine Mainfredus, qui ob cuſtodiam in contigua baſilicæ ipſius domuncula dormire erat ſolitus, cùm membra in ſtratu meridiano compoſuiſſet tempore, à quodam ignotæ viſionis viro in latere impulſus atque excitatus, ut velociter foras egrederetur juſſus eſt. quod dum ſomno gravatus agere neglexiſſet, ac ſe in aliud convertens latus, ſopori oculos repreſſiſſet; ille iterum ſpeciem OTHBERTI * ipſius Monaſterii Monachi prætendens, ac frequenti inclamatione eum compellans, collocare ſe in ejus velle lecto ob nimiam laſſitudinem adſerebat. viſumque ſibi fuiſſe dixit, quòd ipſe ejus magiſter Othbertus, qui eo tempore eccleſiarum ejuſdem loci Archarius [c] erat, ſe in ſtratu, de quo ipſe ſurrexerat, collocaſſet. Sed cùm ille baſilicam intraſſet, ſeque orationi dediſſet, domus illa, de qua exierat, funditus corruit. Ille autem Othbertum, quem in lecto, ut ſperabat, dimiſerat, mortuum exiſtimans, pernici curſu ad portas eccleſiæ ſancti Salvatoris advolavit, atque eas valido conatu impellens, ejulando magiſtrum ſuum ruinâ domus illius oppreſſum adſerebat. Othbertus verò de ſuo ſtratu ſurgens, fores eccleſiæ reſeravit, eumque inſanire inclamabat. Ille è contra rei ordinem pandens, everſam domum ei demonſtrabat. Hoc nutu Dei, aut per Angelum viſitatorem ipſius loci, aut per eumdem ſanctiſſimum virum, actum eſſe da-

X. Cuſtos Eccleſiæ ruinæ periculo eximitur.

* al. Orbertı

[a] Udalricus in Conſuetudinum Cluniacenſium lib. 3 cap. 2. ubi de Abbate. *Quamdiu eſt in conventu, numquam omittitur, ut non ad octavum reſponſorium moveatur & ad duodecimam lectionem.* Ex quo colligitur, verum eſſe id quod ait Johannes in Vita S. Odonis, has conſuetudines ab antiquis Patribus acceptas fuiſſe.

[b] Theodrado proinde Abbati ſucceſſiſſe videtur Godfredus. Godefredo Agelwinus, quem Glannafolienſi Monaſterio præfuiſſe Odone hæc ſcribente colligo ex num. 26. Ergo etiam tum, cùm Glannafolium Foſſatenſibus ſubjectum erat, proprium habebat Abbatem. Et tamen Odo, Abbas utique Foſſatenſis, in epiſtola de inventione Vitæ ſancti Mauri, *Abbatem Glannafolii*; & in præfatione hujus hiſtoriæ *ſancti Mauri Abbatem ſe dicit*, nempe quòd Abbate Glannafolienſi ſuperior erat. Hinc eſt quod Inſtrumentum Anozareth conditum legitur *gubernante* Glannafolienſe *Monaſterium Gauzberto, ſub dominatione Ingelberti Abbatis.*

[c] Principalis æditumus, qui aliis *Apocriſarius* dicitur apud Tortarium in libro de miraculis S. Benedicti cap. 4, infrà.

Ann. Chr. DCCCLXVIII. Aprilis VII.

tur intelligi: ne ſcilicet juxta ſacratiſſimum corpus ejus vitæ diſcrimen cuſtos baſilicæ ipſius incurreret.

XI. Nauclerus mortis periculo.

* id eſt veli

23. Nauclerus cujuſdam ratis ex his quæ mercibus inſervientes magnis quæſtibus oneratæ ſurſum per Ligerim adſcendere ſolent, cùm rudentem peripetaſmatis * malum navis ſcandens, tornaturæ, de qua diſſilierat, reaptare vellet, laqueo ſubtilioris funis per pollicem ſiniſtræ manûs apprehenſus, ac validiſſimè conſtrictus eſt. qui cùm adminiculo dexteræ manus triplicem ipſius laquei inſertionem enodare conaretur; repentè malo, quem inhærendo circumdaverat, amiſſo, deſperabiliter pendere cœpit. Quid agerent nautæ, quò ſe verterent neſciebant. Nam funem, ille de quo pendebat, præcidere metuebant, ne ſubitò corruens elideretur. ſed & ſurſum adſcendere, illius intercepti appenſione non valentes, quò ei aliquo modo ſuccurrere poſſent, beati Mauri nomen invocare cœpere, ut ſuis ſanctis meritis & interceſſionibus miſero in articulo mortis poſito ſubvenire dignaretur. Hoc itaque ſub ejus Cœnobio contigit, in litore ſcilicet appulſionis piſcatorum eidem loco ſervientium. Exorto itaque clamore nautarum Fratres conglobati, Chriſti elementiam ac beati Mauri auxilium inſtantiſſima prece, ſignis ſonantibus, implorare cœpere: cùm ecce ſubitò illis orantibus is qui appenſus fuerat, paullatim deſurſum demitti, videri cœpit. Cúmque jam in navi rectâ ſtaret plantâ, abſque ullius juvamine nodo duriſſimæ conſtrictionis ſolutus eſt: funis verò artemonis (non minùs mirabile dictu quàm viſu) curſim ſuis locis redditus, ſtupentibus nautis, ſecundo admodum flatu navim dirigere cœpit, cunctis Deum laudantibus ac benedicentibus pro talibus tantorum beneficiis miraculorum, per beatiſſimum virum ibi celebratis.

XII Vexator Monachorum punitus.

* al. Vitcherius

24. Qualiter autem divina clementia meritis hujus beati viri loco huic defenſatrix ſemper adfuerit, & contra perſecutores ejus, qui aliquo modo res ad eumdem pertinentes præſumſere, vel familiam ejus inſectari, ultricem dexteram exercuerit, prout ea oculis inſpeximus, & à fidelibus noſtri temporis viris, ex ordine videlicet Monachorum ejuſdem loci congregationis, veris teſtimoniis comperimus, paucis ſubjiciendum cenſemus. Vir quidam nobilioris generis, WITCHERIUS nomine, crudelitate efferæ mentis in homines Monaſterio delegatos vehementer deſævire cœpit, adeo ut uni ex familia vitam malignus auferret. Cúmque hoc ad Monaſterium nuntiatum fuiſſet, juſſu GAUZLINI Abbatis omnes Fratres ante corpus beati viri miſericordiam omnipotentis Dei implorare cœperunt: quatinus meritis ſancti viri, & ille à perverſitate atrociſſimi animi conquieſceret, & innocens familia ab ejus immaniſſima vaſtatione liberaretur. Et cùm hoc per dies aliquot indeſinenter agi ante ſepulcrum beati Mauri ille comperiſſet; timore actus, ne fortè pro commiſſis vitæ diſcrimen incurreret, ſervum juris ſui Abbati & Fratribus ad Monaſterium tranſmiſit, ut illum loco illius quem peremerat, recipere & poſſidere dignarentur. Sed non pro hoc ultricis pœnæ evaſit vindictam. Ne enim orationes ſervorum Dei incaſſum fuſæ viderentur, & auxilium ſancti viri ſibi ſervientibus, ſeque ac per ſe Deum invocantibus præſtò non eſſe dubitaretur; divinum continuò miſerum proſtravit flagellum: qui ad extrema veniens, jamque deſperatus in lecto decumbens, ſubitò dum ab adſtantibus obſervaretur, arcuatim ſe virtute qua poterat colligens, de lecto agiliter proſiliebat, horribiliter & ſe & circùm adſtantes urinæ fœdans effuſione, atque clamore valido ingeminans: Heu! ſancte Maure, etſi tibi ſervum tuum perimens abſtuli, loco illius meliorem ex proprio jure ſubſtitui, quid me perſequeris? quid me occidis? Hæc indeſinenter per ſex continuos dies ejulans, languore ingraveſcente, ſeptimo tandem die in eadem verba infelicem abrupit vitam.

XIII. Item alius

25. WIFURNUS quidam, vir clarus ſecundùm ſæculi dignitatem, atque in equeſtri ordine nonnullos præcellens, cùm toto quadrageſimali tempore

cenſum piſcium (quem more provinciæ cenaticum [a] vocant) per vim Fratri- ANN CHR.
bus abſtuliſſet, nec crebris nuntiis ſibi ab Abbate & Fratribus directis adquie- DCCC
ſcere vellet, ut ea quæ à piſcatoribus, Monachis perſolvenda erant, ex debito LXVIII
redderentur; GERFREDUS [b] Monachus magnæ vitæ vir, qui dudum per vi- APRIL. VII.
ginti annos vitam eremiticam ducens, ab omni, quod inebriari poteſt, abſ-
tinuerat; noviſſimè ad eum accedens, mortem illi minatus eſt, niſi præte- Gerfredus
ritorum pœnitudinem gerens de reliquo ea quæ Fratribus competebant, ſine eremita.
impedimento recipere permitteret. quod nullo modo ille adſentiens, in pri-
ſtina perſeveravit malitia. Abba verò jam dictus GAUZLINUS communi
decrevit conſilio, ut expletis hymnis matutinalibus, ad tumulum beati Mauri
ſeptem quotidie pſalmos decantarent, & miſericordiam Dei ociùs ſibi adfutu-
ram contra tyrannum precarentur. Quod cùm inſtantiſſima prece omni illo
jejuniorum tempore peractum fuiſſet, ab eis, ipſâ dominicæ reſurrectionis
die, poſt omnem multiplicium apparatum epularum cunctorumque gaudio-
rum jocundiſſimam hilaritatem, quam eo die celebriùs atque ſollemniùs ob
honorem & reverentiam tantæ feſtivitatis Chriſtianus orbis colit; cùm ſuper
ſeceſſum latrinæ cubiculi reſideret, à quodam viro, qui honoratior in domo
ejus erat, nomine Adalgaudo, ipſo ſuo enſe, quem ante illum tenebat, va-
lidiſſimo conatu per medium verticem percuſſus, præceps ruens, verecun-
dioribus retectis, inſtar exanimati corporis proſtratus jacuit. qui manibus ſer-
vulorum poſt paululum ad lectum deportatus, ſenſúque aliquantiſper rece-
pto, apertè profiteri cœpit, ſe ob injuriam ſervis Dei illatam talia perpeſſum
eſſe: continuoque ad Monaſterium mittens, indulgentiam commiſſorum vo-
cibus & ejulatibus conjugis ſuæ à Fratribus precabatur. Et cùm duo ex ſenio-
ribus ad eum ab Abbate abſolutionis gratiâ directi fuiſſent, à beato Mauro ſe
letaliter percuſſum adſerebat, eo quòd ſervientibus illi moleſtiam inferre præ-
ſumſiſſet. Nam & ille qui eum vulneraverat, fatebatur ſe ſubitò animo
concepiſſe non debere eum vivere, qui Dei cultoribus importunus exſiſtere
auſus fuiſſet: cùm ipſe penitus ea, quæ ab ipſo Monachis illata fuerant, igno-
raret. Die ſiquidem Paraſceve de pago Cenomannico advenerat, ut com-
muni cum ſanctorum dierum frueretur lætitiâ. Hic itaque cùm jam ter-
tio menſe aſſiduâ medicorum curâ ſibi impenſâ pleniùs convaleſcere cœpiſſet;
deſperabiliter corde cæcatus, deliberare ſecum cœpit, qualiter in Monachos
percuſſionis ſuæ vindictam pejora illis quàm priùs ingerendo, ulciſci poſſet,
dicens, quòd illi eum ſuis orationibus, immo (ut teſtabatur) maledictioni-
bus occidere voluiſſent. Tali ergo infanæ mentis rabie efferatus, Cenoman-
nis profectus eſt, partem prædiorum ſibi competentium cum fratre ſuo,
HERVEO nomine, diviſurus. Sed exorta inter eos (ut in tali adſolet nego-
tio) contentione, fratris dexterâ viſcere tenus confoſſus interiit.

26. GERELMI honorabilis viri, qui hodieque in domo AGELWINI XIV.
Abbatis clarior habetur, cuſtodes equorum cùm per vim de Monaſterio vinum Item alius
auferre vellent, & contradicentibus famulis & obnitentibus plagas inferre cœ- Agelwini.
piſſent, tumultu exorto quidam ex Fratribus accurrêre. Abba quoque THEO-
DRADUS, nuntio ſibi ea deferente, & ipſe advenit. qui cùm eorum inſolen-
tiam blanda cœpiſſet increpatione arguere; unus illorum, qui vehementiùs
ceteris inſiſtebat, conviciis eum appetere irreverenter cœpit. Abba verò ca-
pſulâ reliquiarum, quam in pectore ſuo detulerat, eum in fronte percuſſit, at-
que inſuper hæc protulit: Deus omnipotens per merita B. Mauri aliorúmque
Sanctorum, quorum reliquiæ in hac capſula reconditæ venerantur, pœnas &
vindictam de ſuis & ſervorum ſuorum repoſcet contemtoribus, maximéque de

a Aliis *canadicum*. cenſus qui cenæ, id eſt menſæ deputatus eſt, inquit Spelmannus adducto hoc loco. Ejuſmodi cenſum *Reſte* appellat liber de miraculis S. Babolení Abbatis Foſſatenſis cap 2.

b Gerfredum hunc S. Convoionis ejuſque ſociorum inſtitutorem in vita monaſtica fuiſſe videbimus infrà in Actis S. Convoionis.

Ann. Chr. DCCCLXVIII April. VII.

te, qui rapinæ malo inſerviens, ducatum talibus præbes prædonibus. Er poſt hæc de Monaſterio eos proturbari jubet. Ille verò piſcatoriam navim, quæ Fratrum uſibus deſerviebat, ingreſſus, Ligerim cum ea tranſnavigare volebat: cui quidam ex Monachis, Assuerus nomine, occurrens, dixit: Non rectè facis, quòd non ſufficientibus tibi reliquis, quæ ſervientibus beato Mauro intuliſti, malis; etiam navim quæ eorum neceſſitudinibus inſervit, auferre conaris. Et cùm talia proſequendo nihil proficeret: Navis, ait, beati Mauri eſt, non habeas licentiam eam longiùs impellendi. Cui ille ſubjunxit: Tantum hoc pro beato Mauro, quantum pro ejus dimittam uxore. Necdum verba compleverat, cùm ecce à diabolo arreptus ſaltu ſe in Ligerim projecit: qui ab imis ſurſum emergens, ac iſtiuſmodi voce infrendens: Diabole, adjuva me; undis ſurſum interceptus nuſquam comparuit. Tertio tandem die à piſcatoribus ventre diſrupto, inteſtiniſque perditis, inter duas inſulas repertus eſt. Qui nimio timore in fugam acti, pro confuſo murmure, qui adhuc à dæmonibus ex ejus ore emittebatur, vix navi relictâ corpora gurgiti dantes, natando evadere potuere. Hæc de pluribus pauca dixiſſe ſufficiat, ut oſtenderemus beati Mauri præſentiam ſibi famulantibus atque in ſe ſperantibus numquam defuiſſe.

XV. & alii.

27. Denique omnes, quos noſtro jam tempore atrociſſimos in omni genere perſecutionum inſectatores, totúmque noſtrarum crudeliſſimos pertulimus vaſtatores, Fredericum dicimus, & reliquos ejuſdem præſumtionis ac cupidiſſimæ pervaſionis homines, fratres ſcilicet ejus ac affines, illiſque adhærentes (qui omnes uno corde eodémque opere, irremediabiliter, & ultrà quàm humanum cor concipere, aut lingua effari poteſt, nequiores effecti, nequiſſimis & (ut ita dictum ſit) paganis deteriores, omnigenis malis & præcipuè rapinæ ſceleri inſiſtebant) repentè exterminatos atque deletos, juſto Dei, & credimus & videmus, judicio. Nam preces & gemitus & lacrymæ ſervorum Dei, quas immaniſſimè ab eis oppreſſi, ante Sanctorum buſta aſſiduè profundebant, meritis eorumdem Sanctorum in conſpectu divinæ majeſtatis recitatæ ſunt. ideóque illi ſubita contriti ſunt ultione. Fredericus enim captus à Normannis (qui caput omnium malorum & auctor ſcelerum cunctarumque incentor erat ſeditionum) turpiſſimâ & nefandiſſimâ nece, ut erat dignus, ab eis arctatus interiit. póſtque ſequaces illius unus poſt unum, cæleſti eos inſequente vindicta, à finibus ſibi dilectæ telluris, alii effoſſis oculis, alii truncatis manibus eliminati ſunt. * Rambaldus verò, qui primus inter primos in omni crimine habebatur, & nullo quotidie ſcelere non fœdabatur, quíque dudum ſatanæ inſtinctu ſuccenſus, ac infra muros Cœnobii noſtri famulos Monaſterii proſequi aggreſſus, cùm ab Abbate Theodrado ei diceretur, cur talia agere præſumeret; Chriſtiani funditus animo nudatus, letaliter eum ferire conatus, lanceâ cucullam ejus perforavit cum interiori indumento: ſole peroſus & aëre, ipſáque communi indignus luce, in reſtalibus ſcrobeis divina percuſſus animadverſione, conſortibus ſuis applicatus eſt dæmonibus. Frotmundus * autem & Herchanricus, cum uxoribus & filiis & nonnullis ex obſequentibus ſibi, perditis omnibus quæ habebant, Normannica adhuc immenſis ferri conſtricti ponderibus detinentur captivitate, Domino illis quæ in ſe & in ſervos ſuos commiſerant, retribuente. Wanilo verò, qui pauxillum minùs ceteris crudelis fuit, ipſe quidem captivitate ſolutus, uxore ejus & filiis cum ceteris detentis. Non enim credidêre in Deo, nec ſperavêre in ſalutari ejus, nec opera chriſtianæ ſponſionis perficere ſtuduêre, propterea exterminati ſunt ab exterminatore, & à crudeliſſimis nationum intercepti periere. Per omnia benedictus Deus qui tradidit impios.

* al. Raimboldus

* Brolio Frotmundus

XVI. Reliquiarũ tranſlatio & miracula.

28. Igitur noſtro jam tempore, cùm inſequentibus nôs Nortmannis hujus beati viri corpus de Monaſterio aſportaſſemus, plura per eum fieri miracula vidimus, & licèt in triſtibus poſiti, gaudio gaviſi ſumus. Nam cùm in villa Scameraço * per aliquot dies demorati fuiſſemus, & frequens conventus populi

* al. Scameraco, & Scamanto

in eccleſia ejuſdem loei, in qua Sancti cuſtodiebatur gleba confluerert; mulier ANN. CHR.
quædam, quæ jam per quinquennium frequenti ſanguinis vomitu laborabat, DCCC
cum ceteris adventantibus, ad eumdem locum Sancti imploratura auxilium, LXVIII
incommodo cogente advenit: cujus calamitatem miſerati, divina pro ea in altari, ſupra quod ſanctum depoſitum fuerat corpus, myſteria celebravimus: APRIL. VIII.
deinde pſalmorum & letaniarum preces, quanta potuimus devotione, perſolvimus, in eccleſia illam remorari præcipientes: eùm ecce medio noctis tempore, nobis omnibus quieſcentibus, illâ quoque ſopore depreſſâ, cuncta luminaria eccleſiæ illius (quorum copioſiot numerus ob honorem ſancti corporis apparatus fuerat) ſubitò accenſa ſunt: baſilica quoque albatorum repleta multitudine, quorum ſonitu mulier excitata, ingenti pavore perculſa, nequaquam ſe, ut eredebat, mortis periculum poſſe evadere anxia formidare cœpit. Et cùm his, quæ ab eis fieri videbat, paullatim timore exonerata intenderet; unus illorum, qui præſtantior ceteris clariùs in ſuo habitu refulgebat, ab altari deſcendens, atque ad illam accedens, hæc eadem verba Latinè illi locutus eſt: Mulier, gratias age Deo omnipotenti, qui te per merita & orationes ſancti Mauri ſanam redditam & incolumen habet. Quæ verba nos ex ore ipſius litteris exprimi fecimus, ne fortè de his ab aliquo dubitari poſſet, qui eam ipſa quoque litterarum elementa ignorare ſciebant. Cúmque jam de ſalute ſua certa de loco quo jacuerat, ſurrexiſſet; GIRARDUM religioſæ vitæ virum, Monachum ſcilicet atque Presbyterum congregationis noſtræ, qui inter duos cancellos ob cuſtodiam ſancti corporis dormiebat, frequenti voce inclamare cœpit. eujus clamore ille excitatus, ardentiaque luminaria conſpiciens, atque ſuaviſſimum odorem perſentiens, inquirere ab ea cœpit, qualiter erga illam divina ageret clementia. Cui illa tei ordinem pandit. Qui cùm ingreſſus cubiculum, in quo dormiebamus, nobis expergefactis, ut baſilicam ingrederemur, annuere non ceſſaret, ſtratis perniciter exſilientes, eccleſiam intravimus, Mira vi-
conſpicientéſque ſuccenſa luminaria, ſimul & odorem immenſum captantes, dent, audiuntque
ſtupore attoniti hærere cœpimus: ſolutóque priùs ſilentio, ut mos eſt *, cuncta quæ acta fuerant, ab ipſa per ordinem diſcimus muliere. Nam dicebat: O- Monachi.
dor iſte, cujus ſuavitate nares veſtræ adhuc perfruuntur, mox ut retecto feretro hi qui ingreſſi ſunt, quaſi obſequendo, & neſcio quid divini dulciter modulando, urnam Sancti contingere cœpere, totam iſtam replevit eccleſiam. Vocabatur autem eadem mulier Ratburgis. quæ cum gaudio ad propria reverſa, divina erga ſe per beatum Maurum, miracula celebrata cunctis enarrare non ceſſabat.

29. Sequenti verò nocte, ne quid dubietatis ex his quæ à muliere audie- Viſum.
ramus, nobis in eorde remaneret, antequam ad ſollemne peragendum ſurgeremus officium, (erat quippe nox illa celebris, quæ Dominica appellatur) ſubitò cùm inæſtimabili cantus ſuavitate voces concrepantium audire cœpimus: ſed quaſi quodam onere & cujuſdam torporis gravati laſſitudine, nullo modo ex ſtratis ſurgere valuimus: præcipuè tamen GERARDUS cuſtos ſancti corporis, placidiſſimum ſibi ſoporem infuſum adſerebat, qualis matutino tempore nec plenè dormientibus, nec perfectè vigilantibus accedere ſolet. cujus gravitudine occupatus, nullo modo ſe de loco lectuli ſurgere potuiſſe, quamquam ſæpe conatus fuerit, teſtabatur. nec oroma * illud, ſed manifeſta viſio fuit. In- * id eſt viſum
terdum enim apertis oculis quoſdam ex eelebratoribus tantarum excubiarum ſe vidiſſe fatebatur. His itaque viſis atque auditis, certum profectò tenuimus & tenemus, non minori frequentia cæleſtium agminum ſancti viri corpus, quocumque delatum fuerit, & viſitari & honorari, quàm in loco ſepulturæ

* Attende religionem piorum Monachorum, qui nocturnum ſilentium tantopere à ſancto Benedicto commendatum in Regulæ cap. 42, nequidem occaſione miraculi violare audebant. Idem obſervatum in libro de miraculis S. Adalhardi Abbatis. Finem ſilentii olim ſigno quodam ſignificari moe erat, vide Adelerio in Appendice de miraculis S. Benedicti cap. 40.

ANN. CHR. DCCC LXVIII APRIL. VII. ejus, evidentiſſimis crebrò ab eis fieri approbatum eſt indiciis. Dignum quippe eſt, ut eos viſitatores corporis ſui habeat in terris, quorum cœtibus admiſtus inmarceſſibilis gloriæ felicitate unà perfruitur in cælis.

XVII. Commoratio per annum in villa Merula. 30. Ex eo ergo loco, comitante nos populi multitudine, qui undique ex vicis & agris nobis obviàm præcipites confluebant, in pagum Sagenſem cum ſacro devenimus theſauro. Et quia ſanctus Antiſtes HILDEBRAMNUS [a], generali expeditione univerſo populo contra Nortmannos indicta occupatus, ad ſuſcipiendum componendúmque pro tempore hoc ſancti viri corpus præſens adeſſe non potuit, Archidiaconum ſanctæ ſuæ ſedis cum electiori parte ſancti Cleri, ad villam, quæ Merula nuncupatur, quam munifica largitate ſereniſſimus Rex KAROLUS, ad ſuggeſtionem ſancti Pontificis EBROINI, beato Mauro & ejus famulis per magnificentiæ celſitudinis ſuæ contulerat Præceptum, cum omni eccleſiaſticorum honore & apparatu miniſteriorum deſtinatum habuit: qui nobiſcum ſancti viri glebam religioſo ſatis in eccleſia beati Juliani reconderet obſequio. ubi per annum integrum & dimidium, quantâ valuimus hoc ſancti viri corpus diligentiâ cuſtodivimus. Ubi quæ & quanta Dominus per eumdem ſervum ſuum operari dignatus fuerit, ſi quis ſcripto digerere velit, antè, ut opinamur, tempus ei deficiet loquendi, quàm materia ſcribendi. Multi enim cæci, ſurdi, & claudi, aliiſque oppreſſi languoribus ante ejus lecticam nobis cernentibus ſanitatem recipere meruerunt. quos nominatim exprimere ideo omittimus, quia & copioſior eorum numerus memoriam excedit, & legentium faſtidium ſummopere cavere certamus. Illud tamen unum prætereuntes reticere non debemus, quòd nullus febricitantium, cujuſcumque typi contritione vexaretur, ſi plena fide hujus ſancti viri imploravit auxilium, ſine ſanitatis gaudio umquam ab ejus repedavit tumulo.

Miracula. 31. Sed, ut taceamus de reliquis, quid nobili viro OTGERIO ibidem evenerit, ſilere non debemus. Hic cùm jam per tres continuos menſes ſine intermiſſione duobus diebus validiſſima vi febrium irremediabiliter quateretur, adeo ut ſenſu perdito penitus in amentiam verſus æſtimaretur; CADILO Comes, qui ei affinitate generis propinquus erat, ſecum eum ad locum ſancti corporis B. Mauri adduxit: & cùm eum hortaremur, ut cum fiducia fidelis animi ante membra ſancti viri nocte integra jaceret, reluctari cœpit, ſéque conſcium peccatorum ſuorum eſſe teſtatur, pro quibus pejora ſibi accidere formidaret. Cujus puſillanimitatem ſacræ auctoritatis adſertionibus utcumque roborantes, invitum illum illic dormire compulimus. Sed ut oſtenderet Dominus quantum fides proficiat, & diffidentia officiat; meritis B. Mauri unius tantùm eum diei vexatione ſolvere eſt dignatus, uſquequo poſt non longum tempus, pleniori jam fide animatus, cum exeniorum munere regreſſus, atque jam ſecurus periculorum, pervigilem ante Sancti urnam ſumma cum devotione duceret noctem. ſicque omni illius incommodi valitudine perfectè liberatus, gratias Divinitati & ſancto Mauro referens, ex eo uſque nunc abſque ullius viget infirmitatis labore.

XVIII. Tranſlatio in Burgundiam. 32. Cùm verò & illic creberrimis & improviſis paganorum deterreremur eruptionibus, ſecundùm quod in epiſtola huic opuſculo præpoſita continetur, hoc ſancti viri corpus citra fluvium Ararim * à nobis deportatum digno cum honore, prout temporis & loci permiſit opportunitas, reconditum ac collocatum [b] in fundo AUDONIS Comitis eſt. ubi per tres ſemis annos cuſtoditum, ſedecim notiſſimarum perſonarum ſanitate celebre nomen ejus circumcirca divulgatum, aſſidua populorum frequentatione venerari cœpit & excoli. Nam primo adventus ſui ad eumdem locum anno frequentibus claruit virtutibus, quas

* la Saône

a Hildebrandus aliis, qui pluribus Conciliis ſubſcripſit, de quo in Vita ſanctæ Opportunæ in parte 2 Sæculi 3, Epiſcopus Sagienſis ſeu Sagenſis, quæ urbs epiſcopalis ſub metropoli Rotomagenſi nonnumquam *Saxia* dicitur, vulgò *Sées*.

b Anno ſcilicet DCCC LXXIII, ut ſcribit Odo ipſe in Præfatione de inventione Vitæ S. Mauri, quæ in Sæculo primo edita eſt.

Ann. Chr. DCCCLXVIII. April. VII.

enumerare longiſſimum eſt: in quibus clariùs ea, quæ ſuprà ſcripta eſt, emicuit curatio ſedecim perſonarum, quarum aliqui cæci, nonnulli claudi, quidam verò ſurdi, aliquanti autem muti fuere.

XIX. ac tandem ad Foſſatenſe Cœnobium, ubi corpus ſacrum à Carolo Calvo viſitatur. anno 869, quo abſolutus hic liber.

33. Exinde autem illud juxta tenorem Præfationis hujus libelli, in Monaſterium Foſſatenſe deportavimus, & (ſicut pleniter ibi proſecutum eſt) venerabiliter in eccleſia beati Petri recondentes collocavimus. ad quem locum glorioſiſſimus ac clementiſſimus Rex KAROLUS à partibus Burgundiæ regrediens per ſemetipſum dignatus eſt accedere, Chriſti protectionem ante lecticam ſancti viri ſumma depoſcens benedictione, die Nonarum Februariarum, hoc anno, qui eſt ab Incarnatione Domini octingenteſimus ſexageſimus nonus. qui ob majorem devotionem chriſtianiſſimi animi, quam erga Deum & Sanctos ejus habet, poſt non multos dies, de Monaſterio beatorum Martyrum Dionyſii & ſociorum ejus honorabilia beato Mauro tranſmiſit munera per OTULFUM ſtrenuæ probitatis Monachum; pallia ſcilicet duo pretioſiſſima, quibus corpus ejus in diebus proceſſionis & feſtivitatibus cunctarum decoratur ſollemnitatum. Cujus interceſſionis perennis vitæ à Domino æternaliter recepturus eſt remunerationem; qui ita præſentaliter venerabilia exornare non deſinit polyandra * Sanctorum, ut neminem priſcorum, qui regii nominis claruere honore, priorem habere videatur in ſancta religione. At nos optato tandem fine narrationis hujus gaudentes, Chriſti miſericordiam per B. Mauri imploramus ſuffragia, ut qui incultiori licèt ſtilo, fide tamen integra ſeriem hujus hiſtoriæ proſecuti ſumus; vinculis peccatorum ſolvi ab eodem mereamur Redemtore, æternorúmque gaudiis perfrui valeamus præmiorum, juncti in cæleſtibus conſortiis Angelorum. Amen.

* *id eſt ſepulcra*

APPENDIX

De ſancti Mauri reliquiis, miraculis, & cultu.

1. TAMETSI *maxima pars reliquiarum ſancti Mauri poſt ſuperiorem tranſlationem remanſerit penes Foſſatenſes, nonnihil tamen relictum eſt Monachis Glannafolienſibus, nempe brachiorum uterque radius: quorum alter in eodem Monaſterio hactenus adſervatur, alter per ſanctum Odilonem Abbatem Cluniacenſem delatus Caſinum eſt. ut in ejus Vita dicturi ſumus in Benedictino Sæculo 6. Servatur etiam à Glannafolienſibus noſtris ſcriniolum continens tres veræ Crucis particulas, quas S. Mauro in Galliam tendenti à B. P. Benedicto conceſſas tradunt; & à Foſſatenſibus arca exigua ex ebore, in qua ſanctus Pater eas eidem S. Mauro tunc tranſmiſiſſe creditur.*

2. In mſ. codice quo uſus eſt Jacobus Brolius, poſt libros de vita & de tranſlatione ſancti Mauri ſequebatur ſermo Odonis Abbatis Foſſatenſis, ejus ſcilicet cujus librum ſuperius retu : quem ſermonem Brolius conſulto prætermittendum judicavit, ut etiam ego, quòd ferè mera ſit repetitio miraculorum prædictorum. tum Brolius ſubdit alia duo miracula, unum de quodam piſcatore, Landerico nomine, à dæmonibus illuſo & in ſublime rapto ac præcipitando, ſed per beatum Maurum liberato. quod anno milleſimo centeſimo accidiſſe dicitur. Alterum, de pluvia poſt longam ſiccitatem per ſanctum Maurum impetrata anno trigeſimo ſeptimo inſequente, cùm poſt varias ſupplicationes, eundem juſſu Stephani Pariſienſis Epiſcopi itum eſt ad ſuffragia ſancti Mauri, cujus delato in ſollemni pompa corpore copioſus imber cælitus conceſſus eſt Aſcelino Abbate. Quædam item ſancti Mauri miracula referunt Deſiderius Abbas Caſinenſis, ſeu Victor Papa tertius, in libro ſecundo de miraculis Caſini factis, quem inferiùs habes; & Petrus Caſinenſis Diaconus in Chronici Caſinenſis lib. 4 cap. 130.

3. Ex hac tranſlatione & miraculis ab Odone deſcriptis, aliiſque poſtea per ſanctum Maurum patratis, viri ſancti cultus maximè amplificatus eſt, vigetque hactenus in eccleſia Foſſatenſi, ut ſuperiùs obſervatum. Ne tamen putes, primùm poſt hunc librum ab Odone ſcriptum ſancti Mauri cultum vulgatum fuiſſe. Nam longè ante iſtud tempus ſanctus Maurus ut ſancti Benedicti diſcipulus publicis precibus frequentabatur, uti docent nos in primis Litaniæ ab Alcuino conditæ pro feria prima, id eſt pro die Dominica, in quibus ſanctus Maurus *continenter poſt ſanctum Benedictum appellatur. quod argumento eſt, eum, jam ante ſublatum è tumulo corpus per Gauzlinum Abbatem, ut ſanctum publicè honoratum fuiſſe. Certè in Præcepto Ludovici Pii, quod* anno XX imperii, Indict. XI, *hoc eſt anno* DCCC XXXIII,

ANN. CHR. DCCC LXVIII. APRIL. VII.

Foſſatenſibus Monachis pro ſubjectione Glannafolienſis Cœnobii conceſſum eſt, venerabile corpus ſancti Mauri, PATRIS BENEDICTI DISCIPULI, jacere humatum *Glannafolii memoratur in Appendice Actorum veterum ad Capitularia Regum Francorum, ordine* LII, *editionis Baluzianæ. Quamquam Odo Abbas Præceptum iſtud crematum fuiſſe, nec à Foſſatenſibus Ebroino Abbati exhiberi potuiſſe tradit num. 14 & 16. At de ipſo autographo quæſtio tum erat, non de exemplo, ex quo editio comparata eſt.*

ANN. CHR. DCCC LXVIII. JANU. V.

VITA S. CONVVOIONIS
ABBATIS ROTONENSIS
IN ARMORICA.

Auctore Anonymo incerti temporis.

Ex mſ. codice Rotonenſi, cujus fragmentum edidit Cheſnius.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Convvoionis vita & miraculorum libri tres.

1. HÆc ſcriptio, *quam ſæculo undecimo editam fuiſſe conjicio, non mihi tanti videretur momenti, niſi à libris tribus, quos in hac Vita laudatos, eique ſubjectos invenies, auctoritatem ac ſubſidium acciperet. Hos libros, lectu ſanè digniſſimos, multiſque refertos inſignibus factis, diu perquiſivi, tandemque noſtri Jacobi* du Chemin *amici mei operâ impetravi ex Monaſterio noſtro Rotonenſi. Auctor variis in locis ætatem ſuam prodit, & ſancti Convvoionis ſe diſcipulum ac diſcipulorum æqualem dicit in præfatione lib. 2, itemque capp. 1, 5 & 8. In primo libro agit de conſtructione ac dotatione Cœnobii Rotonenſis, deque factis nonnullis, quæ intervenerunt. In ſecundo de vita & converſatione ſanctorum Monachorum Rotonenſium, nimirum Convvoionis, ejuſque ſociorum ac diſcipulorum; deque translatione Corporis S. Hypotemii Andegavenſis Epiſcopi, & S. Marcellini Papæ & Martyris in eccleſiam Rotonenſem. In tertio denique de virtutibus eorumdem ſanctorum Marcellini & Hypotemii, necnon de liberatione ſancti loci à barbaris facta precibus ac meritis S. Convvoionis, cujus obitus narratio, quam auctor pollicetur, deeſt in codice mſ. ab annis ferè ſeptingentis exarato, quo uſi ſumus. Erit fortaſſe qui exiſtimet, librum tertium ab alio poſteriori auctore prodiiſſe, quippe qui in prologo hujus libri multa miracula* prætermiſſa, & propter negligentiam & incuriam ſcriptorum pæne oblivioni tradita *fuiſſe conqueritur; quique non tam viſa, quàm audita ſe narrare dicit. Verùm unum eumdemque priorum duorum ac poſterioris hujuſce libri auctorem eſſe probant, non ſolùm ſtili æqualitas, ſed etiam hæc verba ex cap. 4 libri 3.* In ſecundo namque libro vobis intimavimus, &c. *Porrò auctor iſte S. Convvoionis (ut jam dixi) diſcipulus fuit, id eſt unus è primis Monachis Cœnobii Rotonenſis, de cujus origine modò agendum eſt.*

Rotonenſis Monaſterii primordia.

2. *Rotonenſe* * *ſeu Rothonenſe ſancti Salvatoris Monaſterium, quod in diœceſi Venetenſi ad Vicenoniam* * *ſeu Viſnoniam fluvium ſitum eſt, ſancto Convvoioni ſuam debet originem. Locum duobus cingi fluminibus,* Dutulo & Undoënnenſi *corruptè ſcribit infrà Auctor num. 7. ubi legendum Ulda* *, *ſeu Uldone, ac Viſnonia, ut ſæpius inferiùs leges. nam locum præterfluit ab Septemtrione Vicenonia; Ulda verò amnis ab Occidente, & Aden (ſic vocant) ab Oriente in Viſnoniam influunt paullo infra Rotonum. Chronographus anonymus apud Labbeum in tomo 1 Bibliothecæ novæ tempus conditi Monaſterii ſignat annum* DCCCXXIII, *his verbis.* Anno DCCCXXIII conſtructum eſt in Britannia minore Monaſterium Rothonenſe ſub Ludovico piiſſimo Imperatore in fiſco regio, Comnovio * primo Abbate. *& ſcriptor Vitæ ſequentis ſcribit num. 7, Ludovicum Auguſtum* anno imperii ſui vigeſimo primo, incarnati Verbi octingenteſimo trigeſimo tertio *in Britanniam acceſſiſſe, & ſubacto cæſoque Marcono Duce, qui rebellaverat, locum Rotonenſem regio diplomate Convvoioni confirmaſſe. Regino hanc expeditionem rejicit in annum* DCCCXXXVI. *At eam anno* DCCCXVIII *contigiſſe docent nos Vita ipſius Ludovici, Acta ſancti Winvvaloei Abbatis Landevenecenſis, & Annales Bertiniani: nec Ludovici Auguſti res eo in ſtatu erant anno* DCCCXXXIII,

* Redon
* la Villaine
* l'Aouſt
* l. Convvoino

XXXIII, quo abjectus à filiis eſt, ut expeditionem iſtam aggredi poſſet. Aliam Ludovici in Britones expeditionem anno DCCC XXIV *factam lego in Vita Ludovici Pii, cujus belli incentor Wihomarchus Britanniæ Dux, Marconis ſucceſſor, in conventu Aquiſgranenſi anni inſequentis veniam ab Imperatore impetraſſe memoratur. Præterea in Annalibus Bertinianis invenio, Ludovicum anno* DCCC XXX *de adeunda Britannia cogitaſſe: ſed an id expleverit, non liquet. Exiſtimo tamen Rotonenſis Monaſterii conditionem non ante hunc annum contigiſſe. quod probant Ratuili tyranni litteræ in hæc verba.* Ann. Chr. DCCCLXVIII. Janu. V.

NOTUM ſit omnibus audientibus, qualiter venit CONVOION ad RATUILI tyrannum, deprecans eum ſedentem ſecus fontem in loco nuncupato *Leſſan*, ut ei locum congruum ad opus Dei exercendum largire dignaretur, quod & fecit. id eſt, donavit ei ipſum locum *Rothon* vocatum, quem poſtulabat in eleemoſyna pro anima ſua, & pro hereditate in regno Dei. Factum eſt hoc quinta feria, præſente ac conſentiente filio ſuo Catuoreto. Deinde intravit Convoion & alii Fratres mundum deſerentes in ipſo loco, ſeno numero, Roton vocato. Poſt hoc venit ſuprà dictus Ratuili ad ipſum locum viſitans Fratres ibi Deum deprecantes: & firmavit ſuprà dictum locum eis in ſua & Imperatoris eleemoſyna, & pro hereditate æterna. Signum RATUILI qui donavit, & firmare rogavit †. CATUORET †. Cumiau †. CADON †. ROMWALLON †. MANWORON †. Siclon †. Sulwal Preſbyter. Retworet †. Factum eſt hoc quartâ feriâ menſis Junii, regnante domno LUDOVICO, decimo octavo anno imperii ejus. Litteræ pro conditione Monaſterii.

Convenit hic annus cum anno Chriſti DCCC XXXI, *quo prima ejus Monaſterii fundamenta locata ſunt. In his litteris obſervandum eſt, Convoionum & ſocios, omnes* ſeno numero, *primùm incoluiſſe hunc locum, nempe* CONVOIONEM *ipſum*, WINCALONEM, LOUHEMELIUM, CONDELOCUM, CONHOIARNOM, *&* THETVIUM, *ex Clero Venetenſi ſecum adductos: quibus acceſſit* GERFREDUS *Eremita, eorum in monaſtica vita inſtitutor, cum* FIOWETANO: *de quibus omnibus aliiſque poſtea adjunctis agendum in tribus libris huic Vitæ ſubjectis.*

3. *Alias conceſſionis litteras ex Rotonenſi Chartario accepi, quas Nominoio Duci tribuo, quæ ſic ſe habent.* Aliæ litteræ.

MUNDI termino * appropinquante ruinis crebreſcentibus jam certa ſigna manifeſtant. Idcirco ego in Dei nomine Miſſus Imperatoris LUDOVICI nomine *, conſiderans querelam ac tribulationem, quam habet domnus Imperator Ludovicus, & gravitudinem peccatorum meorum, & reminiſcens bonitatem Dei dicentis: Date eleemoſynam, & omnia munda fient vobis. ego quidem de tanta miſericordia & pietate Domini confiſus per hanc epiſtolam dono, donatumque in perpetuum volo eſſe ad illos Monachos habitantes, & Regulam ſancti BENEDICTI tenentes, in Monaſterio quod vocatur Roton. quod & feci. id eſt, donavi eis illam partem quæ vocatur Ros, circumcinctam ex duabus aquis, id eſt ex Ultone flumine & Vilnonio, & ex tertia parte de antiqua eccleſia Bain, ſita in parte quæ dicitur Spiluc, pervenientis per finem hereditatis Wethencor, & per finem villulæ quæ dicitur Mutſin, uſque ad flumen Ult; hoc totum dedi ſuprà dictis Monachis in eleemoſyna Ludovici Imperatoris cum maſſis * & manentibus, cum ſilvis, pratis, paſcuis, aquarumve decurſibus, & cum omnibus adpendiciis ſuis. ita ut quidquid exinde pro opportunitate Monaſterii facere voluerint, liberam ac firmam in omnibus habeant poteſtatem. ſicut à me videtur hodie poſſeſſum, ita trado atque transfundo totum atque integrum ſuprà dictis Monachis in eleemoſyna domni Imperatoris, ut eum Dominus per orationes eorum adjuvare dignetur. Et ſi fuerit aliquis poſt hunc diem, qui contra hanc donationem aliquam calumniam fecerit, ad me veniat: & ſi rectum fuerit, ego mutabo ei in alio loco: & iſti permaneant ſecuri, & iſta donatio per omnia tempora firma & immutabilis permaneat. Factum eſt hoc in loco nuncupato Roton XXI anno imperii domni Ludovici. Signum Worworet †. Loreshoiarn †. Rodalt †. Worworet †. Bledic †. Mormon †. Wotalin †. Risheipoë †. Conon †. Hintwallon †. Guethencar †. Derian †. Hedremarchus †. Kalanhedre †. Atchlon †. Gulugan †. Hailgugur †. RAGINARIUS Epiſcopus ſubſcripſit quintâ feriâ, XIIII Kal. Julii.

* *l.* terminum

* *l.* Nominoë

* *id eſt* manſis

Hæ litteræ datæ ſunt, ut patet, eo tempore, quo Ludovicus à filiis ſuis exagitabatur, id eſt anno DCCC XXXIV, *Nominoio (ut quidem reor) donationem faciente, tametſi inter ſubſcriptos non legitur; & Raginario Venetenſi Epiſcopo confirmante, quem ipſum eſſe Rainaldum, de quo in ſequentis Vitæ num. 8, non dubito. Sanè Nominoium quartam partem plebis* Bain *S. Convoioni tradidiſſe memoratur in lib. 1 de geſtis Sanctorum Rotonenſium, cap. 11. ubi Worworeth, qui hic ſubſcripſit, Nominoii Legatus appellatur.*

4. *Alias item litteras legi Ratuili tyranni, quibus donatum eſſe vult* ad illos Monachos habitantes & exercentes Regulam ſancti BENEDICTI in Monaſterio quod vocatur Ro- Aliæ item Ratuili.

Ann Chr. DCCC LXVIII. J'a nu'v.

ton, ubi, *inquit*, ipſe locum petivi animam meam ſalvandi, *Binnon* totum cum maſſis & manentibus, *&c.* XII Kal. Julii regnante domno Ludovico, XXI anno imperii ejus. *His ſubjunctum eſt diploma Ludovici Auguſti, in quo* Convoion venerabilis Abbas Monaſterii, cujus vocabulum eſt Roton, quod ipſe in pago *Browiroch*, in loco qui dicitur *Bain*, noſtra (*inquit Ludovicus*) permiſſione à fundamento conſtruxerat, & viros religioſos ſecundùm monaſticam Regulam degere inſtituerat, *Imperatorem adiiſſe, ac poſtulaſſe aliquid de rebus ipſius*, unde Fratres in eodem Monaſterio Deo ſervientes ſubſidium neceſſarium habere potuiſſent. *Cujus precibus annuens Imperator dat* plebem *Bain*, & locum qui vocatur *Landegon, anno imperii* XXI. *Carolus verò eius filius donationes à patre factas confirmat, dato privilegio*, ut juxta ſanctiſſimi Patris BENEDICTI inſtitutionem Fratres ex ſe licentiam habeant eligendi Abbatem, *anno ſecundo regni ſui. De hac Ratuili donatione lege lib. I poſt hanc Vitam cap.* 4.

Aliæ Ludovici, & Caroli.

Convoio Romam legatus.

5. Convoio Romam à Nominoio legatus fuiſſe dicitur in Vita ſequenti, pro cauſa Britannia Epiſcoporum, qui ſimonia labe infecti erant. Id factum poſt annos aliquot à defectione Nominoii Ducis, qua Ludovico mortuo accidit anno DCCC XLIII. *tametſi ante biennium Carolo Regi ſacramento fidem ſuam obſtrinxerat, ut ſcribit Nithardus in lib.* 2. *Sed rem geſtam longe aliter refert Indiculus ab Sirmondo repertus in Bibliotheca Monaſterii ſancti Michaelis in periculo maris: quo in Indiculo ſimonia per calumniam Epiſcopis inuſta fuiſſe, & vi ac neceſſitate confeſſis depoſitio inflicta memoratur. Et quia hæc depoſitio, in Monaſterio ſancti Salvatoris celebrata, pertinet ad res geſtas ſancti Convoionis; lubet hic exhibere Indiculum iſtum, ex Sirmondi Analectis ad Capitula Caroli Calvi, ubi hic titulus Indiculi:* Quomodo Nomenoius tyrannus Brittonum de quatuor Epiſcopatibus fecit ſeptem tempore Karoli Calvi Regis Faancorum.

Indiculus de Epiſcoporū Brittonum depoſitione.

NOMENOIUS valde ſuperbus urbem Namneticam, Redonicam, ac etiam Andegavenſe territorium & Cenomannenſe uſqoe Meduanam invaſit. His autem urbibus & territoriis nominatis in ſua ditione adſumtis, ſuperbior extitit & potentioe: contemtoque omni jure Fraocorum regio, Regem ſe fieri poſſe exiſtimavit: multiſque artibus, ut doloſus & fraudulentus, perquirens quibus id modis adſequeretur, reperit ut Epiſcopos totius ſuæ regionis aliqua ſeditione expelleret, & alios conceſſione ſua conſtitutos in locis illorum ſubrogaret. ſicque facilè couceptam tyrannidem poſſe perficere excogitavit. Æſtuante verò Principe & plurima eviſcerata facie ſecum animo revolvente, quo modo conceptum ſcelus perpetrare poſſet; tandem invenit noum de complicibus ſuis, qui ſe circumvenire poſſe Epiſcopos, & abſque ulla examinatione & purgatione aliqua infamari & damnari fateretur. Quod audiens tyrannus, lætus efficitur, multa ei ſpondens, ſi dictis facta compenſaret. " Miniſter itaque doli convocans Britannos Epiſcopos: Scitote, inquit, Domini Sacerdotes, " unum me vobis cauſâ ſalutis veſtræ pandere myſterium, quod audierim à ſecretis Principis. quia niſi Epiſcopi ſe reos ex eis quæ eis objicerentur, eſſe audiente conventu Præſulum, quos alinde à diſcuſſione * reatus ipſorum Dux invitaverat, profiterentur, nec eos lateret ſine dilatione capite plectendos fore. Quo audito, Epiſcopi conſternati animo, præter Dei & Eccleſiæ leges, omnia ſe profiteri quæ malignus perſuadebat, antequam morte multarentur, promiſerunt. In craſtinum autem evocans Princeps in Monaſterio ſancti Salvatoris Synodum Epiſcoporum atqoe Procerum, adhibuit teſtes falliſſimos pretio conductos adverſus SUSANNUM Venetenſem *, SALACONEM Aletenſem *, FELICEM Coriopitenſem *, LIBERALEM Oximenſem * Epiſcopos, qui dicerent, eos pretio in Eccleſia intruſos, muneribus ſæpe ſacros Ordines fuiſſe largitos, & omnibus criminibus obnoxios fore. Cumque reticerent Epiſcopi, repentino mortis metu perculſi, requiſiti ſunt à conventu, utrum vera eſſent quæ opponebantur. qui ita ſe habere profeſſi ſunt: depoſitiſque in Concilio virgis & anulis pontificalibus, Gallias petierunt ad KAROLUM ſe conferentes. Nomenoius verò patrato ſcelere pſeudo-Epiſcopos conſtituit loco ipſorum. Cogitans autem Epiſcopos quos elegerat, à Metropolitano Turonenſi benedictionem minimè poſſe conſequi, nec acceſſum ad eum metu Regis habere; ex quatuor Epiſcopatibus ſeptem compoſuit. quorum apud Dolum * Monaſterium unum conſtituit, quem Archiepiſcopum fieri decrevit. Monaſterium verò ſancti Brioci * ſedem conſtituit epiſcopalem. Similiter etiam ſancti Rabutuali *. Hos tres uſurpaticios Epiſcopos conſtituit, ceteris quatuor in antiquis urbibus derelictis. Provincia itaqoe Turonenſi ita reciſa, Nomenoius Dolo Monaſterio Epiſcopos ſuos congregans, ſe in Regem ungere fecit.

* l. ad diſcuſſionem

* de Vannes * d'Alet * de Cornouail * de Leon

* de Dol, al. S. Malo * S. Brieux * nunc Trecorenſis, de Treguier

Confertur cum hac Vita.

6. Indiculus iſte multum differt à Vita ſubjecta. Hic enim Epiſcopi per calumniam ſimonia inſimulati, & calumnia à quodam impoſtore ſubornata fuiſſe dicitur. quod facinus neſcio an ad Convoionem traducere velit Indiculi auctor. tum Epiſcopi penitus abjecti, Britannia ſolum vertiſſe, & in Galliam ad Carolum ſe recepiſſe. At verò in Vita ſequenti legitur, Epiſcopos ſimonia reos Romam examinandos fuiſſe miſſos; eoſdemque crimen abnegantes, ſed

ANN. CHR. DCCC LXVIII JANU. V.

tandem convictos, rogante Conwoione veniam impetraſſe, & ad ſedes ſuas remiſſos. Non minor quàm Indiculo adhibenda eſt fides huic Vitæ, quippe quæ à ſubſequenti libro 2 de geſtis ſanctorum Rotonenſium, id eſt ab Auctore æquali, accipit teſtimonium. Et quidem facilè conciliari poteſt utraque narratio, ſi temporum rationem diſtinguamus. Sic igitur res ſe habuit.

Examinatus ejectio Epiſcoporum.

7. *Anno* DCCCXLVIII *Conwoione agente Nominoius Britanniæ Epiſcopos in cœtum cegit, iiſque de ſimonia labe convictis quidem, ſed graviſſimè tumultuantibus, duos cum Conwoione Romam dirigit, qui Leonem Papam hac de re conſulerent. Hinc habitus Romæ conventus præſidente Leone Papa, qui Epiſcopos culpam ultro confitentes, moderatè objurgatos ad propria remiſit cum litteris ad reliquos Britanniæ Epiſcopos directis, quibus Epiſcopos ſimoniacos in Concilio judicandos eſſe ſecundùm veterum canonum placita definit. Exſtat hæc Leonis Epiſtola, quâ variis eorumdem conſultis reſpondet. Ex quo intelligitur legationem hanc communem fuiſſe Nominoii ſcilicet atque Britanniæ Epiſcoporum, qui non ſolùm de ſimonia cauſa, ſed & de aliis capitibus ad Pontificem ſcripſerant. Reverſis in Britanniam Legatis, Nominoius audito Epiſcopos integra dignitate Româ revertiſſe, id indignè tulit; atque accepto Leonis Papæ reſponſo, ſcribentis Epiſcopos qui ſimonia convicti fuiſſent, in ordinem redigendos, rem per ſeſe exſequi aggreſſus eſt: moxque coactis in Rotonenſem S. Salvatoris eccleſiam accuſatis Epiſcopis dignitatem in frequenti laicorum hominum cœtu abrogat, aliſque ſubſtituit, adjectis tribus Epiſcopatibus, quorum Dolenſem Metropolitanum eſſe conſtituit. Ejecti Epiſcopi ad Carolum Regem ſe recipiunt, atque apud eum querelas deponunt. Hi ad Turonenſem Metropolitam remiſſi, quem multum offenderat Nominoii facinus parum ex Eccleſiæ diſciplina procedens. Unde anno* DCCCXLIX *Turonis convocata eſt Synodus ejus provinciæ Epiſcoporum, quorum nomine Lupus Abbas Ferrarienſis epiſtolam ſcripſit ad Nominoium conqueſtus, quòd Britanniæ* Epiſcopi legitimi ſedibus propriis expulſi, & mercenarii introducti; *violata beati Martini diœceſeos auctoritas; inſuper etiam Vicarii beati Petri, nempe Leonis, cujus epiſtolam ad ſe miſſam ne recipere quidem dignatus ſit Nominoius. In eadem (ut puto) Synodo confectus eſt ſuperior Indiculus, & forſan ad Leonem Papam directus, qui reſcripto ſuo Nominoium monet, ne Giſlardum Namnetica ſedis invaſorem defenſare pergat, ut docet relictum ejus epiſtolæ fragmentum. Leoni ſucceſſit Benedictus Papa III, qui exturbatos Epiſcopos in integrum reſtituere ſategit, datis ad Nominoium litteris, quæ interciderunt. Earum mentionem facit Nicolaus Papa I in ſua epiſtola 56 ad Salomonem Britanniæ Ducem, teſtaturque Benedictum conqueſtum eſſe, quòd contra deceſſoris ſui decretum, non ab Epiſcopis, ſed à laicis Epiſcopi dejecti fuerint; atque adeo denuntiaſſe,* quòd nulla ratio ſineret Epiſcopos à ſedibus ſuis pelli, quos duodenarius numerus non ejeciſſet.

8. *Perſtitit in contumacia ſua non ſolùm Nominoius, ſed etiam ejus poſt Eriſpoïum filium Salomon ſucceſſor: quo Duce, anno* DCCCLIX *Synodus Tullenſis apud Saponarias congregata Epiſcopos Brittonum monet cap. 9,* ut ad ſuam Metropolim redeant, eique debito jure ſe ſubdant, nec à canonica & epiſcopali communione ſe ſegregent, *litteris datis tum ad Optimates Brittonum, diſcidii architectos, quibus ob ejuſmodi facinus anathema comminatur; tum ad Faſtrarium Dolenſem, Wernarium Altenſem, Garurbrium Brioconſem, & Felicem Trecorenſem Epiſcopos. Hi omnes ſubornati erant in locum legitimorum Epiſcoporum, qui ſolum vertere juſſi, numquam in priſtinam ſedem reſtituti ſunt. Certè Salaco ſeu Saloco ex ſede Altenſi dejectus, in Burgundiam fugit, atque Jonæ Æduenſi Epiſcopo Chorepiſcopus adhæſit ad obitum uſque, id eſt ad annum* DCCCLXVI, *quo anno in Flaviniacenſi Cœnobio diem ſupremum abſolvit, ut in Elogio Egilis Epiſcopi Senonenſis inferiùs dicendum. Denique Nicolaus Papa I anno* DCCCLXV *etiam ad Salomonem ſcripſit elegantem & prolixam epiſtolam, quæ eſt 56, de renovando ejectorum Epiſcoporum examine apud Archiepiſcopum Turonenſem per duodecim Epiſcopos, vel apud Sedem apoſtolicam, ex præſcripto Leonis Papæ IV, & Benedicti ejus ſucceſſoris.* Etſi enim crimen aliquod confeſſi eſſe dicantur ejecti Epiſcopi, poteſt credi quòd vi vel formidine faſſi tantùm & non confeſſi fuerint quod non fecerant: quia videbant laïcos & ſæculares quoſque unà cum Rege contra ſe conſpirantes, quod nec ſaltem audierant. *Verùm irrita fuerunt hæ Nicolai Papæ admonitiones; & ejectorum Epiſcoporum dejectio abſque retractatione obtinuit, atque adeo controverſia de erectione Dolenſis Metropolis ad duodecimum uſque ſæculum indefinita proceſſit.*

Conwoio an ejus conſcius.

9. *His ita expoſitis, an & quid Conwoio Abbas ad prædictorum Epiſcoporum dejectionem contulerit, jam expendendum eſt. Certum eſt Conwoionis inſtinctu Epiſcopos in cœtum à Nominoio fuiſſe coactos; eumque fortaſſe auctorem fuiſſe duos ex eis mittendi Romam ad Leonem Papam, qui omnium cauſam agerent. Ut verò Conwoio conſcius fuerit dejectionis Epiſcoporum, & intruſionis aliorum in eorum ſedes à laicis perpetratæ, in animum inducere non poſſum. Etſi enim dejectio hæc à laicis hominibus præſente Nominoio in eccleſia Rotonenſi patrata ſit, ejus tamen expertem fuiſſe Conwoionem intelligimus tum ex ſequenti Vita, tum*

Ann. Chr. *maximè ex ſubjectis libri 2 cap. 10, ubi Conwoionis Romana legatio in facto Epiſcoporum accu-*
DCCC *ratè deſcribitur, nulla mentione facta ſecutæ dejectionis, quam procul dubio non reticuiſſent au-*
LXVIII *ctores illi, ſi Conwoio particeps ejus fuiſſet. Deinde in eodem libro 2 à Monacho Rotonenſi,*
Janu. v. *Conwoionis diſcipulo, tacitè arguitur Nominoii factum, iſque* zelum Dei non ſecundùm ſcientiam *habuiſſe dicitur. quæ verba ad Epiſcoporum dejectionem contra canonum præſcripta factam ſpectare videntur. Accedit longè graviſſimum in Conwoionis gratiam argumentum ex epiſtola ſynodica Concilii Tullenſis ad Optimates Brittonum, qui ſæpe dictæ exauctorationis præcipui auctores fuerant: quibus omnibus ex nomine inſcripta eſt epiſtola, nulla mentione facta Conwoionis, qui indubiè inter primos nominandus fuiſſet. Ceterum Conwoionis Romanam legationem refero ad annum* DCCCXLVIII, *qui præceſſit Synodum Turonenſem anno inſequenti habitam ſuper dejectione Brittonum Epiſcoporum. Huc ſpectat Chronicon Montis S. Michaelis apud Lubbeum, in tomo 1, cujus hæc verba.* Anno DCCCXLVII obiit Sergius
S. Marcellini translatio. Papa, cui ſucceſſit Leo. Hic direxit corpus S. Marcellini Papæ & Martyris ad Nomenoium Principem, quod poſitum eſt in Monaſterio Rothonienſi. *Id fuſiùs infrà in ſequenti Vita & in libro de geſtis Rotonenſium Monachorum. Hæc de Conwoionis cauſa in facto Britanniæ Epiſcoporum.*

Britanniæ Duces. 10. *Antequam ad ulteriora tendamus, nonnulla de Britanniæ Ducibus, quorum mentio ſæpius in his Actis recurret, præmittere juvat. Anno* DCCCXVIII *victo cæſoque* MARCOMO *Duce inſtitutus eſt* WIHORMACUS, *quem rebellantem anno* DCCCXXII, *itemque anno* DCCCXXV *repreſſit Ludovicus Auguſtus, ut docent Eginhardi Annales. Wihormaco anno* DCCCXXVI *interfecto ſucceſſit* NOMINOIUS, *primùm quidem Ludovici* Miſſus *dictus in ſuperioribus ipſius litteris, tum Dux, cujus necem ad annum* DCCCLI *referendam eſſe conſtat ex Chronico Fontanellenſi Auctoris æqualis, quod apud Cheſnium tomo 2 Hiſtoriæ Francorum editum eſt. Hinc corrigendi Annales Metenſes & Reginonis, qui poſt annos decem eam rejiciunt. Chronographo Fontanellenſi ſuffragantur Annales Bertiniani & Chronicon Montis S. Michaelis jam laudatum, in quo hæc lego.* Anno DCCCLI obiit Nomenoius Subregulus, cui ſucceſſit filius ejus Eriſpoius. Anno DCCCLVII Eriſpoïus Rex Britonum à Salomone perimitur. Anno DCCCLXXIIII occiſus eſt Salomon Rex Britonum.

Monaſterii Rotonenſis ſtatus. 11. *Hæc dicta ſunt occaſione S. Conwoionis, Rotonenſiſque Monaſterii, quod hactenus ſubſiſtit ſub Benedictina ſancti Mauri Congregatione, Sedi apoſtolicæ proximè ſubjectum, adjunctum habens oppidum vulgò* Redon *appellatum, quod tum ex celebritate Monaſterii, tum ex frequenti peregrinorum ad ſancti Salvatoris baſilicam coitione accrevit. Inſignis quondam fuit religio iſtius Monaſterii, ex quo ſanctus* GARLOESIUS *in regimen Quimperlegienſis Abbatiæ ſanctæ Crucis aſſumitur,* JUSTINUS *in Landeveneccenſis,* HELOGON *in ſancti Gildaſii, quod de Nemore vocant, reſtituenda gratiâ diſciplinæ regularis.* ALANUS *Dux, eo nomine quartus, iſtic laici Fratris vitam egit: &* HERMENGARDIS *ipſius conjunx piiſſima, ibidem Sanctimonialis vixit. De ſancto Garloeſio agendum in Benedictino Sæculo* VI.

PROLOGUS AUCTORIS.

1. INSIGNIS catholicæ fidei Patres, quorum converſatio in cælis eſt, & vita abſcondita cum Chriſto in Deo; qui velut rutilantia firmamenti aſtra, ſplendorem virtutum mundo refundere, & Eccleſiam Chriſti amore vernantem ſuo ſtuduerunt illuſtrare exemplo; attollere licet laudibus, eorum in medium deducere geſta, quos Chriſtus in cælo cumulavit gloriâ. Dignitatem quippe ſuæ conditionis ad ſimilitudinem
Job 10, 8. Dei facti. Unde beatus gloriatur Job, cùm dixit: *Manus tuæ fecerunt me, & plaſmaverunt me.* attendentes Conditori pro tanti muneris & privilegii beneficio grates exſolvere, & ſui pectoris juge ſacrificium in odorem ſuavitatis immolare decreverunt, tamquam hoſtias juxta legem Domini ſacrificio offerentes. Cùm autem quique ſuarum eccleſiarum auctores immenſis uſque ad ſidera efferant præconiis; (magno enim, juxta Poëtam, ſe judice quiſque tuetur) nos quoque eorum facta præclara Sanctorum pandere, per quos noſtra meruit decorari eccleſia, minimè arbitramur indignum; & eis teſtimonium perhibere, quorum teſtis eſt conſcius in excelſis.

ANN.CHR. DCCC LXVIII JANU. V.

VITA INCIPIT.

2. PRIMUS igitur hujus Cœnobii exſtitit Pater inſignis CONWOIONUS, ex Cambliciaco [a] vico origine clara editus: quem genitores liberalibus ſtuduerunt tradere artibus imbuendum. qui cùm ingenio uteretur docili, repentè factus eſt ſcientiâ ſummus, & ob meritorum excellentiam atque facundiæ affluentiam eccleſiæ Venetenſis Diaconi arcem, exhortante ROMARIO [b] ejuſdem urbis Pontifice meruit conſcendere.

Convvoio nobilis & rectè educatus, [a] Diaconus [b]

3. Cùm verò doctrinæ inſiſteret, & vices Pontificis diligenter exſequeretur; decurſis aliquot annorum ſpatiis mundi gloriam fugiens, & veræ Philoſophiæ dare operam gliſcens, in Venetenſi territorio, ſolitudinis locum Rothonum nuncupatum petiit, juxta ſinum duorum nobilium fluminum [c] ſitum. Ipſe verò locus adeo naturali poſitione inſignis habetur, ut amænitate ſua ceteris Britanniæ Gallicanæ locis præſtet, montibuſque proceritate ſua polo vicinus, quaſi quibuſdam mœniis ambiatur, & omnium deliciarum gratiam proferat gratiſſima tellus. Hunc verò locum paucis [d] ex Venetenſi Clero ſecum adſumtis Dei famulis elegit expetendum. Venientes verò ad locum ab æterno, ut domus fieret orationis, à Deo prædeſtinatum, cùm hæſitarent ubinam caſtra figere, & oratorium conſtruere deberent, conſenſo Bellimontis * vertice, dum preces ad Dominum fudiſſent, pro hujuſmodi oſtenſione erectis in cælum luminibus, circa tertiam pæne horam viſum eſt redemtionis noſtræ ſignum coruſco reſplendens lumine deſcendere, ubi nunc Salvatoris veneratur altare.

Rotonum ſecedit. [c] [d] * Beaumont. Oratorii locum cælitus diſcit.

4. Cumque illic vir beatus cum Fratribus in lege Domini ſecus decurſus meditaretur aquarum, ac juxta Deum pro reatu priori inflictam ſententiam in ſudore vultus ſui veſceretur pane ſuo; ne lucerna ſub modio tanta occultaretur, ſed quanti eſſet lucifer Eccleſiæ meriti monſtraretur; quadam die conſiſtenti in cella, adeſt ex Pictavenſi pago quidam oculorum privatus [e] acie, Monaſterii Patrem petens, ut ſibi lumen reddere dignaretur. qui diutius ſe tanto proclamans indignum miniſterio, tandem homini qui illuc à revelatione (ut aſſerebat) venerat augurio miſertus, invocato omnipotentis Dei nomine teſtituit ſanitati.

Cæco reddit lumen. [e]

5. In ceteris etiam Fratribus magnifica Deus operabatur, ut claudis greſſum, ſurdis auditum, leproſis conferrent remedium, ipſa quoque aquarum elementa ſicco tranſirent veſtigio, ſicut in libro [f] miraculorum ſancti viri continetur inſertum. Signis igitur & prodigiis hujuſmodi compertis, NEOMENOIUS armis potens, ſenſu pollens, judex provinciæ à LUDOVICO Auguſto declaratus, ad beatum tendit virum: cujus eloquiorum torrente delectatus atque inſtructus, probata ipſius vitæ puritate, multa munera ad relevandam Monaſterii indigentiam Sanctis Dei tribuit, ſeque eorum orationibus commendans ad propria remeavit.

[f] à Neomenoio honoratus.

6. Britannis interea more ſuo inſoleſcentibus, & adverſus Imperatorem, electo ſibi in Regem quodam MARCOMO tyranno conſpirantibus, negotiis cunctis omiſſis, cum inſuperabili agmine Britanniam properat Imperator: &

Marcomo devicto, à Ludovico Pio inviſitur.

[a] *Combleſſac* ſeu *Camblſac* vulgus appellat, qui vicus eſt diœceſis Maclovienſis in Armorica. Anonymus Rotonenſis, cujus libros tres infrà exhibemus, teſtatur in lib. 1 cap. 2, Convvoionem *filium* fuiſſe *cujuſdam nobiliſſimi* *nomine* CONONI, *ex poteſtate S. Melanii Redonenſis Epiſcopi de plebe Cambliciaco, ex genere ſenatorio.* Ubi quidam pro *ex poteſtate*, in mſ. codice ſubſtituit *ex poſteritate S. Melanii.* Unde Albertus Convvoionem ex genere S. Melanii ortum fingit. At retinenda vox *poteſtate*, ut ſuo loco infertiùs oſtendam.

[b] Cheſnius legit KERMARIO; legendum RAINARIO, qui idem eſt Rainaldus, de quo infrà num. 8 Rainarius dictus in ſequentis libri 1 cap. 9

[c] Viſnoniæ ſcilicet & Uldæ, de quibus ſuprà in Obſervatione 2.

[d] Omnes *ſeno numero* fuiſſe docent litteræ in Obſervatione 2 relatæ. Eorum inſtitutor fuit Gerfredus Eremita ex Monacho Glannafolienſi, de quo in ſequentis libri 1 cap. 5.

[e] Gotſeno nomen erat, ex villa *Ampon*, infrà lib. 2 cap. 2.

[f] Nimirum in lib. 2 cap. 1 infrà, ubi Riovvenus Monachus Viſnoniam ſicco pede trajeciſſe memoratur.

Ann. Chr. DCCCXXVIII. Janu. v. fugatis Britannis, atque peremto eorum pſeudo-Rege, patriam ſuis legibus ſubjecit. Peracto itaque triumpho, in Venetenſi[a] urbe generale Principum & Pontificum celebrat Concilium: ubi ordinariis regni negotiis & cauſis diſcuſſis eccleſiaſticis, cùm jam in Gallias redire diſponeret, oraculo eſt admonitus divino, ut ad beatum virum in eremo degentem & angelicam vitam ducentem diverteret Conwoionem, atque in eo veneraretur imaginem Chriſti. Ingentes verò referens gratias Imperator pro reſponſo divino, locum adiit; & conſiderata Patris Monaſterii & Monachorum Deo placita converſatione, benigno amplexatur eos affectu, illud revolvens quod de ſanctis animalibus dicitur:
Ezech. 1, 5. *Similitudo hominis in eis.*

Rotonenſem locum obtinet, 7. Cernens denique devotum erga ſe Principis animum, ſuppliciter eum deprecatur, ut illi pro æterna remuneratione locum tribueret Rothonenſem, ſicut fluminibus cingitur duobus, Dutulo ſcilicet & Undoennenſi[b] & termino Spilucenſi dividitur. Cùm autem Neomenoius, qui intimus ſecretorum erat regalium, precibus inſtaret, ut vir Dei exaudiretur; petitioni cedens Imperator, obtulit pro ſua ſucceſſorumque ſalute Salvatoris altari, quemadmodum vir Dei petierat, locum Rothonenſem, ab omni homine liberum & immunem,
anno 833. proprio confirmans donationem anulo, anno imperii ſui vigeſimo-primo, incarnati verò Verbi octingenteſimo triceſimo-tertio[c]. Vale dicens Abbati &
* Bain Fratribus, & eorum ſe commendans orationibus, Balneo * ſe contulit vico, venationem ibi exercens, ac deinde per Andegavum Gallias petens.

Rege iterum adito alia petit, 8. Regreſſo itaque in ſua feliciter Auguſto, Abbas Conwoionus notitiâ Regis fretus, pauco tempore evoluto tribunal ipſius[d] adiit, ſupplicans, ut pauperum, quos in eremo viſitaverat, recordaretur Fratrum, atque ex copioſis poſſeſſionibus ſuis loco illi contiguis, ad ſupplendam inopiam illorum, ſolita quam erga Monaſteria eorum fovenda ſemper habuerat, benignitate aliquid largiri dignaretur, ſciens talia in futuro cum fœnore revocari, promittente in
Matth. 19, 29. Evangelio Chriſto Domino: *Centuplum accipies, & vitam æternam poſſidebis.* Cunctos autem viri Dei ſermones ſurda aure Imperator pertranſiens, & inexorabilis exſiſtens, repulſam vir Dei ſanctiſſimus paſſus, contemtus ſpem apposuit; nec ſemel, vel ſecundò, ſed ſæpe in patriam cum grandi difficultate iens & rediens, iterum Regem importunus interpellabat petitione ſua, Poëtæ ſententiam animo revolvens:

Labor improbus omnia vincit.

Tandem Imperator cordis ſui inſolitam redarguens duritiem, & illud Apoſtoli
2 Cor 9, 6. recolligens: *Qui parcè ſeminat, parcè & metet; & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* &, *Hilarem datorem diligit Deus.* de cetero orabilis efficitur, & Neomenoio intercedente ac Domino inſpirante, Abbati Convvoiono & Monachis, theoriam in Rothono Monaſterio exercentibus, pro
& tandem impetrat. regni ſtatu & perennis vitæ bravio, regali munificentia, primò quidem Palatum-accumatum, Balneum-vicum, atque Languonum cum terminis ſuis; poſtmodum verò in Cariſiaco palatio Ramiacum, Pſacellum, Ardomumque cum ſuis finibus perpetuò conceſſit, felici commercio pro terrenis æterna commutans. Eccleſiis etiam earumdem plebium, quas ipſe Imperator Romani Pontificis munere obtinebat, ſimili jure præfato tribuit Abbati, adſiſtente Regis præſentiæ RAINALDO[e] Venetenſis eccleſiæ Præſule,

[a] De hoc conventu generali *Venedis* habito agit Auctor Vitæ Ludovici Pii, deque hac expeditione, quam anno DCCCXVIII factam eſſe docet, & poſt eum Annales Bertiniani cum Auctore Vitæ ſancti VViovvalchi. ex quibus corrigendus Reginoo, qui eam removet ad annum DCCCXXXVI, ex dictis.

[b] Rectiùs in litteris ſuperiùs in Obſervatione 3 editis, *ex Vltone flumine & Viſnonio. & ex tertia parte de antiqua eccleſia Bain, ſita in parte quæ dicitur Spilue.*

[c] Exſtant quidem Ludovici Auguſti litteræ eo anno datæ, ſed longè poſt expeditionem in Mercomum, quæ anno DCCCXVIII facta eſt.

[d] De variis Convvoionis ad Ludovicum Auguſtum profectionibus diſtinctiùs agit Anonymus in ſequentis lib. 1 capp. 9 & ſequentibus.

[e] Hic eſt Raginarius, qui litteris in ſuperiori Obſervatione 3 relatis ſubſcripſit anno XXI Ludovici Auguſti, jam laudatus in hujus Vitæ num. 2.

& idipſum ſigillo ſuæ munitionis corroborante.

ANN. CHR. DCCC LXVIII. JANU. V.

9. Ludovico ſiquidem ad ſiderea regna tranſlato, Neomenoius contemtis Gallis, redactâ in ſuam ditionem Britanniâ, regionis ſuæ Epiſcopos audiens contagionis ſimoniacæ leprâ infectos; hanc cupiens, quamvis laïcus, exſtirpare peſtem, Domini documento fultus, qui cathedras vendentium columbas eliminaſſe fertur; convocato Dei viro, cujus conſiliis plurimum nitebatur, Convoiono, examinandos decrevit Romam mittere hujus reatus fautores, SUSANUM [a] ſcilicet Venetenſem, atque FELICEM Coriſopitenſem. Dirigitur à Principe, ut in eos ageret, ſacræ fidei cultor Convoionus, deferens ſummo Pontifici LEONI auream inæſtimabili pretio coronam à Duce Neomenoio miſſam cum deprecatoria epiſtola continente, ut aliquem Sanctorum qui in urbe Romana curſus ſui agonem conſummaverit, ſedemque beati Petri obtinuerit, ad illuſtrandam occidui climatis pæne barbaram nationem, pro ſua dignaretur dominus Papa clementia ei tranſmittere. Poſtquam ergo gratiarum actiones ſummus Pontifex pro collato Principis munere, necnon ejus digna petitione retuliſſet, Convoionus Abbas die præfixo in Lateranenſi conſiſtorio conſedente ſenatu, prolocutore vel advocato non indigens, luculento ſermone & rhetorico adornato colore præfatos Epiſcopos Simonis vel Gieſi morbo pallentes aggreditur. Cumque utroque teſtamentorum cornu ventilaſſet eos, & illi cauterizatam habentes conſcientiam ad excuſandas accuſationes in peccatis refellere oppoſitis niterentur; tandem prolatis Scripturarum auctoritatibus concluſi, ut hoſpites teſtamentorum ſe ignoranter egiſſe profeſſi ſunt. Inferente verò Curia, *Ignorans ignorabitur.* &, *Si ſal evanuerit, in quo condietur?* tandem obtentu beati viri à ſummo Pontifice veniam conſequuntur, moniti priùs & comminati, ut quod gratìs accepiſſent, gratìs deinceps impenderent.

Epiſcopos ſimoniæ convictos Romam ducit, [a]

Leoni coronam deferens.

10. Licentiâ itaque remeandi beatus Convoionus acceptâ, beati Marcellini Papæ & Martyris, à quo Thebæa legitur legio confirmata, corpus Principi Neomenoio Leo [b] Papa per beatum in regionem umbræ mortis, ubi nullus ordo, tranſmiſit virum, ut beati Martyris præſentiâ illuſtraretur patria. Et quoniam lætis ſolent mæſta ſuccedere, (*non enim eſt hominis via ejus, nec ut dirigat greſſus ſuos.* & adſerente beato Job, *militia eſt vita hominis ſuper terram.*) dum ſuum explicare contenderet iter Convoionus athleta Dei bajulus, crure confracto debilis efficitur: ſed mox in triduo reparatus à Domino redditur ſoſpitati. Defertur itaque Britanniam inclitus Martyr Marcellinus, atque à Principe & Pontificibus, ſeu Abbatibus Cleroque regionis univerſo in Rothonenſi Monaſterio ornanter reponitur in diem Domini, Britannos tamquam eorum Apoſtolus repræſentaturus.

S. Marcellini corpus refert. [b]

Hier. 10, 23. Iob 7, 1.

11. Evolutis præterea poſtmodum quibuſdam annis CAROLUS Ludovici filius, poſt multa bella pluſquam civilia fratribus vitâ exemtis, cùm ſceptrum ſtrenuiſſimè gereret Galliarum, ab inſulis Aquilonis quidam innumerabiles populi prodeuntes, navigio vecti Galliam irruunt, & igne ferroque cuncta delendo exitialem luctum patriæ intulerunt. Cumque infra Alpium Pyrenæorumque joga ferè omnia exterminaſſent, Britanniam [c] demum aggrediuntur regionem ſimiles inferendo neces, ſed & conſummatæ religionis Rothonenſe Monaſterium ad ſuæ perverſitatis cumulum ad ſolum uſque everterunt, ſalvatis habitantium primo eorum adventu animabus. Nam per triginta ferè annorum ſpatium Regnum Galliarum gladiis inebriatus eſt gentilium. Beatus autem eos præveniens Convoionus, traditis ſinui Sanctorum

Normannis ſævientibus, [c]

Rotonenſe Monaſterium everſum,

[a] Alii Subſanum vocant, de cujus aliorumque dejectione ſuperiùs actum eſt in Obſervationibus præviis.

[b] Anaſtaſius in Leone quarto memorat, ſancti Marcellini reliquias cum aliis in urbem fuiſſe tranſlatas. Lege ſequentem librum 2 ad caput 10.

[c] Immo primam omnium Britanniam minorem aggreſſi ſunt Nortmanni, utpote ex Aquilone navigantibus primùm obviam. Quamquam primùm anno DCCCXX Aquitaniam infeſtarunt, ex Vita Ludovici Pii, *à Flandrenſi ſolo & oſtio Sequanæ repulſi.*

Ann. Chr. DCCC LXVIII Jann. v. Monachi ad Salomonem confugiunt.

pignoribus ceu ceteris eccleſiæ theſauris, furori cedens, ad SALOMONEM ſe contulit Regem, docente eum Domino, qui de loco ad locum fugere ingruente jubet neceſſitate. à quo favorabiliter exceptus, ad ſubſidium vitæ Monachis tradidit Rex inclitus Abbati in eleemoſyna ſempiterna regiam, quam ſibi in Plebelam conſtruxerat, cum deſignata terminis poſſeſſione s quatenus indeſignanter pro præſenti ac perpetua pace exorarent Dominum vitæ. Salomon Rex appellatur, non quòd re vera eſſet; ſed quia circulo aureo a & purpura, conceſſione Caroli Auguſti utebatur, idcirco hoc nomine cenſebatur.

Convoio obit.

12. In eremi vaſtitatem redacto, Dei exigente judicio, quondam gloriâ renitenti venerabili Monaſterio, à Regibus & ceteris magnificis viris fundato, Convoionus ſolitudinem appetens, non frequentiam, Plebelanio cum Fratribus morabatur, corpus ſuum jejuniis atque vigiliis macerans, & indeſinenter perenni oculorum imbre populi Chriſtianam ſtragem & patriæ ſuæ cladem, ut Hieremias in lamentationibus Judaïci regni exemplo deplorans. Cumque in hac contritione aliquos peregiſſet annos, notum ei faciente Domino finem ſuum, hominem exuit, cùm octoginta eſſet annorum: ſepultuſque eſt, exſequias funeris ejus procurante RIVALINO Aletenſi in Salvatoris eccleſia à Salomone fabrica mirabili conſtructa, juxta beatum ex Pictavenſi territorio Abbatem Maxentium, qui olim moleſtias falſorum ſui Monaſterii Fratrum fugiens illuc venerat, ibique ad Dominum b migraverat. Horum ergo ſuffragiis veniam à Domino impetrare mereamur, ipſo præſtanſtante qui vivit & regnat per ſæcula. Amen.

a Id quidem ita eſſe colligitur ex Caroli Calvi Capitulari 41 apud Cariſiacum facto anno DCCCLXXVII, in quo legitur cap. 23. *qualiter regnum, quod neceſſitate Brittonibus quondam juramento confirmatum fuerat, quia de illis quibus confirmatum eſt, nullus ſuperſtes eſt, à fidelibus noſtris recipiatur.* Lege Sirmondi adnotationem in hunc locum, ubi ex ſcheda Monaſterii ſancti Michaëlis notat, Carolum Salomoni Regi Brittonum habere permiſiſſe *circulum aureum & purpuram, & Archiepiſcopalem ſedem, & proprium numiſma, & omnia Regi convenientia.*

b Id falſum eſſe conſtat ex Actis S. Maxentii Sæculo I relatis, & ex appendice ſequenti.

APPENDIX

De obitu & tumulo ſancti Conwoionis.

5. QUO *anno, quove die obierit Conwoio, neuter exprimit Vita ſcriptor. Diem Nonas Januarii adſignant Rotonenſia Kalendaria & Albertus de Monte-Relaxo in Vita Gallica ſancti Conwoionis: annum Chriſti* DCCC LXVIII *colligimus ex vetuſtis loci monumentis. Nam Rucandus Abbas, ejus ſucceſſor, privilegium à Salomone Duce obtinuit eodem anno* IIII Kal. *Septembris, quo Monachis tum in Plebelamio conſiſtentibus facultas conceditur eligendi Abbatem* ſecundùm Regulam ſancti BENEDICTI.

a Plelan

2. *Locus ubi ſepultus eſt vir ſanctus, Plebelamium* a *quondam appellatum, poſtea Monaſterium Salomonis à nomine conditoris, demum ſancti Maxentii dictum eſt à nomine ſancti iſtius Confeſſoris, cujus corpus ibi quondam adſervatum ferunt. Idem vocabulum retinet locus, vulgo* Saint-Maixent, *Prioratus à Rotonenſi Monaſterio pendens. Illic repoſitum brachium ſancti Leonis Papæ tertii, quod Hadrianus ſecundus dono tranſmiſit ad Salomonem, ut teſtantur Hadriani litteræ apud Baronium anno* DCCC LXIX. *quo anno etiam ex Argentræo Baronius refert diploma Salomonis* RUCANDO *Abbati conceſſum, quem Argentræus & Baronius* Richardum *vocant. Eo in diplomate teſtatur Salomon, ſe locum* Pleſan, ubi antea aulam habebat, *Conwoioni Abbati in refugium conceſſiſſe, & in eodem loco conſtruxiſſe* non ignobile Monaſterium ſancti Salvatoris, quem locum, *inquit*, Monaſterium Salomonis vocari voluimus. In quo etiam reverendiſſimus Abbas Convoion ſepultus jacet, & venerabilis conjux noſtra GUIHENERET honorificè ſepulta quieſcit: in quo etiam ego corpus meum ſepeliendum devovi; necnon ad augmentum felicitatis & pacis totius Britanniæ munus à Deo maximum nobis tranſmiſſum præteritis temporibus ſanctiſſimum feci collocari Maxentium. *Fallitur proinde ſuperioris Vitæ ſcriptor, dum ait, Maxentium Abbatem à Monachis ſuis exagitatum iſtuc veniſſe, ibidemque deceſſiſſe. Lege adnotata ad Vitam ſancti Maxentii Sæculo I. Hoc eſt Monaſteriolum, in quo Salomon loci conditor, à primoribus*

Brittonum

Brittonum circumventus, traditusque eſt Francis hominibus Fulcoaldo & aliis: *à quibus ex-*cæcatus, in craſtinum mortuus eſt *anno* DCCCLXXIIII, *ut legitur in Annalibus Bertinia-nis. Ex eo Monaſterio corpus ſancti Convoionis poſt ſedatos Normannici belli tumultus Ro-tonum relatum eſt, ubi magna pars ejus reliquiarum honoratur, aliis particulis in varia lo-ca diſtributis. Sanctus Convoio* V *Kal. Januarii, qui dies forſan Tranſlationis eſt, celebra-tur in Martyrologiis Gallicano & Benedictino. Jam tandem libros tres ſuperius laudatos, qui ad Convoionis Acta pertinent, referemus ſupplendo duos priores titulos, qui in veteri codice mſ. non comparent.* ANN. CHR. DCCCLXVIII. JANU. V.

DE GESTIS SANCTORUM ROTONENSIUM,

CONVVOIONIS

ET ALIORUM,

LIBRI TRES.

Auctore Monacho Rotonenſi anonymo, Convvoionis diſcipulo.

Ex mſ. codice Rotonenſi annorum 700.

LIBER PRIMUS

De conſtructione & dotatione Cœnobii Rotonenſis.

CAPUT I. *cum Præfatione deeſt* [a] *in veteri codice mſ.*

II. *Quomodo beatiſſimus* CONWOION *miſit* LOUHEMEL *virum idoneum atque fidelem ad* NOMINOE *Principem Britanniæ.*

PSALMISTA David eximius Prophetarum in canticis ſuis Deum poſtulat dicens: *Da nobis auxilium de tribulatione, & vana ſalus hominis.* Et iterum idem Propheta: *In Domino faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet inimicos noſtros.* Per idem tempus cum adhuc novicii erant illi famuli Dei, deterrebant eos per circuitum multi adverſarii, & cupiebant impedire ſanctum opus quod inchoaverant, & non ſinebant eos perficere. Filii namque lucis & filii tenebrarum non poſſunt fœderari, atteſtante Paulo Apoſtolo: *Non eſt conventio Chriſti ad Belial, neque pars fideli cum infidele.* Elegit itaque reverentiſſimus CONWOION cum conſilio Fratrum ſuorum idoneum atque fidelem, nomine LOUHEMEL, quia & ipſe erat unus ex primis Fratribus; & tranſmiſit eum in legationem ad NOMINOE Principem, qui regebat illo tempore pæne totam Britanniam, primitus ex juſſione LODOVICI Imperatoris, poſtea verò ſuo arbitrio omnem provinciam invaſerat. Pervenit itaque venerabilis Louhemel, & reperit eum in aula, quæ dicitur Botnumel; ſtetitque coram eo, & dixit coram omnibus qui circumſtabant: Conwoion Abbas cum ſuis me direxit ad magnificam præſentiam « veſtram, ut digneris protegere & defendere pro Chriſti amore & pro anima «

[a] In recentiori codice mſ. habetur Præfatio, cui proximè ſubjicitur caput ſequens, quod ſecundum appello. At Præfatio illa eadem eſt, pauculis immutatis, cum prologo libri ſecundi, haud dubiè libro primo accommodata à recentiori Scriptore, qui Præfationem in fronte operis ſupplere voluit. Et caput quod exiſtimo ſecundum, aliud ſupponit de adventu S. Convvoionis Rotonum. tum quia id ſatis indicant prima hujus capitis verba, *Per idem tempus*, &c. tum quia in veteri codice nomen us capituli quarti in titulo apponitur, quod alioqui tertium eſſe deberet.

Ann. Ch. DCCC XXVIII. Janu. v. » veſtra. [Elegerunt] enim locum deſertum, & volunt ædificare, & ibi Deum
» quotidie poſtulare pro ſalute veſtra, & pro ſalute totius Britanniæ: ſed non
» permittunt eos mali tyranni qui in circuitu habitant: quia nec Deum me-
» tuunt, nec homines reverentur. Neque enim pro ulla penuria aut aliqua mun-
» dana neceſſitate illuc congregati ſunt, ſed propter amorem patriæ cæleſtis.
» Chriſtus namque in Evangelio dicit: *Si quis dimiſerit patrem aut matrem aut*
» *filios aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſide-*
» *bit.* Ad hæc verba adverſarius Dei & invidus Monachorum ILLOC tunc ſte-
» tit in medio, & dixit ad Principem. O domine Princeps, ne audias verba il-
» lius, neque adtendas ad univerſos ſermones ejus. Meus eſt enim ille locus,
» quem illi ſeductores occupaverunt, & mihi debetur jure hereditario. Tunc
» NOMINOE indignatus eſt furore nimio, atque in ira magna converſus ait
» ad ſupradictum perfidum: Dic nobis, inimice Dei, numquid melius eſt utrum
» in eo loco impii aut latrones habitent, quàm Dei Sacerdotes & Monachi,
» juſti viri, qui cotidie pro ſalute totius mundi indeſinenter Deum poſtulant?
» Et converſus ad ſupradictum Legatum ait: Dic, homo Dei, qui ſunt hii Pre-
» ſbyteri qui ad illum locum, ut tu aſſeris, devenerunt? aut quis eſt Con-
» woion, ex qua provincia, aut ex qua origine eſt natus? Sed & nomina il-
» lorum Preſbyterorum, aut originem illorum per omnia nobis intimarò, ut
ſciamus. Tunc reverentiſſimus Louhemel erexit ſe conſtanter, & cœpit co-
ram Principe & coram omni populo qui circumſtabant, enarrare per ordinem
» vitam & actus eorum, ita incipiens: O glorioſe Princeps, ille Conwoion
» quem quæris, filius cujuſdam nobiliſſimi eſt viri, nomine CONONI, ex po-
a » teſtate [a] ſancti Melanii Redonenſis Epiſcopi, de plebe Camliciaca, ex genere
» ſenatorio, qui à pueritia uſque ad iſtud tempus in divinis Scripturis cotidie
» meditatur, ſed & vigiliis & jejuniis frequenter inſervit; aut legit, aut ſcri-
» bit, aut manibus ſuis laborat: ſed & Fratres ſuos inceſſanter erudit & am-
» monet. Poteſtatem verò mundanam numquam habere vult, ſed totum in
» ſervitio Dei die noctuque verſatur. Legerat namque iſte Sanctus in Canticis
» David, ubi ait: *Sed in lege Domini voluntas ejus; & in lege ejus meditabitur die*
» *ac nocte.* & cum illo eſt ſancto vir vitæ venerabilis, nomine WINCALON,
» natuſque eſt ex nobilibus parentibus; RORGONI Comiti valde notiſſimus
» & fidiſſimus amicus & utilis conſiliatius, qui valde abundabat in mundanis
» rebus; ſed hæc omnia propter Deum & propter lucrum animæ ſuæ contem-
» ſit: necnon & CONDELOCCUS Dei Sacerdos, qui valde à WIDONE Co-
» mite diligebatur, ſed & ipſe prudens & ſapiens in Scripturis divinis. Sunt et-
b » iam ibi alii duo Preſbyteri, unus qui nominatur [b]

III. *Quomodo* GERFREDUS *Eremita Rotonenſes Monachos inſtruxit.*

IN illo ergo tempore erat quidam Eremita in extremis partibus Britanniæ,
c GERFREDUS [c] nomine, in loco qui dicitur ſilva *Wenoc* [d], unà cum ſancto

a Interpolator neſcio quis temere ſubſtituit *ex poſteritate*, quaſi Convvoionis dignitati derogaret, quòd natus ſit ex loco qui erat *de poteſtate S. Melanii*, id eſt S. Melanio ſeu ejus Monaſterio ſubjectus. Hunc verò iſtius loci ſenſum eſſe patet ex Vita S. Melanii apud Bollandum ad VI Januarii, num. 24. & ſequentibus, ubi Euſebius Venetenſis Rex *ad parochiam quæ vocatur Cambliciacus* perveniſſe, eamque S. Melanio *ad ſuos Monachos alendos*, ob liberatam dæmonio filiam, *per annulum ſuum tradidiſſe* memoratur. Bollandus notat in mſ. codice Riparorii, cùm de Cambliciaco agitur, hæc addi, *ubi caſtrum ſitum eſt, qui vocatur Marciacus*, forſan *Maſſac*, à quo non longè diſtat vicus *Cambſac* ſeu *Camblaſſac*. Eſt & *Maciacus ad Vicenoniam*, *Meſſac*, de quo apud Cheſnium tomo 2 pag. 386.

b Hiatus eſt hoc loco in duobus mſſ. ita ſupplendus, CONHOIARNOE, & *alter* THETVIOS. quibus accedit LOUHEMELIUS hujus legationis & ſermonis actor, *unus ex primis Fratribus*, ſuprà. Agitur de Condeloco infrà lib. 1 cap. 10, & lib. 2 cap. 3. de Conhoiarno cap. 4. de Thetvio cap. 8. de Louhemelio rurſus lib. 1 cap. 8, & lib. 2 cap. 9.

c Odo Glannafolienſis Abbas in libro de inſtauratione Monaſterii ſui, infrà, laudat hunc Gerfredum, appellatque *magnæ vitæ virum, qui dudum per viginti annos vitam eremiticam ducens, ab omni quod inebriare poteſt, abſtinuerat.* De Fidvveteno iterum infrà lib. 2 capp. 4 & 5.

d Vulgò nunc *la foreſt de la Nouë*, ſita inter Joſſelinum & Caſam, *Joſſelin & la Cheze*.

viro, nomine Fidweteno: ibique pſalmis & hymnis, jejuniis & vigiliis operam dabant. Cumque illuc in tali exercitatione demorarentur, quadam nocte facta eſt vox ad eumdem ſanctum Gerfredum Eremitam à Deo dicens: Surge quantocius ab hoc loco, & vade, viſita ſervos meos rudes Monachos in quodam loco deſerto commorantes, & manibus ſuis certatim operantes, à nullo alio auxilium, niſi à ſolo Deo, poſtulantes. Non ad Monachos qui tabernas & delicias hujus ſæculi habent, te tranſmitte: ſed ad ſervos meos, qui mundum cum ſuo deſiderio propter me & propter ſermones meos ſpreverunt. Vade ergo & oſtende eis viam, per quam poſſint ad me venire, & ſecundùm Regulam vivere. Ille verò à ſomno evigilans retulit hæc omnia Fidweteno collegæ ſuo: atque exinde venit, & cœpit quærere, ubinam eſſent illi Monachi novelli, & quis eſſet ille locus novitius, qui ſibi à Deo eſſet demonſtratus: & pervenit ad rivitatem, quæ vocatur Venetia *, ibique receptus eſt hoſpitio à quodam clariſſimo viro atque Preſbytero, nomine Woretveu. Cumque requireret ſanctus Eremita, in qua provincia degerent illi ſupradicti Fratres, quos Dominus dignatus eſſet ſibi per viſionem revelare; ait illi præfatus Preſbyter: Fratres quos quæris, ego tibi per omnia intimabo. Erre habitant in loco qui dicitur *Roton* ſuper fluvium Viſnoniæ, & primus eorum vocatur Conwoion, virtute venerabilis, qui in hac rivitate nobiſcum fuit eduratus & nutritus, & optimè in Scripturis ſanctis eſt eruditus. Suntque alii viri præclari cum illo, qui in hoc ſærulo potentiam magnam & divitias & honores habuerunt: ſed hær omnia propter Deum contemſerunt. Hær ille audiens magno gaudio eſt repletus, rogavitque eumdem Preſbyterum, ut accommodaret ſibi unum de famulis ſuis, qui eum uſque ad locum ſupradictum deduceret. Tunr venerabilis vir omnia libentiſſimè implevit. Sequenti denique die pervenit ad locum ſibi à Deo revelatum. At ubi reverentiſſimo Conwoion ſimul cum Fratribus iſta omnia nuntiata fuiſſent, obviàm ei perrexerunt, & cum Dei laude eum ad Monaſterium perduxerunt; ibique cum eis [manſit] per duos ferme annos vitam durens, atque pleniſſimè eos inſtruens. Poſtea verò ad Cœnobium ſuum eſt reverſus, in Monaſterium quod dicitur ſancti Mauri, juxta fluvium Ligeris. Sapientia per Salomonem loquitur dicens: *Frater fratrem adjuvans, quaſi civitas firma & munita valde.* & Jarobus Apoſtolus dirit: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus à morte, & operit multitudinem peccatorum.*

Ann. Chr. DCCCLXVIII. Janu. v.

* *Vannes*

IIII. *De infirmitate & curatione* Ratvvili *tyranni.*

Jacobus Apoſtolus in epiſtola ſua nos admonet dicens: *Infirmatur aliquis veſtrùm, adducat Presbyteros Eccleſiæ, ut orent pro eo, ungentes eum oleo in nomine Domini: & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei.* Illo igitur tempore ægrotavit [a] venerabilis Ratvvili in infirmitate gravi, ita ut deſperaretur à medicis ulteriùs vivere. Quod ille cernens, juſſit populo ſuo ut durerent eum in lecto ad ſanctum locum Rotonenſem cum ſuo filio, nomine Liberio: illi verò cum planctu & ejulatu magno compleverunt præceptum domini ſui, deductuſque eſt ad Monaſterium. Quod audiens reverentiſſimus Convvoion Abbas, ſimul cum diſcipulis ſuis obviàm ei cucurrit, & ad Monaſterium ſecum adduxit; poſituſque eſt in eccleſia ſancti Salvatoris: circumdederuntque eum Fratres in circuitu, pro eo Dominum inceſſanter poſtulantes. In illo autem die rogavit ſupradictus Ratvvili ſanctum Convvoion virum, ut eum tonderet, & comam ejus & barbam raderet. At ille omnia . . implevit, & eum totondit, factuſque eſt Clericus. Poſtquam autem Clericus effectus eſt, ipſo

[a] Id accidit anno XVIII Ludovici Auguſti, id eſt anno DCCCXXXI, ex litteris Ratvvili ſuperiùs relatis.

Ann. Chr. DCCCLXVIII Janu. v. die obtulit filium ſuum Liberium ad ſerviendum Deo omnipotenti in eodem loco cum oblatione: ſed & partem hereditatis ſuæ ad eumdem ſanctum locum delegavit, & factâ chartâ [a] ſollemniter implevit, tradiditque ſancto Salvatori & ſuis Monachis villam, quæ dicitur *Binnon*, cum ceteris villulis, quæ in circuitu ejus manent: ſed & in alia plebe [b], quæ dicitur *Siza*, ita tradidit ſancto Salvatori & ſuis Monachis ibi Deo ſervientibus villas, quæ appellantur *Erchiniac*, & villam *Moetchar*, cum omnibus appendiciis earum, ſicut adjacent; manſitque in eodem Monaſterio per plures dies, convaluitque de infirmitate, & ſanus effectus eſt per orationes ſanctorum virorum. Deinde ad ſæculum eſt reverſus; & ad ſuam domum rediens, pacem inter ſuos filios faciens, & hereditatem ſuam dividens, demum ad Monaſterium revertens, mauſoleum ſuum inibi præcepit præparari, ſicque adpoſitus eſt ad patres ſuos, VI Id. Januarias in Chriſto quievit. Amen. Quod factum cernens filius ejus CATVVORET, ſicut fecerat pater ejus, ſic & ipſe fecit, tradens filium ſuum Deo in Monaſterio, necnon & partem hereditatis ſuæ, quæ ei computabatur jure hereditario, tam pro ſe, quàm pro filio ſuo tradidit ſancto Salvatori & ſuis Monachis, ſicut tradiderat pater ejus. Nam & ipſe Catvvoret non multo tempore poſtea in hac vita manſit, mortuuſque eſt, & corpus illius adlatum eſt in Monaſterio, poſitumque eſt in cimiterio patris ſui. Ad cujuſdem exemplum eodem tempore multi religioſi viri atque nobiles tradiderunt filios ſuos Deo in eodem loco. Sed & Sacerdotes magni, qui poteſtatem magnam in hoc mundo obtinebant, ad eumdem ſanctum locum venerunt, mundum ſpernentes cum deſideriis & pompis ſuis; cupientes in hac vita eſſe pauperes, ut in altera vita cum Chriſto forent divites. ſicque aucti ſunt ſervi Dei, ut cotidie creſceret numerus illorum, ita ut fieret Congregatio non modica, ſicut in Actibus Apoſtolorum legitur: *Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una.* ſed & uſque hodie ibi conveniunt, qui dignè Chriſto deſerviunt, nihil habentes proprium, nullius egentes compendium. quia ſperantes in Domino non deficient omni bono, ut verè in eis impleatur quod ſcriptum eſt: *Pax multa diligentibus legem tuam, Domine, & non eſt illis ſcandalum.* Caritas ibidem fulget mira, abſtinentia magna, humilitas ſumma, caſtitas ante omnia. Nam & de nomine loci & de actu ejus (ut reor) melius eſt pauca perſtringere. Verè digna etymologia nominis *Roton* nuncupatur, quia diverſo vernat more gemmarum decore. Hinc frondium coma ſilveſtris, hinc multiplices arborum fruges, illinc placet uberrima tellus, iſtinc virentia prata graminibus, hinc hortorum odoriferi flores, hinc vinearum abundant butriones; cuncta undique aquis irrigata, inclita cæſpis paſtui pecorum congrua fundens frugem lætiferam, nunc adſcendens mare eructat, nunc ad ſinum rediens aquarum impetus manat: compendia navium apta, nihil pæne indigens ex eo quicquid miniſtratur vehiculis pedeſtribus, plauſtris equinis etiam atque ratibus. Ibi adſtant in acie milites Chriſti, ubi ſuſpirantes pro deſiderio paradiſi gemunt, dicente Domino in Evangelio: *Beati qui nunc fletis, quia poſtea ridebitis.* Sed & in alio loco: *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Nam & fidelibus ſuis idem Dominus promittit dicens: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.*

Viri nobiles Rotoni Monachi fiunt.

V. *De fure qui vocabatur Vorbri.*

EODEM namque tempore quidam vir ruſticus WRBRI nomine videns vaſa mellis, quæ quatuor tantùm erant in horto Monaſterii, unum ex

[a] Hæc charta partim relata eſt in prævia Obſervatione 4. cui chartæ Catvvoret Ratvvili filius ſubſcripſit.

[b] Familiare eſt Britonibus *plebium* nomine appellare villas parœciales, paſſim infrà.

eis violenter per noctem furto arripuit, & exinde gradiens per totam noctem demens effectus non potuit de collo excutere. Mane verò facto perrexerunt Monachi, ut hortum exercerent; & ecce idem fur venit in medio eorum, ferens vas apum ſuper humerum ſuum: interrogatuſque ab eis unde veniret, aut quo pergeret; ille verò confeſſus ſtatim furtum quod fecerat, tunc ait illis: Iſtud vas quod ſuper collum fero, veſtrum fuit, & veſtrum erit. Ego namque præterita nocte furto abſtuli, & volui in domo mea recondere, ſed non potui de collo meo excutere. Propterea obſecro veſtram ſanctitatem, ut recipiatis quod veſtrum eſt, & me ſinatis inlæſum abire. Illi verò Deo gratias agentes, receperunt cum magna fide quod fur detulerat: ſed illum furem bene remunerati ſunt, dantes illi cibum & potum cum gratiarum actione. Nam in hoc factum non defuit virtus Domini noſtri JESU-CHRISTI, qui taliter ſamulos ſuos protegit atque cuſtodit, ſive in die, ſive in nocte, dicente Pſalmiſta: *Per diem ſol non uret te, neque luna per noctem.* & alio loco idem Propheta ait: *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilant qui cuſtodiunt eam.*

ANN. CHR. DCCCLXVIII. JANU. V.

VI. *De* ILLOC *invido repreſſo, & Jovvoret muto ſanato.*

SEMPER diabolus invidus eſt colentibus atque facientibus mandata Domini noſtri JESU-CHRISTI. Ipſe namque ait: *Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit.* Denique cùm fama ſanctitatis eorum longè latéque per aures populi cotidie ſpargeretur, exſtitit quidam invidus, ILLOC nomine, qui volebat adverſari atque deſtruere locum habitationis eorum: qui conſilium iniit cum propinquis, qui in circuitu eorum commanebant, & mandavit illis, ut ejicerent eos foras, aut interficerent. Interea dum hæc cogitantur atque præparantur, accidit, ut quidam vir colonus, qui terram ſuam bene colebat, nomine Jovvoret, quadam die ad campum pergeret cum aratro & bobus; & ſtatim paralyticus atque mutus effectus eſt, nec valuit ullum ſermonem linguâ propriâ eloqui, nec propriis pedibus greſſum movere. Annuebat tamen quantum poterat ſuis nutibus atque mugitibus, ut ad ſupradictum famoſiſſimumque locum in humeris deferretur: impoſituſque grabato, atque ab amicis delatus Monaſterio. Quod Monachi audientes, inceſſanter ad Dominum fuderunt preces pro eo. Proxima verò nocte deductus eſt ad baſilicam ſancti Salvatoris, in qua baſilica multæ virtutes à Domino ſunt oſtenſæ, ſicut nobis intimaverunt, qui oculis propriis viderunt. Cùm autem aurora diei clareſceret, & Monachi matutinas pſallerent, & Dominum una voce laudarent; ventum eſt ad illum pſalmum qui appellatur, *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo.* Ut autem hic pſalmus inchoatus eſt à Monachis, ille ſtatim ſanus effectus eſt, gratias Deo agens, propriâ linguâ Deum benedicens, atque pedibus ſuis ad ſanctum altare currens, Deumque magna voce laudans. Poſtea verò ille vir proprium nomen amittens, Libertinum ſe vocari præcepit, & ſic à multis uſque ad diem mortis ſuæ Libertinus eſt vocitatus: & Dominus per orationem ſervorum liberavit eum ab infirmitate ſua. Tunc Libertinus ipſo die quo ſanatus eſt, cum fratribus pertexit, & cellulam in qua ſancta pignora tuebantur, manibus ſuis cooperuit. Nam ex illo die uſque ad diem vocationis ſuæ cum eis jugiter perſeveravit. Quod miraculum invidus ſupradictus ILLOC audiens cum conſiliariis ſuis, nimio timore ſunt perculſi, nec auſi ſunt ab illo die uſquam malum contra ſervos Dei machinari. Apoſtolus namque ait: *Non eſt conſilium, non eſt prudentia, neque fortitudo, neque ulla ſapientia contra Deum.*

Ann. Chr. DCCC LXVIII Janu. v.

VII. *De interitu* HINCANTI *tyranni.*

IGITUR, ſicut ſuperiùs diximus, diabolus ſemper invidus eſt. Invidet namque & verè invidet aliquando per ſeipſum, aliquando per ſua membra, id eſt per malos homines: quia diabolus caput eſt omnium iniquorum. Immiſit namque ſe in cor cujuſdam hominis peſſimi atque nequiſſimi, qui dicebatur HINCANT. ſed & ipſe Hincant nepos erat illius ILLOC, quem ſuperiùs memoravimus. Accidit namque pæne eo tempore, quo ſolitus fuerat ille invidus ILLOC Sanctos Dei injuriare, cum ad Monaſterium venire, & nuntios ad ſanctum Dei virum Abbatem miſit dicens eis: Dicite Abbati veſtro, propterea veni, ut emat mihi Abbas gladium valentem quinque ſolidos. quod ſi non fecerit, ego diſcedam; & quantum valuero, illi pernicioſus ero. Convvoio verò Dei ſervus tale fertur illis dediſſe reſponſum: Scitote, cariſſimi Fratres, ſicut & mihi Deus teſtis eſt, quia hodie penitus non ſolùm quinque ſolidos non poſſum pro gladio ei tribuere, ſed etiam vel quinque nummos in mea ditione modò nequeo obtinere. Reverſi verò nuntii narraverunt hæc omnia HINCANTO tyranno. Ille verò multum comminans, & multa verba coturnica dicens, ſtatim ex loco ſancto exiens Huldonem * fluvium pertranſiit. Cúmque ripam ulteriùs fluminis attigiſſet, nutu Dei omnipotentis ilico in pede percuſſus, tertia die incredibili plaga vitam cum tormentis finivit, non recordans ſermonis Domini noſtri JESU-CHRISTI, ubi ait: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te; quæ autem paraſti, cujus erunt?*

* l. Aouſt

VIII. *De interfectione* RISVVETEN *&* TREDOC.

VAs electionis & Doctor gentium Paulus Apoſtolus cunctis fidelibus alloquitur dicens: *Omnes qui piè volunt vivere in Chriſto, perſecutionem patiuntur propter juſtitiam.* Nam & ipſe Dominus noſter JESUS-CHRISTUS in Evangelio ſuis diſcipulis dixit: *Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur: tamen confidite, quia ego vici mundum.* Quadam itaque die cùm ſanctus & venerabils vir nomine Convvoion Abbas, pro cauſa Monaſterii unà cum venerabili viro, nomine LEHUHEMELO Præpoſito pergeret ad eccleſiam ſuam, quæ nuncupatur *Bain* [a], ibique [eſſent] & diſcuſſiſſent [b] cauſas, & jurgia virorum inter ſeipſos, & bene inter eos ordinaſſent; repentè adfuit quidam tyrannus atque invidus, nomine RISVVETEN. Nam & ipſe ex invidis erat, qui ſancti loci felicitatem invidebant. Cúmque nimis inter ſe multa jurgia ille perfidus
» incitaret; ſancti viri dixerunt: Non eſt conveniens ut hodie inter nos diſceptemus; ſed conſtituamus tempus, in quo tempore aut pacem habeamus aut ſcandalum. Quibus ille perfidus reſpondit cum jurgio & ſuperbia: Si vobis rectum videtur, reddite mihi hereditatem meam, quam injuſtè & ſine lege poſſideris: ſin autem non vultis hereditatem meam mihi reddere, ſaltem vel villam illam, quæ dicitur *Loſin*, mihi accommodare, & equum optimum mihique aptum, ſed & loricam date. Si hæc quæ dico, nòn vultis implere, denuntio vobis, quia quantum prævaluero, & vobis & veſtris hominibus nocebo. Ad hæc verba ſanctus & venerabilis Abbas Convvoion reſpondit:
» Hæc verba quæ tu loqueris, non poſſumus implere, quia terram ſancti Salvatoris, quæ illi conſecrata eſt, nulli homini debemus dare, quia ad victum & ad veſtimentum Monachorum à Regibus illis eſt data. Nam neque equum optimum poſſumus invenire, neque loricam, quia non eſt noſter uſus his armis indui: ſed, ſi tibi placet, viginti ſolidos ab aliis inveniemus, quia nos non

a Baineum vicum appellat Vitæ ſcriptor num. 7, quæ hactenus poſſeſſio eſt Monaſterii, vulgò *Bain*, haud ita procul à Viſnonia fluvio.

b Sic in lib. 2 cap. 8 Convvoio ad oſtium *Monaſterii cauſas diſcuſſiſſe* perhibetur.

habemus: hos accipe, & caballum de eis eme. quod ita factum eſt. Tunc ille perfidus ad ſua propria eſt reverſus: ſimiliter & Monachi ad Monaſterium ſunt reverſi. Altera verò die ecce iterum ille tyrannus ad Monaſterium ſecundùm ſuum placitum venit repetere ſolidos, quos ei ſponderat venerabilis Abbas. Tunc piiſſimus Convvoion Abbas reddidit ei etiam per numeros viginti ſolidos. Ille verò perfidus cùm in manu eos haberet, ita prophetavit dicens: Quid mihi prodeſt, ſi eos mecum abſtulero? non erunt mihi in adjutorium, ſed in opprobrium. Et ſtatim à ſancto loco receſſit. Cúmque iter pergeret, ecce alius perfidus, nomine TREDOC, obviàm ei advenit, cui & dixit: Unde venis, inveterate canis? num hereditatem noſtram illis ſeductoribus vendidiſti? aut quale pretium ab eis accepiſti? indica mihi. Non ita erit; ſed quando tempus invenero, omnes ſeductores illos jugulabo, & cadavera eorum in mare præcipitabo. Ille verò reſpondens ait: Falſum tu loqueris, nec hereditatem tuam vendidi, nec pretium ab eis accepi, ſed tantummodo ſacramentum atque juramentum Evangelii illis feci. Pro nihilo ille miſerrimus ducebat ſacramentum ſancti Evangelii: & ita ab invicem diſceſſerunt. His ita geſtis, parvo intervallo facto KAROLUS Rex commovit univerſum exercitum ª ſuum: putabat enim quia poſſet totam Britanniam armis capere, & ſtrages & ſectas hominum facere, & totam provinciam in ſua dominatione perducere. At ubi ERISPOE, qui tunc Britanniam regebat, hæc omnia audivit, juſſit & ipſe exercitum ſuum præparari, & mandavit ut omnes parati eſſent & præirent eum ultra Viſnoniæ fluvium. Statim cuncti Brittones à ſedibus ſuis ſurrexerunt. Tunc & illi duo perfidi Riſvvetenus & Tredoc unà cum eis properaverunt. Putabant enim quòd ſpolia diriperent, & arma & veſtes caperent: habueruntque hoſpitium in villa, quæ vocatur *Jeneglina*, prope eccleſiam ſancti Petri Apoſtoli. Cúmque ibi manſiſſent per tres aut quatuor dies, ſubito irruerunt Franci per noctem, & vaſtaverunt totam villam. Quod illi audientes, abſconderunt ſe in arca cujuſdam pauperis ſub paleis; ibique latuerunt, ſicuti quondam latuerunt quinque Reges in ſpelunca à facie Joſuë fugientes. Cùm verò Franci villam circumdarent, unus è populo ait illis: Si Brittones quæritis, ecce latitant in paleis. Illi verò concito greſſu ad aream pergunt, ibique eos latitantes reperiunt, eductiſque gladiis ſtatim eos trucidaverunt, & corpora eorum in plateis projecerunt, & capita ſeorſum poſuerunt. Tunc adimpletum eſt quod dictum eſt per Prophetam dicentem: *Qui fodit foveam proximo ſuo, primus incidit in illam.* Illi namque cogitaverunt trucidare ſanctos Dei Monachos; ſed non potuerunt, quia Deus cæli eorum defenſor eſt. Per omnia benedictus Deus, qui perdidit impios. Poſt hoc factum, nuntiatum eſt ſanctiſſimo viro, quòd decollati eſſent illi ſupradicti perfidi; miſitque nuntios ad perquirendos nummos ſuos. Et erat quidam vir, nomine BEATUS, vir prudens & juſtus in plebe quæ vocatur *Poliac*. Ut autem audivit quia venerabilis Convvoion requireret ſolidos ſuos, venit ad eum, & dixit ei: Quid quæris? utrum reperiſti nummos tuos quos dediſti iniquo RISVVETENO? Ille autem reſpondens dixit: Non inveni. Statim ille vir retulit nummos de ſinu ſuo, & reddidit reverentiſſimo viro: & impleta eſt prophetia ſuperiùs perfidi, ubi ait, quia non in adjutorium mihi, ſed in opprobrium ſunt iſti ſolidi, ſicuti quondam Caïphas Pontifex Judæorum dixit, quia expediret unum hominem mori pro populo, ne tota gens periret. Hoc autem à ſeipſo non dixit: ſed quia, cùm Pontifex eſſet, cœpit prophetare de Chriſto, quia JESUS pro ſalvatione totius mundi eſſet moriturus.

ANN. CHR. DCCCLVIII. JANU. VI.

ª Id accidiſſe puto anno DCCCLI, quo Carolum in Eriſpoïum arma moviſſe & pugnaſſe lego in Chronico Fontanellenſi apud Cheſnium tomo 2 pag. 389.

ANN. CHR. DCCC LXVIII JANU. V.

IX. *De prima profectione ſancti Conwoionis Abbatis ad* LODOVICUM *Imperatorem.*

SALVATOR humani generis diſcipulos alloquitur dicens: *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* Similiter & Petrus Apoſtolus in epiſtola ſua nos ammonet dicens: *Sive Regi, quaſi præcellenti.* necnon & Paulus ſimiliter docet dicens: *Cui tributum, tributum; cui honorem, honorem.* His ſermonibus exhortatus eſt venerabilis Convvoion, perrexitque ad palatium LODOVICI Imperatoris, qui tunc exercitum ducebat in provincia Aquitaniæ, in territorio Limodiæ[a], qui tunc conſiſtebat in palatio in Cadrio monte. Cúmque ante Imperatorem exſtitiſſet, rogavit eum pro Dei miſericordia, ut daret ei adjutorium, & locum commemoratum ſanctum, nomine Rotonum; & quomodo in eodem loco vitam poſſet propagare cum ſanctis Fratribus ibidem Deo mancipantibus. Ad hæc verba reſpondit RICOVVINUS Comes[b], necnon & RAINARIUS Pontifex, qui in illis diebus erant contrarii atque adverſarii ſanctis Monachis, qui volebant in ſancto ſupradicto loco animas ſuas immaculatas Deo reddere; dixeruntque ad Imperatorem: Quæſumus te, Domine Auguſte, ne attendas & ne audias ſermonem eorum: quia locum quem quærunt, in eo poteſt regnum veſtrum confortari & roborari. Cúmque ille audiſſet, indignatus eſt vehementer, & cœpit dicere: Ejicite eos à præſentia noſtra. nam hodie quod petunt à nobis, nullo pacto recipient. Statim ſanctus Dei Convvoion cum ſuis ejectus eſt à conſpectu Imperatoris. Licèt erat mærens corde, ſpiritu tamen in Deo confidebat ſemper. Tandem cum magna difficultate pervenit ad ſuam propriam cellulam, ibique Fratres invenit mærentes. Nutati enim erant de abſceſſu ejus, & dubii neſciebant quid ei eveniſſet. Ille verò ſanctus vir benignè & placido vultu ammonuit eos dicens: *Bonum eſt ſperare in Domino, quam ſperare in Principibus.* Et in alio loco Propheta ait: *In Deo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum rediget inimicos noſtros.*

X. *De ſecunda profectione ejuſdem Abbatis ad palatium Turonenſe.*

DOMINUS & Salvator noſter loquitur in Evangelio dicens: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* & iterum Dominus ait: *In mundo preſſuram habebitis: ſed confidite, quia ego vici mundum.* & Pſalmiſta in canticis ſuis ita pronuntiavit, dicens: *Multæ tribulationes juſtorum, & de omnibus his liberavit eos Dominus.* Similiter & Paulus Apoſtolus in epiſtola ſua: *Exiſtimo enim quòd non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Iterum ſanctus ac venerabilis Convvoion Abbas expetiit palatium Lodovici Imperatoris, qui in illis diebus Turonis[c] aderat; pervenitque ſupradictus vir unà cum venerabili viro, nomine CUMDELUC, ad palatium Regis. Supervenerant enim & alii nobiles viri de Britannia pro diverſis cauſis atque utilitatibus ſuis. Cúmque vellet loqui cum Imperatore, & munus ei offerre, ilico dejectus eſt à præſentia ejus, ſicut dejectus prius fuerat: reverſuſque ad hoſpitium ſuum, dixitque confratri ſuo CUMDELUC: Nondum aperuit Dominus cor Imperatoris, ut

a Id eſt Lemovicarum. Sic enim hæc civitas appellatur in Annalibus Nazarianis ad annum DCCCLXI, quos confer cum Loiſelianis. Annum quo Ludovicus Auguſtus Lemovicas acceſſit, ſignant ipſius Vita & Theganus, nimirum annum DCCCXXXII, quo anno cum ſuo *commeatu ad Jocundiacum palatium venit, in territorio Lemovico ſitum*, vulgo *Jouac*, ut habet Ludovici Vita. ſcilicet audito *quod Pippinus filius ejus aliquam commotionem patri facere volaiſſet*, ex Thegani cap. 41. Tunc enim Ludovicus exercitum in Aquitaniam duxiſſe perhibetur in ſua ipſius Vita.

b Ricovvinus Comes Pictavenſis, Rainarius Venetenſis Epiſcopus erat.

c Nempe eodem anno DCCCXXXII, quo ex Aquitania reverſus Imperator venit *ad villam, cujus vocabulum eſt Reſtis*, vulgo *Reſte*, ad Ligerim in pago Andecavenſi; *ibique Ligeris amne tranſmeato in Franciam redit*, teſtante libello de ipſius vita. quo in itinere cum Turonos devertiſſe puto.

daret

dațet aliquid nobis, quia cor Regis in manu Dei eſt. Tu verò, cariſſime Frater, feſtinanter perge ad nundinas, & vende ceram, quam adtulimus Imperatori [a]. Cúmque abiſſet ad mercatum, ſubitò inſtigante diabolo reperit eum una apodix, id eſt meretrix, & procaci vultu Sanctum Dei adſpexit, cui & dixit: Unde venis, amice cariſſime? ubi per tot annos latuiſti? indica mihi. Nonne tu es ille meus ſervus, & ego tua domina? Recordare ergo quomodo nutriti ſumus in una domo & in una familia. Frequenter namque abluit genitrix mea caput tuum, & ſæpe in uno ſtratu jacuimus. Cúmque ille Sanctus hæc verba diabolica audiſſet, ſtatim erubuit, & vultus ejus in diverſis coloribus mutatus eſt. Cùm verò vellet illa meretrix per vim trahere eum ad ſuum hoſpitium, annuente Domino, ſupervenerunt quidam Sacerdotes de Monaſterio ſancti Martini, qui eum bene antè noverant, & rapuerunt eum de manibus ejus, & cum multa indignatione objurgati ſunt illam meretricem, ne ulteriùs auderet talem rem facere in Sanctos Dei: & ita liberatus eſt vir Dei de laqueo diaboli. Et ſic reverſi ſunt Sancti Dei afflicti ad ſuum Monaſterium, nihil invenientes quod quærebant ab Imperatore. Sapientia namque ait: *Vas figuli probat fornax, & homines juſtos tentatio atque tribulatio.* & Paulus ait: *Non coronabitur, niſi qui legitimè certaverit.* «ANN. CH. DCCC LXVIII JANU. V.

XI. *De adventu* NOMINOE *ad Monaſterium, & de profectione Abbatis ad Theodonem-villam.*

CUM populus Domini graviſſimo jugo ſervitutis opprimebatur à Pharaone in Ægypto, apparuit Dominus ſancto Moyſi in rubo, affatuſque eſt eum his verbis dicens: *Videns vidi afflictionem populi mei qui eſt in Ægypto, & gemitum eorum audivi: & nunc deſcendi, ut liberem eos. Vade ergo ad Pharaonem, & loquere ei. Hæc dicit Dominus: Dimitte populum meum, ut ſacrificet mihi in deſerto.* Sed & Paulus Apoſtolus ita nos ammonet dicens: *Non eſt poteſtas niſi à Deo. quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt: & qui reſiſtit poteſtati, ordinationi Dei reſiſtit.* In diebus ergo illis cùm venerabilis vir Convvoion cum Fratribus ſuis manciparent divinis officiis, & vigiliis ac jejuniis operam darent, eo tempore venit NOMINOE Princeps Britanniæ locum ſanctum viſitare, ſicut priùs pollicitus fuerat: venitque cum optimatibus ſuis. At ubi audivit venerabilis Convvoion, ſimul cum Fratribus ſuis perrexerunt obviàm Principi, ſuſceperuntque eum honorificè deducentes cum laudibus & hymnis: gaviſuſque eſt NOMINOE illo die gaudio magno, conſolatuſque eſt ſanctos Dei viros, promiſitque ſe eis benefacturum omnibus diebus vitæ ſuæ, & commendavit ſe orationibus eorum. In illo die tradidit ſupradictus Nominoë quartam partem plebis *Bain* ſancto Salvatori & ſuis Monachis pro anima LODOVICI Imperatoris; ita tamen ut ipſe haberet mercedem donationis à Domino, præcepitque Abbati ut ſtatim pergeret ad ſupradictum Imperatorem unà cum miſſo ſuo, nomine WORVVORET [b]. Profectuſque eſt iterum venerabilis Convvoion ad Lodovicum Imperatorem, qui tunc morabatur in Teotone-villa [c] *. *Thionville

[a] Reges vacuis manibus eum adire vix licebat. Sollemnia erant hæc donatia olim Kalendis Januariis, ex Boterovio de Numiſmatibus pag. 165, aliiſque, apud Francos in Natali Domini fieri ſolita. Abſentes id præſtabant epiſtolis Regi ſeu Reginæ cum munere directis, quarum exempla duo refert Marculfus Monachus in lib. 2 formula 44 & 45. Pro eulogiis (quas vocabant) cenſebantur aurum, argentum, lapilli, vaſa, equorum phaleræ, aliaque id genus ſupellex, immo & libri, ut fidem facit in multis Paſchaſius Radbertus in epiſtola ad Carolum Calvum, quâ librum de corpore & ſanguine Domini ei offert, ſuperiùs editâ. Hic legis etiam ceram Ludovico Pio à Convoione oblatam. Sic Theodulfus in Parænesi ad Judices, varia clientium munera judicibus dari ſolita recenſens, *cereolas rotulas* memorat. Quin etiam amicis dono mittebant aurum, argentum præter alia, ut patet ex Bonifacianis epiſtolis 35, 132, & aliis.

[b] Is Nomenoii litteris ſuprà in prævis Obſervatione 3 editis ſubſcripſit anno XXI imperii Ludovici, qui annus eſt Chriſti DCCC XXXIV.

[c] Ludovicus anno regni ſui XXIII, Chriſti DCCC XXXV, Theodonis-villa duo Placita habuit, unum ineunte anno in Natali Domini, alterum poſt Paſcha, ut in ejus Vita legitur, & quidem *menſe Maio*, ut in Thegani Appendice Labbeana.

ANN CHR. DCCC LXVIII JANU. V. Eo namque tempore erat HERMOR [a] Epiſcopus, ſimul & FELIX Epiſcopus in palatio Regis. Statim autem ut audivit Hermor cauſas & neceſſitates ejus, gaviſus eſt, intimavitque Regi omnia de eo. Tunc immutavit Dominus cor Imperatoris, & locutus eſt benignè, & placuit ei quod Nominoë fecerat: & non ſolùm illum tradidit ſanctum locum ſancto viro; inſuper etiam totam plebem *Bain*, ſed & aliam plebem, nomine *Lancum*, tradidit ſancto Salvatori & ſuis Monachis in eleemoſyna ſempiterna pro anima ſua & pro incolomitate filiorum ſuorum, & pro pace totius Chriſtianitatis, quamdiu hoc præſens ſæculum duraverit. Fecitque ei præceptionem de ſancto loco Rotonenſi, & de plebibus ſupradictis, atque anulo ſuo ſignare juſſit, videntibus cunctis qui in palatio commorabantur, & mandavit hoc factum Nominoë Principi per Worvvotet Legatum ſuum ita dicens: Nemo ſit eis moleſtus in ulla re, neç audeat quiſquam eos inquietare, qui Deum quotidie poſtulant pro incolomitate Regis & filiorum ejus, & pro pace totius orbis. Reverſus eſt ergo venerabilis Convvoion ad Monaſterium ſuum, retulitque Fratribùs cuncta quæ geſſerat, & quomodo immutaverat Dominus cor Imperatoris ſuper eo in benefacto ſuo. Illi verò gratias Deo agentes, in commune Deum una voce benedixerunt, qui ſalvos facit ſperantes in ſe: atque ex illa die in fide confortati, magis ac magis in Deum proficiebant, creſcebantque cotidie in caritate Chriſti, mundum ſpernentes, Deo verò adhærentes. Chriſtus namque loquitur in Evangelio dicens: *Petite & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulſate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit; & qui quærit, invenit; & pulſanti aperietur.* Nam & in alio loco ipſe Dominus ait: *Nolite ſolliciti eſſe dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? ſcit enim Pater veſter cæleſtis quid vobis neceſſe ſit.*

XII. *De quarta profectione ſupradicti Abbatis ad Imperatorem.*

DOCTOR gentium in fide & veritate Paulus Apoſtolus alloquitur dicens: *Omnes qui piè volunt vivere in Chriſto, perſecutionem patiuntur.* & iterum: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* In tempore igitur LODOVICI Imperatoris diſcordia facta eſt inter Francos & Britones. Nam Franci volebant per vim totam Britanniam occupare, ſicut antea ſolebant facere: ſed fortiſſimus Princeps Nominoë, quantum valebat, illis contradicebat. Tunc eodem tempore tranſmiſit ſupradictus Nominoë Legatos ſuos ad eumdem Imperatorem, qui ei dicerent, utrum ex juſſione illius hæc ita eſſent. Quod audiens venerabilis Convvoion Abbas, ſimul cum eis perrexit ad palatium, vocabulo Aquis [b]. Extiterat enim quidam Comes, nomine GONFREDUS, qui ſperabat totam provinciam Venetiæ ex juſſione Imperatoris poſſidere. Audierat enim quòd Imperator dediſſet locum ſacratum Rotonenſem Convvoiono ſancto viro & ſuis Monachis in eodem loco Deo ſervientibus. Qui cœpit objurgare eos, & minas imponere eis, quia nolebat ut illi Sancti Dei locum habitarent. Stetitque venerabilis Convvoion ante Imperatorem, » deprecatuſque eſt eum dicens: Concedite, concedite loqui cum ſervulo ve» ſtro. Imperator verò nutu Dei compunctus ſtetit, & ſic ait: Loquere, Fra» ter, quantum vis. Ille ſtatim oſtendit ei præceptum quod ipſe dederat, & ſub» intulit: Non poſſumus, ô Auguſte, in loco quem dediſti famulis tuis quietè » vivere, ſed multitudo Monachorum non poſſunt illìc habitare, niſi eos am» pliùs adjuvaveris. Imperator ad hæc reſpondit: Quæ eſt petitio veſtra, aut

[a] Cujus ſedis Epiſcopus fuerit Hermor, incertum. Felix quippe hic laudatus Coriſopitenſi, Guarinus Redonenſi, Gonthardus Namnetenſi, Rainarius Venetenſi, Saloco Aletenſi, Liberalis Oximenſi, quæ tunc ſolæ erant in minori Britannia epiſcopales ſedes, eccleſiis præerant.

[b] Auctor Vitæ Ludovici Pii obſervat, Imperatorem anno DCCCXXXV, peracto apud Theodonis-villam poſt Paſcha conventu, *ad hiemandum Aquiſgrani ſe contuliſſe.* tum nonnullis interpoſitis ſubdit, *hoc tempore Brittonum impetus motos fuiſſe, ſed facilè conquieviſſe.* quæ huic loco reſpondent.

quid deſideratis ut faciam vobis? Ilico reverentiſſimus Convvoion oſtendit petitionem ſuam. Sicque factum eſt, ut quod petierat, obtineret. Illo verò die dedit Lodovicus Imperator Abbati Convvoiono plebem, quæ dicitur *Rannac*, atque aliam plebiculam, quæ vocatur *Placia*, necnon & aliam plebiculam, quæ nuncupatur *Ardon*, ſicut adjacent cunctis finibus ſuis, pro regno Dei & proſperitate imperii ſui uſque ad finem ſæculi. Sed & iſte liber finiri deſiderat; ne lectori faſtidium ſit. ANN. CHR. DCCC XXVIII JANU. 1.

INCIPIT PRÆFATIO LIBRI SECUNDI.

HACTENUS liber primus, quem de ſitu & conſtructione ſancti loci breviter perſtrinximus: nunc autem opitulante Domino noſtro JESU-CHRISTO adgrediar diſputare & ſcribere vitam & converſationem ſanctorum Monachorum, qui in eodem ſacratiſſimo loco uſque ad finem vitæ ſuæ fideliter Chriſto Domino mancipaverunt. Non enim cothurnico ſermone aut fuco dialecticæ vitam Sanctorum volo diſſerere. Maximè namque ſæculo pereunti ſancta ruſticitas, quàm docta calliditas profuit: nec philoſophos eloquentes, nec rhetores diſertiſſimos, ſed piſcatores indoctos Deus ab initio elegit, qui mundum ſuâ doctrinâ ſalvarent. quibus præcepit dicens: *Euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Non enim Maroni, aut Ciceroni, aut ſapientiſſimo Homero hæc dicta ſunt: ſed ſancto Petro piſcatori. Hæc enim, Fratres cariſſimi, propterea dixi, ne quis ſpernat ex vobis meam inſipientiam: cùm præſertim illos viros ſanctos bene noverim, qui me à pueritia nutrierunt, atque in ſcientia Dei educaverunt. Auctoris ætas. Nec debeo reticere, quæ ab eis vidi vel audivi, ad confirmandam veſtram fidem atque caritatem in Domino JESU-CHRISTO. Mos enim antiquitus fuit, ut ſiquando Imperatores vel milites eorum cum adverſariis confligerent, ſtatim litteris atque annalibus traderent, ne oblivioni traderentur. Quanto magis nunc debemus certamina ſanctorum virorum litteris tradere, qui inceſſanter die ac nocte dimicaverunt cum inviſibili hoſte? Et iſta attendentes miror quare non erubeſcimus militum Chriſti victorias ſilentio tegere, & non ad laudem Imperatoris eorum, qualiter pugnaverunt contra hoſtes inviſibiles, & eos vicerunt, potiùs ſchedulis ſtatim vilibus tradere, & ad incitandos animos bellatorum diligentiùs explicare. Et cùm iſta leguntur, memoria Sanctorum colligitur, ædificatio mentium credentibus traditur, honor Monachis exhibetur. Hinc infidelibus naſcitur timor, incredulis livor, indiſciplinatis anguſtia; in Sanctis omnibus cum Chriſto gaudentibus ſolus diabolus ingemiſcit, qui videt pugnam ſuam eò uſque armis cæleſtibus debellari, ut uſque ad mortem indeſinenter cum ipſo diabolo fortiter dimicaverunt. In tantum denique ſunt mortui, ut morituris vitam donent, languentibus præbeant medicinam; atque ipſum humani corporis inimicum de obſeſſis corporibus proferentes, in ipſo revocant tormenta quæ paſſa ſunt. Et illi quidem momentaneum perpeſſi certamen, æternam gloriam cum Deo obtinent. Sic enim ad Patrem dixiſſe legimus ipſum Dominum Salvatorem: *Pater volo, ut ubi ego ſum, & iſti ſint mecum.* Sicut enim bonus agricola terram ſuam exercet, primitus ſilvas excidit, truncos incendit: poſtea aratrum bene aptat, terram aperit, ſulcos dirigit; dehinc domum revertitur, nec multo pòſt ipſam terram planè coæquavit, deinde ſemina ex ordine jactat, ut bene creſcant, & fructum copioſum exinde capiat. Sicut Paulus ait: *Ego plantavi, Apollo rigavit, ſed Deus incrementum dedit.* Ita & nos ſimiliter in præterito libro figuraliter fecimus, certamen malorum hominum cum ſanctis viris deſcripſimus, & ædificationem ſancti loci, & inquiſitiones rerum ad eum pertinentium ſuccinctè depromſimus, teſtante Paulo Apoſtolo: *Qui parcè ſeminat, parcè & metet: & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Nunc autem veniamus ad narrationem, Argumentum libri 1: item ſecundi.

ANN. CHR. DCCC LXVIII JANU. V.

quam promiſimus; & geſta & facta virorum clariſſimorum promtè & devotè Deo annuente explicemus.

INCIPIT LIBER SECUNDUS
de vita & converſatione ſanctorum Monachorum Rotonenſium.

CAPUT I. *De cæco à domno Convvoione Abbate illuminato, nomine* GOISLENO.

DOMINUS dicit in Evangelio: *Nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant.* Et iterum ipſe Dominus ait: *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit: ſi autem nequam fuerit, totum corpus tuum tenebroſum erit.* Et Propheta proclamat mirabiliter dicens: *Filii hominum, ſcitote quia Dominus Sanctos ſuos mirificavit.* & iterum: *Mirabilis Deus in Sanctis ſuis.* Cùm ergo ſanctus ac venerabilis Convvoion Abbas virtutibus polleret divinis, & Dominus oſtendere vellet ſanctitatem ipſius in populis; accidit ea tempeſtate, ut quidam ruſticus perderet lumen oculorum ſuorum, nomine GOISLENUS, in territorio Pictavenſi, in villa quæ dicitur *Ampena*[a]; & hæc villa ditioni adjacet ſancti Filiberti Confeſſoris Chriſti. Cúmque diu ille miſer loca ſancta circuiret, & Deum omnipotentem indeſinenter imploraret, ut ei lumen quod amiſerat, largiretur; quadam nocte dum in ſtratu ſuo jaceret, apparuit ei quidam per viſum, dicens: Surge, ô homo, de ſtratu tuo, & quantocius perge ad virum Dei venerabilem Convvoion nomine, qui moratur in Monaſterio ſancto Rotonenſi, & eſt ſitum juxta fluvium Viſnoniæ; ibique recipies viſum. Statim ille expergefactus à ſomno, cœpit viam carpere unà cum parvo puerulo, qui greſſus ejus regebat. Tandem cum multo labore pervenit ad ſupradictum ſanctum locum. Ille verò ingreſſus Monaſterium, cœpit inquirere, quiſnam eſſet ille ſanctus vir, quem ei Dominus dignatus eſt per viſionem revelare, & lumen oculorum ſuorum ab eo accipere. Cùm verò ſediſſet prope oſtium Monaſterii, ecce ille Sanctus repentè adfuit diſcutere cauſas Monaſterii. Tunc ille cæcus ſtatim à ſede ſurrexit, & proſtratus ſolo ante pedes ejus jacuit dicens: Obſecro, ſancte Sacerdos atque amice Dei, miſerere mei, & præſta mihi peccatori lumen oculorum meorum, quod per multa tempora perdidi. Ad hæc verba Sanctus Dei
» diu ſilentium tenuit, atque cæco ita reſpondit: Sile, frater, ſile, non eſt hoc
» opus noſtrum, non poſſumus inluminare oculos cæcorum. Ille verò attentiùs clamabat dicens: Non diſcedam ab hoc loco, donec impleat mihi Dominus, quod per viſum dignatus eſt demonſtrare. Teſtor vobis, fratres cariſſimi, quia

Auctoris ætas.

ego eram illo tempore illius Sancti miniſter. dixitque mihi ille Sanctus: Vade quantocius, & perduc eum ad domum pauperum, & ibi hodie reficiatur. Poſt-

NOTA

quam verò reverſus fuiſſet peractâ obedientiâ ad eccleſiam ſancti Salvatoris, in qua frequenter ſolebat orationi incumbere; convocavit omnes Sacerdotes
» Monaſterii, præcepitque illis, dicens: Properare feſtinanter, & induite vos ſa-
» cris veſtibus, & offerte ſacrificium Domino Deo æterno; ſimiliter & ego fa-
» ciam. Illi verò præcepta Patris implentes, perfecerunt quod juſſerat. Cúmque
» ita impleſſent, ſtatim dixit mihi ille Sanctus: Accelera huc concham æneam
» cum aqua, in qua lavant ſancti Sacerdotes manus ſuas poſt immolationem ſa-
» crificii. Tunc ille primus manus ſuas cœpit abluere, & ceteri alii poſt eum.
» imperavitque mihi dicens: Defer hanc aquam cæco, qui ſtat in atrio Mona-
» ſterii, & præcipe ei, ut lavet oculos ſuos & faciem ſuam, & dicito illi: Se-
» cundùm fidem tuam fiat tibi. Ego verò non impiger complevi quæ juſſerat, & attuli aquam cæco. Cúmque abluiſſet oculos ſuos & faciem, ſubitò erupit

[a] De hac villa dictum eſt in ſuperiori tomo, ubi de tranſlatione S. Filiberti.

ſanguis ex ejus oculis, ſimiliter & ex naribus ſanguis profluxit, ita ut facies ejus humectata videretur cruore: & ſtatim viſum recepit, & Deum ubique laudavit, manſitque in eodem Monaſterio per tres aut quatuor dies. Poſtea verò accepta benedictione ſancti Patris lætus abſceſſit, & ad ſuam patriam incolumis pervenit. Chriſtus enim diſcipulis ſuis, necnon & cunctis Fidelibus promiſit: *Opera quæ ego facio, & ipſi facient, & majora horum facient.*

ANN. CHR. DCCC LXVIII JANU. V.

II. *De* RIOWENO *ſancto Monacho atque Presbytero, qualiter fluvium Viſnoniæ ſicco pede pertranſiit.*

PROPHETA mirabiliter pronuntiat magnalia Dei ac potentiam, dicens: *Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis.* & Dominus diſcipulis ait: *Sine me nihil poteſtis facere.* Per idem tempus erat quidam Sacerdos atque Monachus, RIWENNO nomine, vir nimiæ ſimplicitatis, qui à cunctis nimio cultu diligebatur propter ſimplicitatem & puritatem vitæ ſuæ. Quadam verò die ſecundùm morem exierunt quidam de Fratribus unà cum venerabili Preſbytero ad obedientiam fœnum ſiccare ultra fluvium Viſnoniæ, tranſmeaveruntque amnem cum parva navicula, fueruntque ibi uſque ad medium ferè diem. Cùmque ſol in altum conſcenderet, & fervor nimius eos decoqueret; dixit præfatus Preſbyter ad collegas ſuos: Fratres, ſi vobis placet, date mihi licentiam, ut revertar ad Monaſterium, quia hodie non obtuli ſacrificium Deo: & poſtquam complevero, iterum veniam ad vos. Tunc ſancti Fratres dixerunt: Vade, ſit Dominus tecum, & intercede pro nobis Dominum Deum noſtrum. Acceptâ verò licentiâ voluit remeare ad ſanctum Dei locum. Denique cùm naviculam inquireret, ut fluvium tranſire poſſet; huc illucque juxta ripam fluminis cœpit deambulare, putans quòd cimbam reperire poſſit: ſed ſuper undas amnis pedibus ſiccis ambulavit. Æſtimabat enim vir ſanctus, quòd per humum ſiccam graderetur: & ita uſque ad alteram ripam ſicco pede pertranſiit. Res mira, & valde ſtupenda, & poſt Petrum Apoſtolum inuſitata [a]. Qui mox ut terram tetigit ad ſe reverſus, poſt terga reſpexit, & quia ſuper aquas ambulaſſet, agnovit. Ecce quantum Deus præſtat fidelibus ſuis! Ecce qualibus eoſdem laudibus Chriſtus Dominus fidelium inſpector honorat! Nam & ipſe ſanctus Preſbyter poſtea ſollicitè vitam duxit, bene dixit, & magis ac magis Deo ſtuduit ſervire. Poſt multos verò annos venerabilis vir corripitur à febre, & ſic demum animam ſuam Deo creatori commendavit, & decimo-nono Kalend. Septembr. Confeſſor obiit in pace, ſepultuſque eſt in cimiterio Fratrum ſuorum ſub ſpe reſurrectionis, exſpectans remunerari mercedem ſuam à Domino noſtro JESU-CHRISTO. Amen.

III. *De* CONDELUC *Monacho atque hortulano.*

MEDIATOR Dei & hominum CHRISTUS JESUS diſcipulos ſuos alloquitur dicens: *Amen dico vobis, quia ſi quis dixerit huic monti: Tollere, & mittere in mare; & non haſitaverit in corde ſuo, ſed crediderit quodcumque dixerit fiat, fiet ei.* Et alio loco idem Dominus ait: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* In tempore ergo illo erat quidam Monachus hortulanus, CONDELUC nomine, in eodem loco, vir ſimplex & rectus, atque omnibus bonis operibus adornatus. Conſuetudo namque erat illi cotidie ſanctam hoſtiam Deo offerre. Nam ab ineunte ætate uſque ad extremum vitæ ſuæ in caſtitate perduravit; fluminaque lacrymarum ex oculis illius frequenter manare conſueverant: & quicquid illi dicebatur, ſive certum,

[a] Verba Gregorii hæc ſunt ex lib. 2 Dialogorum cap. 7 de conſimili miraculo in S. Mauri perſona patrato. quæ verba huc ſimpliciter tranſfert Auctor, Mauri factum utique non ignorans.

ANN. CHR. DCCCLXVIII. JANU. V. ſive incertum, omnibus credebat, ſicut Salomon in Proverbiis ait: *Innocens omni verbo credit.* Cumque idem vir ſanctus virtutibus polleret, data eſt ei à ſancto Patre Monaſterii cura horti. Tunc ille certatim cœpit propriis manibus operari, & hortum ſuum bene excolere, perduxitque uſque ad ſummum; & quicquid in horto deerat, quotidie implebat. Accidit verò ut quidam vermes, qui vulgo erucæ dicuntur, cuncta olera horti invaderent, & pæne ad nihilum deducerent. Ille verò contriſtatus cum fletu & ejulatu reſpexit in cælum, & ſic Deum benedicens, converſus ad erucas ait: Ego non poſſum vos de horto ſervorum Dei ejicere, quia nec vires habeo nec multitudinem hominum: tamen præcipio vobis in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, ut hic ampliùs ne remaneatis; ſed quantocius ab hinc recedite. Ad hanc vocem ſtatim curſu vermes velociſſimo totum hortum reliquerunt. Quod cernens vir Dei, in terram corruit, & Cunctipotentem corde & animo laudavit. Nam & in hoc facto non defuit miſericordia Domini noſtri JESU-CHRISTI, qui famulos ſuos in cuncta quæ agunt, miſericorditer fovet. Vixitque poſtea per plures annos in ſumma ſanctitate perſeverans: revelatuſque eſt ei à Domino dies vocationis ſuæ ex hoc ſæculo. dixitque Fratribus ſuis: In hoc cognoſcatis, quia ad cælorum regna ducor, ſi die Dominico ex hoc mundo migravero, quia in die Dominico natus fui in mundo, & die Dominico baptizatus, necnon & gradum ſacerdotii in die Dominica ſuſcepi. Quod ita evenit, ſicut ille Sanctus prædixerat, id eſt in die Dominica VIII Id. Novemb. in pace quievit, ubi nunc exſultat cum Angelis, lætatur cum Archangelis, lætus exſpectat diem reſurrectionis. Amen.

IIII. De CONHOEARNO *ſancto Monacho*, & FIDUUETENO, *qui paralyticum ſanaverunt.*

DOMINUS JESUS-CHRISTUS diſcipulos ſuos hortatur dicens: *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem ſicut dilexi vos.* In eodem igitur Monaſterio erant duo ſanctiſſimi Fratres, quorum unus vocabatur CONHOIARN, & alius FIDUUETEN: qui ita in amore fraternitatis erant conjuncti, ut pæne ullo tempore nullus poterat eos ſeparare à divino opere. Exſtitit enim quadam die, ut hi duo ſancti Fratres ſimul pergerent ad domum peregrinorum, ut pedes pauperum abluerent: eratque inter eos quidam pauper paralyticus, qui nullo modo valebat greſſum movere. Cumque ita ſancti viri cognoviſſent, cœperunt Deum omnipotentem pro incolomitate illius deprecari. Ubi verò cœperunt pedes ejus abluere, ſtatim paralyticus curatus eſt, & de ſe excutiens, per totam domum cœpit huc illucque diſcurrere. Mirati omnes qui illuc aderant, cernentes mirabilia Domini noſtri JESU-CHRISTI fieri per famulos ſuos. Tunc intuentes ſancti Dei quod factum fuerat, egerunt Deo gratias cum laudibus & hymnis, & reverſi ſunt ad propriam cellam, conteſtantes paralytico, ne alicui hoc quod factum in eo fuerat, divulgaret. Ipſe verò ſanctus Dei Conhoiarn erat angelico vultu decoratus, affabilis, atque jocundus, plenus omni fervore caritatis. Et quoties ſe ad orationis ſtudium convertiſſet, ilico flumina lacrymarum de obtutibus ejus profluebant. Et hoc tamdiu inſtanter fecit, uſquequo apparuit ei quidam juvenis in viſione noctis, qui dixit ei: Propterea miſit me Deus, ut adnuntiem tibi, quia pro aſſiduitate lacrymarum tuarum ſedem perpetuam percepiſti, ſimiliter & remiſſionem omnium peccatorum. Nec multo pòſt tempore ille ſanctus Dei corripitur à febre, & per multos dies corporaliter maceratus eſt, & ſic animam ſanctam Deo creatori octavo Kal. Februar. direxit. ibique nunc inter ſanctos & electos viros locatus, deliciis paradiſi ſine fine perfruitur, exſpectans & ipſe cum ceteris ſanctis reſurrectionem corporis. Nam qualis eſſet, qualiſve tantus vir ille fuerit, Dominus omnipotens poſt

obitum illius in hoc mundo revelare dignatus eſt. Erat enim in eodem Monaſterio quidam juvenis totus infirmus atque inbecillis, ANOVORET [a] nomine, qui ob infirmitatem atque inbecillitatem à cunctis Infirmus Monaſterii vocitabatur. Accidit verò, ut quadam die poſt veſperum, id eſt poſt ſolis occaſum, pergeret ad puteum, ut ex eo caperet potum. Tolerabat enim ille juvenis omni tempore moleſtiam ſitis, quia totus hydropicus erat: hydropicus verò in quantum bibit, plus ſitit. ὕδωρ enim Græcè, Latinè aqua dicitur. Unde & ipſa moleſtia Græca appellatione nuncupatur. Eſt enim humor ſubcutaneus de vitio veſicæ cum anhelitu fœtido. Igitur cùm ille juvenis conaretur aquam è puteo haurire, repentè ille Sanctus ei in veſte candida apparuit, vaſculumque aureum in manu geſtans, ſtetit prope puteum. Ille verò juvenis continuò ut vidit, intremuit; dixitque ei ſanctus vir: Scis quis ſim ego? Ille verò reſpondens ait: Neſcio, domine mi: ſed ut puto, Angelus Dei es de cælo miſſus. Ad hæc verba vir Dei reſpondens ait: Ego ſum CONHOIARN Monachus, qui nuper ex ſæculo hoc migravi, & nunc cum Domino & Sanctis ejus perenniter in cæleſtibus regnis gaudeo; ſed ut rectè ſcias, quia ego ſum qui loquor tecum, ecce ex hac hora ſanus atque incolomis omni tempore vitæ tuæ eris, & nullam moleſtiam in corpore tuo ſenties. Tu verò vade; & adnuntia ubique virtutem Domini noſtri JESU-CHRISTI, & iterum atque iterum te admoneo, ut fidelis & amicus ſis omnibus diebus vitæ tuæ iſti ſancto loco. Et hæc dicens evanuit ex oculis ejus. Poſtea ille juvenis ſanus factus eſt; & quod viderat & audierat, & quomodo ſanatus fuerat, ubique divulgavit. Videte, Fratres cariſſimi, quomodo vel qualiter Dominus Sanctos ſuos in cælo & in terra ubique mirificat. Nam poſt mortem terrenam plus eos glorificat, & fovet, ac diligit, adteſtante Propheta David: *Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hereditas Domini.* Nam & Moïſi olim de rubo dictum eſt: *Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob.* & poſtea ſubinfertur: *Non eſt Deus mortuorum, ſed vivorum:* omnes enim vivunt ei. Et Paulus Apoſtolus ita adfirmat: *Sive vivimus, ſive morimur, Domini ſumus.* Ipſi enim ſumus, cui & ſervimus, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

V. *De* FITWETENO *Monacho & Presbytero.*

JOANNES Apoſtolus in epiſtola ſua loquitur dicens: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt caritas Patris in eo.* In ſuperiori namque libello mentionem iſtius ſancti FIDWETENI fecimus, quomodo vel qualiter converſatus ſit cum ſancto GERFREDO Eremita in extremis partibus Britanniæ. Nunc autem redeamus ad narrationem, qualiter ille Sanctus conjunctus ſit cum ceteris Fratribus, qui in eodem ſancto loco monachicam vitam optimè perduxere. Poſt exceſſum beatiſſimi Gerfredi Monachi de Britannia, iſte ſanctus Dei Fidweten diſpoſuit in corde ſuo patriam, in qua altus fuerat, pro Dei amore contemnere, & peregrinam vitam ducere. Adiitque NOMINOIUM Britanniæ Principem, & poſtulavit ab eo licentiam, ut peregrina peteret. Audierat namque ipſe Chriſtum in Evangelio dicentem: *Si quis dimiſerit domum, aut agros, aut parentes, aut amicos propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam poſſidebit æternam.* Quod audiens Nominoë valde contriſtatus eſt de exceſſu tanti viri. Diligebat denique eum Nominoë propter honeſtatem vitæ ſuæ, dixitque ei: Si tibi placet, vade ad venerabilem virum, nomine Conwoion, qui & ipſe ædificavit nuper Monaſterium in loco, qui dicitur Roton, habitatque ibi cum ceteris optimis viris: & ſi tibi placuerit ut cum eis habites, ex noſtra licentia & cum Dei be-

[a] Is alius videtur ab Anovvareth itidem Brittone, de quo in libro de miraculis ſancti Mauri, ſuprà.

ANN. CHR. DCCC XXVIII. JANU. V.

Ann. Chr. DCCCLXVIII. Januv.

nedictione fac quod tibi placuerit. tantùm obſecro, ut de noſtra patria non diſcedas. Honoravitque eum honore congruo. Sic ſanctus vir à Principe dimiſſus, ſanctum Dei locum petiit, invenitque virum venerabilem Conwoion cum ſuis Fratribus. qui ſuſceptus eſt ab eo cum magna caritate fraternitatis. Tunc manſit in eodem loco cum Fratribus per plurimos dies, in ſumma abſtinentia & pietate degens. Sed & multi ex Monachis videntes abſtinentiam ejus & caritatem, cœperunt vitam illius ex toto corde imitari, & ei ſe adjungere & conſilium & monitionem ab eo percipere. omneſque eum à minimo uſque ad maximum diligebant. Nam & à Patre Monaſterii nimio affectu diligebatur. Cúmque ille ſanctus vir vellet Monaſterium deſerere, & peregrinam vitam (ſicut priùs propoſuerat) ducere, omnes Monachi cum Abbate obſtiterunt ei, dicentes: Ne quæſumus dimittas nos, ſed mane nobiſcum omnibus diebus vitæ tuæ, ut per imitationem tui in melius confortati, vitam æternam adipiſci mereamur. His ille auditis præ gaudio cœpit flere; & quia nolebat eos contriſtare, cum eis manſit omnibus diebus vitæ ſuæ; atque ex illo die & corpore & animo cum eis conjunctus eſt. Quadam verò die cùm ad opus divinum in ſcamnis ſederent Fratres, vidit diabolum in ſpecie pueriliſ ſecus pedes cujuſdam Fratris, nomine ORBERTI. quod poſtea probavit eventus. Nam nec multo pòſt tempore ipſe inſanus Frater à Monaſterio eſt egreſſus; & vitam angelicam parvi pendens; quod coram Deo & Angelis ejus voverat, pro nihilo ducens, ad ſæculum eſt reverſus, præda dæmonum factus; &, ſicut equus indomitus, ſine gubernatore totus fertur in præceps ſæculum diligens. Tamen audivimus eum nunc ad Deum converſum, & religioſè ac perfectè vitam ducere cum ſanctis Monachis, qui in civitate Papiæ * habitant in Monaſterio S. Petri quod vocatur Cælum-aureum [a], ibi peregrè deflens quicquid in vita ſua deliquerat. Nam pius Dominus dixit: *Nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat.* & iterum: *In quacumque die converſus fuerit impius ab impietate ſua, vitâ vivet. omnes impietates ejus non recordabor ampliùs, ſed vitâ vivet.* Quale verò meritum ille ſanctus vir habuerit cum Deo, in memetipſo bene expertus ſum. Denique cùm eſſem juvenculus in Monaſterio poſitus, prægravatus fui maximo dolore dentium, ita ut facies mea & totum caput intumeſcerent, nec ſomnum nec cibum capere valebam. Cúmque ita eſſem, cœpi ad eum feſtinare, & orationem ab eo petere: ſtatimque ut manus ejus maxillas meas tetigerunt, omnis dolor evanuit, nec ulteriùs auxiliante Domino malum ſenſi, quod prius graviſſimè patiebar. Vixit autem ſanctus vir in eodem loco per plures annos. Poſtea verò tactus eſt ulcere cancri in partibus inferioribus, & per multos dies jacuit in lecto, gratias agens Deo, qui dignatus eſt eum viſitare, Salomone adteſtante: *Quem diligit Dominus, corripit: flagellat autem omnem filium quem recipit.* ſtudebat enim in dolore ſemper gratias agere hymnis Deo, & laudibus diebus ac noctibus vacare. Sed cùm jam eſſet tempus, ut tanta patientia ejus remunerari debuiſſet; membrorum dolor ad vitalia tetendit. Cúmque ſe jam morti proximum agnovit, Fratres ſuos vocat, atque eis vale dicens, ſancta illa anima tertio Idus Decembris carne ſoluta eſt, perenniter cum Chriſto regnans per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

* Pavie

a Auctoris ætas.

VI. *De* DOETHENO *Scriptore.*

IN divinis Scripturis legitur: *Quod egreſſum eſt de labiis tuis, ne moram facias Deo reddere. Melius eſt enim non vovere, quàm poſt votum non reddere.* Et ſanctus Petrus Apoſtolus ita terribiliter admonet, dicens: *Melius erat illis viam non cognoſcere juſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum converti ab eo quod*

a De hujus Cœnobii origine dictum eſt in Sæculo 3 ad annum DCCXXII, ubi de tranſlatione S. Auguſtini Epiſcopi Hipponenſis.

illis

illis traditum eſt ſancto mandato. Et alibi: *Canis revertitur ad vomitum ſuum, & ſus lota in volutabro luti.* Propterea, cariſſimi, hæc expoſui, quia in eodem ſancto loco exſtitit quidam ſcriptor, DOETHGEN nomine, qui ita vivebat foris, ſicut unus ex Canonicis: ſed tamen jam devoverat ſtabilitatem ſuam & converſionem morum ſuorum in eodem Monaſterio. Sed antiquus hoſtis, qui ſemper inſidiatur humano generi, inmiſit ei tales cogitationes, ut locum ſanctum deſereret, & promiſſiones ſuas irritaret, & mundum cum ſuo deſiderio quæreret. Cúmque hæc talis cogitatio in corde illius verſaretur, diem aptum conſtituit, ut impleret quod diabolus ſuadebat. Nuntiata ſunt hæc omnia ſancto Patri Monaſterii. quod ille audiens pro eo orationem ad Dominum fudit. Cúmque ab oratione ſurrexiſſet, ilico ille ſcriptor paralyticus factus eſt, nec valuit ullo modo per ſe ipſum movere: ſed manus & pedes illius ita erant ligati, ut non poſſet exire, etiamſi voluiſſet. Poſt hæc ad ſe reverſus ait: Ducite me inter manus ad eccleſiam ſancti Salvatoris, & ibi confitebor coram Domino & Sanctis ejus, quia numquam ab hodierna die uſque ad terminum vitæ meæ ab iſto ſancto loco diſcedam. Quod cùm ita voviſſet, cernentibus cunctis qui in eadem eccleſia erant, ex juſſione Dei iterum reſtitutus eſt priſtinæ ſanitati, ita ut per pedes ſuos ad hoſpitium properaret. Nec multò poſt idem venerabilis ſcriptor Monachus [a] effectus eſt, & cum ceteris Monachis bene & perfectè vitam duxit, & uſque ad finem vitæ ſuæ cum eis perduravit, obiitque quinto-decimo Kal. Octobr. confeſſor in pace. ANN. CHR. DCCC LXVIII. JANU. V.

VII. *De dormitorio Fratrum quomodo ſuper omnes cecidit, & nulli nocuit.*

DUM quadam die ſancti Fratres dormitorium ædificarent, & trabes & laquearia deſuper componerent, ſed & multitudo populi intus & foris detinebantur; repentè ceciderunt omnes ligaturæ trabium & laquearium in medio populi: factuſque eſt ſonitus magnus & perturbatio non modica, & timor magnus irruit ſuper Monachos qui illic aderant. Putabant enim ſancti viri, quòd multitudo populi corruiſſet, & præſentem vitam finiſſet: ſed tamen auxiliante Domino nullus eorum periculum paſſus eſt; ſed toti ſani atque incolumes evaſerunt. Propheta namque ait: *Mirabilia opera tua, Domine, & anima mea novit valde.* Ipſe denique ſalvat omnes homines, & neminem vult perire.

VIII. *De* TETHVVIO *ſancto Monacho.*

HUJUS ſancti viri in ſuperiori libello [b] mentionem fecimus, quomodo ad ſanctam converſationem venerit cum ceteris ſanctis Monachis. Nunc autem intimare aliquid volumus, quomodo ille ſanctus converſatus eſt, vel qualiter ex hoc mundo ad Dominum migraverit, quia ibi tunc præſentes aderamus. Sanctus igitur TETHVVIUS poſtquam ad Monaſterium venit, mundum cum ſua fallacia radicitus toto ſpiritu & totâ animâ reſpuit. Pſalmodia verò ab ejus ore nullo pacto recedebat, ſed quando aut ſomnum, aut cibum ſuo corpori indulſiſſet. Nam & dæmones frequenter ei illudere cupiebant: ſed ille ſanctus vir ſignaculo ſanctæ crucis & oratione pro nihilo ducebat illuſiones eorum. Erat quippe ſummæ abſtinentiæ præditus; ita ut aliqui ex Fratribus zelo ducti mirarentur parſimoniam ejus. Accidit namque eo tempore, ut mitteretur ad obedientiam à ſancto Patre Monaſterii. Dederat enim quidam potens vir, nomine RONVVALLON, domum ſuam ex tabolis li-

[a] Non ergo antè Monachus erat, tametſi *devoverat ſtabilitatem & converſionem morum ſuorum in eo Monaſterio*, voto ſcilicet privato, non ſollemni.

[b] Tethvii memoria deeſt in primo libro, cujus caput primum & pars ſecundi deſiderantur.

Anno Chriſti DCCC LXVIII Januar. gncis fabricatam pro anima ſua ſanctis Monachis: & idcirco tranſmiſſus fuit ſupradictus Monachus ut eam colligeret, & cum plauſtris ac bobus ad Monaſterium deferret. Cùm ita impleviſſet, venit cum ædificiis & plauſtris prope Monaſterium. At ubi de cacumine montis deſcenderunt, qui Monaſterio eminet, unum è plauſtris concito curſu pertranſiit, & unum è famulis, nomine JOUCUM, contrivit; ita ut coxæ illius & brachia minutatim eſſe viderentur. Cúmque vir Dei hæc vidiſſet, obſtupuit, nihil aliud ſperans, niſi interitum ſui famuli. Cœpit ergo obnixè Deum obſecrare pro ſalute illius. Cúmque ita Deum deprecaretur, ille famulus feſtinanter à loco, in quo jacuerat, ſanus atque incolomis ſurrexit, viam carpens, & boves & plauſtrum uſque ad Monaſterium rexit. Nam & in hoc facto miſericordia Domini non defuit famulo ſuo, qui eum die ac nocte ſemper atque indeſinenter deprecabatur, ut Propheta ait: *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo.* Nam poſtea ille vir ſanctus in hoc ſæculo diutius manſit, & ſic tandem à Domino flagellatus eſt, ut probaretur manſuetudo illius & longanimitas, dicente Scriptura: *Quis enim filius quem non corripit pater?* &, *Flagellat omnem filium quem recipit.* Perduravitque in eodem flagello mutus & paralyticus per quinque ferme annos. Cúmque vellet Dominus ceſſare à ſuo flagello, juſſit eum tranſire ex hoc ſæculo, id eſt tertio Idus Januarias ſarcinam carnis ejecit, & ad Chriſtum lætus ſine fine pervénit perfectè. Cúmque poſita fuiſſet ſancta gleba illius ſuper feretrum, nos Monachi eam levantes, atque deducentes ad eccleſiam ſancti Salvatoris; tanto odore ibi repleti ſumus, acſi in medio paradiſi locati fuiſſemus: quia ſic tam dulcis erat & amœniſſimus, ut putares omnia mellea odoramenta ibi ſparſa eſſe in congeriem. Tunc enim demonſtrabat Dominus, quantus qualiſve vir ille fuerit in vita præſenti, quia poſt mortem illius tam digna de eo fragrantia emanabat, Scriptura atteſtante quæ ait: *Dies mortis dies nativitatis.* Et Dominus in Evangelio ait: *Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, vivet; & omnis qui vivit & credit in me, non morietur in æternum.*

VIIII. *De adventu corporis ſancti* HYPOTEMII *Epiſcopi ad Rotonenſe Monaſterium.*

PER idem tempus cœpit venerabilis Convvoion cum Fratribus ſuis cogitare, qualiter invenire poſſent corpus alicujus Sancti, qui intercederet pro eis ad Dominum JESUM-CHRISTUM, eſſetque eis patronus ac defenſor, tam in hoc ſæculo, quàm in futuro. Itaque dum hæc cogitarent, & Dominum aſſiduè poſtularent pro hac re; exſtitit, ut ipſe ſanctus vir pergeret ad Andegavam civitatem unà cum duobus Monachis HELDEMARO & LOUHEMELO, habueruntque hoſpitium infra civitatem in domo cujuſdam religioſi viri, nomine HELDEVVALDI; ſciſcitatuſque eſt eos, quid quærerent, vel quid facere vellent. Illi verò reſpondentes dixerunt: Hæc erat voluntas noſtra, ſi Deus permiſiſſet, unum de ſanctis corporibus, quæ in hac civitate requieſcunt, nobiſcum auferre, & ad Monaſterium noſtrum nuper ædificatum deducere. Ille verò hæc audiens, magno gaudio repletus eſt: & propiùs accedens, ſecretè eos alloquitur. Audite, fratres cariſſimi, meum conſilium, & facite quæ dico. Ecce in hac civitate requieſcit ſanctiſſimus HYPOTEMIUS [a] Epiſcopus, vir incomparabilis: & multas virtutes & miracula per eum operatur Dominus. Nam in præteritis annis voluerunt quidam Monachi de Francia deportare eum ſecum furto per noctem: ſed non potuerunt eum movere. Vobis enim, cariſſimi, decet ut ad eum adpropietis:

[a] APOTEMIUS vocatur in mſ. indice Carnutenſium Epiſcoporum ab annis ſeptingentis conſummato in membranaceo codice Vindocinenſi, in quo poſt Defenſorem primum Carnutenſium Epiſcoporum recenſetur Apotemius. De eo iterum infrà initio libri tertii.

& ſi ipſe Sanctus voluerit ut vobiſcum eat, in poteſtate Dei omnipotentis manet. Nunc ergo manete hic hodie & cras: poſt tertium verò diem cum Dei adjutorio accedite ad eccleſiam Sancti, & ibi accipite hoſpitium, & manete illic, uſquedum nox atra terram fuſcaverit: & ſic ſurgite & properate feſtinanter, nullam moram facientes; & aperite ſepulcrum ſine ſonitu vel ſtrepitu, ne cuſtodes hoc ſentiant qui eccleſiam cuſtodiunt. Magnus enim ibi eſt concurſus populorum, & frequens ambulatio Fidelium fit cotidie ad ſepulcrum ſancti Epiſcopi: propterea vos admoneo, ut quietè & ſilenter hæc omnia agatis. Illi autem hæc audientes, gratias Deo omnipotenti retulerunt, & quidquid ille religioſus dixerat, cum voluntate Dei impleverunt, manſeruntque eum eo per tres dies. Quarto autem die ſurrexerunt & ad tumulum Sancti acceſſerunt, præparaveruntque machinas, unde aperire poſſent oſtium ſepulcri: quia lapis in quo Sanctus jacebat, magnus erat & immobilis, & vix moveri præ magnitudine poterat. Tunc acceſſerunt Monachi ad tumulum Sancti cum laudibus & hymnis, & cœperunt Deum cum ſilentio deprecari, ut dignaretur eis adeſſe in adjutorium. Cúmque manus ad tumulum injeciſſent, cum ſumma levitate cooperculum ſepulcri amoverunt; atque ita cum gratia Domini ſanctiſſimum corpus ſecum adduxerunt, pertranſieruntque civitatem, nullum interrogantes, neque ab ullo interrogati; & cum proſperitate & gaudio ad patriam ſuam ſunt reverſi. Nuntiaveruntque hæc omnia Fratribus ſuis, qui in Monaſterio erant; mandaveruntque, ut venirent obviàm Sancto Dei, qui tunc erat in eccleſia, quæ dicitur *Langon*. Sed & hæc fama pæne per totam provinciam cucurrit, & omnes occurrerunt, tam nobiles, quàm ignobiles, viri & feminæ, obviàm ei: factuſque eſt magnus numerus populorum undique venientium. Sicque deportatum eſt ſacrum corpus in Monaſterio cum magno pſallentio. Ea verò die accidit, ut quædam femina deferret filium parvulum, qui ita cæcus erat ut nihil videret. Cúmque feretrum ſancti viri tetigiſſet, ſtatim lumen recepit; & cunctis qui obſequio ſancti deſerviebant, hoc patefecit: locatumque eſt ſanctum corpus in eccleſia Sancti Salvatoris ad orientalem plagam, ubi nunc adoratur à populo, magniſque ſe virtutibus demonſtrat. Nam febritici ſæpius ad tumulum illius venientes ſani atque incolumes recedunt; & quiſquis infirmus fide plenus ad ſepulcrum illius venerit, gaudens & lætus ad propria remeat. Hæc omnia JESUS-CHRISTUS Dominus noſter per famulum ſuum operatur, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Ann. Chr. DCCCLXVIII. Janu. v.

X. *De profectione ſancti* CONWOIONIS *Abbatis ex juſſione* NOMINOE *Principis ad urbem Romam; & de adventu corporis ſancti* MARCELLINI *Papæ ad Britanniam.*

IN tempore autem NOMINOE Principis Britanniæ ſurrexit quædam hæreſis quæ appellatur Simoniaca per totam Britanniam, fœdavitque omnem Eccleſiam, ita ut à minimo uſque ad maximum omnes avaritiam ſectarentur. Hujus verò hæreſis fautor maximè SUSANNUS Venetenſis Epiſcopus exſtitit. Nam nullus Preſbyter aut Diaconus poterat manûs impoſitionem ab Epiſcopis ſine pretio accipere; nec cogitabant Pontifices, quomodo, vel qualiter hæc hæreſis in primordio Eccleſiæ à ſancto Petro Apoſtolo radicitus fuerat evulſa. Legitur namque in Actibus Apoſtolorum, qualiter accipiebant homines juſti donum Spiritus-ſancti per impoſitionem manûs Apoſtolorum, ita ut loquerentur linguis & prophetarent. Quod cernens Simon magus atque impius venit ad Apoſtolos, & rogavit eos, ut acciperent ab eo pretium, & darent illi illam gratiam, ſicuti aliis præſtabant. Tunc reſpondens Petrus, ait illi: *Pecunia tua tecum ſit in perditione. Non eſt tibi pars neque hereditas in ſer-*

Simonia in Britannia, grande malum.

ANN. CHR. DCCC LXVIII JANU. V.

mone iſto. Tunc ille confuſus abſceſſit, non inveniens quod iniquè quærebat. Sed & Dominus in Evangelio ait: *Gratìs accepiſtis, gratis date*. Et alio tempore quando Dominus venit in templo orare, invenit in templo vendentes boves, & oves, & columbas, & nummularios ſedentes: & depulit negotiatores injuſtos, & foras omnes ſimul cum his qui negotiabantur, ejecit. Et his qui vendebant columbas, dixit: *Auferte iſta hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis*. Vendunt enim columbas, qui acceptam Spiritûs gratiam, non gratis, ut præceptum eſt à Domino, ſed ad præmium dant: qui impoſitionem manûs, qua Spiritus accipitur, ad quæſtum pecuniæ & ad vulgi favorem tribuunt: qui ſacros Ordines, non ad vitæ meritum, ſed ad gratiam largiuntur, ſua quærentes, non quæ JESU-CHRISTI. Nam & ſancti Patres, qui in Nicæno Concilio fuerunt CCC & XVIII, cum auctoritate ſancti Silveſtri Papæ hoc decreverunt, atque judicaverunt. Et qui in Africano » Concilio fuerunt, ſimili ſententia iſtam hæreſin damnaverunt dicentes: Si » quis Epiſcopus, Preſbyter, aut Diaconus, per pecunias fuerit ordinatus, irri» ta fiat ordinatio ejus, & à ſacro miniſterio dejiciatur, & ipſe & ordinator ejus » ſimili ſententia damnentur, & ad gradum eccleſiaſticum nullatenus adſcen» dant. Sed & ceteri ſancti Patres qui in Concilio Calchedonenſi fuerunt, ita dixerunt. Nam & in veteri Teſtamento Moyſi à Domino præcipitur: Si quis humanum ſanguinem fuderit, ab altari meo evelles eum, ne offerat panes Domino. Tali ſententia à ſanctis Patribus condemnatus eſt, qui pretium dederit aut acceperit pro ſacro Ordine.

A Convoione impugnata.

Igitur, ſicut ſuperiùs diximus, cùm Britannia iſtâ hæreſi malè pullularet, pervenit ad notitiam ſancti Conwoionis Abbatis, qualiter Epiſcopi nequiter agerent; cœpitque proinde ſacros canones ſæpius lectitare: & eorum errorem volens deſtruere, pervenit ad aulam Principis prædicti, locutuſque eſt ad eum » ſecretè, dicens: Ignoras, nec intelligis, quomodo patria tua ſubverſa eſt ab » impiis Epiſcopis, & hæreticis qui ſacros Ordines pretio vendunt & tribuunt? » Et hoc dico tibi, ſi non citò iſta hæreſis radicitus à Britannia evellatur, ira » Dei omnipotentis & omnium Sanctorum ejus veniet ſuper te & ſuper popu» lum tuum. Hæc ille audiens in ira & indignatione magna ſurrexit. Nam & ipſe NOMINOE zelum Dei habebat, ſed non ſecundùm ſcientiam: juſſitque deinceps convocare omnes Epiſcopos Provinciæ, & Doctores, & Legiſperitos ad Concilium ſuum: rogavitque eos, ut legerent & exponerent canones Apoſtolorum & omnes canones ſanctorum Patrum in conſpectu omnium qui in illo Concilio erant. Interrogatique ſunt Epiſcopi à Legiſperitis & à Doctoribus Nominoë Principis, quare acciperent dona & munera pro ſacris Or» dinibus. Tunc illi Epiſcopi reſponderunt: Nos nec dona, nec munera à Pre» ſbyteris noſtris accipimus: ſed honorem congruum ac debitum ab eis accepi» mus & accipiemus. Et, ſicut ſuperiùs diximus, SUSANNUS Epiſcopus in illa Synodo atrociùs contradicebat ſanctis canonibus.

Romam mittitur Convoion cum duobus Epiſcopis.

His ita contradicentibus atque litigantibus, judicatum eſt illis, ut pergerent duo ex eis ad urbem Romam, quæ caput eſt omnium Eccleſiarum quæ ſub univerſo cælo ſunt; ibique ante Vicarium [a] ſancti Petri, id eſt Romanum Pontificem, cauſas & rationes eorum excuterent: & ſi nequiter feciſſent, ibi à ſancto Romano Pontifice judicarentur. Elegerunt itaque Epiſcopi duo ex eis qui Romam pergerent, id eſt SUSANNUM Epiſcopum Venetenſem, & alium Epiſcopum, nomine FELICEM, Coriſopiti. Tunc rogavit præfatus Nominoë venerabilem virum Conwoion, ut proficiſceretur cum illis, ut audiret & diſcuteret cauſas & rationes eorum, id eſt Epiſcoporum.

Coronam auream Leoni P. defert.

Eodem tempore transmiſit Nominoë Princeps coronam auream cum gemmis pretioſiſſimis donum beato Petro Apoſtolo per virum venerabilem Con-

[a] Sic infrà Marcellinus dicitur Vicarius S. Petri. Lege adnotata ad librum de miraculis S. Adalhardi in hujus Sæculi parte. 1.

Ann. Chr. DCCC. LXVIII Janu. v.

woion, imperavitque ei, ut peteret à beato LEONE Papa unum ex ſanctis corporibus Martyrum, qui Romanam Eccleſiam poſt beatum Petrum Apoſtolum rexerant. Perrexerunt igitur Epiſcopi unà cum beato Abbate Romam viam valde longam, perveneruntque cum multo labore feſſi ad urbem; receptique ſunt honorificè à ſancto Romano Præſule. Tunc tradidit venerabilis vir Convvoion coronam auream beato Leoni Pontifici, dixitque ei petitionem Principis Nominoë. Congregavit igitur beatus Papa Leo Synodum Epiſcoporum in urbe Roma, ibique diſcuſſit cauſas Epiſcoporum, audiente viro venerabili Convvoione. Objurgatique ſunt ab Epiſcopis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quomodo præſumſiſſent dona & munera pro ſacris Ordinibus accipere. Illi è contra reſponderunt: Etſi recepimus, ignoranter fecimus. Tunc ARSENIUS Archiepiſcopus dixit: Nullus Sacerdos debet ignorans eſſe. hæc excuſatio non eſt ſatisfactio. Sanctus Papa Leo reſpondit: Auctoritas ſancti Evangelii excipienda eſt. ipſe namque Dominus ait: *Si ſal evanuerit, in quo condietur?* id eſt, ſi Epiſcopus erraverit, à quo emendabitur? Sed & ſancti canones hoc judicant: Si quis Epiſcopus, Preſbyter aut Diaconus per pecunias fuerit ordinatus, dejiciatur ab ordine ſuo & ipſe, & ordinator ejus. Et ita in illa Synodo diffinitum eſt, ut nullus Epiſcopus audeat munera aut dona ab ullo ordine eccleſiaſtico accipere. Quod ſi fecerit, gradum proprium amittat, & alius in loco ejus ſubrogetur.

Expleta verò Synodo licentiam petierunt Epiſcopi remeandi ad patriam ſuam: ſed & venerabilis Convvoion licentiam apoſtolicam meruit accipere, danſque illi caſulam ſuam qua utebatur, honorans eum digno honore. Tunc tranſmiſit beatiſſimus Leo Papa ad Nominoum Principem Britanniæ corpus ſanctiſſimi MARCELLINI Papæ & Martyris, qui triceſimus poſt beatum Petrum Apoſtolum ſanctam Romanam eccleſiam rexit per annos novem, & menſes quatuor, & dies viginti quinque; decollatuſque eſt pro Fide Chriſti cum Diaconibus ſuis à DIOCLETIANO Imperatore pagano: juſſitque corpus ejus in platea civitatis projici ad exemplum Chriſtianorum. ſicque per dies triginta inſepultum jacuit. Poſtea verò Preſbyter ejus, MARCELLUS nomine, collegit ſanctum corpus ejus noctu, & ſepelivit in cubiculo, quod ipſe fecerat, cum hymnis & aromatibus VI Kal. Maias, & ceſſavit Epiſcopatus per annos VII, perſequente Diocletiano Chriſtianos. Hunc ergo ſanctum Dei Martyrem tranſmiſit Papa Leo ad Britanniam per venerabilem Abbatem Convvoionem. Tunc cum lætitia & proſperitate pervenerunt ad patriam, magnum donum patriæ deferentes: deductuſque eſt ad ſanctum Monaſterium Rotonenſe. Quod audiens Nominoë, properavit in occurſum Sancti cum Optimatibus Britanniæ & Epiſcopis: deportaveruntque eum, & poſuerunt in eccleſia ſancti Salvatoris cum laudibus & hymnis & lætitia magna: gaviſuſque eſt populus gaudio magno, quia meruerant accipere Vicarium ſancti Petri Apoſtoli in ſua provincia: atque in eodem loco Dominus JESUS-CHRISTUS merita Martyris ſui ubique demonſtrat non ſolùm infra Britanniam, ſed etiam è longinquis regionibus veniunt cum fide & devotione venerari ſanctum ſepulcrum ejus: & ſic ſani atque incolumes ad propria diſcedunt, laudantes Dominum noſtrum JESUM-CHRISTUM, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat & nunc & ſemper per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. Ecce quod promiſi, Fratres cariſſimi, Deo adjuvante, libellum de vita & converſatione ſanctorum Monachorum Rotonenſium ſuccinctè & breviter explicavi: quamvis nullus mortalium poteſt per omnia, quæ illi Sancti geſſerunt, enarrare. ſed ſufficiunt pauca de pluribus dicere. Nunc autem reparemus vires per ſilentium, & ad alia feſtinemus.

S. Marcellini corpus cum caſula obtinet.

Explicit liber ſecundus de vita ſanctorum Monachorum Rotonenſium. Deo gratias. Amen.

Ann. Chr. DCCC XXVIII Jan. V.

INCIPIT PROLOGUS LIBRI TERTII.

POST adventum corporum ſanctorum Epiſcoporum ad ſanctum locum Rotonenſem, id eſt beatiſſimi Marcellini urbis Romæ Epiſcopi Martyris Chriſti, & ſancti Hypothemii Andegavenſis Epiſcopi, multa mirabilia & multas virtutes per eos Dominus dignatus eſt longè latéque ubique demonſtrare. quæ omnia prætermiſſa ſunt, & pæne oblivioni tradita propter negligentiam & incuriam ſcriptorum. Nobis autem viſum eſt auxiliante Domino noſtro JESU-CHRISTO pauca ex eiſdem virtutibus vobis, Fratres cariſſimi, ut vires prævaluerint, intimare. Nec enim ſufficio per meipſum hæc omnia differere caritati veſtræ. Ex auctoritate enim aliorum venerabilium virorum hoc didici, qui me ætate præibant, & qui oculis ſuis hæc omnia viderunt, & mihi poſtea retulerunt, quæ uſque modò vobis latuerant, quæ Deus ad corroborandam Fidelium fidem cotidie dignatur augere: quia valde pernicioſum erat, ut hæc omnia traderentur oblivioni. Ipſum denique Deum omnipotentem obſecro, ut dignetur aperire labia mea, qui aliquando dixit: *Aperi os tuum, & ego adimplebo illud.* & in alio loco idem ipſe Dominus ait: *Ego ſum qui do ſapientiam ſapientibus, & prudentiam prudentibus miniſtro.* Nam & Jacobus Apoſtolus in epiſtola ſua ait: *Si quis ex vobis indiget ſapientiâ, poſtulet à Deo, & dabitur ei affluenter.* Incipiat ergo nunc iſte liber exordium de virtutibus ſanctorum Epiſcoporum, qualiter eos Dominus ubique divulgaverit, & abſentes & præſentes notitiam eorum bene & cognitè audierint. Quis enim ſcit quantæ virtutes & quanta prodigia per eos oſtenſa ſunt, niſi auctor omnium hominum JESUS-CHRISTUS Dominus noſter, qui ubique tegit & cuſtodit Sanctos ſuos, & merita eorum per populos ſuos demonſtrat? Nam & de liberatione ſancti loci à barbaris non eſt nobis prætermittendum: quia magnum miraculum, & verè tremendum, oſtendit cunctis audientibus. Ubicumque enim illi pagani verſati ſunt, depopulando & vaſtando atque incendendo omnia deleverunt. Tantum tamen Dominus huic ſancto ſuo loco pepercit, & non propter noſtra merita, ſed ad ſuum honorem & gloriam dignatus eſt reſervare. Sed & de tranſitu ſancti Convvoionis Abbatis & Confeſſoris Chriſti ex hoc mundo ſermo nobis dandus eſt: quia ipſe ſanctus Pater fundator & conſtructor ſancti Rotonenſis loci ab initio extitit, & uſque ad ſummum perfectè perduxit. Quis ergo poteſt litteris explicare, quomodo vel qualiter iſte ſanctus vir in hoc mortali ſæculo vitam duxerit; qualiter ad tolerandas injurias tam fortiſſimus fuerit, & uſque ad finem vitæ ſuæ ita fortiter permanſit, ut nulli hominum cederet, in bono propoſito permanens, uſquedum animam ſuo Creatori reddidit, relinquens exempla ſuis diſcipulis?

INCIPIT LIBER TERTIUS

De virtutibus ſanctorum Epiſcoporum Marcellini urbis Romæ Epiſcopi, & Hypotemii Andegavenſis Epiſcopi: necnon & de liberatione ſancti loci à barbaris, precibus ſancti Conwoionis Abbatis.

I. *De Clerico Romano.*

DOMINUS in Evangelio ait: *Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.* & iterum idem Dominus Patrem poſtulat, dicens: *Pater, volo ut ubi ſum ego, & iſti ſint mecum.* & Apoſtolis promiſit dicens: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Poſt verò glorioſum adventum ſancti Marcellini ad Bri-

tanniam, in ſecundo anno adventûs ejus in Spolitana provincia, erant quidam duo germani fratres, unus Scriptor, & alius Diaconus, qui ita ſe unico amore diligebant, ſicuti nati erant ex una genitrice. Quadam verò die inſtigante diabolo, qui ſemper invidet fraternam dilectionem, dum hi duo fratres ſoli ſedebant, petiit unus ab alio ſcalpellum, ut calamum emendaret : ille verò incautè fratri projiciens, ſtatim ictu librato in corde vulnus accepit. qui ſtatim corruens in terram, ſpiritum exhalavit vitæ. Quod cernens germanus ejus, & ipſe ſimiliter ſolo corruit, & flens & ejulans ſuper exanimatum fratris corpus diutiſſimè flevit. Ilico cuncti Fratres, qui in eodem Monaſterio [a] erant, adfuerunt dolentes, & multum gementes ſuper id quod factum fuerat. tandem conſolati ſunt illum fratrem, admonueruntque eum, ut ſtatim pergeret ad Papam urbis Romæ, & à tanto Pontifice ſuſciperet pœnitentiam. Tunc ille frater afflictus & mente lugubri profectus eſt ad Romanum Pontificem, & proſtratus coram eo indicavit ei, quomodo inſtigante diabolo germanum fratrem incautè peremiſſet. Tunc ſanctus Præſul multum dolens ſuper id quod diabolus perpetraverat, juſſit illum Diaconem ferro ligari per collum & brachia, ſicut in lege [b] parricidarum cenſetur : imperavitque ei, ut loca ſancta circuiret, & indeſinenter Deum omnipotentem pro reatu ſuo poſtularet. Ille verò omnia libenter quod mandatum fuerat, & devotè implevit, manſitque in eamdem urbem Romanam per plures dies in luctu & fletu; & ſanctos Apoſtolos, id eſt ſanctum Petrum & ſanctum Paulum, cotidie poſtulabat, ut dignarentur pro eo intercedere ad Dominum noſtrum JESUM-CHRISTUM. Cúmque ita hoc aſſiduè faceret, quadam nocte per viſionem apparuit ei quædam pulcra ſpecies, admonuitque eum his verbis dicens : Quid eſt hoc quod agis, ô homo Dei, & nos frequenter inquietas ? Vade ergo ex noſtro juſſu, & proficiſcere ab hac urbe Roma, & perge Britanniam, & inquire locum Monaſterii, ubi ſanctus Marcellinus hujus urbis Epiſcopus requieſcit. ſtatim enim ut ſepulcrum ejus attigeris, omnia ligamenta catenarum illic à te ſolventur, & remiſſionem tuorum accipies facinorum. Mane verò facto ſurrexit Diaconus à ſtratu ſuo, & viſionem quam viderat, Papæ retulit. Ille verò libenter hæc audiens, & Deum benedicens, multumque admirans dedit licentiam ſupradicto Diacono Britanniam petere, & ſepulcrum ſancti Marcellini adire. Poſtea Diaconus iter arripuit, pertranſiens Italiam & univerſam Burgundiam & partes Neuſtriæ; pervenitque ad Monaſterium, quod vocitatur Mons-clatus [c] in provincia Namnetica ſuper fluvium Ligeris : ibique requiſivit à ſanctis Monachis ejuſdem Monaſterii, ubi eſſet ille ſanctus locus in quo beatiſſimus Marcellinus Martyr atque Epiſcopus requieſceret : aperuitque eis omnem veritatem & viſionem quam viderat, & cauſam peregrinationis ſuæ. Cúmque hæc omnia audiſſent, gratias Deo omnipotenti retulerunt, deſignantes ei viam, per quam debuiſſet pergere, dantes ei ſolatium in via. Receſſitque ab eis firmans greſſum, uſquequo ad ſanctum locum Dei diu multumque quæſitum tandem feſſus pervenit: receptuſque eſt in Monaſterio in ſancto Sabbato, id eſt in Ramis-palmarum. Igitur cùm Monachi ſurrexiſſent ex more vigilias celebrare, ille peregrinus cum populo ſimiliter ſurrexit. Peractis verò reſponſoriis cum lectionibus, tempus adfuit quando ſanctum Evangelium recitari Fratribus debuiſſet. Tunc unus ex Fratribus Preſbyter religioſus, OMIN nomine, ex

ANN CHR. DCCC LXVIII
JANU. V.
Fortuitum fratris homicidium,
quâ pœnitentiâ expiatum.

[a] Ergo hi duo germani degebant in Spoletanæ provinciæ Monaſterio, Clericorum, an Monachorum.

[b] Hanc legem non reperio in codice veterum legum : at ejuſmodi pœnæ exempla complura occurrunt in ſingulis horum Actorum tomis, quorum indicem adi in verbo *homicidium*, & lege Præfationem Sæculi 2 num. 41. Inſigne item exemplum habes in ſequenti cap. 8, & apud Gregorium Turonenſem de fratricida in lib. de gloria Confeſſorum capite 87.

[c] Nunc Prioratus à Tornutio pendens, dictus S. Filiberti de Cellario, vulgò *S. Filibert du Cellier*, prope Clarummontem Claromontanæ familiæ caput, tribus leucis ſupra Namnetum ad Ligerim, ut mihi litteris ſignificavit noſter Jacobus *du Chemin*, Rotonenſis Supprior & Theologiæ Lector, amicus meus, qui meo rogatu hos libros perquiſivit, inventoſque mihi tranſmitti curavit.

ANN. CHR. DCCC LXVIII. JUNII. V. more ſe induit ſanctis veſtibus, & cœpit Evangelium legere cunctis ſtantibus & cum ſilentio attentè audientibus. Et extimplo omnia ligamenta catenarum, ex quibus ille peregrinus erat ligatus, comminuta ſunt, & ab eo huc illucque diſperſa, ita ut omnes qui in eadem ſancta eccleſia ſtabant, obſtupeſcerent, audientes ſonitum catenarum diſſilientium atque in terra cadentium. Mane autem facto, narravit Diaconus Romanus cunctis Fratribus omnia quæ ei evenerant; & quomodo per viſionem admonitus fuerat, ut ſanctum Marcellinum quæreret, & ab eo reciperet tam corporis quàm & animæ ſanitatem. Illi verò in commune Deum benedixerunt, qui dignatus eſt ſanctum locum viſitare, & oſtendere miracula & virtutes ſancti Marcellini Martyris ſui ad corroborandam fidem ſervorum ſuorum. Is autem Clericus poſt abſolutionem ſuam moratus eſt in eodem Monaſterio per paucos dies; poſtea Romam perrexit, laudans & benedicens Deum omnibus diebus vitæ ſuæ. In libro namque Sapientiæ de ſanctis Martyribus ſcriptum eſt: *Corpora eorum in pace ſepulta ſunt, & nomina eorum vivunt in ſæcula. Sapientiam eorum narrabunt omnes populi, & laudem eorum pronuntiat omnis Eccleſia Sanctorum.*

II. *De puerulo, nomine* MUTANO.

CUM igitur multitudo populi ſæpius frequentaret tumulum beatiſſimi Marcellini Martyris atque Pontificis, & ſanitatem tam corporum quàm animæ affluenter ab eo perciperent, ita ut rumor ſanitatum ejus & ſignorum longè latéque crebreſceret; exſtitit pæne eodem tempore, ut quidam eſſet puerulus in Monaſterio poſitus, nomine MUTAN, qui ab utero matris ſuæ uſque ad illud tempus mutus permanſerat, & nullum ſermonem poterat explicare: ſenſu tantùm vigebat, & quidquid ei præcipiebatur, ſtrenuè cupiebat implere. Cúmque videret copioſam multitudinem ad ſanctum Dei Martyrem convenire; quod non valebat lingua propria deprecari, animo ac ſpiritu ſanctum Pontificem aſſiduè deprecabatur, ut ſua virtute ei ſubveniret. Alia verò die cùm in paſcuis ille puer demoraretur cum vitulis Monachorum & vaccis, ſopor irruit ſuper eum: & ecce repentè circumfulſit eum lux immenſæ claritatis ab Oriente; & in medio luminis apparuit illi quaſi columba niveo candore, tetigitque os ejus, & protexit faciem, dixitque ei: Ego ſum Marcellinus Epiſcopus, quem ſæpius invocaſti. ideoque veni, ut labia tua aperiantur ex hodierna die uſque ad finem vitæ tuæ. Poſtea ſurrexit puer incolumis, perrexitque ad magiſtrum ſuum venerabilem virum, nomine WINETVALDUM, retulitque ei propria lingua quæ viderat & audierat. quod numquam antea fecerat. Motus verò magiſter illius ſurrexit propere concito curſu, detulitque eum Monaſterio, & Abbati & Fratribus per ordinem cuncta revolvit: divulgatumque eſt hoc miraculum pæne per univerſam provinciam.

III. *De Leonenſis Monaſterii diſcidio, & de* BRITHOC *ſancto Monacho Retoni moriente.*

PSALMOGRAPHUS David eximius Prophetarum cecinit dicens: *Ego dixi, Dii eſtis & filii Excelſi omnes.* Et iterum: *Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.* Et Evangeliſta Johannes ait: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus.* In illo igitur tempore fuit quidam Monachus nobilibus parentibus ortus, BRITOC nomine, qui ſæculum cum pompis ſuis pro nihilo ducens, Monaſterium vocabulo Leonenſe[a] adiit: in quo fortiter ſe conſtringens, jejuniis ac

[a] Nunc Prioratus conventualis à Majori-monaſterio pendens, ad urbem Dinannum, *Dinan*. vulgo dictus *S. Magloire de Lehon*. Ejus originem Nominoio tribuit Albertus, atque locum Rotonenſi Monaſterio ab eo attributum dicit. quod utrumque ex hoc loco nequaquam probari poteſt.

vigiliis

vigiliis & orationibus operam dabat. Tunc orta eſt diſſenſio inter Monachos de primatu Monaſterii: quia primus eorum ſponte ac voluntate propria principatum loci dimiſerat; & non ſuſtinens jurgia & murmurationes ſuorum Monachorum, locum ſecretum petiit, ibique vacans Deo hymnis & orationibus die noctuque deſerviebat. Illis verò inter ſe altercantibus, ſupradictus vir reverentiſſimus ſanctum locum Rotonenſem petiit: quia per exempla ſanctorum Monachorum Rotonenſium illi Fratres Leonenſes cupiebant regulariter vitam ducere. Cúmque ad locum ſanctum ille Monachus religioſus veniſſet, ſuſceptus eſt honorificè à Patre Monaſterii & à Fratribus cum ſumma caritate. Interea verò cùm diu in Monaſterio moraretur, infirmitate gravi detentus eſt, jacuitque in lectulo per paucos dies. Fratres verò conſuetam & debitam caritatem ei libentiſſimè impendebant. Quadam denique die dum ſolus in domo jaceret, apparuerunt ei quidam viri in habitu ſplendidiſſimo, ſteteruntque coram eo viſibiliter, affatique ſunt eum dicentes: Scis, Frater, qui ſumus nos? & quare huc venimus? At ille citò reſpondens timore perterritus ait: Indulgete mihi, ô Sancti Dei, ignoro enim qui eſtis, & unde veniſtis. Unus autem eorum reſpondens ait: Nos ſumus ſancti Archiepiſcopi, ego MARTINUS Epiſcopus vocor, & iſte ſanctus HILARIUS nuncupatur; ſed & tertius noſter ſanctus SAMSON vocatur. Cauſam verò adventationis noſtræ huc manifeſtamus tibi. Ad hoc quippe venimus, ut viſitemus Magiſtrum noſtrum & Apoſtolicum, id eſt domnum Marcellinum ſummum Pontificem & Martyrem Chriſti. Et hæc dicens, ab oculis ejus evanuerunt. Poſt ſextam verò horam venerunt Fratres viſitare ægrotum, & interrogaverunt eum qualiter ageret. At ille confeſtim manifeſtavit eis, quomodo ſancti Archiepiſcopi veniſſent ad eum, & quidquid dixerunt, per ordinem Fratribus retulit. Horâ verò nonâ illius diei coram Fratribus ſpiritum exhalavit vitæ, & ita vir ſanctus ex hoc mundo obiit perenniter cum Chriſto regnans ſine fine feliciter. ANN. CHR. DCCC LXVIII JANU. V.

IIII. *De* JARNHITIN *Sacerdote & Monacho à febribus liberato.*

SUPERIUS diſputavimus de mirabilibus ſancti Marcellini Papæ & Martyris: volumus etiam articulum flectere ad glorioſum & ſummum Dei Pontificem Hypotemium ſanctum Confeſſorem, & aliqua vobis, cariſſimi, ſcribere. Primitus ipſe ſanctus Hypotemius præſentiam ſui ſacri corporis nobis attulit, quia prior erat noſtræ provinciæ. In ſecundo namque libro vobis intimavimus, quomodo vel qualiter iſte ſanctus Epiſcopus à ſancto Convvoione Abbate fuerit huc delatus & honorificè conditus. Nunc igitur annuente Domino noſtro JESU-CHRISTO de multis pauca vobis referam ad ædificationem veſtram & ad firmamentum ſancti loci. In eodem ferè tempore adventationis ſuæ ad nos, erat quidam Sacerdos atque Monachus, JARNHITIN nomine, qui valde oppreſſus erat valetudine febris, & vexabatur ſine intermiſſione die noctuque. Cúmque remedium à medicis quæreret, eadem nocte apparuit ei quidam ſenior in habitu ſplendidiſſimo, ſtetitque coram eo, & ait: Dic, Frater, ubi te tangunt iſtæ anguſtiæ? cooperuitque eum clamyde coccinea à planta pedis uſque ad verticem, tangenſque caput ejus & ſic dixit: Hic non patieris detrimentum, neque in ſcapulis, neque in renibus, ſed neque in pedibus. Ille verò interrogans ait: Quiſnam, inquit, es, ô ſancte Sacerdos, qui dignatus es huc venire & me viſitare? At ille reſpondens ait: Ego ſum HYPOTEMIUS Epiſcopus quem vos exoratis, & frequenter invocatis. & ideo volui meipſum oſtendere tibi, ut de hac infirmitate amodo libereris: & non ſolùm tibi adjutor exſiſtam; verùm etiam omnibus me invocantibus libentiſſimè adjutorium præſtabo. Et hæc dicens ab adſpectu illius diſparuit: & ſtatim Monachus ex infirmitate convaluit, & deinceps ſanus & incolumis permanſit, laudans Deum omnipotentem, & ſanctum Hypotemium Epiſcopum: vixitque venerabilis vir

ANN. CHR. DCCC LXVIII JANU. V. per multa tempora in ſumma ſanctitate perdurans. In extremis autem temporibus vitæ ſuæ cæcitate eſt à Deo multatus, ut probaret longanimitatem & patientiam ejus: permanſitque in eadem plaga per unum luſtrum gratias Deo referens, & patienter flagellum Dei ſuſtinens. Tandem miſericors Dominus voluit patientiam ejus remunerari. Nam juſſit eum è corpore exire, id eſt die Kalendarum Januariarum obiit in pace.

V. *De* GOISLENO *Abbate ſanato.*

QUIA de ſancto Hypotemio cœpimus loqui, libet ut ad perfectum ducamus ſermonem, atteſtante Domino qui ait: *Non qui cœperit, ſed qui perſeveraverit, ſalvus erit.* In diebus illis orta eſt turbatio non modica inter KAROLUM Regem Francorum & NOMINOIUM Ducem Britanniæ. Sicque actum eſt, ut LANDEBERTUS Comes adhæreret [a] Nominoi Principi, deſerens dominatum Regis Karoli: invaſitque totam provinciam Namneticam ſimul & Andegavam ex obtentu Ducis Britanniæ. Porro omnes amici Regis huc illucque diſperſi ſunt. Eo verò tempore erat quidam Abbas, GAUSLINUS [b] nomine, ex Monaſterio ſancti Mauri in territorio Andegavenſi. Hic venit ad ſanctum locum Rotonenſem, ubi ſanctus Hypotemius requieſcit, ſuſcepitque eum venerabilis Abbas cum ſumma diligentia: permanſit autem in ſancto loco per quatuor ferme menſes. Cœpit verò illo tempore vexari immenſis febribus ſine ceſſatione, creſcebatque in eo languor denſiſſimus per momenta ſingula, affligebatque eum vehementius. Factúmque eſt ut ſeipſum deſperaret, nec evadere infirmitatem putabat. Tamen ſæpiſſime nomen ſancti Hypotemii invocabat, fiduciam habens in eo. Quadam denique nocte rogavit Abbas cuſtodem ſancti templi, nomine RIVELENUM, virum reverentiſſimum, ut concederet ei licentiam pernoctare juxta ſanctum ſepulcrum Epiſcopi. Delatúſque eſt æger in manibus ſuorum ad tumulum Sancti Dei, jacuitque ſolus in eodem loco. At ubi nox atra ſilentium mundo attulit, & omnes ſe ſopori dediſſent; cœpit ille modicum ſoporari: ſtatimque evigilavit, & ſuper pedes ſuos ſtetit, omnemque ægritudinem procul à ſe ejectam ſenſit. Cùm autem cuſtos ex more evigilaſſet, ut lampades recrearet; invenit Abbatem ſanum, quem priùs in limine mortis reliquerat. Tunc verò GOISLENUS Abbas votum vovit celebrare feſtivitatem ſancti Hypotemii omnibus annis, quamdiu ſuper terram vixiſſet. Et ita ſanus atque incolomis ad patriam lætus abſceſſit.

VI. *De Clerico à dæmone liberato.*

IN territorio namque Namneticæ civitatis, in plebe quæ dicitur Candidus-Mons *, erat quidam Clericus nobilibus parentibus ortus, ſed & litteris ſacris bene eruditus, quem parentes unico amore diligebant. Sed invidiâ diaboli mors introivit in orbem terrarum. Igitur dum parentes filium vellent ad ſacerdotii honorem promovere, extemplo diabolus invaſit eum, cœpitque eum tot motibus agitare, ita ut nullus ei auderet appropinquare. Laniabat enim dentibus omnes quotquot reperire potuiſſet. Sed nec in domo morabatur, frequenter vicos circumiens miſerabili luctu, die noctúque vociferabat, clamans & oſtendens omnibus quibus modis à dæmone vexaretur. Cúmque in tali vexatione detineretur, adduxere eum ſui parentes ad famoſiſſimum Dei locum Rotonenſem; ibique eum dimiſerunt, non ferentes videre tot vexationes ejus. Manſit verò ille Clericus in Monaſterio, ſimiliter ſcandens montes, ſilvas cir-

* *Blanemont*

[a] Id accidiſſe anno DCCC XLIII patet ex fragmento quod Cheſnius edidit in tomo 2 Hiſtoriæ Francorum pag. 186.

[b] Gauſlini hujus præclara memoria eſt in libro de miraculis S. Mauri Abbatis ſuperiùs edito.

ruiens, & alveum fluminis ſæpius natans: vociferabat emittens clamores magnos, nec ſinebat homines per ſilentium noctis requieſcere. Tunc Monachi moti miſericordiâ ſuper eo, cœperunt unanimiter preces pro eo ad Dominum fundere, ut dignaretur largiri ei ſuam clementiam, ne perderet ſuam facturam, quam de limo terræ formaverat. Poſtea Clericus in ſe reverſus, auxiliante Domino precibus ſuorum Sanctorum non longè poſtea ſanus & incolomis extitit, & ad patriam ſuam reverſus eſt, ubicumque perrexit, mirificans nomen Domini noſtri JESU-CHRISTI & ſanctum locum ſuum. ANN. CHR. DCCC LXVIII JANU. V.

VII. *De Haëlwocon dæmoniaco.*

ALIO quoque tempore erat quidam vir claudus, HAELVVOCON nomine, qui tempore NOMINOE Principis præpotens & dives fuerat, exercuitque poteſtatem ſuper multos nobiles, & à tali opere ab omnibus LARGUS appellabatur. Erat enim affluens in deliciis, potator vini ultra modum, non pertimeſcens ſententiam ſancti Pauli Apoſtoli dicentis: *Neque ebrioſi regnum Dei poſſidebunt.* & Propheta comminatur dicens: *Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem.* In his ergo & talibus ſtudiis ille miſerrimus cotidie vacabat ventri ſuo deſerviens, nec ab ullo homine admonitionem recipiebat, ſed magis deridebat quiſquis eum vellet increpare, Salomone atteſtante qui ait: *Argue ſtultum, & odiet te.* & iterum: *Qui increpationes odit, inſipiens eſt.* Cúmque in tali malignitate perſeveraret, ſubitò ultio divina ei accidit, & in poteſtate dæmonum traditus eſt: cœperúntque eum validè vexare innumeris motibus & multis agitationibus, nec ſinebant eum vel in uno puncto requieſcere. Cùm verò diu vexaretur, in ſe reverſus dixit ſuis: Feſtinanter ducite me ad ſanctum Monaſterium, ut liberari queam de his anguſtiis, quia vehementer affligor. Et exinde deductus eſt in Monaſterio loribus fortiſſimis à tergo manibus adſtrictus, poſitúſque eſt in eccleſia ſancti Salvatoris cum cuſtodia ſuorum. Omnes verò Monachi cœperunt deprecari potentiam Domini noſtri JESU-CHRISTI, ut juberet dæmonibus qui eum invaſerant, ceſſare à vexatione illius. Tunc pius & clemens Dominus exaudivit preces ſervorum ſuorum, reddiditque claudo priſtinam ſanitatem; atque ex illa die ſtuduit mores ſuos emendare, & ſobriam vitam ducere, & locum ſanctum venerari: ſicque ad propria ſanus eſt reverſus.

VIII. *De* FROTMUNDO *pœnitente.*

LEX divina præcipit omnibus hominibus dicens: *Non occides, non mœchaberis; honora patrem tuum & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram.* Et Chriſtus in Evangelio hortatur dicens: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio.* Quod ita evenit cuidam viro nobiliſſimo, nomine FROTMUNDO. Natus quippe erat ex nobiliſſimis parentibus Francorum, qui majores & proceres palatii Regis erant. Denique poſt mortem patris ſui ipſe cum fratribus ſuis cœpit dividere hereditatem ſuorum parentum. Sed contradicebat eis eorum patruus, Preſbyter honorabilis, & multum in palatio Regis glorioſus. At illi indignantes, accenſi furore nimio arma corripuerunt, & ſuper patruum ſuum in ira conſurgentes interfecerunt eum. Nam & unum ex fratribus eorum qui erat minimus, ſimul cum eo incautè peremerunt. Poſtea Frotmundus pœnitentiâ ductus unà cum fratribus ſuis cum fletu magno perrexerunt palatium Regis, quærentes conſilium à Rege & ab Epiſcopis Franciæ, quidnam deberent facere. Tunc LOTHARIUS Rex convocavit omnem Synodum, & ſtatuit eos in medio eorum. Epiſcopi autem juſſerunt fabricare catenas ferreas, & ligare eos per brachia & per lumbos ſtrictum: & ſic loca ſancta circuirent in cinere & cilicio, quouſque Do-

ANN. CHR. DCCC LXVIII JANR. V.

minus reciperet pænitentiam eorum. Exinde viri cœperunt Romam pergere ad limina ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & ad ſanctorum corpora Mârtyrum, qui ibi ſine numero requieſcunt : moratique ſunt in Romana urbe per multos dies. Deinde accipientes epiſtolam à ſancto BENEDICTO Papa tranſierunt Thyrrenum mare, perveneruntque ad civitatem ſanctam Jeruſalem. Sed & ibi per multa tempora demorati ſunt, orantes cotidie cum luctu & gemitu ad ſanctum Domini ſepulcrum. Poſtea perrexere viri ad Ægyptum, luſtrantes Monaſteria & Cœnobia, ac ſanctorum agmina Monachorum; fuerúntque ibi ferme per duos annos : ac exinde profecti, direxerunt greſſum ad Africam, viſitare ſepulcrum ſancti CYPRIANI Archiepiſcopi & Martyris Chriſti, qui ſecundo miliario ab urbe Carthaginenſi requieſcit juxta mare, ubi multæ virtutes & multa miracula à Domino ſæpius oſtenduntur. Poſt autem quatuor annos iterum Frotmundus cum duobus fratribus ſuis Romam reverſi ſunt, afflicti & macerati, magnis precibus petentes à ſancto Petro Apoſtolo indulgentiam ſuorum peccatorum. Populi verò Romani non modicam humanitatem præſtabant eis, largientes quidquid illis deerat. Iterum autem cum conſilio & benedictione ſancti BENEDICTI Papæ repedaverunt ultra mare iterum viſitare ſepulcrum Domini : & ubicumque Dominus pedibus humanis ambulavit, peragraverunt. Nam & in Cana Galilææ fuerunt, ubi Dominus JESUS-CHRISTUS ex aqua vinum fecit. Sed & de ipſo vino (ut ipſe Frotmundus nobis poſtea retulit) biberunt. Ad rubrum quoque mare perrexerunt, & ad montes Armeniæ, ubi arca Noë requievit. In illiſque regionibus tenti ſunt à paganis, & ſpoliati, & verberibus afflicti, uſquequo nudarentur oſſa eorum acris verberibus, & pæne ſemivivi evaſerunt luſtrantes omnem regionem Orientalem. Illinc devertentes venerunt ad montem Sinaï, ubi Lex quondam lata eſt Moyſi famulo Dei; perſeveraverúntque in illis regionibus per tres annos, circumientes loca ſancta, orantes & poſtulantes Dei miſericordiam. Quarto anno iterum Romam reverſi ſunt, jacuerúntque diutiſſimè ante ſepulcrum ſancti Petri Apoſtoli, efflagitantes ab eo ſuum adjutorium. Audierant enim in Evangelio Chriſtum dediſſe poteſtatem ſancto Petro Apoſtolo miniſterium ſolvendi ac ligandi ita dicentem : *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis : & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Peracta verò oratione à Roma egreſſi, pertranſierúntque cunctam Italiam, & univerſam Burgundiam, & Aquitaniæ regionem, & partes Neuſtriæ; & tandem pervenerunt Britanniam, ab Oriente uſque ad Occidentem cuncta luſtrantes, in peregrinatione perſeverantes, fortiſſimi athletæ Chriſti; non aſperitates viarum, nec juga montium, non meatus fluminum, nec ulla pericula formidantes; omnem ſpem in Deo ponentes, à nullo auxilium niſi à ſolo Deo vivo poſtulantes. Cúmque appropinquaſſent Britanniæ, ad Redonam * civitatem acceſſerunt, receptique ſunt hoſpitio à venerabili Epiſcopo, nomine ELECTRAMNO : & largitus eſt eis quidquid neceſſitate indigebant. Igitur cùm vellent iterum loca Sanctorum Britanniæ provinciæ peragrare, frater Frotmundi ſenior in eadem civitate defunctus eſt, recipiens à Deo mercedem omnium laborum ſuorum, tumulatúſque eſt honorificè ab Epiſcopo & à Clero a ſancti Melanii. Poſt mortem verò germani ſui Frotmundus iter arripuit ad ſanctum locum Rotonenſem, viſitare ſepulcrum ſancti Marcellini Papæ & Martyris; & receptus eſt cum gaudio à Monachis, & ibi per ſeptem dies requievit, & cotidie poſtulabat beneficia Sanctorum. Poſthæc autem licentiâ acceptâ migrandi à Monaſterio, cœpit ambulare, cupiens iterum Romam adire. Cùm verò pergeret, in ipſa nocte apparuit ei quidam ſenior vultu ſplendidiſſimo, dixitque ei : O vir Dei, præcipio tibi in nomine Domini, revertere iterum ad ſanctum Dei locum ubi priùs fuiſti, & ibi te oportet à vinculis iſtis ſolvi, & à Deo liberari. Tunc Frotmundus certus de viſione gratias Deo om-

* Rennes

a Id eſt à Monachis Cœnobii S. Melanii, quod hactenus perſtat ſub Congregatione S. Mauri.

nipotenti retulit, reverſuſque eſt retro cito curſu ad locum famoſiſſimum. Monachi verò hæc audientes, valde gaviſi ſunt de adventu ejus. Expoſuerat enim illis omnem viſionem quam viderat: & idcirco pro eo preces ad Dominum fuderunt, ut dignaretur largiri ei ſuam miſericordiam. Jam enim catenæ illius penetraverant viſcera ejus, ita ut ſanies & ſanguis de vulneribus ejus effluerent, & nec jam ambulare poterat præ nimio dolore. Proxima autem nocte cùm ſe ſopori dediſſet, apparuit ei ſenior venerabilis, vultu decorus, indutus ſanctis veſtibus, librum in manu gerens, cum duobus pueris pulcherrimis lucernas ante eum portantes, ſteteruntque ante ſtratum ejus. Unus enim è pueris ait ſancto ſeni: Sancte magiſter, tempus eſt ut ſanetur iſte peregrinus. Tunc ſenior reſpondens ait: O fili, non modò ſanabitur, ſed quando Monachi ad vigilias ſurrexerint, in conventu eorum ſalvabitur. Et aperto codice fudit orationem ſuper caput ejus: & ita viſio pertranſiit. Expergefactus vir ſanctus, requiſivit qualis hora eſſet, & ſi jam Monachi ad vigilias ſurrexiſſent. Cúmque ita diceret, cuſtos eccleſiæ ex more ſignum tetigit, ſurrexitque peregrinus ſimul cum populo ad eccleſiam, exſpectans ſuam promiſſionem, ſeditque ſuper ſcamnum, & ſopor irruit ſuper eum. Monachi verò cœperunt laudes Deo dicere, & hymnos & pſalmos pſallere. Cùm autem diu pſallerent, & ille ſoporaretur; apparuit ei idem ſenior, quem antea viderat cum duobus pueris, à loco tumuli ſancti Marcellini, & tetigit eum, extraxitque ferrum digito de lumbis ejus, & projecit longiùs in pavimento eccleſiæ, ita ut tinnitum & ſonum redderet: ſtatimque peregrinus vocem in ſublime erexit, & in terram cecidit, ut omnes miraremur ſuper altitudinem vocis ejus. Monachi verò audientes & videntes hæc omnia, una voce laudaverunt Deum & Sanctos ejus; deduxeruntque peregrinum, & ligaverunt vulnera ejus faſciolis & ligamentis; jacuitque in ſtratu ſuo per tres dies. Cùm autem vellet ire à Monaſterio, & Romam proficiſci, ſicut antea diſpoſuerat; Monachi voluerunt retinere eum ſecum, ſed non potuerunt. Promiſit denique Frotmundus, ſi poſtea viveret, quòd ſanctum locum viſitaret, & ſanctum Marcellinum congruis honoribus veneraretur. Tunc prædictus à Monaſterio egreſſus eſt. Eodem verò die egreſſionis ſuæ ex hoc mundo ad cæleſtia regna propetavit, ubi nunc exſultat cum Angelis ſanctiſſimis regnans cum omnibus Sanctis.

ANN. CHRI. DCCCLXVIII. JANU. V.

VIIII. *De adventu Barbarorum ad ſanctum locum: & de liberatione ejuſdem loci à paganis.*

IN libris Regum legitur: *In tempore Ezechiæ Regis Juda venit Sennacherib Rex Aſſyriorum, & voluit pugnare contra Jeruſalem, & tranſmiſit nuntios ad Regem Juda dicens: Ne confidas in Deo tuo, ubi fiduciam habes. Non te ſeducat Deus tuus. numquid liberaverunt dii gentium regiones eorum de manibus meis? Et factus eſt ſermo Domini ad Iſaiam Prophetam dicens: Vade, & dic Ezechiæ: Hæc dicit Dominus Deus: De Rege Aſſyriorum non ingredietur urbem hanc, nec mittet in eam ſagittam, nec occupabit eam clypeis, nec circumdabit munitionibus. Per viam qua venit, revertetur, & civitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus: protegamque urbem hanc, & ſalvabo eam propter me & propter David ſervum meum.* In tempore igitur ERISPOE Principis Britanniæ quidam Normannus SIDRIC [a] cum navibus centum quinque occupavit fluvium Ligeris, & circumdedit caſtra aliorum paganorum, qui civitatem Namneticam depopulati fuerant & incenderant, & omnes regiones quæ erant prope & longè, tradentes omnia incendio: poſueruntque caſtra ſua in inſula, quæ dicitur Betia [b].

[a] SIDROC appellat Chronographus Fontanellenſis apud Cheſnium ad annum DCCCLII & DCCCLV. Porro hoc factum ad annum DCCCLXV refert Argentræus.

[b] Hanc inſulam *ſub civitate Namnetica* reponit Chronicon Malleacenſe ad annum DCCCXLIV, ubi de hac Sidrici impreſſione agitur, Argentræo *l'iſle de Biere.*

ANN. CHR. DCCC LXVIII IANU. V. Cúmque circumdaſſet eos navibus in gyro, ita ut non poſſent egredi vel ingredi, erantque omnes obſeſſi; ſtatim miſit Sidric nuntios ad Eriſpoë Principem Britanniæ, ut veniret & irrueret ipſe cum exercitu ſuo ſuper adverſarios ſuos, qui deleverant regiones ſuas, eſſentque uno animo & una voluntate, ut contererent & delerent eos à ſuperficie terræ. Quod cùm audiſſet Eriſpoe, confeſtim miſit nuntios in univerſo regno ſuo, ut venirent cum armis ſuis; ferrentque præſidium Duci Normannorum, ut debellarent hoſtes & paganos, qui jam longo tempore irritaverant regiones & provincias Chriſtianorum. Tunc Brittones celeriter à ſedibus ſuis ſurrexerunt, & irruerunt ſuper eos unà cum Sidric & exercitu ejus, cœperuntque prœliare & caſtellum conterere, perieruntque ex eis plurima multitudo. In illo prœlio vulneratus eſt Sidric Comes Normannorum, factumque prœlium à mane uſque ad veſperum: nox prœlium diremit, receſſeruntque cuncti uſque ad caſtra ſua. Mane autem facto illi pagani qui erant obſeſſi, pacem fecerunt, & dextras dederunt Sidric Duci Normannorum, & aurum & argentum plurimum ei obtulerunt, fœderatique ſunt illo die, & receſſit ab eis, Sequanam fluvium petens, ibique à KAROLO Francorum Rege cum populo ſuo interfectus eſt. Cúmque Britones perrexiſſent ad tabernacula ſua, Normanni qui fuerant obſeſſi, exſtruxerunt naves ſuas, & præparaverunt ut venirent cum ira & indignatione reddere Britonibus malum, quod ſibi intulerant, navali prœlio. In illo ergo tempore barbari adſcenderunt naves ſuas, egreſſi de fluvio Ligere, navigaverunt mare magnum, intraveruntque Viſnoniæ fluvium cum centum tribus navibus, occupaveruntque ripam fluminis, caſtraque metati ſunt pæne duobus milibus à ſancto Monaſterio Rotonenſi. Porro Monachi ſancti Monaſterii ut phalangas navium viderunt, ilico Deum omnipotentem deprecati ſunt, ut dignaretur liberare ſanctum locum ſuum à pollutionibus paganorum; eſſetque inlæſus, ne incendio cremaretur; & ſtatim de loco ſancto migraverunt. Unus autem ex Monachis vir vitæ venerabilis Preſbyter, HINCONANUS nomine, ait coram Fratribus: Eia, Salvator mundi, modò apparebit, quomodo erues locum conſecrationis tuæ, ne deſtruatur à paganis. Nunc oſtende potentiam tuam, & ſalvi erimus. Talia voce referente, venti quaſi agmine facto terras turbine perflant. Incubuere mari, totumque à ſedibus imis unà Eurus Nothuſque ruunt, creberque procellis Africus, & vaſtos volvunt ad litora fluctus. Intonuere poli, & crebris micat ignibus æther. Tanta tonitrua & fulgura è cælo emicuerunt, ut præſens mors paganis oſtenderetur. Interea cùm magno murmure cælum deſuper & fulgura & coruſcationes vehementiſſimè denſarent, cœperunt pagani voto ſe conſtringere, ut ſi mortem evaſiſſent, nullatenus ſanctum Dei locum violarent; ſed dona & munera ſuper ſanctum altare ponerent. quod ita factum eſt. Altera verò die tranſmiſerunt aurum & argentum & candelas innumerabiles, juſſeruntque eas accendere per circuitum ſanctarum ararum: & ſic ceſſavit plaga ab eis. In illo quoque die poſuerunt cuſtodes per circuitum ſancti loci, ut nullus auderet invadere quidquam ex omnibus quæ in Monaſterio erant. Et dum hæc ita agerentur, ſedecim ex paganis intraverunt in ſecretarium baſilicæ, biberuntque de vino, quod illic poſitum erat ad Miſſas. Mox ut guſtaverunt, in rabiem omnes ſunt converſi, & ad caſtra ſua deducti illo die ſimul mortui ſunt, recipientes perpetuam pœnam, qua meritò digni erant. Exinde pagani progredientes intra provinciam agebant prædas, captivantes viros & mulieres, domos tradebant incendio, nec ſinebant neminem vivere. Plurimi autem ex captivis in eodem ſancto loco evaſerunt fugientes nocte. Per diem enim latitabant in ædibus Monaſterii, & ſic per miſericordiam Dei tuebantur [a].

Virgilius. (margin, beside "quaſi agmine facto…")

Normannorum dona. (margin, beside "ſi mortem evaſiſſent…")

[a] Hic aliqua deſunt de morte S. Convoionis, de qua ſe acturum Auctor pollicitus erat in Præfatione libri tertii.

DE SANCTO HUNTFRIDO EPISCOPO TARVENNENSI IN GALLIA.

Ann. Chr. DCCC LXIX Martii VIII.

1. POst ſanctum Folcuinum, *cujus Acta ſuperiùs retulimus*, beatus HUNTFRIDUS ſublimatur in Epiſcopum Morinenſem de Monacho Prumiacenſi, vir ſanctus, & in omni bonitate conſpicuus, *inquit Johannes Iperius cap. 14 parte 1, poſt Folcuinum Levitam. Hincmarus Remorum Antiſtes Morinorum ſede vacante Pardulo Laudunenſi Epiſcopo ſcripſit* pro eccleſia Morini vacante Paſtore, ut inde cum Rege loquatur, qualiter ipſa electio rite peragatur. *& Theoderico Epiſcopo Cameracenſi* pro ordinatione Hunfridi in Epiſcopatu Morini, *teſtante Frodoardo in hiſtoria Remenſis lib. 3 cap. 20. Id contigit anno* DCCCLVI, *proximo ſcilicet poſt mortem Folcuini, qui ſub finem anni præcedentis obierat. Prumienſi Monaſterio præerat tum Eigil Abbas, poſtea Senonenſis Antiſtes, cujus Elogium videſis infrà. Quid rei ante Epiſcopatum geſſerit* HUNTFRIDUS, *quem alii* Hunfridum, Humfridumve *appellant, nobis incompertum.* Huntfridus ex Monacho Prumienſi Epiſcopus.

2. *Anno* DCCC LX, *uti ſcribit anonymus Auctor ſubæqualis in libro 2 de miraculis ſancti Bertini cap. 2, & ex eo Johannes Iperius, Nortmanni vaſtatis jam locis multis*, pertinaci curſu applicuerunt in finibus Menapiorum, in ſinu qui vocatur Iſeræ-portus, incendiis ac cædibus indulgent, *id eſt parcunt*, ut ad famoſiſſimum locum pauſationis Chriſti Confeſſorum Audomari atque Bertini furtim properarent. *tumque factum puto quod anno* DCCC LXI *contigiſſe tradit anonymus quidam rerum Nortmannicarum Annaliſta, ut Nortmanni Tervanenſem pagum vaſtaverint. Horum malorum pertæſus Huntfridus, Nicolaum Papam conſuluit, liceretne ſibi Epiſcopatum deſerere, & ad Monaſterii portum ſeſe denuo recipere. Nicolai reſponſum extat apud Gratianum in Decreti parte 2, cauſa 7, quæſt. 1 cap. 7 in hæc verba.* Sciſcitaris itaque per Guldagarium Preſbyterum, utrum cùm à Nortmannis de Epiſcopio depellaris, debeas de cetero in Monaſterio converſari. In quo ſcias, cariſſime Frater, quòd ſi pernicioſum eſt proretam in tranquillitate navim deſerere, quanto magis in fluctibus? Ubi non dicimus, quòd perſecutorum non fugiamus, maximè paganorum, inſidias, cùm ad tempus ſæviunt, & ob multitudinem delictorum noſtrorum nocendi facultatem divinitus adſequuntur. præſertim cùm eis prodire ultro non debeamus, & multos Prophetas & Apoſtolos, ipſumque Dominum, hujuſmodi fugiſſe inſecutores luce clarius conſtet. Sed quòd præcipuè nos, qui tamquam arietes ducatum gregibus præbemus, immo qui & horum paſtores ſumus, Deo auctore, cum eis in periculis pro viribus perſiſtere pro certò conveniat. & cum tranquillitas reddita divinâ fuerit pietate, ſopitaque furentium infeſtatio, mox gregem requirere, & in unum colligere, & ejus animos cæleſtis patriæ pace ac potiſſimùm ſecuritate prædicata ſurſum erigere debemus. & tam diu ſuper eorum cautela oportet nos eſſe ſollicitos, ut ſi Dei judicio præſentis temporis commoda fortaſſis amittunt, futuræ vitæ ſe ſperent gaudia abſque ambiguitate percipere ſempiterna. *Sirmondus etiam in ſecundi Antirrhetici cap. 3. admonet, eidem Huntfrido inſcriptum eſſe debere caput* Clericum. *diſt. 50. Idem in Notis ad*

Ob Nortmannos cedere cogitat.

Repugnat Nicolaus P.

ANN. CHR. DCCC LXIX MARTII VIII. *Capitulare 20 Caroli Calvi obſervat, Capitulum iſtud Synodi Cariſiaca ſignanter* Humfrido venerabili Epiſcopo *directum fuiſſe.*

Aſſumtionis B. Mariæ feſtum ob miraculum indicit. 3. Inter ea, *ut legitur in Annalibus Francorum Bertinianis anno* DCCC LXII, contigit miraculum in civitate Morinenſi. Nam cujuſdam civis ipſius urbis mancipium, mane in die Aſſumtionis ſanctæ MARIÆ, veſtitum lineum, quod camiſium vulgo vocatur, levigare, id eſt lexivio lavare, incipiens, ut illud Dominus ſuus ad Miſſam procedens paratum portare quiviſſet; ad primum initium quo levigam imprimens traxit, veſtimentum ſanguineum eſt effectum. Sicque quoties idem mancipium levigam traxit, ſanguis eſt ſubſecutus, uſquequo veſtimentum illud totum rejacenti * ſanguine eſt infectum. Quod veſtimentum HUNFRIDUS ipſius civitatis Epiſcopus ad ſe fecit deferri, & in eadem eccleſia ad teſtimonium reſervari. Et quoniam eadem feſtivitas ab incolis parochiæ illius non feriabatur; & celebrari, & feriari debito honore ab omnibus eamdem ſollemnitatem præcepit. *Hinc patet, Adſumtionis Deiparæ feſtum non ubivis præceptum etiam tum fuiſſe, tametſi in plériſque locis receptum. Lege librum eruditiſſimi viri Johannis Baptiſtæ Thierſii de feſtorum dierum imminutione cap. 14 & ſeqq.*

* *l.* recenti

Abbatiam Sithienſem regendam ſuſcipit. 4. *Huntfridus* epiſcopatus ſui anno nono, *teſtante poſt Folcuinum Levitam Johanne Iperio Abbate Sithienſi,* optione totius cleri & populi, Monachorumque hujus loci precibus obnixis hanc Abbatiam regendam ſuſcepit, ſolùm religionis pietate motus, propter amorem Dei: & rexit ſolùm biennio, ſimul Abbatiam tenens cum Epiſcopatu. *Id factum anno* DCCC LXV. *quo anno* ſub hoc Abbate puer nobilis MEGENFRIDUS Deo à patre Ruodwaldo hic oblatus Monachus efficitur: cum quo pater partem hereditatis ſuæ dedit in pago Bolonienſi, in loco nuncupato *Doirwaldinghetum*, id eſt bunaria XII & mancipia quatuor, ut Megenfridus filius ejus inde victum & veſtitum percipiat. Charta ſic incipit: In Chriſto Domino & venerabili Patri Hunfrido » Epiſcopo & Abbati Monaſterii ſancti Petri vocabulo Sithiu, &c. Actum Si» thiu Monaſterio, in eccleſia beati Petri Apoſtoli anno XXVI regnante do» mino CAROLO Rege. *Ex dictis intelligitur falli, tum Wionem, Bucelinum, eorumque ſequaces, ſcribentes Hunfridum ex Monacho Prumienſi Abbatem primùm Sithienſem, dein Epiſcopum Morinorum fuiſſe. tum auctorem Martyrologii Gallicani adſerentem, eum ex Sithienſi Monacho & Abbate creatum Epiſcopum. ſiquidem Monachus fuit primùm in Monaſterio Prumienſi, dein Epiſcopus, ac demum Epiſcopus ſimul & Abbas. Hinc factum, ut cum ejus loci Monachis* Hunfridus Epiſcopus *inter Fratres conſcriptos Sancti-Gallenſes numeretur.*

Conciliis intereſt. 5. *Anno* DCCC LX *vir ſanctus interfuit Concilio Duſiacenſi; tum Sueſſionenſi anno* DCCC LXVI, XV *Kal. Septembris inchoato, in quo ſubſcripſit privilegio Sollemniacenſi hoc modo:* HUNTFREDUS humilis Morinenſis eccleſiæ Epiſcopus; *denique in Concilio Piſtenſi anni* DCCC LXII *Dionyſianum Privilegium, quod exſtat in Spicilegii tomo 6, nomine ac ſigno ſuo roboravit.*

Abbatiâ pulſus. 6. Anno Incarnationis Dominicæ DCCC LXVI, *ut tradit Folcuinus Levita in collectione chartarum Monaſterii Sithienſis, & ex eo Johannes Iperius,* KAROLUS Rex Hunfrido Abbatiam cum dedecore auferens, HILDUINO Canonico nuper de HLotharii senioratu ad ſe converſo dedit propter libras XXX auri, XIII Kal. Julii. *Sic omnia tum venalia! Et tamen Hilduinus,* excepto domno Bertino, qui primus hujus loci ſtructor, omnium prædeceſſorum ſuorum actus ita ſuorum compenſatione adnullavit, ut meritò abſque aliqua oblivione nomen ejus in ſæculum apud nos, *inquit idem Folcuinus,* habeatur in benedictione.

Obit anno 870. 7. *Poſt hanc amotionem Hunfridus* Morinorum Epiſcopus manſit tribus annis, *inquit Johannes Iperius,* & migrans ad Dominum ſucceſſorem ſibi reliquit ACHARDUM anno Domini DCCC LXVIIII, poſtquam Epiſcopatum tenuerat annis XV, Caroli Regis XXX, *& quidem* VIII Idus Martii, *quo die hac*

hac leguntur in vetuſto Martyrologio Morinenſi : Civitate Taruanna tranſitus ſancti Hunfridi Epiſcopi & Confeſſoris, qui cùm XV annis per multas tribulationes Taruanenſem rexiſſet eccleſiam, migtavit ad Dominum. *Colitur eo die in eccleſia Bononienſi & Sithienſi. Annus* DCCC LXIX *hic ſignatus ſecundùm veterem calculam, eſt initium anni* DCCC LXX *ſecundùm novam. Eo mortuo Hincmarus Remorum Archiepiſcopus Ragenelmo Noviomagenſi Epiſcopo ſcripſit* pro viſitatione Morinenſis eccleſiæ poſt obitum Hunfridi Epiſcopi juxta diſpoſitionem Regis, *apud Frodoardum in lib. 3 cap. 23. At cùm Actardus Namnetenſis Epiſcopus tum* à Salomone tyranno à civitate ſua expulſus *eſſet*, in vacante Morinenſi eccleſia Concilij conſenſu aliquamdiu immoratus eſt, donec in vacante metropoli *Turonica* fuit incardinatus, *ut ſcribit. Hincmarus Remorum Antiſtes in Opuſculi 45 cap. 12. id factum anno* DCCC LXXI, *quo in ſede Taruanenſi ſubſtitutus Adalbertus.* ANN CHR. DCCC LXIX MARTII VIII.

8. *Sancti Hunfridi corpus ab Johanne Morinorum Epiſcopo è tumulo levatum* anno M C VIII, Idibus Aprilis, *ut tradit Jacobus Meierus,* & ſub altare beatæ Mariæ reconditum, *addit Johannes Buzelinus; poſtea in argentea capſa incluſum ab Henrico de Muris ejaſdem ſedis Epiſcopo; demum exciſa Taruennâ Ipras tranſlatum eſt anno* M D LIII *cum reliquiis ſancti Maximi Regienſis Epiſcopi. cujus utriuſque Sancti reliquias communi theca incluſas ibidem hactenus adſervari ait Miræus in Faſtis. Alii hæreticorum rabie diſſipatas putant, alii verò ſancti Huntfridi caput in Audomaropolitana eccleſiâ adſervari, ut notarunt Bollandiani ſocii in tomo I Martii, ubi eruditè pro ſuo more ſancti Hunfridi res geſtas explicant.* Reliquiæ.

TRANSLATIO ET MIRACULA

SANCTI GENULFI EPISCOPI ET CONFESSORIS,

CIRC ANN. DCCC LXX.

Ubi de Stradenſis Cœnobii conditione agitur.

Ex Bibliotheca Floriacenſi & Bollando.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. NON uno modo GENULFI *nomen exprimunt veteres; quem alii* Genulfum; *alii (librariorum, ut quidem videtur, errore)* Genulum, *alii denique* Gundulfum, Gondolfumve, *Gandulfum & Gendalfum appellant. Fertur is à Romano Pontifice unà cum* GENITO *patre miſſus in Gallias, Caturcenſis eccleſiæ fundamenta jeciſſe, quam aliquot menſibus rexerit. Rem haud ſatis apertè definiunt Vitæ ejus Scriptores duo, quorum alterum Johannes Boſcius edidit in Bibliotheca Floriacenſi, alterum Bollandus ad decimum ſeptimum Januarii diem. Utrique Vitæ duo iſti Auctores hiſtoriam tranſlationis S. Genulfi & miracula adnectunt. Boſcianum hic dumtaxat recudere viſum eſt, tum quia rei geſtæ hiſtoriam ſignantiùs exprimit: tum quia Stradenſis Monaſterii refert originem, quam Bollandianus nonniſi leviter attingit, ne quidem facta Stradenſis loci mentione, quem S. Salvatoris dumtaxat Monaſterium appellat, quanquam beatiſſimæ quoque Virgini, Apoſtolis, ac Sanctis omnibus dicatum ab initio fuit. Porro uterque hic Auctor meminit* ELIÆ *Abbatis, qui deſinente ſæculo X florebat, ſucceſſorem ſortitus* ROTBERTUM, *quem* prædicandæ memoriæ *virum extollit Boſcianus Vitæ S. Genulfi encomiaſtes ſub finem hiſtoriæ. Unde eum medio ſæculo XI ſcripſiſſe intelligitur.*

Genulfi nomen.

Miſſio in Gallias.

Vitæ Auctores.

Circ. ann. dccclxx.

Cultus & tranſlationes.

2. *Genulfi memoria celebratur in variis eccleſiarum faſtis, ſed non eodem die. Qui de eo* XVI *Kal. Februar. agunt, natalem ejus diem ſignare videntur: qui verò* XII *Kal. Januarii, prioris ejus tranſlationis; & qui Idibus Novembris, poſtrema rationem habuiſſe videntur. Quippe vir ſanctus è Cella ſuper Naonem* fluvium, in qua diem ſuum obiit, ad Nivernenſe S. Petri* Monaſterium, mox ad Stradenſe principatu Caroli Calvi tranſlatus eſt: tum ingruente Danorum procella Monachi cum ſacris illius exuviis Locas, munitiſſimum caſtrum, ſubiere. Denique S. Genulfi corpus ac caput Pariſios ad baſilicam B. Mariæ deportatum eſt, ut ſcribit Jacobus Brolius in Antiquitatum Pariſienſium lib. 1. ob idque Sancti memoria in ea eccleſia honorificè colitur.*

* Naon

* S. Pierre-Montor

3. Boſcianus S. Genulfi tranſlationis auctor hiſtoriam orditur à Trojana Francorum origine & priſcorum Regum genealogia mendoſe intexta, quam ad Ludovici Auguſti liberos perducit. Iis omiſſis, quæ ad Stradenſis Cœnobii conditionem atque hiſtoriam ſpectant, dare inſtituimus, relaturi in notatiunculis, ſi quid Bollandianus auctor ab altero diverſum ac ſingulare protulerit. Neuter ſatis diſtinctè explicat tempus factæ tranſlationis, quæ ſub Mainardo ſecundo Stradenſi Abbate facta eſt, nempe circiter annum DCCCLXX. *nam ante triennium Biturigenſem pagum à Normannis infeſtatum fuiſſe notatum eſt ſuperiùs ad Vitam ſancti Jacobi Eremitæ, ubi de Wicfredo ſeu Wifredo Comite Stradenſis Cœnobii conditore agitur.*

1\. HUjus itaque Pii Auguſti LUDOVICI temporibus, quibus ejus filius PIPPINUS rem publicam regebat Aquitaniæ, quidam Bituricenſium Comes extitit, vocabulo WIFREDUS. Hic ex illa nobilium ſcara* Francorum, quam glorioſus Rex domnus Pippinus præfati Auguſti Ludovici avus, in urbe Biturica ad GUAIFERII Ducis Aquitaniæ partes expugnandas reliquerat, originem trahens, regali quoque proſapia oriundus erat. Cui non impari, verùm æquè generoſo ſtemmate celebris, ex clariſſimo genere Francorum ODA nomine conjunx fuit. Quibus alii præter filiam, fuerintne liberi, parum comperimus. Quæ videlicet illorum filia nomine AGANA ROTBERTO cuidam inſignis honeſtæque potentiæ viro, primoque palatii Pippini Regis, nupta fuit. Qui Rotbertus ad ſuæ nobilitatis excellentiam, regalis etiam ſtemmatis per ſororem adeptus erat conſortia. Quam iſdem domnus Pippinus uxorem duxit: de qua PIPPINUM & CAROLUM liberos, totidemque filias habuit. Hac itaque nobilitatis excellentia, præfatus Comes Wifredus inclitus, religionis etiam gloriâ clariſſimus fuit.

Vvifredus Bituricum Comes.

* id eſt familia

Oda uxor ejus.

Agana Rotberto Comiti nupta.

2\. Hic ergo ſuis temporibus clariſſimis uſus honoribus, utpote primæ capitis Aquitaniæ Comes, animo prudenti perpendens, quæ & quanta ſint, quæ cura mortalium prima putantur, quive caſus ea proſequantur; ſimulque cernens rerum ſuarum commoda, ſtatuit animo, ut de temporalibus, quæ jure poſſidebat, ſibi præpararet æternaliter profutura. Itaque pari conſilio communique voto, venerandæ ſemperque cum laude nominandæ ſuæ conjugis ODÆ; placuit, ut ad laudem Creatoris celebrandam, divinaque myſteria peragenda, in jure ſuæ proprietatis, in villa quæ dicitur Strada eccleſiam fundaret; quam de propriis rebus, ad Eccleſiæ miniſtrorum uſus ſufficientiſſimè dotaret. Quod quidem ut diſpoſuit, efficaciter etiam divina largiente clementia complevit anno quinto-decimo imperii domni Ludovici ſereniſſimi Auguſti, filioque ejus Pippino quarto-decimo anno regnante, qui eſt ab Incarnatione Domini DCCCXXVIII. Cùm verò uſque ad dedicationem Eccleſiæ ventum eſſet, eam in honore ſanctæ ſemperque virginis Mariæ[a], & omnium Sanctorum dedicari conſtituit; ejuſque vel aliorum reliquiis Sanctorum, ſolemniter decoravit. Cui in die conſecrationis ejus, qui eſt ſeptimo Kalend. Julii, prædia quædam circùm adjacentia, quæ ſui juris erant, cum mancipiis ibidem commanentibus, quorum non parvus fuit numerus, conceſſit & teſtamento delegavit. Quod teſtamentum, hæc quæ diximus, etiam hodie teſtari videtur.

Vvifredus Stradenſe condit Cœnobium.

3\. Poſtquam verò clariſſimus vir hæc ſtudiosè peregit, domno Pippino Regi Eccleſiæ fundatæ cauſam innotuit. Cui ſupplices deinde preces effudit, ut ea quæ geſſerat, ejus excellens roborare dignaretur auctoritas. Cujus orationem Rex placidè ſuſcipiens, in præſentia Primorum Palatii, totiúſque nobilitatis, tanti viri petitionem fieri decrevit. Ergo propoſuit edictum, quod præſentibus & futuris voluit eſſe notum; ſtatuitque præcepto, ut iſdem locus, Strada videlicet, ab omnium poteſtatum inquietudine maneret immunis: & nullus cujuſlibet potentiæ judex aut exactor, in eodem loco, vel foro, quod inibi conteſ-

Eidem privilegium concedit Pippinus Aquitaniæ Rex.

a Bollandianus auctor Monaſterium iſtud conſtructum dicit *in honore ſancti Salvatoris ſuper Agnerem ripam*, at nullam Stradæ ſub B. Mariæ facit mentionem: hic verò num. 4 utrumque, immo Apoſtolos ac Sanctos omnes memorat. Perſtat etiam nunc S. Genulfi Monaſterium ad Agnerem, cui regularis Abbas præeſt cum modico cœtu Monachorum Ordinis S. Benedicti.

Circ. ann. DCCCLXX.

ferat haberi ad multorum utilia negotia peragenda, judicium aut exactionem ullam facere præſumeret, exceptis rectoribus ejuſdem loci. Quod ut in perpetuum maneret inconvulſum, à ſuis Notariis ſcripto mandari, & anulo proprio ſcriptum juſſit inſigniri, in conventu Nobilium, in JOCUNTIACO[a] palatio, anno ſeptimo decimo imperii domni Ludovici Sereniſſimi Auguſti, ſui genitoris, & ſexto decimo ſui regni. Hac itaque Regis auctoritate percepta, vir egregius ejúſque devotiſſima conjux, frequenti deinceps ſtatione, dignáque reverentia locum excolebant. Igitur ex eo, devotioni ſtudium, cultus ſacræ religionis ibidem proficiens, cœpit iſdem locus, non ſolum à venerandis jugalibus, verùm & ab aliis religioſis mortalibus decenter & honeſtè venerari. Eóque proceſſit amplificatio rei ipſius Eccleſiæ, ut inter reliqua matris eccleſiæ Bituricenſis membra connumeraretur & ipſa. Ita religioſi conjuges, voti ſui compotes effecti, vitæ ſuæ tempus, nunc in divinis laudibus, modò verò cum adminiſtratione militiæ, fideliter agebant.

4. Aliquando verò, quodam ex ipſorum officio, cuſtodiis equorum in paſcuis præterfluenti alveo adjacentibus ſolito more invigilante, una dierum jam aurora illuceſcente vapor nebulæ, ut adſolet, ſuperficiem tenebat terræ; quo paulatim evaniſcente, quædam in eccleſiæ modum recentis effigies ædificii, in contigua fluminis planicie, & per aliquot horarum ſpatia, reſidere videbatur: donec diurnæ lucis vigore diſparuit. Miratus inſolitum, ſuæ primùm Dominæ quod viderat, pandit. Quod illa mente pertractans, & ut fidelis, divinum fore fideliter credens, piam ſupplicabat Divinitatem, ut reiteratione hujuſmodi viſus, eam de hac ſui diſpoſitione conſilii redderet certiorem: quam voti compotem divinæ complacuit facere pietati. Ubi verò eodem ſchemate quo primus ille viderat, ipſa quoque perſpexit, mox venerando conjugi patefecit: qui ſuper auditis Deo gratias agens, ipſe quoque divinis emeruit precibus idipſum poſt aliquot dies ſimul cum his qui viderant, cernere ſchema. Tali denique modo, diſpoſitio Dei venerabilium mentes conjugum ad provectiorem inſtinctum bonæ pertrahens actionis, deinceps eos etiam ad Cœnobii conſtructionem animavit. Quibus ut ſe ſic tempus obtulit opportunum, continuò de rebus eidem loco delegandis teſtamentum faciunt, domnique Pippini Regis adeuntes præſentiam, vota ſuggerunt, & locum ſibi rebus decretis per teſtamentum ejus poteſtati committunt, ut ipſius auctoritate, atque Francorum deinceps Regum providentia, tueretur. His igitur ad votum eis à Rege conceſſis, propere cœptum perficiunt opus. Quod poſtquam decenter & commodè perfecerunt, ad honorem ſummi Salvatoris, ejúſque ſanctæ genitricis & ſemper virginis Mariæ, ſanctorúmque Apoſtolorum & omnium deinde Sanctorum conſecrare fecerunt. Sacroſanctis etiam reliquiis, ex ſacra videlicet palla, Magni Gregorii Papæ meritis divinitus cruentata, ſicut in geſtis ejus legitur, necnon & plurimorum pignoribus Sanctorum locum illuſtrantes: diverſis quoque muneribus, & eccleſiaſticis ornatibus decenter adornare ſtuduerunt. Deinde compoſitis habitaculis religioſis Cœnobitis, quorum Pater vitæ venerabilis, DODO nomine, fuit, Cœnobium commiſerunt, qui ſecundùm inſtitutionem beatiſſimi Patris Benedicti religioſè ſemper illud regerent, & per ſuccedentia tempora poſſiderent.

Cœnobii condendi occaſio.

Dodo primus Abbas.

5. Eſt autem locus iſdem in penultima parte Biturici pagi, verſus Occidentem, admodùm delectabili ſitu jocundus. Nam è regione fluminis Agneris[b] curſus offertur, quod commoditate ſui quàm maximè juvat incolas ejuſdem loci. Tum deinde circumquaque fertilis humus omni germine, cùm ſui fœcunditate, tum etiam agricolarum opere. Præterea loco pertinentia, ex maxima parte ſatis contigua. Prædicta porro ſanctæ Dei Genitricis eccleſia, ſpatio ſtadii ad meridiem diſtat: quæ & ipſa cum ſibi collatis per prædictum teſtamentum eidem Cœnobio fuit conceſſa.

6. Poſtquam verò ſacer Ordo, curâ religioſi Patris DODONIS, in hoc ipſo jam rite profecerat Cœnobio, idem nobiliſſimi conjuges, animo ſitienti, adhuc amplificare loci ipſius rerum poſſeſſiones deſiderantes, præter illa quæ priùs contulerant, alia quædam addiderunt, & cum eccleſia quæ vocatur *Cilbracus*, æquè per teſtamentum præfato loco contulerunt, anno viceſimo-quinto Imperii Auguſti Ludovici, & viceſimo-quarto Pippini filii ſui Aquitaniæ Regis. Quæ res in ſuperioribus partibus Biturici pagi, ſeu in vicinia Bituricæ civitatis conſiſtere videntur, ſicut ipſo rerum earumdem teſtamento docemur.

7. His igitur ab optimè religioſis conjugibus ita compoſitis, de cetero quoad vixerunt, eis illa vigilantia fuit, ut iſdem locus ad meliora ſemper & altiora proveheretur: quorum equidem materialis ædificatio in ipſius angularis lapidis nomine Chriſti JESU conſtructa, crevit in templum ſanctum in Domino, cùm in ea degentes Cœnobitæ per inſtituta mandatorum Dei, perque regularem ſanctiſſimi Præceptoris noſtri Benedicti tramitem gradien-

a Aſtronomus in Vita Ludovici Pii Jocundiacum Palatium in pago Lemovicenſi collocat, vulgo *Joac*, aliud à Jocundiaco agri Turonenſis, *Jouay*.

b Agner ſeu Anger, in Biturigum finibus oritur, Aimoino dictus Audria, vulgo *l'Indre*.

Circ. ann. DCCC LXX.

tea, reliquorumve ſanctorum Patrum exemplis viventes, alius ab alio, coædificati ſunt in habitaculum Dei, in ſpiritu Sancto. Namque quòd hi tales, & boni quique, Deo magis quàm ſibi viventes, ipſius Dei habitatio ſint, eſt inde Veritatis veriſſima ſponſio, quæ dicit.

Joan. 14, 23.

Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit: & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Apoſtolus quoque Petrus, fideles adhortans, *Accedentes*, inquit, *ad lapidem vivum, & ipſi tamquam lapides vivi ſuperædificamini, in domos ſpiritales.*

1. Pet. 2, 4.

Cùm hæc ergo de fidelibus ita ſe habeant, meritò hi fideliſſimi conjuges, illorum gratiæ participes eſſe creduntur, qui ea intentione laborare ſtuduerunt, ut hi in eorum labores introirent, quos pia Divinitatis dignatio ſua dignos effecerat habitatione. Pro quibus omnibus, poſtquam à terreſtri domo hujus habitationis emigrarunt, domum non manufactam æternam in cælis, promeruiſſe dignè credendi ſunt.

Vvifredus & Oda extra eccleſiã ſepulti.

Quorum corpora, ſecundùm ſui diſpoſitionem, tunc quidem ſecus eccleſiæ memoratæ beatæ Dei Genitricis introitum, ad dexteram ſcilicet ingredientium, ſepulta ſunt. Poſtea verò, devotione Fratrum præfati Cœnobii agente, hinc tranſlata, dextra lævàque altaris ipſius ſpecioſæ virginis Mariæ, digno cum honore condita ſunt. quorum depoſitionis dies ſub uno die, nempe decimo Kalendas Septembris quotannis recolitur.

Poſtea tranſlati in eccleſiam.

Circa quod tempus, domnus etiam Pippinus Aquitaniæ Rex, biennio ante patris ſui obitum, ultimum vitæ ſortitus diem, Pictavis apud ſanctam Radegundem ſepultus eſt.

Pippinus Aquitaniæ Rex Pictavis ſepultus.

Domnus verò Ludovicus, poſt plurima rei eccleſiaſticæ, necnon & publicæ bene conſulta, quibus ad æquum, divino ſemper in adverſis uſus auxilio, Regni vel Imperii ſui moderavit ſtatum, anno ab Incarnatione Domini octingenteſimo quadrageſimo feliciter obiit: poſt cujus extrema, tres filii ejus, pro regno Aquitaniæ, quo frater eorum Pippinus regnaverat, invicem diſſidentes, bello decertare contendunt: quod & factum eſt apud Fontanetum Burgundiæ locum. Lotharius major natu, & Auguſtali dignitate ſuperior, cum exercitu Italiæ, adverſus fratres Ludovicum & Carolum, qui Calvus agnominatus eſt, & ipſi adverſus eum cum Francis & Aquitanis. Et Lotharius quidem primo impetu victor exſtitit, ſed mox reſumtis viribus, ab Warino Duce Toloſano & Aquitanis fugatus eſt. Et quidem meritò. Nam is Imperii cupidine, quamvis non abſque fratrum ſeu quorumdam pravorum conſenſu, pium patrem cuſtodiâ detentum, diademate privare decreverat, ni ſanior Ducum ſententia, & Epiſcoporum auctoritas conatus ejus fruſtraviſſet, qui poſt fugam, diademate depoſito, facinoris ſui pœnitentiâ motus, privatè vivere deinceps volens, in Monaſterium ſe contulit. Ludovico præterea non longè poſt hæc, ab humanis obeunte, Carolus ſolus, qui Calvus dictus eſt, & Regnum Francorum, & Imperium Romanorum nobiliter ac ſtrenuè rexit.

Dodo Abbas privilegium à Carolo Calvo obtinet.

8. Interea DODO præmemoratus, egregiæ probitatis Abbas Stradenſis Cœnobii, ſollicitè ſibi commiſſorum commoda inſtanti procurans vigilantia, præſentibus & futuris quod optimum fore cenſebat, conſultè ſemper providere ſatagebat. Is ergo quàm primùm opportunitate reperta, memoratum Regem Carolum adiit; illique ſe ſe, cauſamque ſui adventus diligenter innotuit. Deinde proferens auctoritatis edictum præcellentiſſimi Regis domni Pippini ſui germani, quod pro liberalitate ſibi credito conceſſerat loco; ex hoc maximè ſuas conſtare preces edicit, ut ejus exemplo, ſimul & ob memoriam fraternæ dilectionis, ipſe etiam more regio, ſpeciale decretum ad perpetuum munimentum, contra pravorum tumultuationem, ſupradicto dignaretur concedere loco. Cujus petitionem Rex placidè ſuſcipiens, ejus voluntati libenter annuit. Igitur accitis in conſpectu ſuo Notariis, præſenti conſcriptione decrevit, ut hoc ipſum Cœnobium, vel inibi degentes, & cuncta quæ ſui juris eſſent, vel quæ Deo favente futuris temporibus ibidem augmentanda erant, nulli cujuſvis potentiæ perſonæ, qualibet arte nequitiæ opprimendi, aut inquietandi ullo modo licentia foret. Neve quilibet, in omni loco dominationis ipſius loci, quippiam pravi uſus imponere, aut indebitam exactionem quoquo modo facere præſumeret. Sacræ ſiquidem religioni, ſoli Deo vacare cupienti, ſummam quietem debitam fore, neque licere debere cujuſquam illi impetum contraire. Ad hoc etiam fiſco regio debita, pro ſui ſuorúmque ſalute, ſtatúque reipublicæ ſuæ, cuncta prorſus eo privilegio eidem loco ſunt indulta. In clauſula demum perſcripti decreti ſtatutum eſt, ut per ſuccedentia tempora, locum ipſum inhabitantes, è ſuis non aliunde petitis perſonis eligerent ſemper, quibus ſacra prælatio loci committeretur, à quibus Cœnobii totius gubernatio æquo jure tractaretur. Idque non cujuſquam mortalium vi, ſed fraterno Cœnobialium voto fieri quàm maximè decrevit. Hæc ita ſtatuta, litteriſque mandata, regio more, proprii impreſſione anuli roboravit, regnante eo jam quarto regni ſui anno.

Ita ergo venerandæ memoriæ Dodo Pater, cum ſuis apud Regem honorificè habitus, & voti compos effectus, ad propria remeavit lætus.

Dodoni ſuccedit Mainardus.

Qui poſtquam feliciter vixit, & humanæ debitum naturæ feliciùs ſolvit, ad bonæ vitæ percipienda merita feliciſſimè pervenire promeruit. Cui nihilominus vitâ religioſus, in prælatione præfati Cœnobii MAINARDUS ſuc-

ceſſit; cujus erga memoratum locum piæ ſollicitudinis ſtudium, plurimarum edocent inſtrumenta ſervata chartarum.

Circa Ann. DCCC XXX.

10. Hic igitur aliquando, pro ſibi competentibus cauſis, aulam expetiit domni Karoli Regis. Aderant verò tunc in palatio Fratres ex Cœnobio ſancti Petri, quod eſt in territorio Nivernenſi, grata ſatis poſitione ſitum, inter duos amnes Ligerim & Everem; qui pro ſubſtituendo ſibi Patre, regiam videbantur expetiiſſe majeſtatem. Ad horum ergo conſultum poſt alia Rex animum vertens, prædictum convocat Mainardum Abbatem, & ejus paternitati Monaſterium illud ſe velle concedere dixit. De quo quamvis ob prolixitatem viæ, tædioſum ſibi valde videretur, cùm ſe illi parere conſenſiſſet; mox præſenti Rex confirmavit ſcripto regium præceptum, ac proprio roboravit ſigillo, ut jam dictus videlicet ſancti Petri locus à præfato Abbate MAINARDO, ſuiſque ſucceſſoribus, Stradenſis ſcilicet Monaſterii rectoribus, perpetualiter poſſideretur & regeretur. Verùm hæc de Cœnobii Stradenſis conſtructione, velut ædificando operi poſita fundamenta ſufficiant. Super quæ quidam altius ædificare geſtientes, non id, fateor, mutuatis ab incerto ſumtibus agere decrevimus. Cùm huic loco, de quo ſermo agitur, gratiæ Dei munere, feliciter abundet cæleſtium operum præclara materies. Igitur ope virtutis Dei, cujus opus eſt quod extra vel intra cælorum ambitum mirabiliter contineri conſtat, id aggredi tentavimus; ut videlicet ad Fidelium venerationem illa conſeribantur, quæ in hoc Cœnobio Divinitas noſtri Salvatoris mirabiliter operata eſt ad ſui laudem nominis, illorum utique Sanctorum meritis, quorum hic pia Fidelium devotio patrocinia colligere curavit, quorum etiam precibus iſdem locus nuncuſque tuetur, ſemperque tuendus ſperatur.

Nivernenſe S. Petri Cœnobium Stradenſi ſubjectum.

11. Erat igitur haud procul à prædicto Stradenſi Cœnobio locus [a], ſex videlicet millibus diſtans ab eo: in quo ſanctorum GENULFI & GENITI memoria continebatur, qui temporibus Decianæ perſecutionis, à beato Sixto Papa Romano, ob verbum prædicationis in Gallias directi fuerant. qui venientes in urbe GETURNICENSI [b], quanti apud ſe meriti eſſent, omnipotenti Deo declarare placuit, dum eorum meritis ibi puerum à dæmonio, & puellam à graviſſimo liberavit incommodo. Ubi pro veritate Chriſti dira fuſtium verbera paſſi, poſt etiam fornacis ardentis ignibus injecti, angelica protectione à vaſto ignium liberi ſunt ardore. Tum deinde ferrea carceris vincula perferentes, ſed ab Angelo confortati, demum per reſurrectionem mortui, & divini verbi prædicationem, omnes orbis illius cives ad Chriſtum converſi & baptizati ſunt. Quibus eccleſiis fundatis, & inſtitutis eccleſiaſticis edoctis, poſt aliqua temporis ſpatia inde diſceſſerunt, & ſupradictum expetiverunt locum, quem pro ſui aptitudine ſibimet ad manendum eligere decreverunt. Quem etiam poſtea favente eis gratia divina, in propria ditione ab ejus poſſeſſore ſuſcipientes, & ibidem Eccleſiam Chriſto fundantes, & felicis vitæ ſuæ curſum ibi feliciter conſummaverunt, & divinas ſæpius oſtendendo virtutes, ſanctis meritis ſitis, ipſum deinceps illuſtravere locum. Unde & contigit, ut eo tempore [c] Cella ſancti Genulfi cognominaretur ab incolis. Succedentibus verò temporibus, exſtiterunt intra Gallias incurſiones plurimæ barbarorum, necnon & perſecutiones infidelium, quibus multæ, ut ſuprà dictum eſt, deſolatæ ſunt antiquæ Sanctorum memoriæ, ac penitus per multa tempora deſtitutæ.

Genulfus & Genitus Geturnicenſem urbem adeunt.

Cellam ædificant, ibique obeunt.

Cella S. Genulfi inde dicta.

12. Contigit igitur aliquando, ut venerandæ memoriæ præfatus MAINARDUS Cœnobii Stradenſis Abbas conſilium haberet cum Fratribus, de Tranſlatione jam dicti Confeſſoris Chriſti Genulfi, quibus idipſum omnibus invicem ſentientibus, & hujuſmodi ſententiam amplectentibus, etiam ſuper hoc negotio domnum Regem Karolum adire decreverunt, ut quod futurum ex illo foret conſilio, illius celeberrimo fieret imperio. Aliquantis igitur aſſumtis Abba Fratribus, aulam expetiit domni Regis Karoli: cui cùm adſtitiſſet, & pro quibus ierat, intimaſſet; cujus temporis, vel loci, ſeu auctoritatis iſdem vir ſanctus fuerit, Rex ſciſcitatus eſt. De quibus cùm edoctus ab Abbate fuiſſet, libentiſſimè quod petebat, conceſſit, & ut liberè faceret imperavit. Hoc ſanè præcipiens, ut ſancti quidem Præſulis GENULFI corpus Monaſterio transferret: beati verò Patris illius GENITI glebam remanere fineret.

Mainardus Abbas S. Genulfi corporis tranſlationem meditatur.

Regem adit.

13. His igitur à regali clementia conceſſis, acceptâ Abba remeandi licentiâ, regreditur ad propria, & ſe pro quibus ierat, impetraſſe denunciat [d]. Eo ergo Fratres exhilarati nuntio, auctoritate freti regia, Sanctorum cellam adeunt devoto cum obſequio. Quia verò minùs quàm decebat, eo tempore locus ipſe reverenter habebatur, ideo res ipſa ſic ad haben-

a Bollandianus S. Genulfi Encomiaſtes hîc S. Petri oratorium, ſuper Naonis fluvium erectum dicit.

b Geturnicenſem urbem ſeu Geturnicenſem pro Cadurcenſi poſitam volunt Gulielmus *de la Croix*, aliique recentiores. Hinc S. Genulfus primus Cadurcenſium Epiſcopus dicitur.

c Bollandianus auctor ſic habet: *Loci vocabulum tranſmutavit fidelis devotio Chriſtianorum, vocatque nunc vulgariter Cella S. Genulfi, qua ante adventum eius dicebatur Cella dæmonis.*

d Res paullo fuſiùs in priore S. Genulfi Vita refertur apud Bollandum, num. 7, 8, 9 & ſeqq.

CIRC. ANN. DCCC LXX.

dum ipſius ſancti Confeſſoris corpus, animos Fratrum accenderat. Oratorium ergo quod in honore ſancti Petri ſacratum erat, ſunt ingreſſi, ſanctum inquirunt theſaurum: ſed ne tunc incertum foret, quemadmodum Sanctus uterque diſcerneretur, olim, ut credi poteſt, huic futuræ Tranſlationi diſpoſitio providerat divina. Nam ut in libello vitæ vel obitus eorum

Sacras aufert reliquias.

continetur, ſancti quidem Præſulis Genulfi corpus, ad ingred[illegible]tium dexteram; beati verò Patris ejus Geniti membra, parte fuerant ſiniſtra locata. Igitur ea certitudine maximi pretii reperto munere, digna cum reverentia ſanctum corpus geſtatorio Fratres imponunt, & ſic cum laudibus divinis ad Monaſterium redeunt. In quo ſub die XII Kalend. Julii precioſum deponentes onus, ob tanti Confeſſoris adventum, hunc ipſum diem quotannis inſtituêre celeberrimum atque ſollemnem. in quo deinceps loco multoties per hunc ſibi dilectiſſimum famulum multa ſanitatum miranda frequenter mortalibus largire dignatus eſt Chriſtus, ad laudem & gloriam nominis ſui.

Varii Galliæ caſus.

14. Ea ſanè tempeſtate, graviſſimis caſibus, Galliarum ſunt detritæ provinciæ. Decedente ſiquidem glorioſo Rege Karolo Calvo, regni quoque ejus à ſua celſitudine corruit ſtatus. Nullus namque poſt eum Imperium tenuit Romanorum. Ejus filius Ludovicus, agnomine Balbus, ſolummodo Regnum obtinuit Francorum. Tunc Bajoariorum ſurrexit Regnum, apud quos hactenus conſtat Imperium Romanorum. At verò Ludovico decedente Balbo, filius ejus KAROLUS, agnomine MINOR*, poſt eum regnavit. Contra quem Franci conjurantes, eum de regno expulerunt. Et ODONEM Aquitaniæ Ducem pro eo regnare conſtituerunt. Qui nec integris etiam in Regno duobus ſubſtitit annis. Cui filius ſucceſſit ARNULFUS, in ipſo pæne initio regni ſui jam ſemivivus. His temporibus WILLELMUS Comes Arvernorum erat Dux Aquitanorum, qui Cluniacenſe fundavit Cœnobium. Sanctus quoque GERALDUS vir magnæ ſanctitatis, ac præclaræ nobilitatis, ipſis temporibus claruit, qui Aureliacum Monaſterium conſtruxit. Tunc etiam ABO nobiliſſimus partium Princeps Biturigenſium, Dolenſe Cœnobium ædificavit. Eo quoque tempore cruentæ acies in cælo apparuerunt, ad præſagium excidii regni vel patriæ jam tunc imminentis. Nam Karolus quem Franci repulerant, reſumtis viribus, regnum recepit: ſed iterum repulſus eſt, & Dux ROTBERTUS Rex conſtitutus eſt. Karolus ergo, ab OTHONE Imperatore accito auxilio, prœlium cum Francis qui eum repulerant, commiſit: & victor exſiſtens, Robertum interfecit, regnúmque recepit. Poſtea verò controverſiis adverſantium ſedatis, factiſque pactionibus, UGONI filio Rotberti, Ducatum conceſſit, ac deinceps regnum obtinuit.

* *al.* Simplex

15. Sic itaque clandeſtino malo Francorum vacillante Regno, ab externis etiam Galliæ nationibus affliguntur. Siquidem barbaries effera Nortmanorum, quæ interiora Oceani Britannici plagæ Septentrionalis incolere videbatur, navali manu innumera de ſuis electa, ingentis pelagi Galliæ victum occupat limbum. Igitur ab ipſis incipiens oris, ac deinde cuncta pervadendo ſeſe diffundens, Occidentales Gallias, & maximè Neuſtriam, & Aquitaniam depopulari cœpit. Idipſum verò multoties ſuperioribus annis adgreſſi fuerant Nortmanni: ſed eis belligeri viri Duces locorum ſæpius obſtiterant, & eorum frequentes impetus ſæpe Mavortia manu pepulerant. At ipſis etiam Ducibus inter ſe diuturno bello diſſidentibus, ac vario rerum eventu, nunc iſtis, nunc illis decidentibus, ita tellus nudata ſuis defenſoribus perfacilè patuit externis pervaſoribus. Quorum inſania per cuncta quà viſus ante ſui faciem erat, feraliter incedens, obſiſtentes, ſi qui fuerant, interimere, victos captivare, bona cuncta diripere, nulli mortalium parcere, divina & humana ſuis ludibriis promiſcua habere, ſancta loca demoliri, cædibus, incendiis prorſus cuncta replere ſatagebat.

Nortmanorum incurſus,

& ſævities.

16. Cùm verò jam per plurima Galliarum loca ſuæ crudelitatis exercuiſſent facinora, Biturigum etiam pagum violenter affligere cœperunt. Jam dictus autem Cœnobii Stradenſis Abbas MAINARDUS cum Fratribus ſuis, hoſtili præcognito adventu, apud prædictum ſancti Petri Monaſterium fugæ præſidium expetere decreverat. Aſſumtis igitur omnibus quæ ſalvandi gratiâ ſecum ferenda cenſuerant, etiam beati Præſulis Genulfi corpus pariter ferri voluerunt. Cùm ergo cœptum iter uſque Biturigam peregiſſent civitatem, ecce ante eos dæmon per os hominis cœpit clamare & dicere: O ſancte Genulfe,
» num te effugere potero? Cur in his etiam locis me perſequeris? Non tibi ſufficit quòd de
» Gedornicenſi urbe me expuliſti, & cellam inhabitare prohibuiſti? heu me, Sancte Dei!
Cùm itaque nequam ſpiritus hujuſmodi vocibus inſani hominis ore clamaſſet, ſine mora pervaſum reliquit hoſpitium. Ita meritis ſanctiſſimi Præſulis liberata perſona, geſtatoribus ejus Dominum benedicentibus, plurimum lætitiæ contulit. Tandem igitur ad diſpoſitum pervenientes locum, ſancti Petri videlicet oratorium, Sancti oſſa ibi depoſuerunt, & omni cum diligentia ſervare ſtuduerunt.

S. Genulfi reliquiæ ad Nivernenſe S. Petri Cœnobium deferuntur.

17. Advenientes autem hoſtes ad Stradenſe Cœnobium, & tam rebus quàm habitatoribus vacuum reperientes locum, quicquid reliquum fuit in ædibus, flammis tradidere vo-

ſtacibus. Sed reliquis circumpoſitis ædibus igne conſumtis, ita totius Monaſterii fabrica, Domini JESU protegente virtute, reſtitit illæſa, ut in ea nullius adustionis veſtigium appareret. Quod cernentes hoſtes, & virtutem divinam ſentientes, à loco receſſerunt, & ſuper vicini fluminis oram, Duces eorum circum ſe ſcrobibus actis, aliquibus temporibus conſederunt, donec ab eis omnis circumquaque regio vaſtaretur. Itaque, cùm per ſeptem annorum luſtra, Neuſtriam & Aquitaniam devaſtando, Arvernum uſque perveniſſent Normanni, Rex Burgundiæ RADULFUS, in auxilium evocatus ab Aquitanis, cum exercitu valido feſtinus occurrit eis: commiſſoque prœlio cum eis, in loco qui dicitur ad Deſtrictios, Deo auxiliante Chriſtianis, pene uſque ad internecionem deleti ſunt pagani, & ab Aquitania fugati. Qui verò evadere potuerunt, in oris Galliæ ſuper Oceanum, in urbibus ſcilicet quas ipſi primo impetu ſuo deſolaverant, eo pacto, permittente Francorum Rege, ut fierent Chriſtiani, reſederunt. Quæ loca propter inhabitantes, nunc partim Normannia, partim Britannia dicuntur.

Circ. ann. DCCC LXX. Stradenſe Cœnobium incendere Normanni fruſtra conantur. ſuperantur à Rauulfo Burgundiæ Rege.

18. Poſtquam igitur ille metus hoſtilis à provinciis diſceſſit, mox ſancta beati Præſulis membra Stradenſi Monaſterio Fratrum reſtituere curavit devotio. Ergo remunerato loco ipſo de precioſo Reliquiarum ſacri corporis ipſius Confeſſoris Chriſti theſauro, cum Benedictione Fratrum ipſius Cœnobii, ſanctorum pignorum bajuli profecti ſunt. Venientes autem Nivernis, à civibus urbis illius, ac ſibi notis fidelibus reverenter excepti ſunt. Ibi etiam à Clericis Epiſcopii civitatis ipſius, necnon à Sanctimonialibus ibidem degentibus expetiti, ut eis vel aliquantulam portionem de ſacro beati Præſulis corpore darent, unam è coſtis ejus illis conceſſerunt. Quam cùm inter ſe Clerici ſive Deo ſacratæ Virgines ſibimet exæquando ſecuiſſent, mox ab utriſque partibus cruor ſtillavit. Admirantéſque qui aderant, ſtupuerunt valdè & verè viventia coram Deo ſancti Confeſſoris merita dignis laudibus attollebant. Inde quoque egreſſi, viam ſuam direxerunt ad territorium quod Sigalonium dicitur: ubi poſt aliquot cùm perveniſſent dies quodam loco diverſorium habuerunt, ubi poſt diſceſſum eorum, circùm manentes pagenſes eccleſiam in ejuſdem beati Confeſſoris honore fundaverunt, & nomine conſecraverunt. Ibi verò quantam gratiam ſuam Deus meritis hujus beati Præſulis Genulfi terræ illius incolis præſtiterit, gratum memorare videtur. Cultores ſiquidem agrorum circumjacentium votivum ſibi fecerunt uſum, ut ſementis tempore, portionem ſeminis, quantum ſibi videretur, ad eccleſiam ipſam quiſque deferret, ac ſancto Confeſſori, ad uſus Sacerdotis qui divina ibidem myſteria celebraret, devotus offerret: ut ejus meritis eorum ſegetes vel à fulgure, & tempeſtatibus, ſive adverſis ſeris corruptionibus, illæſæ ſervarentur. Quorum piæ devotioni ſic pietas annuit Salvatoris, beato ſuffragante Patrono, ut ex tunc uſque nunc in eodem voto perſeverantibus expetita quoque perſeveret ſalus.

reliquiæ in S. Petri Monaſterio aliquot S. Genulfi reliquiæ. aliquæ Nivernenſibus datæ.

ejus meritis ſedata tempeſtas.

19. Nonnullis quoque ſanitatum dona in eodem itinere per beatum Confeſſorem confluentibus ad eum collata ſunt, quibus ſæpè ſuos lætificavit, donec ad Monaſterium proſpere ventum eſt. Interea jam tunc MAINARDUS exceſſerat Abba. Cui etiam in prælatione vir ſtrenuus & utilis, Monachus ſucceſſerat AMALRICUS. Huic verò Amalrico, ſuiſque ſucceſſoribus, quidam vir claræ nobilitatis, LÆTARIUS nomine, Monaſterium quod in Waltnenſi pago, ad honorem beati Baptiſtæ Johannis, ac ſancti Genulfi Confeſſoris conſtruxerat, cum teſtamento ſemper poſſidendum delegavit, illoque decedente, ſucceſſit AYMO, qui præceſſor extitit ASRICO. Hic poſt illa Normannica tempora, propiùs Cœnobio præfuit Stradenſi. Obeunte Aërico, ſucceſſit Elias, qui uſque ad noſtrorum tempora majorum longævus permanſit.

Stradenſes Abbates.

20. Poſt aliquot iterum annos accidit, ut hæc ipſa regio Hungarorum quateretur incurſibus. quæ res vulgata, Cœnobialium Stradenſis Cœnobii non minimum perterruit corda. Providentes itaque ſibi, caſtrum quoddam quod Lucas [a] vocitatur, ad ſui præſidium, in ea neceſſitate petierunt. Illuc itaque Fratres ſeſe cum ſuis, ac etiam cùm beati Præſulis Genulfi corpore conferentes, illius tempore metus, eò ſancta Confeſſoris ſervata ſunt membra: ſed poſtquam & ille hoſtium tepuit fervor, redire Fratres ad Monaſterium, cum ſacris decreverunt reliquiis. Ergo cœptum iter illis peragentibus, ecce ſubitò nubium denſitate cæli facies obumbratur. Anxiari Fratres & ſanctarum Reliquiarum geruli cœpêre, futuræ tædio pluviæ. Tum deinde largiſſimis proruentibus imbribus, vehemens inundatio ſuperficiem replebat terræ. Sed manifeſtè divinæ complacuit clementiæ pia ſancti Confeſſoris declarare tunc merita. Nam à tantæ inundationis violentia ita ſanctum corpus, ejúſque geruli cæleſti ſunt virtute protecti, ut nihil omnino ſuper eos pluviæ cecideret. Sic meritis magni Præſulis ab eo relevati tædio, cum exſultatione magnificantes Dominum, ad Monaſterium pervenerunt.

Stradenſes Monachi Lucas fugiunt.

reliquiarū geruli a pluvia immunes.

21. Alia nihilominus Hungarorum incurſione, quæ biennio poſt primam contigit, ad proximam ab Occidentali plaga munitionem, ſancti Confeſſoris delatæ ſunt reliquiæ. Qua

[a] Lucæ arx munitiſſima ad Angerem fluvium, vulgò *Loches*.

Circ. ann. DCCCLXX. etiam decedente perturbatione, ſancta membra Fratres navigio imponunt, & per *Agnerem* fluvium ſuperiùs ad Monaſterium remigare cœperunt. Quibus cum gaudio adſcendentibus, exclamavit unus ex navigantibus: „ Sancte Genulfe, certè ſi velles, ſervis tuis cibos dare poſ- „ ſes. Nec mora, piſcis non parvæ quantitatis, quem Squillam[a] dicimus, à profundo gurgitis

Piſcis eſurientibus oblatus. emerſus, ſaltu ſe in navi præcipitavit. Admirantes gratulantur nautæ, ſic citiſſimè ſanctum Confeſſorem ſuis adeſſe fidelibus. Sicque lætiſſimis animis, ad Monaſterium reditum eſt.

Moribundus defenditur adverſus dæmones. 22. Quodam etiam tempore, quidam à nativo Britanniæ ſolo egreſſus, orationis gratiâ, ſancti Patris Gildæ reliquias, ſive aliorum Sanctorum expetere loca decreverat. Qui poſt aliquos itineris dies, ab invaletudine correptus eſt. Pro poſſe tamen cum ſociis iter explebat, donec ad hunc uſque quæ citra flumen Agneris VILLA GODONIS dicitur, perventum eſt: ibi feſſus omnino, ægritudine cogente, deponitur. Elias interea vir religioſus, hujus loci tunc prælatione potiebatur. Ad hunc igitur languens ille ſupplices dirigit preces, ut ſibi myſteria noſtræ redemptionis per ſanctæ religionis miniſtros mittere dignaretur, qui eum jam deficientem ſanctis ac vivificis myſteriis communicarent, ejuſque exitum Domino commendarent. Ilico venerandus Abba, per loci Paraphoniſtam[b], nomine WIDONEM, ei quæ petebat, dirigere curavit. Ad quem cùm feſtinus idem Frater acceſſiſſet, mox eum ſacroſanctis myſteriis participavit. Qui mox clauſis oculis, agebatur in extremis. Aliquibus igitur horarum ſpatiis exactis, iterum oculos aperuit, & adſtantibus referebat, à Sanctis provinciæ ſuæ ſe viſitatum fuiſſe, qui contra malignorum ſpirituum turbam de ejus animæ ſalvatione decertaverint. Quibus altercantibus, ecce ſubitò ſanctus Domini Confeſſor intervenit Genulfus. Qui converſus, aſſiſtentibus ait dæmonibus. Quid, inquit, miſerrimi ſpiritus, hic agere diſponitis? Ecce Dei clementia concedente, ſuſcipiet hunc ſinus Abrahæ. Quod cùm dixiſſet, nequam conventus repentè diſparuit. Et converſus ad Sanctos, dixit: „ Bene Sancti Domini veſtrorum curâ ſollicitamini, ſed in reliquis, veſtræ ſollicitudinis ut „ decet meminiſſe, ſatagite. Nam iſtius ſalutem animæ nobis à Dei benignitate conceſſam „ ſcitote. Hîc ſiquidem cùm in præſenti noſtrorum officio Fratrum divinis ſit participatus „ ſacramentis, dignum eſt, ut eorum precibus aſſiſtamus, & de ejus ſalute procuremus. Hæc cùm infirmus cunctis adſtantibus aperuiſſet, iterum clauſis oculis à vita diſceſſit. De quo nulli dubium, cùm talia de ſancto Præſule Genulfo retulerit, quin ipſius meritis, in æterna requie locatus ſit. Ejus itaque corpus Monaſterio delatum, honorificè ſepultum eſt.

Monachi cædes, 23. Ex eccleſia ſanctæ Dei genitricis Mariæ quædam aliquando inter quoſdam ſæcularium atque Monaſterii Cœnobitas exiit controverſia. Quæ adeo diffuſa eſt, ut Frater quidam FRISUERALDUS nomine, qui eò pro Fratrum jure tuendo, ab ELIA directus Abbate fuerat, in foribus ejuſdem eccleſiæ gladio necaretur, conſcio loci Preſbytero nomine GODONE, qui fraudulenter eorum partibus favere videbatur. Quo facto, venerandus Abba, pariterque Fratres omnes vehementer afflicti, magis ab illo Judice Deo, qui Dominus ultionum eſt, & ex malè commiſſis ultionem liberè agere novit, quàm ab aliquo ſæculi Principe, tanti vindictam flagitii, expetere decreverunt. Erat autem in eodem cœtu Fratrum, vita venerabilis ſenior ERMENULFUS nomine, qui tunc in Monaſterio æditui fungebatur officio. Hic nocte quadam cùm ſe poſt orationem expletam, in oratorio quieti dediſſet, conſpicit primò quidem immenſo claritatis fulgore tota repleri ſpatia templi. Deinde præfulgidum quemdam & maximum cæleſtium virorum conventum, eximio candore vernantem, adſtare cuidam reverendæ mulieri & inæſtimabilis potentiæ perſonæ; quæ incomparabili ſpecioſitate decora, juxta ſummi Salvatoris adſidere videbatur altare. Ecce autem quidam venerandæ gravitatis Antiſtes, in ſacerdotali ſchemate, illi dominæ propiùs adſiſtens, ultionem ex ſupradicti ſanguine fratris nuper interemti coram ea ſuppliciter ex- „ petebat. Quæ gratificè ſic ad eum reſpondere videbatur: Et mihi potiùs, Frater, cauſa de hoc „ procuranda eſt ſcelere. Et adjecit: Petrus, inquiens, Apoſtolus huc accedat. Quo accedente, ait ad eum: Ecce, Frater, hujuſmodi piaculi judicium exercendum tuæ poteſtati

cæleſtis vindicata. commiſſum. His dictis, cæleſtis ille conventus diſparuit. Poſt hæc igitur ex perpetrata nece, vindicta cæleſtis à Deo maturè ſubſecuta eſt; ut infra parviſſimi temporis ſpatium illius homicidii miniſtri, cum ſuis fautoribus & omnibus pene adfinibus, morbis decederent

* immunibus. exitialibus. Perpaucis illius immunes* vindictæ relictis, qui in rerum miſeria totius vitæ ſuæ tempore permanentes, ad ultimam uſque pervenerunt ætatem. Ita verò glorioſa genitrice Dei Maria, ſanctiſſimóque Præſule Genulfo famulo ſuo patrocinantibus, reddita con-

Rom. 12, 19. feſtim retributio ſuperbis eſt, quemadmodum ſcriptum eſt, *Mihi vindictam; ego retribuam, dicit Dominus.*

Reliquiæ ab homicida conſcio reſiliunt. 24. Porro Preſbyter ille quem ſuprà tanti facinoris conſcium diximus, reatus ſui perpendens magnitudinem, ſanctam Dei genitricis eccleſiam & hujus Cœnobii cœtum, ex proprii poſſeſſione juris, heredem fecit. Hic ad vitæ ſuæ finem perveniens, capſulam quam-

a Lucius dicitur in priore apud Bollandum Vita.

b Cantor ibidem dicitur.

dam

dam ſacris Sanctorum reliquiis inſignem, ab eadem ſanctæ Virginis Eccleſia, coram ſe deferri rogavit. Qui cùm in extremis ageretur, ſubitò proſiliens hæc ipſa capſula à loco quo ante eum fuerat appenſa, è conſpectu ejus alibi perlata eſt. Ex hoc autem & immenſitas divinæ virtutis, cujus in ea portiu maxima continebatur capſula, & divini in eum examinis prolata ſententia patenter intelligitur.

Circ. Ann. DCCC LXX.

25. De cujus adhuc judicio, talis in Monaſteriu ſubſecuta fertur oſtenſio. Sabbato quodam inſtante jam noctis articulu, cùm Fratres debitum Completorii ſolvere pararent, Æditúus eccleſiæ nomine Wiuu, ob campanam pulſandam, antè proceſſerat. Qui cùm ad campanæ perveniſſet locum; ecce quem ante defunctum noverat, illum iu notiſſima forma Preſbyterum conſpicit, evaginatum tenentem gladium. Perterritus ilico, retrorſum aufugit, atque iu oſtii limine, velut exanimis concidit. Jam Fratres aderant, illumque quolibet alio caſu, potiùs quàm metu, corruiſſe putabant. Poſt paullulum itaque, ſpiritu recreato, ſurrexit à loco. Quodque viderat, Eliæ Patri venerabili, cæteriſque Fratribus, verbis non valens, ſignis innotuit. Poſtquam igitur admirantes omnes in ſtratibus* ſe dederunt, ecce per alta ſilentia noctis, ipſi Widoni nominatim eum vocando, vox hujuſmodi ſonuit dicens. Surge, inquit, ſurge. Expergefactus ille nimio iterum corripitur horrore: cui trementi & admodum paventi, ſeſe ſalutari ſigno crucis munienti, vox etiam intulit. Ne, inquit, omnino pertimeſcas. Veniens autem iu Monaſterium videbis, quo pro nece Fradebaldi ſupplicio deputatus ſim. At ille quamquam tremens & pavidus, rei tamen auditæ probamentu ſurrexit & ivit: & dictorum fidem coram ſancti Petri præſtulans altare, paullulum obdormivit. Ecce autem in illu quietis ſomno coram ipſo ſancti Petri altari, dolium ingens eructantibus repletum flammis ei apparet, in quo Preſbyter ille ſeſe immergere videbatur. Deinde gladius quidam igneus, ab alto delapſus, & ejus vertici illiſus, pariter in flamma demergebatur. Evigilans autem Frater cum maximo tremore, cuncta per ordinem ſupradicto Patri vel Fratribus retulit. Hic ergo patet quanta Sanctorum ſollicitudo ſuper ſibi dignè famulantes invigilet ſemper: ea videlicet, quæ ſiniſtrorſus illis accidunt ſubmovendo, ſed & commoda cuncta piè petentibus adhibendo.

idem tertiò apparet in pœnis.

* ſtratis

26. At verò Karolu decedente minore, Ludovicus filius ejus regnavit. Hujus filii fuêre Lotharius & Karolus. Lotharius poſt patrem regnavit, & à Regina ſua veneno exſtinctus eſt. Cujus filius Ludovicus, uno tantùm ſupervivens anno, & ipſe potu malefico periit. Patruus autem ejus Karolus, cùm poſt eum regnare voluiſſet, à Francis ejectus eſt. Et Ugo Dux filius Hugonis Ducis, Rex à Francis elevatus eſt. Karulus autem captus in Senletenſi urbe, in carcere truſus eſt. Ibique genuit Ludovicum & Karolum, & mortuus eſt. Et expulſi ſunt filii ejus à Francis, & erant morantes apud Imperatorem Romanorum. Ita Francorum Regum ſecunda deficiente linea, regnum in tertiam tranſlatum eſt. In qua quidem primus exſtitit Robertus, qui à Karolo minore interfectus eſt, ſicut ſuperiùs dictum eſt. Secundus verò filius filii ejus, præfatus Ugo, qui Magnus agnominatus eſt, qui etiam Eccleſiæ Dei clementiſſimus defenſor fuit.

Ultimi Reges Carolinæ ſtirpis.

27. Hujus ergo Magni primò Ducis, poſtea Regis Ugonis temporibus, quidam Optimates nobiliſſimi Pictavorum, in eo loco ubi Cœnobium beati Sigiranni exſtat Abbatis, munitionem ædificaverunt, ac firmiſſimè munierunt. Hoc Primas contigui caſtri quod ad Orientalem Stradenſis Cœnobii plagam ſitum eſt, admodum graviter ferens, præſumtionem eorum omnino diſſultum iri feſtinabat. Igitur ob id negotii, memoratum adiens Ducem Francorum, ejus ad hoc ſuffragia poſtulabat. Qui ejus rogatui favens, coactiſque militum millibus quamplurimis, quu fuerat expetiuus, exercitum ducere cœpit. Itaque, cùm ad Stradenſis Monaſterii vicinia perventum fuiſſet, ibidem Franci caſtrametantes, fixêre tentoria. Inopinato metu turbati ruricolæ, primò ſuſpicabantur barbaras nationes, veluti ſuperioribus ſolitæ fuerant temporibus, ſuperveniſſe: ſed cernentes eos nihil inſiſtere prædæ, quod illi callidè fecêre, jam paullu minus mali ſuſpicabiles habebantur. Sed poſtero die caſtra moventes, quicquid uſquam victui neceſſarium, quæcumque fuerant opportuna reperta, futuræ parantes obſidioni, cuncta invadere, rapere, ſecúmque ducere cœpêre. Tollitur in cælum vulgi mærentis clamor, Salvatorem Chriſtum invocantis, & ſancti Præſulis Genulfi auxilium deprecantis. Adfuit ilico miſeris miſeratio Salvatoris, per meritum ſancti Confeſſoris. Nam hi qui debita vel propinqua Cœnobii loca deprædati fuerant, ita cæleſti ſunt ultione percuſſi, ut eorum alios oculorum lumine multatos, alios verò nervorum contractione miſero cerneres corpore debilitatos.

Prædones vindicati ſanantur.

28. Hujus ergo cæleſtis animadverſionis opinio, cùm ad aures uſque prædicti Principis perlata fuiſſet, rem ſciſcitatus & edoctus, confeſtim primarios exercitus ſui plurimos, è latere ſuo direxit ad locum, qui ſuos à pervaſione rerum dominationis ipſius loci, vel ad eum confugientium omnino prohiberent, & in eos, ſi nollent, etiam vindicarent. Qui cùm veniſſent, unum è ſociis elegerunt, qui toto deinceps illius obſidionis tempore, Monaſterii rebus tutamentu fieret. Illi autem prædicti miſerabiles, divino multati judicio, Mona-

CIRC. ANN. DCCC LXX.

ſterii limina coram cunctis expetentes, reatus ſui veniam, & ſancti Confeſſoris Genulfi auxilia ſupplicabant. Omnipotens verò Deus, notam ſemper faciens in populis virtutem ſuam, ita ſancti Patris Genulfi merita declaravit, ut omnes continuò priſtinæ redderet ſanitati. Ipſe verò Dux Ugo, cum Principibus exercitus ſui, locum ipſum & Fratres qui ſub Patre religioſo vivebant Elia; ex eo maxima veneratione coluit ſemper.

Elias Stradenſis Abbas.

Vuillelmus Pictavorũ Comes.

29. Cùm verò memoratus Dux, aſſumto jam regno, ad urbem Pictavam exercitum duceret, Willelmo Comite, propter abjectionem Karuli, & injuſtam, ut videbatur, aſſumtionem regni, ei nolente ſubdi, pars exercitus ejus, per vicum prædicti Cœnobii Stradenſis tranſitum habuit. Cæteris pertranſeuntibus, unus ex exercitu duos cuidam pauperculæ rapuit panes. Exclamare mulier, & ſanctiſſimum cœpit invocare Genulfum. Nec mora, puſillum progreſſus eques, illius corruit equus, graviterque colliſus inutilis effectus eſt. Ipſe autem mox cæcitate captus eſt. Interea commilitones, collegæ ſui reatum cognoſcentes, ocius ad Monaſterium cum eo repedarunt. Confitetur ille delictum ſuum, veniam culpæ coram Sancto depoſcit. Adfuit & mulier, cui damnum intulerat. Quam ille juxta modum culpæ digna ſatisfactione placavit. Tum deinde verbera profert, & omnimodis precibus inſtat, ut his excruciato corpore, ab illo cæleſtis vindictæ vinculo ſolveretur. Fratribus autem & fidelibus qui aderant Salvatorem noſtrum orantibus, & beati Præſulis Genulfi ſuffragia pro miſero poſcentibus, ilico lucis ei gaudia reparantur, exhilarantur adſtantes, tantæ præſentia virtutis, benedicentes Chriſtum, qui ſemper eſt mirabilis in Sanctis ſuis. Miles verò cum ſuo illo ſocio vota Deo gratiarum & ſancto Confeſſori ſolventes, quò decreverant abiêre gaudentes.

Miles pauperculæ injurioſus fit cæcus.

ſanatur.

30. Penuriâ regione finitima laborante, mulieri cuidam è vicino poſſeſſionis hujus Monaſterii loco, panis ſubſidia defecerant: quamobrem ut ſibi provideret, Cœnobium petens, id orans ibat, ut ſancti pietas Confeſſoris, ejus negotio pium præberet occurſum. Cùm igitur ad ſacram perveniens ædem oraſſet, atque poſt orationem inde fuiſſet egreſſa, confeſtim à proxima domo quemdam egredientem offendit. Quem de ſuo cùm interpellaſſet negotio, is ei continuo, ſuæ paupertatis pretio condignam annonæ menſuram, libentiſſimè largitus eſt. Sic itaque voto potita, gaudens ad proprium repedabat tugurium. Sed ne fortuitu potiùs id accidiſſe, quibuſpiam credibile videretur: evidentis indicio virtutis, mox declaratum eſt. A vicino ſiquidem caſtro, tunc etiam duo quidam ut ſibi panes emerent, advenerant equites. Quibus emtis, modus portandi eos, non aderat illis. Horum igitur unus STEPHANUS dictus, qui etiam à rapiendi ſibi ſolito more, RASTRI a dicebatur agnomen habere: præfatam conſpiciens oneratam abire pauperculam, eam ſubſecutus exoneravit, ſolóque fundens annonam, violenter ei ſacellulum abſtulit, & abſceſſit. Tum verò gemere mulier, & manibus ad templum protenſis clamare cœpit. Heu me, ſancte Dei » Genulfe! ecce quod à te petiveram; magis tuâ gratiâ, quàm meo pretio me impetraviſſe » gaudebam. Ut quid ergo ſic deturbor? Ne, Sancte Dei, ne patiaris, inopiæ meæ juvamen » auferri. Hæc ubi dixit, repentè quodammodo mente turbatus, infelix conſtitit eques. Deinde magis ac magis hebetatus, mox etiam cæcitate damnatur. Ita ſanctiſſimi merito Confeſſoris, propter miſeriam inopis & gemitum pauperis mulieris, tunc exſurrexit Dominus, faciendo videlicet ex calumniatore vindictam. Magis igitur quod illa paullo antè petierat, ac ſe impetraſſe gaudebat, gratiæ divinæ, quàm fortuito caſui deputandum, quia ſcriptum eſt: *Deſiderium pauperum exaudivit Dominus.*

miles oculis privatus.

Pſal. 9, 37.

31. Enimvero clamore mulieris, noſcendæ rei gratiâ, plurimis ad eum confluentibus locum; ab aliquibus ille percunctatur, quidnam ſibi videretur. Quibus ipſe, neque cernere ſe quippiam, neque noſſe reſpondit. Tum verò cunctorum qui aderant ore, glorioſi Confeſſoris meritorum virtus, laudibus innumeris effertur. Igitur in præſenti pauperculæ mulieri de violentia ſatisfaciens, Miles ille, non ſuis, verùm aliorum obtutibus, ad ſacra templi limina deducitur; in quo reatus ſui veniam petens, cùm devotè coram Sancto perſiſteret; tandem divina propiciatione, ſanctique Præſulis obtentu, luminibus priſtinis reſtitutus eſt. Ipſe autem hujuſmodi vindictam expertus, ita virtutis ejus extitit teſtis; ut in quocumque locorum domi foriſque præfatam poſtmodum pauperculam offendiſſet, eam in maxima ſemper habuerit veneratione, atque ob ejus injuriam, talia divinitus perpeſſum fuiſſe, ſed beatiſſimo patrocinante Genulfo, ſaluti ſe propriæ redditum, palam omnibus fateretur.

lumen recipit.

32. Quidam rerum venalium negotia perferentes, ex hujus Cœnobii vico, mercandi gratiâ, ſuperiora pagi hujus adierant loca. In itinere autem à quibuſdam conventi ſunt equitibus, qui illis rerum ſuarum ſummam violenter auferre nitebantur. At verò ſummâ Salvatoris ac ſanctiſſimi Præſulis Genulfi ſuffragia proclamantibus eis, illi prorſus, ut ſeſe talium habet ſævitia, proclamationem illam floccipendêre, nec à cœptis deſtitêre, quin potiùs conati ſunt perficere. Sed quàm citiſſimè præſens adfuit ſancti auxilium Confeſſoris,

a An inde dicti gregarii Alamannorum milites, vulgo *Reiſtres* nuncupati? an potiùs Ratii?

Circ. ann. DCCC LXX.

Nam unus ex ipſis, qui primus eorum eſſe videbatur, dum ſuum in partem flectere nititur equum, ita repente ſibidem illius virtute divina riguit equus, ut omnino perſtaret immobilis. Urgeri quidem calcaribus, atque cruentari poterat; ſed movendi prorſus nulla erat facultas. Mirari Miles cum ſociis cœpit, inſolito ſibi rei eventu. Tandem itaque virtutem ſentiens adeſſe divinam, continuò ſocios abſcedere prohibet. Ibique viris ſatisfaciens cum ſuis, ac ſancto Confeſſori votum vovens: mox vinculo divino ſolutum recepit equum. Hoc etiam, à cunctis hujus loci notiſſimo, qui propriè interfuit, relatum eſt, juxta cujus fidem hîc quoque inſertum fuit.

Prædonis equus fit immobilis,

33. Turonorum civitatis obſidionis tempore, tres ex prætereunte exercitu milites hîc captam prædam abducere nitebantur, ſed ut paululum ab opido progreſſi ſunt, continuo nervorum contractione debilitantur uſu membrorum. Qui protinus reatus ſui culpam cognoſcentes, à ſancto Confeſſore veniam petituri, Monaſterium adeunt. Ergo conſueta miſeratione pii Præſulis duo ſanitati redditi ſunt. Qui gratiarum Deo ſanctóque Confeſſori munera ſolventes, receſſerunt: tertio deinceps, uſque ad finem vitæ, in debilitate permanente.

alii prædones puniti, ſanantur.

34. Quidam aliquandò mutus de tranſmarinis partibus huc advenerat: qui ſtridulæ magis ſtrepitu, quàm ſono vocis, ſibi videbatur potiore neceſſaria. Hic una dierum ſacri Præſulis expetens urnam, mox ut eccleſiam intravit, officium linguæ quo eatenus caruerat, videntibus cunctis, ibidem glorioſi Confeſſoris merito recipere meruit.

Mutus loquelam recipit.

35. Quædam etiam mulier hujus incola pagi Biturici, dæmonico furore plena, ſenſúque prorſus amiſſo confeſtim ut ſacram ædem intravit, ab inſania liberari promeruit. In hoc autem, contra videlicet dæmonum nequitias, judicio Dei multoties incautis mortalibus ab inſidiatore inlatas ipſius ſæpe numero ſanctiſſimi Præſulis virtus imperioſa conſtat. Ex quo teſtimonium perhibet non modò numeroſitas eorum, qui ipſam in ſemetipſis virtutem experti ſunt, ſed & illorum, qui propriis viſibus intuiti ſunt.

Energumenus liberatus.

36. Nam quidam è proximo loco, nihilominus ſævitiâ dæmonis plenus, vinctis manibus ad Monaſterium eſt adductus. Cùmque Fratres Sanctorum reliquias laviſſent vino, & ipſi porrexiſſent, mox per os ejus cum ſanguine dæmon exivit. Sic igitur opitulante Deo meritis hujus egregii Patroni propriæ redditus ſaluti, ſoſpes ad ſua rediit.

Sanctum vinum.

37. Prima quadam Sabbathorum, quæ in ſeptenorum revolutione dierum, eadem octava quæ & prima ſemper habetur, & ob Dominicæ Reſurrectionis gloriam, ab orbe catholico celeberrima recolitur. Quædam pariter cum parvulo filio, luminibus oculorum privato, devota venit mulier, quæ devotionis ſuæ fructum à Salvatore noſtro Deo, meritis utique ſanctiſſimi Patris noſtri Genulfi, mox ita percipere meruit. Siquidem oratorium ingreſſa, cùm attentiùs in oratione perſiſteret, à patre luminum Deo, filius ejus illuminatus eſt. Et liberè ſuperiora templi ſpatia depicta conſpiciens, cernit imagineas ſurſum mirando figuras. Tum pueriliter exclamat ad matrem: Mi mater, quinam ſunt iſti quos ſurſum aſpicio? „ Supra modum autem mater admirans, reſpondit: Et quid eſt quod loqueris, fili? Puer verò „ cùm hunc ipſum reiteraſſet ei ſermonem, exclamare mulier, & immenſas omnium ſalvatori Deo ſanctóque Genulfo gratias agere cœpit. Cujus clamore per cunctos qui aderant hoc divulgato miraculo, ſimul omnium vocibus Chriſtus glorificatur, qui ſacra ſervi ſui pignora talibus ſemper virtutum inſignibus exornat. Hujus etiam miraculi certitudinem, à quadam notiſſima ſatis, ac ſuæ fidei merito credenda didicimus perſona.

Cæcus viſum recipit.

38. Semper quidem Dei noſtri æquitas, popularem conſuevit reprimere audaciam, vel miſerationis reſpectu interiùs inſpirando, vel manifeſtato correptionis flagello exteriùs corripiendo. Quædam etenim mulier Teihberga nomine, dum meſſis tempore die Sabbathi, jam illuceſcente ipſius diei veſpera, in Reſurrectionis dominicæ prima Sabbati, ex multiplicatis manipulis, mergetem[a] colligere nititur, ſubitò digitis in volam deflexis ac erumpente ſanguine, audax manus & miſera diriguit. Hinc illa ſe cernens divina perculſam ultione, tandem mæſta properat ad eccleſiam ſanctæ Dei genitricis Mariæ Strata nuncupatam. Ibique decubans ac fide nitente ſoſpitatem implorans, interventu ipſius Dei genitricis Mariæ, duobus directis digitis læta ſurrexit. Deinde verò Monaſterium petens, & coram ſancti Confeſſoris Genulfi venerando decubans ſepulcro, æditum qui hodiéque ſupereſſe videtur Abbatis officio ſublimatus, rogat ſibi ſubveniri. Qui ſupplicanti, candelam ad ejus ſtaturæ menſuram, benigno miſerationis reſpectu largitur. Miſſarum autem celebratione completa, idem æditus ad eam accedens ac ſuper manum debilem ſignum ſanctæ Crucis faciens, & de pulvere ſancti ſepulcri ſuper aſpergens, manum quam detulerat invalidam, duobus aliis digitis directis, validam recepit. Gratias autem Deo ſanctóque referens Confeſſori, gaudens ad propria remeavit.

Sollemnitas diei dominicæ à veſpera Sabbati.

Mulier rurum laborans punita, ſanatur.

39. Alio rurſus tempore, inſtante ſollemnitate ſancti Confeſſoris, ac plurimis ad ejus ſacroſanctum properantibus ſepulcrum, & devotionis ſuæ munera, prout cuique poſſe con-

[a] Merges manipulus eſt ſegetis.

Circa ann. DCCCLXX.

ſulerat, deferentibus: quidam ipſius Monaſterii ſervus, ſubſtantia inops, fide locuples, aiebat ſecum ingemiſcens: » Væ mihi, quoniam inopia præ mente ad tua, ô ſancte Confeſſor, » ſine meo pudore non queo properare limina. Dum mihi non ſit unde aliquod devotionis » meæ munuſculum deferam cum ceteris tuum properantibus ſollemniſare feſtum. Hæc cum ſuſpirio revolvens animo, ac paullulum progreſſus è tecto, conſpicit innumeram multitudinem avium, quas gentas [a] vulgus vocitat per herbida ſpatiari prata, quas cernens eis interdicit ne abire poſſint, quoutique ſuæ paupertatis ex eis valeat explere deſiderium. Hæc dicens, & ut aliquam caperet eas deturbans, aliis avolantibus una earum ab illo longè poſita remanſit. Non aliquo infirmitatis incommodo detenta, non laqueo irretita, ſed ſola ſancti Confeſſoris virtute manſuefacta. Quam pauper aſſumens ſuper ſanctum altare populo ſpectante depoſuit, palam oſtendens quantum fides conſequi mereatur, quámque feſtinatò beatos verè paupertatis ſpiritus, etiam præſenti conſolatione cælitus relevetur.

Avis ſponte capitur altari offerenda.

40. Alter nihilominus ex hujus Cœnobii familia, dum ad ſacra ſancti Confeſſoris oraturus properans pignera, per turturum in itinere paſcentem offendit. Eo aviculæ viſo, volatúque divino quodam inſtinctu repreſſo; mox oti domeſticæ ante eum abire cœpêre. Quod ille perpendens ſancti Præſulis memoriam corde ſervabat & ore proferebat. Et tamdiu eum eædem aviculæ præceſſerunt, donec ad locum ex quo Monaſterium primùm videri poterat perveniret: ibique eas abſque ullius impeditionis pedica comprehenderet, quas etiam in teſtimonium virtutis egregii Confeſſoris atque ſuæ devotionis ſuper altare depoſuit.

Turtures item.

41. Alios æquè Monaſterii ſervus, utique vir boni teſtimonii, dum aliquando ſui negotii cauſâ, noctu propriam ad domum rediret: circa jam noctis conticinium ante portam oratorii tranſitum habuit. Ecce autem voces multorum miris compoſitas modis dulciſſonè reſonantes, quaſi pſallentium chori ejus auribus inſonuerunt: ſimul etiam ſplendor inæſtimabilis ab intus eccleſiæ per feneſtras emicans illi apparuit. Hoc videns vel audiens admirabatur. Cúmque domum ſuam quæ Monaſterio propinqua ſatis habebatur, intraſſet, conjugem ſciſcitatur, cujus Sancti celebritas in Monaſterio ageretur, quòd tam feſtivè in eo pſalleretur. Illa verò ſe neſcire reſpondit: ſed & needum Monachos ad nocturnas ſurrexiſſe vigilias adfirmabat. Tunc magis admirans uxori quæ viderat vel audierat, enarravit. At illa curioſius rem noſſe cupiens domo progreſſa, nihil eorum vel aliud quid potuit haurire, quàm cuncta prorſus ſub ſilentio manere. Ex quo colligitur illius modulationis concentum illorum viſitationem fuiſſe Sanctorum, quorum hunc cura complectitur locum: & illam viri ſui meritis imparem extitiſſe, cujus aures illud ſpiritale myſterium percipere nequiverunt.

Noctu cantus auditus & lux in templo viſa.

42. Contigit aliquando judicio Dei, quodam carnis incendio, multos periclitari mortalium ex populo Chriſtianorum. Quorum multitudines ob ſui remedii depoſcenda, Sanctorum expetere loca certantes, huc etiam quàm plurimi tunc fidelium miſeratione ſubſidióque delati ſunt. Qui ſecus eccleſiæ fuſi jacentes introitum ob intolerabilem paſſionem, die noctúque magnis clamoribus Salvatoris mundi clementiam, ſanctíque Præſulis Genulfi ſuffragia proclamabant. Erat autem non ſolùm audire ſtridores eorum præ dolore, vel exuſtas à corporibus effluere partes videre miſeria, verùm etiam ex putræ carnis fetore res intoleranda, qua clade multi eorum conſumti ſunt: multi etiam aquis aſperſi ſacratis rore miſericordiæ Dei per glorioſa Confeſſoris Chriſti Genulfi merita refrigerati ſunt, & ab illo mortis erepti periculo. Ex quibus in pago Lemovicenſi quidam adhuc habentur ſuperſtites, huic ſancto Patrono certis temporibus vota ſolventes. Plurima ſunt in quibus Salvator noſter hunc ſanctiſſimum Præſulem Genulfum in hujus prima Monaſterii fabrica glorioſum oſtendere dignatus eſt: & quibus hunc locum ipſius vel aliorum Sanctorum, quorum hîc pia continentur pignera, meritis ſuam mortalibus impendendo clementiam, ſæpenumero ſomnia voluit decorare divinitas. Sed ex præcedentibus virtùtibus, fidem quoque de futuris, ſi petentium fides exegerit, indubitanter tenemus, certiſſimè compertum habentes piiſſimum Præſulem piiſſimè ſemper in omnibus ſuis adeſſe fidelibus.

Sacer ignis Genulfi ope reſtinctus.

43. Poſtquam igitur iſdem locus jam cohabitationibus plurimorum repleri, & adventu multorum tam mediocrium quámque nobilium frequentari, & eorùm opibus ditari cœpiſſet: circa DCCCCXC annum ab Incarnatione Domini primæ conſtructionis ejus opus, eo quòd anguſtum videbatur, deſtructum eſt, atque majoribus ſpatiis à ſtrenuiſſimo Cœnobii Patre ROTBARTO noviter ædificari cœptum eſt. Die verò quadam ad vetus deſtruendum opus, plurimis advocatis operariis à duobus eorum reliquo celſior ædificio pinna templi præcidi cœpit: quam cùm ex parte trabibus ſtantes incidiſſent, repentè cum magno ſtrepitu ruinæ corruit, & trabes viróſque terræ dejecit. Ilico de viris metuentes adcurrunt omnes, ea ruina ſuppreſſos exiſtimantes: illi autem de quorum vita in tanto caſu nil prorſus quiſque ſperare poterat, virtute divina, ſanctíque meritis hujus noſtri Patroni, ut credimus, ab illo mortis periculo liberati; licèt tanto præcipitio parum affecti, cum omni ta-

Rotbertus Stradenſis Abbas Monaſterium inſtaurat.

Artifices ex alto lapſi ſervantur illæſi.

[a] Gentæ ſive ganta anſeres agreſtes, uti explicat Adſo in Actis S. Vvalberti Abbatis Luxovienſis.

Ciac ANN. DCCC LXX.

men integritate membrorum, vivi reperti ſunt. Quod equidem virtutis eſſe divinæ, nemini debet ambiguum videri; cum minimis caſibus, multos nonnumquam periclitari cernamus.

Transferuntur S. Genulfi reliquiæ.

44. Interea novæ Monaſterii fabricæ, Jam ea quæ reſpiciebat ad Orientem ædificata parte, communi conſilio Fratrum, prædicandæ memoriæ Pater ROTBERTUS decrevit, ut beata ſancti Confeſſoris membra, in eodem novo Monaſterii opere, decentiſſimè transferrentur. Ad quod peragendum, certum conſtituentes tempus, interim cuncta quæ tam ſollenni congrua videbantur officio, præparare diſponunt. Itaque dies advenit ſtatura, jámque infinita populi multitudo præmonita confluxerat. Cum multis ergo propter expetendam ſuæ ſalutis gratiam, confluentibus ad locum; quidam etiam Abrincatinæ civitatis incola, cæcus advenit. Hic devotiſſimè coram ſancti Præſulis proſtratus lipſanis, ingenti ſupplicabat prece, quo meritorum ipſius à Domino gratia ſuper ſe manifeſtaretur, ut videlicet ejus interventu lucis amiſſæ gaudia recipere mereretur. Talia congeminans, terræ dejectus hærebat. Fratres igitur ſanctiſſimum beati corporis elevantes theſaurum, ex loculo veteri transponunt in novum, quod ad hoc ipſum diligentiſſimè fuerat præparatum.

45. Quod cùm fieret, unus ex ſanctarum Reliquiarum bajulis, os unum, oculis ipſius admovit cæci, idipſum eo fideliter deprecante. Tunc cum pſallentium choris, ac ſpecioſo ſimúlque religioſo ſatis apparatu ſanctas eaſdem Reliquias, ad conſtitutum extra vicum deferunt locum. In quo nunc ob eam cauſam, in honore ſancti Apoſtoli Andreæ, videtur Eccleſia conſtructa. Ibi ergo beata ſancti corporis petentibus populis oſtendentes oſſa, cunctos de præſentia pii Confeſſoris, certos reddiderunt. Sed ne quibuſpiam ex hoc dubietatis adhuc portio ſupereſſet, mox rei veritas evidenter oſtenſa eſt. Namque ut ad Monaſterium cum laudibus reditum eſt; continuò cæcus ille, diſcuſſis cæcitatis caligine, palpebriſque reſeratis, videndi gratiam recipere meruit. Sicque ſanctus Confeſſor, per illius illuminationem cæci ſui præſentiam non ſolùm demonſtravit, verùm etiam ſuorum devotioni fidelium apertè ſe congaudere declaravit. Tunc igitur in præparato ſepulcro, ſancta illius membra, primo Kalendarum Decembrium die depoſita, digno cum honore condita ſunt. Ille autem ob reparatæ lucis gratiam, laudes immenſas & gratiarum actiones Chriſto, ſanctoque Confeſſori ſolvens, per aliquot dies ibidem in orationibus continuare viſus eſt. Sed & multi variis incommodis afflicti, eo quo tunc ſacræ fuerant intinctæ reliquiæ vino potati, priſtinæ ſunt ſaluti reſtituti.

Cæcus lumen recipit.

Ægri varii ſanantur.

VENERABILIS EGILIS

ANN. CHR. DCCC LXX. MAII XXIX.

ARCHIEPISCOPI SENONENSIS

IN GALLIA

ELOGIUM HISTORICUM,

Ubi de SALOCONE Epiſcopo Dolenſi.

Eigilis patria & monaſtica profeſſio.

1. EIGIL, *ſeu* Egilo, Egiluſve, *in Gallia natus, ab ineunte ætate factus eſt Monachus Cœnobii Prumienſis, cujus Cœnobii primordia & præcipuos eventus exhibuimus ſuprà ad annum 844, ubi de tranſlatione ſanctorum Martyrum Chryſanti & Dariæ. Eigilem in Gallia natum eſſe illud ſuadet, quòd poſt abdicatum Prumiæ regimen ſe recepit in Burgundiam, ubi Monaſterio Flaviniacenſi præfectus eſt. Suſpicor eum primò in Cœnobio Ferrarienſi Monachum fuiſſe cum Marcwardo. (nam de Marcwardo res certa eſt ex ejus elogio) dein Marcwardum Prumiæ electum Abbatem, eum ſecum pertraxiſſe in Monaſterium Prumienſe. Ut ita ſentiam, facit eximia familiaritas Lupi Abbatis cum Eigile adhuc Monacho Prumiæ degente, quem in epiſtolis ad Mar-*

Ann. Chr. DCCC LXX Maii XXIX.

Marcwardum ſcriptis cariſſimum & communem filium *nuſquam non ſalutat. Exſtant epiſtolæ duæ Lupi ad Marcwardum & Eigilem, iſtius neceſſitudinis indices. Cùm verò aliquando ſanitatis causâ Ferrarias à Marcwardo miſſus fuiſſet Egil cum aliis, ut di*lectiſſimum fratrem *lætus excepit Lupus ex epiſtola 70. Porro Eigil Prumiæ Monachus recenſetur inter Fratres conſcriptos Monaſterii ſancti Galli, apud Goldaſtum.*

Abbatialis dignitas.

2. *Anno* DCCC LIII *defuncto Marcwardo*, Egil Abbas Monaſterii Prumienſis conſtituitur, *inquit Regino. Eo Abbate Lotharius Imperator anno* DCCC LV, diſpoſitis atque ordinatis Regni negotiis, valedicens ſuis, mundum reliquit, atque in Prumiam Monaſterium veniens comam capitis depoſuit; habituque ſanctæ converſationis ſuſcepto, in religionis profeſſione diem clauſit extremum III Kalendas Octobris. *Egiloni Abbati Rabanus Maurus Moguntiacenſis Epiſcopus ſcripſit epiſtolam de corpore & ſanguine Domini, uti ipſe teſtatur in epiſtola ad Eribaldum, quæ epiſtola intercidit, aut certè latet in angulo ignotæ Bibliothecæ. Egile Abbate Huntfridus Prumiacenſis Monachus, de quo ſuprà, in ſedem Taruennenſem promotus eſt.*

Tranſlatio ad regimen Flaviniacenſe.

3. Anno Dominicæ Incarnationis DCCC LX, *teſte Reginone*, Egil Abbatiam Prumienſem ſua ſponte dimiſit: & ANSPALDUS in regimine ſucceſſit, vir omni ſanctitate & bonitate conſpicuus. *Odorannus Senonenſis Monachus tradit, Egilem* Lothario juniore concedente, & Trevirenſium Epiſcopo jubente, à Carolo Rege in Monaſterio Flaviniacenſi fuiſſe conſtitutum, *nimirum prædicto anno* DCCC LX. *id quod Egil ipſe teſtatur in litteris de conditione Monaſterii Corbiniacenſis. Rem explicat ſcriptor Tranſlationis ſanctæ Reginæ, ſcribens, Egilem à Carolo Rege* ſtabiliendæ religionis gratiâ *in Galliam acceſſitum*, prætenta corporis imbecillitate vacationem *à regimine obtinuiſſe, & Prumiæ quietum aliquamdiu reſediſſe, demumque conceſſiſſe ad Carolum. Hujus abdicationis, cauſam fuiſſe ſuſpicor divortium Lotharii Regis à Teutberga uxore ſua, cui divortio cùm ſubſcripſiſſet* EGIL Abba, *ut legimus apud Hincmarum in libro hac de re edito, videretque id ſanum ſapientibus non probari, pænitens facti, regimine ceſſit, maluitque regno Lotharii cedere, quàm diutius malè ſano Regi adſentari.*

S. Reginæ tranſlatio.

4. *Cùm ad Carolum acceſſiſſet Egil, Flaviniacenſe Monaſterium eo favente regendum ſuſcepit, quo tempore, id eſt anno* DCCC LXIV, *ſanctæ Reginæ Virginis & Martyris reliquiæ Alexiâ * Flaviniacum tranſlatæ ſunt. Ejus rei hiſtoriam litteris mandavit Anonymus auctor in hunc modum.*

* Aliàs

SANCTÆ Reginæ Virginis & Martyris Tranſlationem libenter memoriæ commendamus, quòd eam divinitus procuratam minimè dubitamus. Siquidem Rectores partim ſæculares, partim in religioſo habitu ſibimet ſuccedentes, impliciti variis negotiis paſſi ſunt venerationem tantæ Virginis obſcurari; quam eos oportuerat ad laudem Dei pluribus obſequiis celeberrimam reddere. Huc acceſſit etiam cuſtodum negligentia, qui vel imperitiâ, vel incuriâ, ſuppreſſerunt ſigna, quæ ad declaranda & commendanda merita Martyris enituerant, & quæ jam vix tenui relatione vulgantur.

Id cùm venerabiles Monachi Flaviniacenſis Cœnobii, in cujus poteſtate vel vicinia ſitus eſt locus, ubi certaverat beata Martyr & requieſcebat, ferrent ægerrimè; Tranſlationemque inſtanter & crebrò depoſcerent ab his qui præeſſe videbantur, & quidam verbo promitterent, opere nullus impleret; nutu Dei evenit, reverentiſſimum virum, cui nomen erat ei EGIL, ex Monaſterio Prumiæ, ut nunc dicitur, inſignis Rex CAROLUS arceſſiret ſtabiliendæ religionis gratiâ: qui eidem Prumiæ, quamquam propter reipublicæ turbulentum tempus laborioſè, tamen ſtrenuè aliquamdiu præfuerat, & prætenta imbecillitate corporis tempore LOTHARII junioris, vacationem obtinuerat, & ibi quietus reſidebat. Quique ſe totiens evocantis inſtantiam, votúmque ſancti deſiderii pollicentis differre ulteriùs non prævalens, ſui Regis permiſſu, & Metropolitani Treverorum, ad cujus diœceſim locus ipſe perti-

net, licentiâ canonicè ſumptâ, contulit ſe tandem ad præfatum Regem glorioſum Carolum. Qui benignè hunc, ut decebat, excipiens, Flaviniacum ei Monaſterium commiſit, quod diutiſſimè ſæcularium ſibimet ſuccedentium regimine fluctuabat, ut illius laudabili converſatione ſtatum, quem optabant devotiores, recuperaret. Qui antequam eò acceſſiſſet, auditâ famâ Virginis & Martyris, hoc per ſe deſideravit effici, quod à pluribus dilatum vel neglectum compererat. ANN. CHR. DCCC LXX MAII XXIX.

Ac primùm ab eodem Rege impetrata poteſtate, & ex ejus juſſu ab Epiſcopo JONA, qui Æduorum gubernabat eccleſiam, efficiendi quod cupiebat, auctoritate potitus, Fratribus cunctis gaudentibus, maturavit exſequi propoſitum. Siquidem triduano Fratribus indicto jejunio, duodecimo Kalendarum Aprilium die, aſſumto ſecum SALOCONE Epiſcopo, qui vices Jonæ agebat, & tantæ rei explendæ gratiâ convenientibus ſtatribus, Oratorium beatæ Virginis & Martyris adiit. Et inſtante fine diei, Pſalmis & ſupplicibus aliis orationibus auxilium divinitatis implorans, letaniam facere præcepit. Ipſe verò ligone ſumto, terram qua tegebatur ſepulcrum, moliebatur dimovere. Hoc miræ magnitudinis repertum, ſuperjecto pallio exornavit, & totam noctem cum Fratribus pervigil, ut par erat, humillima ſupplicatione conſumſit.

Mane reducto, Abbas ſacris Indutus, & Saloco Epiſcopus, qui vicem Jonæ Præſulis ipſo jubente ſuſceperat, cæterique Fratres, qui jam frequentes convenerant, divinum ſuffragium ſuppliciter expoſcebant. Ergo Abbas & Saloco Epiſcopus ſepulcrum adiêre, & ſaxeum tegmen tantæ magnitudinis, ut vix anniſu multorum boum adduci poſſet, ſumma facilitate permoverunt, cunctis hoc favore Dei exhilaratis, & præ magnitudine illius à lacrymis temperare non valentibus. Hic ipſe Abbas pio affectu permotus, hymnum *Te Deum laudamus*, excipientibus Fratribus novem, inchoavit, & ita de diſpenſatione feliciter exoptabile votum provenit, ut dum corpus ſacratiſſimæ Virginis in feretro reconderetur, plenitudo Ingredientium Flaviniacenſium Monachorum ornata ſacris indumentis, & inſtructa crucibus, cereis, atque vexillis, eccleſiam introiret; & ſuo ſuperventu letaniam cumulans, in exemplo hymno præmiſſo, pro ſe quiſque alacriter vocibus conſonaret; poſt quem Miſſarum ſunt celebrata officia.

Quibus peractis ingens multitudo vicinorum plebeiorum atque nobilium utriuſque ſexus, & plurimorum, quos undique fama diſcurrens cauſâ devotionis excitaverat, præcedentibus ſummâ cum hilaritate Fratribus ferentibus feretrum cum divinis laudibus, quos honor & veneratio ſanctæ Martyris accendebat, ordine congruo conjuncta ſubſequuta eſt, omnéſque pari exſultatione alacres, & conceptum gaudium diverſis vocibus aperientes, felici agmine proceſſionem geſtu, & quibuſcumque honeſtis valebant indiciis declarabant. Columbæ illic non nidificabant, & aliunde advolantes cerni erat inſolitum. Tamen egredientibus exſequiis feretrum & cereos volatu præcedens pluribus conſpecta eſt: & cùm aliquantulum progreſſa eſt, unde exierat rediit; nec ibi tunc poſtmodum alicui viſa. Unde collectum eſt columbam, quæ ſcribitur ejus certamini affuiſſe, funeri repræſentatam, ut Martyri juſta ſolventes fierent alacriores, & de perſeverante Dei gratia certiores.

Sancta Virgo, quæ quondam incredulis glorioſi certaminis præbuerat ſpectaculum, credentibus religiosè plaudentibus & effuſis in Dei laude, illuſtrem duxit triumphum. Omnibus ergo inſatiabiliter comitantibus (quis enim hanc ſollemnitatem audiſſet qui non adeſſe contenderet? vel quis adventantium ſe pateretur ſubtrahere?) ſexus uterque, ætatúmque diſcrimina cucurrerunt, omnéſque ardebant feſtivitatis illius conſortes exſiſtere, unde certum ſe ſuffragium meritis & interceſſionibus relaturos unanimiter confidebant. Tali frequentia comitantium beatæ Virginis victorioſiſſimum corpus Flavinia-

Ann. Chr. DCCC LXX Maii XXIX. cenſi Monaſterio perlatum eſt, & ad votum Fratrum honorificè in eccleſia conditum: ubi & tunc, & demum ſæpius teſtantium meritum beatæ Virginis tot ſigna effloruerunt, ut non facilè valeant enumerari; maximè autem in ſebricitantibus, quotum illuc ingens confluxerat multitudo remedium expetens, potens Virginis oratio claruit, qui ſerè omnes quod flagitabant, obtinuerunt: ex quorum affluenti copia quibuſdam relatis fidem reliquis faciamus; &c.

5. Hactenus tranſlationis hiſtoria à noſtro Georgio Violio edita in Apologia, quam de exſiſtentia reliquiarum ſanctæ Reginæ in Monaſterio Flaviniacenſi adverſus Franciſcanos Alexienſes, atque adeo Oſnabrugenſes Canonicos vulgavit. Hiſtoriolam hanc in editis conſequitur tranſlatio reliquiarum ejuſdem ſanctæ Martyris ex theca lignea in argenteam: quam narrationem inſtituti noſtri haud eſſe duxi. Porro prioris illius tranſlationis meminit Hugo Flaviniacenſis Abbas in Chronico. Anno DCCC LXIV, *inquit*, tranſlatum eſt corpus ſanctæ Reginæ Virginis & Martyris de Aleſia civitate apud Flaviniacum caſtrum ſeu Cœnobium, præſidente loco eidem, cujus erat juris civitas præſata, Ægile Abbate, poſtmodum Senonum Archiepiſcopo, regnante Carolo Calvo. Hic eſt Ægil Abbas Flaviniacenſis, qui Cellam Corbiniaci inſtituit, & duodecim ibi Monachos poſuit.

Corbiniaci conditio. *6. Iſtius Cellæ conditionem cogitaverat Manaſſes Abbas Flaviniacenſis Carolo Magno concedente, ut patet ex ipſius litteris in tomo 1 Bibliothecæ novæ Labbeanæ editis. At res infecta ſollicitavit animum Egilis Abbatis, qui* anno DCCC LXIV dum apud Flaviniacum ſequenti die poſt humationem ſacri corporis Reginæ Martyris, XI ſcilicet Kalendas Aprilis, unà cum SALOCONE JONÆ Æduenſis Præſulis cathedræ Coepiſcopo reſideret; *lectis litteris Manaſſæ Abbatis, ejuſque laudato conſilio*, celebrato, quod jam imminebat, paſchali gaudio, cum cæmentariis & pluribus aliis artificibus locum adiit Corbiniacum: in quo fundato oratorio in honore Apoſtolorum principis Petri, duodecim ibi in memoriam duodecim Apoſtolorum conſtituit Fratres, quibus WILFRIDUM Decanum præfecit. *Integras hac de re Egilis litteras referre juvat.*

SUPERNI Regis opitulante gratiâ ſacri Cœnobii Flaviniacenſis, EYGILUS nomine, peccator & indignus Abbas, ſacerdotali tamen officio indeptus, cunctis fidelibus ſanctæ Eccleſiæ noſtris ſucceſſoribus Monachis & Abbatibus gaudium æternæ felicitatis. Quia juxta Salvatoris vocem comperimus ſanctum Spiritum ſpirare ubi vult, & per Apoſtolum, eumdem Paracletum didicimus gratiam ſuam unicuique fideli dividere prout vult, ſecundùm noſtræ capacitatis modulum; venturis ut præſenti ratum fore duximus ſæculis, quoniam anno DCCC LXIIII, quod Verbum caro factum eſt, dum apud Flaviniacum ſequenti die poſt humationem ſacri corporis REGINÆ Martyris, XI ſcilicet Kalendas Aprilis, unà cum SALOCONE, Jonæ Heduenſis Præſulis Cathedræ Coepiſcopo, caritatis glutino, noſtræque ſamiliaritatis collegio firmiter compaginato, Deo propitio, hilari reſiderem animo meo, oratu utpote noviter ibidem precibus compulſus inſignis Regis KAROLI piiſſimi Auguſti HLodovici filii à Cœnobio veniens Prumiæ, annuente Treverorum Antiſtite, ob paſtoralem curam Flaviniacenſis Cœnobii, oblata ſunt ante noſtram præſentiam quædam litterarum monumenta à Fratribus: inter quæ quoddam repertum eſt, ubi erat inſitum, quòd religioſus Flaviniacenſium MANASSES Abba olim à Rege Francorum, Duceque Longobardorum, ac Patricio Romanorum, Magno ſcilicet KAROLO, licentiâ acceptâ ad colliniendos Congregationis alterius duodenos Monachos, quibus perpetuo jure tam Abbas, quàm Monachi memorati Flaviniacenſis Cœnobii præeſſent omni tempore, univerſis conlaudantibus Fratribus, Cœnobium in Avalenſe ſeu Nevernenſe voluerit ædificare Comitatu apud Ammonias, in loco qui à COR-

BONE

Ann. Chr. DCCC LXX Maii XXIX.

BONE viro inclito Corbiniacus dicitur, patre videlicet ſanctæ memoriæ GUIDERADI Abbatis, qui ipſum Coibiniacum cum omnibus villis & eorum appendiciis tradidit Domino JESU-CHRISTO, ſanctóque Præjecto, dum in ejus honore venerabile Flaviniacum condidit Cœnobium. Hoc igitur lectitans animadverti Fratrum omnium avida mente intentos eſſe animos, idque à me perficiendum annuentibus intra ſe vultibus indicare, conſilio habito cum præſato viro, rore ſapientiæ perfuſo, noſtræ (ut diximus) familiaritati mente & cotpore nexo, Salocone, vice ſcilicet JONÆ Epiſcopo, & cum nobilibus viris, qui ob adventum tantæ Virginis pridie illuc advenerunt, opere duxi commodum, memor beati BENEDICTI dicti, „quia in omni loco uni Domino ſervitur, uni Regi militatur„: univerſis ſuggerentibus Fratribus, conlaudantibuſque laudabilis vitæ Patris Manaſſæ votum. (S. Bened. Reg. c. 61) Siquidem celebrato, quod jam imminebat, Paſchali gaudio, ſociatis mecum cæmentariis, cum pluribus artificibus, locum adii Corbiniacum: in quo ſundato Oratorio in honore Apoſtolorum Prin.ipis Petri, duodecim ibidem in memoriam duodecim Apoſtolorum in initio ad manendum conſtituimus Fratres, quibus præfecimus Decanum in ſancta converſatione, moribuſque probum, nomine WILFRIDUM, concedentes eorum neceſſariis uſibus ipſum Corbiniacum, cum ſuis appendiciis, omnéſque villas, quas jam dictus in eodem Comitatu conjacentibus Flaviniaco Cœnobio tradidit Wideradus, ut in ejus teſtamento habentur; Antonium utique cum omnibus adjacentiis vel appendiciis earum in integrum, & colonetis; Inkiſcomum, Dunſatium, Viriacum, Valentingas, Vallegrovaria, Juliacum, Pagatiacum, Caſſaniola, Wldonacum, Careacum, Cappas, Degantiacum, Caſſiacum, Roſcella, Palatiolum, Govilis, Sipitiacum, & Sapiliacum, ſeu & illa coloneta in Ariaco, quæ fuit Anſeberti, & quidquid ad eam adſpicere videtur; & clauſum totum in integrum, quem idem Wideradus plantari juſſit. Has igitur villas, vel manſioniles hiſdem Fratribus, Monachiſque noſtris per labentia tempora & annorum illic degentibus, cum omnibus appendiciis ſuis, vel univerſum cenſum eorum reditibus ea ratione concedimus, ut in collaudatione & præcepto Caroli Magni continetur; ut ſemel in anno ſinguli qui ſacerdotali ſeu levitico funguntur officio, per ſingulas hebdomadas repræſentent ſe Flaviniaco, ibique ſibi commiſſum celebrent Officium: quo expleto nemo eorum ad Cellam Corbiniacenſem regredi audeat, donec ab Abbate loci ipſius & à Fratribus probata ejus vita in timore ſancto ſuique propoſiti voto, imperetur regreſſus. Concedimus quoque eis manſum unum apud villam, quæ dicitur *Menres*, quo venientes hoſpitentur Monachi, & ſi neceſſitas exegerit, loti aquâ, ſua induant veſtimenta. Cenſus verò à Decano prædicti loci Corbiniaci annualis & triplex ſic ſolvatur, ut VIII Kalendas Februarii, & VII Idus Septembris, menſam Fratrum Flaviniacenſium ornent convenientibus dapibus: pridie verò Kalendas Decembris reddant e ſolidos in lanificiis veſtibus. Hactenus de conſtructione & obſervatione Cœnobii Corbiniaci. Nunc in fine noſtri Teſtamenti omnipotentem Dominum obſecramus, ut illius miſericordia perpetuò nos deſendat, tueatur, augeat multipliciter, & ut in vera caritate radicati & fundati ad gaudia pervenire mereamur cæli. Si quis verò infidelis aliter ſelle amaritudinis dulcoratus, atque zelo cruenti livoris inflatus, quod deſcripſimus aliquando contemnere voluerit, vel ſæpe dictum Corbiniacum à ſubjectione & dominio Cœnobii Flaviniacenſis aliqua occaſione ſcindere præſumſerit; hic cum ſuis ſequacibus æterna maledictione damnatus pereat, niſi pænituerit corde tenus, cum Hieroboam, qui à Deo receſſit, & filios Iſraël recedere fecit, & in æternum periit. Præterea curam fidelium procurantes animarum, decrevimus; atque unanimiter ſtatuimus, ut ſi quis nobilium vel familiarium in illo ſacro Cœnobiolo, Corbiniaco ſcilicet, pro minuendis ſolvendiſque peccatis, & beata requie ſumenda viam

Ann Chr. DCCC LXX Maii XXIX.

petentes univerſæ carnis ſe ſepulturæ tradi[illegible]erint; Cœnobitæ Flaviniacenſes indefeſſis exorent Dominum precibus pro eorum abſolutione animarum, Miſſaſque ac Officia perſolvant, acſi in eodem Cœnobio humata ſint eorum corpora. Caveant autem Fratres illi, ne eorum pigritiâ animæ defunctorum amittant promiſſa, & debita eis gratuita vota.

S. Leonard de Corbigny * le Morvant

7. *Hinc patet Egili referendam eſſe originem Cœnobii Corbiniacenſis * apud Morvinos * diœceſis Æduenſis, ſic dicti* à Corbone viro inclito, *patre* videlicet bonæ memoriæ Guideradi Abbatis, *cujus elogium retulimus in Sæculo tertio. Hoc Cœnobium ſub initium duodecimi (ni fallor) ſæculi erectum eſt in Abbatiam, atque hactenus militat ſub Regula S. Benedicti ad leges Congregationis noſtræ, id eſt S. Mauri, & ſub titulo S. Leonardi Abbatis Vendoperenſis, cujus reliquiæ ex Cenomannenſi pago iſtuc tranſlatæ ſunt.*

Epiſcopalis dignitas.

8. Anno DCCC LXV, *ait Clarius in Chronico Senonenſis Monaſterii ſancti Petri*, Wenilo Archiepiſcopus obiit, ſepultuſque eſt apud Vallilias quinto Nonas Maii, in crypta ſanctæ Anaſtaſiæ virginis. Huic ſucceſſit in Epiſcopatu domnus Egil Monachus, omni bonitate conſpicuus. *Odorannus* Egil Abba. *Ægrè tulit Nicolaus Papa, ut homo alienæ eccleſiæ, hoc eſt diœceſis Æduenſis, ad Epiſcopatum Senonenſem promoveretur: ſed tamen rogatu Caroli Calvi, qui Egili noſtro impensè favebat, probavit ejus electionem, eique pallium miſit. Teſtes ea de re Nicolai binæ litteræ*, Carolo Regi *&* Egiloni Senonenſi Epiſcopo *inſcriptæ apud Sirmondum in Conciliorum Galliæ tomo tertio, hortantis Egilonem ut monaſticum* propoſitum ſervaret; *&* qui diu in Monaſterio verſatus erat, a priſtino voto ne diverteret. Quod enim, *inquit*, diu in humili habitu cuſtodiſti, profectò indecens eſt, ſi nunc in potiori poſitus dimiſeris ordine, hoc ipſum ſancta quoque Scriptura, venerandiſque decretis pleniter edocentibus. *Conciliis variis ſubſcripſit Eigil, nimirum Sueſſionenſi tertio anno* DCCC LXVI, *Trecenſi anno ſequenti, & anno proximo conventui Remenſi in cauſa* [illegible]*iliberti Epiſcopi Catalaunenſis. Is etiam Romam à Carolo Rege miſſus eſt ad Nicolaum Papam in gratiam Wlfadi poſtulati ad ſedem Bituricenſem; iterumque eo deſtinatus anno* DCCC LXVII, *cùm per ægritudinem proficiſci non potuiſſet, vice ſui miſit Anſegiſum Monachum, ut conſtat ex epiſtola Caroli ad Nicolaum, apud Sirmondum. In libro de Vita ſancti Frodoberti Abbatis Cellenſis, edito in Sæculo ſecundo, fit mentio cujuſdam Ratberti nefarii hominis ex pago Leduenſi, qui matrem dirè percuſſerat.* Pro hoc nefandiſſimo ſcelere, *inquit Auctor*, à Sacerdote loci ad Egilem Senonicæ urbis Archiepiſcopum perductus eſt: cujus præcepto carceri mancipatus, ſqualores ergaſtuli triennio pertulit. Fame deinceps invaleſcente dimittitur, ne inopiâ deficiens moreretur. *Denique Egil Cœnobii S. Vedaſti privilegio ſubſcripſit in Synodo Vermerienſi* *, *fortean anno* DCCC LXIX.

* tomo 2 Conc. p. 866.

Obitus, ſepultura, & memoria.

9. *Audiendus Odorannus Monachus de morte Egilis ita loquens:* Anno DCCC LXX obiit domnus Egil Archiepiſcopus, qui privilegium ſancto Petro fecit de altari Alſonis villæ. Hic Lothario juniore concedente, & Trejectenſium (*lege* Treverenſium) Epiſcopo jubente, ex ipſius diœceſi & Monaſterio quod dicitur Promia, adſumtus, à Carolo Rege in Monaſterio Flavinienſi eſt conſtitutus. Poſtea Senonum Archiepiſcopus ob ſui merita factus, quieſcit in Monaſterio ſancti Petri, *apud Senonas. Clarius Monachus refert litteras, quas in prædictæ donationis confirmationem à Patribus in conventu apud Piſtas congregatis, obtinuit Eigil anno* DCCC LXIX, *qui vitæ penultimus fuit. In Necrologio Dionyſiano inſcribitur* IV Kal. Junii Egil Epiſcopus. *quo die Sancti nomine honoratur in Kalendario ſeu Necrologio Flaviniacenſi, cujus auctorem fuiſſe Hugonem Abbatem exiſtimo.* IV Kal. Junii ſancti Eigilis Senonenſis Archiepiſcopi, primùm Prumienſis, deinde Flaviniacenſis Abbatis, qui multis claruit miraculis. *In litteris Senini Archiepiſcopi Senonenſis datis anno* DCCC LXXX domnus Egil bonæ memoriæ *laudatur, & apud Clarium in Chronico: apud quem invenimus Eigilem* in oratorio ſancti Stephani *ſepultum fuiſſe, juxta cujus tu-*

mulum Aquila Abbas ejuſdem Cœnobii ſepulturam accepiſſe perhibetur. Iſtud oratorium erat ad lævam majoris altaris: ubi Eigilis reliquiæ adhuc latent. Nulla ſit ejus memoria in eccleſia Senonenſi Monaſteriove S. Petri. Eum Socii Bollandiani I Martii referunt inter prætermiſſos: propterea quòd de approbata ejus ſanctitate non conſtat. Sanctum *quidem vocat Kalendarium Flaviniacenſe: at cum eo non conſentiunt tabulæ Senonenſes. De Anſegiſo & Evardo Eigilis ſucceſſoribus infrà.* Ann. Chr. DCCC LXX. Maii XXIX.

10. *Eigili adjungo* SALOCONEM *Dolenſem Epiſcopum, qui transferendi S. Reginæ corporis adjutor fuit*, Flaviniacenſis Monachus *ab Hugone Abbate appellatus. Hunc de cathedra Dolenſi (ut ad Vitam S. Convoionis ſuperiùs expoſui) dejectum Jonas Æduenſis Epiſcopus in partem ſollicitudinis ſuæ adſcivit. Quo in munere cùm ſupremos vitæ dies abſolviſſet, Flaviniaci (uti ſuſpicor) ſepultus eſt. De eo agens Hugo Abbas in Chronico*, Anno, *inquit*, tranſlationis S. Reginæ primo obiit Saloco Dolenſis Epiſcopus, Flaviniacenſis Monachus, cujus corpus poſt ducentos annos incorruptum repertum eſt. *At Saloconem tempore Concilii Sueſſionenſis, anno* DCCC LXVI *celebrati, ſuperſtitem fuiſſe conſtat ex epiſtola ſynodali Nicolao Papæ directa, ubi de* Salacone Dolenſi, adhuc quidem, licèt expulſo, ſuperſtite, *ſit mentio, ut in gradum priſtinum cum aliis reſtitueretur.* Saloconis Dolenſis Epiſcopi obitus.

DE TRANSLATIONE
SANCTI FRODOBERTI
ABBATIS CELLENSIS
APUD TRECAS.

Ann. Chr. DCCC LXXIII Janu. VIII.

1. ADSO *Dervenſis Abbas, ſeu quiſquis eſt auctor libri de vita ſancti Frodoberti Cellenſis Abbatis primi, quem habes in Sæculo 2, pluribus agit de nova baſilica Cellenſis dedicatione per* PRUDENTIUM, *deque ſancti Frodoberti tranſlatione reliquiarum per* OTULFUM, *Trecenſes Epiſcopos facta. Ea breviter hoc loco retractare juvat, ut nonnulla quæ ſcitu digna ſunt, ſuperaddantur.*

2. *Cùm* fabrica eccleſiæ *à Frodoberto conditæ* antiquitate operis collapſa ſuccumberet, in ejus locum altera exſtructa eſt, *&* venerabile beati Frodoberti corpus in crypta prioris baſilicæ immotum intactumque permanſit. *Prudentius Epiſcopus* ad prædictæ baſilicæ conſecrationem à Fratribus evocatus, *univerſa cadavera in eccleſia* ſepulta, *in his etiam ſancti Frodoberti corpus, cujus meritum ignorabat*, de templo eliminari præcepit, conteſtans ſe non aliter conſecrationis officium ſuſcepturum. Expleta templi dedicatione, cùm in urbem reverſus miracula per ſanctiſſimum Confeſſorem patrata curioſiùs cognoviſſet, Archidiaconum *ſuum cum Clero in Monaſterium dirigit*, ut corpus *ſacrum in eccleſiam cum debita reverentia referretur: ſimulque tempus diemque præfixit, quo ipſe venturus*, condignâ illud honorificentiâ collocaret. *quod tamen per mortem explere non potuit.* Cellenſis Eccleſiæ dedicatio.

3. *Hæc fuſiùs Adſo, quæ accuratiùs deſcripta invenio in mſ. Adonis Martyrologio noſtro in hæc verba, ad diem* XVII Kal. Novembris. Apud urbem Trecaſſem in Cœnobio Cella, domni Bovini * vocato, dedicatio eccleſiæ beatorum Petri & Pauli atque Andreæ Apoſtolorum, cum hine inde conſecratis accuratiùs ab Adone deſcripta. * al. Bobini

ANN CHR. aris, à ſiniſtris quidem beatæ ac glorioſæ ſemperque virginis MARIÆ; à
DCCC dextris verò ſanctæ virginis & Martyris Anaſtaſiæ; pariterque cum ſuperio-
LXXIII ribuscryptis. Quod Cœnobium primò quidem exſtitit tugorium hominis unius,
JANU. VIII. unde non incongruè Monaſterium vocaretur: proceſſu verò temporis augen-
* *ſupple* de- te piorum hominum * Cellam, interea regulariter agenda perficiens, Abba-
votione tum nobilium regebatur ordinatione. quorum decimum locum ſortitus eſt AL-
DEHINGUS, vir clarus ingenio, & moribus pollens juſtis. Hic nempe om-
nem locum intus foriſque inmelioravit, inſuper & Cœnobium ampliavit:
cuncta denique officina conſtruxit, & honeſtiſſimè præparavit. Ædificavit
etiam baſilicam perpuleram, quam à parte Occidentis cryptis infrà ſupraque
* *l.* Anno mirificè auxit. Annum * ſiquidem Incarnationis Chriſti DCCC L vocatus ab
eodem Aldehingo venerabili Abbate Præſul inclitus urbis Trecatenſis PRU-
DENTIUS, unà cum Clero ſuo & conventu Fidelium populorum, ſollemni-
ter & cum ingenti gloria lætitiaque in honorem beatorum Petri & Pauli at-
que Andreæ Apoſtolorum eamdem baſilicam dedicavit, octo in ea ſanctifi-
cans altaria per dies octo: decretumque eſt ab Epiſcopo ſanctiſſimo & Ab-
bate, ſanctiſſimiſque Patribus temporis & loci illius, quod bene viſum eſt po-
ſteris, ut omnibus annis redeunte tempore, dedicationis hujus eccleſiæ octo-
nos dies ſollemnes celebrent, atque hujus diei anniverſariam feſtivitatem
hymnis laudibuſque honorificè proſequantur. *Hactenus Adonis exemplar mſ.*

*4. Ex his diſcimus, Aldehingum (quod Adſo reticuit) Cellenſis baſilicæ &
Monaſterii-inſtauratorem, eumque decimum loci Abbatem fuiſſe* anno DCCC L.
*ac proinde fallere catalogum Cellenſium Abbatum apud Camuzatum in Promtuario
Tricaſſino, ubi Boſo anno* DCCC L *præfuiſſe dicitur. Is eſt* HALDEGINGUS *Ab-
bas, cui Carolus, cognomento Calvus*, villam Silviniacum (*quod opidum nunc*
* Sainte- de ſanctis-Virtutibus * *appellatur*) per violentiam Aleranni Comitis *abſtra-*
Vertus *ctam reſtitui præcipit* IIII Idus Januarii Indict. IIII, anno XVIIII regnante
Karolo glorioſiſſimo Rege. Actum Cella-Bobini.

Adſo cor- *5. Etſi verò apud Adſonem Prudentius paullo poſt Cellenſis eccleſiæ dedicationem,*
rectus. *anno* DCCC L *factam, obiiſſe dicatur; nihilo minus tamen ſuperſtes fuit ad an-
num* DCCC LXI. *quo anno eum deceſſiſſe conſtat ex Annalibus Bertinianis: ubi*
Galindo, cognomento Prudentius, Tricaſſinæ civitatis Epiſcopus, natione
Hiſpanus *fuiſſe memoratur. Atque is forſan fuerit Galindo, quem Eulogius Presby-
ter Cordubenſis laudat in epiſtola ad Willeſindum Epiſcopum Pampilonenſem.*

S. Frodo- *6. Sancti Frodoberti tranſlationem deſcribens Adſo in ipſius Vita inquit, nego-*
berti tranſ- *tium hoc reſtitiſſe imperfectum* uſque ad annum incarnati Verbi DCCC LXXII.
latio. *Quippe* OTULFO *qui poſt Prudentium tertius Trecaſſinæ ſedis Epiſcopus fuit, me-*
„ *dio inter utrumque Fulcrico, ſancti Frodoberti corpus ſolummodo intra baſilicæ am-*
„ *bitum collocatum, à loci Fratribus colebatur quidem, ſed nulla celebritate colebatur*
„ *ab exteris. Prodigiis & ſignis ad ejus tumulum factis animati Fratres*, venerabi-
„ lem Pontificem Otulfum adeuntes ſupplicant, *ut ſacrum corpus humo levaret.*
„ Prima dies quadrageſimalis abſtinentiæ *ad hoc indicta. Poëta quidam de hac
tranſlatione agens ſcribit eam factam eſſe* XII *Kal. Martii, quæ anno* DCCC
LXXII *in feriam ſecundam Quinquageſimæ incidebat. Et fortè hanc diem primam
quadrageſimalis abſtinentiæ vocat Adſo, eo quòd abſtinentia quadrageſimalis ab
hac die aliquando cœpit. tametſi potiùs feriam quartam cinerum, quæ caput Qua-
drageſimæ vocari ſolet, ab Adſone deſignatam exiſtimem. Tranſlationis ſacra pom-
pa dilata eſt in ſextum Idus Januarias anni inſequentis, quo die hactenus celebris
eſt ejus commemoratio in Monaſterio Cellenſi. Ad hanc tranſlationem ſpectat Hinc-
mari Remorum Pontificis epiſtola* Octulfo Trecaſſino *ſcripta* de reliquiis San-
ctorum, quas ille ſignificaverat oſtenſis mirabilibus ſe repeiſſe, qualiter eaſ-
dem diſponat: & de eccleſia ſancti Petri, quam reſtruere tractabat, qualiter
ageret, *apud Frodoardum in hiſtoria Remenſis lib. 3 cap. 23. Sancti Frodoberti
reliquiæ hactenus ibidem adſervantur in capſa lignea picturis decorata, in quam*

anno M CCCC LXX *die* XXIII *menſis Aprilis curante Ludovico Raguiero Abbate illata ſunt. De hoc Monaſterio iterum agendum in Vita ſancti Roberti Abbatis Moliſmenſis, qui iſtic quondam Monachus vixit.*

HISTORIA TRANSLATIONIS SANCTI LAUNOMARI ABBATIS CURBIONENSIS IN OPIDUM BLESAS,

Circa ann. DCCCLXXIV Octob. XXIII.

A duobus Auctoribus anonymis, uno æquali ſcripta.

Ex mſ. codice Monaſterii Bleſenſis.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. PROMISSAM *in Sæculo primo Tranſlationis ſancti Launomari hiſtoriam hic exhibeo, in qua deſcribuntur variæ corporis ejus delationes è Monaſterio ejus Curbionenſi in villam Patritiacum, Cenomannos, ac demum Bleſas facta: quibus aliqua præmittenda ſunt de ſtatu utriuſque Monaſterii, Curbionenſis ſcilicet & Bleſenſis.*

2. *Curbionenſe ſeu Corbionenſe Monaſterium, in Carnutum pago Dorcaſſino ad amnem cognominem ſitum, ſanctum* LAUNOMARUM *Abbatem primum & conditorem habuit,* dum Chilpericus Chlotharii *ſenioris* filius ſecundum annum in regno agebat, *ut in ſecunda ſancti Launomari Vita legitur in Sæculo* I. *Launomaro ſucceſſit* RAGNOBERTUS, *qui præceptoris ac deceſſoris ſui corpus ex urbe Carnutum, ubi mortuus ſepultuſque fuerat, Corbionem revexit. Præter ea nihil de iſto Monaſterio legimus uſque ad tempus ſanctæ Balthildis, Francorum Reginæ, quæ poſt medium ſubſequens ſæculum* domno DAGOBERTO ad Curbionis Monaſterium & villam magnam vocabulo Nugaretum, & talenta multæ argenti vel auri, *atque* etiam ipſum regale quo cingebatur cingulum direxiſſe *perhibetur. Poſt hæc, ſive temporum, ſive hominum iniquitate, Cœnobium peſſum datum eſt ſub initia octavi ſæculi, cùm altum de eo ſilentium ſit apud Auctores uſque ad principatum Ludovici Auguſti, qui illud reſtituit. Nam Grimo Abbas* Corbienſis, *quem aliqui Corbionenſis Monaſterii Abbatem fuiſſe ſuſpicantur, ad Gregorium Papam ſecundum cum Sigeberto Monacho Dionyſiano miſſus à Carolo, haud dubiè Corbeiæ, non Corbionis Abbas fuit: tametſi Corbie dicitur* Monaſterium Corbienſe *in libro de miraculis ſancti Wandregiſili, quem habes in Sæculo noſtro ſecundo, ubi mulier quædam* de villa Auriaco, quæ erat ex ditione ſancti Launomari Corbienſis Monaſterii, *phreneſi liberata fuiſſe memoratur.* Curbionenſis Monaſterii fortuna.

3. *Cùm ſolo æquatum eſſet Monaſterium, ejus inſtaurationem molitus eſt Ludovicus Auguſtus, petente* ERICO, *alias* HERIRICO *ſeu Henrico Abbate Mitiacenſi, qui ex Monaſterio ſuo coloniam novam iſtuc induxit, ibique finem vivendi fecit, ut in libro de miraculis ſancti Maximini Abbatis legitur in appendice Sæculi primi. Iſtius inſtaurationis mentionem facit Carolus cognomento Calvus, Ludovici filius, in diplomate Curbionenſibus conceſſo regni ſui* anno quarto. *In his litteris notum facit Carolus, ut* bonæ memoriæ genitor *ſuus* ſereniſſimus Auguſtus Heriricum venerabilem Abbatem & cœtum Monachorum, cui ipſe præerat, *id eſt coloniam,* tranſtulit à loco Mitiacenſi in locum qui dicitur Corbionis, ſitum in pago Dorcaſſino, ubi quidem olim norma monaſtica claruit: ſed Rectorum ſtudiis ordo pariter & ſtatus *loci* deperiit. *utque Monachi illi adjuvante Ludovico Auguſto* à fundamentis Monaſterium *reſtituerunt* in honore tamen magni Confeſſoris *Martini Pontificis, ſicut &* ex antiquo erat, ubi totum corpus militis Dei Launomari competenti honore frequentatur. *Addit Carolus, ſe eò aliquando devotionis cauſâ declinantem paterna munificen-* Inſtauratio.

CIRC. ANN. DCCCLXXIV OCTOB. XXIII. *tia aliquid adjeciſſe, & rogatu Epiſcoporum, qui in loco territorii Aurelianenſis, Germiniaco dicto, convenientes, Curbionenſibus privilegium conceſſerant, ſe iiſdem eiſdem privilegium iſtud conceſſiſſe. Idem Ericus anno* DCCC LIII *Concilio Sueſſionenſi interfuit. Utrumque privilegium, Epiſcoporum ſcilicet & Caroli Regis, inferiùs referam poſt ſequentem hiſtoriam, unà cum alio diplomate ejuſdem Regis, quo poſt incendium chartarum ejuſdem Monaſterii prædia eatenus poſſeſſa Monachis confirmat* anno regni vigeſimo primo, *poſtulante* FRODOINO *Abbate. Paullo antè Anſegiſus Abbas Fontanellenſis* ad Curbionem Monaſterium libram unam *legaverat.*

Bleſenſis Monaſterii primordia. 4. *Ab eo tempore cùm ſemper in deterius ruerent res Curbionenſes infeſtatione Nortmannorum, Cœnobitæ patroni ſui Launomari corpus in tutiora loca traducunt, primò in villam pagi Abrincatenſis,* Patricliacum *appellatam; tum in urbem Cenomannicam; ac demum in opidum* Bleſas *, *quod ſcriptor Vitæ Ludovici Pii* caſtrum Bleſenſe *vocat, ſitum eo in loco, ubi* Ciza * fluvius Ligeri confluit. *Sancti corpus in ejus loci arce primùm collocatum circiter annum* DCCC LXXIV, *poſtea pace cum Nortmannis facta juxta muros opidi in oratorio ſancti Leobini Epiſcopi depoſitum eſt anno* DCCCC XXIV, *ut conſtat ex litteris Rodulfi Regis eo anno datis, quo Bleſenſis Monaſterii primordia cœperunt. Radulfi verba quædam huc transſcribenda ſunt.* Ego RADULFUS Rex cæleſtibus dictis admonitus, necnon etiam penuriâ & longa fatigatione Monachorum, qui de loco in locum fugati indecenter morantur in caſtello Bleſenſi ſurſum, ſcilicet in eccleſia ſancti Carileſi, in loco non apto neque congruo Ordini monaſtico; do & concedo precibus amici mei Theobaldi inclyti Comitis Palatii victus ſancto Launomaro & Monachis ſuis eccleſiam ſancti Leobini conſtructam ſub mœnibus Bleſis caſtri, & fiſcum contiguum ipſi eccleſiæ ad conſtruendam Abbatiam, cum aliis poſſeſſionibus, quæ mihi competunt ab anteceſſoribus meis jure hereditario in pago Bleſenſi, *&c.* Actum Lugduni anno incarnati Verbi nongenteſimo vigeſimo-quarto. SALUMON *novi Monaſterii Abbas primus fuit, cujus anteceſſores in regimine vagæ congregationis Curbionenſis fuere poſt* FRODOINUM *jam laudatum* GUARNO, *quo Abbate ſancti Launomari corpus primùm loco motum eſt Patricliacum; &* SAIMO *ſeu* Saimon, *quem alii* Simonem *vocant.* Anno MXIV Cœnobium ſancti Launomari Bleſi caſtro igne conſumtum *fuiſſe legitur in Chronico Malleacenſi. Procedente tempore condita eſt auguſtior baſilica, qualis modò viſitur: cui ſuprema impoſita eſt manus ſub finem ſæculi tertii-decimi, ſtante Theobaldo Bleſenſi Comite, cujus ea de re litteræ poſtea referentur.*

* Blois
* la Cize

5. *Hactenus ſubſiſtit hæc Abbatia, Benedictinæ ſancti Mauri Congregationi ſubjecta: à qua pendet Curbionenſe Monaſterium* ſancti *Launomari, nunc Prioratus (ut vocant) ſimplex, vulgò* ſaint Lomer le Moutier, *ſex ferè leucis diſtans ab urbe Carnutum. Jam referenda eſt hiſtoria tranſlationis, qualis ab anonymo æquali ſcripta eſt, præmiſſo hoc titulo in codice mſ.* PAUCA DE MIRACULIS, QUÆ DOMINUS PER BEATUM LAUNOMARUM NOSTRIS TEMPORIBUS OPERARI DIGNATUS EST.

Anno 872. translatio Patricliacum. 1. ANNO ab Incarnatione Domini noſtri JESU-CHRISTI DCCC LXXII, cùm jam peccatorum noſtrorum magnitudine juſto Dei judicio promerente, omnem Neuſtriam ac pæne totam Aquitaniam per decem & octo continuos annos longè lateque Nortmannorum gens vaſtaſſet, civitates, caſtella & Monaſteria uſque ad ſolum deſtruens; Curbionenſis Monaſterii Abbas, GUARNO nomine, cum aliquibus Fratribus ejuſdem Cœnobii metu ac timore memoratæ perfidæ gentis, quæ cotidie majora moliuntur in deſtructionem ſanctæ Dei Eccleſiæ; permittente ac conſentiente domno Rege CAROLO cum Proceribus ſuis, tranſtulit corpus pretioſi ac beatiſſimi Launomari in pagum Abrincadinum, in villam quæ dicitur Patricliacus: quam denique villam retroactis temporibus Rodulfus [a] vaſſus dominicus memorato Monaſterio ob remedium animæ ſuæ contulerat, ipſamque olim gens Brittannorum cum Principe ſuo SALUMONE, cum multis aliis poſſeſſionibus Rege Carolo condonante in poſſeſſionem acceperat. Sed quoniam Princeps unus ejuſdem patriæ, nomine GORHAMIUS, eamdem villam à Salomone cum aliis multis poſſeſſionibus in dominium acceperat; hic auditâ famâ & virtutibus, quibus Sanctus Dei undique per provincias refulgebat, reddidit eamdem villam beato Launomaro & jam dicto Abbati reliquiſque Fratribus, & juſſu ac petitione ejus corpus ejuſdem Sancti in eamdem villam tranſtulerunt XVII Kal. Maii. ubi quantis & quàm præclaris miraculis emicuerit, multorum narratione jam per provincias nuntiatum eſt: de quibus & nos hîc aliqua, quia non omnia poſſumus, inſeremus.

2. Igitur cùm in jam dictam villam corpus ejus inferretur, fetus gallinæ de ovo ſuo egrediens expanſis alulis cantus emiſit. & claudus unus, nomine Adalbaldus, contractis cruribus, recepit ſanitatem. Sed & cùm iter faceret ad eamdem villam, quidam cum euntibus

[a] Idem villam Unciacum, vulgo *la Baronie d'Ongi*, in pago Pariſienſi ſitam, S. Launomaro donavit, ex ſecundæ hiſtoriæ num. 4.

obviàm ei venit, ferens cereum in manu. Sed antequam accederet ad eum, videntibus omnibus divinitus ſine materiali igne accenſus eſt.

Circ ann. dccclxxiv Oct. xxiii.

3. Dein procedente tempore, VIII Kal. Maii, feria ſexta, ab hora nona uſque ad veſperam, duæ feminæ contractis cruribus, (nomen uni Lætæ, & alteri Efrut) priſtinam receperunt ſanitatem. Sed & mancus unus, nomine Benedictus, recepit ſanitatem: & dæmoniaca, nomine Geredrudis, à dæmonio liberata eſt: & cæcus quidam nomine Anſelmus viſum recepit.

4. Dum iſta quæ ſuprà retulimus, admirationi & gaudio ducantur, alia per ſervum ſuum Dominus operatus eſt miracula. Nam V Nonas * Maii procedente tempore femina una nomine Maria, contractis poplitibus adveniens, priſtinam recepit ſanitatem. Altera etiam nomine Odilburgis, &c. Alius etiam veniens poſt Aſcenſa Domini, cùm Fratres veſpertinam perſolverent ſynaxim, cæcatis oculis, Ingelarius nomine, coram omnibus, repulſis tenebris viſum recepit. Langardis etiam femina cæcatis oculis ſabbato Pentecoſtes ſimiliter viſum recepit. Alia etiam, Goda nomine, tota pedibus manibúſque contracta, XIIII * Kal. Junii reſtituta eſt ſanitati, &c. Interpoſitis autem paucis diebus mulier quædam contractis pedibus adducta, nomine Bernehildis, dùm ſacra celebrarentur myſteria, Dominica die, XVII Kal. Julii, coram omnibus ſanata eſt. Hæc autem omnia ipſi oculis noſtris vidimus, nec quidquam ſcribimus quod non viderimus, timentes notam mendacii, cùm multa alia longè latéque per populos narrentur a.

* l. Kalendas

* l. IIII

Auctoris ætas.

a Alia deinde miracula ab aliis accepta commemorat Auctor, quæ tanti non ſunt, ut referri mereantur. His proinde omiſſis, alia Tranſlationis hiſtoria fuſior exhibenda eſt.

ALIA HISTORIA FUSIOR,

Ex mſ. cod. V. C. Antonii Vionis Herovallii.

1. CUm jam peccatorum noſtrorum magnitudine juſto Dei judicio promerente omnem Neuſtriam ac pæne Aquitaniam Nortmannorum gens vaſtaſſet, Curbionenſis Monaſterii Abbas, GARNO nomine, cum aliquibus Fratribus ejuſdem Monaſterii tranſtulit corpus beatiſſimi LAUNOMARI ſeptimo decimo Kalendas Maii in pagum Abrincadinum *, in villam quæ dicitur Patricliacus, ubi quantis & quàm præclaris miraculis emicuerit, multorum narratione jam per provincias nuntiatum eſt. Sed debacchante Nortmannorum furore Garno memorandæ opinionis Abbas ac beati comes & bajulus corporis glorioſi Confeſſoris Christi Launomari, refugii causâ Cenomannos divertit, cui aliquod oratorium, in quo glorioſas deponeret exuvias, poſtulanti, ROBERTUS memoratæ urbis Epiſcopus quamdam conceſſit eccleſiam in honore ſancti conſecratam Michaëlis. Illuc igitur delatæ reliquiæ, ſummaque ſuſceptæ reverentia Cenomannenſi populo diverſis ſignorum & miraculorum profuere prodigiis. Porro earum cuſtodiam conventus Fratrum AZARIÆ a cuidam deputaverat, Monacho ſcilicet juſto & timorato, cui circumciſi mores & ad purum defæcata religio nomen ingens paraverant & gratiam.

Tranſlatio Patricliacum,

* Avranché

Cenomannos,

2. Prædictus Azarias in orationibus & vigiliis aſſiduus, dum ſacris advolutus membris nocte quadam devotiori ſtudio pſalmodiam decantaret & diceret: *In conſpectu Angelorum pſallam tibi, Deus meus*; Archangelus ei Michaël apparuit beatis oſſibus obſequium miniſtrans. Incenſantis ſtupefactus fulgore pariter & aromatum redolentia Monachus metu proſternitur, Angelo eum, ne turbaretur, bis hortante colloquiis: Ne timeas, Azaria, miſſus huc veni ei famulaturus in terris, quem conſortem fateor in cælis. His dictis Angelus abſceſſit, fideles adventus ſui relinquens teſtes & adſertionem Monachi, & odorem incenſi.

ubi Sancti reliquiæ cælitus honoratæ,

3. Recedente verò præfato Abbate, SIMON * paſtoralem ſuſcepit providentiam: & cùm ſuccedente temporè ingraveſceret peccaminum ſarcina, atque paganorum ferocitas creviſſet & veſania; Monachi ejuſdem Patris qui adhuc ſuperſtites erant in jam dicta civitate, Simonem communi hortamine ſtuduerunt perſuadere, ut beati Launomari corpus de civitate Cenomannica ad Bleſenſem juberet transferre, diſcrimen timentes civitatis. quod ita factum eſt. & quantum Cenomannenſem plebem de ejus abſentia mæſtificavit, tantum de ejus præſentia Bleſenſem populum lætificavit: à quo cum tripudio exſultationis excipitur, & plurimis prædiorum muneribus honoratur, & ob tanti pignoris meritum à Bleſenſibus

* al. Saimo tum Bleſas.

a Azarias iſte ex ſardis, ut legitur in quibuſdam vetuſtis membranis, *pervenit ad Curbionenſe Monaſterium, ſancti Launomari veneratione excolendum: Ipſum quippe præ omnibus Cunſtria* (Neuſtriæ) *Monaſteriis Grauis monaſticæ cenſuit aptiſſimum; ibique diſpoſuit ſanctæ converſationis ſuſcipere habitum.* & infrà: *Mirificandus Athleta Domini Azarias in præſentia Fradonis Abbatis acceſſit, à Rege veniens, ſe ſuaque omnia Abbati coram Rege contradidit, nihil omnino ſibi ſuapte relinquens.*

Circ. ann. DCCCLXXIV Oct. XXIII.

Monachis quotannis ſollemniter dies illius triumphantis Tranſlationis unà cum aliis celebratur decimo Kalendas a Novembris.

Tranſlationis feſtum Octob. 23. Unciacum delatus Sancti baculus. * Orgy

4. Eo quoque tempore propter quaſdam ſimultates & villarum populationes quæ viciſſim exercebantur inter Francorum Proceres, præfatus Abbas quatuor ex ſuis direxit Monachis ad Unciacum * villam, quam Rodulfus devotus miles vaſſus dominicos Caroli Regis olim dederat ſancto Launomaro in Comitatu Pariſienſi, & ejus in honorem eccleſiam conſtruxerat. Miſſi eò Monachi ſecum deferunt glorioſi baculum Confeſſoris, quò & populus devotior fieret; & locus inſignior haberetur. At ne quis ignoraret iſtam Sancti memoriam ſuæ ineſſe eccleſiæ, ſuperpoſitus altari rei fidem exhibebat. Accidit autem ut oratorii cuſtos meſſores in agro reviſurus, cuidam Fratrum claves cancelli traderet, eum diligentiùs admonens, ut in cuſtodiendis eccleſiæ ornamentis ſollicitum ſe exhiberet proviſorem. Expetitas Frater excubias pollicitus, in arca baculum repoſuit, & obſeratis Januis abſceſſit. Vix tres horæ defluxerant, cùm regreſſi ad eccleſiam Monachi arcam inveniunt apertam, &, divina id agente gratia, baculum altari reſtitutum. Miratur & obſtupeſcit Monachus, qui baculum intus abſconditum, arcam reliquerat obſeratam: ceteris quoque rem perpenſiùs inquirentibus ipſe totam pandit ex ordine. Per eumdem itaque baculum diverſa ibidem clementia Divinitatis operata eſt mirabilium ſignorum prodigia, illúcque provinciales pro amore S. Launomari confluebant, ejúſque meritis ſalubria ſui deſiderii incrementa à Domino impetrabant: ſicque cœpit locus ille ab omnibus honorari, & plurimis facultatibus ac prædiis multipliciter ditari.

Miracula ibi facta.

Æneas Epiſcopus ob injuriam Sancto factam punitus.

5. Sopitis verò ſimultatibus, quæ inter Proceres ejuſdem eccleſiæ provinciæ fuerant, Monachi redeunt ad propria. Quidam Preſbyter tunc temporis eccleſiam de Vitriaco villa, quæ noſtræ contigua eſt poteſtati, tenebat: qui ut vidit memoratam S. Launomari eccleſiam à populo frequentari, mox peſtiferis invidiæ facibus accenditur, & ad præſentiam Æneæ Epiſcopi Pariſienſis accerſivit Monachos, ut oblationes ſancto Launomaro factas reciperet. Quod cùm ipſi ſatisfacere minitaſſet, deſtruendo ſcilicet ſolo tenus eccleſiam Monachorum, præparatis epulis reſedit ad menſam: ubi inebriatus b apparatum equitatus ſibi inſtruere jubet, ut, ſicut prædixerat, præfatam deſtruere eccleſiam pergeret. Illuc perveniens portas eccleſiæ ſubmovit, ſigna quoque ad terram dejecit, altare itidem in eccleſiæ ingreſſu forinſecus extulit, ac propriis deſuper pedibus ſubſannando calcavit, & ingreſſum ſpinis obſtruxit. Sed cùm inde ſecederet, apparuit ei beatus Launomarus in ſenili ſpecie decora canitie candidatus, qui repentè eum verbis increpavit, & de baculo quem gerebat, inter ſcapulas percuſſit. Epiſcopus verò cum ingenti gemitu magnam emittens vocem, ſecum euntibus à beato Launomaro ſe eſſe percuſſum ait. Indicibili autem mærore pariter & dolore confuſus, die ſequenti ad ſedem propriam per alveum Sequanæ remeavit. Tertia die cùm jam imminente mortis periculo pæniteret, Preſbyterum accerſiri jubet: cui imperavit, ut quantocius ad eccleſiam pergeret, portas ejus ut fuerant, erigeret, ſigna penderet, altare in loco ſuo reſtitueret, & in ea Miſſam pænitens & devotus celebraret. quo dicto vitam repentè c finivit. Preſbyter verò completis quæ Epiſcopus juſſerat, poſt diem ſextum juſto Dei examine ſpiritum reddidit.

a Hactenus ipſo die in Monaſterio noſtro Bleſenſi celebratur feſtum hujuſce Tranſlationis, quæ anno DCCCLXXIV facta fuiſſe videtur, altero ſcilicet anno quàm corpus ſacrum è Curbionenſi Cœnobio motum eſt. Alio die proinde contigit ejus corporis relatio ex urbe Carnutum in Curbionenſe Monaſterium, qua de relatione actum eſt in Sæculo I.

b Hæc duriora in Æneam, qui vir utique non immoderatæ vitæ ex aliis ipſius factis fuiſſe videtur. Quamquam apud Frodoardum in hiſtoria Remenſis lib. 3 cap. 3 Bernoldo cuidam pannolus, denudatus, ſqualens, ac ſi uſtulatus fuiſſet, cum aliis Epiſcopis poſt mortem apparuiſſe dicitur, & vivorum ſuffragia flagitaſſe.

c Æneæ obitus contigit ante Concilium Pontigonenſe anni DCCCLXXVI, quo anno Ingelvvinus ejus ſucceſſor prædicto Concilio ſubſcripſit. In Necrologio noſtro Germanenſi pervetuſto I VI Kal. Januarii Enea Epiſcopi.

APPENDIX

De reliquiis S. Launomari, ubi diplomata quædam, & Chronicon Magentiacenſis Prioratus referuntur.

S. Launomari caput.

1. Apud *Arvernos exſtat Prioratus conventualis, Abbatia ſancti Launomari ſubjectus, nomine* Magenciacus, *vulgò* Maiſſac *ſeu* Mainçac, *à Guillelmo Comite & ejus uxore Ingelberga, ineunte ſæculo* X, *id eſt anno* DCCCCXII *inſtitutus, in quo ſancti Launomari caput adſervari dicitur. Certè in litteris viſitationis, quam Simon Bituricenſis Archiepiſcopus comitantibus Johanne Abbate Monaſterii ſancti Sulpicii, & Geilone ejus ſocio, per totam Aquitaniam fecit, anno* MCCLXXXIII, *in eum locum ferià quartà poſt Dominicam in albis*

albis veniſſe, & caput ſancti Launomari ex altari levaſſe memoratur his verbis. Die Mercurii ad Mageociaco Priorarum ſancti Launomari Bleſenſis. Ibi ad ſupplicationem Prioris & Monachorum quaſdam reliquias occultas in altari majori, videlicet duo capita ferè integra, cum pluribus fragminibus oſſium parvis, & pluribus panniculis involuta, quorum capitum unum dicitur beati LAUNOMARI Abbatis, aliud ſancti Ebrulfi Abbatis, de dicto altari levavit, ut cum majori reverentia & honore de cetero haberentur: & ea craſtino ſequenti repoſuit in quadam caſula quoad tempus. *Simonis hac de re litteras noſter Claudius Stephanotius, a reverendis Patribus Billomenſis Collegii, cui unitus eſt hic Prioratus, acceptas, mihi ſuppeditavit una cum Chronico Magentiacenſi: quod utrumque illuſtrandis S. Launomari Actis in fine hujuſce appendicis apponendum duxi.* Circ. ann. DCCCLXXIV Oct. XXIII.

2. *Aliæ ſancti Launomari reliquiæ in Bleſenſi Monaſterio cultu ſingulari honoratæ ſunt uſque ad ſæculum patrum noſtrorum, quo à Calviniſtis diſſipatæ cum aliis ſunt, anno ſcilicet* MDLXVII, *excepto uno brachio, quod eorum furori ſuperfuiſſe ferunt. Anno* MCLXXXVI *cùm perfecta Monaſterii baſilica dedicaretur, in frequenti illuſtrium perſonarum conventu honorificè ſacræ tranſlatæ ſunt reliquiæ, prout Theobaldi Bleſenſis Comitis litteræ teſtantur in hunc modum.* Aliæ reliquiæ Bleſis.

EGO THEOBALDUS Bleſenſis Comes & Franciæ Seneſcallus, notum facio tam futuris quàm præſentibus, quòd anno Incarnationis MCLXXXVI, die vigeſima quinta menſis Maii, cùm in baſilicam ſancti Launomari convenissemus, Fricigilenſis Epiſcopus & ego & ALIPS Comitiſſa, & LUDOVICUS filius noſter, & Abbates HUGO ſancti Launomari, & RAGINAUDUS Pontilevienſis, & RAGINAUDUS Eleemoſynæ, & quamplures alii venerabiles viri, ut corpora ſanctorum Launomari & aliorum ibidem quieſcentium de veteri in novam transferremus eccleſiam, gaviſus plurimum de oſtenſione reliquiarum ſanctarum, pro remedio animæ meæ & animarum patris & matris meæ, laudantibus & concedentibus Alips Comitiſſa uxore mea & Ludovico filio noſtro, dedi & conceſſi in perpetuum Monachis ejuſdem eccleſiæ calfagium* ſuum ad novem ſummarios, & univerſum uſuarium ſuum, quantum opus eis fuerit ad reparationem eccleſiæ ſuæ & domorum in tota propria Abbatiæ, in toto Blimardo & in omni foreſta Bleſenſi, exceptâ Caudâ. niſi fortè defenſum facere vellem, &c. Datum Bleſis per manum HILDUINI Cancellarii mei. *Hæc de reliquiis ſancti Launomari.*

* vulgò *chauffage*

3. *Supereſt ut litteras ſuperiùs promiſſas, quæ Curbionenſe Monaſterium ſpectant, referamus. & primò quidem privilegium Epiſcoporum, Germiniaci* in pago Aurelianenſi congregatorum: qui cùm de urgentibus Eccleſiæ ac regni negotiis tractaturi eſſent, id in primis curarunt, ut afflictæ Religioni monaſticæ opem ferrent, ut teſtantur eorum litteræ in hæc verba.* Privilegiũ Epiſcoporũ pro Corbionenſi.

* *Germigny* V. Sæcul. 4, pag. 601.

ANNO Incarnationis Domini octingenteſimo quadrageſimo tertio, Indictione ſeptima, regnante per provincias Galliæ piiſſimo ac mitiſſimo Rege KAROLO, filio quondam Ludovici Auguſti, pace jam & diviſione regni cum fratribus ſuis, LOTHARIO videlicet Imperatore & LUDOVICO Regibus, miſerante Domino, celebrata, factus erat conventus populorum qui ſub ejus regno erant, per regiam evocationem in territorio Aurelianenſi, in loco qui Germiniacus dicitur: ubi etiam nos qui ſuperna largiente clementia, etſi indigni Epiſcopi dicimur, convenimus, ut ſcilicet per ſacrorum Antiſtitum maximè Concilium, qui de diverſis regni ejus partibus aderant, ea quæ in quibuſlibet ordinibus Eccleſiæ minùs utiliter conſtare videbantur, ob incuriam negligentium, aut propter civilis belli tranſacti violentiam, juvante Chriſto, in melius reformare ſatageret: & illa quæ hactenus bene conſtituerant, regali providentia honorificentiùs amplecteretur, & firmiùs roborari ſtuderet. Dum ergo talibus invigilat præfati Regis præfata nobilitas, & ſancta genitoris ſui ſtudia diligit, pietatis quoque illius opera perſeverare deſiderat; juſſimus communi tractatu perquirere, qualiter omnis Ordo eccleſiaſticus congruè & decenter adminiſtraretur. Hoc igitur dum perficere optaremus, inter cetera viſum eſt nobis ad ejus Ordinis recuperationem atque ſublimationem, quia apoſtolicæ perfectioni meliùs congruet; hoc eſt Monachorum, qui relictis omnibus Chriſtum ſequuntur, ſacratiſſimi gregis curam ſpecialiùs inflectere. Congruebat enim, ut quos propter curam gregis dominici ſibimet commiſſam de ſpiritualibus damnis Fidelium neceſſe eſt contriſtari, de præfati etiam Ordinis correctione atque exaltatione lætificari cuperemus. In pluribus enim locis regni ejus prædicti Ordinis fervor tepuerat, violentia quoque temporum in eodem in cunctis ordinibus plurimùm vires infregerat. quia bona quæ à quietis cum labore providentur & conſervantur, per inquietudinis aſſiduum impedimentum ſolent minui, vel penitus aboleri. Itaque placuit nobis de Deo propter curæ paſtoralis obſequium impendere, ut eos quos in monaſticæ ſanctitatis vigore bene perdurantes agnoveramus, ampliùs diligamus, atque in cunctis neceſſitatibus eis libenter opem ferre procuremus: ut per illorum exaltationem, ſanctitatis eorum exempla

Circ. ann. DCCCLXXIV Oct. XXIII.

magis clareſcerent ac dilatarentur. Unde ſuggeſſimus jam dicto religioſiſſimo Principi, ut Monaſterio cuidam ſito in pago Dorcaſſino, in loco qui Corbion dicitur, ubi corpus beatiſſimi Confeſſoris LAUNOMARI cum debita veneratione quieſcit humatum, ubi etiam venerabilis Abbas HERIRICUS præeſt, privilegium quoddam de rebus neceſſariis concedere dignaretur ſecundùm regalem magnificentiam, atque nobis adſenſum præberet, ut noſtrâ ſinguli ſubſcriptione roboraremus; non aliquid novum agentes, ſed quod ab antiquis & ſanctis Patribus factum agnoveramus, iterantes. Ipſum autem Cœnobium tempore THEODERICI Regis conſtructum fuerat: ſed per malorum hominum tergiverſationem, & monaſticus Ordo qui antiquitus ibi fuerat, jam ex omni parte defecerat, & ædificiis Ordini memorato congruentibus ita locus ipſe carebat, ut totum Monaſterium à fundamentis rurſum conſtrui neceſſe fuiſſet. Iterum ergo funditus illud conſtruxerunt venerabiles viri evocati à Domno HLUDOVICO Imperatore ex Cœnobio ſancti Maximini, quod eſt in pago Aurelianenſi ſuper fluvium Ligeris. Idem verò Auguſtus prædictum Abbatem cum ſua congregatione fideliſſimum ſibi attenderis in variis rerum motibus, prout ejus Ordini competebat, ſciens apud ipſos in Cœnobio ſancti Launomari venerabiliter vigere monaſtici Ordinis normam, prædictum Cœnobium dilexerat plurimùm, gaudens ad ſalutem ſuam proficere, quòd eumdem locum Cœnobitarum congregationi aptiſſimum fuerat, & poſſeſſionibus neceſſariis ampliaverat, & à cunctis regalibus ſervitiis & publicis vectigalibus immunem fecerat, & licentiam eis quemdam eligendi & habendi ſemper ex ſeipſis Abbatem conceſſerat. Itaque Deo amabilis ſupradictus Princeps CAROLUS nobis adſenſum præbuit, ut hujuſmodi privilegium propria ſinguli ſubſcriptione roboraremus, quatenus ea quæ beatæ recordationis genitor ſuus ei conceſſerat, & imperiali ſignaculo roboraverat, quæque ipſe patris ſui veſtigia ſubſequens in paterni regni diviſione poteſtatem adeptus prærogaverat, ac regali ſigillo ſignaverat, in perpetuum conſervata permaneant: adjungens etiam ut ſpecialiùs Dei ſuoſque fideles præſentes pariterque futuros obteſtaremur, ut poſſeſſiones quas juſtè nunc poſſident, aut in futurum ex donatione Chriſti Fidelium perceperint, ad ſolum Dei ſervitium teneant; & Abbatem jugiter ex ſeipſis habeant SECUNDUM REGULAM SANCTI BENEDICTI: id eſt, ut talis ſi fieri poteſt ex iis qui adſunt inter illos, ab omnibus concorditer eligatur, qui ſit idoneus ad illud officium peragendum. In ipſa verò electione ſi diverſa ſenſerint, ejus partis ſententiâ, quamvis minoris, eligatur, quæ ſaniori conſilio meliora providerit, & cætera fiant, ut inibi continetur. Igitur nos, licèt indigni, tamen ſacratum atque venerandum Pontificatus gerentes officium, ea quæ Imperator piiſſimus HLudovicus atque filius ejus præcellentiſſimus Rex Carolus ſuprà memorato ſancti Launomari Cœnobio impulſi amore divino piè atque rationabiliter contulerunt ad ſuam ſuorúmque ſalutem, in venturis generationibus ſtabilia ſemper atque inconcuſſa perſeverare, voluntatem Dei conſiderantes, de nomine & propria ſinguli ſubſcriptione roboramus. Si quis ergo (quod abſit) hujus privilegii deſtructor aut in ejus deſtructionem fraudulentus machinator in poſterum emerſerit, ſalutem propriam negligens aliorúmque ſalutem perſequens, ſecundùm poteſtatem ligandi atque ſolvendi nobis per voluntatem Chriſti traditam, æternùm cum vinculo perpetuæ damnationis extra Beatorum requiem alligamus cum omnibus, qui in hac nequitia eis conſentiunt, niſi hoc correxerint: qui quod ad ſalutem multarum animarum proviſum eſt, impiè non timet infringere. Placuit etiam domino Regi, rectúmque nobis videtur, atque obſecramus Coepiſcopos noſtros, qui modò præſentes adeſſe non poſſunt; ſed & religioſos Abbates, dum noſtræ conſtitutionis paginam legerint, unam nobiſcum incant voluntatem ac ſubſcriptionis ſententiam.

WENILO Archiepiſcopus Senonenſis huic privilegio ſubſcripſi.

HERIBALDUS Epiſcopus Autiſiodori huic privilegio ſubſcripſi.

NOTO Arelatenſis Epiſcopus huic privilegio ſubſcripſi.

HINCMARUS ſanctæ Metropolis eccleſiæ Remorum Epiſcopus huic privilegio ſubſcripſi.

RODOLFUS Archiepiſcopus Bituricenſis huic privilegio ſubſcripſi.

URSMARUS ſacræ Turonum eccleſiæ Archiepiſcopus ſubſcripſi.

Signum BATHEUM Ragneſburg Epiſcopi.

* l. Gumbaldus — GUMBALDUS* ſanctæ Metropolis eccleſiæ Rothomagenſis huic privilegio ſubſcripſi.

* Teutboldus — TUBALDUS* Epiſcopus Lingonienſis huic privilegio ſubſcripſi.

* Alteus — JATTÆUS* gratiâ Dei Auguſtodunenſis Epiſcopus huic privilegio ſubſcripſi.

Ego HILDEMANNUS Belvacenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

EBROINUS præveniente Dei gratia Pictavienſis Epiſcopus ſubſcripſi.

* Saxobodus — SAXOBONUS* Sagienſis Epiſcopus ſubſcripſi.

RAUINARIUS Ambianenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

* Herimannus — HERIMAULUS* eccleſiæ Nivernenſis Epiſcopus huic privilegio ſubſcripſi.

HERPUINUS Silvanectenſis Epiſcopus huic privilegio ſubſcripſi.

Wnarius Epiſcopus Redonenſis ſubſcripſi. Circ. ann. DCCCLXXIV
Symeon indignus Epiſcopus* huic privilegio ſubſcripſi. Octob. III.
Hucbertus indignus Meldorum Epiſcopus huic privilegio ſubſcripſi. * Laudunenſis
Audacar eccleſiæ Lemovicenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Amarius Epiſcopus ſubſcripſi.
Lupus Catalaunenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Immo Tornacenſis, Viromandenſis atque Nuviomagenſis eccleſiæ Epiſcopus adſenſum præbui.
Avinus* Aurelianenſis eccleſiæ vocatus Epiſcopus adſenſum præbui. * Agius
Freculfus Lexovienſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Theodericus Epiſcopus Cameracenſis ſubſcripſi.
Adalbertus Trecacis Epiſcopus ſubſcripſi.
Erluinus Conſtantienſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Hodemaurius Hoſticenſis Epiſcopus firmavi.
Agilmarius Viennenſis vocatus Epiſcopus ſubſcripſi.
Hugo Abbas Dei Jesu Christi ſervus ſubſcripſi.
Adalardus Abbas Turonenſis ſubſcripſi.
Ratbaudo humilis Abbas ſubſcripſi.
Helias Carnotenſis eccleſiæ indignus Epiſcopus ſubſcripſi.
Auricus* Veſontionenſis vocatus Archiepiſcopus huic privilegio ſubſcripſi. * Arduicus
Ludovicus Abbas* ſubſcripſi. * Dionyſianus
Erchenradus Pariſiorum Epiſcopus huic privilegio ſubſcripſi.
Fulco Abbas* ſubſcripſi. * Remenſis
Bernardus Abbas ſancti Johannis ſubſcripſi.
Ermenfredus Abba ſubſcripſi.
Theodericus Abbas Gemmeticenſis ſubſcripſi.
Dodo Abba* ſubſcripſi. * S. Savini apud Pictones
Ego Unfredus Abba ſubſcripſi.
Gregorius Abba ſubſcripſi.
Galfridus Bajocenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Gaudelsadus Cabilonenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Guntsbertus indignus Epiſcopus ſubſcripſi.
Rothadus Sueſſionis Epiſcopus ſubſcripſi.
Ildebrandus Sagienſis eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
In Dei nomine ego Lupus Abbas*. * Ferrarienſis

4. *In hoc privilegio quædam obſervanda. 1. Concilium iſtud Germiniaci habitum hactenus (ſi non fallor) ignoratum eſſe. 2. Corbionenſe Monaſterium tempore* Theoderici *Regis conſtructum dici, tametſi in Actis ſancti Launomari, quorum auctoritas præferenda videtur, iſtius Cœnobii primordia referantur ad annum ſecundum Chilperici Regis, Chlotarii ſenioris filii. 3. Hic interim duos ſubſcripſiſſe Epiſcopos Sagienſes, Saxobonum ſeu Saxebodum, & Hildebrandum. Quippe tum moris erat, ut pluribus exemplis probare poſſem, ut privilegia ab Epiſcopis conceſſa, ab eorum ſucceſſoribus, non novi privilegii conceſſione, ſed ſola ſubſcriptione primariis appoſitâ confirmarentur. 4. Abbates cum Epiſcopis promiſcuè ſubſcripſiſſe ob eamdem cauſam.*

5. *Sequitur diploma Caroli Calvi in confirmationem iſtius privilegii, ſub hac forma.*

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Carolus Dei gratiâ Rex. Si enim quod ad ſervorum Dei quietem pertinet, devota ſollicitudine & regali providentia procuramus, ad emolumentum animæ noſtræ vel ad æternam beatitudinem capeſſendam hoc procul dubio pertinere confidimus. Idcirco notum ſit omnibus Fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris, præſentibus ſcilicet & futuris, atque, Domino diſpenſante, ſucceſſoribus noſtris: quia bonæ memoriæ genitor noſter ſereniſſimus Auguſtus, Heribertum venerabilem Abbatem & cœtum Monachorum, cui ipſe præerat, tranſtulit à loco Miciacenſi poſito in pago Aurelianenſi, ubi beatus Maximinus Confeſſor Chriſti quieſcit, in locum qui dicitur Corbionis, ſitum in pago Dorcaſſino in diœceſi Carnotenſi ſuper rivulum Firmam, ubi quidem olim norma monaſtica claruit, ſed Rectorum ſtudiis Ordo pariter & ſtatus deperiit. Hoc igitur præceptum de ipſa cellula dedit, quod qui legerit, patenter agnoſcet, quòd ob antiquam familiaritatem & ſanctitatis famam; & quia non parvum ei ſolatium ad alios informandos præbuerant, tanto eos beneficio accumulaverit. quem locum cùm ingreſſi eſſent, adjuvante eos piiſſimo genitore noſtro à fundamentis Monaſterium condiderunt, in honore tamen magni Confeſſoris Martini Pontificis, ſicut & ex antiquo erat, ubi totum corpus militis Dei Launomari competenti honore frequentatur. Ad augmentum itaque devotionis ſuæ — Caroli Calvi confirmatio.

Circ. ann. DCCCLXXIV Oct. XXIII. res alias imperiali auctoritate ſuperaddidit, & ex ſæcularibus negotiis removit, ut ipſi & poſteri eorum quietè & liberè in perpetuum Domino deſervire poſſent. Nos denique vivente adhuc genitore noſtro pervidentes affectum clementiæ ejus erga prædictum Abbatem ejuſque Congregationem, ac poſt illius obitum iter facientes per memoratum locum . · . · . · . · . famulatum, ſimúlque in loci ejuſdem ſtructura labore conſtruxiſſemus, amore Dei capti conceſſimus ibidem Chriſto militantibus omnia quæ genitor noſter eis contradidit & confirmavit, & alia etiam largitatis noſtræ munera ſuperaddidimus. Deinde verò poſt pacem atque paterni Imperii diviſionem cum fratribus noſtris, Chlotario ſcilicet & Ludovico Regibus, miſerante Domino celebratam, congregari juſſimus Galliarum populos, qui in partem noſtram venerant, in territorio Aurelianenſi, in loco qui Greminiacus dicitur, cum ſacris Pontificibus & regni noſtri Principibus, ut communi tractatu ea quæ in quibuſlibet Ordinibus Eccleſiæ minùs utiliter conſtare videbantur, ob injuriam negligentium, aut propter civilis belli tranſactam violentiam, juvante Chriſto, in melius reformaremus: & quæ hactenus bene conſtiterant, regali providentiâ honorificentiùs amplecteremur, & firmiùs roborari ſtuderemus. Dum ergo talibus invigilamus, & ſancta genitoris noſtri ſtudia diligimus, atque pietatis ejus opera jugiter firma permanere optamus; ſollicitè nobis requirentibus, qualiter commiſſos nobis à Deo populos congruè ac decenter pro regimine gubernaremus, inter cetera ſuggeſſerunt largitati noſtræ venerandi Pontifices, ut quoddam privilegium ſuprà memorato Cœnobio, ubi ſcilicet Confeſſor Chriſti Launomarus cum honore debito requieſcit, ubi etiam præfatus Abbas HERIRICUS præſidet, concedere dignaremur, quod Epiſcopi facerent, & ſua ſubſcriptione roborarent, ſanctorum Patrum exempla ſequentes, hoc inibi ſtatuentes, quatenus ea quæ genitor noſter Chriſti Monaſterio contulit, & imperiali anulo adſignavit, vel poſt ejus deceſſum nos illi tribuimus, noſtróque ſigillo roboravimus, in poſterum conſervata remaneant: poſſeſſiones quoque quas juſtè nunc obtinent, aut in futurum perceperint ex donatione Fidelium, ad ſolius Dei ſervitium eis habere liceat, & Abbatem jugiter ex ſeipſis habeant ſecundùm Regulam ſancti BENEDICTI; id eſt, ut talis ex his qui inter eos adſunt, ſi fieri poteſt, ab omnibus concorditer eligatur, qui ſit idoneus ad illud officium peragendum. In ipſa verò electione ſi diverſa ſenſerint, ejus partis ſententiâ quamvis minoris eligatur, quæ ſaniori conſilio meliora providerit, & inibi confirmetur. Itaque bonam petitionem illorum complere dignum duximus, & quæcumque ſacri Antiſtites in eodem privilegio conſtituerunt & ſubſcripſerunt, conſentimus & confirmamus. Et ut hæc auctoritas largitionis noſtræ firmior habeatur, & per futura tempora meliùs conſervetur, manu propria ea ſubter firmavimus, & anuli noſtri impreſſione aſſignari juſſimus. Signum KAROLI glorioſiſſimi Regis.

JONAS Notarius ad vicem LUDOVICI recognovi & ſubſcripſi. Hoc præceptum fratris mei Karoli ego LUDOVICUS Rex ſubſcripſi.

Data ſecundo Idus Octobris, Indictione ſeptima, anno quarto regnante KAROLO glorioſiſſimo Rege. Actum Cariſiaco, villa ſancti Salvatoris, in Dei nomine feliciter.

6. In hoc diplomate obſerva primò, eccleſiam Monaſterii Corbionenſis ſancto Martino nuncupatam fuiſſe. 2. qua de cauſa, quove auctore prædictum Concilium ſit convocatum. 3. Cariſiaci villam exſtitiſſe S. Salvatoris dictam. Ex quo nobis indicium datur ad dignoſcendum, quæ ſit illa villa regia Cariſiacus, de qua nondum conſtat apud Auctores, aliis ad Iſeram *fluvium ſuprà Noviomagum, aliis ad Seram amnem, qui in Iſeram influit prope Faram opidum, Cariſiacum locantibus. Priorem ſententiam præferendam eſſe, ſingulari Diſſertatione aliàs Deo dante oſtendam.*

7. Reliquum eſt, ut hic ejuſdem Caroli diploma ſubjiciatur, quo poſt deperditas Curbionenſis Monaſterii chartas confirmat bona ipſius Monaſterii in hunc modum.

Aliæ ejuſdẽ litteræ pro chartis Monaſterii. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis CAROLUS Dei gratiâ Rex, omnibus Fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ matris, præſentibus ſcilicet & futuris. Agnoſcatis quòd venerit quidam Abbas nomine FRONOINUS atque dilectus fidelis noſter, ex Curbionis Monaſterio, quod eſt conſtructum in honore ſancti Martini, ubi pretioſus Confeſſor Chriſti Launomarus in corpore quieſcit humatus, & pro infeſtatione paganorum, quæ nimiùm graſſatur in regno noſtro, quaſdam prædeceſſorum noſtrorom & noſtras auctoritates, quas eidem caſæ Dei in rebus Sancto contulimus, quaſdam crematas doleret, quaſdam perditas haberet; etiam cartarum inſtrumenta per quæ à fidelibus & ſervis ejus res præſcripto Monaſterio traditæ fuerunt, ſimiliter deplorabat ablatas ſibi queruloſo dolore. Unde ſupplex petiit Celſitudinem noſtram, ut his ſuper auctoritatis noſtræ litteram fieri haberemus, per quam quidquid damnum præſcripta caſa Dei pati poterat, firmiter poſſidere res ſibi ablatas poſſet. Unde præcipientes juſſimus, ut jure regali monificentia ſint collatæ, ubi ab aliis eleemoſynarum gratiſſima largitione, per hanc pancartam, quam fieri juſſimus, ſicut jure temporis erant ſalvæ, ſub noſtra tuitione perpetuo jure conſiſtant. Porro adnoſciri volumus

nomina Comitatuum, ubi ipſæ res ſunt, ut fideles noſtri qui Comites fuerunt, citiùs noverint ipſas res ſub noſtro munimine & defenſione conſiſtere. Ipſum denique Monaſterium eſt ſitum in pago Dorcaſſino, & cellula iſta jam dicto Monaſterio ſubjecta, cum villis in eodem Comitatu adjacentibus ſub omnium integritate. In pago quoque Carnotino villæ Aunacus & Condacus, & reliquæ villæ cum adjacentiis in eodem Comitatu. In pago etiam Stampinenſi villa Maſia cum rebus in eodem Comitatu conſiſtentibus; necnon in pago Caſtrenſi Brogolius. In pago nihilo minus Pariſienſi villula Unciacus, & ſi quid in eodem Comitatu præfatum Monaſterium obtinere dignoſcitur. Item in pago Beluacenſi villula quæ dicitur Cuſault, Aiſovillare; necnon in pago Bleſenſi villa nomine Fagia, cum omnibus in eodem Comitatu ad prædictum Monaſterium pertinentibus, atque in pago Vindocinenſi villa Campiniacus nomine, cum omnibus in eodem Comitatu ad præfatam caſam Dei pertinentibus: & in pago Aurelianenſi villula Cambort, & Quadras, cum reliquis ad præfatum Monaſterium adjacentibus. Similiter in pago Dunenſi Theodeucus-villa cum cellula quæ Divacus dicitur, & quidquid ad prædictum Curbionis Monaſterium in ipſo Comitatu adſpicere videtur. Præterea in Comitatu Cenomannico villa quæ dicitur Portus Romanus, cum omnibus villulis in eodem pago ad præfatam caſam Dei pertinentibus. Simul & in pago Andegavenſi villa Alornacus cum reliquis præſcriptæ caſæ Dei in eodem Comitatu ſubjectis. In pago quoque Abrincadino villa Patricliacus: atque in Lexovienſe Curvillanda villula. In pago quoque Bajocenſe villa ſancti Silvini cum omnibus villulis, vel ſi quid præſcripta caſa Dei in ipſo Comitatu & in Conſtantinenſi poſſidere videtur. Item in pago Oximenſe & Epicenſe & Corbonisſe villa Nugantus, & Suriacus, atque Aurmiacus, cum omnibus poſſeſſionibus in præſcriptis Comitatibus ad præfatum Monaſterium pertinentibus: necnon & in pago Rotomagenſe res conſiſtentes cum portu & piſcatione in Moriniaco ſuper Sequana conſiſtente; atque decimas piſcium, quas nos eidem caſæ Dei pro noſtra eleemoſyna gratiſſima largitione contulimus. Hæc omnia & quidquid ſuprà dictum Monaſterium poſſidere vulgariter dignoſcitur, tam in Francia, quàm in Neuſtria, vel Aquitania, per hanc pancartam confirmamus, & obſecramus, uti iſta clementiæ noſtræ firmitas ita vigorem inviolabilem obtineat, acſi cartarum monumenta aut prædeceſſorum noſtrorum præcepta præ manibus haberentur, quæ paganorum crudeli infeſtatione aut alia aliqua perſecutione deperdita eſſe cognoſcuntur. Et has noſtræ auctoritatis litteras, quas fieri juſſimus, ut meliùs conſerventur, de annulo noſtro eas juſſimus ſigillari. Datum anno vigeſimo-primo regnante domino noſtro CAROLO glorioſiſſimo Rege. Circ. ann. DCCCLXXIV Oct. XXIII.

8. *Carolus in hoc diplomate donationem ab ſe factam exemplo patris ſui, qui* Buxiacum *Cenomannenſis pagi* cellulam *Curbionenſibus Monachis tradiderat, prætermiſit, ſcilicet donationem fiſci* qui dicitur Vicus Levandriacus, alio nomine Pomponninus, cum ſancta Maxentia, & qualicumque exactione quæ de ponte ipſius loci partibus fiſci ſeu Comitatus exigebatur. qui Carolus prævidens importunum id eſſe ſervitiis regalibus, jam dictum fiſcum cum præfata cellula uſibus ſuis revocavit, & in commutatione earum rerum tradidit ad memoratam caſam Dei, unà cum conſenſu Heririci Abbatis ejuſque congregationis, cellulam quæ dicitur Iſlari, in honore S. Michaëlis conſtructam, ſitam in pago Dorcaſſino ſuper fluvium Aura, cum omnibus appendiciis & reditibus ſuis. Datum VIII Id. Martii an. III, Indict. V, regnante Carolo glorioſiſſimo Rege. Actum Verumpacivilla*. *Ceterùm has Caroli Calvi litteras vidit ac recognovit Carolus VI Francorum Rex* apud Compendium menſe Septembri anno Domini MCCCLXXXI, regni ejùs ſecundo, *ut patet ex regiſtro Cameræ Computorum à V. C. Antonio Herovallio liberaliter communicato.* *ſ. Vermeriaci-villa.

9. *Supereſt, ut ad coronidem Actorum S. Launomari, Prioratûs ejuſdem S. Launomari de Magenciaco hiſtoriolam hic exhibeam, cum inſtrumento viſitationis Simonis Epiſcopi Bituricenſis ſuperiùs promiſſam.*

CIRCA ANN. DCCCLXXIV OCTOB. XXIII.

CHRONICON
PRIORATUS S. LAUNOMARI
de Magenciaco apud Arvernos.

Vvillelmi Comitis litteræ fundationis.

1. MONASTERIUM ſancti Launomari de Magenciaco fundaverunt Monachi ſancti Launomari Bleſenſis caſtri in prædio Magenciaco, de conſenſu & voluntate Willelmi piiſſimi Comitis, prout ſequitur in charta.

» CRESCENTIBUS quotidie malis, quæ obveniunt pro iniquitatibus noſtris, &
» appropinquante unicuique noſtrûm tempore hujus vitæ, providendum eſt nobis,
» qualiter & peccatorum veniam, & æternam vitam adipiſci mereamur. quod decentiſſimè
» per gratiam Dei obtinere poterimus, ſi de præteritis malis noſtris veram pœnitentiam per
» fructus boni operis, & de futuris cautelam habere ſtuduerimus. Hæc ego WILLELMUS
» gratiâ Dei Comes cogitans, ſecundùm inſtituta legum & conſuetudinem religioſorum ho-
» minum, pro remedio animæ meæ, patriſque mei & matris, ſenioris quoque quondam mei
» ODONIS, ſed & LUDOVICI Imperatoris, & ſororis ejus dilectæ conjugis meæ INGEL-
» BERGÆ, atque aliorum parentum meorum, dono, & à die præſenti contrado de rebus
» meis legali jure adquiſitis ſancto Chriſti Confeſſori Launomaro & Monachis, quos ante unum
» annum pro Dei amore ſuſceperam, & prædio Magenciaco collocaveram; hoc eſt villam quæ
» Piſcatoria * nominatur, cum eccleſia & caſa indominicata, cum ſervis & ancillis, ſilvis, pra-
» tis, aquis, aquarumve decurſibus, terris cultis & incultis, & quidquid hodierna die ad
» eamdem villam pertinere, & mei eſſe juris cognoſcitur, de mea poteſtate in dominationem
» GAUBERTI Abbatis, quem ego ipſis in commune petentibus eidem loco præfeci, & Mo-
» nachorum tam præſentium, quàm ſucceſſorum Deo gubernante ipſorum propria voluntate
» transfundo, ut ſine mea aut alicujus hominis contradictione eaſdem res perpetualiter ha-
» beant, obtineant atque poſſideant. Sunt autem ipſæ res in territorio Arvernenſi, in Vicaria
» Doradenſi, in loco ſuperiùs nuncupato, quas palam legali jure condigno pretio adquiſivi,
» partim à VOLUSIANA nobili matrona, partim ab aliis nobilibus viris, ſicut multis ad-
» huc viventibus habetur notiſſimum. Quòd ſi aliquis heredum vel proheredum meorum,
» ſive illorum à quibus ego eaſdem res adquiſivi, aut aliqua quolibet ingenio vel
» arte oppoſita perſona hanc donationem & traditionem meam interrumpere præſumſe-
» rit, aut aliquam calumniam ingerere conatus fuerit; quod repetit, vindicare non valeat,
» ſed per hoc iram Dei incurrat, & inſuper ſociante fiſco L libras auri, cui litem intulerit,
» exſolvere cogatur. Ut autem hæc donatio & traditio veriùs credatur, & firmiùs habeatur;
» manu propria & manibus præſentium fidelium virorum eam corroborari decrevimus. Actum
» anno Incarnationis dominicæ DCCCCXII, Indict. 1, menſe Maio. WILLELMUS Prin-
» ceps huic teſtamento à me facto & relecto ſubſcribi ita ſignato juſſi †. S. INGELBERGÆ
» Comitiſſæ. S. HUGBERTI Vicecomitis. S. EMENONIS Vicecomitis. S. BERNARDI.
» S. OCBERTI. S. UDONIS.

* Paſcatorre

2. Poſtea verò præfatus piiſſimus Comes miſit ad Domnum Apoſtolicum, qui confirmavit donum quod fecerat Monachis ſancti Confeſſoris Launomari, ut habetur in charta.

Johannis P. VIII. confirmatio.

» JOHANNES Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, omnibus Epiſcopis & ſenioribus Galliæ, ce-
» teriſque ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus, ſalutem. Quoniam ex ſucceſſorum Apoſtolorum
» pietate ſic univerſaliter debemus conſulere cunctis, ut ſingulorum quoque cauſas ſine faſti-
» dio debeamus cognoſcere; ſtudendum eſt nobis non minùs velle prodeſſe, quàm præeſſe.
» Noveritis itaque illuſtrem nobiſque cariſſimum Arvenorum Præſidem WILLELMUM, &
» uxorem ejus INGELBERGAM per fideles ſibi legatos, ADALELMUM ſcilicet reveren-
» diſſimum Epiſcopum, OCBERTUM & CALSUM clariſſimos viros, manifeſtaſſe nobis,
» qualiter pro Dei amore ſuſceperint Monachos ſancti Launomari Confeſſoris Chriſti cum
» corpore ipſius Sancti, perſecutione diutina paganorum à ſuo loco fugatos; quodque eis ad
» refugium ipſi donaverint aliquid de rebus ſuis in præſenti, &, ſi opportunitas ſe illis præ-
» buerit, deinceps plura daturos quæ ſunt in partibus Arvernicis, id eſt villam Magenciacum
» cum eccleſia ſancti Petri nomine conſecrata, & vineam indominicatam ejuſdem villæ &
» aliam villam [juxta] Magenciacum, & juxta illas villam quæ dicitur Blavignacus, par-

temque in villa quæ vocitur Eſpidiocus *, manſos duos, & in villa Regniaco * vineam indominicatam, & in villa Malamorte omnem hereditatem cujuſdam ASTERII, quam de GERALDO & de LUCRATIA ejus uxore adquiſierunt, & in Barennis vineam indominicatam & in ipſo Comitatu villam Bornicum *, quam de . · . adquiſierunt, & ſuper fluvium Dore in Comitatu Claromontenſi villas Piſcatorias cum ſervis & ancillis, pratis, terris, cultis & incultis, ſilvis, & manſo, quæ de Fulcherio commutaverunt, & ſimiliter Priſciniacum * cum omni integritate, & tres alios manſos juxtà poſitos, ſcilicet Vallecinga, Floriacum, Montjocundum. Super qua re ſuggeſſerunt vigilanter Apoſtolatui noſtro, quem vice beati Petri tenemus, per religioſum & venerabilem Epiſcopum Adalelmum, & ſuprà nominatos Ocbertum; & Ediſcum nobiles viros, ſedem Romanam de more ſcilicet devotè adeuntes, ut ipſam eorum donationem ſecundùm conſuetudinem prædeceſſorum noſtrorum ſanctæ ſedis apoſtolicæ privilegio firmaremus, propter quorumlibet in poſterum certam cupiditatem vel inquietudinem: quatinus omni deinceps tempore abſque quorumcumque crudelitate vel ſubreptione Monachi cum ipſo Abbate, ipſi & ſucceſſores eorum, poſſint ibidem conſiſtere, & ſui propoſiti normam optimè ſervare. Quorum piis actis congaudentes, & juſtis petitionibus annuentes, decernimus per hoc apoſtolicæ auctoritatis privilegium, per quod illam poteſtatem quam à Deo in beato Petro Apoſtolo accepimus, ut tam ipſæ res ſuprà nominatæ, quàm aliæ, quas vel ipſe Deo amabilis Præſes & ejus uxor Ingelberga, vel alii fortè Dei amatores deinceps eiſdem Monachis vel ſucceſſoribus eorum donaverunt, Domino ſalvatori noſtro ſanctoque Petro atque beato Launomaro deſerviant in uſibus Monachorum & diverſis utilitatibus, adveniente umquam Chriſtianorum . · . qualibet occaſione, aliquam ſuſtineant calumniam: ſed liceat ſervis Dei ejuſdem loci cultoribus cum conſilio & voluntate Abbatis ſui ea ſtabili firmitate, ſicut eis expedierit, tenere & gubernare. Si quis autem cupiditate vel aliqua malignitate ductus eorum teſtamentum & hoc noſtræ auctoritatis privilegium aliqua occaſione conatus fuerit infringere, & de ipſis rebus ſæpe dictis ſervis Dei aliquam calumniam vel moleſtiam * . · . aut Abbatem eis imponere, niſi ſolum illum, quem concors omnis congregatio ſibi ex ſeſe elegerit, qui eis prodeſſe & præeſſe ſecundùm Regulam beati BENEDICTI valeat, hunc auctoritate ſancti Spiritus ſanctorumque Apoſtolorum à liminibus ſanctæ Dei Eccleſiæ, & à communione corporis & ſanguinis Domini noſtri JESU-CHRISTI, atque conſortio omnium Chriſtianorum anathematis vinculo ligatum ſeparamus: ut, niſi citò reſipuerit, omnia quæ depravaverat, corrigendo, cum rapacibus à regno Dei excluſus perpetua damnatione feriatur.

Circ. ANN. DCCCLXXIV OCTOB XXIII

* Eſpezin

* Regnac

* Bort

* Preti-gnac

* ingerere

3. Procedente verò tempore WILLELMUS Dux Aquitanorum & Comes Pictavorum cedit præfato Monaſterio ſancti Launomari, quod ſitum eſt in caſtello Magenciaco, villam de Bozeto *, & alia, ut habetur in charta.

* Bonzet

SI eccleſias Dei & loca Sanctorum bonis temporalibus ditaverimus, pro tranſitoriis æterna nobis à Domino præmia retribui ſperamus. Quapropter noverint omnes, tam præſentes, quàm poſteri Chriſti fideles, quod ego WILLELMUS Dux Aquitanorum & Comes Pictavorum, ob remedium animæ meæ parentumque meorum, tradidi in proprietatem jure perpetuo obtinendum Monaſterio beati Launomari, quod ſitum eſt in caſtello Magenciaco, quidquid poſſidere viſus ſum in villa de Bozeto, & circa, & in villa de Seſcala *, & in villa de Fonte *Chaſtel*, quidquid videlicet in adjacenti confinio prædictarum villarum indominicatum poſſidebam, cum omnibus utilitatibus & redditibus ſuis, prædicto Monaſterio totum in perpetuam proprietatem contradidi. Fratres autem prædicti loci recompenſaverunt in orationibus hoc modo, ut ſcilicet, quamdiu vixero, pro ſalute mea ſingulis horis diei pſalmum unum cum ſua oratione dicant, & ad Miſſam quotidianam unam orationem cantent. Poſt deceſſum verò meum annuale mihi unum faciant: anniverſariam autem obitus mei diem debitis obſequiis perpetuò colendam poſteris ſuis tradant. Cujus Placiti ac tradicionis hi ſunt teſtes. Comes ipſe † WILLELMUS. HILDEBERTUS Comes de Marchia. WILLELMUS Epiſcopus Engoliſmenſis. BERTRANDUS de Duno. PETRUS de Briderio. Aſtorgius Rufus, Andreas, Ugo, Willelmus filius Petri. Actum Silviniaci anno Incarnationis dominicæ MLXIIII, Indict. X, regnante PHILIPPO Rege Francorum anno III.

Vuillelmi Ducis Aquitan. donatio.

* Sechals

Miſſa, pſalmus, annuale, & anniverſariū pro eo.

4. Sed poſtquam prædictus Comes iſtum honorem & iſtam terram, de qua loquimur, Sancto contradidit, ſicut ſemper eſt conſuetudo ſæcularium pervadere terras & honorem Sanctorum, in iſto honore vel in iſta terra de Bozeto cœperunt tres viri potentes, RORGONUS videlicet de Vertezione, & THEOTARDUS DE BULLIONE, atque GERALDUS frater ejus de Buxiolo, vicariam calumniando reclamare, & conſuetudinem injuſtam dimittere. Contra quos inſurgens TEOTARDUS Prior, ceterique Monachi, rectum Sancti calumniando reclamaverunt, & reclamando requiſierunt. Tandemque præfati Prioris ſua-

Lis de Bozeto.

Circ. ann. DCCCLXXIV Oct XXIII. ſionibus & commonitionibus convicti rectum Sancti agnoverunt, malefacta capta omnia dimiſerunt humiliter; & quod injuſtè calumniaverant, omnino reliquerunt, excepta conſuetudine quam Gerardus atavus eorum in Olchias quondam habuerat.

Concordia. 5. Igitur propter illud gurpimentum & propter iſtam convenientiam dederunt prædicti Monachi duobus fratribus ſuprà ſcriptis, Teotardo videlicet atque Gerardo, centum ſolidos. Inſuper adjecerunt eis ſuiſque propinquis, tam præſentibus, quàm futuris, hoc quod majus eſt, ſcilicet ſocietatem & orationes atque beneficium omnium locorum ſuorum.

Annuale. 6. Iterumque habuerunt convenientiam, ut faciant eis annuale unum poſt deceſſum eo-
» rum. Si verò aliquis poſt noſtrum diſceſſum vel de heredibus vel de propinquis noſtris ex-
» ſtiterit, qui hanc convenientiam infringere vel violare tentaverit; quod repetit, non vindi-
» cet: ſed quibus litem intulerit, auri libras c coactus perſolvat; inſuper iram omnipotentis
» Dei & Sanctorum ejus incurrat, immo etiam excommunicabitur & æterna maledictione Pa-
» tris & Filii & Spiritus ſancti, & ſanctæ Mariæ matris domini noſtri Jesu Christi,
» & ſancti Petri Apoſtolorum principis, atque omnium Sanctorum obligatus cum Juda pro-
» ditore & cum Dathan & Abiron & omnibus angelis Diaboli perpetuæ inferni flammæ ſit
» deputatus. Hujus autem Placiti atque convenientiæ hi fuerunt teſtes. SS. Rorgoni at-
» que Teotardi & Gerardi, qui hanc donationem affirmaverunt. S. Roberti de
» Magenciaco. S. Petri fratris ejus. S. Petri de Bullione. S. Radulfi Ruffi, & Viviani de Capella. S. Roberti de Ermone, & Dalmatii Altromi & Rigaldi Rebuffori. Data
» in menſe Maio anno ab Incarnatione Domini M LXV, regnante Philippo Rege Franco-
» rum anno IIII.

Præſtaria. 7. Richerius Abbas ſancti Launomari per conſilium fratrum ſuorum & fidelium conceſſit *Rorgoni* Vaſſallo de Vertezione * terram de Biliomo & de Mala morte, quam Willelmus, cognomento Pius, Dux Aquitaniæ de ſuo jure in alodum quondam perpetualiter ſancto Launomaro dederat, ſicut monſtrat teſtamentum ab eo conſcriptum.

* *Billom*

Damni emendatio. 8. Robertus de Magenciaco filius Aſtorgii multa mala fecit in terra ſancti Launomari: ſed poſtea pœnituit, & miſit filium ſuum Mauricium Monachum Bleſis infantem: propter quem, & pro remedio animæ ſuæ, dedit eccleſiam ſancti Martini de Mala-breſcha, & curiam quæ eſt juxta dictam eccleſiam: illudque fecit affirmare Petro & Roberto filiis ſuis.

Item aliæ. 9. Tempore inſequente quo Philippus Rex prudentiſſimus Regnum Francorum regebat, Wido quoque, cognomento Willelmus, Dux Aquitaniæ, Pictavenſibus imperabat, Durandus verò Epiſcopus, & Robertus Comes Arvernenſibus præſidebant; quidam Miles egregius, qui ſub tutela ſancti Launomari dominabatur Magenciacenſibus viris, volens emendare injuſtas conſuetudines quas ſui progenitores injuriosè per manum Vicecomitis Dalmatii invaſerant in burgo ſancti Launomari, tactus Dei miſeratione, & paveſactus æternæ damnatione gehennæ, accepit conſilium cum ſuis optimatibus viris, qualiter hæc talia poſſet corrigere. qui tale dedere conſilium, ut Magenciaci mutaret caſtrum, & res Sancti expeditæ remanerent in dominium; ac veluti priùs fuerant attributæ à Willelmo bono Comite, ita redintegrarentur, & reſtituerentur à Roberto sereniſſimo Milite. Inſuper etiam & Monachi ſancti Launomari haberent mutato caſtro illas eaſdem conſuetudines quas habuerant, & habebant domini Magenciaci, videlicet eccleſiam, Ledam, teloneum in foro, furnos, venditionem annonæ, ſalem, poſtremò quidquid habuerant, & tenuerant cum Roberto patre ſupradicti Roberti, exceptis his quæ Richerius Abbas ſancti Launomari permiſit habere ſuo patri, quando ſuus homo fuit. Supradictus verò Robertus quando caſtrum voluit incipere, venit in clauſtrum in præſentia Prioris Theotardi & aliorum, fecitque donum ſuper altare de his omnibus. Hanc autem convenientiam fecit Robertus teſtimonio legalium virorum Roberti de Hermone, Petri de Carmenteſiono, Dalmatii Altrone, Euſtorgii Vicarii.

10. Tempore quo Richerius Abbas Monaſterium ſancti Launomari de Blezo & Magenciacum huic ſubjectum regebat, Robertus quidam Vaſallus malas conſuetudines tollebat in rebus Sancti. Admonitionibus verò Abbatis rectum Sancti cognovit & malefacta omnia humiliter gadiavit, ac fidejuſſores pro his dedit; & quòd aliam vicariam non teneret, niſi illam quam pater ſuus tenuerat temporibus Roberti & Sergalonis Abbatum ſancti Launomari.

11 Robertus de Magenciaco multa mala fecit Mauricio Priori & Monachis ſancti Launomari in terra de Bozeto, quam dederat Comes Pictavenſis Willelmus Wido: ſed pacem inter eos firmavere Robertus Comes & Durandus Epiſcopus Claromontenſis.

Notitia Mauricii Prioris. » 12. Evangelico Domini Abbate Bernardo tam dignè, quàm laudabiliter dono diſ-
» cretionis Monaſterium ſancti Launomari nomine Bleſenſe regente, apud Magenciacum au-
» tem plurimis religioſis fratribus ſub ſuprà ſcripto Abbate degentibus, ſpiritualique palæ-
ſtra

ſtra ſe cum multis aliis ibidem exercentibus, ego MAURICIUS inter eos peripſema & contemtibilis, & per hoc nomine Prioratus abutens, pro obedientia mihi injuncta, ſumma ſedulitate intendo terram, quam olim noſtri anteceſſores à Widone Comite Pictavenſi, cujus prædium erat, nominabat & emerat à GAUFRIDO, cujus feudum eſſe dicebat, ſine omni contradictione ad communes Fratrum uſus redimi. Quod ut perpetualiter inrevulſum remaneat, ut condecet, firma & rata teſtamenta, ne poſteris lateat, Theſaurario noſtræ eccleſiæ ſubſcribere curavi: ut ſi quis cupiditate cæcatus hoc pervertere attentet, perpetuum ſibi anathema & præſcriptionem & ſancto Launomaro contrarius eſſe poſſit probari. Hæc autem facta ſunt anno ab Incarnatione Domini M LXXXVII, in XII Kal. Maii, exiſtente III feria, luna XIIII, Indict. X. liberis & atteſtantibus noſtris id petrantibus, ex parte Gaufredi, Giraldo, Arnaldo, & Stephano; ex parte autem noſtra Dalmatio, Olivario, & Bertranno, PHILIPPO Rege Francorum, DURANDO epiſcopalem ſedem Claromontis poſſidente. & apoſtolica ſede beatæ memoriæ Gregorii VII morte deſolata, WICBERTO autem Ravennate hæreſiarcha poteſtate tyrannica invaſa & oppreſſa.

CIRC. ANN. DCCC LXXIV OCTOB. XXIII.

13. Stephanus quidam, cognomento Nerei, convenientiam fecit cum D. Mauricio Priore pro terra de Crotis*, & nemore, & plantie, quæ dimiſit ſancto Launomaro. Hæc autem convenientia facta fuit II Kal. Aprilis, feria II, luna II, URBANO Romano Apoſtolico in Gallicarum partium morante confinio, WILLELMO Claromontenſis ſedis Epiſcopo, regnante PHILIPPO Francorum.

Acquiſita. * de Crotis

14. Theotardus Prior loci Magenciaci habens curam Fratrum ſuorum & præfati loci, quem accepit procurandum à domno Abbate Bleſenſe, vocitato GUADONE, cum fratribus adhærentibus adiit domnum GUILLELMUM Tyernenſem, Principem clariſſimum, deprecatuſque eſt, ut pro ſalute patris ſui GUIDONIS donaret ſibi & ſancto Launomaro in ſilva ſua ampliſſima, quæ vocatur Burno*, unde ſemper habeatur calefactum, ædificamentum, & reſtauramentum domorum ſuarum. quam deprecationem libenter accipiens magnificus Princeps Willelmus, pro Dei amore qui ſibi tribuit temporalia bona magna & mannifica, gaudens & devotus conceſſit quod petebant, & uxori ſuæ clariſſimæ ADALASIS*, filiiſque ſuis WIDONI, STEPHANO, WILLELMO, THEOTARDO & ceteris autorizare & confirmare fecit. Inde verò cedula facta eſt anno ab Incarnatione Domini M LXXVII, præſente Abbate Tyernenſi HUGONE, qui hanc conſcribere fecit ſub teſtimonio Procerum & Militum præfati domini Willelmi. S. Dominæ ERMENGARDIS ſororis ejus. S. ſupradictorum filiorum ejus. S. AGNONIS de magno Monte, & PONTII fratris ejus. S. ROTBERTI de Magenciaco. S. MAURICII de Monte-Buxario. S. WILLELMI Rebuonis. S. RADULFI Rufi, & WILLELMI filii ejus. S. BERNARDI Revellis. S. FALCONI Militis. S. Stephani de Piſcatoriis, & aliorum. Actum PHILIPPO Rege humano, & Chriſto Rege ſuperno.

Donatio Guillelmi Tiernenſis. * Bern * l. Adalaidi

15. Tales verò litteras dedit Willelmus Princeps Tyernenſis Mauricio Priori & Monachis Magenciaci.

NOTA Vvillelmi litteræ.

EGo Willelmus, filius Widonis Tyernenſis provinciæ Principis, ſanctæ eccleſiæ Magenciacenſi, quæ eſt conſecrata in honore Chriſti Domini & beati Launomari Confeſſoris, & pro ſalute animæ meæ & parentum meorum, dono & offero eccleſiam ſancti Porciani, ſitam in ſilva quæ vocatur Borno, & alodium meum quod in ea teneo & poſſideo, eamque illis etiam abſque omni retractatione confero. Dono etiam in eadem ſilvâ ad ædificia præfati loci ... neceſſarium tali dono, ut dies mortis meæ per ſingulos annos agatur & celebretur anniverſali officio in eodem loco. Hæc autem dona filiis meis confirmare facio, ſcilicet WIDONI, & STEPHANO, & WILLELMO & THEOTARDO; & ſi aliquis ex heredibus meis hæc dona calumniare vel auferre voluerit, auferat eis Dominus honorem Patris cœleſtis, niſi pœnituerint & emendaverint. Hæc autem donatio facta eſt per manum Mauricii Prioris filii Rotgonis de Magenciaco. Teſtes hujus doni fuerunt Petrus Arthonenſis, Pontius de Magenciaco, Petrus Carmenteronis foreſtarius de Borno, Gaubertus & Dalmatius, Petrus de Borneto, Bertrandus Bonaſos.

Anniverſarium.

16. ROBERTUS de Magenciaco dedit Deo & ſancto Launomaro eccleſiam de Sechala, & alia quædam, volentibus filiis ſuis EUSTORGIO majore filio, & MAURICIO, & avunculo eorum MAURICIO Priore. Hanc autem chartam donationis ſcribere fecit & confirmavit WILLELMUS de Baſia, ſub cujus tutela atque dominio Robertus filios ſuos honoremque ſuum dereliquit.

Donatio.

17. Tempore quo Prior Mauricius rediret de Jeruſalem, Rhodas civitatem adveniens, WIDONEM divino nutu obviàm ſibi habuit Tyernenſem: cujus adventu magnopere congaudens Wido, eumque benignè recipiens, beneficiorum quæ Prior antè ab eo diligenter poſtulaverat, pro remedio animæ ſuæ beati Launomari eccleſiam heredem inſtituit: THEOTARDUS verò Tyernenſis prædictam donationem conceſſit,

Alia.

Circ. ann. DCCC LXXIV Oct. XXIII.

INSTRUMENTUM

SIMONIS ARCHIEPISCOPI BITURICENSIS,

De viſitatione reliquiarum S. Launomari apud Magenciacum, facta anno MCC LXXXIV.

NOS SIMON Dei gratiâ Bituricenſis Archiepiſcopus, Aquitaniæ Primas, univerſis præſentes litteras inſpecturis, ſalutem in Domino. Notum facimus, quòd cùm nos viſitandi gratiâ Claromontenſem diœceſim tranſiremus, & in eadem diœceſi gratiâ viſitandi deſcendiſſemus ad Prioratum quemdam ſancti Launomari de Bleſis, qui eſt in loco Magenciaci Claromontenſis diœceſis, anno Domini MCC LXXXIV, die Mercurii poſt octavas Reſurrectionis Domini, rogati à Priore & Monachis dicti loci, ut quaſdam reliquias, quas dicebant in ſuo Monaſterio occultas eſſe ſine honore, in palam videremus, & eas de abditis levaremus, ut ab omnibus Eccleſiæ Fidelibus colerentur dictis anno & die in Monaſterio dictorum Monachorum; horâ quaſi tertiâ induti ſollemniter (ut decebat) præſentibus multis bonis viris, domino GUIDONE* Abbate Monaſterii Virzionenſis fratre noſtro, JOHANNE de MARSAC ipſiuſdem Capellano, JOHANNE Abbate ſancti Illidii Claromontenſis, Magiſtro JOHANNE dicto Coreſillon Canonico Bituricenſi. . . . . fratre REGINALDO de Ordine Fratrum Minorum, & Fratre HUGONE Monacho ſancti Sulpicii Pœnitentiariis noſtris, domino CONO Capellano noſtro, Magiſtro REGINALDO de. . . . JOHANNE de Camera Canonico Ruthenenſi, GUIDONE de Rane, Johanne de Pariſiis clericis noſtris, præſentibus etiam Priore dicti loci & Monachis ſuis, videlicet numero VI, STEPHANO rectore eccleſiæ dicti loci, HUGONE domino de Mainçac domicello, & Ægidio dicto *Chezart* Milite, & innumeroſitate Fidelium copioſa, dicta abdita & ſecreta loca ſub altari majori & caſſulâ quadam æneâ cooperta laminis cupreis & vaſe quodam æneo eiſdem laminis cooperto (quod vas vulgariter à dicti loci indigenis *Dour* vocatur) diligentiùs perſcrutantes, invenimus ſub altari prædicto capita duo quaſi integra, cum pluribus fruſtis minutis ſacrorum oſſium, pluribus linteaminibus involuta: quorum unum (ut tenet antiquitas) à dextris altaris inventum cum tribus dentibus integris, eſſe dicitur caput beatiſſimi Launomari Abbatis: aliud verò, quod invenimus à ſiniſtris altaris, fertur eſſe ſancti Ebrulfi Abbatis. Quæ omnia de altari levantes, cum reverentia (ut decebat) repoſuimus ea ſuper toellam mundiſſimam, exſpectantes quid in vaſis aliis haberetur.

* al. Guidone

Aperientes deinde dictam caſſulam, in ea invenimus plurima membra Sanctorum, integra quædam, plurima verò minimarum & groſſarum partium linteamina multa, lapides quoſdam, & cetera vaſa minuta diverſa. Quæ omnia ſingulatim diviſim & cum diligentia pertractantes, invenimus cedulas quaſdam hæc per ordinem continentes: *Hæc ſunt pulveres plurimorum Sanctorum, S. Petri, de monte alveti, S. Leonis, S. Gregorii, S. Sulpicii, S. Symphoriani, S. Pauli, S. Martini, S. Andreæ. Reliquia S. Leodegarii, S. Laurentii, S. Hyppoliti, S. Saturnini. De ſepulcro Domini, de palea Domini, de paleo S. Mariæ, de ſocco S. Petri, de ſpanſa S. Petri, de cruce Domini. Reliquia SS. Gervaſii & Prothaſii, & SS. Confeſſorum Germani, Remigii & Leobini. De lancea Domini, de pane S^ti Johannes.* Alia cedula hæc erat: *Reliquia S. Panatii Epiſcopi, ſanctique Servandi, & S. Liborii Epiſcopi, & S. Rigmiri Confeſſorum.* In tertia cedula hæc erant: *Hæc ſunt reliquia S. Ebrulfi & S. Frotaſii.* Vas autem tertium, quod *le Daur* vocatur vulgariter, poſtea reſerantes, plurima oſſa ſimiliter invenimus, integra quædam cum minutis partibus, alia linteamina plurima, & minutos pulveres, quæ omnia eſſe ſacrorum oſſium credebantur. In eo etiam duas cedulas reperimus hæc per ordinem continentes: *Hæc ſunt reliquia SS. Confeſſorum Ebrulfi atque Frotaſii.* Item, *Hæc ſunt reliquia beati Launomari Confeſſoris Chriſti atque beati Carileſi, & SS. Confeſſorum S. Panatii Epiſcopi & S. Sviardi, S. Liborii Epiſcopi, S. Rigmiri, S. Ebrulfi, S. Frotaſii, S. Stephani Protomartyris.* Quibus inventis & diligenter inſpectis, præſentibus dictis Priore & Hugone dicto domino de *Mainçac* unà cum pluribus de noſtris, illa duo ſancta capita beati Launomari & beati Ebrulfi reponi fecimus in quodam ſcrinio, quod ſigillari fecimus ſigillo noſtro & ſigillis dicti domini Abbatis de Virſione fratris noſtri, dictorum Prioris & Rectoris ejuſdem eccleſiæ, uſquedum adminiſtrante devotione Fidelium dicta capita tectis argenteis reponantur. Et tunc convocari ſtatuimus omnes qui voluerint intereſſe, ut ſine dubitatione aliqua frangantur ſigilla, & duo ſacra capita palàm oſtendantur; & ſic argenteo tegantur, & (ut condecet) perpetuò honoranda. Ut hoc autem perfici valeat citiùs, de omnipotentis Dei

conſiſi miſericordia, ſanctiſſimæ matris ejus, SS. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, & S. Protomartyris Stephani dictorúmque Sanctorum, quorum reliquias honorare intendimus, & omnium Sanctorum, omnibus Fidelibus verè pœnitentibus & confeſſis, ad hæc perficienda beneficia & eleemoſynas miniſtrantibus, XL dies de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relaxentur, præſentibus quoad indulgentiam ab inſtantibus octavis Pentecoſtes in annum futurum continuè continuando valituris. Reliqua verò ſacra membra, reliquias, pulveres & ſacra linteamina reponi fecimus præſentibus multis bonis in prædicta capſa lignea, quam obſerari fecimus ferreis laminis, uſquedum de reponendis ipſis honorificentiùs à dicto Priore, ſuffragante ſibi devotione Fidelium, ordinetur. In quorum fidem & teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus duximus apponendum. Datum die & anno prædictis. Circ. ann. DCCCLXXIV Oct. XXIII. Indulgentiæ.

DE SANCTO ALTFRIDO EPISCOPO HILDINESHEIMENSI IN SAXONIA QUARTO,

Ann. Chr. DCCCLXXV Aug. XV.

Ubi origo ejus Epiſcopatus præmittitur.

1. *Ex octo epiſcopalibus ſedibus, quas in Saxonia erexit Carolus Magnus anno* DCCLXXXI, *ut ſuperiùs diximus ad annum* DCCCLIII, *ubi de Haimone Epiſcopo Halberſtadenſi; una fuit eccleſia Aulicenſis, dein Hildinesheim tranſlata: cujus ſedis originem accuratè deſcribit anonymus Chronographus Saxonicus ad annum* DCCCXV *in hæc verba.* Karolus Magnus Imperator, poſtquam diu infrenem & Chriſtiani nominis tunc inmunem Saxoniam, longo tandem mollitam bello, Fidei catholicæ impreſſit ſigillo; inter cetera Saxoniæ loca, quæ epiſcopalibus ſublimanda ſedibus decrevit, Aulicam villam, ab inſigniente eumdem locum Regis aula appellatam, & ubi Sala fluvius parvus, ſed piſcoſus, Leviæ influit, ſitam, ſede Epiſcopatus dignam judicavit, tum propter delicatam ipſius loci amœnitatem, tum propter confluam negotiandi commoditatem. quippe cùm naves Freſiæ de Wiſara per Leviam adſcendentes, eumdem locum locupletare, publicus etiam uſitatiſſimúſque viarum tranſitus celeberrimum poſſent reddere. Quo decreto Karolus Aulicenſis eccleſiæ primam fundamenti petram ipſe ponens, eamdem eccleſiam, quaſi primitias Saxoniæ & deſudati Chriſto triumphi titulum, fundato ſuper petram qui Chriſtus eſt, cæli Clavigero dicavit: & ſubſequenter morato ibidem pio Imperatore, ad primam uſque cæmentarii ſtaturam murus ejuſdem ſurrexit eccleſiæ. Karolo autem, quoad vixit, ad promovendas ordinandaſque in Epiſcopatus, & hanc, & alias quas conſtruxit eccleſias, impedito, & ex negotiis bellorum & penuria prædiorum Aulicenſis interim eccleſia per directos præfectoſque ſibi à ſuo conditore Sacerdotes, qui Saxoniam ſolidioris cibi tunc minimè capacem, lacte eccleſiaſtico imbuerant. Per hos, inquam, gubernata, adjacenti provinciæ erat eccleſiaſticæ legis magiſtra & Religionis chriſtianæ evidens forma: loco, quem nunc Hildinesheimenſis illuſtrat eccleſia, ad formam adhuc ſitum paſſo, domeſticis adhuc paludibus obducto, ſilvis horrido, venatui tamen apto. Karolo eumdem regni & vitæ finem ſortito, Lodowicus tam paternæ religionis, quàm poteſtatis heres, cùm totus eſſet in promovendo Aulicenſem eccleſiam in caput & arcem Epiſcopatus, & cùm hoc diſponendi gratiâ eumdem locum incoleret frequentiùs, contigit eum tranſita

Hildenesheimenſis Epiſcopatus origo.

Ann. Chr. DCCC LX... Aug. xv. Levia venandi affectu in loco quem nunc Hildinisheimenſis occupat eccleſia, tentorium fixiſſe, ibique allatis regiæ capellæ reliquiis Miſſam audiviſſe. Erant autem ex Dei providentia eædem reliquiæ ſanctæ genitricis Dei Mariæ. Rege autem dehinc de venatu Aulicam regreſſo, ibique tunc Miſſarum ſollemnia audituro, Cappellanus reliquias altari impoſiturus, demum recoluit, ſe oblitum eas dimiſiſſe, ubi Miſſa celebrata eſt pridie. Revertitur ſollicitudinis ſtimulo conatus, invehitque eas ubi & ſuſpenderat, in ramo ſcilicet arboris puriſſimum fontem obumbrantis. Approperat hilaris, &, ô ſtupenda Dei magnalia! ô divinæ diſpoſitionis abyſſus multa! quas facili manû ibi ſuſpenderat, nullo conatu auferre ſuffecit. Recurrit Imperatorem mirando affecturus nuntio. Ille avidus audita experiri, acceleratiſſimè multis ſtipatus venit, reliquias de loco, cui ſemel inhæſerant, nolle moveri ſenſit. Inſtructus igitur hoc nutus eſſe divini, ſacellum ibidem Dei acceleravit genitrici, altari eumdem locum obtinente, quem & ſuſpenſæ reliquiæ. Locum igitur hunc novitate miraculi illuſtratum, hunc tantopere Dei genitrici placuiſſe probatum, Rex Lodowicus toto affectu promovere aggreſſus, principalem Epiſcopii cathedram, quam priùs apud Aulicenſem eccleſiam à patre ſuo fundatam, & à ſe tantopere celebratam, honori Principis Apoſtolorum attribuere decrevit, ſacello Dei genitricis conceſſit, eique probatæ religionis GUNTARIUM primum Epiſcopum præfecit. Sic Hildinisheimenſi eccleſia principalem ſedem obtinente, ſic Principe Apoſtolorum genitrici Conditòris Redemtoriſque ſui locum dante, obtinuit Aulicenſis eccleſia, ut eſſet mater & filia: filia ſcilicet eccleſiæ epiſcopalis: mater verò eccleſiarum quarumdam ultra, omnium autem ſecum cis Leviam poſitarum. Sacellum autem Hildinisheimenſe à Rege Lodovvico conſtructum, & ſanctæ Mariæ dicatum, perduravit in ſibi digno religionis cultu, non adjuncto ſibi alio opere uſque ad ALTFRIDUM quartum Præſulem ipſius eccleſiæ. Guntarius enim primus ejus Epiſcopus, epiſcopalem eccleſiam, in qua principalis Fratrum Clerus Deo ſerviret, cum duabus altiſſimis turribus remotiùs à dicto ſacello, in meridiano ejus latere conſtruxit, & principaliter in honore ſanctæ Ceciliæ virginis dedicavit. Sed hanc eccleſiam Fratrum celebritas & canonicalis religio non incoluere, niſi præſidentibus tribus Epiſcopis GUNTARIO & REINBERNO, qui per XX annos illi eccleſiæ præfuerunt, tertio EBBONE, priùs Remenſe Archiepiſcopo, pòſt Hildinisheimenſi Epiſcopo. *Hæc de hujus Epiſcopatus origine fuſiùs referre viſum eſt, quia non facilè cuivis obvia eſſe poſſunt.*

Guntarius I Epiſcopus (margin, beside "nitricis conceſſit ... GUNTARIUM primum Epiſcopum præfecit")

Succeſſores. (margin, beside "non adjuncto ſibi alio opere")

Reinbernus. (margin, beside "ſcopis GUNTARIO & REINBERNO")

Ebo. 2. *Reinberno Guntarii ſucceſſori* EBO *Remenſis Antiſtes ſufficitur, non anno* DCCC XXXV, *quo in ordinem redactus eſt, neque anno* DCCC XXXVII, *ut legitur in Chronico Saxonico, ubi ejus obitus anno* DCCC XLVII *malè reponitur; ſed anno* DCCC XLV, *ut conſtat tum ex epiſtola ſynodica Concilii Tricaſſini ad Nicolaum Papam, tum ex narratione Clericorum Remenſium de Ebonis depoſitione. Siquidem Ebo poſt reditum ex profectione Italica ad Sergium Papam, cùm* legationem in Græciam à HLothario ſibi injunctam ſuſcipere detrectaret, *Abbatiis quas Imperatoris beneficio poſſidebat, ſibi ablatis,* HLudovici Germaniæ Regis largitione in provinciâ Mogontina & regione Saxoniæ, non longè à vicinitate finium Nortmannorum, quibus à Paſchali Papa prædicator fuerat deſtinatus, Epiſcopium Hildenesheim vacans obtinuit: ubi etiam auctoritate privilegii à beato Gregorio Papa ſibi collati, miniſterium pontificale fine tenus exercuit, *ut ſcribunt Patres Concilii Tricaſſini anno* DCCC LXVII *celebrati. ac proinde iſti eccleſiæ præfuit Ebo ad annum* DCCC LI, *quo ejus obitus, teſte Hincmaro in epiſtola 27 ad Nicolaum Papam, contigit* Indictione XIV, XIII Kal. Aprilis. *Remenſes Clerici teſtantur, eumdem in ſede* Hiltinesheim *non ſolùm uſque ad finem vitæ perſtitiſſe, ſed inter cetera multa bona, diverſas etiam feciſſe ordinationes,* quæ abſque ulla umquam reprehenſione ab omnibus Deo amabilibus *probarentur. Et tamen in prædicto Chronico Saxonico Altfridus, Ebonis in ſede Hildinesheï-*

menſi ſucceſſor, adminiſtrata ab anteceſſore ſuo eccleſiaſtica ſacramenta caſſaſſe *memoratur*, iterando ſcilicet eccleſiarum conſecrationes & clericorum (ſi qui digni videbantur) ordinationes. ANN. CHR. DCCC LXXV AUG. XV.

3. *Itaque anno non* DCCC XLVII, *ut legitur in eodem Chronico n. ſ. ſed* DCCC LI, *Eboni mortuo ſucceſſit* ALTFRIDUS *ex Monacho (ut ſcribit Trithemius) Corbeienſi. Intelligit, ut puto, Carbeiam Saxonicam. tametſi in catalogo ejus loci Monachorum, qui Vvarino tum Abbate ibidem vixerunt. nullus Altfridus reperitur apud Meibomium. Jam Altfridi res geſtas ex Chronico Saxonico repetamus.* Huic Altfridus.

4 Duas curtes ſuæ proprietatis, Saligenſtad & Eſnedi, eccleſiæ ſuæ condonavit, in quibus Abbatias Saligenſtad Monachorum, & Aſnedi virginum coadunavit. *Hæc ad annum* DCCC XLVII. Quæ ejus facta.

5. Anno DCCC LII LIUDOLFUS Dux Saxoniæ cum ſua conjuge Oda Romam petiit, & ab Apoſtolico reliquias ſanctorum Præſulum Anaſtaſii & Innocentii impetratas detulit, & in honore eorum Monaſterium & Cœnobium virginum, ante quatuor annos in Bruneſteshuſe inchoatum, in Gandersheim antiquiori loco conſtruxit. Tumque Dominus Altfridus Hildinisheimenſis Epiſcopus eccleſiam ibidem ædificare cœpit, & HATHMODAM, ejuſdem Ducis filiam, primam Abbatiſſam ibidem ordinavit. Decimas etiam ex proprietate ſuæ eccleſiæ ibidem pro exhibendo ſibi ſervimine & cenſu in beneficium præſtitit, & cetera ibi Chriſto famulantibus profutura ex ſua paterna pietate providit. *Gerbergam Hathmodæ ſororem ipſi ſucceſſiſſe anno* DCCC LXX *ait Chronographus, Gerbergæ Chriſtinam anno* DCCC LXXXIII, *dein Roiſvindam, poſt Vvendelgardam anno* DCCCC XXVI. *Vvendelgardæ ſucceſſit Gerberga, cui* HROSVVITA *ejus loci Sanctimonialis & illuſtris poetria panegyrin Ottonum dedicavit. Extat carmen iſtud apud Meibomium cum diplomate Ottonis Imperatoris, confirmantis bona Monaſterii ſanctæ Mariæ, quod Gerberga* in ſuperiore plaga civitatis *Gandersheim conſtruxerat. Gandersheimenſe pranobile Cœnobium Ducatus Brunſvicenſis ſuperiori ſæculo, uti & alia multa, ab hæreticis profundatum eſt.*

6. Idem eccleſiaſticus Præſul cum religioſiſſimo ſuo clero triduanum egit jejunium, cælos pulſante precum inſtantia, Deum orans, locum ſibi demonſtrari in Hildinisheimenſi civitate, quem mediator Dei & hominum dignaretur eccleſiâ in ſui ſuæque Genitricis honore conſtruenda. Cùmque quartus dies illuceſceret, viſi ſunt deſignati, & quaſi ad fodiendum eccleſiæ fundamentum artificioſo metientis orthigonio limites deſcripti, inſtar vernalis pruinæ, directi quidem à primitivo ſanctæ Mariæ ſacello Occidentem verſus, lati quippe & longi inter ſeque diſtantes, prout muri ſpiſſitudo & eccleſiæ longitudo ac capacitas poſcebant. Revelatum eſt præter hoc eidem Præſuli eadem qua jejunium finierat nocte, quia in crypta, quam adjuncturus erat ſacello, à Lodovvico Imperatore olim conſtructo, duo deberet altaria dedicare, alterum Johanni Baptiſtæ, alterum Stephano Protomartyri. Mox illuſtris Præſul ſuæ intentioni divinam adſpirare dignationem lætificatus, poſito ut ſibi revelatum eſt fundamento, eccleſiam tam honeſti, quàm firmi, ſed arti ædificii conſtruxit. *Hæc Chronographus Saxonicus.*

7. *Anno* DCCC LXIV, *cùm Gallicani Epiſcopi, urgente Nortmannorum procella, Piſtæ *, qui locus eſt diœceſis Rotomagenſis, conveniſſent, & ipſe inter eos adfuit* ALTHFRIDUS Hildineshimenſis Epiſcopus, *ſubſcripſitque privilegio Autiſſiodorenſis Monaſterii S. Germani, ut legitur in Spicilegii tomo 2 pag. 592. Deinde anno* DCCC LXX *cùm Carolus Calvus pro Colonienſi Archiepiſcopi ordinatione in Germaniam perrexiſſet.* Legati à Lodovvico mittuntur, orantes ut à regno diſcederet. Noviſſimè Liutbertum Archiepiſcopum & Altfridum Epiſcopum Hildinisheimenſem, virum prudentem, dirigit, mandans, ut aut diſcederet, aut ſibi pugnandum cum fratre ſciret. Qui eum tanta ingenii arte tantaque conſtantia aggreſſi ſunt, ut abſque dilatione recederet, ſeque in ſuo regno reciperet. *Hæc ex Chronographo Saxonico, uti & ſequentia.* * Piſtres

Ann. Chr. DCCC LXXV Aug. XV. 8. Anno DCCC LXXII, Indictione V, in Kalendis Novembris dedicatum eſt principale Monaſterium ſanctæ Mariæ in Hildensheim ab Altfrido ejuſdem eccleſiæ Epiſcopo, & RIMBERTO Bremenſi, LIUTHARDO Patherbrunnenſi, ac THEODORICO Epiſcopis, cum interventione Corbeienſis Abbatis Adalgarii, ſub titulo Coſmæ & Damiani, Tiburtii & Valeriani Martyrum, & Ceciliæ virginis.

Obitus. 9. Anno DCCC LXXV Altfridus, Hildinsheimenſis quartus Epiſcopus, plenus dierum, XVIII Kalendas Septembris in conſortium Sanctorum migravit, & Aſnede in ſua eccleſia, quam ipſe conſtruxit ac dedicavit, ſepultus eſt: ubi miraculorum virtutibus per plurima ſanitatum inſignia, ut ibi commanentes perhibent, innoreſcit. Poſt hunc LIUDOLFUS, novæ Corbeiæ Monachus, deſignatur: ſed ſubita morte præventus aufertur. Successores. MARQUARDUS dehine quintus Epiſcopus ſucceſſit. *Ejus ſedis Epiſcopus fuit ſanctus* GODEHARDUS, *de quo agendum in Sæculo* VI.

Ann. Chr. DCCCLXXV Dec. XVI.

SANCTI ADONIS
ARCHIEPISCOPI VIENNENSIS
IN GALLIA
ELOGIUM HISTORICUM,

Adonis vita privata hactenus ignota. 1. ADONEM *Viennenſem Archiepiſcopum, non magis dignitate quàm ſcriptis clarum, ſatis norunt eruditi omnes. At quis, qualiſve ante pontificatum fuerit, nemo (quod ſciam) hactenus explicavit. Mirabuntur forſan nonnulli, quòd Benedictina familia eum adnumerem, cùm Trithemius, Wion, Menardus, Bucelinus, & alii, eum Faſtis noſtris non inſcripſerint. ſed mirari deſinent, cùm facti mei rationem expoſuero.*

2. *Adonis Vita compendium inveni in Breviario collegiatæ eccleſiæ Romanenſis apud Allobroges, in qua celebris eſt Adonis memoria: quo in Breviario typis vulgato anno* M DC XII, *Sanctorum acta, non recentiorum, ſed veterum Auctorum qui ea ſcripſere, totidem verbis referuntur. id quod factum etiam in Adone, cujus feſtus dies ita notatur in dicto Breviario* XVII *Kalendas Januarii:* Sancti Adonis Epiſcopi & Confeſſoris. Omnia dices de communi præter Legendam. *& infrà:* Incipit Vita ſancti Adonis Archiepiſcopi Viennenſis. *Quæ verba ſatis innuunt, ejus Vitæ compendium, quale mox ex ipſo Breviario exhibebo, ab vetuſto Auctore, qui ſancti Adonis res geſtas litteris antiquitus mandavit, de verbo excerptum fuiſſe.*

3. *Accedit quòd Eccleſia Viennenſis in ſuo Breviario, quod ante centum viginti annos typis editum eſt, iiſdem ferè verbis utitur ac Romanenſis, uſque ad electionem Adonis in Archiepiſcopum. Aliam enim ab eo loco narrationem de rebus ab Adone jam Pontifice geſtis exhibet Viennenſe Breviarium, cujus copiam nobis ſubmiſit humaniſſimus vir Petrus Louvetus Doctor Medicus & Hiſtoriographus Dombenſis. Utriuſque Breviarii lectiones novem juvat hìc repræſentare uno conſpectu, ut mutua utriuſque narrationis collatio faciliùs fieri poſſit.*

Ex Breviario Viennenſi.	*Ex Breviario Romanenſi.*
1. Tempore CAROLI Regis, poſt	1. Tempore CAROLI Regis, poſt

Ex Breviario Romanenſi.

patrem Ludovicum Imperatorem in Francia regnantis, hic ſanctus vir nobili proſapia exortus, dum adhuc infantulus eſſet, in Monaſterium quod Ferrarias ex antiquo vocant, à parentibus traditus eſt.

II. Cumque ſub regulari cenſura degeret, inque illo Cœnobio ceteris arctior tunc temporis habebatur *, divinitus inſpiratus atque electus, omnes ſibi coævos in ſtudiis litterarum præire cœpit. Laſciviam etiam huic ætati amicam ceteraque puerilia uſquequaque declinans, ſenum perfectorumque gravem converſationem ſectari ſollicitus ſatagebat.

*l. haberetur

III. Verùm robore jam juventutis animatus, igne deſiderii irrefragabili ſuccenſus eſt, ut domum beati Petri Principis Apoſtolorum ceteraque Sanctorum loca in Romana urbe extraque conſtituta orationis gratiâ viſitaret. ideoque peregrini habitum adſumens optatum iter aggreditur.

IV. Qui domum apoſtolicam humilis habitu, devotus corde ingreſſus, in oratione continua pervigil, nocturnis excubiis pernoctare crebriùs uſque ad lucem matutinam gaudebat. Sanè cùm in Romana urbe omnibus pæne notus eſſet, quinquennio ferè exacto Ravennam devenit: ubi quemdam libellum à quodam religioſo præſtitum tranſſcripſit, ad deſcribendas ſanctorum Martyrum paſſiones.

V. Inde Lugdunum pervenit. Ibi tunc fortè præerat dignæ memoriæ REMIGIUS Præſul eximius, Regibus admodum carus. Hic Dei famulum Adonem piè ſuſcipiens *, benignè exhibuit. At ubi ſcientiæ & probitatis inſignia pernoſcere potuit, eccleſiam beati Romani cum ſibi adjacentibus rebus in obſequium delegavit, ubi ſecretiùs orationi vacaret.

Ex Breviario Viennenſi.

patrem Ludovicum Imperatorem in Francia regnantis, hic ſanctus vir nobili proſapia exortus, dum adhuc infantulus eſſet, in Monaſterium quod Ferrarias ex antiquo vocant, à parentibus traditus eſt.

II. Dehinc famoſiſſimam beati Petri Apoſtolorum principis domum ceteraque Sanctorum loca in Romana urbe conſtituta, orationis gratiâ Deo comite viſitavit: ibique quinquennio ferè ſedit. Et regreſſionis iter arripiens, Ravennam devenit: ubi aliquamdiu remoratus, quemdam etiam libellum à quodam Fratre religioſo præſtitum tranſſcripſit, quo ad deſcribendas ſanctorum Martyrum paſſiones ſeſe non modicè adjutum fuiſſe teſtatur.

III. Inde pedem movens, Lugdunum famoſiſſimam pervenit ad urbem. Ibi tunc fortè præerat REMIGIUS Præſul eximius, Regibus admodum carus. Hic Dei famulum Adonem in habitu pauperis piè ſuſcipiens, quæquæ * illi neceſſaria exhibuit. At ubi collocutione mutua, ut erat prudentis ingenii, quæ in illo latebant ſcientiæ & probitatis inſignia pernoſcere potuit, ſecum retinere toto anniſu conatus eſt.

Ann Chr. DCCCLXXV Dec. XVI.

Ex Breviario Viennensi.

IV. Et ad Abbatem ipſius deprecatoria legatione acta, litteras permiſſorias impetravit ad ſe retinendum in ſuum ſuæque Eccleſiæ obſequium: quouſque utile judicaſſet. Exhinc non parvum tempus effluxerat, cùm ecce Epiſcopus obitu Viennenſis Præſulis certiſſimè comperto, agere diſpoſuit intentiùs, quatenus in Viennenſi Eccleſia ordinaretur Epiſcopus. Quocirca ex conſenſu tam Cleri quàm plebis, cum conſilio & præſentia comprovincialium Epiſcoporum, idem Dei famulus Viennenſem conſecratur in Pontificem.

V. Neque enim, ut moris eſt pleriſque, mox ſuſcepto honoris gradu in ſuperbiam elatus eſt: ſed magis in cœpta perſiſtens humilitate, omnes quoque ſubditos ſecundùm ſuum modum imitatores veritatis fieri aſſiduè monebat dicens: Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.

VI. Cujus tam ſalubri tamque ſancto ſtudio in introitu ſanctæ matris eccleſiæ, in honore Salvatoris conſtructæ, domunculam quamdam inſtar ſepulcri dominici conſtrui fecit: ante cujus etiam oſtiolum altare, ex lapidibus concavum, ad nomen Mariæ peccatricis, Petri quoque negatoris, Latroniſque confeſſoris ſollemniter conſecravit. quò dum multi adveniunt ægroti, per interceſſionem eorum ad propria læti conſueverunt reverti.

VII. Hoſpitalitatis verò, ſed & miſericordiæ in pauperes quanta ei cura, quantave aſſiduitas fuerit, ſtilo mandare non eſt neceſſe: cùm oſtium domus ipſius non alio, ſed ne quidem refectionis tempore clauſum fuerit. Unde meritò cum beato Job dicere poterat: Oſtium meum viatori patuit, & pater fui pauperum.

VIII. Verùm indefeſſus laborator, licèt die tantis occuparetur bonorum operum exercitiis; noctu non ſe totum credebat ſopori, tamquam diurno

Ex Breviario Romanenſi.

VI. Exin obitu Viennenſis Præſulis comperto, ejuſdem Eccleſiæ filii divina inſpiratione ſuper hoc tracti, omnes in commune uno conſilio pari voluntate dominum Adonem petiverunt ſibi præficiendum Epiſcopum. Quocirca ex conſenſu tam Cleri quàm plebis cum conſilio comprovincialium Epiſcoporum idem Dei famulus Viennenſem conſecratur in Pontificem.

VII. Religionem verò cernens à ſui obſervantia partim defeciſſe adverſarum cauſarum occaſione, inſtitit omnimodis, ut ad priſtinam rectitudinis normam paullatim ipſius ſtudio reformaretur. Hinc conſtant inſtitutionis ejus perplura documenta. Siquidem & de nocturnis & de diurnis officiis pſallendi regulam pulcrè conſtituit.

VIII. Præterea quanto ſtudio ducebatur in ædificiis eccleſiarum inſtaurandis vel exornandis, etſi fortè hominis deſit teſtimonium, non deſunt tamen eadem ædificia. Hoſpitalitatis in pauperes quanta ei cura quantave aſſiduitas fuerit, ſtilo mandare non eſt neceſſe: præſertim cùm oſtium domus ipſius, non dicam alio, ſed nec quidem refectionis tempore clauſum fuerit.

IX.

Ex Breviario Romanenſi.	*Ex Breviario Viennenſi.*
	labore fatigatus: ſed ad ſatisfaciendum naturæ aliquantiſper quiete ſibi indulta, quod ſupererat noctis, orationi dedicans, tempotiùs Fratres ad vigilias nocturnas ſurgere compellebat. ubi & ipſe ſolitò præſens, lectiones & reſponſoria protrahendo decantari faciebat, quouſque diei luce appropinquante, matutinæ laudes agerentur.
IX. Cúmque jam tempus adeſſet, quo Dominus militem ſuum beata mercede vellet donare, ſextum-decimum circiter annum in Epiſcopatu agens, de præſenti ad fututam vitam felici fine demigravit. Cujus corpus in eccleſia ſanctorum Apoſtolorum officioſiſſimè tumulatum eſt. qui vixit annos plus minuſve ſeptuagintaſex.	IX. Cúmque jam tempus adeſſet, quo Dominus Rex regum militem ſuum à labore quieſcere vellet, ſextum-decimum circiter annum in Epiſcopatu peragens, de præſenti ad futuram vitam felici fine demigravit. Cujus corpus à Clero & univerſa plebe ex more deportatum, atque in eccleſia ſanctorum Apoſtolorum inter prædeceſſores ſuos Pontifices tumulatum eſt.

4. *Ubi primùm hæc legi in Breviario Romanenſi, (nam longè pòſt Viennenſis exemplum accepi) magno gaudio affectus ſum, quòd illuſtrandi tanti viri aliquam haberem materiam. Sed illud voluptatem meam temperabat, quòd vetuſta & idonea mihi deeſſent monumenta, quibus iſta probarem. Hæc mihi cogitanti, & Lupi Abbatis Ferrarienſis epiſtolas relegenti, occurrit epiſtola ejus centeſima vigeſima ſecunda, quæ votis meis faciat ſatis. In hac enim epiſtola, qua Gerardo Provinciæ Duci ſeu Comiti & Bertæ ipſius conjugi inſcripta eſt, certiſſima deprehendi momenta, quæ in Adonem ejuſque res geſtas ita, ut ſuperiùs expoſita ſunt, omnino conveniunt. Et quia hæc res non parvi momenti eſt, operæ pretium fuerit hoc loco integram adducere epiſtolam, ut nemo ſuſpectam habeat fidem meam.* — Quo modo hæc illuſtrata.

PRÆCELLENTISSIMO Duci G. & clariſſimæ conjugi ejus B. LUPUS præſentem & futuram ſalutem. Semper inſignis fama de probitate veſtra bonos quoſque lætificavit: ſed nunc in omnium notitia uberiùs effloruit, cùm eamdem probitatem veſtram ſucceſſu profuturo Chriſtianis omnibus Divinitas comprobavit. Cùm verò quæ primò polliceri, poſtea promittere dignati eſtis, largiti fueritis, conabimur gratias cumulare. Ceterùm quod diligenter ſcrutamini, noveritis Monachum & diſcipulum meum Ad. numquam à noſtro Monaſterio aufugiſſe: ſed ad petitionem beatæ memoriæ MARCWARDI Abbatis ex Prumia aut Proneam * à nobis eum honeſtè directum, & cum illo aliquamdiu converſatum, quorumdam invidioſorum vitaſſe inſidias: & inde diſcendi ſtudio & quietis amore in urbe Lugdunenſium conſtitiſſe. Reverentiſſimis autem viris REMIGIO & H. Gratianopolitano inſtanter poſtulantibus, & converſationem memorati Fratris laudantibus, quamquam olim meam verbis habuiſſet licentiam, etiam regulares litteras accepiſſe: quæ prolatæ, quid de eo ſentiam, fideli relatione fatebuntur. Litteras etiam eum eccleſiaſticas habere à venerabili Epiſcopo noſtro GUENILONE certiſſimè ſcio: nec impedire eum aliquid, ſi Deus eum vocat, quo juſtè ejus infirmari poſſit electio. Bene apud nos converſatus eſt. quæ plurimùm indiget Eccleſia, idoneus eſt ad docendum: regularibus & pontificalibus fultus — Lupi epiſtola de Adone.

* l. ad Proneam

Ann Chr. DCCCLXXV Dec. XVI. eſt epiſtolis: progenitorum nobilitate ornatur, in ſancto propoſito, judicio prædictorum Antiſtitum, inter quos degit, devotè perdurat. Quid reſtat, niſi ut quod ſanctis Præſulibus Deus inſpiraverit, fiat? Quid autem mirum, ſi aliquando aſperius aliquid ſuper eo locutus ſum? illud culpa fuit inimicorum
* ſ. allego ejus impudenter falſa vulgantium: iſtud quod nunc litteris alligo*, meum eſt judicium conſtanter prius viſa, & poſtea comperta narrantis. Cupio vos valere feliciter.

5. *Ex hac Lupi epiſtola diſcimus, Monachum quemdam Ferrarienſem, nobilem, doctum, cujus nomen incipiebat à litteris Ad. degiſſe in provincia Lugdunenſi, Remigio & Heboni Epiſcopis probatum, & ad epiſcopalem dignitatem electum. quæ omnia cum Breviariis Viennenſi & Romanenſi conveniunt, nec alii quam Adoni legitimè aptari poſſunt. Hac diſtinctiùs explicanda per partes. Sed antè quam id præſtem, Lectorem admonere decet, quantum debeat publica res litteraria diligentiæ eruditiſſimi viri Stephani Baluzii, qui in nova editione Lupi Abbatis operum id egit unius vocula, immo duplicis tantùm litteræ correctione, ut illuſtrandæ Adonis noſtri memoriæ præferret lucem. Nam cùm in editione Maſſoniana priùs legeretur,* Monachum meum nonnumquam, *ipſe collatione veterum codicum repoſuit* Monachum meum Ad. numquam. *tametſi, uti modeſtè fatetur, quis fuerit hic homo, quem duabus his litteris Ad. expreſſum videmus, divinare non potuit. Nunc ad ordinem rerum ab Adone geſtarum accedo.*

Adonis ortus & parentes. 6. *Cùm Ado* tempore Caroli Regis, *cognomento Calvi, ortus dicitur, id eo modo interpretare, quo ſimiles jam locos frequenter expoſui, ut eo tempore inclaruerit. nam eum regnante Carolo Magno, circiter annum octingenteſimum, in lucem prodiiſſe conſtat. Quippe annos natus ſeptuaginta ſex, deceſſit anno Chriſti octingenteſimo ſeptuageſimo quinto, ut poſtea videbimus. In utroque Breviario* nobili prolapia exortus *dicitur, apud Lupum* progenitorum nobilitate ornatus. *Patriam ei fuiſſe Waſtinenſem aut Senonicum pagum conjicio.*

Vita monaſtica. 7. Dum adhuc infantulus eſſet, in Monaſterium quod Ferrarias ex antiquo vocant, à parentibus traditus eſt, *more ſcilicet in Regula ſancti Benedicti præſcripto de oblatione & ſuſceptione puerorum cap. 59. Hinc conjecturam ſumo, Adonem natum fuiſſe in loco vicino Ferrarienſi Monaſterio, de quo ſuperiùs actum ad Vitam ſancti Aldrici Archiepiſcopi Senonenſis. Iſtic à Sigulfo Abbate puer ſuſceptus fuiſſe videtur: ubi* bene converſatus, *teſte Lupo*, omnes ſibi coævos in ſtu-
eruditio. diis litterarum præivit, *ex Breviario Romanenſi. De ejus doctrina teſtimonium ſuppeditat Lupus, cùm eum ſcribit eſſe* idoneum ad docendum quæ plurimum indiget Eccleſia.

Miſſio Prumiam. 8. *Poſt aliquantam moram in Cœnobio Ferrarienſi*, ad petitionem Marcwardi Abbatis ex Prumia, *ſeu Prumienſis, qui ab anno* DCCC XXIX *ad* DCCC LIII *loco præfuit*, honeſtè directus ad Proneam *eſt. quo nomine Auſonius in ſua Moſella laudat rivulum quemdam, qui locum iſtum præterfluit. unde Monaſterium aliquando* Pronea, *paſſim* Prumia *dictum, voce nonnihil inflexa. Attamen legere malim* ad petitionem Marcwardi Abbatis Prumiam ad Proneam directum *Adonem: ut deſignetur Prumia ſitus ad Proneam amnem. Inter utrumque Monaſterium, Ferrarienſe ſcilicet & Prumienſe, ultro citroque facilis Monachorum commeatus erat. tum quia ex Ferrarienſi Cœnobio adſumtus fuerat Marcwardus, tum quia cum Lupo magna neceſſitudine conjunctus erat. Et quidem Ferrarienſes Prumiam tranſmittebantur ad diſcendam maximè* Germanicam linguam, *cujus* uſum *eo tempore* pernecceſſarium fuiſſe *teſtatur Lupus in epiſtolis 70 & 91. Quin etiam temporibus illis Monaſteria, etſi nullo communis regiminis vinculo connexa erant, facilè tamen Monachis ultro citroque commeantibus patebant* propter ejuſdem religionis unitatem, *ut loquitur Marcwardus in Lupina epiſtola 72 ad Didonem Senonici Monaſterii ſancti Petri Abbatem, in arte medica peritiſſimum, ad quem Monachos ſuos ſanandos dirigebat. Hinc Lupus in epiſtola 116 ad Monachos Cœnobii ſancti Germani apud Autiſiodorum:* Semper quidem in Cœnobiorum no-

ſtrorum habitatoribus vera caritas viguit: ſed numquam tam certis indiciis, ANN. CHR. ut noſtro tempore, ſui magnitudinem declaravit. DCCCLXXV. DEC. XVI.

9. *Prumiæ* aliquamdiu commoratus *Ado, ut habet Lupus, poſtea* quorumdam invidioſorum inſidiis *impetitus eſt. quas ut vitaret, Romam ſe contulit*, ut domum beati Petri principis Apoſtolorum orationis gratiâ viſitaret. *Hujus itineris non meminit Lupus, qui Adonis æmulis, uti ipſe fatetur, nimis credulam adhibuit aurem, quique alias Monachorum ſuorum Romanas peregrinationes commemorat in epiſtolis 101, 102 & 103 pro Aldulfo & Acarico; tum 106 & 107 pro Dolivaldo ſcriptis, tum ſui ipſius, tum Guenilonis Senonenſis Archiepiſcopi nomine, in ipſorum peregrinorum commendationem. Roma* exacto ferè quinquennio *vir ſanctus Ravennam devenit: ubi* quemdam libellum à quodam Fratre religioſo præſtitum tranſcripſit ad deſcribendas ſanctorum Martyrum paſſiones, *id eſt Martyrologium, de quo poſtea recurret oratio. Libellus iſte eſt vetus Martyrologium, quo uſus eſt Ado in ſuo condendo, à Roſweido editum. Huic præfixa eſt Adonis epiſtola, conteſtantis, quantum ex veteri illo Martyrologio profecerit.* Huic operi, *inquit, id eſt Adoniano Martyrologio*, ut dies Martyrum veriſſimè notarentur, qui confuſi in Kalendis ſatis inveniri ſolent, adjuvit venerabile & perantiquum Martyrologium, ab urbe Roma Aquileiam cuidam ſancto Epiſcopo à Pontifice Romano directum, & mihi poſtmodum a quodam religioſo Fratre aliquot diebus præſtitum. quod ego diligenti cura tranſcriptum, poſitus apud Ravennam, in capite hujus operis ponendum putavi. *Hæc Ado in Præfatione Martyrologii ſui: ex quibus ſuperiora Viennenſis Breviarii verba derivata ſunt.* Romana peregrinatio.

10. *Ravennâ digreſſus Ado*, inde Lugdunum pervenit, *ubi* tunc præerat dignæ memoriæ REMIGIUS Præſul eximius: qui Dei famulum Adonem Lugduni manſio. pie ſuſcepit, & quæque neceſſaria illi benignè exhibuit. At ubi collocutione mutua, quæ in illo latebant ſcientiæ & probitatis inſignia pernoſcere potuit, ſecum retinere toto adniſu conatus eſt. Et ad Abbatem ipſius deprecatoria legatione acta, litteras permiſſorias impetravit ad eum retinendum in ſuum ſuæque Eccleſiæ obſequium, quouſque utile judicaſſet. *Viennenſi Breviario hac in re concordat Lupus, teſtatus, Adonem* diſcendi ſtudio & quietis amore in urbe Lugdunenſium conſtitiſſe. Reverentiſſimis autem viris Remigio & Hebone Gratianopolitano inſtanter poſtulantibus, & converſationem memorati Fratris laudantibus, quamquam olim meam, *inquit*, habuiſſet licentiam, etiam regulares litteras (*obedientiales vocant*) accepiſſe, & litteras etiam eccleſiaſticas *ſeu dimiſſorias* à venerabili Guenilone Epiſcopo *Senonenſi. Sanè litterarum ſtudia tunc temporis, ſi aliàs umquam, Lugduni viguiſſe probant viri docti Leidradus, Agobardus, Amulo, Remigius iſtius Eccleſiæ Pontifices, & Florus Diaconus. Addit Romanenſe Breviarium, Remigium* eccleſiam beati Romani cum ſibi adjacentibus rebus in obſequium delegaſſe *Adoni*, ubi ſecretius orationi vacaret. *Quanam fuerit illa eccleſia, certò pronuntiare non auſim. forſan eccleſia ſancti Romani, quæ in Viennenſis urbis* parte orientali ſita *erat, teſtante ipſo Adone in Martyrologio* XIII *Kal. Decembris, ubi ſanctorum Severini, Exſuperii & Felicis corpora in eam eccleſiam tranſlata fuiſſe ſcribit. & in libello de Vita ſancti Theuderii Abbatis memorat* baſilicam ſancti Romani Martyris in ſuburbio civitatis, in vico Brenniaco. *quæ baſilica hactenus ſupereſt, Equitibus Melitenſis Ordinis commendata.*

11. Exin obitu Viennenſis Præſulis comperto, ejuſdem Eccleſiæ filii divina inſpiratione ſuper hoc tracti, omnes in commune uno conſilio, pari vo- Electio epiſcopalis. luntate dominum Adonem petiverunt ſibi præficiendum Epiſcopum. Quocirca ex conſenſu tam Cleri quàm plebis, cum conſilio comprovincialium Epiſcoporum idem Dei famulus Viennenſem conſecratur in Pontificem. *Huic tamen electioni reſtitiſſe nonnullos, in his Gerardum illarum partium Comitem, ob eam ſcilicet cauſam, quòd Adonem ex Monaſterio ſuo fugâ elapſum crederet, docet*

ANN CHR. DCCLXXV DEC. XVI.

nos Lupi epiſtola ſuperior, in qua cum ab omni defectionis & infamia labe abſolvit, conteſtatus nihil impedire, ſi Deus eum vocaret, quo juſtè ejus infirmari poſſet electio. *Hæc contigit poſt mortem Agilmari Viennenſis Antiſtitis, ſucceſſoris ſancti Barnardi, cujus Vitam ſuperiùs retulimus. Hæc, inquam, electio contigit anno ſexageſimo ſupra octingenteſimum, ut conſtat tum ex actis Concilii Lingonenſis* circa Kalendas Julii *anno præcedenti celebrati, cui Agilmarus interfuit; tum ex Tuſiacenſi, cui ſubſcripſit Ado* ſub die XI Kalendas Novembris anni DCCCLX; *tum denique ex Synodo Viennenſi, de qua infrà, quam Ado habuit* anno Chriſti DCCCLXX, Indictione III, epiſcopatus anno X. *Ac proinde Agilmarus ejus deceſſor annis novemdecim, non novem tantùm, ut voluit Johannes à Boſco, ſediſſe dicendus eſt. ſiquidem Barnardum Agilmari anteceſſorem anno DCCCXLII deceſſiſſe ſuperiùs demonſtratum eſt. Et quidem Agilmarus* pridie Nonas Julias *vita demigravit, & quidem* anno DCCCLX, *ex tomo I Analectorum pag. 503: in cujus locum* Remigius ſanctæ Lugdunenſis Eccleſiæ & Ebo Gratianopolitanus Epiſcopus cum Clero & populo elegerunt S. Adonem. *Apud Johannem à Boſco in Appendice Bibliothecæ Floriacenſis, ubi de Antiquitatibus Viennæ, exſtat epiſtola Nicolai Papæ primi Adoni miſſa cum pallio initio ejus pontificatus, qua in epiſtola eum ſubmonet triſtari ſe, quòd in litteris profeſſionis Fidei ſuæ ad Pontificem miſſis Ado probaret quatuor dumtaxat Synodos generales, quinta & ſextâ prætermiſſis. explicaret hac de re mentem ſuam. mittere ſe interim pallium & capitula Synodi Romanæ, quam recèns tenuerat. Miſit & aliam ſubinde eidem epiſtolam, quâ Viennenſis Eccleſiæ privilegia confirmat. An ſeptimam Synodum probaverit Ado, incertum. immo in Chronico, quod poſt acceptam epiſcopalem dignitatem condidiſſe videtur, hanc Synodum rejicit. quæ mens tum Gallicanæ Eccleſiæ erat. In brevi Chronico Viennenſium Antiſtitum, quod anno MCCXXXIX juſſu Burnonis conditum eſt, S. Ado pallium & confirmationem privilegiorum anno DCCCLXI à Papa Nicolao recepiſſe* cum decretis Lateranenſis, *id eſt Romani,* Concilii *perhibetur.*

Nicolao P. probata.

Modeſtia in epiſcopatu.

12. Neque *verò*, ut moris eſt pleriſque, mox ſuſcepto honoris gradu in ſuperbiam elatus eſt: ſed magis in cœpta perſiſtens humilitate, omnes quoque ſubditos ſecundum ſuum modum imitatores Veritatis fieri aſſiduè monebat, » dicens: Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde. *quæ verba leguntur in Breviario Viennenſi.*

Cura pro negotio Lotharii Regis.

13. Anno DCCCLXVI, *ex Annalibus Bertinianis, Carolus Rex cognomento Calvus, & Lotharius Rex Attiniaci* miſſaticom communiter ordinant *pro negotio Teutbergæ ipſius Lotharii pellicis. & Carolus quidem* per Egilonem Senenſem Archiepiſcopum, & HLotharius per Adonem Viennenſem Archiepiſcopum, ac per Waltarium ſuum à ſecretis domeſticum, Papæ Nicolao quæ ſibi viſa ſunt, ſecretiùs mandant. *Ado id præſtitit litteris ſcriptis ad Nicolaum, cujus reſcriptum hac de re non integrum exſtat, in quo Pontifex* ſanctiſſimum confratrem Adonem Archiepiſcopum *laudat, quòd* pro ſtatu ſanctæ Dei Eccleſiæ ferventiùs invigilet, & contra delinquentium, prævaricatorum, & ſanctarum legum violatorum mores & actus per zelum rectitudinis erectus *ſit.*

Summorum Pontificum epiſtolæ ad ipſum.

14. Exſtant & aliæ Nicolai epiſtolæ quatuor Adoni ſcriptæ in Appendice ſecunda epiſtolarum Nicolai in tomo 8 Conciliorum editionis Labbeanæ. In prima reſpondet Pontifex Adonis conſultis de Lotharii Regis divortio & de Alvico clerico. in ſecunda, inferiores eccleſias à Romanis conſuetudinibus recedere non debere. in tertia, rationem reddit dilatæ Synodi, & Adonem corripit, quòd Gerardi Comitis Presbyterum dixiſſet: tum variis conſultis reſpondet. in quarta privilegium Metropolis Viennenſis confirmat. Additur & epiſtola quinta Anaſtaſii Bibliothecarii ad Adonem de morte Nicolai Papæ: quam epiſtolam aliis etiam Galliarum Epiſcopis directam fuiſſe intellexi ex mſ. codice Autiſſiodorenſi Monaſterii ſancti Mariani, in quo hæc epiſtola ſic inſcribitur. Venerando mihi & valde diligendo ill. Archiepi-

Ann. Chr. dcc. lxv. Lec. xvi.

ſcopo ill. plurimam ſalutem. Triſte tibi nuntium, *&c. Eſt & aliud fragmentum epiſtolæ eidem à Nicolao Papa directæ, quâ Pontifex Adonem increpat, quòd ejus auctoritate Albericus Subdiaconus uxorem duxiſſet contra præſcripta canonum. In Labbeana Conciliorum editione typis etiam vulgatæ ſunt Hadriani Papæ II epiſtolæ duæ, in quarum prima Pontifex ab Adone ſubmonitus, cur à Nicolai Papæ decretis receſſiſſet, ſe excuſat laudato zelo Adonis. in altera, quæ mutila eſt, litteras Nicolao deceſſori ſuo ab Adone directas ſe recepiſſe teſtatur.*

Abſentia à Concilio Sueſſionenſi.

15. Anno jam dicto DCCC. LXVI *Nicolaus Papa litteris datis ad Hincmarum Remorum Antiſtitem præcipit,* Remigium Lugdunenſem, Adonem Viennenſem, Wenilonem Rotomagenſem, una cum ceteris Archiepiſcopis & Epiſcopis Galliarum & Neuſtriæ apud Sueſſionem urbem pariter convenire, *ad diſcutiendam cauſam Wlfadi & aliorum Remenſium Clericorum, quos ab Ebone ordinatos Hincmarus in ordinem redegerat. Coacta eſt Synodus hæc* XV Kal Septembris: *at ei non interfuit Ado, quam ob cauſam incertum.*

Epiſtola Hincmari ... & ad eum.

16. Hincmarus ipſe ſuo & Adonis, aliorumque Galliæ Pontificum nomine ſcripſit ad Ludovicum Germaniæ Regem pro Bertulfo Trevirenſi Archiepiſcopo *adverſus Waltonem Cœnobii ſancti Maximini Monachum, ſedis Trevirenſis (uti dicit.) invaſorem. Idem porro Hincmarus* Adoni Viennenſi Archiepiſcopo ſcribit inter cetera pro epiſtola beati Aviti ad ſanctum Remigium ſcripta, quam quidam ROTFRIDUS Monachus ei dixerat ſe apud eumdem Adonem legiſſe. Sed & ſi qua præterea de ſancto Remigio reperire valeret, ei ſuper aurum & topazion pretioſa mitteret. *Frodoardus auctor in Hiſtoriæ Remenſis lib. 3 cap. 21. qui & alibi teſtatur, Rotfridum hunc Cœnobii Remigiani apud Remos Monachum fuiſſe.*

Alia.

17. Addo ex Chronico Hugonis Abbatis Flaviniacenſis, Remigium Lugdunenſem Pontificem Adoni Viennenſi Epiſcopo, *quem* Romanæ Eccleſiæ Vicarium, *id eſt Legatum, appellat,* & Nicolao Papæ litteras miſiſſe pro Trevirenſi & Colonienſi Epiſcopis depoſitis, *Teutgaudo ſcilicet & Guntario. denique ipſum Remigium ſimul & Adonem ſcripſiſſe Johanni Papæ* pro ſimonia; & quia per manum laicam quilibet indigni ad Epiſcopatum promovebantur.

Ordinatio Bernarii.

18. Anno DCCC LXIX *defuncto Ebone Gratiánopolis Epiſcopo, Lotharius Rex à fratre ſuo Ludovico ſecundo Imperatore obtinuit,* ut cuidam ſuo Clerico, Bernario nomine, Epiſcopatum Gratianopolitanum concederet. *Ludovici hac de re litteras accepit Ado* pridie Idus Julii, *quibus monebatur, ut quàm primùm eumdem Bernarium Epiſcopum ordinaret. Hac alias etiam Kalendis Auguſti accepit tum ab Lothario Rege, qui ipſum certiorem facit de proſpero itinere ſuo Romano, præcipitque, ut redeunti ſibi* obviam veniat ad ſanctum Mauricium: *tum à Carolo Rege* VI *Kalendas Septembris, qui Adonem ſibi* cariſſimum *vocat, ſignificans, ſe* cuidam Clerico, Diacono olim venerabilis Archiepiſcopi Remigii, & poſtmodum Lotharii nepotis ſui, ita conceſſiſſe Gratianopolitanum Epiſcopatum, ut veſtro, *inquit,* judicio ſi canonicè probaveritis, ibi à veſtra ſanctitate ordinetur Epiſcopus. *Exſtant hæ litteræ apud Sirmondum in Conciliorum Galliæ tomo 3.*

Adonis cura pro reſtituenda diſciplina.

19. Ado verò cernens religionem à ſua obſervantia partim defeciſſe adverſarum cauſarum occaſione, inſtitit omnimodis, ut ad priſtinam rectitudinis normam paullatim ipſius ſtudio reformaretur, *uti legimus in Breviario Romanenſi.* Hinc conſtant inſtitutionis ejus perplura documenta. ſiquidem & de nocturnis, & de diurnis officiis pſallendi regulam pulcrè conſtituit.

Synodus.

20. Ex Synodis ejus auctoritate habitis una mihi ſuccurrit, quam eruditus vir Petrus Louvetus ſuperiùs laudatus ex Viennenſi Chartario deſcriptam Acherio noſtro tranſmiſit, quæ ſic ſe habet.

ANNO DCCC LXX Incarnationis Domini noſtri JESU-CHRISTI congregata eſt Synodus Viennæ metropolis Eccleſiæ domno & Ve-

Ann. Chr. DCCC LXXV Dec. XVI. nerabili Archiepiſcopo Adone præſidente, & vigilantiſſimâ curâ cauſas eccleſiaſticas & filiorum ſuorum neceſſitates inveſtigante ac eccleſiaſtico more definiente. Adveniens reverendus vir Manno Præpoſitus Cœnobii ſancti Augendi, adventus ſui cauſam maniſeſtans protulit in medio, quamdam eccleſiam ex Cœnobio prædicto & infra Viennenſem diœceſim ſitam in villa Velnis, dotatam in honore ſancti Petri, privilegio ſibi conceſſo ab anteceſſoribus ſanctiſſimi jam fati Archiepiſcopi, necnon ab ipſo Compontifice uſque ad id tempus conſervato, proclamante vici ſancti Albani rectore deſolatam eſſe. Protulit etiam iſdem venerabilis Præpoſitus ſcripturam inquiſitionis temporibus piæ recordationis domni Agilmari factam, eo quòd & tunc temporis altercatio haberetur inter ipſarum rectores eccleſiarum. Sed quia ea ſancta Synodus irrita judicavit, eo quòd Canonicorum . . . . roboratam non vidit, placuit ſancto Pontifici à capite per ſanctiſſimos Preſbyteros omnem cauſam reiterari, quatinus veritate comperta, altercatio diu ventilata firmaretur *. His
* ſ. finiretur. igitur teſtantibus & dicentibus ordinem veritatis, viſum eſt domno Pontifici unà cum conſenſu ſanctiſſimæ Synodi, quatenus ſicut in diebus anteceſſorum ſuorum ſanctorum Pontificum honorata fuit ſancta congregatio Cœnobii beatiſſimi Augendi; ſic & in hac petitione & in ceteris neceſſitatibus ſuis honorem & opem ferret ad vires ſuas ſancta metropolis Viennenſis Eccleſia. &
* ſ. S. Augendi ut ſopitâ querelâ firmiùs privilegium ſuum ſuper facto Viennenſis * eccleſia in futurum poſſideat, litteris etiam roboretur. In hunc itaque modum ego Ado Viennenſis Archiepiſcopus conſentiens, & pio conſilio filiorum meorum annuens, manu propria ſubter firmavi, ſanctiſque filiis meis ſecundùm morem eccleſiaſticum firmare rogavi. Actum Viennæ publicè menſe Aprilis, epiſcopatus domni Adonis anno x, Indictione III.

Inſtrumenta publica. *21. Sunt & alia quædam inſtrumenta in eodem Chartario pontificatu Adonis facta, unum, in quo refertur litigatio Witfredi Advocati eccleſiæ ſancti Mauricii, qui* veniens publice in Viennam civitatem in præſentia domni Adonis ejuſdem eccleſiæ venerabilis Archiepiſcopi, & Erlulfi Vicecomitis Miſſi illuſtris Boſonis Comitis, Constantii Coepiſcopi & *aliorum, adverſus Sigifredum quemdam expoſtulavit, quòd immunitatem eccleſiæ ſancti Mauricii in villis ei ſubjectis violaſſet. Aliud in eodem codice exſtat inſtrumentum Rodſtagni & conjugis ejus Bertildis, Adoni & eccleſiæ Viennenſi tradentium res ſuas in agro S. Ferreoli, acceptis ab ipſo Adone de theſauro Viennenſis eccleſiæ libris quinque, & calice cum patena* de auro cocto, penſante unaquaque libram ad ferros Spaniſcos. *Rodſtagnus autem res ſuas in ea villa exſiſtentes tradidit Adoni ejuſque clero*, accipiens oſtium, & cæſpitem, & andelanc: *& poſt aliquantum temporis* pergameno dato ſcripturam exinde facere rogavit *Adonem*, Constantium *Chorepiſcopum*, Erlenum *Præpoſitum*, Leutbertum *Decanum*, Teutelmum *Abbatem & Diaconum, alioſque clericos. Actum* XII Kal. Maii, anno IV, quo ſucceſſit domnus Karolus Rex in regnum nepotis ſui Lotharii, *id eſt anno Chriſti* DCCCLXIX. *Tertium inſtrumentum eſt ejuſdem Adonis, Amalgaudo & uxori ejus Volfoldæ ac filio eorum Hadriano concedentis uſum-fructum quorumdam prædiorum, quia res ſuas epiſcopali eccleſiæ ſancti Stephani donaverant. Fragmenta quædam ex ejuſmodi præſtaria (ſic vocabant) excerpere juvat.* Conſuetudo & juſtitia eccleſiaſtica eſt, ut qui res & facultates ſuas Deo ſerviſque ipſius contulerit, ei aliquid quod rationabiliter poſtulaverit ad invicem, de rebus ſuis eccleſia conferat. Ideo ego Ado Archiepiſcopus Viennenſis eccleſiæ unà cum Sacerdotibus & clericis ejuſdem ſanctæ matris eccleſiæ concedimus tibi, Amalgaude, & uxori tuæ Volfoldæ ac filiò veſtro Hadriano res quas de poteſtate ac jure veſtro ad poteſtatem eccleſiæ noſtræ per cartarum inſtrumenta tradidiſtis: & pro hac tam pia conlatione concedimus etiam tibi & uxori & filio tuo ſuprà ſcripto præſtatione beneficii Alauſium villam eccleſiæ noſtræ ad ſerviendum, quamdiu vixeritis, & colonicas quas per præſtariam jam

vobis unà cum eccleſiis in Valle-aurea beneficiavimus . . . . Pro veſtitura vero annis ſingulis in feſtivitate beatiſſimorum Maccabæorum Kalendis Augu- Ann. Chr. DCCCLXXV Dec. XVI.
ſti paſtum unum fratribus Canonicis in Viennenſi Cœnobio poſitis faciatis, ipſaque die orationes generales pro vobis ac propinquis veſtris faciat ſuprà dicta Eccleſia. *Hæc uſque temporis nota. In litteris Ragamfridi Archiepiſcopi Viennenſis, ſuggerente Berilone Vicecomite, confirmantur* res ad eccleſiam ſancti Petri extra muros Viennæ civitatis *ſitam* pertinentes, *quæ etiam olim regali præcepto H Lotharii quondam Regis per ſuggeſtionem ſanctorum Epiſcoporum Remigii Lugdunenſis & Adonis Viennenſis reſtitutæ fuerant.*

22. *Anno jam dicto* DCCC LXX *Ado politiori ſtilo exornavit Acta ſancti Deſiderii Viennenſis Pontificis & Martyris in gratiam Viennenſium, eaque Monachis* Vita S. Deſiderii ab eo ſcripta.
Cœnobii ſancti Galli in Alamannia cum nonnullis ejuſdem Sancti reliquiis tranſmiſit. De hac aliiſque ipſius lucubrationibus infra.

23. *Cabilonenſibus Synodis duabus ſubſcripſit, nimirum uni anno* DCCC LXXIII *coacta in eccleſia ſancti Laurentii, quæ Canonicis eccleſiæ ſancti Marcelli* Subſcriptio Conciliis Cabilonenſibus.
reſtituta eſt: alteri anno DCCC LXXV *in ipſa baſilica ſancti Marcelli, ubi ſubſcripſit litteris pro Monaſterio Trenorchienſi, editis apud Petrum Franciſcum Chiffletium in probationibus hiſtoriæ ejuſdem Monaſterii.*

24. *Reliqua viri ſancti facta perſtringit Viennenſe Breviarium, religionem in* Reliqua ejus facta.
eccleſiis exornandis, hoſpitalitatem & caritatem in pauperes, aſſiduitatem in officiis divinis: ut ſuperiùs videre licet in ejuſdem Breviarii lectionibus 6, 7, & 8.

25. Cúmque jam tempus adeſſet, quo Dominus militem ſuum beata mer- Obitus.
cede vellet donare, ſextum decimum circiter annum in Epiſcopatu agens, de præſenti ad futuram vitam felici fine demigravit. cujus corpus in eccleſia ſanctorum Apoſtolorum officiosè tumulatum eſt. *Ita Breviarium Romanenſe, cui Viennenſe concordat. addit Romanenſe:* qui vixit annos plus minuſve ſeptuaginta ſex. *Adonis obitum anno ſeptuageſimo quinto ſupra octingenteſimum accidiſſe mihi conſtat, tum quia Epiſcopatum tenuit annos ſexdecim ab anno Chriſti* DCCC LX, *tum quia Ottramnus ejus ſucceſſor Concilio Pontigonenſi ſubſcripſit anno* DCCC LXXVI. *Diem mortis ſextum decimum menſis Decembris ſignant Breviaria & Martyrologia Romanum, & Gallicanum, annum etiam deſignat Viennenſe mſ. cujus copiam ab erudito viro Nicolao Chorerio accepit noſter Claudius Stephanotius. En ejus verba.* XVII Kal Januarii S. ADONIS Viennenſis Epiſcopi, miræ ſanctitatis viri, anno ab Incarnatione Domini DCCC LXXV, Indict. VIII. Rexit autem eccleſiam ſuam XVI annos, & ſepultus eſt in eccleſia Apoſtolorum Viennæ. *hoc eſt in extramurana Monaſterii ſancti Petri baſilica, ubi Viennenſes Pontifices tumulari mos erat. Monaſterium ſancti Petri ab Ordine ſancti Benedicti ad ſæculares Canonicos devolutum eſt, uti & alia multa, quæ Viennæ quondam exſtitiſſe nos docet libellus de vita ſancti Clari Abbatis in Sæculo 2. Ex his colliges, Adonem anno circa octingenteſimo natum eſſe. ſiquidem obiit anno* Ætas.
DCCC LXXV, *poſtquam* vixit annos plus minuſve ſeptuaginta ſex *Hæc de ſancti Adonis rebus geſtis, quatenus eas eruere licuit ex probatis monumentis, maximè ex Lupi epiſtola 122, & ex Breviariis Viennenſi & Romanenſi, quod mihi primùm illuſtrandi Adonis occaſionem & materiam præbuit. Viennenſe legerat Andreas Sauſſeius, qui in Martyrologio ſuo Gallicano ſcribit, Adonem primos annos tranſegiſſe in Monaſterio Ferrarienſi ſub Lupi Abbatis diſciplina. quod nemo ante eum (ſi non fallor) obſervarat. Sancti Adonis feſtus dies ritu duplici colitur in Eccleſia Viennenſi, ſollemniùs in eccleſia ſancti Petri, ubi ejus reliquiæ promiſcuè cum aliis aliorum ſanctorum Archiepiſcoporum oſſibus ſub altari adſervari creduntur, poſt ſacrarum thecarum expilationem ab hæreticis factam memoriâ patrum noſtrorum.*

26. *In fine animadvertenda ſunt aliqua de Adonis ſcriptis, in quibus primum* Martyrologium.
locum ſibi vindicare videtur Martyrologium. nam ceteras lucubrationes condidit

Ann. Chr. DCCC LXXV Dec. XVI. *jam Epiſcopus: hanc verò ante epiſcopatum aggreſſus eſt, ut colligitur ex eo, quòd* quinquennio Romæ exacto Ravennam devenit: ubi quemdam libellum à quodam Fratre religioſo præſtitum tranſſcripſit, ad deſcribendas ſanctorum Martyrum paſſiones, *id eſt Martyrologium, quod Adoni Trevirenſi Pontifici à nonnullis perperam tribuitur. Typis primò vulgatum fuit à Jacobo Moſandro Cartuſiano, tum ab Heriberto Roſweido, qui nomen Adonis præfixum invenit in codice Everbodienſi, hoc modo:* Ado Viennenſis Archiepiſcopus quaſi epilogatum compilavit, incipiens à feſtivitatibus Apoſtolorum aut diſcipulorum aut ſucceſſorum eorum. *& in fine ſubjicitur apud ipſum* Precatio Adonis *verſibus compoſita. Uterque editor quorumdam Sanctorum nomina, quæ ab aliis inſerta credidere, in appendicem conjecerunt. quod an jure merito factum ſit, mox videbimus.*

27. In pluribus, quæ vidi, iſtius Martyrologii exemplaribus manu exaratis non comparet Adonis nomen, hanc procul dubio ob cauſam, quòd epiſtola nomen Adonis præferens, non initio ipſius Martyrologii, ſed veteris (ut Roſweidus cenſuit) Romani, quo uſus eſt Ado in ſuo condendo, & quod in pleriſque codicibus mſſ. deſideratur, præfixa ſit, ob idque ab Adoniani Martyrologii deſcriptoribus prætermiſſa. Verùm ejus Auctor ſatis ſe ipſe prodit in pleriſque Martyrologii ſui locis. Is enim agens de tranſlatione corporis ſancti Auguſtini Eccleſiæ Doctoris anno DCCC XXII *Ticinum facta per Liutprandum Langobardorum Regem, eam* nuper factam *eſſe dicit* V *Kal. Septembris. Deinde ad* XVIII *Kal. Octobris meminit tranſlationis reliquiarum ſancti Cypriani tum ex Africa in Galliam regnante Carolo Magno, tum Arelate Lugdunum per Leidradum Pontificem. nam quod in editis additur de tranſlatione Compendium facta per Carolum Calvum, inſertum videtur poſt mortem Adonis, nec comparet in noſtro exemplari ante annos ſexcentos manu deſcripto. Poſtea agens Auctor de inſtituto feſto Sanctorum omnium Kalendis Novembris:* Sed in Galliis, *inquit*, monente ſanctæ recordationis Gregorio Pontifice piiſſimus Ludovicus Imperator omnibus regni & imperii ſui Epiſcopis conſentientibus ſtatuit, ut ſollemniter feſtivitas omnium Sanctorum in prædicta die annuatim perpetuò ageretur. *Ad hæc in mſ. codice noſtro dedicatio eccleſiæ Monaſterii Cellenſis* anno DCCC L *facta accuratè deſcribitur* XVII *Kal. Novembris eum ad modum, quo ſuperiùs relata eſt ad annum* DCCC LXXIII, *ubi de ſancti Frodoberti Abbatis tranſlatione egimus. Hæc quo minùs ab interpolatore addita putem, ea me cauſa movet, quòd ſingulas (quas vocant) circumſtantias non ita accuratè noſſet homo poſterioris temporis: cùm eas ignoraſſe videatur Auctor anonymus, qui librum de vita ſancti Frodoberti Abbatis Cellenſis in Sæculo 2 editum compoſuit. Ex his colligere licet, Martyrologum iſtum vixiſſe regnante Carolo Calvo.*

28. Locum in quo frequens demoratus eſt, ſatis innuit, Burgundiam ſcilicet, cujus Sanctos indigenas diligentiùs quàm alios commendat. maximè verò totus eſſe videtur in adnotandis rebus quæ pertinent ad urbem Antiſiodorum & Monaſterium ſancti Germani: ex quo aliquando conjiciebam, eum illius Monaſterii alumnum fuiſſe. Nam in codice noſtro ſingulæ ejus eccleſiæ, altarium, & cryptarum dedicationes memorantur: ſancti Germani ejus civitatis Epiſcopi ubique data occaſione fit mentio, nempe quarto Idus Julii, ubi agens Auctor de ſancto Savino, Hic fuit, *inquit*, ex diſcipulis magni Patris Germani: *& Nonis Auguſti, ubi de ſancto Caſſiano*, ad cujus, *ait*, tumulum cùm ſanctus Germanus Epiſcopus advenisset, mirabile dictu! poſt orationem more ſolito fuſam, vocans eum ex ſepulcro ait ei: Quid hic agis, frater Caſſiane? *Denique præter alia feſta ſancti Germani, ejus* vigiliam *exprimit pridie Kalendas Octobris. quæ omnia ſatis indicant, hominem non longè ab Antiſiodoro aliquando vixiſſe.*

29. Scio Moſandrum & Roſweidum hæc & pleraque alia, aut non legiſſe in manuſcriptis codicibus quibus uſi ſunt, aut rejeciſſe in appendicem, quaſi ab aliis inſerta eſſent. Et nonnulla certè ab recentioribus addita ſunt in codice noſtro, ut commemoratio ſancti Maioli Abbatis V Idus Maii, *&* XVII Kal. Septembris in Verziaco Monaſterio exceptio corporis ſancti Ragnoberti Bajocenſis Epiſcopi,

&

& alia pauca. at ea quæ de Antiſiodoro & Monaſterio ſancti Germani habentur, à primario Auctore ſcripta exiſtimo, quoniam in pluribus ejus Martyrologii, quæ legi, exemplaribus, tum integris, tum contractis, eadem omnino referuntur. Idem judicium eſto de omnibus ferè nominibus, quæ Mozander & Roſweidus in ſeceſſum rejecerunt. Quòd enim alia atque alia deſint in diverſis membraneis codicibus, id provenit ex duplici capite. primum, quòd cùm iſtud Martyrologium in divinis officiis, per varias eccleſias degeretur, alii ipſum contrahebant, alii quoſdam Sanctos provinciæ aut eccleſiæ ſuæ ignotos reſecabant. alterum, quòd Auctor ipſe multis vicibus Martyrologium ſuum auxit, alios atque alios addendo Sanctos, qui in eo primò non exſtabant. Unde contigit, ut qui primarium exemplar transſcripſere, non tot habeant, quàm qui ſecundariis exemplaribus uſi ſunt. Certè quæ in Roſweidi Adone deſideratur SS. Florentini & Hilarii commemoratio, ex Adonis Martyrologio refertur à Petro de Natalibus in lib. 8 cap. 124. Denique Adonem hujus Martyrologii conditorem eſſe conſtat tum ex epiſtola, veteri, quo uſus eſt, Martyrologio præfixâ, tum ex Notkeri Martyrologio ad diem x Kal. Junii, ubi rationem reddit, cur Ado in ſuo nullam facit mentionem ſancti Deſiderii, Archiepiſcopi licèt Viennenſis & Martyris, cujus nulla re vera exſtat commemoratio in vulgato Adonis Martyrologio: quod paſſim ſub Adonis nomine laudat Petrus de Natalibus.

30. Hinc intelligimus, Martyrologium iſtud ab Adone ſcriptum eſſe ante epiſcopatum, & ipſi opus ſuum poſtea relegenti excidiſſe ſanctos Deſiderium Viennenſem Epiſcopum, & Theuderium in eadem urbe Abbatem. Senex erat, cùm huic operi ſubjecit precationem, quæ apud Roſweidum incipit ab his verſibus.

Chriſte, precor veniam ſegni des mitis alumno,
Tardus ſum, tardè ſed tibi nemo venit.
Longus præteritis tenuit nos error in annis:
Sufficiat meritis hæc rogo pœna meis.
Vita brevis ſupereſt, in mortem & pronior ætas,
Jam peccare ſenex non queo, nolo tuus.

Qui tamen verſus dubites an ſint Adonis, cum Floro tribuantur in tomo 1 veterum Analectorum pag. 407. At cùm in mſ. codice Petaviano vacuum ſit tituli ſpatium, Adoni hos verſus detrahere non licet. Hæc ſunt quæ de prædicto Martyrologio mihi venerunt in mentem: in quo reſtituenda eſt commemoratio ſancti Mauri Abbatis, ſanctæ Scholaſticæ, & aliorum ferè omnium Sanctorum, quos Mozander & Roſweidus eliminaverunt. Ceterùm an vetus illud, quo uſus eſt Ado, Martyrologium fuerit Romanum, in hujuſce tomi Præfatione expendi.

31. Ado etiam retro actorum temporum ſummam ab exordio mundi uſque ad Imperatoris Lotharii ac Ludovici & Caroli filiorum regni principatum; quanta potuit brevitate, notavit, *ut ipſe præfatur in Chronico ſuo, cujus extrema pars in editis eſt alterius Auctoris, ab eo loco, ſi non me fallit conjectura, ubi agit de diviſione regni, quam inter filios ſuos fecit* Ludovicus Rex Noricorum. *tametſi Thuaneum exemplar, quod annos quingentos ſuperat, eodem modo deſinit quàm libri editi, id eſt in anno* DCCC LXXIX. Chronicon.

32. Idem etiam Acta ſancti Deſiderii Viennenſis Epiſcopi expolivit in gratiam Viennenſium ſuorum, uti fidem facit Præfatiuncula Adonis Viennenſis eccleſiæ Antiſtitis anno incarnationis Domini DCCC LXX, Indictione III, cum paſſione ſancti Deſiderii Epiſcopi eidem eccleſiæ directa, *cujus hæc verba.* ADO peccator & humilis Epiſcopus Viennenſis eccleſiæ, dilectiſſimis fratribus & filiis ejuſdem eccleſiæ... Beatiſſimi Deſiderii Patris veſtri vitam & martyrium, ſicut antiquis ſcriptis commendatur, vobis idcirco revolvere & ſtilo committere aggreſſus ſum, ut ejus incitamentis & ſtudiis ad amorem vitæ æternæ vos ampliùs inflammarem. *Hanc Vitam primus typis vulgavit Henricus Caniſius in antiquarum lectionum tomo 6, in cujus Vitæ fine additur ſubjectus* Indiculus ISONIS *Monachi ſancti-Gallenſis.* Hanc autem paſſionem præfatus Ado Archiepiſcopus nobis Fratribus in Cœnobio ſancti Galli ſub Grimaldo Abbate Vita S. Deſiderii.

Ann. Chr. DCCC LXXV. Dec. XVI.

Deo militantibus, reliquiaſque ſancti Deſiderii ab eo poſtulantibus cum ipſius aliorumque Sanctorum reliquiis, actibus quoque & paſſionibus infrà deſcriptis, anno ſuprà memorato per nuntios ſatis fideles dirigere curavit, *nimirum in primis* per Betoldum Preſbyterum, *teſtante Notkero in Martyrologia ſuo ad diem* x *Kal. Junii, ubi de ſancto Deſiderio.* De quo, *inquit*, quia venerabilis Pater Ado ejuſdem eccleſiæ noſtra ætate Pontifex, utpote in præſentia poſito, & ob id ſuis in cunctis notiſſimo, aliquid ſuperfluum dicere judicavit; nos juxta ſcriptum quod idem Apoſtolicus vir anno ab Incarnatione Domini DCCCLXX, Indictione III, per virum ſanctiſſimum Beroldum Preſbyterum, indigenam eorumdem locorum, ſed nunc in caſtro Tutico Chriſti ſervitiis inſiſtentem, cum reliquiis ipſius ſancti Martyris Deſiderii, & aliorum Sanctorum pignoribus atque agonibus nobis in Cœnobio ſancti Galli conſtitutis direxit; pauca de eo ſummatim attingentes, earumdem rerum ignaris inſinuare curavimus.

33. In utroque hoc teſtimonio mentio fit de Sanctorum actibus & paſſionibus *ſeu* agonibus, *quos manu deſcriptos Ado Gallenſibus Monachis dono dedit: quibus verbis conſtat, Martyrologium ab ipſo Adone compoſitum. Id verò apertè declarat Notkeri teſtimonium, rationem reddentis, cur Ado in Martyrologio ſuo non meminerit Deſiderii Viennenſis Epiſcopi*, de quo, *inquit*, venerabilis Pater Ado, utpote in præſentia poſito, & ob id ſuis cunctis notiſſimo, aliquid ſuperfluum dicere judicavit. *nam Deſiderii mentionem in Martyrologii Adonis exemplaribus tam editis quàm manu exaratis, prætermiſſam eſſe ſuperiùs obſervatum eſt.*

Vita S. Theuderii

34. Ad hæc idem ſanctus Pontifex libellum de vita ſancti Theuderii Abbatis Viennenſis litteris mandavit, ejuſque Cœnobii Monachis nuncupavit hoc prologo. ADO Viennenſis Epiſcopus Fratribus in Cœnobio ſancti Theuderii conſiſtentibus in Domino JESU-CHRISTO æternam ſalutem. Patris veſtri vitam, id eſt beati Theuderii, idcirco veſtræ ſanctitati ſcriptis meis commendare diſpoſui, ut vos ſuis exemplis ad amorem vitæ æternæ ampliùs invitarem, *&c. Vita hæc edita eſt in appendice Sæculi primi.*

Viennenſes Epiſcopi ſæculo IX.

35. Adonem antequam miſſum faciamus, in ſeriem Viennenſium Epiſcoporum, qui Sæculo nono exſtitere, quædam obſervare juvat. Præter indicem utriuſque Galliæ Chriſtianæ, & tertium Johannis à Boſco, unum ex mſ. codice Viennenſi acceptum mihi ſuppeditavit noſter Claudius Stephanotius, qui index juſſu Burnonis Epiſcopi anno MCCXXXIX *conſcriptus eſt. Alium item indicem Sæculi noni ac decimi Epiſcoporum habes in tomo I Analectorum. Omnes hi indices cum Kalendario Viennenſi mſ. comparandi ſunt: Burnonis Chronographus de Urſo, à quo exordium duco, ejuſque ſucceſſoribus ita ſcribit.*

S. URSUS vir bonus & ſimplex, ſenio gravatus Coadjutorem ſibi elegit, ut ejus vices ageret. Sepultus fuit in eccleſia S. Stephani x Kal. Maii.

S. ULTRAJA ex Judæo de tribu Benjamin Chriſtianus, doctiſſimus, prædicti Urſi Epiſcopi Coadjutor & ſucceſſor, Karolo Magno percarus, finem vitæ accepit Idibus Martii, & ſepulturam cum ſuo prædeceſſore in eccleſia S. Stephani. *Is in vulgatis indicibus, item in mſ. Kalendario eccleſiæ Viennenſis memoratur his verbis.* Commemoratio Ultrajæ Viennenſis Epiſcopi, qui tempore Imperatoris Karoli, cùm adhuc ſenex Urſus ſuperviveret, & cùm eſſet Benjamini generis homo, Epiſcopatum Viennenſem ſuſcepit: cujus tempore agente pio Principe Carolo partem rerum ſuarum Viennenſis eccleſia recepit. Rexit eccleſiam annis XI, & ſepultus eſt in eccleſia B. Severi*, ubi anteceſſor ipſius Urſus ſepultus jacet. *Burnonis Chronographus, Kalendarium mſ. atque adeo Johannes à Boſco, Urſo ſeu Urſioni, quem anno* DCC XCIV *Concilio Francofurtenſi interfuiſſe conſtat ex can. 8, præponunt Wolferium, eumque ab Ultraja diſtinguunt. Verùm Ado noſter, cui potior fides, Urſo poſtponit Wlferium, natione Bajoarium, quem binominem fuiſſe, &* ULTREJAM patrio nomine *appellatum dicit.*

* *l.* Stephani

S. BARNARDUS *ſub annum* DCCC X *Ultrajæ ſeu Wolferio ſuffectus, anno* DCCC XLII *obiit, ut ad ejus Vitam probatum eſt in tomo ſuperiori. Hinc corri-*

gendus Burnonis Chronographus, qui Barnardi ordinationem anno DCCC XVII, *mortem anno* DCCC LII *repoſuit.* Ann Chr. DCCC LXXV Dec. XVI.

S. Agilmarus à Lothario Imperatore confirmationem fundationis Romanenſis Monaſterii à S. Barnardo fundati impetravit, *inquit Chronographus*, & anno DCCC LX *ex dictis*, *non* DCCC LXI, *ut fallit Chronographus*. prid. Non. Julii animam efflavit, & ſollemniter ad pedes Naamatii in eccleſia S. Petri fuit tumulatus.

S. Ado hujus vitæ lumen amiſit XVII Kal. Januarii *anno* DCCC LXXV, *ex præmiſſis, non anno* DCCC LXXVI, *ut in Analectis, aut anno* DCCC LXXIX, *apud Chronographum.*

Poſt Adonem Clerus & populus elegerunt Othtrannum Archiepiſcopum Viennenſem: cujus conſecrationi Bernerius Gratianopolitanus Epiſcopus interfuit, *ex Analectis.* S. Othtrannus, *inquit Chronographus*, jacet in æde S. Petri, defunctus 16 Septemb. anno DCCC LXXXVIII.

Poſt hunc Othrannum electus & conſecratus eſt Barnoinus, qui anno dominicæ Incarnationis DCCC XCVIIII, Indict. II obiit, *ex Analectis: ubi mendum in annum Incarnationis, ut ex autographo poſtea deprehendi, irrepſit, uti & in ſequentem.*

Quippe eodem anno Incarnationis DCCC XCVIIII, Indict. II, V Kal. Februar. die Dominica conſecratus eſt Archiepiſcopus Raganfridus, cui conſecrationi interfuit Iſaac ſanctæ Gratianopolitanæ eccleſiæ Epiſcopus, tempore Ludovici Regis filii Boſonis. *Hinc corrigendus iterum Chronographus, qui Barnoini obitum locat anno* DCCCC I, *ſcribitque eum* interfuiſſe Concilio Viennæ celebrato à Legato ſedis apoſtolicæ anno DCCC XCII. *Hæc de Viennenſibus Epiſcopis, deque Adone dicta ſint.*

LIBER

DE TRANSLATIONIBUS ET MIRACULIS

SANCTI CUTHBERTI

Circa ann. DCCC LXXV.

EPISCOPI LINDISFARNENSIS,

Auctore Monacho Dunelmenſi anonymo, qui vixit ſub finem ſæculi XI.

Ex mſ. codice Compendienſi & Martio Bollandiano.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1\. Liber *de tranſlationibus & miraculis S. Cuthberti, quem in Sæculo 2 ad Vitam ejuſdem Sancti huc rejeci, nunc tandem exhibendus eſt, qualem compoſuit Monachus Dunelmenſis anonymus poſt medium ſæculum* XI, *ut patet ex cap. 17, ubi refert ea, quæ ſuo ipſius tempore contigere miracula, regnante Edwardo Rege, occaſione Toſtii Comitis, id eſt ante annum* M LXVI. *Hunc Auctorem à capite 16 excipit alius Scriptor, (ſi tamen alius) qui poſtremam S. Cuthberti tranſlationem litteris mandavit ineunte ſæculo* XII. *Primi Scriptoris hiſtoriam iiſdem aliquando verbis exprimit Turgotus in Hiſtoria eccleſiæ Dunelmenſis: quam hiſtoriam in quatuor libros diſtinctam, & Symeoni Dunelmenſi apud decem Hiſtoriæ Anglicanæ Scriptores perperam adſcriptam, genuino auctori vindicavit Johannes Seldenus in commentario ſuo præ-* Auctores hujus narrationis sunt duo.

Circa ann. DCCCLXXV. *vio ad iſtos Scriptores, & poſt eum Socii Bollandiani ad tranſlationem S. Cuthberti. Turgotus porro Monachus primùm, deìn poſt Aldwinum Prior Dunelmenſis, per* Archidiaconatus *officium* Chriſtianitatis curam per totum Epiſcopatum agens, *ut ipſe de ſe teſtatur in lib. 4 cap. 8, ab aliis Dunelmenſis eccleſiæ* Archidiaconus, Vicarius, Decanus, *&* Vicedominus *appellatus; demumque Sanct-Andreanus in Scotia Epiſcopus, obiit anno* M C X V, *epiſcopatus anno* V I I I *tranſacto, cum duobus menſibus & diebus decem, teſtante Symeone Dunelmenſi in ejus Vita, laudatus in ſubſequenti cap. 16, ubi poſtrema S. Cuthberti tranſlationis auctor perhibetur. Quæ ſuperiùs dixi de duobus hujus libri Scriptoribus anonymis, non tam meam, quàm Sociorum Bollandianorum ſententiam exprimunt. nam meo quidem judicio nihil vetat: unum eumdemque Auctorem dici, & qui res ſub annum* M L X, *quaſi ſuo tempore geſtas memorat, & qui poſtremam refert S. Cuthberti tranſlationem, quæ contigit anno* M C I V. *maximè cùm in codicibus mſſ. omnia continenter referantur, nullumque appareat diverſi Auctoris veſtigium. Verùm hæc ſunt levioris momenti.*

Tranſlationes variæ. 2. *Varias ſequens liber deſcribit S. Cuthberti tranſlationes. Prima in Hiberniam tentata occaſione irruptionis Danicæ, ſed impedita eſt ſub annum* DCCC LXXV. *Secunda in Riponenſem eccleſiam facta anno* DCCCC XLVIII, *poſtquam Cuncaceſtra ſacrum corpus per centum & tredecim annos ſervatum fuerat. Tertia Dunelmum poſt tres aut quatuor menſes. Quarta denique in novam thecam anno* M C I V. *Omnes comprehendit ſubjectus libellus, & quartam quidem à cap. 16. Præter has omnes tranſlationes aliam celebravit* venerandus Epiſcopus Aldunus, *qui Dunelmenſem* eccleſiam, tertio ex quo eam fundaverat anno, pridie Nonas Septembris ſollemniter dedicavit, & ſanctiſſimi Patris Cuthberti corpus in locum quem paraverat, tranſlatum debito cum honore poſuit, *ut legitur in ſequenti cap. 13, & apud Turgotum lib. 3 cap. 4. Celebris fuit apud poſteros hæc tranſlatio, inſcripta mſ. Miſſali Gemeticenſi, die 4 Septemb. & mſſ. Martyrologiis & excuſis, quæ recenſent Socii Bollandiani. Ceterùm poſtquam Dunelmum S. Cuthberti corpus tranſlatum eſt, eò etiam Lindisfarne Dunelmum migravit epiſcopalis ſedes, quam perpetuò tenuere Epiſcopi Monachi, ut Lindisfarnenſem, uſque ad Walcherum, ex cap. 24. Eſt autem Dunelmum, vulgò* Durham, *civitas apud Northumbros, quæ Tinâ fluvio ad boream, & Teſâ, adeòque pago Eboracenſi ad auſtrum deſinitur.*

* l. 31. **Caput I.** *Ex eccleſiaſticæ Hiſtoriæ gentis Anglorum libro 4, capitulo 30.* *

Paralyticus ad tumbam ejus curatus. 1. ERAT in eodem Monaſterio Frater quidam, nomine Beadothegn, tempore non pauco hoſpitum miniſterio deſerviens, qui nunc uſque ſupereſt, teſtimonium habens ab univerſis Fratribus cunctiſque ſupervenientibus hoſpitibus, quòd vir eſſet multæ pietatis ac religionis, injunctóque officio ſibi ſupernæ tantùm mercedis gratiâ ſubditus. Hic cùm quadam die lænas ſive ſagas [a], quibus in hoſpitali utebatur, in mari lavaſſet, rediens domum repentinâ medio itinere moleſtiâ tactus eſt, &c.

* l. cap. 31. **II.** *Eodem capitulo* *. *Quomodo ad reliquias ejus quidam mirificè fuerit ab oculi languore curatus.*

[b] 2. NEC ſilentio prætereundum quod ante triennium [b] per reliquias ejus factum nuper mihi per ipſum, in quo factum eſt, Fratrem innotuit. Eſt autem factum in Monaſterio quod juxta amnem Dacore conſtructum, ab eo cognomen accepit: cui tunc vir religioſus SUIDBERTUS Abbatis jure præfuit. Erat in eo quidam adoleſcens, cui tumor deformis palpebram oculi fœdaverat, &c.

[a] Lege *ſaga*, quæ à lænis diſtinguit S. Benedictus in Regulæ cap. 55 ubi inter ſtramenta lectorum reponit mattam, ſagum, lænam, & capitale. Adi Menardum in Concordiam Regularum. Hoc & ſequens miraculum integrum apud Bedam legere licet.

[b] Anno proinde DCCXXVII. nam Beda Hiſtoriam ſuam ſcribebat anno DCCXXX, ut patet ex lib. 4 cap. 26.

CIRC ANN. DCCCLXXV.

III. *Quomodo in peregrini habitu à miniſtro Elfredi panem diviſum accepit, qui poſtea integer inventus eſt: & quomodo idem Elfridus ipſo adjuvante Rex effectus eſt.*

Dani & Friſii Britanniam vaſtant.

3. DEus omnipotens juſtè miſericors miſericorditérque juſtus, gentem Anglorum, dum pro ſuis multiplicibus offenſis flagellare diſponeret, paganatum gentium, Freſonum videlicet atque Danorum, immanitatem illi permiſit dominari. ᵃ Iſtæ igitur gentes UBBA Duce Freſonum, & HALFDENE Rege Danorum agentibus, in Britanniam, quæ nunc Anglia dicitur, venientes, in tres turmas mox diviſæ, tribus in partibus terram pervaſerunt. nam Eboracæ civitatis mænia una ex his reſtauravit, regionémque in circuitu incolens ibidem pauſavit. At verò reliquæ duæ, multo ab hac ferociores, regnum Merciorum terramque auſtralium Saxonum mox occupabant, omniaque incendiis, rapinis atque homicidiis quaquaverſum exterminantes, divina æquè ut humana contagione barbarica contaminabant. Quanti tunc ab eis nobiles & præclari Sacerdotes circa ipſa quibus Dominici corporis & ſanguinis ſacroſancta myſteria confecerant, altaria trucidabantur: ut propheticum illud rectè tunc compleretur, quod dicit: *Effuderunt ſanguinem ipſorum tamquam aquam in circuitu Jeruſalem.* Et illud: *Incenderunt igni ſanctuarium tuum in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.* Videres tunc Virgines rapi, matronalia jura ſolvi, infantes ab ipſis matrum uberibus avulſos ad terram alios elidi, per pedes alios ſuſpendi, inter manus barbarorum alios diſcerpi, poſtremò neque ſexui, neque ætati, nec ulli quoque gradui à tam crudelibus parci. Nec ſic tamen beſtialis illa crudelitas ſatiari potuit, niſi omnes etiam regii generis, per quos ſuæ ditioni aliquid timebat periculum, exſtinxiſſet. Unde illius poteſtatis rabiem ſolus ex omni regio ſemine pater primi EADWALDI Regis ELFREDUS vix effugit. Hic ne ſimili plecteretur ſententia, tres quibus illa debacchari permiſſa eſt barbaries annos, maxima cum penuria, in Gleſtingienſibus lactitabat paludibus. Pſal. 78.

Cuthberto in peregrini habitu eleemoſynam dans Elfredus,

4. Sed Dei clementia barbarorum illam immanitatem cùm jam ceſſare, ſuoſque poſt flagella recreare ſolita miſeratione ſua judicaſſet; contigit eumdem Elfredum, ceteris omnibus piſcatum miſſis, ſolum cum ſola conjuge, unoque familiari miniſtro domi reſediſſe. Aderat interim peregrino habitu quidam, obnixéque petebat eleemoſynæ compendium, quo famis ſuæ exſtingueret incendium. Mox ipſe vultu animoque lætiſſimus, ſine mora petenti cibum, cibum ut daret miniſtro præcepit. à quo cùm audiſſet nil ſibi ſuiſque omnibus ad diurnum remanſiſſe victum, præter panem unum & vini modicum, lætior ex hoc effectus; Deo, inquit, gratias, qui me pauperem ſuum, & tam longè à communi hominum habitatione ſejunctum, per hunc ſuum quoque pauperem viſitare dignatur. Et hæc dicens, utriuſque medietatem erogari jubet hilariter, apoſtolicum illud opere comprobans: *Hilarem datorem diligit Deus.* Quo ille qui pauper videbatur accepto; Domino, inquit, tuo pro tantæ compaſſionis affectu ſæpius gratificare ne differas. Spero enim quia hanc illius beneficientiam, larga cæleſtis miſericordia uberiùs recompenſabit. Hæc dixerat ille miniſtro, hæcque ſuo miniſter refert Domino. Sed mox ad eum ubi hunc dimiſerat, locum regreſſus, pauperem nuſquam, panem verò & vinum ita reperit integrum, ut prorſus nec ſectionis aliquod videretur habere ſignum. Quod factum ipſe ſecum ſtupens, Domino quoque ſuo feſtinus indicavit. cujus miraculi novitate percepta, ipſe pariter & uxor ejus non minore mentis percelluntur ſtupore, & quamvis curioſè perquirentes, viam qua illò veniſſet, 2. Cor. 9. 7.

ᵃ Hac tempeſtate vaſtata eſt Lindisfarnenſis eccleſia: cujus devaſtationis meminerunt Alcuinus in epiſtolis 39, 49, & alia quæ à Vuillelmo Malmeſburienſi in lib. 3 de Pontificibus Angliæ citatur; Turgotus in lib. 2 Hiſtoriæ Dunelmenſis cap. 5. Anno DCCXCIII contigit hæc clades.

Circ. ann. dccclxxv

vel inde receſſiſſet, omnino non poterant inveſtigare: præſertim quia locus ille aquis paluſtribus undique incluſus, niſi cum navi non poterat adiri.

recreatur copioſâ piſcium capturâ,

5. Interea ubi nona diei hora venerat, hi qui piſcatum exierant, tres naves piſcibus onuſtas domum reduxerunt: aſſerentes tantam ſibi copiam piſcandi non proveniſſe in totis tribus annis, quibus illis deguerant in paludibus. Tantis itaque Dei beneficiis jocundati, diem illum ſolito lætiorem deducunt. Venit nox: quiſque poſt diurnos labores quieturus ſuo ſe reponit in loco. Cúmque alto ſopore omnes opprimerentur, Elfredus in lecto recubat ſolus pervigil, labores ſuos quos barbaricæ perſecutionis timore profugus ſuſtinuit, mæſto ſecum corde retractans, ſimulque de peregrino ac inopinata piſcium multitudine, quod hac die ſibi evenerat, admirans. Et ecce lumen ſuper omnem ſolis radium ſplendidius ſubitò refulgens, totum quo jacuit cubiculum cælitus illuſtrat, ac viſione; utpote inſolita & tam ſubita, ipſe perterritus, priores mox omnes obliviſcitur curas, & ſolum luminis illius fulgorem ſtupidus contuetur. Tunc quidam in ipſo lumine pontificaliter infulatus ſenior, nigro quidem capillo, ſed vultu admodum venuſto proceſſit: textumque Evangeliorum auro gemmiſque mirificè perornatum dexterâ prætendens, ſtupentem illum atque paventem ſic dictis permulcet amicis. Non te, dilecte mi Elfrede, ſubitus hic mei adventûs ſplendor perturbet; non te barbarici furoris timor ſollicitet diutius. Deus enim qui pauperum ſuorum gemitus non ſpernit, jamjam finem tuis ponet laboribus; ego quoque tibi deinceps adjutor ero promtiſſimus. His protinus ille confortatus affatibus, quis eſſet, quid appellaretur, aut quare veniſſet, ſibi ut panderet, rogat obnixiùs. Tunc ſenior ſubridens; Ille, inquit, ego ſum cui tantæ humanitatis condeſcenſu cibum hodie dare juſſeras: ſed non tantùm pro pane vinoque dato delectabar, quantum pro interna mentis tuæ devotione congratulabar. Quod autem quid appeller interrogas, ſervum Dei Cuthbertum me pro certo nominari ſcias. ideoque huc modò veni, ut per me familiariùs inſtruaris, qualiter à perſecutionibus diu te affligentibus expediaris. Ergo miſericordiam & juſtitiam præcipuè diligas moneo, eademque filios tuos ſervare præ omnibus ſemper doceto: quoniam me impetrante, Deoque donante totius Brittanniæ Imperium vobis concedetur diſponendum. Si autem Deo mihique fideles extiteritis, me poſthac ad conterendum robur omne inimicorum inexpugnabile defenſionis ſcutum habebitis. Quare nunc omnem triſtitiæ poſtpone torporem, atque cùm craſtina primùm aurora rutilaverit, ad proximum naviga litus, cornuque tuo tribus fortiter intona vicibus. Sicut enim [a]cera defluit ab ignis calore, ſic tuorum ſuperbia inimicorum diſſolvetur ab hujus tubæ clangore. Sed quantum immanis adverſariorum dejicietur pertinacia, tantum ad ejuſdem clangoris auditionem tuorum erigetur amicorum audacia. Quod enim piis miſericordia cæleſtis ad exaltationis confert gloriam, hoc impiis jure permittit provenire ad dejectionis ingloriam. Hujus quoque diei horam circiter nonam de carioribus amicis & melioribus quingenti ad te convenient, omnes bene armati: & hoc ſigno credas, quòd ſeptem tranſactis diebus apud montem *Aſſandune* totius terræ hujus concurret exercitus, te velut Regem ſuum in adverſis ſimul & proſperis ubique ſequi paratiſſimus. ubi cum hoſtibus dum conflixeris, triumphi palmâ procul dubio coronaberis. Hæc Sanctus ubi diſſeruit, mirantis ab oculis ipſo cum lumine diſparuit. Ille autem omnium, quæ audierat, ita ut audierat, complendorum certiſſimus, illius ſe patrocinio commendabat attentiùs.

& S. Cuthberti præſentiâ & promiſſione.

convocat armatos.

6. Interea magnis exſpectata deſideriis aurora exoritur: ille ſolito agilior ſomno lectoque excutitur, & ad litus uſque perveniens, juſſa quæ nocte audierat, nil moratus exſequitur. Et his quid diu immoramur? tubæ ipſius clangorem inimici pariter & amici audiunt. illi nutu divino pavore confuſi, ſubitò

[a] S. Neoto id factum adſcribitur infrà in ejus Vita ad annum dccclxxvii, quo hæc contigiſſe conſtat. Rogerius Hovedenus cum aliis hoc vilum S. Cuthberto adſignat.

viribus enervantur: iſti cælitus exſultatione perfuſi, continuò virtutibus roborantur. Jam quoque die in nonam declinante horam; ipſi de quibus complendæ promiſſionis ſignum plenius caperet, amicorum cariores & meliores quingenti, omnes armis bene muniti, ad ipſum conveniunt. quibus ille nocturnæ viſionis ordinem pandens; Nunc, inquit, quanta parentes noſtri, qui omnes jam interierunt, barbarorum tormenta pro ſuis noſtriſque offenſis juſto Dei judicio pertulerint, vidimus & nos ipſi, qui die noctúque ad ſimilia per eoſdem exquirimur, quomodo nullum habeamus jam tutum fugæ locum videmus: immo miſerabiliter profugi ſuſtinemus. Unde rogo monitis Cuthberti defenſoris noſtri attentè obediamus, Deo ſibique fideles exſiſtamus, vitiorum voragines fugiamus, atque virtutum exercitia diligamus: ſic profectò & promiſſum cæleſtis gratiæ auxilium, & ſuæ defenſionis experiemur ubique patrocinium. Promiſſus igitur totius terræ exercitus cum Rege ſuo eodem Elfredo ad prædictum montem prædicta die convenit: nec minùs ex adverſo feralis illa barbarorum turba infinitæ multitudini ſuæ prioribúſque confiſa eventibus accurrit velociùs. Fit ſtatim ad prœliandum conventus, ſed diſpar pugnantium eventus. Hinc enim Chriſtianus quàm ſalubre ſit in cæleſti fidere auxilio, comprobat interficiendo: illinc paganus quàm deteſtabile ſit in humana præſumere ſuperbia, experitur cadendo. Hoc itaque prœlio abſque detrimento ſui exercitûs confecto, Elfredus totius Britanniæ imperium obtinuit; & quoniam ſancti Confeſſoris præcepta quæ ſuſceperat in penuria, memoriâ ſervabat in curia, omnibus ſemper & ubique adverſantium prævaluit molíminibus. Circ. ann. DCCC LXXV.

IV. *Quomodo tempeſtate orta tres undæ in navim, in qua corpus ejus abducebatur, cadentes in ſanguinem convertebantur.*

7. PER ejuſdem quoque perſecutionis tempora intolerabilis tribulatio Northanhimbrorum [a] finibus ſubitò emergens, eccleſias Dei tempeſtuoſo turbine graviter concuſſit. Tunc quidem magni vir meriti, nomine EARDULFUS, Epiſcopatum Lindisfarnenſis eccleſiæ, qua tunc beatiſſimus Dei Confeſſor Cuthbertus corpore quieſcebat, probabiliter córam Deo & coram hominibus diſponebat. Hic dictorum prædicti Patris, quæ ultima ipſe ab hac vita migraturus ſuis contradiderat, recordans, loco magis cedere, quàm reprobis ſubdi elegit. Sic enim ipſe inter alia quæ de conſervanda pacis ac dilectionis concordia ſatis tunc utiliter ammonuit, paterno more ſuis conſuluit, dicens. Si vos unum è duobus adverſis eligere neceſſitas coegerit, " multo plus diligo, ut eruentes de tumulo, tollenteſque vobiſcum mea oſſa, " recedatis ab his locis, & ubicumque Deus providerit, incolæ maneatis, quàm " ut ulla ratione conſentientes iniquitati ſchiſmaticorum jugo colla ſubdatis. " Erat quoque tunc Abbas [b] quidam EADREDUS nomine, & ipſe apud Deum miræ ſanctitatis, nec exiguæ apud homines nobilitatis: qui ejuſdem cum Epiſcopo erga beatiſſimum Dei Confeſſorem ſemper exſtitit devotionis. Igitur hac tribulationis aura intonante, eccleſiámque Dei fortiter quaſſante, memorati duo ſumtis ſecum religioſæ converſationis quibuſdam aliis, incorruptum venerandi Patris corpus de Lindisfarnenſi Monaſterio diſcedentes aſportaverunt. Hoc populus ipſius poſtquam audivit, domibus cum tota ſuppellectili relictis, cum uxoribus & parvulis continuò ſubſequitur. Eſt enim huic (qui ſuus dicitur propriè populus; quoniam ſpeciali quadam proviſione ab eo ſervatur, nec alibi, niſi ſub eo, vivere valet, ſicut aliæ gentes quæ in ex-

Tranſlatio in Hiberniam impedita.

[a] In Chronologia Saxonica poſt Bedam Halfdene Danorum Rex Northanimbriam diſtribuiſſe dicitur anno DCCC LXXVI, quam duobus antè annis, id eſt anno DCCC LXXIII, itemque DCCC LXXV jam aggreſſi erant Dani.

[b] Nempe in eccleſia ſeu Monaſterio Lindisfarnenſi, cujus Epiſcopus erat Eardulfus ab anno DCCC LIV. Ex quo probatur id, quod aliàs notavi, in cathedralibus Monachorum eccleſiis, præter Epiſcopum, Monachis præfuiſſe Abbatem.

Circ. ann. DCCCLXXV. [p]raneis æquè ut in propriis degere ſciunt terris) tanta in eo tuitionis ſecuritas, ut nullas adverſitatum pæne pertimeſcat injurias. Hoc tamen quòd tanta eos pietate ad ſe confugientes ab adverſariis ſæpe vindicaverit, de quo in ſequentibus quædam dicemus, ipſorum meritis, cùm præter paucos pravorum actuum homines ſint, nullus applicet: ſed in hoc quantum fidendi firmitas valeat, magnopere quiſque conſideret.

8. Tunc namque per Dei providentiam & ſanctiſſimi Confeſſoris voluntatem contigit, quatinus cum preccioſiſſimo ſacri corporis ſui theſauro longo tempore migrantes, totam pæne pervagarentur terram: Epiſcopus autem & Abbas propter diuturnum laborem tandem confecti tædio, ut ſuis finem laboribus & ſancto corpori ſedem in Hibernia quærerent, mutuo inter ſe conſilio ventilabant, præſertim quia nullam in tota hac terra remanendi ſpem habebant. Proinde adhibitis ad hoc quoque de omnibus qui ſapientiores erant & ætate provectiores, ſui ſecreta conſilii pandebant. Placuit itaque illis hoc conſilium: &, Evidenter, inquiunt, in terra peregrina requieſcendi locum quærere monemur: quia niſi hoc Dei fuiſſet voluntas ipſiúſque Sancti, procul dubio jam pridem, & ſuæ ſanctitati locus ad requieſcendum condignus, & nobis ad manendum opportunus fuiſſet proviſus. Hæc illi: ſed incomprehenſibilis Dei ſapientia & ineffabilis miſericordia jam quidem labores eorum determinare, ſuique Confeſſoris latiùs merita declarare voluit: ſed altiori & ſui ſolius conſilio hæc facere diſpoſuit. Ergo ad oſtium fluminis, qui Dirwentæ [a] vulgo dicitur os, ſimul Epiſcopus Abbas & populus conveniunt. ad hoc enim maris portu facilior ac brevior patet tranſitus in Hiberniam tendentibus. Ibi navis ad tranſponendum paratur: venerabile Patris corpus imponitur, cum Epiſcopo & Abbate pauci, quibus hoc innotuerat conſilium, ingrediuntur, ceteris omnibus quid agere vellent ignorantibus. Sed quid moramur? ſociis à litore ſe ſpectantibus valedicunt, ſecundis vela flatibus expediunt: recto verſus Hiberniam ductu proram dirigunt. Tunc quis putas mæror fuerit reſidentium? quis planctus mærentium? quis luctus dolentium? in terram corruunt, pulvere capita reſpergunt, veſtes ſcindunt, pectora pugnis lapidibúſque contundunt, tandem in hujuſmodi voces ſimul omnes erumpunt: Heu miſeri, nos in hæc infelicia cur nati ſumus tempora? Tu Pater & Patrone noſter, en tamquam captivus in exſilium duceris: nos tamquam oves luporum dentibus ita miſeri & captivi adverſariis exponimur ſævientibus. Nec illi plura.

9. Continuò venti mutantur, fluctus intumeſcentes elevantur, &, quod tunc erat tranquillum atque ſereniſſimum mare, fit tempeſtuoſum atque obſcuriſſimum, naviſque jam non valens gubernari, huc & illuc inter fluctivagas jactabatur undas. Qui enim intus erant, velut mortui obriguerant. Interea tres miræ magnitudinis undæ [b] horrifico cum murmure ſupervenientes navi, medias pæne uſque ad tabulas impleverunt, atque terribili miraculo, poſtque Ægypti plagas inaudito, protinus in ſanguinem convertebantur. O Conditoris noſtri ſtupenda majeſtas! ô nimiùm amplectanda pietas! quæ ſuorum corpora Sanctorum quantum à nobis ſint formidanda atque veneranda, tam horrificis, tamque mirificis declarat ſignorum oſtentis. Ergo poſtquam ſenſu aliquantulum recepto ſemetipſos qui vel ubi eſſent recordantur, tantique miraculi magnitudinem ipſi quoque per totum ſanguine perfoſi contemplantur; continuò gemunt, lugent, genua flectunt, veniamque ſtulti auſûs toto corpore ad pedes ſancti corporis proſtrati petunt. Arrepto itaque gubernaculo navim ad litus & ad ſocios retorquent: & continuò flantibus à tergo ventis,

[a] Dirventa in media Cumbria effluit in mare Hiberniæ.

[b] Quæ ſequuntur ad cap. 11, deerant in apographo Bollandianorum, qui ea ſuppleverunt ex Turgoti lib. 2. capp. 11 & ſequentibus. Compendienſis codex integrum librum reſtituit eo quo referimus modo. Confer Turgotum, cujus narratio aliquando prolixior, aliquando eadem.

illuc

illuc ſine aliqua difficultate perveniunt. Tunc qui priùs fleverant dolendo, verſa vice plus jam flebant gaudendo. Epiſcopus verò cum ſociis ſuis, pudore ſimul & dolore non minus lacrymans, toto corpore in terram proſternitur, ſibi indulgeri precatur obnixius. Circ. ann. DCCC LXXV.

10. His ita geſtis omnibuſque laudabiliter concordatis, ad Monaſterium, quod in villa vocabulo Creca [a] fuit, illud venerabile corpus deferunt: ibique ab Abbate, cui nomen erat GEVE, benigniſſime ſuſcepti, velut in proprio quatuor menſibus reſidebant. Interim divina diſpenſante gratia, quæ ſuos ad hoc permittit laborare, ne in bonorum operum exercitatione torpeant, ad hoc iterum novit recreare, ne in caritatis delectatione frigeant: ſedes Epiſcopalis quam ſuperiùs in inſula Lindisfarnenſi eſſe diximus, in *Cunceceaſtre* [b] reſtauratur. Tranſlato igitur illuc de Creca Patris beatiſſimi corpore, tamdiu ibi permanſit, quouſque non paucis revolutis annis in Dunhelmo unà cum ſede Pontificali decentiſſimè tranſponebatur: ubi uſque in præſens ejus ſanctitas miraculis continuis declaratur.

V. *Quomodo paganus quidam, vocabulo Onalafbale, cùm contra Dei Confeſſorem injurias dixiſſet, in ingreſſu Eccleſiæ confixus interierit.*

ORDINATIS deinde omnibus atque decenter utpote ad ſedem Epiſcopalem compoſitis; regulari quoque ſub diſciplina qui Deo coram ſanctiſſimi Confeſſoris ſui corpore jugiter ſervirent, ibidem conſtitutis; Epiſcopus ille ſuprà memoratus EARDULFUS ſenectute bona laborum præmia ſuorum recepturus ab hac vita migravit. Nec multo pòſt ipſius exceſſum exacto tempore, CUTHARDUS & ipſe coram Deo & hominibus vita probabili commendatus, omnium electione cathedram epiſcopalem ejus loco regendam ſuſcepit. Quam quidem quamvis laborioſè, nam multas ſæpe & graves barbarorum ſuſtinuit pervaſiones & injurias, ſancto tamen Cutbberto ſe ſpecialiter vindicante atque evidenter adjuvante, doctrinis & exemplis ſtrenuè decoravit. Ipſius namque temporibus Rex quidam paganus, nomine REGINWALDUS*, multa cum claſſe illis in partibus improviſè applicuit: univerſoſque meliores vel in bello ſtravit, vel extra patriam fugavit. Occupavit quoque totam mox terram ſancti Cuthberti: villaſque ipſius duobus ſuis militibus ad ſæculum potentibus æqua diviſione diſtribuit, quorum unus Scula vulgariter vocabatur: alter verò ſecundùm ſuæ gentis proprietatem Onalafbal appellabatur. ambo crudeles & barbari, ambo dæmoniorum cultibus mancipati, ambo veræ religionis & propriæ ſalutis ignari; temporalis potentiæ nomen affectabant, atque ad interminabilis miſeriæ lamenta, æternique cruciatus tormenta cæco corde feſtinabant. Talibus enim ſacra comminatur Scriptura dicens: *Potentes potenter tormenta patiuntur.* Hi quamvis (ut diximus) ambo fuiſſent barbari & crudeles; ille tamen, quem poſteriorem nominavimus, immaniorem multo atque crudeliorem, ac prorſus inhumanum, ad ſuam perniciem ſe omnibus exhibebat. Non ſacrorum ordinum dignitas, non natalium nobilitas, ferinum ejus animum ad cujuſquam inclinabat reverentiam: ſed, tamquam indomabilis bellua, quò quemquam gradu digniorem vel genere conſiderat nobiliorem, eò contra hunc furorem exacuebat immaniorem. Hic dum multis ſæpe injuriis Epiſcopum, congregationem atque populum ſancti Cuthberti moleſtaret, prædiaque ad Epiſcopium jure attinentia, ſuæ poteſtati pertinaciter uſurparet; Epiſcopus, eum volens Deo lucrari, ſedulò corripiebat, atque de ſuæ profectu animæ commonebat dicens: Tantum quæſo pertinacis animi deponas rigorem, atque abdicato dæmonum cultu

* anno 911.

[a] Creca etiamnunc caſtellum in Bulmerenſi agro, haud longè ab Eboraco, ultra ſilvam Gautrenſem, ex Bollando.

[b] Infrà *Cunceceaſtre*, ſex millibus paſſuum diſtans à Dunelmo, nunc *Ceſtre* vocata.

Circ. an. DCCCLXXX. tuum recognoſcas Creatorem, necnon & ab illicita rerum pervaſione eccleſiaſticarum jam te cohibere non renuas. Nam ſi monita mea hæc ſpernenda eſſe putaveris, ſanctiſſimum Dei Confeſſorem ſuas ſuorumque injurias per te totiens irrogatas, citò ac graviter vindicaturum eſſe non dubites. At ille, quamvis hominibus appareret vivus, occulto tamen Dei judicio jam mortuus, de correptionis verbo quantum poterat meliorari, tantum inde cœperat deteriorari. Dum enim hæc & hujuſmodi ab Epiſcopo frequentius audiſſet, improbæ mentis furiâ inſtigatus, eccleſiam die quadam ingreditur, & Epiſcopo cum tota congregatione coram ſtante atque audiente, contumelioſè proclamans in hæc verba extollitur: Quid hujus hominis mortui minas mihi quotidie objicitis? quid putatis contra me vobis valebit ipſius in quo ſperatis auxilium? Deorum meorum omnipotentiam conteſtor, ipſorumque per excellentem gloriam juro, quòd tam ipſi mortuo, quàm vobis omnibus deinceps inimiciſſimus ero: ut ex hoc apertè diſcatis, quam nihil, aut ipſe, aut vos mihi reſiſtere valeatis. Et his dictis, cùm maximæ indignationis arrogantia pedem ut egrederetur avertit. At Epiſcopus omneſque ſimul Fratres in terram proſtati, mox à Deo & ſancto Confeſſore ſuperbas illius minas annullari, multum ſuſpirando, & ubertim lacrymando flagitabant. Jam miſer ille ad oſtium venerat, jam alterum intra limen, alterum extra, pedem poſuerat, & ibi tamquam clavis per utrumque pedem confixus, nec egredi, nec regredi valebat, ſed immobilis prorſus ibi hærebat. Cœpit quoque mox palleſcere, & contremiſcere, oculiſque ſanguineis & torvis circumſpicere: atque diverſis membrorum motibus dolorem quem intus perpetiebatur, foras oſtendere. Ubi autem concurrente atque ſpectante populo innumerabili, tam ſuorum, quàm Chriſtianorum, ita diutius torquebatur: tandem horribiliter exclamans, beatiſſimi Confeſſoris ſanctitatem palam confitebatur: ſicque impiam ſuam animam eodem in loco reddere compellebatur. Sed hæc ſera ipſius confeſſio, quamvis ſibimet omnino nil prodeſſet, aliis tamen, ipſis etiam paganis, plurimùm profuit: qui hoc exemplo conterriti, neque terras, neque aliud quid, quod eccleſiæ jure competebat, quoquo modo ulteriùs pervadere præſumebant.

VI. *Quomodo Scotti qui terram ſancti Cuthberti & Lindisfarnenſe Monaſterium pervaſerant, ſubitò terra hiatu abſorpti ſunt.*

SCRIPTUM eſt: *Ibunt Sancti de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion.* Quod quia hic Deo dilectus Confeſſor in hac carnis infirmitate proceſſu mentis ſedulus agebat, ab illa ſuperna, qua Deus deorum videtur, ſpecula miraculis nunc coruſcando declarat. Nam quantum de virtute in virtutem eundo mente tunc proficiebat; tantum adſcenſu miraculorum procedendo, mirandis prioribus plus miranda nunc exhibet poſteriora. Mirandum namque ac timendum eſt de barbari peremtione quod diximus: ſed multo plus mirandum atque ſtupendum de repentina Scottorum dimerſione quod dicemus. Temporibus itaque non multis poſtea tranſactis, gens Scottorum coadunatô innumerabili exercitu fluvium Tuida, cui terminus auſtralis erat terræ ſancti Cuthberti, tranſgreditur: omnia homicidiis, incendiis, atque rapinis depopulatur. Non gradui, non ætati, non ſexui parcebat: ſed velut pecudes pari cunctos & inaudita crudelitate proſternebat. Et hæc agens nondum ſuam exſatiavit crudelitatem: quin immo Lindisfarnenſe Monaſterium, nullorum præſumtione antea temeratum, ſimili crudelitate pervaſit. Hæc tanti facinoris fama poſtquam ad illius qui tunc Rex exſtitit, GUTHREDI aures pervenit, contra illos cum admodum parva manu feſtinavit. non enim congregari exercitum brevitas temporis permittebat. Occurrit utique illis in loco, qui Anglorum linguâ *Nundingedene* uſque ad præſens nuncupa-

tur. Sed quoniam incumbentis tenebræ noctis obſtabant; (venerat enim illuc veſperaſcente jam die) bello eos aggredi continuo non potuit: verùm ut ſummo mane imparatos occuparet diſpoſuit. Sed nec conſilium ejus ipſos latuit. ideóque ſemper parati exſiſtentes, ipſum etiam ſi ab eis declinare tentaſſet, quia paucos eum habere, ſe autem plurimos eſſe conſiderabant, inſequi cogitabant. Cum verò tantum conſpexiſſet exercitum, & non ſolùm reſiſtere, ſed etiam inſequi paratum attendiſſet; nimio timore ſollicitabatur, eo quòd nec ad pugnandum vires habebat, & ab eis fugere pudor & locus prohibebat. Talibus ergo tantiſque curarum æſtibus variarum moleſtatus, præ nimietate anguſtiarum ſomno prægravatur: & ecce egregius Chriſti miles Cuthbertus, maniſeſtata viſione illi adſtitit, verbiſque conſolatoriis exanimatum confortavit, ita exorſus: Quid tanto maceraris timore? ne diffidas tuorum paucitati militum, cùm Dei meumque habeas auxilium. Deo enim nequaquam eſt impoſſibile, ſive in multis, ſive in paucis ſalvare. Hoſtes quippe tuos, magis autem meos, quia pacem meam, nec paganis priùs violatam, temerare non formidabant, in ſua nunc multitudine gloriantes, coram te in brevi ut lutum platearum delebo. Nam quamvis huminibus adhuc vivi appareant, in conſpectu Dei omnes mortui ſunt computati. Unde tuis, ut ſine mora ſint parati, præcipere matures: ut cùm aurora diei primum exoritur, facto impetu ſuper eos irruas. qui in primo congreſſu terra dehiſcente in baratrum vivi corruent, & ſine tuorum detrimento, ipſi omnes ſimul diſperient. Talia ubi dixerat, viſionis illius ſpecies diſparebat. Rex verò per hæc multum confortatus, ſomnum excuſſit, lecto exſilivit, ſuos convocavit, & quæ viderit vel audierit, palam omnibus enarravit. Quibus auditis, quantum priùs timore fuerant exanimati, tantum mox Regis ſui conſolatione ſunt confortati. Facto igitur mane in hoſtes irruunt: ſed (miſerabile dictu!) quos modò contra ſe jacula mittere conſpiciunt, in eodem ſtatim momento, nuſquam nec unum ex eis inveniunt. Quod enim vir Dei prædixerat, coram eis terra vivos omnes abſorbuerat. Et hic antiquum quoque renovatur miraculum: quoniam *aperta eſt terra, & deglutivit Dathan: & operuit ſuper congregationem Abiron.*

CIRC ANN. DCCCLXXV.

VII. *Qualiter textus Evangeliorum qui in mare ceciderat, inventus, & caballus vehiculo ſancti corporis ſit adjunctus.*

TEMPESTATE illa, qua (ut ſuprà memoratum eſt) EARDULFUS Epiſcopus & Abbas EDREDUS cum ſuis labore confecti in Hiberniam ire voluerunt cum ſancti Cuthberti corpore, ſed aperto miraculo tribus undis, quæ ſtatim in ſanguinem ſunt converſæ, navim pæne uſque ad medias tabulas implentibus, ad terram repulſi ſunt; dum navis verteretur in latera, cadens ex ea textus Evangeliorum in maris ferebatur profunda. Famis poſtea neceſſitate qui ſanctum corpus Patris comitabantur laborantibus, rerumque omnium egeſtate & anguſtia gementibus; conflictum tandem piiſſimi patroni affuit auxilium. Cuidam namque illorum per viſum aſſiſtens, juſſit ut æſtu maris recedente codicem qui de navi ceciderat, quærerent, adjungens: Tu, inquit, ſurgens frenum quod in arbore videbis pendere, equo, quem non longè hinc invenies, oſtende: moxque ſponte currentem curabis frenare. quem deinceps carrum in quo meum corpus circumfertur, trahentem vos levigato labore ſequi valebitis. Itaque pergentes ad mare, multo quàm conſueverat longiùs receſſiſſe conſpiciunt: & tribus vel eo ampliùs milliariis gradientes, ipſum ſanctum Evangeliorum codicem reperiunt: qui ita ut forinſecùs gemmis & auro ſui decorem, ita intrinſecùs litteris & foliis priorem præferebat pulcritudinem, ac ſi ab aqua tactus minimè fuiſſet. Quæ res animos eorum anxios non parum gaudio relevavit: virumque memoratum de

Circ. ann. DCCC LXXV.

ceteris, quæ audierat, minimè dubitare permiſit. Pergens ergo, frenum, ſicut per ſomnium didicerat, in arbore ſuſpenſum invenit: deinde hac illacque circumſpiciens, paullo remotiùs caballum rufi coloris adſpexit, qui unde, vel quomodo in illum ſolitudinis locum pervenerit, ſciri nullatenus potuit. Cui, ſicut juſſus fuerat, dum frenum elevata manu oſtenderet, concitè adveniens, manibus illius ſe frenandum obtulit. quo ad ſocios perducto, pro Patris Cuthberti corporis præſentia, tanto libentiùs poſtmodum laborare gaudebant, quanto ejus ſuffragia numquam in neceſſitate ſibi deſutura pro certo ſciebant. Adjungentes itaque caballum vehiculo, qui illum cæleſtem theſaurum thecâ incluſum ferebat, eò ſecuriùs per quælibet illum ſequebantur, quo à Deo ſibi proviſo equo ductore utebantur. Porto liber memoratus in Dunelmenſi eccleſia uſque hodie ſervatur: in quo nullum omnino (ut diximus) per aquam læſionis ſignum monſtratur.

VIII. *Quare nulli feminarum eccleſiam ſancti Cuthberti intrare liceat* [a].

IN nullam autem pæne eccleſiarum quas Confeſſor beatus ſui ſacri corporis illuſtravit præſentia, ulla uſque hodie feminis intrandi conſtitit eſſe licentia. Cujus rei conſuetudo, hac de cauſa primum orta eſt. Ante paucos ſanè ſui epiſcopatus annos, Monaſterium in *Choldingham* per culpam incuriæ flammis abſumtum eſt, ob malitiam utique inhabitantium in eo. Erant ſiquidem in eodem loco, diverſis tamen ſeparatæ manſionibus, Monachorum Sanctimonialiumque congregationes: qui paullatim à regularis diſciplinæ ſtatu defluentes, inhoneſta invicem familiaritate decipiendi occaſionem inimico præbuerant, domos religioſo deputatas officio, in comeſſationum, potationum, & ceterarum cubilia illecebrarum convertentes. Unde meritò loco illi & habitatoribus ejus gravis de cælo ſævientibus flammis vindicta facta eſt: & cùm dicerent, Pax & ſecuritas, divinæ ultionis pœnâ ſunt multati. Nec multò pòſt vir Domini Cuthbertus epiſcopali cathedra ſublimatus, ne ſui vel præſentes vel futuri, quandoque tali exemplo Dei ſuper ſe iram provocarent, omne ab eis feminarum ſeparavit conſortium: ne indiſcreta illarum ſocietas ſervis Dei aliquod ſui propoſiti periculum, & ex eorum ruina inimico generaret gaudium. Omnibus ergo & viris & feminibus conſentientibus, omne ſuis & in præſenti & pòſt futuris temporibus muliebre interdixit conſortium: earumque ab eccleſiæ ſuæ ingreſſu penitus amovit introitum. quæ conſuetudo in tantum uſque hodie diligenter obſervatur, ut niſi metus hoſtilis vel concrematio loci compellat, nec in cimiteria quidem ipſarum eccleſiarum, ubi ad tempus corpus ejus requieverat, mulieribus introire liceat.

IX. *Quâ pœnâ multata ſit quædam, quæ per ejus eccleſiæ cimiterium ire præſumſit.*

NONNULLÆ hanc legem infringere temtantes, quantum ſcelus admiſerint, mox pœna vindice ſenſerunt. Harum quædam, vocabulo Songeona, nocte quadam dum de convivio domum redire vellet, querebatur marito, quòd viam propter lutoſas platearum voragines nuſquam mundam habere potuiſſet. Ad ultimum utriſque placuit, ut per cimiterium eccleſiæ ſancti viri tranſirent, & hoc peccatum pòſt eleemoſynis expiarent. Cùm ergo ſimul irent, repentè cœpit ipſa neſcio quid exhorrere, & ſe jam jamque

[a] Hoc & duo ſequentia Capitula apud Turgotum in lib. 2 Hiſtoriæ Dunelmenſis cap. 7. & ſeqq. referuntur iiſdem verbis, ut iſtius libri auctor eſſe videatur, aut certè ab iſto Auctore hæc accepiſſe.

extra ſenſum fore clamare. Cùm verò jam extra ſæpem, quæ cimiterium Circ. ann.
Eccleſiæ ambierat, pedem poneret; ilicò repentè cecidit, domum portata ip- DCCCLXXV.
ſam noctem hujus vitæ terminum habuit.

X. *Quomodo & alia ſe ſimili de cauſa occiderit.*

ERAT & alia quædam uxor cujuſdam divitis, quæ audiens narrari à pluribus variam eccleſiæ ornamentorum pulcritudinem, feminea aviditate videndi nova ſuccenditur: nec valens impetum animi refrenare, quæ ſe præ ceteris mariti potentia extulerat, arripuit viam per eccleſiæ cimiterium; ſed non impune. Poſtea enim ſenſum perdidit, ſuam morſibus linguam præcidit: nec priùs inſaniam, quàm propria manu inciſo ſibi gutture vitam amiſit. Nam in domo non facilè retineri valens, dum incertis ſedibus vagaretur, die quadam inventa eſt ſub arbore cruentato gutture mortua jacere, & cultellum, quo ſemetipſam exſtinxerat in manu tenere. Plura quidem contra ſimilem aliarum feminarum audaciam divinitus oſtenſa ſunt flagella.

XI. *Quare & quo Epiſcopus & populus Sancti cum ejus corpore de Ceſtre fugerint.*

ANNO dominicæ Incarnationis nongenteſimo nonageſimo quinto, ab
obitu ſancti Cuthberti treceenteſimo nono, regni verò ETHELREDI anno 995. Turgot. l. 3
ſeptimo-decimo, pontificatus ſui ſexto, ALDUNUS Epiſcopus cæleſti præ- cap. 1.
monitus oraculo, ut cum incorrupto ſanctiſſimi Patris corpore quantocius fugiens, ſuperventuram piratarum rabiem declinaret; tulit illud centeſimo tertio-decimo anno, ex quo in *Cunchaceſtre* locatum fuerat; & cum omni qui ejus dicitur populo, in HRipum tranſportavit tempore veris. in qua fuga illud memorabile fertur, quòd in tanta multitudine nemo à minimo uſque ad maximum ullâ infirmitatis moleſtiâ affligebatur: ſed ſine ullo labore, ſine ullo incommodo viam gradiendo incedebant. Animalia etiam tenera & nuper nata, ſana & incolumia ſine aliqua difficultate & vexatione toto itinere gradiebantur.

XII. *Quomodo Dunelmum corpus ſancti Cuthberti primùm venerit.*

POST tres autem vel quatuor menſes pace reddita, cùm corpus Patris ad priorem locum reportarent, & jam ad orientalem plagam Dunelmi in locum, qui *Windelau* dicitur, venirent; vehiculum nullo poterat promoveri ingenio. Alloquens ergo populum Epiſcopus, præcepit omnes per triduum, jejunio, vigiliis, ac precibus cæleſtis oſtenſionem indicii expetere. Quo facto, revelatum eſt eis [a], ut in Dunelmum illud transferre, ibidemque ſedem requieſcendi præparare deberent. Itaque ad Dunelmum corpus ſanctum detulerunt, factáque citiſſimè de virgis eccleſiolà ibidem illud ad tempus locarunt.

XIII. *Qualem illuc venientes locum habitandi invenerint, qualemque effecerint.*

PRÆFATUS igitur Antiſtes cum ſanctiſſimo corpore Patris veniens Dunelmum, locum quidem naturâ munitum, ſed non facilè habitabilem invenit, quoniam denſiſſima undique ſilva totum occupaverat: tamen in medio planitie non grandi exſiſtente, quam arando & ſeminando excolere conſueverant. Præfata igitur ſilva totius populi & Comitis Northanhim-

[a] Cuidam religioſo, nomine Eadmero, inquit Turgotus in lib. 3 cap. 1.

Circ. ann. DCCCLXXV. brorum Uchtredi auxilio tota exſtirpata, locum in brevi habitabilem fecit: & eccleſiam non parvam de lapide inchoavit. Interea ſanctum corpus de illa eccleſiola virgea in aliam tranſlatum, quæ Alba-eccleſia vocabatur: tribus ibi annis, dum major conſtrueretur, requievit. Venerandus autem Antiſtes Aldunus Eccleſiam tertio, ex quo eam fundaverat, anno, pridie Nonas Septembris ſollemniter dedicavit; & ſanctiſſimi Patris Cuthberti corpus in locum, quem paraverat, tranſlatum debito cum honore locavit. Taliter cum ſancto corpore ſedes epiſcopalis hoc in loco uſque ad præſens permanſit: quæ à Rege quondam Oswaldo & Aidano Pontifice in Lindiſfarnenſi inſula primitus fuerat inſtituta. Ab anno itaque quo Pontifex Aidanus epiſcopalem cathedram in inſula Lindisfarnenſi conſcenderat, uſque ad annum quo Aldunus eamdem in Dunelmo adſcenderat, computantur anni trecenti ſexaginta unus: à tranſitu ſancti Cuthberti trecenti & novem.

XIV. *Qualiter* Eadmundus *Epiſcopus eligitur, & quale miraculum de capillo ſuo ſolebat oſtendere quidam, qui multis Sanctorum reliquiis Dunelmenſem ditavit eccleſiam.*

* anno 1018

Defuncto Alduno * Epiſcopo, & triennio jam pæne eccleſia vacante paſtore, Eadmundus, vir religioſus ac ſtrenuus, ad Epiſcopatum eligitur: quem Presbyter cum Diacono ſibi ad altare miniſtrante, infra canonem voce quaſi de tumba Patris prolata Epiſcopum deſignari audierat. Sub hoc Antiſtite in ipſa Dunelmenſi eccleſia claruit quidam Presbyter, qui piis & religioſis operibus magnæ apud ſanctum Cuthbertum familiaritatis exſtiterat, vocabulo Elfredus, filius Weſtou. Hic in omnibus ſancto Cuthberto erat devotus: vir multum ſobrius, eleemoſynis deditus, in orationum ſtudio aſſiduus, laſcivis & impudicis terribilis, honeſtis verò & Deum timentibus venerabilis, cuſtos eccleſiæ fideliſſimus. Habuerat is unum de capillis ſancti Cuthberti, quem adventantibus ſæpe ſolebat oſtendere: & ex illo ſanctitatem ejus mirantibus plus admirationis conſuevit adjicere. Solebat namque impleto prunis ardentibus thuribulo, ſuper ipſas capillum illum ponere: ubi diutius jacens nequaquam conſumi poterat, ſed candeſcere, ac velut aurum in igne rutilare, indeque poſt longas moras ſublatus, in propriam formam paullatim redire. Hoc ſanè miraculum multi diſcipulorum ejus, ſed & quidam hujus Monaſterii Frater multæ ſimplicitatis & humilitatis, nomine Gamelo, qui nunc in Chriſto dormit, ſæpius ſe vidiſſe atteſtati ſunt. Cùm ergo Presbyter præfatus honeſtam & religioſam ageret vitam, juſſus per viſionem, per antiqua Monaſteriorum loca cucurrit, in provincia Northanhimbrorum oſſa Sanctorum, quæ in eis ſepulta noverat, de terra levavit, ac declaranda populis & veneranda ſupra humum locata reliquit: oſſa videlicet Balteri & Bilfridi Anachoritarum, Accæ quoque & Alcmundi Epiſcoporum Haguſtaldenſium, & Regis quoque Oswini, necnon etiam Abbatiſſarum venerabilium Ebbæ & Ethelgithæ. De quorum omnium reliquiis aliquam ſecum partem in Dunelmum aſportavit: & cum Patris Cuthberti corpore locavit. Ad Mailroſenſe quoque Monaſterium per revelationem admonitus proficiſcens: oſſa ſancti Borsili, qui beati Cuthberti magiſter quondam in eodem Monaſterio exſtiterat, inde in ipſius diſcipuli eccleſiam tranſtulit. Ad Monaſterium quoque quod eſt in Girvum a, ubi Bedam Doctorem converſatum, defunctum, & ſepultum noverat, ſingulis annis adveniente anniverſaria dormitionis ejus die venire, ibique precibus & vigiliis ſolebat inſiſtere. Quodam tempore juxta morem illò pergens, cùm aliquot ibi dies ſolus in eccleſia, orando, & vigilando tranſ-

Lege lib. de mirac. S. Haguſtald. S c. 3. parte 1.

a Girvenſe Monaſterium tum in parietinas redactum erat, teſt. Turgoto in lib. 3 cap. 22. qui ibidem ab Aldwino loci reparatore monaſticum habitum ſuſcepit.

egiſſet; neſcientibus ſociis, ſummo diluculo, ſolus (quod ante numquam Circa anni DCCLXXV. conſueverat) Dunelmum rediit, ſui videlicet ſecreti nullum volens teſtem habere. Nam cùm multis poſtea vixiſſet annis, tamquam jam adeptus quod concupierat, ad præfatum Monaſterium ampliùs venire non curavit. Unde ſæpius à ſuis familiariter requiſitus, ubi venerabilis Bedæ oſſa requieſcerent; certus de re inquiſita, ſic reſpondere ſolebat: Hoc nemo, inquit, me certiùs novit. Firmum, ô dilectiſſimi, & procul omni dubio certum habeatis, quia eadem theca quæ corpus Patris Cuthberti, oſſa venerandi Doctoris & Monachi Bedæ contineat. extra hujus loculi hoſpitium, nemo quærat portionem ejus reliquiarum.

XV. *Quàm timendum ſit unius exemplo miniſtris altaris ad ſacroſancta irreverenter accedere myſteria.*

POST obitum * Eadmundi Pontificatum Dunelmenſis eccleſiæ EGELRICO regente, res inuſitatè facta, terribili exemplo miniſtris altaris * anno 1018 proculdubio iram Dei oſtendit imminere, ſi ad ſacroſanctum miniſterium ſine caſtitate præſumant accedere. Quidam etenim Presbyter, nomine Feoccher, uxori copulatus, indignam Sacerdotis officio vitam ducebat. Turgot. lib. 3 c. 10. Quadam die multi tam nobiles, quàm privati placitaturi ad eum convenerunt; & ut eis ante Placitum Miſſam celebraret rogaverunt. At ille qui ipſa nocte cum uxore dormierat, id ſe facturum negavit. Illud autem ſemel, bis, terque rogantibus ſibi Miſſam celebrari, Presbyter nimis ex utraque parte anguſtiabatur, hinc verecundia, illinc timore. Vicit tamen divinum timorem humana verecundia. Itaque Miſſam eis celebravit. Hora verò qua ſacroſancta myſteria ſumere deberet, in calicem introſpexit, & ecce particulam Dominici corporis, quæ in calicem miſſa fuerat, ita cum ſanguine in teterrimam ſpeciem commutatam vidit, ut magis in calice picis colorem, quàm panis & vini conſpiceret. Ilico reatum intelligens, pallere, & quaſi jam flammis tradendus ultricibus, nimiùm cœpit pavere. Præterea multùm anxius erat quid de hoc quod in calice viderat, facere deberet. Exhorrebat illud velut ſuam mortem ſumere. Volebat in terram effundere: ſed quoniam conſecratum erat, id metuebat facere. Tandem magno cum timore ac formidine ſumſit: ſed tantæ amaritudinis fuit, ut nil guſtandum amarius eſſe potuiſſet. Miſſâ peractâ, confeſtim equo adſcenſo ad Epiſcopum feſtinavit: cujus pedibus proſtratus, rem ex ordine retulit. Indictâ pænitentiâ, ſecundùm ſui præceptum Epiſcopi caſtè & religioſè deinceps vixit.

XVI. *Quomodo* JUDITH *Comitiſſa per unam famularum, ne eccleſiam Sancti intrare præſumeret, ſit territa.*

PONTIFICANTE poſt Egelricum EGELWINO *, JUDITH filia Co- * anno 1056 mitis Flandrenſium BALDUINI, Comitis uxor Northanhimbrorum TOSTI, honeſta valde ac religioſa, ſanctum Cuthbertum plurimùm diligens, diverſa ejus eccleſiæ ornamenta contulerat, & adhuc plura cum multis terrarum poſſeſſionibus ſe donaturam promiſerat, ſi eccleſiam ejus & ad ipſius ſepulcrum ſibi liceret intrare. Sed tantam rem per ſe non auſa temtare, unam de pediſſequis ſuis hora ſecretiori præmiſit. Jam pedem illa in cimiterium erat poſitura, cùm ſubitò velnti ventorum violentiâ cœpit repelli, & viribus deficere: & graviter infirmata, vix ad hoſpitium valuit redire: decidenſque in lectum, gravi torquebatur cruciatu, tandem dolore cum vita caruit. Hoc facto Comitiſſa vehementer exterrita contremuit, atque humiliter ſatisfaciendo, imaginem Crucifixi, imaginem quoque Dei Genitricis, & imaginem ſancti Johannis Evangeliſtæ, ipſa & ejus conjunx fieri juſſerunt, &

Circ. ann. DCCCLXXV. anro argentoque veſtierunr, aliaque perplura ad decorem eccleſiæ obtulerunt.

XVII. *Qualiter miles* Tostii *Comitis, nomine Barewith, dum januas Monaſterii ejus infringere cupit, ſubitò percuſſus interierit.*

NEc ſilentio prætereundnm, quanra noſtris quoque remporibus ejuſdem beatiſſimi Patris fulſerint miracula. Regnante nuper piiſſimo Rege Eadwardo, miraculnm contigit prioribus ſimile: per quod in unins præſumtoris peremtione multi deinceps correcti ſunt à tali præſumtione. Dum igitur Tostius Comes, ille cunctis notiſſimus in partibus Northanhumbranis, Comitatum adminiſtraret, quidam pravæ actionis vir, nomine Aldanhamal, ab eo comprehenſus, compedibus artiſſimè conſtringitur. Multa enim mala fecerat: furtis atque rapinis, homicidiis, atque incendiis Comitem ſæpe offenderat: nec umquam priùs cômprehendi poterat. cujus parentes & amici compaſſionis affectu permoti, multa pro eo, ne capite plecteretur, Comiti offerebant: & plura promittebant. At ille, quia totiens tantiſque malefactis eum irritaverat, nullum ſe pro vita ipſius auri vel argenti, aut cujuſquam alterius rei commodum vel reſpicere velle juravit. Tunc ille animo conſternatus, ſolum ſibi cogitabat eſſe remedium, ſi quoquo modo vinculis expeditus, beatiſſimi Patris Cuthberti confugiſſet ad Monaſterium. In eadem quippe villa, qua ipſe corpore requieſcit, hoc eſt in Dunelmo, tunc cuſtodiebatur. Adhibitis ergo omnibus ingenii ac virium ſuarum conatibus, ab his quibus conſtringebatur compedibus, ſe quærebat expedire. Sed quamvis diu multumque in hoc laboraret, parum profecit: quoniam timor, qui ex præcepto Comitis imminebat, ut artiſſimè cuſtodiretur, cuſtodes urgebat. Unde ſuis ſe conatibus liberari non pôſſe ſe conſiderans, ſcelerum ſuorum conſcientia ſe torquente graviter ingemuit; atque Deo dilectum Confeſſorem quo ſibi ſubveniret indigno, magna cordis contritione rogavit. Non enim jam quod à Comite ſibi minabatur tam corporis ſupplicium, quàm animæ formidabat periculum. Interea dum malorum ſuorum emendationem, ſi modò evaderet, promittit; ſubitò compedes ſolutos, ſibique liberum abeundi locum patuiſſe conſpicit. O magna Dei clementia! ecce quod priùs inſonuit per Prophetarum oracula, nobis nunc in ipſa loquitur opera: *Peccator qua die converſus fuerit & ingemuerit, omnia peccata ejus non recordabuntur.* Lætus itaque quod ſe ſolutum ſenſerat, ſed ſollicitus quomodo cuſtodum vigilantiam evaderet, omnem ſalutis ſuæ confidentiam beati Patris Cuthberti commiſit patrocinio. Nec mora, cuſtodibus ad alia occupatis, & nil tale ſuſpicantibus, fugæ ſibi locum permiſſum eſſe perſpexit: compedes quantocius excuſſit, atque curſu rapidiſſimo Monaſterium intravit; oppoſitiſque ſeris januas omnes ipſe ſolus ab intro firmavit. Caſu quidem evenerat, cùm poſt Primam egreſſis Fratribus illò veniret, ut nullum intus inveniret. Quod inter milites Comitis (nam & ipſe in eadem villa tunc erat) ubi auditum eſt, continuò quidam, Barewith nomine, qui omnes in curia poteſtate præceſſit, uſque ad Monaſterii januas illum inſequebatur. quas cùm obſeratas, illumque intus eſſe advertit; nimio mox furore accenſus, Quid, inquit, moramur? quare januas non infringimus? Neque enim hujus hominis mortui pax adeo eſt tenenda: ut fures, raptores & homicidæ huc ſi confugerint, nobis inſultent, quòd impuniti evaſerint. Sic miſer ille ore loquebatur contumelioſo. furoris enim magnitudo effecerat, ut quid loqueretur ignoraret ipſe. Sed vix verba compleverat, ecce ſubitò quaſi ſagitta deſuper veniens, caputque ſibi tranſverberans, ad cor uſque ſuum pertingeret, ſibi viſum eſſe proteſtabatur. Nec plura locutus, in terram corruens volutabatur: ſicque gemendo, ululando, dentibuſque ſtridendo, quàm graviter cruciaretur, tam audientibus, quàm intuen-

intuentibus patefecit. Denique à ſuis ad hoſpitium deportatur, nec unum poſtea verbum proloquens in eiſdem tormentis ad diei tertii eamdem uſque horam ſupervixit. Sed & illo tandem ita defuncto atque ſepulto, talis tantuſque de tumulo ipſius fœtor per dimidii ſpatium anni exhalavit, ut viæ tranſitum per id loci omnes fugerent. Hoc ergo exemplo Comes ipſe cum ceteris omnibus, quibus hæc longè latéque tunc innotuerant, perterritus, non hunc ulteriùs capere præſumebat, ſed poſtea non parum honorare incipiebat. Tum omnes quoque qui ut à Monaſterio abſtraheretur, ſe vel ſaltem conſenſiſſe meminerunt, ſimilem ſibi metuentes ultionem, collata de rebus ſuis auri & argenti gemmarumque non modica quantitate, ſuper beatiſſimi Confeſſoris ſepulcrum offerebant, multis cum lacrymis implorantes veniam, & nil tale ulteriùs ſe præſumturos jurantes. Mox itaque ex hac ipſorum oblatione mirifici operis crux & incomparandi pretii textus Evangeliorum auro gemmiſque perornantur: quæ in eodem Monaſterio ad hujus facti monimentum, uſque in præſens ſervantur. Hæc quoque ſic geſta fuiſſe ut ſcribimus, à Fratrum, qui videre, & ipſius ore, qui ſic evaſerat, non ſemel audivimus. CIRC. ANN. DCCC LXXV.

XVIII. *Quomodo quidam à moleſtia ſerpentis in eccleſia Sancti ſit ſanatus.*

FUIT & alius quidam pravæ actionis vir, nomine Oſulfus, qui die quadam, ubi in campo obdormiens expergefactus fuerat, ſerpentem ſibi collum ſtringere ſentiebat. quem mox ad terram comprehenſum manu elidit: ſed mox iterum ejus collum complexus circumdedit. rurſus eum ad terram projecit: ſed eodem mox momento ab eodem conſtringebatur. Ita ſerpentem ſive in ignem, ſive in aquam, vel in terram ſemper projicere potuit: ſed qualiter mox in ſuum collum redierit, ſcire non valuit. Aliquoties etiam in particulas ferro conſuevit dividere: ſed protinus idem ipſe ſerpens collum ejus videbatur conſtringere. Et primis quidem parvus erat, ſed paullatim in majus & majus excreverat: nec tamen ulla eum veneni infuſione lædebat. Quoties autem eccleſiam quam ſanctiſſimi Confeſſoris Cuthberti corporis præſentia illuſtrat, intravit, mox in ipſo introitu ſerpens eum dimittebat: nec quamdiu in eccleſia morabatur, ad eum accedere audebat: cùm verò exiret, protinus collum ejus complectens ſtringebat. Itaque dum per multum tempus tale ſuſtinuiſſet incommodum, invento tandem ſalubri conſilio, tribus continuè diebus & noctibus in eccleſia orans perſtitit: & poſtmodum exiens à ſerpentis complexu liberatus eſt.

XIX. *Qualiter quidam afflictus ſit qui furtum de oblatione ſepulcri ſancti viri fecit.*

EODEM tempore quidam ad ſollemne ſanctiſſimi Confeſſoris feſtúm cum Domino ſuo venerat: qui cùm ſuper ſepulcrum oblatione advenientium multitudinem denariorum conſpiceret, furtum animo concepit. Itaque acceſſit, & adſtantes fallendo, dum quaſi ſepulcrum oſcularetur, quatuor vel quinque nummos ore attraxit. Nec mora os illius intus cœpit ardere: adeo ut (ſicut poſtea fatebatur) ferrum ex igne candens in ore ferre videbatur. Reſpuere nummos volebat, ſed nec aperire os poterat. Cùm ita intolerabili cruciatu torqueretur, huc atque illuc per eccleſiam intus diſcurrebat, atque omnes, dum inſanire putabatur, in pavorem convertebat. Tandem per medium populi prorumpens de eccleſia, de loco ad locum ſe inceſſabiliter curſibus ferebat, & cùm ore non poſſet, horrendis motibus & nutibus graviter ſe cruciari cunctis oſtendebat. Ad ultimum reverſus in ſe, ad ſepulcrum concitè recurrit, & proſtrato corpore tota cordis intentione veniam à Sancto quæſivit, res quaſcumque habuit obtulit. Cúmque jam ſuam ſuper ſepulcrum oblationem

Circa ann. DCCCLXXV ponens illud oſcularetur, cum ipſo oſculo de ipſius ore nummi ſuper ſepulcrum ceciderunt. Taliter ab illo cruciatu liberatus, confeſtim equum adſcendens quantocius abire feſtinavit: nec unquam poſtea Dunelmum rediit. Nam cùm ei ſæpius à domino ſuo multa fuiſſent oblata, ut ſecum illo veniret, non ſolùm non venire, ſed nec tam prope ut eccleſiam videret, auſus eſt accedere.

XX. *Qualiter domum ſint repulſi, qui ad delendam ſancti Cuthberti populum ſunt directi.*

anno 1069. ANNO ab Incarnatione Domini milleſimo ſexageſimo-nono, ex quo corpus beati Cuthberti in Dunelmum ab ALDUNO eſt perlatum ſeptuageſimo-quarto, tertio regni ſui WILLELMUS Rex Anglorum quemdam RODBERTUM, cognomine Cumin, populis Northanhimbrorum Comitem præfecit. qui cum ſeptingentis hominibus Dunelmum veniens, & ubique per domos hoſtiliter agens, occiſus eſt ibi cum ſuis omnibus, præter unum qui vulneratus evaſit quinto Kalendas Februarii. Unde Rex offenſus, Ducem quemdam, qui ejus mortem ulciſceretur, cum exercitu direxit. Cùm autem ad Alvertonam veniſſent, & jam mane facto Dunelmum profecturi eſſent; tanta nebularum denſitas eſt orta, ut vix adſtantes ſeſe alterutrum videre, viam verò nullo modo valerent invenire. Stupentibus illis quid hoc eſſet, & conferentibus invicem quidnam facerent; affuit qui diceret, homines illos quemdam in ſua urbe Sanctum habere, qui eis in adverſis ſemper protector adeſſet: quos nemo umquam impune illo vindicante lædere valeret. quibus auditis, ad propria ſunt reverſi.

XXI. *Quomodo fugientibus cum ſancto corpore mare, cùm eſſet plenum, ſiccum iter præbuerit.*

REGE autem WILLELMO eodem anno Eboracum veniente cum exercitu, & omnia circumquaque vaſtante, Epiſcopus EGELWINUS & majores natu habito invicem conſilio, incorruptum ſancti Patris corpus ſeptuageſimo-quinto anno, ex quo ab Alduno in Dunelmum eſt perlatum, tollentes, ad Lindisfarnenſem eccleſiam fugere cœperunt. Et prima quidem nocte, in eccleſia beati Pauli in Gyrvum, ſecunda in Betlintum, tertia in loco, qui Tughala dicitur, manſit, quarto die ad ipſius inſulæ aditum comitante omni ejus populo pervenit. Sed quoniam illò circa veſperam venerant, qua videlicet hora ſecundùm tempus ſuum circumquaque plenum erat mare, Epiſcopo & quibuſque majoribus ſexui infirmiori & teneriori ætati condolentibus & congemiſcentibus, ne frigore hiemis, quæ ſolito aſperior ingruerat, omnes nocte illa periclitarentur, (erat enim paullo ante natale dominicum) ecce ſubitò mare ſiccum eis introeundi aditum illo tantùm loco recedens permiſit, cùm circumquaque pleniſſimum fluctuaret. Mox omnes ingreſſi, Deo & beatiſſimo Confeſſori laudes decantantes ſiccis pedibus cum ſacro ſui Patroni corpore inſulæ litus attingebant. Hoc quoque in illo facto valde fuit mirabile, quod fluctus marini præcedentes continuò ſequerentur, ita ut nec paullatim euntibus præcurrerent, nec concitè pergentibus diutiùs remanerent, ſicut atteſtati ſunt qui tunc ibi feretrum portabant. Inſtante autem Quadrageſima, tranquillitate reddita, ſacrum corpus Dunelmum reportaverunt: atque reconciliatâ ſollemniter eccleſiâ, octavo Calendas Aprilis ſuo in loco illud repoſuerunt.

Circ. ann. DCCCLXXV.

XXII. *Qualem in hac fuga quidam ex Clero Dunelmenſis eccleſiæ viſionem viderit.*

IN fuga memorata quidam ultra amnem Tinam præpotens Gillomichaël, per contrarium id eſt puer Michaëlis appellatus, (nam rectiùs puer diaboli nuncuparetur) multas fugientibus injurias irrogavit, iter illorum impediendo, ipſos affligendo, prædas ex eis agendo: & quodcumque mali poterat faciendo. ſed non impunè. Locato enim in inſula ſancto corpore, quidam ex Clero provectæ ætatis ab Epiſcopo domum remittebatur: ut videlicet, qualiter ſe res circa Dunelmum & illam eccleſiam haberet, diligenter exploraret. Ubi aliquantulum viæ peregerat, incumbente jam nocte paullulum in medio campo requieſcens obdormivit: ubi manifeſtam de interitu præfati viri viſionem vidit: quam (ſicut ex illius verbis frequenter audierunt plurimi) ita hic ex ordine ſcribendam judicavi. Ductus, inquit, Dunelmum, in eccleſia (ut mihi videbatur) adſtabam, ubi duos ſummæ auctoritatis viros ante altare verſis ad Orientem vultibus adſiſtere vidi: alter ætatis mediæ vir epiſcopalibus ſollemniter veſtimentis indutus, habitu venerando, & vultu venerabili, magnæ reverentiæ Pontificem ſe monſtrabat: alter à dextris ejus adſiſtens rubicundi coloris pallio circumamictus, facie paullulùm producta, barba admodum tenui, ſtatura procera, pulcherrimi juvenis formam gerebat. Poſt aliquod intervallum temporis, reflectentes ab altari oculos per eccleſiam vertunt: cujus deſertionem quaſi graviter ferens Epiſcopus ait: Væ tibi, Coſpatrice, væ tibi, Coſpatrice, eccleſiam meam ſuis rebus evacuaſti, & in deſertum convertiſti. Hic enim Coſpatricus hoc maximè conſilium dederat, ut fugientes eccleſiam relinquerent: & ipſe maximam ornamentorum ejus partem ſecum adduxerat. Interea dum cupiens ad illos accedere nequaquam auderem, juvenis ille digito innuens moderata voce me nomine meo advocavit: & an noſſem quæ eſſet illa pontificalis perſona, interrogavit. Cui cùm me neſcire reſponderem: Iſte, ait, eſt tuus Dominus, ſanctus videlicet Antiſtes Cuthbertus. Confeſtim ad pedes ejus procidi, obſecrans ut ſuæ eccleſiæ atque ſuis miſeriis ſubveniret. Aliquanto pòſt inclinatis reverenter ad altare capitibus, lento inde maturoque inceſſu ſimul procedebant: atque ubi ad oſtium pervenerant, juvenis ille prior egrediens, paullulùm proceſſit: ſed Epiſcopus in ipſo oſtio ſubſtitit. qui reſpiciens, meque, qui à longè ſequebar, advocans: Dic, inquit, Ernane*, an noſti quis ſit juvenis iſte? Cui ego: Domine, inquam, non novi. Et ille: Hic eſt, inquit, ſanctus Oſwaldus. Inde ſimul ad auſtralem plagam urbis paullò longiùs progredientes ſubſiſtunt. quò & ego vocatus ab Epiſcopo veni: juſſuſque deorſum reſpicere, vallem infinitæ profunditatis plenam animabus hominum vidi. Ubi & memoratus Gillomichaël pœnis atrocibus cruciabatur, in locis enim teterrimis proſtratus jacebat: & fænaria falce præacuta ultra citraque transfoſſus intolerabiles patiebatur cruciatus. Clamabat miſer, & diros ululatus ac flebiles miſerabiliter voces ſine intermiſſione emittebat. Nulla erat miſero temporis intercapedo, qua à pœna ad horam reſpirare potuiſſet. Similes cruciatus & ceteri omnes patiebantur. Inquiſitus à ſancto Cuthberto an aliquem ibi agnoſcerem; reſpondi me ibidem agnoviſſe Gillomichaëlem. Et ille: Verè, ait, hic eſt ipſe. Mortuus namque his miſeriis & doloribus eſt deputatus. At ego: Domine, inquam, non eſt mortuus. Sero namque in domo ſua ſanus & incolumis epulatus eſt: grandeque convivium nunc illis & illis locis præparatum eum exſpectat. At ille: Et ego, inquit, dico, mortuus eſt. Ipſe enim & alii quos cum eo vidiſti, quoniam pacem meam fregerunt, & mihi in meis injurias fecerunt; hos cruciatus & hæc tormenta compelluntur ſuſtinere. His dictis evigilavi: ſtatimque adſcendens equum, hortatus ſum ſocios ut mecum feſtinarent. Mirantibus illis cauſam tam ſubitæ feſtinationis,

Turgot. lib. 3. c. 36.

* al. Ernave

Circ. ann. DCCCLXXXV. præfatum hominem mortuum, & à quo illius mortem audierim indicavi. quod illi credere noluerunt, & me, quia credidi, deriſerunt. Itaque tota nocte pergentes, mane facto divertimus parumper de via ad proximum audituri Miſſam. Interrogatus quos rumores afferrem, prædicti hominis mortem nuntiavi. Illi, quia pridie ſanum noverant, falſum me dicere reſpondebant. ſed mox quidam ex illius familia advenientes, dominum ſuum ipſa nocte mortuum nuntiabant. Ego autem diligenter coram omnibus horam mortis ejus inquirens, eadem noctis hora eum mortuum inveni: qua illum horrendis cruciatibus traditum, ſancto Cuthberto mihi oſtendente, conſpexi. Cujus tormenta intolerabilia Comiti Coſpatrico, ſed & ea quæ de illo audieram dum referrem, pavenſque ille mox intremuit: nudiſque pedibus ad inſulam, ubi ſanctum corpus fuerat, incedens, veniam eorum quæ in eum deliquerat, precibus & muneribus petivit. Verumtamen poſtea numquam ei fuerat qui priùs ſtatus honoris. Expulſus enim de Comitatu: multas quamdiu vixit adverſantium rerum importunitates & afflictiones pertulit.

XXIII. *Quid* EGELVVINO *pro ſua ad eccleſiam ſancti Cuthberti infidelitate in fine contigerit.*

ibid. c. 17. REPORTATO in Dunelmum (ſicut jam dictum eſt) beatiſſimi Patris corpore, EGELVVINUS quinto-decimo ſui epiſcopatus anno partem theſaurorum eccleſiæ aſportans, Angliam relicturus navem adſcendit. Sed vento repulſus in Scotiam, & pòſt ab hominibus Regis captus apud *Ilg*, ad Abendunam perducitur, ibique ex Regis præcepto diligenti cuſtodia tenetur. Admonitus frequenter reddere quæ de eccleſia tulerat; nihil ſe inde accepiſſe juramento affirmabat. Sed dum quadam die manducaturus manus lavaret, ex illius brachio armilla uſque ad manum cunctis intuentibus delabens, manifeſto perjurio notavit Epiſcopum. Itaque Rege jubente in cárcerem detruditur: ubi dum ex nimia cordis anxietate comedere nollet, fame ac dolore
*anno 1070 moritur *.

XXIV. *Quid* WILLELMO *Regi per ſuos explorare volenti incorruptionem ſancti corporis, quidque pòſt ſuo legato ad gravamen populi ſancti Cuthberti miſſo acciderit.*

TEMPORE WALCHERI Epiſcopi, primi ex ordine clericali [a] Dunelmenſis eccleſiæ Epiſcopi, excepto quodam ſimoniaco poſt aliquot menſes mortuo, Rex prædictus Willelmus de Scotia quo cum exercitu ierat rediens, Dunelmum intravit: & diligenter interrogans, an corpus beati Cuthberti ibidem requieſceret, cunctis vociferantibus & jurantibus illud ibi haberi, credere noluit. Decrevit ergo rem viſu explorare: habens ſecum Epiſcopos & Abbates, qui eo jubente id deberent perficere. Jam enim diſpoſuerat ut ſi ſanctum corpus ibi inventum non eſſet, nobiliores & natu majores univerſos obtruncari præciperet. Omnibus itaque paventibus & miſericordiam Dei per ſancti Cuthberti merita implorantibus, in ipſa omnium Sanctorum feſtivitate, prædicto Epiſcopo Miſſam celebrante, Rex cùm id quod animo conceperat, jam jamque perficere vellet, repentè nimio calore cœpit æſtuare, & æſtuando fatigari, ut vix tolerare tantum calorem potuiſſet. Feſtinans ergo de eccleſia exire, relictoque quod ingenti copia præparatum fuerat convivium, equum confeſtim adſcendit, & quouſque ad Teſam [b] veniret, incurſum agere non ceſ-

[a] Ergo ante eum omnes fuerant Monachi, et in Cantuarienſi eccleſia & pleriſque aliis Simoniacus, de quo mox, vocabatur Eadredus, teſte Turgoto in lib. 3 cap. 9.

[b] Teſa fluvius, vulgò *Tees*. Turgoto memoratus in lib. 1 cap. 2, 5 & 19, Dunelmenſem Epiſcopatum dirimit à parte auſtrali, ſeu à provincia Eboracenſi.

ſavit. Quo indicio: magnum Dei Confeſſorem Cuthbertum, ibi requieſcere fatebatur. CIRC. ANN. DCCCLXXV.

Poſt tempus aliquod, quemdam vocabulo Ranulfum illò miſerat, qui ipſius Sancti populum Regi tributum ſolvere compelleret. quod illi graviter ferentes, conſuetum in adverſis ſancti Cuthberti auxilium poſtulabant. Nocte igitur qua finita tributum populo erat impoſiturus, beatus Cuthbertus ei per ſomnium adſiſtens, baculo paſtorali, quem manu geſtabat, illum impulit; & auctoritate pontificali & vultu minaci increpavit, quod illic ad populum ſuum affligendum auſus fuerit venire, dicens quòd non impunè hoc præſumſerit; & niſi citò recederet pejora paſſurus eſſet. Itaque de ſomno evigilans, tanta detinebatur infirmitate, ut nullo modo poſſet de lecto reſurgere. Mox coram omnibus quæ viderat & audierat, narravit; & ut pro ſe apud ſanctum Confeſſorem intercederent humiliter rogavit: deinceps nil tale in ejus populum præſumturus, ſi modò evaderet vivus. Mittens ergo ad ſepulcrum ejus pallium, ſe illi & ſuis fidelem ac devotum ſervum fore promiſit: ſi nunc & culpam, & culpæ pœnam ſibi dimittere dignaretur. Verùm invaleſcente infirmitate per diverſa Epiſcopatus loca in feretro ſe circumferri fecit: reatumque ſuum & vindictam omnibus ubique oſtendit. qui quamdiu in locis ad Epiſcopatum pertinentibus morabatur, gravi jugiter ægritudine laboravit: cùm verò ea derelinquens ad propria remeare cœpiſſet, confeſtim ab infirmitate convaluit.

XXV. *Quomodo quidam furtum, quod in Monaſterio ejus perpetraverat, ipſe prodidit, ſicque ibidem mirabiliter interiit.*

POST deteſtabilem omnibuſque notiſſimam Walcheri [a] Dunelmenſis Epiſcopi occiſionem cum Rex glorioſus idem Willelmus ad vindicandam tanti facinoris immanitatem exercitum direxiſſet, omnes mox illi præſumtores & homicidæ ſilvis ſe ac montibus abdiderunt. At verò vulgus omne in ſua confidens innocentia, (ſicut ſcriptum eſt, *Juſtus ut leo confidit*) ſolitum ſibi cunctiſque probatum anguſtiis, beatiſſimi Confeſſoris petiit patrocinium: & conſueto ſibi more res ſuas in ipſius comportavit Monaſterium. Interea quidam ex his qui erant in caſtello, genere quidem Francigena, cùm tot inibi arcas nullo cuſtodiente conſpiceret: (cuſtodes enim in interioribus Monaſterii, quæ ſui erant miniſterii, non iſta curabant, nec etiam quamvis alibi rapientes & furantes aliqui regionis illius indigenæ, templa Dei temerare præſumunt) ſpiritu deceptorio mox actus, aptum ibi furandi locum tunc ſe reperiſſe arbitrabatur. Igitur notata nocte quadam qua hoc opportunè perageret, à cuſtodibus Monaſterii ut ſecundùm morem patriæ inibi vigilandi licentia ſibi concederetur, eò quòd hoc Deo voviſſet, rogavit. At illi nil mali in eo ſuſpicantes; quod omnibus conceditur devotis, ipſius quoque, quam ſimulabat, devotioni libentiſſimè annuunt. Ille autem accepta licentia, per intempeſtæ noctis ſilentia, quando gravior eſt ſomnus, cùm cuſtodes dormire perſpiceret: furtum quod improba mente conceperat, malè devotus opere adimplebat. Sed paucis inde revolutis diebus, cùm nec alicujus furti loco illo perpetrati vel ſaltem ſuſpicio haberetur, (nam ut diximus in eccleſia furtum facere nullus ibi præſumit) ægritudine graviſſima & repentina ille corripitur, & tamquam igne ferventiſſimo decoquitur. Hac ille ardoris magnitudine in mentis inſaniam verſus, lecto exſilivit, & ut in ſola erat camiſia, curſu rapidiſſimo campum adiit, ſuumque illic qui paſcebatur equum adſcendens, in Monaſterium ante ipſum Crucifixum cum impetu magno venit, ululans horribiliterque proclamans: Miſerere mihi, & parce, ſancte Cuthberte. ſed quoniam non vis ſcio: quia & hæc, & hæc (nominavit enim ea quæ tulerat) in Monaſterio

[a] Walcheri cædem refert Turgotus in lib. 3 cap. 14. poſt annos regiminis novem, quos ab anno MLXXII repetit cap. 18.

CIRC. ANN. DCCC LXXV. tuo furari præſumſi. Talia in Monaſterio huc & illuc diſcurrendo atque inſaniendo dum ſine intermiſſione vociferaret, invitus inde ad hoſpitium abducitur, loriſque fortibus conſtringitur: quoniam quidquid ore vel manibus apprehendere poterat, velut canis dilacerabat. qui cùm tres ſive quatuor noctes in tali tormento agens, ab hora in horam magis magiſque inſaniret; tandem, qualiter neſcio, à vinculis erumpens, in Monaſterium furiis agitatus concurrit. Corruit quoque mox coram dilecti Deo Confeſſoris tumba: & dum chorus *Te Deum laudamus* (nam nocturnæ laudes interim agebantur) perſonaret; ille ululando & horribiliter clamando eadem quæ ſuprà poſuimus, frequenter iteravit, his quoque alia quædam ſuper adjiciens. Nam cùm clamaret; Miſerere mihi, ſancte Cuthberte, adjecit: Sed quia non vis ſcio, poſtquam tuo baculo me tam graviter impuliſti. Fatebatur enim hunc ſanctiſſimum Confeſſorem nocturna viſione ad ſe veniſſe, magnaque indignatione tres ſibi graves inflixiſſe ictus: quorum dolore ad cor ſuum jam ingrediente ad mortem torquereretur. Hæc atque hujuſmodi plura, dum veſanis motibus atque clamoribus frequentaret, in eodem loco mox toto corpore contrahitur, miſeraque illius anima æternaliter arſura inde abſtrahitur.

XXVI. *Quomodo poſt quadringentos decem & octo annos corpus ſancti Cuthberti incorruptum ſit inventum, & in novam eccleſiam translatum.*

INTER miraculorum opera non eadem apud omnes tam de præſentia ſacri corporis beati Cuthberti, quàm de incorruptione habebatur opinio. Alii namque illud multo ante hanc ætatem vi quadam occulta * aliò tranſlatum, vanis ſibi conjecturis ſomniabant, atque ſepulcrum, licèt nunc talis depoſiti careat commendato, non tamen evacuari virtutum gloria: ſed ad indicium priſtini inhabitatoris nunc quoque celebriter effulgere miraculis. Alii autem ſacras quidem reliquias ibidem contineri, ſed humani corporis compagem per tot ſæculorum volumina indiſſolutam permanere, jura dicebant excedere naturæ. Et licèt virtus divina omnibus quod vult, & quomodo vult imperet naturis, hanc tamen in hujus corporis incorruptione, nullius, qui vel manu vel viſu exploraſſet, teſtimonio ſibi patêre. atque ideo difficile ſibi de hoc quàmlibet ſancto corpore credere inexpertum, quod rarò pauciſſimis aliorum Sanctorum corporibus noverant conceſſum. Taliter his ablationem ſancti corporis conjectantibus, illis incorruptionem non admittentibus, affirmantium illud & adeſſe, & incorruptum perdurare; Fratrum fidei detrahebatur: ideoque pudor aliquantiſper anxius ingerebatur. Quapropter ipſi Fratres mentibus ad Deum ac precibus converſi orabant, ut qui eſt mirabilis in Sanctis ſuis, hic ſeſe oſtenſione tantæ virtutis mirabilem oſtenderet, & dubium indubiis indiciis, nomini ſuo dans gloriam, excluderet.

* al. occultè

Interea eccleſia, quam quondam WILLELMUS Epiſcopus fundaverat, non parva ex parte perfecta, venerabile Patris Cuthberti corpus in hanc fuerat transferendum, & dignæ venerationis gratiâ in loco quem ſtudioſa manus adaptaverat artificum, decenter recondendum. Imminente itaque quarto Kalendas Septembris, die ſcilicet qui ad ſollemnem tranſlationem fuerat præfinitus, inierunt conſilium Fratres, ut quoniam nemo ſuperat qui experimentum edoceret, ipſi (quantum Deo permittente liceret) qualiter circa corpus ſanctum ſingula compoſita, qualiter ordinata eſſent, explorarent; atque ad id die venturo tranſportandum, quæque digna & convenientia viderentur, maturiùs præpararent: ne videlicet cum hora feſtivæ proceſſionis inſtiterit, aliqua ex improvidentia difficultas impedimentum faciat, atque ex mora exſpectationi univerſorum qui advenerint ingrata, agendis ſollemnibus obſequiis fiat injuria. Juſſi ergo Fratres numero novem, adjuncto ſibi Priore ipſius eccleſiæ

TURGOTO[a], qui jejuniis & obſecrationibus ad hoc ſeſe præparaverant, nono Kalendas Septembris, noctis initio, ante venerabile ſepulcrum proſternuntur: effuſiſque lacrymis & precibus, manus non ſine timore ac tremore apponunt, ut illud aperiant. Quo tandem inſtrumentis ferralibus patefacto, inveniunt ſtupentes arcam, quam ex omni parte diligenter parata, claviſque affixa ferreis coria totam obduxerant. quæ videlicet arca pondere ſui & magnitudine aliis quoque quibuſdam indiciis facilè dabat intelligi, intra ſua clauſtra loculi alterius depoſitum continere. Sed hanc aperire cùm diu timore impediente dubitarent, ſuprà nominato Priore bis terque jubente, confiſi obedientiæ virtute incœptum opus repetunt: ac diſſolutis ferreis ligaminibus arcam quandoque aperiunt. Vident introrſus poſitum loculum de ligno, quem groſſior de lino triplicis texturæ pannus undique circumdederat, ad menſuram ſtaturæ virilis longum, ejuſdemque generis tabulâ coopertum. Hærebant diu: non enim ſatis elucebat, utrum ipſum ſancti corporis hoſpitium eſſet: an & aliud adhuc ſacras continens reliquias intra ſe domicilium contineret. Tandem in ſe reverſi, memores dictorum Bedæ, qui corpus ſancti Cuthberti à Fratribus quondam Lindisfarnenſis eccleſiæ poſt undecim ſepulturæ annos incorruptum inventum, atque ſupra pavimentum dignæ venerationis gratiâ reconditum deſcribit: horum, inquam, dictorum reminiſcentes, hanc eandem eſſe arcam animadvertunt, quæ per tot annos tantum cæleſtis depoſiti theſaurum conſervaſſet. Pariter ergo corruentes in terram, orabant ſuppliciter, ut ſua beatus Cuthbertus interceſſione à ſe iram omnipotentis Dei averteret, ſi hanc aliquatenùs ex præſumptione meruiſſent. Inerat eis gaudium miſtum cum pavore: quia etſi ex audacia tenuiſſent offenſam, ex certitudine tamen tanti muneris ingentem conceperant lætitiam.

Agente itaque gaudio reſolvuntur in lacrymas; & gratiarum actione Domino reddita deſiderio ſuo ſatisfactum reputabant. Unde ad ipſa ſacri corporis ſecreta altiùs perſcrutanda manus admovere videbatur temeritas: quam (ut putabant) ſecutura divinitus ultio nullo modo relinqueret impunitam. Remiſſa ergo intentione ulterius quidquam perquirendi, tractabant viciſſim, quo & quàm congruo apparatu futuræ tranſlationis die corpus debuiſſet aſportari. Porro inter alios ibidem aderat quidam magnæ in Chriſto conſtantiæ Frater, qui eam, quam nomine prætendebat, per effectum gratiæ caritatem conſecutus fuerat. Vocabatur enim LEOFVVINUS, quod Anglorum linguâ dicitur Carus-amicus: ipſe utique carus Deo amicus, & Deus illi. Patrem namque illius ſe fuiſſe Deus oſtendit, continua illum infirmitate caſtigando: ille filium Dei ſe fuiſſe oſtendit, flagella Dei patienter tolerando, & gratias ſemper agendo. Cujus converſationem vitæ quicumque noverat, ſanctum in illius pectore ſpiritum requieſcere dubitare non poterat. Is cùm videret Fratres trepidantes inventum aperire loculum, & quid gratiæ cæleſtis, quid novæ exſultationis ſibi offerret, introſpicere; accedens in medium, & ferventiori quàm ſolitus fuerat ſpiritu proloquens, Quid agitis, inquit, Fratres? quid timetis? Bonum ſemper illa actio finem merebitur, quæ Deo auctore inſpirata inchoatur. Dat nobis ſpem inveniendi, qui dedit voluntatem inquirendi: atque ea, quæ huc uſque ſine difficultate peregimus, indicio ſunt, quid boni de hoc quod reſtat agendum, ſperare debeamus. Numquam tam proſperè nobis ceſſiſſent initia, ſi hæc uſque in finem perducere diſpoſitio nollet divina: nec umquam à Deo arguetur temeritatis, quod procedit ex animo devotionis. Neque enim ex contemtu vel ex diffidentia ſanctitatis ejus aggredimur illius explorare reliquias: ſed ut virtutum Dominus, ipſe Rex gloriæ, eo devotiùs ab omnibus glorificetur: quòd his temporibus ſublimiùs ex ejus virtute miraculum monſtretur. Proinde ſacri hoſpitii videamus interiora: quatinus de hoc

Circ. ann. [illegible]

[a] Aldvvino Priori apud Dunelmum ſucceſſit anno MLXXXVII Turgotus, ex hujus hiſtoriæ lib. 4 cap. 7.

Circ. ann. DCCCLXXV. quod viderimus oculis noſtris, quod perſpexerimus, quod manus noſtræ tractaverint, nobis conſtanter atreſtantibus, nullum detrahentibus nobis relinquamus argumentum, quo id quod aſſerimus, deinceps poſſit eſſe ambiguum.

Hac viri Deo devoti admonitione Fratres reſumtâ fiduciâ, venerandum corpus de poſt altare, ubi eatenus jacuerat, in medium chori detulerunt, ubi largioris loci ſpatio quod res poſceret, licentiùs agere vellent. Ibi ablato quod locellum obtexerat velamine, nôn ſtatim auſi ſunt aperire: ſed cum candelis circumeontes diligenter explorarunt, ſi per aliquas fortè rimulas, vel aliud quodlibet indicium, quid intrinſecùs lateret, deprehendere potuiſſent. Sed cum hæc agentibus nil certum pateret: tandem amoto, licèt paventes, operculo, vident librum Evangeliorum ad caput ſupra tabulam poſitum, ipſamque tabulam tribus per tranſverſum poſitis ſuſtentari ligneolis: quæ ad menſuram loculi in latum & longum ſeſe oſtendens, ea quæ ſubter erant univerſa cooperuerat. Habuerat enim immiſſos ſibi duos, unum à capitis, & alterum à parte pedum ex ferro circulos, per quos hanc levantibus nullum difficultas faceret impedimentum. Certum erat ſub manibus eſſe quod quærebant: ſed utrum id inter manus tractarent, incertum habebant. Inerat namque illis ex amore deſiderium videndi atque tractandi quod dilexerant: ſed ex conſcientia peccatorum timor illos ne id auderent, repellebat. Ita inter hæc duo dubii pendebant, ut pæne neſcirent quid magis vellent. qui taliter titubantes, juſſione Prioris & hortatione Fratres prædicti roborati, tabulam quandoque levant: ablatoque quod proximè poſt tabulam cooperuerat ſacras reliquias linteamine, ſuaviſſimi odoris fragrantiam naribus trahunt. Et ecce beati viri venerabile corpus, ſcilicet fructum deſiderii ſui, reperiunt: quod in dextro latere jacens tota ſui integritate artuumque flexibilitate dormientem magis repræſentabat, quàm mortuum. Quo viſo, pavore percelluntur ingenti: & paullo longiùs recedentes, non auſi ſunt quod parebat, intueri miraculum.

Cœperunt flexis crebrò genibus pectora pugnis tundere, & oculis cum manibus in altum levatis, ſæpius inclamare: Miſerere noſtri, Domine, miſerere noſtri. Interdum id quod ſinguli viderant, aeſi non vidiſſent, ſibi viciſſim nuntiare. Proſtrati toto tandem corpore, lacrymis ubertim fluentibus, ſeptem pænitentialibus Pſalmis ſupplicant Dominum, ne in furore ſuo eos argueret, neque in ira ſua illos corriperet. quibus finitis, genibus ac manibus potiùs reptando, quàm pedibus incedendo accedentes, tot Sanctorum reliquias ibidem conſpiciunt, ut eas illius loculi anguſtia capere non potuiſſet, niſi ſanctum Patris corpus in latus, ut dictum eſt, decumbens largius eis unà ſecum quieſcendi ſpatium hinc & inde permitteret. Quas profectò reliquias, ut in veteribus libris legitur, conſtat eſſe caput glorioſi Regis & Martyris Oswaldi, oſſa quoque venerabilium Confeſſorum Chriſti ac Sacerdotum, Aidani videlicet, & ſucceſſorum ipſius venerandi Patris Cuthberti; ſcilicet Eadberti, Eadfridi, & Etelwoldi. Præterea & oſſa venerabilis Bedæ, qui vitam beati Cuthberti dilucidè conſcripſerat, unà cum illius corpore hoſpitium quietis habuerant[a]: quæ pariter continebat ſacculus de lino. A quo autem de Gyrvum, ubi poſt illius obitum ſepulta fuerant, illuc tranſlata ſunt, alibi planè habetur ſcriptum *. Qui enim oſſa beati Boisili, ipſe & Doctoris Bedæ ſibi revelata in Dunelmenſem eccleſiam comportavit: ſed diverſis in ejuſdem locis eccleſiæ ea collocavit. Aliorum quoque Sanctorum plurimæ ibidem reliquiæ ſunt repertæ.

* ſuprà cap. 14.

Voluerunt ergo ſanctum corpus Patris ex latere verſum reſupinare; ſed

a Vvillelmus Malmeſburienſis, qui hac de tranſlatione agit ſub finem libri 3 de Pontificibus Anglorum, addit etiam *oſſa S. Celvulſi, qui apud Lindiſfarnum Monachus & Sanctus ex Rege fuit*, de quo in Sæculi 3 parte 1.

quia

quia hoc propter circumpoſitarum multitudinem reliquiarum commodè non poterant; placuit, ut amoto inde paullulum ſancto corpore, Sanctorum reliquias pariter congregarent: eiſque ſeorſum repoſitis, ſuam deinceps ſingulariter quietis ſedem corpus incorruptum ſervaret. Sed cùm ad illud contingendum manus formidarent apponere, orationibus Fratris ſuprà nominati animos reſumunt, ut ad omne, quod majores juſſerint, prompti obedire adſiſtant. Cùm ergo duo quibus juſſum fuerat, unus à capite, alter à pedibus venerabile corpus de loco ſuæ dormitionis elevarent; cœpit illud, quaſi adhuc vivens, per medium inflecti, carneque ſolidum & oſſibus pondere naturali ad ima demergi. Protinus ex præcepto accurrens tertius, brachiis complexus eſt medium: ſicque illud, ſubſtratis tapetiis ac palliis, reverenter in pavimentum deponunt. Quæ tunc illorum omnium lacrymæ, quas magnitudo effuderat lætitiæ, quæ voces gratulationis, quæ laudes exſultationis, cùm jam ante oculos hunc gratiæ cæleſtis haberent theſaurum, in cujus comparatione omne illis viluit aurum? Jam ſibi nihil defuturum reputabant: cùm in præſentiarum quaſi viventem cernerent, per quem ſibi largitas divina, & præſentis vitæ ſubſidia, & futuræ gaudia conferret. C. RE ANN. DCCCLXXV.

Interea reliquiis Sanctorum ablatis, ſuam in thecam Patris corpus repoſuerunt, ventura nocte condigniùs illud ac decentiùs locaturi: pro eo quòd jam tunc inſtante hora nocturnæ laudis, anguſtia temporis non patiebatur eos diutiùs immorari. Quapropter decantato humili voce *Te Deum laudamus*, corpus ſanctum illò unde tranſtulerant, in pſalmis jubilantes Domino retulerunt. Cùm autem mane facto, in cœtu Fratrum collecto, memoriam facerent mirabilium Dei; illi ex novitate rei primò in quemdam quaſi ſtuporem merſi, poſtea magis lacrymis, quàm vocibus conceptum ex hoc ſuæ mentis gaudium ſunt atteſtati, flexiſque in terram genibus gratias reddiderunt JESU-CHRISTO; qui eis & cujus meriti eſſet quem patronum habebant, oſtendere, & quid ſibi de meritis illius ſperare potuiſſent, dignatus ſit edocere.

At Epiſcopus non facilè his accommodans fidem, omnino judicabat incredibile, corpus quàmlibet ſanctum, tamen humanum, per tantum temporis, id eſt per quadringentos decem & octo annos, ab omni corruptionis labe intactum perdurare. cui vix aliquando ſatisfacere illi jurejurando poterant: qui etiam non jurando non verum dicere crimen ducebant. Nocte verò ſecuta, iidem, qui antè affuerant, Fratres in ſpiritu humilitatis & in animo contrito delatum rurſus in medium chori venerabile corpus ſuper pallia per pavimentum ſtrata ac tapetia deponunt: quod primo extrinſecùs pretioſi generis pallium, & poſt hoc ex purpura Dalmatica, deinde linteamina obvolverant, quæ omnia ſine ulla corruptionis macula integra & candida priſcam ſui novitatem reſervabant. Caſula autem, quam per undecim annos habuerat in ſepulcro, jam à Fratribus tunc inde ablata, alibi pro oſtendendo incorruptionis ſigno nunc ſervatur in eccleſia. Cùm ergo nervis ſolidum & ex integro incorruptum corpus viſu, & manibus tractando, levando, ac deponendo, certò percepiſſent, atque ſollemni apparatu curatum vidiſſent; ad ea quibus antea fuerat involutum ex abundanti pallium quod ceteris pretioſius in eccleſia poterat inveniri, ſuperaddiderunt ſindonem: quibus magna cum diligentia circumdatum in ſuæ quietis placidæ habitaculum cum multa precum & multa dulcium lacrymarum devotione repoſuerunt. Sed & alia, ſicut fuerant inventa, cum illo recondiderunt, pectinem ſcilicet eburneum, & forcipes ſuæ adhuc novitatis decorem retinentes; &, quæ Sacerdotem decebant, altare videlicet argenteum, & corporalia, & cum patena calicem quidem parvum, ſed materia & opere pretioſum: cujus inferior pars figuram leonis ex auro puriſſimo geſtat, dorſo lapidem onichinum arte pulcherrima cavatum: qui ex ſtudio artificis ita inhæret leoni, ut manu facilè poſſit in gyrum verti, nec tamen auferri. Porro reliquiarum ſanctarum, quas ejuſdem

CIRC. ANN. DCCC LXXV. loculi cum illo incluſerat hoſpitium, ſolum caput Oſwaldi Regis juxta caput glorioſi Pontificis, ſicut & antè fuerat, locarunt. Nam, ſicut prædictum eſt, ceteræ iſtiſc elatæ, aliter ſollemniter compoſitæ in eccleſia celebriter reſervantur reliquiæ. Clauſo ergo in ſuam thecam beati Patris corpore, eam panno ex lino groſſiori, quem totum cera infuderat, undique circumdatam uſque poſt altare, ubi prius requieverat, retulerunt, Dominum virtutum benedicentes in operibus ſuis, qui facit mirabilia ſolus, cujus magna opera exquiſita in omnes voluntates ejus.

Interea promulgato longè latéque venturæ translationis die, ingens fit undique Dunelmum uſque populorum concurſus, ſicut diverſæ dignitatis & ætatis, ita & profeſſionis, ſæcularis videlicet vitæ & ſpiritualis perſonæ perplures. qui agnito incorrupti tam longo tempore corporis miraculo, plurimùm in Domino lætantur: eique laudis & gratiarum actione reddita, ſua exſultant tempora tantæ virtutis oſtenſione viſitari. Inter hæc quidam ex numero Abbatum qui advenerant, in his quæ facta fuerant, injuriam ſibi calumniabatur illatam: arguens improvidæ temeritatis Fratres eccleſiæ qui, ſe inconſulto nec adhibito, tale tamque inſolitum opus per ſe auſi fuiſſent aggredi. Oportere namque aiebat ſe, cùm vicinus eſſet, futurum hujus facti participem advocari, cujus aſſertione teſtimonium veritatis poſſet comprobari. Fratres namque qui his ſecretis nullum ex alia eccleſia teſtem voluerant adſiſtere, veriſimile eſſe dixit, non tam verum de ſuo Sancto dicere, quàm fingere. Unde (ait) ratio videtur expoſcere, tam incredibilis rei veritatem etiam ab aliis indagandam: ut populo qui tam frequens accurrit, id noſtro teſtimonio affirmare poſſimus, quod etiam nos ipſi oculis perſpexerimus. Hæc in auribus illorum qui convenerant, ſæpius replicans, animos quorumdam in ſuum inclinavit aſſenſum. Jam denuntiata translationis dies inſtabat: & calumniâ Abbatis in Conventum Fratrum delatâ, gravi mentes illorum concutiuntur ſcandalo, quo & mendacii notabantur infamia, & iteranda ſancti corporis appetebatur revelatio, quam nec extraneis permittere, nec ipſi ulteriùs auſi ſunt iterare. Fit ergo Patrum magna contentio Abbate obtendente, ſolam Fratrum ipſius eccleſiæ non eſſe admittendam de ſuo Sancto atteſtationem. Fratribus ex ſuſpecta fide ſua confuſis, & reclamantibus vel loci deſolationem, vel ſuam de loco expulſionem eum moliri: qui eùm illorum conjuramento teſtimonium quaſi fictum repellat, ſacrilegos eos & omnibus deteſtandos judicat. Quapropter abſit, inquiunt, ut ad ſacra contuenda huic concedatur aditus, quo agente in ſuſpicionem gravis mendacii pervenimus. Qui enim heri nobiſcum exultantes *Gloria in excelſis Deo* decantaverant, hodie nonnulli eorum calumniante Abbate ex mendacio nos ſuſpectos habent.

His ita contendentibus, cùm contentioni nullus potuiſſet finis imponi; utriuſque partis ſe mediatorem interpoſuit venerabilis memoriæ RADULFUS, tunc quidem Abbas Sagienſis * Monaſterii, ſed poſtea Cantuariorum Archiepiſcopus. Is cùm multæ manſuetudinis eſſet & religionis, in Scripturis quoque ſanctis nobiliter eruditus, cupiens inter diſſidentes reformare pacem, Verum eſt, ait, quod Scriptura dicit, In ore duorum vel trium teſtium ſtat omne verbum. quanto magis in ore plurimorum & tam probabilium, ut de illorum teſtimonio nulla quemquam ratio permittat dubitare? Credimus planè divinæ virtutis opus vobis in beati Cuthberti corpore revelatum: credimus, inquam, propter quod laudem Domini loquitur os meum, & benedicit anima mea Domino. Cùm autem tanta ſit hujus miraculi evidentia, temerarius fortè videbor, ſi vobis oſtenſam corporis ſancti incorruptionem, etiam nobis oſtendendam poſtulavero. Et tamen in hac poſtulatione nec temerarius videri debeo, nec ſuperfluus: quia cùm perfecta caritas foras mittat timorem, id ex multa caritate poſtulandum præſumo, quod ex dilectione præſumendum poſtulo. Adjuvat preces noſtras etiam quæ in præſentiarum acci-

* de Sees in Gallia

dit cauſa, iſta ſcilicet Fratris noſtri Abbatis dubietas, quæ niſi & aliorum teſtimonio à corde illius fuerit excluſa; juſtas contra vos ſibi videbitur moviſſe calumnias; & in hās in futurum plures ſibi contrahet conſentaneos. Sed (ut video) ex Dei providentia facta eſt illi hæc dubitatio: ut unde vos æſtimatis grave fieri ſcandalum, inde ordinante Deo cumulatior huic loco proveniet gloria. Nam proſequente preces noſtras gratiæ veſtræ favore, cùm jam, ſicut audivimus, ita etiam nos ipſi viderimus, tanto citiùs obmuteſcet obtrectantium calumnia, quanto & veſtrum & noſtrum teſtimonium eadem corroboraverit experientia: tantoque latiùs in beato Cuthberto gloria Dei prædicabitur, quanto nos, qui hanc oculis probavimus, per diverſas longiùs partes hinc remeantes diſperſi, eam omnibus pandere inſtiterimus. CIRCA ANN. DCCCLXXV.

His venerandi Abbatis precibus jam Epiſcopus præbuiſſet aſſenſum, niſi Fratribus videretur non ſtatim ei conſentiendum, qui grave ſibi ex judicio Dei periculum imminere formidabant, ſi ſanctum corpus denuo cuiquam oſtendendum inconſultè permitterent. Sed prudentium amicorum flexi conſilio, tandem, licèt difficillimè, in hoc conſentiunt: ut Abbate amoto qui eis non credendum cenſuerat, humilis ac religioſus petitor eum aliis, qui digni viderentur, ad novam miraculi inſpectionem admittatur. Quandoque tamen à conſulentibus perſuaſum eſt eis, ut etiam illum quàm maximè huic rei intereſſe concederent, qui ipſorum teſtimonii dubius, dubitare & alios fecerat: quatinus ejus miraculi contemplator exſiſteret, quòd eis atteſtantibus ipſe credere noluiſſet. Taliter contentione ſedata, ducente Priore ingrediuntur oratorium albis induti, prædictus Abbas Sagienſis, & RICHARDUS Abbas Monaſterii ſancti Albani, & STEPHANUS Abbas ſanctæ Mariæ Eburaci, & HUGO Abbas ſancti Germani in Selebi [a]. Poſt quos ALEXANDER frater Regis Scottorum Eadgari paullo pòſt ejuſdem fratris ſui futurus in regnum ſucceſſor, & WILLELMUS tunc Dunelmenſis Epiſcopi Clericus, ſed poſt ſæpedictum Radulfum Eccleſiæ Cantuarienſis Archiepiſcopus; deinde & alii qui deſignati fuerant religioſæ vitæ, tam Monachi, quàm Clerici, numero quadraginta ſequuntur; præterea & plures ejuſdem eccleſiæ Fratres. nam cæteri Epiſcopo adſiſtebant jam tunc in eccleſia altare dedicanti. Præmiſſa itaque ſuppliciter ab omnibus oratione, ſanctum corpus defertur in chorum: ubi loculo, quem priùs concluſerant, à Fratribus patefacto, Prior elata manu gravi prohibuit interdicto, ne vel ad corpus, vel ad aliquid eorum, quæ circa illud fuerant, contingendum quiſquam præter Abbatem de Sagio manum admoveret: ceteros jubet propiùs aſſiſtere, & viſu potiùs quàm contactu veritatem rei experiendo capere. Fratres quoque Monaſterii præcepit indeſinenter adeſſe, & vigilanti ſemper obtutu obſervare, ne vel particulam fili indumentorum, quæ corpus obvolverant, ullo modo aliquis auferret.

Fiunt quæ juſſa fuerant. Memoratus Abbas uno ejuſdem eccleſiæ Fratre ſe juvante, involuta explicans veſtimenta circa venerandum caput, utraque illud manu cunctis adſpicientibus paullulum erexit: & in diverſas reflectendo partes, integra omnibus juncturis colli compage, reliquo id corpori cohærere invenit. Deinde manu admota firmiùs aurem trahens & retrahens, & poſt hoc alias quoque corporis partes manu perſcrutante explorans, ſolidum nervis & oſſibus eum carnis mollitie reperit corpus. Id etiam per caput tenendo concutiens, adeo in ſublime erexit, ut in habitaculo ſuæ quietis, pæne ſedere viſum fuerit. Et ne quid diligentiæ inquirentis deeſſet, circa pedes quoque & crura eamdem experiri ſtuduit integritatem. Fuerant autem non-

[a] Bollando Olba, librarii vitio nam Selebiæ ſeu Selbiæ Monaſterium in agro Eboracenſi Benedictus Abbas, annuente Vvillelmo Rege cognomento Conqueſtore, condidit in honorem Domini noſtri JESU CHRISTI, B. Mariæ, & S Germani Autiſiodorenſis Epiſcopi. Lege Monaſticum Anglicanum pag. 372.

Circ. ann. DCCCLXXV. nulli, qui hoc aliquando diutiùs intueri paventes, poſitis ſuper oculos manibus exclamarent, cum plusquam res poſtularet, veritatis exſequi probationem, cujus tam evidenter ipſe tenuiſſet certitudinem. Cùm ergo incorruptionis miraculum ſatis ſuperque pius explorator inquiſiſſet, elevata in medium voce proclamavit: Ecce, inquiens, Fratres, hoc corpus jacet hîc quidem exanime: ſed ita ſanum & integrum, ſicut ea die qua cæleſtia petens ſancta id reliquerat anima. Diligenter deinde compoſitis (ſicut antè fuerant) omnibus, Fratres Monaſterii veraces & fide digni ab omnibus prædicantur, & ille qui eis non credendum judicaverat, ſimul cum aliis hoc quod antè abnuerat, credendum, ſive volens, ſive nolens, affirmabat.

Itaque *Te Deum laudamus* exſultantibus cunctis ſolleminiter decantato, omnibuſque quæ res popoſcerat, decenter diſpoſitis, corpus Patris humeris portantium excipitur, & in honorem omnipotentis Dei cantantium voces hymnis latè concrepant cæleſtibus. Præcedentibus cum aliorum reliquiis Sanctorum ſcriniis, cùm ad ultimum venerabile beati Cuthberti corpus cum feſtivioris obſequii apparatu efferretur oſtio, frequens qui foris exſpectaverat populus in lacrymas præ gaudio reſolutus, totus obviàm ruit, ut portitores ſancti corporis vix in tanta conſtipatione procedere potuiſſent, & tanto clamore commixtim orantium, exſultantium, & exſultando flentium voces premerentur cantantium. Circumeuntes autem novam extrinſecùs eccleſiam, ad Orientalem ejus plagam ſtationem fecerunt: ubi ſermonem faciente Epiſcopo, adſtabant & ipſi qui miraculum incorruptionis inventæ, quæ jam per quadringentos decem & octo annos in humano corpore perduraverat, ſe & vidiſſe, & contrectaſſe omnibus qui advenerant populis pandebant. Nova illi exſultatione ad agendas Deo gratias accenduntur, qui ſuæ devotionem mentis dignatus eſt remunerare tanta gratiæ cæleſtis manifeſtatione.

Jam dies in altum proceſſerat: & Epiſcopus multa, quæ præſentis negotii non poſtulaverat cauſa, interſerens longioris multos ſermonis fecerat tædere. Sed cùm tanta cæli ſerenitas eſſet, ut nullum venturæ pluviæ ſignum in aëre appareret; tanta cœperunt inundatione ſubitò imbres ruere, ut confeſtim interrupto ſermone loculum ſancti corporis Fratres corriperent, & eccleſiæ concitè inferre feſtinarent. quo illato, pluvia continuò ceſſavit: ut hinc nimirum daretur intelligi, Deo non eſſe placitum famuli ſui ſanctum corpus aliquanto diutiùs extra ſancta loca detineri. Sed & hoc nullatenus ſilentio prætereundum videtur: quòd cùm tanta eſſet effuſio pluviæ inundantis, non tamen vel ornamenta eccleſiæ, quæ tunc omnia fuerant expoſita, vel veſtes quorumlibet, qui tunc cultiùs procedebant, ullam ex pluvia vel decoris ſui, vel uſus contraxerint læſionem. Collocato ubi decenter paratum fuerat corpore beati Pontificis, reſultante laudibus Dei eccleſia, ſollemnis celebratur Miſſa: peractiſque in ſalutem Fidelium ſacroſanctis myſteriis, ad propria remearunt cum gaudio, glorificantes & laudantes Deum in omnibus quæ viderant & audierant. Facta eſt hæc incorrupti corporis manifeſtatio, ſive tranſlatio, poſt annos depoſitionis ejus quadringentos decem & octo, & quinque men-
anno 1104. ſes & duodecim dies, hoc eſt anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo quatto, qui eſt quintus annus Regis HENRICI [a], epiſcopatus vero RANNULFI ſextus.

[a] Idem S. Cuthberti corpus tempore Henrici VIII Regis, ſub annum MDXXXVIII, cùm ubique in Anglia ſacræ effoderentur diſperterenturque reliquiæ, itidem incorruptum repertum eſt cum veſtimentis, atque altè humo infoſſum, ut tradit Harpsfeldius in Sæculo VII Hiſtoriæ cap 34.

Circ. ann. DCCCLXXV.

XXVII. *Quomodo ipſo die tranſlationis ejus tactu loculi corporis ipſius Abbas ab infirmitate diutina manus ſuæ ſit curatus.*

VENERAT inter alios ſupradictus Abbas Monaſterii ſancti Albani RICHARDUS ſupraſcriptæ tranſlationis miniſter devotus, qui beatum Cuthbertum multo ſemper excoluit amore, ejuſque ſepulcrum ſæpius fuerat ſolitus inviſere. Is per multum temporis ſiniſtræ manus gravi tenebatur incommodo, ut nec Miſſas celebrare, nec aliud quippiam operis facilè ſine alterius auxilio poſſet peragere. cui medicorum quidem ſedula aderat ſollicitudo, ſed nullius induſtria quicquam poterat conferre. Ita collecto Fratrum cœtu ante horam tranſlationis, humiliter ille toto proſtratus corpore petiit, ut compatiens ſibi fraterna caritas à beato Cuthberto poſtularet, quatinus ſuo ipſe intervento à Salvatore omnium ſalutis ei donum impetraret. Annuit petenti promta Fratrum devotio; & oratione indicta precabantur, ut non ſua peccata, ſed fidem petentis adſpiceret, & ad gloriam nominis Dei à Deo gratiam ei ſanitatis obtineret. Auditi ſunt & exauditi utrique: ille per fidem, (omnia enim poſſibilia credenti) iſti per caritatem, quæ quanto magis inclinatur proximo, tanto magis appropinquat Deo. Peracta, ut ſuprà dictum eſt, ſollemni proceſſione, loculus incorrupti corporis ſublimiùs poſt altare elevandus fuerat, ſuper lapidem quem gratiâ tanti oneris ſuſtinendi diligenter manu artificum præparatum novem pro ſui magnitudine altius à terra ſuſtentant Nota. columnæ. Adſcendit ergo lapidem ſæpe memoratos Prior: ubi cùm ad ſuſcipiendum à portantibus corpus indigeret adjutorio, converſus ab Abbatem, Domine, inquit, Abbas, adſcende citiùs, & adjuva nos. Adſcendit ille, & oblitus infirmitatis, thecam ſancti corporis ſuſcipiendo & recondendo contingens, cooperator inſiſtebat ſtudioſus. quam cùm ſuo in loco repoſuiſſent, tunc demum ad memoriam rediit manus infirma: ſed hanc ita ſanam ſenſit, acſi in illa nihil unquam moleſtiæ pertulerit: factumque in ſe miraculum facili digitorum inflexione (quod antè non poterat) tota die jactando pandere non ceſſavit. Quo facto in ſe Dei beneficio ad laudandum Deum, & admirandam ſancti Cuthberti ſanctitatem animos multorum ſuſtulit: domumque reverſus, continuò in honorem ſancti Confeſſoris oratorio conſtructo, tanto eum devotiùs deinceps excoluit, quanto illius opem ſibi celerius adeſſe ſenſit.

XXVIII. *Quomodo quidam pro furto fili ablati de loculo codicis ſancti Cuthberti ſit punitus, ac poſtea pœnitens reparatus.*

LEGITUR in vita * beati Cuthberti, quòd adoleſcens ipſe adhuc in * Sec. 2. Monaſterio cùm beati Boiſili dictis pariter & exemplis Dei ſervitio informaretur, ab eodem ægrotante, & jamjamque adſcenſuro cæleſtia, Evangelium ſancti Johannis didicerit, quod in codice ſeptem quaternionum ſeptem diebus invicem ſimpliciter conferendo compleverit. Hunc codicem cùm pro merito utriùſque, videlicet docentis & diſcentis, priſcæ adhuc novitatis retineat gratiam, inter alias ſacræ venerationis reliquias, honeſto hæc ſcilicet Dunelmenſis eccleſia reſervat loco. Eſt autem huic in quo ponitur ex pelle rubricata in modum peræ loculus, habens ex ſerico (quod jam vetuſtas diſſolvit in fila) ſuſpendiculum, quo per colla (ut dicitur) Sanctorum, vide- Nota. licet beati Magiſtri, & pòſt condiſcipuli ſui pii heredis, liber circumferebatur pendulus. Hunc Epiſcopus inter ſermonem, quem in tranſlatione (ut ſuprà dictum eſt) ad populum faciebat, cùm elata manu omnibus oſtenderet, portitore interim paullo negligentiùs peram vacuam inter compreſſas turbas tenente, quidam ex officialibus Epiſcopi filum de ſuſpendiculo furatus, inter

Circ. ann. DCCC LXXV. caligas & calciamenta ſibi abſcondit, ibique, donec iret cubitum, irreverenter tale ſervavit furtum. Nocte verò ſecuta, tam gravi cruris ipſius, cui filum illud fuerat appoſitum, torquebatur dolore, ut non ſolùm nullam dormiendo poſſet habere quietem, verùm etiam cum augmento doloris tumore groſſeſcente cruris, non jam aliud hujus moleſtiæ finem putaret eventurum quàm mortem. Tremens ergo ac pavens accerſiri fecit Preſbyterum: cui temerariæ præſumtionis confitens reatum, id conſilii accepit ab illo, ut ſanctarum reliquiarum, quam indignè tulerat, portione reſtituta, Fratrum in eccleſia ſibi reformaret gratiam, quorum interceſſione beatus Confeſſor placatus, veniam ſibi ſtulti auſus impetraret: hocque modo Deo ſibi propitio ſanitatem recipere valeret. Annuit ille conſilio ſalubri, baculoque ac miniſtris ſuſtentatus perducitur ad Priorem, & filum quod abſtulerat coram reddidit: pænitendo ſatisfaciens, potens cum lacrymis pro ſe apud ſanctum Cuthbertum orari, cujus meritis & temeritatis perpetratæ veniam, & ſanitatis merereτur gratiam. Cui Prior: Quem, inquit, offendiſti, ei reconciliare, repoſito ſuper ejus ſepulcrum quod abſtuliſti. At ille non audens huc accedere, comitantibus quandoque Fratribus adducitur, ubi eis pariter orantibus, dolor omnis infirmanti miteſcere, & inflatio deformis cœpit detumeſcere. nec multò pòſt ſanitate ad perfectum redintegrata, unde corpus illius ad tempus à ſalute deficiebat, inde animus ad ſuam ſalutem vires reparabat, experimento tenens illud: *Stulto flagellato inſipiens ſapientior erit.*

Expliciunt Miracula ſancti Cuthberti Epiſcopi.

MONITUM.

Ex Anglia mihi tranſmiſſum eſt ETHELWOLFI *Monachi carmen de Abbatibus & viris piis Monaſterii S. Petri Lindisfarnenſis. quòd carmen ad Sæculum noſtrum tertium pertinebat. Sed cùm illud ſeriùs in manus meas perveniſſet, hoc loco adjiciendum viſum eſt occaſione S. Cuthberti Monachi & Epiſcopi Lindisfarnenſis. Etſi enim hic locus ab illo diverſus ſit, affinis tamen utriuſque tractatio propter nominis ac ſitûs communionem.*

ETHELVVOLFI MONACHI CARMEN

De Abbatibus & viris piis Cœnobii S. Petri in inſula Lindisfarnenſi.

Ex mſ. codice Cantabrigienſi.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Ethelvvolfus quis. 1. APUD *veteres qui de* ETHELWOLFO *Monacho hujus poëmatis auctore ſcripſere, invenio neminem ante Harpsfeldium & Piſeum, quorum ille Ethelwolfum Lindisfarnenſem, hic Cœnobii S. Petri apud Bernicios Monachum appellat. Ethelwolfus ſuum de Abbatibus Monaſterii ſui poema nuncupavit* EGBERTO *Lindisfarnenſi Epiſcopo. Higbaldi ſcilicet ſucceſſori, qui ab anno* DCCC II *in octodecim annos Lindisfarnenſi eccleſiæ præfuit, teſtante Turgoto Monacho in lib. 2 de eccleſia Dunelmenſi cap. 5. Præter hoc carmen ſcripſit Auctor nonnulla de hiſtoria Anglorum.*

ut patet ex ſequenti cap. 16. Acceſſit verò in Monaſterium S. Petri tum Wlſigo poſt Abbate, ex cap. 18. atque adeo GUTFRIDUM (EADFRIDUM *appellat Piſenſis*) *primùm, deinde* IGLACUM *præceptores habuit ex capite 22. Ethelwolfus porro ætatem ſuam diſertè indicat non ſolùm in nuncupatione poematis ſui Egberto facta, ſed etiam in capitibus 17 & 18. tum in capite ultimo ſubſcribit* LUPUS CLARUS, *quæ eſt Ethelwolfi ſeu Edilwolfi nominis interpretatio. Sequentem librum, qui unus eſt, in tres dividit Piſenſis, atque Egbertum, cui nuncupatum eſt hoc carmen, eſſe Eboracenſem Archiepiſcopum falsò exiſtimavit.*

2. *Cujus Monaſterii Monachus fuerit Ethelwolfus, atque adeo cujus loci Abbates hoc loco memoret, non facilè definierim. Eum Lindiſfarnenſis eccleſiæ Monachum probat carminis inſcriptio & clauſula, immo ipſa etiam ejuſdem Ethelwolfi inſcriptio, quam Egberto Epiſcopo vovet* Edilwlfus Lindiſfarnenſis eccleſiæ Monachus. *At quo minùs credam hanc eccleſiam eſſe eam, quam S. Aidanus Epiſcopus Scottus, aliique ejuſdem gentis Monachi incoluère, multa vetant. Primùm, quòd Aidanus Lindiſfarnenſe Monaſterium conſtruxit longè ante Eandmundum Ducem, quem Ethelwolfus Monaſterii ſui parentem dicit. Deinde quod Eandmundus jam inchoato Monaſterio ſuo, acceſſit Lindiſfarnum ad Ecfridum Epiſcopum, ex capite 5. ut ab eo de rebus monaſticis informaretur, acciperetque* Doctorem ſuis ſedibus aptum. *Aſſenſit Ecfridus, atque Eandmundo conceſſit Monaſterii ſui Preſbyterum, qui* ſtatueret monaſtica jura, novoſque *in cella Eandmundi* Monachos inſtitueret. *Tertiò alii omnino fuerunt Abbates Lindiſfarnenſis, alii Eandmundi Cœnobii. Lindiſfarnæ Abbatiæ jure præfuit* EATA *Mailroſenſis Abbas tempore S. Cuthberti. Ei forſan ſucceſſit* GUTHFRIDUS venerabilis Chriſti famulus & Preſbyter, *Abbas Lindiſfarnæ, Beda laudatus in Hiſtoria lib. 5 cap. 1.* TILHED *ſæculi* VIII *Abbas memoratur etiam in Monaſtico Anglicano pag. 39. At poſt* EANDMUNDUM *præfuerunt ejus Monaſterio* EORPUINUS, ALDWINUS, SIGBALDUS, SIGWINUS & WULSIGUS, *omnes ſæculo octavo. Quartò, in loco ubi Eandmundi ſitum erat Monaſterium, exſtabat eo tempore urbs cum Clero, ex capite 20: quod vereor ut dici poſſit de Lindiſfarnenſi Monaſterio, quod tum ſolitarium fuiſſe exiſtimo. Quintò ſitum eccleſiæ ſuæ deſcribit Ethelwolfus capite 6, qualis Lindiſfarnæ tribui vix poteſt. Poſtremò denique Auctores omnes, qui de Lindiſfarnenſi Monaſterio deditâ operâ egerunt, nullam de Eandmundo, aliiſve Abbatibus & Monachis hic memoratis faciunt mentionem, ut patet ex Turgoto & ex Monaſtico Anglicano. Verumtamen uterque locus habebat eccleſiam S. Petro ſacram. Et quidem Theodorus Lindiſfarnenſem in honorem S. Petri dedicaverat, ex Monaſtico Anglicano pag. 39: Eandmundi verò eccleſia itidem patronum habebat S. Petrum, ex ſequentibus capitibus 4 & 6, eique adjunctum erat oratorium beatæ Mariæ, ex cap. 14. Hos nodos ſolvat qui poteſt: mihi verò eos propoſuiſſe ſatis fuerit. Quanquam fortaſſe dici poteſt, duo in Lindiſfarnæ inſula fuiſſe Monaſteria, quorum alterum Aidanum, alterum Eandmundum auctores habuerit. Tametſi in continenti fuiſſe videtur Eandmundi Cœnobium, ex quo ad Lindiſfarnenſe trajecerit Eandmundus, ut Egfridum Epiſcopum inviſeret, ex cap. 5. Denique aut in inſula Lindiſfarne ſitum, aut certè juxtà poſitum erat Eandmundi Cœnobium, ut Lindiſfarnenſe ab Ethelwolfo dici potuerit. Niſi ſi ita dictum putes, quòd ex Lindiſfarnenſi Monaſterio inſtituti ſui præceptorem acceperit Eandmundus: qua ratione Corbeia nova apud Saxones à veteri Gallicana appellationem deſumſit. Subierat mihi aliquando in mentem Farne inſula Lindiſfarnæ ad Eurum obverſa. ut urbs ibi nulla, ſed tantùm exigua caſa à S. Cuthberto pro uno aut altero ſolitario inſtructa.* Monaſterii ejus ſitus.

3. *Quidquid ſit de hac difficultate, certum eſt, multos in Cœnobio Eandmundi floruiſſe Monachos pietate inſignes, præter Abbates numero ſex ſuperiùs memoratos, qualis fuit* ULTANUS *egregius Scriptor, laudatus in cap. 8, cujus corpus paullo poſt ejus obitum è tumulo elatum eſt venerationis causâ. quales fuêre etiam* FRIDEGILSUS *Sacerdos,* CUICUINUS *Ferrarius,* MERCHDOFUS, IGLACUS *Preſbyter & Lector, &* WINFRIDUS *Preſbyter, quorum geſta ab Ethelwolfo ſtrictim hic referuntur.*

4. *Ultanum Scriptorem in capite* 8 *laudatum alium eſſe tum ab Ultano S. Furſei Abbatis fratre, tum ab Ultano qui de S. Brigida Virginis Hibernicæ rebus geſtis ſcripſit, pro comperto exiſtimare licet. nam duo iſti ſæculo ſeptimo, Lindiſfarnenſis ſæculo* VIII *floruit. Ultanum verò Vitæ S. Brigidæ ſcriptorem ab alio æquali diverſum eſſe inde colligitur, quòd Ultanus Furſei frater Peronæ in Gallia Abbas fuit, ibidemque exceſſit è vivis: alter Ardbrecanenſis in Media* Hiberniæ regione Epiſcopus, ut ex veteri Scriptore tradit Johannes Colganus. De hoc agit Chilienus Monachus in Vita metrica S. Brigidæ edita apud Bollandum in Februarii tomo 1. ubi prologus deeſt, quem ex mſ. codice Remigiani apud Remos Cœnobii huc referre juvat. Hic codex, qui Ebonis Remenſis Epiſcopi pontificatu exaratus prænotatur, complectitur quoſdam S. Auguſtini Sermones in Pſalmos, Enchiridion, & librum de quantitate animæ, cum nonnullis verſibus temere adſcriptis: quos inter prologus Vitæ metricæ jam dictæ abſque ullo titulo reperitur permiſtus cum aliis. Sic autem ſe habet.*

* Meath

Adfore digneris precibus, pia virgo, benignis,
    Brigita, ſupplicibus proſpera poſce tuis.
Si mihi vita comes fuerit, hæc certa tenebis,
    Laudum te cumulis enituiſſe meis.
Non minùs ULTANO noſtræ præconia laudis
    Præſtabunt populis, ô ſacra Virgo, piis.
Ille fuit Præſul magnus, virtutibus aptus.
    Hunc ſequar & vincam, ſi mihi cedis opem.
Sic AILERAN plura excerpſit qui geſta tuorum,
    Atque operum flores ſcripſit opima tomis.
Non prætermittam, ſi fortè præterit ille,
    Quamquam præſuleos ſcanderit ipſe gradus.
Nam COGITOSUS item, ſi jus te judice cedat,
    Et noſtri ſtudii funditus impar erit.
Sed cur tam magnos præcellam munere Patres?
    Quòd ſolus pandam geſta beata trium.
Et quod præcipui Patres profamine proſæ
    Ediderant, verſu nunc modulabor ego.
Jam cœptam comitare viam, famulumque tueri
    Digneris, ſuperis apta puella choris.
Et qui principium facti concedere juſſit,
    Perfectum faciat Chriſtus habere finem.
Non quòd ſim dignus peccator talia fari:
    Sed precor indignus, dignus ut eſſe queam.

Ex his porro verſibus, qui Ebonis ætate ſcripti ſunt, intelligimus, Poëtam (ſive is Chilienus ſit, ſeu alius quivis) vixiſſe ante ſæculum IX. *ac proinde* Comitiſſæ *vocabulum, quo uſus eſt, ante id tempus receptum fuiſſe. Sed hæc parerga ſunt. Nunc exhibendum eſt Ethelwolfi carmen, quod ex mſ. codice Cantabrigienſi mihi ſubmiſit Thomas Gaëlus, vir doctrinæ & humanitatis ſingularis, cui jam multa alia me debere profiteor.*

INCIPIT PRÆFATIO ETHILWLFI Lindisfarnenſis eccleſiæ Monachi, ad EGBERTUM Lindisfarnenſem Epiſcopum, de Abbatibus ejuſdem eccleſiæ.

AMICORUM præſtantiſſimo atque dilectiſſimo Sacerdoti magno EGBERTO Preſbytero[a], meritis exiguus EDILWLFUS Lindisfarnenſis eccleſiæ Monachus intimæ caritatis ſalutem.

Sume, Pater, placidos modulatis vota poëtæ,
Quatinus æterno capias cum Rege quietem,
Atque peras ſuperas meritis ſplendentibus arces.
Nunc memorare libens ſemper, lectiſſime Præſul,
Sancta ſupernorum conſcendens ſceptra polorum,
Mercedemque tuam quamvis ſit reddere calvus,
Nocte dieque ſimul cuncta per tempora vitæ,
Teque tuoſque ſimul clementia protegat alta,
Quo decus immenſum radians per ſæcula cuncta
Omnibus in Sanctis clareſcit lumine miro.
Corpore, mente, manu, cunctis & ſenſibus una
Jam dominum colitans celſum ſine fine, valeto.

[a] Vides hoc loco *Preſbyteri* nomen adjici vocabulo ſummi Sacerdotis, novè. an legendum *Epiſcopo*?

INCIPIUNT CAPITULA.

CAP. I. *Salutatio vatis ad Epiſcopum, de propinquis & Monachis cellæ ejus.*
II. *De eo quòd* HORRET *regnum indeptus, multos perſequitur.*
III. *Quòd erat* EANMUND *Dux nobilis natu & moribus.*
IV. *Quod hic ad ſervitium Domini adſcenſus proprio Monaſterio ibat.*

V.

V. *Quòd Pontificem adiens, doctorem vitæ regularis acquiſivit.*
VI. *Quòd veredarium mittat ad Chriſti Monachum.*
VII. *Quòd nuntius adveniens Paſtoris & Fratrum gaudia cumulat.*
VIII. *Quòd facta mira Patris* ULTAN *paucis memorantur.*
IX. *De* FRIDEGILSO *Sacerdote Chriſti.*
X. *De Fratre* CUICUINO *ferrario.*
XI. *De Fratre qui de carne ductus iterum reviviſcebat.*
XII. *De obitu Patris* EANMUNDI.
XIII. *De* EORFUINO *ſucceſſore Eanmundi, & fratre ejus* ALDWINO.
XIV. *De* SIGBALDO *Abbate, quomodo multis donariis & divitiis Lindisfarnenſem eccleſiam ditavit.*
XV. *De* SIGIWINO *Abbate, fratre & ſucceſſore Sigbaldi.*
XVI. *De* IGLACO *Preſbytero & Lectore.*
XVII. *De Fratribus cellæ, vel obitu Paſtoris.*
XVIII. *De* WLSIGO *Sacerdote & Abbate.*
XIX. *De* WINFRIDO *Preſbytero.*
XX. *De donis Patrum & votis Monachorum.*
XXI. *De canticis ſpiritualibus in Apoſtolorum oratorio auditis.*
XXII. *Somnium quod vidit poeta die dominica.*
XXIII. *Salutatio & precatio vatis ad Sanctos & ad Dominum.*

CAP. I. *Salutatio vatis ad Epiſcopum de propinquis & Monachis cellæ ejus.*

CUM te ſancta manus præſtante reddidit Anglis,
Nunc tibi complacuit ruſtica dona dare.
Ruſtica ſed ſtolidis ſudent ſi pectora dictis,
Nec ſtolidum carmen ruſtica plectra dabunt.
Nam tibi dum Proceres proprio de ſanguine ſignant
Jam Domino placidos, gaudia magna capis.
Suſcipe, docte Pater, dilecti munus amici,
Et grates Chriſto ſemper ubique cane,
Quod tua tam electi meruerunt ſtirpe creari
Paſtores, Domino qui placuere ſuo.
Nec minus & Monachos primorum munere claros
Sie mirare libens ſcandere lucis iter.
Si quid in his caſtis, te dignum reddere grates,
Invenias Domino, maximè nunc moneo.
Sin aliàs, vati veniam dignare canenti
Jam tribuere pius: quod nouit cecinit.
Hanc tuo nam cupio requiem præſtare labori,
Carmina quæ Domino ſacrificata ſonant.
Adverſum eſt quicquid moneo tolerare modeſtè,
Nec querula in quoquam corde movere tua.
Mens requiem capiat ſemper ſine fine benignè
In Domino Chriſto proſperitate pia.

II. *De eo quòd* HORRET *regnum indeptus, multos perſequitur.*

ECGFRIDUS infeſto Pictorum dum cadit enſe,
En nothus Anglorum germanus regmina ſumſit
ALFRIDUS[a], & natum genuit, qui nomine[b] clarus,
Gentibus enituit Saxorum regmina ſervans,
Geſtis & verbis & omni ſtrenuus actu.

a Aldfridum hunc vocat Beda, diſtinguendum ab Alchfrido fratre, ut probavi in Elogio S. Cuthburgæ ad annum 724. Aldfridus obiit anno DCC V.
b Horret appellatur in lemmate: Olredum vocat Vvillelmus Malmeſburienſis in lib. 1 de Regibus Anglorum cap. 3. *qui annis XI regnum inumbrans, turpemque vitam Sanctimonialium ſtupris exagitans, tandem cognatorum inſidiis caſus eſt.*

Exſtitit à primis ſed non moderatus in annis,
Indocilis juvenis, neſcit ſenſuſque petulcos
Subcurvare animo, contemnens jura Tonantis
Armipotens nimiùm, propriis in viribus audax.
Non Proceres veneratus erat; non denique Chriſtum,
Ut decuit, coluit; vacuis ſed ſubdidit omne
Actibus heu! vitam manſit dum corpore vita.
Inde fuit præſens parvo quod tempore ſæclum
Manſerat, atque diu potuit non ducere vitam.
Hic igitur multos miſeranda morte peremit.
Aſt alios cogit ſummo ſervire parenti,
Inque Monaſterii attonſos conſiſtere ſæptis.

III. *Quòd erat Eandmund Dux nobilis natu & moribus.*

EX his ergo fuit venerandus nomine Paſtor
Eandmund, ille pius Chriſti ſociatus amicis
Actibus è ſæcli, promiſſa ad præmia tendit,
Quæ Sancti in cælis Domino donante capeſſunt.
Nobilis, & nimiùm proceri de ſanguinis ortu
Exſtitit, in populis ſummo celebratus honore:
Nobilior Domino ſummæ pro culmine mentis
Dux venerandus erat, fecit cui candida corda
Omnipotens genitor, plaſmat qui corpora cuncta,
Ac mentes hominum ſpinis prómundat ademtis.
Militiam ſterilem magno devotus amore
Deſeruit, famulans cunctæ per tempora vitæ
Rectori magno, moderat qui ſæcula cuncta.

IV. *Quòd hic ad ſervitium Domini adtonſus, proprio Monaſterio ibat.*

ANGLORUM Proceres nimiùm trucidante tyranno[a],
Servitium Domini miles præfatus inibat,
Gaudebatque ſuo capiti portare coronam,
Vertice quam Chriſtus quondam portabat opimo,
Dum paſſus mundo demſit ſpineta malorum,
Atque ſuos vitam fecit viſitare beatos.
Nec ſolus meruit palmam captaſſe ſupernam.
Quin plures lecti Patrem comitantur eumdem,
Inque Monaſterio Domino ſe ſubdere temtant.
 Eandmundus Chriſto indemtus quæ dederat almo,
Atque Petro pariter ſeruit, qui examina cuncta,
Actibus æthereis facerent quæ pectora caſta,
Florigeriſque nitent per tempora cuncta maniplis.
Cumque Pater famulos cellam congeſſit in almam,
Quamplures cunctos ſacris ſermonibus ornat:
Utque ſuo ſaltim cupiant ſervire parenti
Ammonuit Paſtor, meritumque à numine poſcens,
Quatenus è cælo veniens cum gaudio ſanctus
Angelus, hos famulos dignetur reddere tutos:
Ut lupus ille ferus ſubjectos dente rapaci

[a] Hinc factum eſt, ut ſeculares viri & feminæ complures Monaſteria conſtruerent, atque in ea reciperent ſeſe, non ſine infamia ſæcularis ac proboſæ vitæ, ut teſtatur Beda in epiſtola ad Egbertum Epiſcopum Eboracenſem.

Morſibus infectos laniat non pectore mœſto:
Sed potiùs Domino dignis virtutibus auctos,
Undique percomtos tranſmigret lucis in oras.
Talibus inſtituens docuit cum ductor ovile,
Quàm nitidas Chriſto meruit conferre bidentes,
Agnos atque pios permiti contulit Agno,
Qui veniens ſontis peccatum tollere mundi,
Inſontem mundum fecit de ſanguine fuſo.

V. *Quòd Pontificem adiens, doctorem vitæ regularis acquiſivit.*

PONTIFICALIS apex, meritorum munere clarus
ECGFRIDUS enituit, Sanctorum regmina ſervans.
Unde quo glaucis cupiunt criſpare fluentis
Litora, quin refluis ſatagunt nudare meantes
Curſibus, & terram præcingunt cærula ſanctam[b],
Atque itiner cupidum pandunt, cùm litora nudant.
Hunc Domini ſervus veniens viſitare ſategit,
Poſcebatque, ſibi ſuperæ de germine meſſis
Pabula jam tribui: cui promta mente Sacerdos
Pectore de gnaro pandit ſalutaria dicta,
Imbribus atque piis ſitientis corpora potat.
Auribus illiſis hauſit, quæ ructat ab alto
Pectore, ſubque ſui ſumſit penetralia cordis
Myſtica verba pii perſenſu diſcit acuto.
Inſuper arripiens memori narranda relatu,
Senſibus in cordis complectit cuncta rimatus.
Addidit ergo ſuis doctorem ſedibus aptum.
Preſbyter ille fuit, ſtatuens monaſtica jura,
Inſtituitque novos veterum munimenta revolvens
Hic Monachos, cælo tulerat quos ſpiritus auctor.

VI. *Quòd veredarium mittat ad Chriſti Monachum.*

HÆC inter famulus Chriſti dum moribus almum
Pontificem diſcit Scottorum finibus eſſe
ECGBERTUM, famulum cui fidum mittere curat,
Poſcens ut Monachos formaret rite libellis,
Sanctificetque ſibi venerandæ altare tabellæ,
Atque memor voti monſtret ſint quæ loca digna,
Quis poſſint ſiſti ſacraria ſancta Tonanti.
Paret & obſequitur Præſul venerandus, euntem
Confirmat dictis, quin ſacro munere ditat.
Menſa ſacrata Deo magno ſub nomine Petri,
Advolat, & nigro cellam confirmat ab hoſte.
Inſuper & Præſul poſcenti talia dicta
Mittit. Inoffenſis pedibus tua tempora, Frater,
Pectore quin vitam caſto ſervare memento:
Quatenus exhauſto inſtantis certamine belli,

a Fuit is Lindisfarnenſis Epiſcopus poſt Eadbertum Cuthberti ſucceſſorem, mortuus anno DCCXXI.

b Id eſt inſulam ſanctam ſeu Lindiſfarnenſem, quæ *bis quotidie accedente æſtu Oceani fit inſula, bis renudatis litoribus contigua terra redditur*, inquit Beda in libro de Vita S. Cuthberti cap. 17.

c Hinc patet Egbertum hunc, cujus Elogium retuli ad annum 729, fuiſſe Epiſcopum, tametſi nulli eccleſiæ (quod ſciam) addictum: qua de re olim dubitaveram. Manebat tum in Monaſterio quod linguâ Scottorum Rathmelſigi appellatur, anno DCCXXIII tranſlatus ad Hienſe, ubi mortuus eſt anno DCCXXIX.

Perpetuam cæli capias ſine ſine quietem.
Cernere me fateor carnali lumine numquam
Fundos, quos Dominus magno tibi munere donat.
Aſt noſter ut viſus potuit pertendere cordis,
Collis non magnus declivo tramite flexus,
Quo ſol conſurgens trutinantis tempora libræ
Pervolat, hunc ſpinæ ſpiſſa cum fronde coronant.
Calcibus has ſciſſas toto cum germine frater
Æquoris & dorſo prædicti auferre memento:
Inque loco pulcrum Domino ſic condé ſacellum,
Credula quo poſſint Chriſto perſolvere corda.
Nocte dieque ſimul preco de pectore vota.
    Nuntius his dictis trufit per cærula puppim,
Atque ſuo properat dilecti ferte loquelas
Pontificis patri: manifeſtat dicta Prophetæ.
Perficit inde pius perpulcri culmina templi,
Exteriùs tabulas perfundens tegmine plumbi,
Viribus & totis percomtam reddere curat
Hanc ædem Domini, medio ſub aggere menſam
Diximus, ut dudum Petro quæ gignit odores
Præmites, ſtatuit cæleſtis gratia terris,
Quam rutilis flagrans paſſim, dum templa parenti
Jam cæli ac terræ ſurgunt per rara vetuſta.
    Hæc dum geſta ſuo inſtituit mandare magiſtro
Nuntius, ad patrem patris perferre loquelas
Venerat, atque pio magiſtro talia fatur.
Eccberct te Domini famulus ſua voce ſalutat,
Atque tuos pariter Monachos, quos gratia Chriſti
Eccleſiam vocitans mitis congeſſit in unam.
Nocte dieque ſimul non ceſſo reddere grates
Rectori ſummo, firmat qui vota ſuorum.
Namque ego confiteor, nullum me dicere mendum
Sæpiuſque advolitat ſpiniſque immiſcuit iſtis
Turba nefanda feris, ſemper confiſa ſub armis,
Undique confluitans veluti cùm culmina nota
Adcurrens properat ſpinis inmergier iſtis,
Gaudet & adverſis ſemper cumulata ſub armis
Inſidias multas diſponit facto.·.·. frendens:
Perque itiner durum non ceſſat ferre malignos,
Quo labor æternus requiem non præſtat eunti.
Sed Domino grates, melius quod tempore noſtro
Hæc loca per Dominum meruerunt gaudia tanta
Sumere, pro priſciſque novos mutare colonos.
Hinc moneo cunctos celſo cumulare Tonanti
Magnificas laudes, manibuſque ad ſidera tenſis
Dent Domino grates, mittit qui ad vota piorum
Aligeras volucres, jungentque ad ſæpta ſacelli
Innumeris precibus ſumtis ad ſidera tranant
Ante Deum, quæ fuerant pendentes, quas tamen ipſe
Pandat, ſi nullus poterit cognoſcere certè.
Omnia quid memorem? veniunt cum luce miniſtri
E cælo ſuperi, portantque ad ſidera ſanctas
Inde animas, Dominum laudantque in luce micantes,
Florigeraſque levant capiti ſine fine coronas.

VII. *Quòd nuntius adveniens, Paſtoris & Fratrum gaudia cumulat.*

TALIA dum memorans vatis jam nuntius inſit,
Gaudia magna pater gaudenti in pectore gaudet
Eandmund, atque Deo grates ad ſidera reddit,
Perfectiſque ſuos ſtuduit formare loquelis:
Quatenus ad vitam cupiant properare beatam,
In cælis numquam poterit quæ ſumere finem.
Talibus aucta bonis Monachorum corda vireſcunt,
Incipiuntque pii ſeſe præcurrere Chriſto,
Actibus & verbis & cunctis ſenſibus almi.
Quidam nam cupiens inſomnem ducere noctem,
Sanctas in precibus non ceſſat tendere palmas.
Aſt alius genibus tundendo marmora templi,
Noctibus in gelidis tolerat dum frigora, durat
Ignibus in mediis, ingentia frigora vitat.
Divitias alius cupiens partire caducas,
Noctibus in furvis tempus ſapienter & horas
Cleptat, & in cælis diſpenſa talenta recondit.
Aſt alius miſeris tribuens ſolamina panis,
Eſuriem patiens perfecte jejunia ſanctam.
Talibus exornata bonis, in veſtibus albis
Inclita, ſed vario comti permixta colore
A dextris Virgo & Genitrix adſtare videtur,
Rectoris cælos terras quæ & numine portat.

VIII. *Quòd facta mira Patris* ULTAN *paucis memorantur.*

FAMA citat plures perfectam ducère vitam,
Quam Pater EANDMUND præcultis moribus ornat:
E quibus eſt ULTAN [a] præclaro nomine dictus.
Preſbyter iſte fuit Scottorum gente beatus,
Comtis qui potuit notis ornare libellos,
Atque apicum ſpeciem vitam ſic reddit amœnam.
Hac arte huic nullus potuit ſe æquare modernus
Scriptorum. nec mirum Domini ſi talia poſſit
Cultor, ei digitos ſanctus cùm Spiritus auctor
Rexit, & accendit ſacratam ad ſidera mentem.
Hic igitur cellam Patris viſitabat amati,
Cœtibus ingrediens almis ſe immiſcuit almus,
Moribus & ſanctis Monachos formabat acutus,
Senſibus & verbis, & carne, & pectore caſtus.
Inſtituit Fratres rapiant ut lumina celſa,
Atque Deo ſtudeant cunctis ſervire diebus,
Corpore quò poſſint præſentem carpere vitam.
Cumque Deo electus perfecto tempore plenus
Annos quamplures celebraret talia Frater,
Tandem confectus ſenio ſua tempora ſcriptor
In melius mutat non mutans gaudia vitæ.
Cumque diu corpus mordebant viſcera terræ,
E tumulo placuit cineres relevare fraternos.

[a] Ultanus hic alius eſt ab Ultano S. Furſei fratre, itidem Hiberno, ex dictis: de quo actum eſt in Seculo 2. inſcriptus Martyrologio Benedictino 8 Auguſti. Unde conſtat hæc dies?

Oſſibus hinc lotis, portabant lintea munda
Solis in adſpectu exuvias, cùm luce repente
Adveniunt volucres geminæ, quæ lintea plantis
Contingunt: pariter vario permixta colore
Terga verenda nitent, modulantes carmina roſtris,
Concinunt pulcræ miranda ad gaudia cunctis:
Inſuper atque aliis Sanctum calvaria velant.
Sicque diem totam non ceſſant oſſibus ipſæ
Officium præſtare piis, & cantibus odas
Fundere perpulcris, donec abſterſerat omnem
Lux ſolis lympham, exuviaſque exſiccat ab undis.
Tum Frater quidam, media cùm mortis in umbra,
Tempore nonnullo jacuit, ſua corpora morbus
Sorbuit, & nullum potuit commovere membrum,
Excepto linguæ plectro, quæ verba ſonare
Vix potuit, puero languens hinc talia fatur:
Curre, rogoque patris memorare afferre lacertum,
Pingere quo Domini meruit jam myſtica verba,
Quo ſignante queam præſens vitare periclum,
Vel ſaltem meritis Sancti mea crimina Chriſtus
Solvere dignetur, ſi addictus funera mortis
Ingrediarque viam merear conſcendere vitæ.
Paruit ille puerque ad lintea ſancta cucurrit:
Aufert inde, pium munuſque adportat in ulmis.
Os capiti admotum morientis funera ſolvit,
Atque medens ægrum curat virtute ſuperna.
Continuò exſurgens firmatus robore tanto,
Ut medicum poſſit medicans portare medentem,
Lætus & inde volans rectorem ad lintea tollit,
Atque Deo grates reddit pro munere tanto.
At cuneus Fratrum numerum contractus in unum,
Oſſa ſancta pii portat ſub culmine templi.
Tum volucres modulæ immiſcent ſe nubibus altis,
Adſpectuſque hominum per tota tempora vitant.
Cantibus interea cineres conduntur in almis
Viſceribus thecæ: gaudens ſed ſpiritus alta
Jam ſuper aſtra manet, Dominum per ſæcula laudans.

IX. *De* FRIDEGILSO *Sacerdote Chriſti.*

ALTER erat Frater, FRIDEGILS cognomine dictus,
Preſbyter atque Deo pura cum mente Sacerdos
Munera mira parat: fumant altaria donis,
Magnificiſque virum exaltant ſuper aſtra beatum.
Hic doctrina ſimul factiſque per omnia mirus,
Enituit magnâ meritorum gratiâ comtus.
Talibus aucta viris Monachorùm gaudia pollent,
Paſtoriſque boni vernantia vota vireſcunt.

X. *De Fratre* CUICUINO *ferrario.*

MIRIFICIS Fratrem liceat memorare loquelis,
Ferrea qui domitans potuit formare metalla,
Diverſiſque modis ſapiens incude ſubactum

Malleus in ferrum peditat ſtridente camino.
CUTCUINUS hic fuerat genitoris cura vocatus.
Hunc hominem vita meritorum gratia donat,
Atque ſuos claram magno redimivit honore.
Crimina cuncta pius caſto de corpore pellit,
Viribus & totis Chriſti præcepta ſategit
Corpore, mente, manu, & cunctis cum ſenſibus una
Nocte dieque ſimul ſervare: ad gaudia vera
Æſtuat, atque ſuum quæſtum conquirere palmis
Jam cupidus tribuit miſeris largitus egenis.
Quin totos ſemper perfert jejunia ſoles,
Sanctorum Domini veluti ſollemnia tricenr,
Nocturnos Fratres ſacris concentibus hymnos
Dum celebrant, rurſuſque ſuas viſitare quietas
Incipiunt Fratres, memoratus ſæpta ſacelli — Nota.
Incoluitque, ſuis non parcit tundere membris
Marmora, ſeque Deo diligenter mandat ad aſtra.
Et rurſus Fratres veniunt cum lumine Phæbi,
Se precibus cupiunt Domino mandare profuſis.
Cœtibus hic ſanctis conjunctus dicere Pſalmos
Dulce habuit, ſeſe Domino commendat, & omnis
Hinc matutinis completis quàm bene Pſalmis
Continuo inſonuit percuſſis cudo metallis
Malleus, & vacuas volitans cùm verberat auras.
Jam cœnam Fratrem peditans caldor eos ornat.
Talia dum Sanctus quàm multis geſſerat annis,
Tandem promeruit, cuncto ceſſante labore,
Ad requiem felix Frater tranſire beatam.
Nam vires valldum vexant dum corpore morbi,
Jam chorus è cælo veniens cum luce coruſcus,
Paſtoris cellam properat viſitare beati,
Atque animam caſto caſtam de corpore ſumunt.
Splenduit hic nimiùm ſuperans jam lumina ſolis.
Cumque choro volitans ſuperas penetravit in arces,
ÆTHUINUS hæc Monachus dum cernit, dicere grates
Incipit, atque animam Domino commendat in aſtra.
Ergo ubi tranſcelſi conſcendunt limina ſolis,
Angelici cunei modulantes carmina, cælum
Clauditur extimplo: requiem captare perennem
Hinc anima ingreditur, caſtis immixta maniplis.

XI. *De Fratre qui de carne ductus iterum reviviſcebat.*

FRATER erat quidam ſanctæ ſub regmine cellæ,
Ad ſæculum illuſtris, dictus cognomine MERCHDOF,
Tempore cui quodam languor dum corpora vexat,
Egrediens mundo paſſus componit in oris
Non notis pavido: fervent penetralia cordis,
Ac timor immenſus quatiens vultuſque minaces
Per tenebras animam terrebant agmine ſpiſſo,
Diverſiſque modis agitabant turbida flabra.
Cumque diu trepidus per triſtes ire phalanges
Cogitur, in ſubito nitidis quæ vultibus olli
Apparuere viri, tenero quos corpore natos

Jam morbus quondam vitæ detruſit ab oris
Inſtantis tinctos nuper, ſed vita beata
Albis indutos gremium protraxit in altum.
His igitur viſis, animo conſtantior eſſe
Cœperat, & lætus pariter comitatus eoſdem,
Ibat ad judicium, Prætor quod maximus omni
Egredienti animæ diſcernit ſedibus altis.
Hunc genibus flexis rogitat pietate modeſta,
Ut ſibi non digno veniam donaret. at ille
Sedibus è ſummis reſpondens talia fatur.
  Cùm tu tranſgrediens præponas verba maritæ,
Non pactæque fidem thalamo ſervando fugaſſes,
Cur tibi nunc veoiam gelidæ ſub tempora mortis,
Hîc tribui poſcis, veniæ quo tempora non ſunt?
Aſt pueri flexis genibus pietate viciſſim
Ad veniam patris procerem vocitare parabant.
Ille ſed immitis dominam viſitare jubebat,
Judicioque ſuo veniam vel ſumere pœnam
Coojugis. aſt pueri pavido comitante marito
Jam trepidi nimiùm properant ad lecta maritæ,
Candida quàm multum celſis ad ſidera muris
Montis io arce piæ monſtrant cænacula ouptæ.
  Ingreditur genitor natis comitantibus altis,
Corruit & mulier, natos dum cernit ocellis,
Eque domu mandat pellacem vertere greſſus.
In faciem ſanctam ruitantes tempora natæ,
Fletibus inmadidant, iram gemuere paventes,
Obſecrant, Mater, nobis miſerere, precamur,
Conjunctique tui meritis ſine crimine ſolve,
Sedibus è ſummis radianti lumine vibrans.
Veſtibus aurigeris in toto corpore pleoa,
Semina corripiens, deſpexit fata mariti.
  Cur tu ſtulte fidem corruptus corpore, mente,
Irrita vota gerens, copulam conjungere natis
Auſus eras thalamis, maculans tua membra ſecundis,
Fœdera cum manibus Domini per nomina ſummi
Ante diem mortis formando geſſit uterque
Poſt mortem alterius maneat quod criminis expers?
  Obſtruſo tacuit non læti pectotis ore
Vir, paviduſque ruens confeſtim lingere terram
Incipit, & faciem perfundit fletibus omnem.
Illa ſed ingeminans, coonexum carceris umbras
Juſſit adire virum, donec jam crimina cuncta
Flammis obſorptus nimiùm perſolvit in atris.
Plantis at ſtrati ruitabant pignora matris,
Perque Dei nomen, rogitant, miſerere, precamur,
Vel ſaltim liceat corpus viſitare marito,
Solvere ſicque ſua mereatur crimina vivens.
Mentibus luxatis genetrix conſentit amata
Pignora quæ patrem poſſint adducere corpus
Cautius, huicque ſuam monuit percernere vitam,
Ne rurſum adveniens pro culpis præcipitetur
In tenebris, quo ſtridor erit fletuſque perennis.
Hinc iterum adductus natis comitantibus albis

Pervenit

Pervenit ad corpus, cunctis mirantibus illum
Vivere poſt mortem: mortis ſed verſus ab oris
Vivere jam Chriſto ſenſu perdiſcit acuto,
Et cautus monſtrat cunctis ſe cernere vita
Pœnas horrificas, carnis ſi lingua taceret.
Cumque ſuis medicans Frater cataplaſma ſalutis
Vulneribus fecit, purgatus corpore linquit,
Atque ſuæ comtus ſponſæ penetralia comtæ
Creditur ut lætus meruiſſet viſere comta.

XII. *De obitu Patris* EANDMUNDI.

CUMQUE diu cellam memoratus Paſtor haberet
Nobilis eloquio, & cunctis venerandus in actis,
Tempore tum plenus linquit conſortia carnis,
Ingrediturque ſuit felix ad gaudia Chriſti.
Tum fraterna cohors venerandi membra parentis
Culmine ſub templi digno poſuere ſepulcro,
Atque animam Domino immenſis cum fletibus alto
Jam precibus fuſis commendant membra ſacratis.

XIII. *De* EORPUINO *ſucceſſore Eandmundi, & fratre ejus* ALDWINO.

EORPUINUS hunc ſequitur commiſſi paſtor ovilis,
Preſbyter egregius, vitæ ſtudioſus amator,
Senſibus & prudens, & cuncto ſtrenuus actu
Divitias tribuit laxato mentis opimo
Jam gremio Monachis, quos lurida inedia preſſit,
Inque modum mirum diſperſæ ad præmia certa
Divitiæ creſcunt: cumulat reverentia Chriſti
Munera ſparſa ſibi per cunctæ tempora vitæ.
Largus erat miſeris, nimiùm ſibi parcus in omni
Victu: namque eſcis paſcebat corpora ſiccis:
Triverat hic ſoles, nullamque aſſumſerat eſcam
Jejunium referens volitanti lumine pectus.
Nec mirum excellens faciat ſi talia Princeps,
Dum majora boni paterent hi ſeque minores,
Atque dies multas certant jejunia Chriſto
Reddere, ne mentes fallax eluderet aſtu
Incautas hoſtis ſubitæ virtutis honore.
Sæpius ipſe fugit ſacræ formidine plebis:
Bella nefanda ſinunt populo certare fideli:
Auxilium præſtans Chriſtus concertat ab arce.
Unde Deo lecti celſum rapuere triumphum,
Præcipiteſque fugam nigræ ſenſere phalanges
Paſtor & iſte pius complevit in ordine tempus.
Germano meruit condigno linquere ſedem.
ALDUINUS hic fuerat carnali nomine dictus.
Moribus hic verus & verbis omnibus exſtat,
Signifer eſt clarus, ſubjectos vocibus hortans,
Ut ſua vota pii trans æthera principe figlent.

XIV. *De* Sigbaldo *Abbate, quomodo multis donariis & divitiis Lindisfarnenſem eccleſiam ditavit.*

Quartus adeſt Paſtor præclaro nomine Sigbald
Preſbyter: hic cellam multis donariis auxit,
Atque Deo dignam ſtudioſus condidit aulam.
Hæc eſt illa domus, quam Mater Numinis alti
Incolitans ſervat vaſti ſub culmine cæli.
Cui compacta nitet perpulcris menſa tabellis,
Porticus in medio, Sancti quam fronde coronant,
Dum buxis claudunt pretioſæ munera vitæ.
Occidua nitidi ſplendent in parte miniſtri,
Qui modulis culmen cæli concentibus ornant.
Omnes aſt Sancti medii pavimenta ſacelli,
Servantes colitant per tempora cuncta, maniplis
Innumeris jungunt, vocitati ad vota piorum
Quod meritis capiunt ſemper defendere ſanctis,
Si vitæ ad palmam certant properare fideles.
Cetera per templum numeret quis lumina cuncta,
Quæ temploque polo rutilant per gaudia vera.
Preſbyter iſte Deo conceſſit plurima dona,
Aureus iſte calix gemmis ſplendeſcit opertus,
Argentique nitens conſtat fabricatus in altis *,
Quem dedit ille pius magnæ Genitricis ad aulam.
Plumbea ſarta tegunt caſæ cum culmina ſummæ.
Nec minus ex cipro ſonitant ad gaudia Fratrum
Ænea vaſa cavis crepitant quîs pendula ſiſtris.
Hoc templum ingrediens dum pura mente Sacerdos
Jam Miſſas celebrans Sigbald viſitare parabat,
Fontibus è calidis ſalſæ decurrere guttæ
Incipiunt, Chriſti magnus quas excitat ardor
Pectore de puro; trepidant nec guttura cantu.
Sanctam cumque diem celebravit, virgo Maria
Quo volitans cælos meruit penetrare per altos,
Vel qua præſenti generata reddidit orbi,
Vel qua perpulcræ ſuſceptat gaudia vitæ,
Vel qua celſitronum meruit generare Tonantem,
Vel quacumque die templi [ſacra] feſta coruſcant;
Omnibus his lætus nimium per gaudia ſancta
Aurea dulciſonæ reſtaurat munera mentis:
Ac Fratres precibus mulcet, ſollemnia feſta
Ad lætos celebrare piæ Genitricis honores.
Preſbyter hic doctus dum longo tempore felix
Talia per cellam metuit jam facta novare,
Clauſit iter ſæcli tranſductus ad atria vitæ.

* il eſt in patena infrà cap. 20.

XV. *De* Sigwino *Abbate, fratre & ſucceſſore Sigbaldi.*

Postquam germanus permitis regmina cellæ,
Sigwinus alterius ſumſit cognomine dictus,
Dapſilis hic nimiùm minimis magniſque per omnem
Exſtiterat vitam, miſeris largitus egenis
Divitias tribuit, Dominus quas auxerat altus.

Viderat hunc quidam tetræ ſub tempora noctis
Veſtibus inſolitis indutum tradere dona
Pauperibus miſeris, nimiùm qui frigida membra
Excluſi portis calefacta in rudere ponunt.
Cumque pius tribuit radiantis membra metalli,
Præcipit obſecrans ſummi per regna Tonantis,
Quatenus hæc nulli cunctæ per tempora vitæ
Dicant. aſt miſeri teſtantur dicere nunquam,
Ex quo præſentis maneat ſub tempora vitæ.
Hoc cernens Frater, tenebris cumulantibus arva
Delituit, fugienſque ſemel non talia putat
Eſſe, ſemel poterat quemquam jam cernere viſus.
Cumque ſuis largus ſemper tribuiſſet amatis,
Divitiæ creſcunt diverſa in parte locorum,
Ac ſegetes ſpiſſo cumulantur germine cultæ:
Ac pecus omnigenum paſtores munere demtum
In nunero damnum gregibus deſumere neſcit.
Dum veneranda Dei Sanctorum feſta redirent
Claſſibus in geminis ſubter teſtudine templi
Fratribus immixtus Pſalmorum concinat odas,
Dulciſona antiphonæ modulantur carmina fuſæ.
Aſt lector melos voce articulata reſultans,
Prædoctus biblis ad gaudia magna refundit.
Cumque die ducto Miſſarum cantica complent,
Fratres concordi comitantur carmine Patrem
Ad menſam. poterat tum nullus dicere dignè
Quem ſtudioſè epulis cupiat ſollemnia ſancta,
Cùm celebrare ſuis lætetur Clerus in urbe,
Atque domum gratulans clamoſo carmine complent.

XVI. *De* Iglaco *Presbytero & Lectore.*

Tempore quo Lector præclarus gaudia digni
Accumulat Patris, Iglacus nomine dictus,
De quo jamdudum perſtrinxi pauca relatu,
Anglorum de gente pios dum carmine quoſdam
Jam cecini indoctus, viliſque per omnia ſcriptor,
Quæ ſi quis cupiat cum gnaro noſcere corde, *Nota.*
Currat, & hæc ſitiens ſe ulgoſis mergat in undis
Litora quo docti non doctè carmina Patris
Pompat, & aggreditur, poterit quàm dicere dignè.
Hos tantùm verſus præſens mihi chartula ſignat,
Quòd menſam digitis Dominus circumdedit almam,
Inque caput Sancti pedirat benedictio larga,
Nec oculis cernens cernit de pectore gnaro,
Spiritus atque pios carnis fraudatus ocellis,
Necnon atque nigros mentis proſpexit ocellis,
Hunc iterum manibus præcelſum cingere Regem
Viderat, atque animam fulgentem lumine ſolis
Mentis in exceſſu quidam confeſſor in Anglis.
Quæ ſi quis cupiat diligenter ſcire per orbem,
Prædictas quærens jam nunc ſe mergat in undas.

XVII. *De Fratribus cellæ, vel obitu Paſtoris.*

Auctoris ætas.

PRESBYTEROS Monachos, Fratrum reliquamque cohortem,
Quos me non dignum parvis conceſſit in annis
Omnipotens genitor per cellæ mœnia ſanctæ
Cernere, quos miris commirans actibus ipſe
Innotuiſſe ſuo confirmo tempore certè,
Quos in peccatis famulis imitare negarit
Vatis adhuc modulans, tandem jam credo futurum
Illorum precibus capiam quod dona ſalutis.
Tempore completo prædictus corpora Paſtor
Liquerat, & requiem meritis ſactiſque paratam
Ingreditur cuneus nimia cumulante caterva,
Ad crucis excelſæ Princeps quam condidit ipſe,
Apponunt ſignum ſacratæ membra quieti.

XVIII. *De* WLSIGO *Sacerdote & Abbate.*

PRESBYTER huic functo, dictus cognomine WLSIG,
Cogitur eccleſiæ precibus pia regere caſtra.
Abnuit in primis mæſtus humiliſque Sacerdos,
Se fore non dignum conteſtans pondera tanta
Sumere: ſed Fratrem precibus ſe vincere tandem
Gaudet, & eccleſiæ gaudentis regmina ſumſit.
Vir fuit hic humilis, verbis fortiſque, modeſtus,
Sæpius in precibus Domino pia membra tetendit.
Huic ego, dum primùm præſentis mœnia cellæ
Jam puer ingrediens viſitando, ſemper adhæſi,
Unius atque domus requiem captavimus ambo,
Bis terno annorum donec jam tempore fluxo,
Paſtor ovile bonus ſumſit pietate modeſta.
Noctibus in ſurvis, Fratrum pauſante caterva,
Hymnos ac Pſalmos crebris concentibus odat,
Tempore quo Phœbus cælum perlabitur imum,
Moribus hic ſolitis vigilans, è pectore caſto
Pſalterium cantans percurrit in ordine totum:
Sicque die rurſum, Pſalmos complevit eoſdem;
Ut vicibus geminis lyricas conſumeret eſcas,
Hinc iterum ſurgens horam dum prædicat ales
Gutture de rubro ſolitis complebat in hymnis.
Cumque die media Fratres jam quærere paſtum
Incipiunt, eſcæ parcus ſe ſubtrahit omni,
Ac genibus flexis tundit pavimenta ſacelli.
Ac bene percomtus divinis cantibus Iris,
Offert qui mundum ſolvit de morte maligna.
Jamque diem nullum voluit dimittere, præter
Munere quo ſeſe aſſiſtens non ornat opimo.
Cumque epula cupiens monuit conquirere corpus,
Cum menſura ſibi totum quod ſufficit ambit,
Plus juſto quicquam contemnens ſumere victus.
His formata bonis Monachorum gaudia creſcunt,
Seque ſui cupiunt votis cumulare parentis.
Talia dum paucis perfectus, prô dolor! annis

Paſtor patrabat, vitam perductus ad almam
Corpora deſeruit, nitidis comitatus ubi ipſe
Aliribus teſtatus erat, pia caſtra beorum
Ingreditur felix, lætatus ſorte ſuperna.

XIX. *De* WINFRIDO *Presbytero.*

HUIC Frater quidam ſubjectus, corpore, mente
Mirificus ſervit, dictus qui nomine WINFRIDI
Preſbyter enituit præclaris actibus almus.
Hunc Pater ex toto complectens pectore fidem
Credidit, & Fratrum præfecit veſtibus illum.
Iſque Deo deditus, cum tota mente fidelis
Officium ſervat rigido munimine fultus.
Nec ſi terreſtris diſpenſet pondera curæ,
Grandia dona ferens ceſſabat reddere Chriſto.
Aſt moriens Domino præſens cum linquere ſæclum
Cogitur, è mundo Frater ſua corda ſequeſtrat:
Atque Deo ſoli cupiens ſe ſubdere felix,
Eccleſiæ membris ſupplex pavimenta tutundit,
Nocte dieque ſimul precibus commendat ad aſtra,
Seque ſuique animam domini genitoris amati.
Tempore qui longo geſſit dum talia Frater,
Hauſit iter cælum, non claudens gaudia vitæ,
Optatam ſumſit ſemper ſine fine quietem.

XX. *De donis Patrum & votis Monachorum.*

HANC cellam Dominus Fratrum decoravit honore,
Maxima de cælis capiant nunc gaudia cuncti,
Atque Deo ſtudeant condignam condere laudem.
Quod ſine nos meritis tribuit non hoſtibus umquam
Imperio procerum ſæcli, nec ſubdidit imos.
Sint Domino grates ſemper ſine fine ſuperno.
Jam proceres meruere pii, juſtique benigni
Optima ſiderei ſpargebant ſemina doni
Cordibus in Fratrum, ſegetes nec limina cellæ
Quàm lætè ſurgunt ſuperi dulcedine roris.
Illius auxilio nobis quod lucere tales
Jam campus ridet, florent ad gaudia Chriſti,
Per cellam Monachi, lætatur clerus in urbe,
Quem lex una tenet gaudenti in corde voluntas.
Jungit ad aſtra fides numeros, turmaſque frequentes
Congregat, atque Deo ſolitis ſe mandat in horis.
Cùm nox fuſca venit, cùm abſcondent ſidera lucem,
E ſtratis properant ſonitatum adcurrere ſignum,
Et reciproca ſuo modulantur carmina Regi,
Pſalmis atque hymnis laudantes rite Tonantem,
Cantibus in crebris comunt & voce ſacellum,
Quod Deus & proceres ſervantes mœnia cellæ
Muneribus multiſque bonis ornare parabant.
Hæc eſt illa domus, porrectis edita muris,
Quam ſol purpureas illuſtrans candidus horas
Limpida per nitida diffundit lumina templi.

Plurima cùm ſancti ſunt ornamenta delubri,
Hic tamen hæc paucis liceat memorare canendo.
Ut cælum rutilat ſtellis fulgentibus, omnes
Sic tremulas vibrant ſubter teſtudine templi
Ordinibus variis ſunalia pendula flammas.
Mentibus hæc placidis quædam cum tempore priſco
Attribuere Deo quondam proceteſque moderni.
Jam ſuperaucta piis curabant reddere donis.
Nam plures multi cupiebant pendere caucos *,
Limpida qui tribuant quadrato lumina templo.
Aſt alii rutilo condunt vexilla metallo,
Quæ veneranda pii promunt miracula Chriſti,
Qui crucis in ligno mundum de morte redemit.
Quidam præcipiunt ſacratos ſcribere libros,
Quo præcelſa Dei monſtrant jam dicta tonantis,
Qui ſonitans mundum dudum perſuderat omnem,
Atque hos conſpicui pervelat ductilis auri
Lamina, ſic ſancti comunt altaria templi.
Aſt quidam Dominæ menſam quæ nobilis ortu
Gemmarum flammis & fulvo veſtit in auro,
Argenti has nitidæ diſtinguit rite tabellæ
Impreſſas poterit digitis quis cernere formas,
Sanctorum ſplendent animæ cum ſedibus altis.
Hic tamen hæc placuit rerum commenta novare
Mirificis ſunt facta modis quas laudibus ornet
Verſificus poterit, qui dignè hæc dicere doctus,
* ſuprà cap. 14. Aureus ille calix tetigi * quem carmine dudum,
Ac lata argento pulcrè fabricata patena,
Cælatas faciem prætendunt aptè figuras,
Talia dum ſanctæ cumulant penetralia caſæ
Munera, quæ noſtræ ſervant medicamina vitæ,
Jure ſacer Fratrum cuneus per mœnia cellæ
Gaudet, & æternis donantem laudibus ornat.

XXI. *De canticis ſpiritualibus in Apoſtolorum oratorio auditis.*

* ſuprà cap. 4 & 6. TE quoque ſancta domus, cecini quam carmine quondam *,
Quæ ſacrata Deo fulges ſub nomine Petri,
Nunc iterum liceat paucis memorare beatam
Verſibus. Hanc dudum nigræ ſub tempora noctis
Moribus ex ſolitis poſt hymnos viſere certant
Fratres, atque ſuæ complent ſollemnia mentis.
Ociùs inde ſuos cupiunt adcurrere lectos.
Aſt ego poſt omnes concluſis poſtibus aulam
Diſſeruique alium Fratrem comitatus adiri,
Qui tum ſortè foras ſpectando ſidera cernit.
Ecce repente venit miris cum cantibus agmen
Immenſum, Domino modulans pia carmina ructat,
Præmiroque locum cinerum jam lumine complet,
Intrant ſiderea candentem luce delubrum
Spiritus, ac geminis diſtinctis claſſibus hymnos

* Id eſt pateras. Sic Egvvinus Rex, teſte Beda in Hiſtoriæ lib. 2 cap. 16, *in locis ubi fontes lucidos juxta publicos viarum tranſitus conſpexit, ubi ob refrigerium viantium, erectis ſtipitibus, æreos caucos ſuſpendi juberet.*

Tales concinnunt: quatitans ad culmina cantus
Adſcendit cæli, inſonuit laquearibus altis.
Et ſi non ſtructam tamen meritis micat almis,
Ad celſos montes ſuperant qui ſidera cæli,
Auxilium credo à Domino qui fecerat auctor,
Omnia quæ cæli, quæ terræ & flumina cingunt.
Hæc cùm dicta diu geminis in claſſibus aulæ
Culmine ſub Sancti ſonuerunt poſtibus, ipſe
Atque alius frater pariter properamus uterque,
Auribus atque oculis mirandum noſcere viſum.
Continuoque polum cantus cum lumine pulſat.
Ulteriùs nobis licuit nec talia viſa
Cernere, quin trepidi cupimus viſitare quietem.
Nec ſemel aſtrigeris ſonuerunt agmina dictis.
Quin potiùs cuneus mira cum luce coruſcans.
Vocibus aurigeris cineres vitare ſategit
Sæpius in terræ noctis cum tempore ſtrata
Manſiſſent Fratres, conſtat quod munere Chriſti
Patratum Sanctis, cujus jam gratia ſemper
Omnibus in terris ſecundo lumine flagrat.

XXII. *Somnium quod vidit die dominica.*

TEMPUS erat noctis, lucem cùm prædicat ales,
Algida poſt hymnos laxaſſent membra quieti,
Furtivus adveniens ſomnus ſubrepſit ocellis.
Candidus en ſubito videbatur ductor adeſſe.
Hunc ego perpavidus nitidis cum veſtibus album
Vultibus ac pulcris radiantem greſſibus ultro
Callibus ignotis peditans comitatus adivi.
Campus erat latus, pulcris qui floribus offert
Olfactum dulcem miranda ad gaudia cunctis,
Qui meritis digni poſſunt hæc cernere viſa.
Hancque roſæ rutilant per totam & lilia fragrant,
Permultiſque olerum flores quos dicere certè
Mens indocta fugit, talis jam germinis expers,
Cumque viam pariter currentes carpſimus ambo,
Candentem ſubitò nimium conſpeximus urbem,
Rorifluas muri cernuntur lambere nubes.
Oſtia laxato patuerunt cardine clauſa.
Candidus interius pavido comitante miniſtro
Ingreditur ductor: patuerunt ſæpta ſacelli,
Quæ crucis in ſpeciem pulcrè fabricata manebant.
Aſt domus interior nimio candore coruſcans,
Jamque rotunda ſuis formabat mœnia ſaxis.
Sed domus exteriùs magnis minimiſque per omne
Porticibus ſparium muri ſubfulta manebat.
E quibus in plagis bis binæ quatuor orbis
Adſpiciunt ſurſum ſpatiantes edita muri:
Inter quas modicæ variantur in ordine cellæ,
Frontibus hæ nitidis cingentes undique templum,
Marmora permiram monſtrans ſpectantibus aulam.
Aſt pavimenta domus medii ſub culmine templi
Aurea mirificæ portabant munera menſæ.

Crux veneranda nitens præcelſo ſtipite ſurgit
Vertice de menſæ, nimiùm candente ſmaragdo.
Aurea cum gemmis flaveſcit lamina ſulvis.
Talia dum cernens ſtupido de corde rimarem,
Ecce repentè meus ductor me liquerat, atque
Degrediens templo vacuis ſe condidit avris.
Aſt ego pertrepidus faciem cùm pronior aruis
Inſerui, rogitans Chriſtum, Miſerere precamur,
Hoſtibus adverſis pavidum terrere memento.
Hinc oculos vertens partem quam dextera monſtrat,
Aurigeris ſolium ſplendeſcere rite tabellis:
Quo ſenior quidam venerandus membra locabat.
Ante ſuam faciem fulvis redimira coronis
Ara dicata Deo mittebat munere ſummo,
Quæ excelſa crucis porrexit vertice ſignum.
Hæc rutilo ex auro gemniſque niteſcit opimis
Ex oriente micans de byſſo culmina turbæ
Veſtis contexit, cujus quæ neſcio Sancti
Membra dicata ſui tenuit ſub viſcere ventris.
Talibus hunc rogitans ſtudebam quærere dictis.
Dic, qua parte manet quondam meus ille magiſter
Higlac. Conſeſtim reſpondens talia fatur.
Sedibus è ſummis oculos conſerre memento,
Intereaque videns plauſtrum quo labitur axem,
Hæc cùm detinuit converſis vultibus anguem,
Adſpiciens faciem dudum de Hibernia notam
Noſcere promerui: carnali à nomine dictus
Godfridus ille fuit primis mihi doctor in annis.
Preſbyter exſtiterat, capiti qui pronior otans
Incurvus tumbam Cutberti, corpore, mente
Officio venerare pio, ſic cernitur almam.
Ad cujus dorſum niridi radiante metallo
Sederat in ſcamno Doctor Lectorque [a] beatus
Higlac, indutus nimium qui veſtibus albis
Fulſerat: hic manibus memet benedixit opimis.
Godfridus hinc gradiens per vaſti mœnia templi,
Porticibus magnis minimis induxit apertis.
Omnibus his rutilo capitellis undique cinctum
Thuribulum pendet fabricatum cominus auro:
De quibus altithrono ſpirabant thura Tonanti,
Cerea flammigeris venerans altaria donis.
Porticibus cunctis ardebat lumine claro.
Occiduas tandem partes properamus euntes.
Porticus ille nitens magno ſplendebat honore.
Hac rutilans auro flammeſcit gratia mira,
Ara ſacrata Deo mittit quæ munera ſummo:
Sapphirus hic ſolium beriloque adnexus in ante,
Fecerat eximium Dominus cui inſederat almus
Wlfsig, quem priſci cupiunt vocitare parentes.
Intremui gaudens ſubito quàm pronior almo.

[a] Sic Monaſteriorum Præceptores appellabant. ſic Colcu *Lector* vocatur ab Alcuino in epiſtola 18 inter Hibernicas. Eglacum laudat Piſeus ad annum DCCXL, eique tribuit librum unum de vita Sigvvini Abbatis. Iglatii nomen habetur in Martyrologio Benedictino 25 Julii, ex mero arbitrio.

Ille

Ille levata manu dictis ſacravit euntem.
Hinc ego me ſenſim priſco comitante magiſtro
Converti ad culmen cellæ quæ reſpicit arcton,
Plurima quæ miris micuerunt vaſcula gemmis.
Aſt alio ex auro variato lumine vibrant
Ornatuque ſuo mundi ſuperare metallo
Omnia jam poterant pretioſa germine facta.
Hæc inter dapibus diverſis menſa refecta
Omnigeniſque epulis eſcarum munera profert,
Sumſerat hinc calicem vitrei de vena metalli:
Hauſerat & manibus venerandi dona liquoris,
Sacrificanſque piis precibus potumque miniſtrat.
Aſt ubi perceperam mirandi vina ſaporis,
In cælos Domino laudes grateſque rependi.
Preſbyter interea venerandus talia dixit.
Hæc domus eſt meritis animarum condita ſanctis,
Quas Deus omnipotens iſtic pietate locabat,
Eſuriem pœnaſque ſitim per ſæcula nullus
Sentiet in Domino, ſumunt ſed gaudia longa
Laudantes dominum cæli per ſæcula cuncta,
Qui requiem lectis tribuet ſine fine beatam.
His dictis vigilans viſum jam ſcribere cœpi.

XXIII. *Salutatio & precatio vatis ad Sanctos & ad Dominum.*

HÆc Lupus, altè Pater, ſtolido de pectore Clarus
Carmina compoſuit, corpore mente rogans,
Quatinus indigno Sancti ſua munera præſtent,
Et poſcant veniam cum pavido precibus.
Omnipotens meritis ſemper quos augeat iſtic,
Ut puram capiant corpore, mente fidem,
Hic locus ut Chriſto ſemper memoralibus almo
Exſiſtat meritis, accumulent Monachi.
Sit Deus omnipotens per ſæcula cuncta beatis.
Servator mitis, dum meliora velint.
Cum quibus hæc cantans cupiens ſua miſcere vota
Non ceſſat, famulans quandoque non vitiis.
Tu, Pater, hæc recitans noſtros non ſperne labores,
Quin magis hæc cernens gaudia digna tene.
Quòd tuo tam clari meruerunt ſanguine patres
Eſſe, Deo grates reddere te moneo.
Me quoque nunc precibus Domino mandare profuſis.
Jam dignare precor, corpore, corde rogans;
Quatinus hic trepido dimittat crimina vati
Omnipotens genitor, nec pietate vacet.
Cui decus imperium virtus, ſapientia perpes,
Laus & honor ſemper permaneat, vigeat.
Te pater omnitenens ſervet per ſæcula mitis
Inferni vinclis verberibuſque privans.

Explicit liber Adilvulfi Lindisfarnenſis eccleſiæ Monachi, de Abbatibus & miraculis ejuſdem eccleſiæ.

APPENDIX

De quibuſdam piis ac ſanctis Monachis Lindisfarnenſis Cœnobii.

Æthelvvaldus.

1. INTER *Sanctos ſæculi* VII *Monachos incogitanter omiſſus eſt* EDILWALDUS *ſeu* ÆTHELWALDUS *Presbyter & Anachoreta, qui teſtante Beda in Hiſtoria lib. 5 cap. 1*, ſucceſſit viro Domini Cuthberto in exercenda vita ſolitaria, quam in inſula Farne ante epiſcopatus ſui tempora gerebat. *Is* multis annis in Monaſterio, quod dicitur In Ripum, acceptum Presbyteratus officium condignis gradu ipſo conſecrabat actibus. *His ſubjicit eodem loco Beda Æthilwaldi miraculum de ſedata maris tempeſtate. Tum ſubdit :* Manſit autem ibidem vir Dei in inſula Farne duodecim annis, ibidemque defunctus eſt; ſed in inſula Lindisfarnenſi juxta præfatorum corpora Epiſcoporum in eccleſia beati Apoſtoli Petri ſepultus. Geſta verò ſunt hæc temporibus Aldfridi Regis, qui poſt fratrem ſuum Egfridum genti Northanimbrorum decem & octo annis præfuit, *mortuus anno* DCC V *ex ipſius Bedæ Epitome. Edilwaldum item laudat Beda in Proſa de S. Cuthberto cap. 26. ubi eum virum* Deo dedicatum *vocat. Addit in Vita metrica cap. 45 eum* rarò proprias voluiſſe cuiquam pandere virtutes. *Eum in cælitum numerum cum Cuthberto fuiſſe receptum canit in hunc modum.*

Sicque duos vario jam munere Spiritus idem
Luſtravit per dona viros, atque ætheris alti
Tramite divino regnum perduxit ad idem

Ejus obitum reponit Maihewius die 23 Martii, præferendus Bucelino, qui eum refert ad 6 Januarii.

Alius ab Ethilvvaldo Epiſcopo Lindisfarnenſi.

2. *Æthilwaldum hunc meritò diſtinguit Maihewius ab Ediluvaldo, qui S. Cuthberti primùm miniſter Lindisfarnæ, dein Abbas Cœnobii Mailroſenſis, teſte Beda in Proſa cap. 30, demum ad Epiſcopatum Lindisfarnenſem promotus eſt, mortuus anno* DCC XL, *ex continuatione Bedæ Epitomes.* FELGILDUS *in Farne inſula*

Felgildus.

poſt Æthilwaldum anachoreticam vitam duxit, Beda in cap. ultimo Vitæ S. Cuthberti.

Egbertus Archiepiſcopus.

3. *His adnumerandus eſt* EGBERTUS, *qui* in infantia à patre Eata in Monaſterium traditus eſt, *ut ſcribit Turgotus in Hiſtoria Dunelmenſi lib. 2 cap. 3, Eboracenſe, an Lindisfarnenſe.* Is provectiori ætate cum fratre Egfredo Romam profectus, Diaconatus gradum ſuſcepit: mortuoque ibi fratre patriam reverſus, regnante Ceolwlfo atque jubente, primus poſt Paulinum accepto ab apoſtolica Sede pallio, genti Northanimbrorum in Archiepiſcopatu confirmatus eſt, & XXXII annos tenuit. *Lege Poema in fine Sæculi tertii. Quis fuerit* HEREFRIDUS *ille* vir Dei, *is cujus obitum anno* DCC XLVII *reponit continuata Bedæ epitome, mihi incompertum. De Monachis Lindisfarnenſibus per Danos cæſis agendum infrà.*

VITA SANCTI NEOTI ABBATIS IN ANGLIA, Circa ann. DCCCLXXVII. Jul. XXXI.

Auctore Anonymo ſæculi XII.

Ex mſ. codice Beccenſis Monaſterii.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. PRIMUS qui S. NEOTI geſta in litteras retulit, fuit Anonymus quidam ejus æqualis, cujus meminit Aſſerus in libro de vita Alfredi Regis; qui cùm Danorum vim profugus declinaret, ſe recepit apud quemdam ſuum vaccarium, ut in vita ſancti Patris Neoti legitur, ait Aſſerus. Secundus auctor eſt is, quem mox exhibituri ſumus. Tertius GUILLELMUS Rameſienſis, Crulandenſis Monachus, qui Vitam S. Neoti carmine & proſa perſecutus eſt, teſtante Johanne Pitſeo ad annum M C LXXX. Liber ejus metricus ſic incipit. Vitæ ſcriptores.

Anglia quæ toto modò regi, &c.

Proſa verò in hunc modum: Beati Neoti Confeſſoris Vitam, &c. cui libro alterum ſubjecit de ejuſdem Sancti translatione. Quartus auctor exſtat apud Capgravium, ſi tamen alius à Capgravio eſt. His omnibus accedunt recentiores Harpsfeldius in Hiſtoria noni ſæculi, & Thomas Maihewius in Martyrologio. Ex his unum hic edimus Anonymum ſecundum, (nam primum reperire non licuit) quem puto fuiſſe Monachum Cellæ S. Neoti in agro Huntindonenſi, ac ineunte ſæculo XII vixiſſe: certè poſt Normannorum adventum in Angliam, ut patet ex num. 2. Hujus verò lucubrationem adepti ſumus ex mſ. codice Monaſterii Beccenſis in Neuſtria; indidemque initium proſæ Guillelmi Rameſienſis, qua in S. Neoti feſto uſi ſunt olim Beccenſes noſtri, etiam accepimus. ſed quia laudatorio potiùs quàm hiſtorico more procedit, ideoque à nobis omiſſa. Librum ejuſdem Guillelmi de translatione S. Neoti hactenus deſideramus.

2. Sanctum Neotum ſtatim ab ejus obitu in cælitum numero fuiſſe habitum, patet ex præmiſſo Aſſeri loco & aliis. Et quidem ſæculo XII pridie Kal. Auguſti celebrabat Anglicana eccleſia, ut in appendice ex Orderico dicemus. S. Neoti cultus.

3. Monaſterium à S. Neoto conditum in Cornubia apud Weſtſaxones ſitum erat, haud longè à Liſkerda* oppido; nomenque S. Neoti retinet locus, vulgo Neoteſtow, procedente tempore converſus ad Clericos ſæculares. Alia Cella ejuſdem Sancti nomine inſignita exſtitit in agro Huntidonenſi, ad Uſam* fluvium prope villam olim dictam Hennlveſbury, modo Eineſbury, quæ cella poſtea S. Neoti* vocabulo donata eſt. Iſtic ſanctus Adelwoldus Wintonienſis Epiſcopus, rogante Leofrico Comite & uxore ejus Leofleda, qui ſecum ſuppeditarunt, labente ſæculo X conſtituit Monachos, quos partim ex Cœnobio Elienſi, concedente Brithnodo Abbate; partim ex Tornienſi accivit, cellamque Elienſibus ſubjecit. Eamdem per Danos everſam Roeſia uxor Richardi filii Comitis Giſleberti reſtituit anno M C XIII, eamque Beccenſi Monaſterio attribuit, uti fuſiùs legere licet in Monaſtico Anglicano pag. 368 & ſeq. Monaſteria. * Liskerde * Ouſe * S. Neods

4. Sunt qui Oxonienſem Academiam ab Alfredo Rege conſtructam hortatu S. Neoti fuiſſe ferunt: quos inter primum invenio Johannem Bromtonem Abbatem Jornalenſem, cujus chronicon in Johanne Rege deſinit. Ejus verba hæc ſunt. Quamobrem ad conſilium beati Neoti Abbatis, quem crebrò viſitaverat, ſcholas publicas variarum artium apud Oxoniam primus inſtituit, quas in multis privilegiari procuravit, &c. Suffragantur Polydorus Virgilius. Piſeus, Maihewius, & alii nonnulli recentiores. Et quidem Academiam iſtam ab Alfredo conditam, aut potiùs inſtauratam fuiſſe conſtat. nam hujus rei teſtem luculentum habemus Aſſerum. Verùm an ejus inſtaurationis conſilium auctorem habuerit S. Neotum, pro comperto affirmare non auſim. Certè id reticuit ſequens Anonymus, qui meminit libertatis Anglorum Romanæ ſcholæ à Marino Papa conceſſæ, rogatu Alfredi Regis, quem hac de re Neotus ſollicitaſſe dicitur. tametſi apud Aſſerum id non invenio, qui tamen indultam Oxonienſis Academia quid ipſi debeat

Circ. ann. DCCC LXXVII Jul. XXXI. *à Marino libertatem commemorat. Sanè Alfredum S. Neoto, cognato utique ſuo, plurimum tribuiſſe, ejuſque conſilio uſum fuiſſe, ex Aſſero perſpicuum eſt, ut facilè cum eo de inſtaurandis Oxoniæ ſtudiis communicare potuerit. Denique Grimboldo Sithienſi Monacho quantum debeat Oxonienſis Academia, teſtis eſt locuples Aſſerus ad annum* DCCC LXXXVI. *de Grimboldo aliàs. Poſtea quàm hæc ſcripſeram, pervenit in manus meas Ælfredi magni Vita tribus libris comprehenſa, auctore Spelmanno, qui in libro 3 de hac controverſia fuſiùs agit, cenſetque contra Twinum, Ælfredum Oxonienſis Academiæ primum eſſe auctorem. quod negant in ſuis Notis cum Camdeno alumni Oxonienſes, qui Spelmanni libros Anglicè ſcriptos Latinè reddiderunt, illuſtraruntque. Supereſt exhibere hoc loco ſecundi Anonymi ſcriptionem, cujus prologi majorem partem ſanè perquam inutilem, reſecare viſum eſt. Initium prologi is eſt :* Cùm univerſarum eſſentialis rerum perpetuitas, &c. *præmiſſo hoc titulo:*

INCIPIT PROLOGUS

in Vitam glorioſi Confeſſoris Chriſti atque Abbatis Neoti.

1. VIR iſte clarus quidem nobili parentum proſapia, ſed multo clarior exſtitit in devota Fidei confeſſione. Hujus viri ſtilo qualicumque, ſaltem ex parte; proſequendam ſuſcepimus laudationem. Nec tamen præcipiti audacia vel impetuoſa præſumtione tanti operis aggredimur faſtigium: ſed pòtiùs erga Sanctum habita devotione & intenta multòrum ſupplicatione. Multis ergo prætermiſſis, quorum ad nos uſque nequaquam plenè pervolavit notitia, quamplurium incuria negligentiæ miniſtrante fomitem, multorumque langueſcente memoria; perpauca de tanti viri geſtis atque miraculis huic operi Deo favente interſerimus. ſicut enim in omnibus faſtidium, ita ab omnibus debet evitari prolixitas.

INCIPIT VITA.

Neoti genus & parentes.

2. CUM adhuc Anglia, quæ priſco nomine Britannia dicebatur, pluribus adjaceret Regibus obtinenda, priuſquam debellata triumphali Nortmannorum ſubjugaretur ditioni; quod eleganter regio jure nunc obtinet unus, quatuor tunc Reges inſigniter obtinebant. Tunc etenim temporis totum Anglorum imperium per tetrarchias diviſum, quatuot conferebat Regibus ſceptrigeræ pòteſtatis ac regii diadematis inſignia. Fuit autem ex illis unus vir chriſtianiſſimus ac Princeps egregius, FIDUÆ-RUS[a] nomine, occidentales Angliæ partes totamque Cantiam ſtrenuè gubernans, qui ceteris in Anglia eis cumquaque regnantibus dicitur præfuiſſe. Uxor ejus venerabilis nihilo minùs de Regum proſapia orta, plus florigera virtutum redolebat plenitudine, quàm ſuperba parentum ſe præferret jactantia. Ambo itaque plus egregiæ ſtudentes liberalitati, quod eis genus & mores conferebant, quàm mundanæ ſervientes cupiditati, quod abhorret vera nobilitas; plus honorem Creatoris, quàm proprii jura regiminis affectati ſunt. multa enim de propriis facultatibus eccleſiis atque pauperibus unanimi conferebant favore, cunctiſque eccleſiam oppugnantibus ſcutum liberæ defenſionis opponebant. Dominus autem, cùm ſit excelſus, humilia reſpiciens & alta à longè cognoſcens, reſpexit ad eos & ad eorum opera, deditque eis heredem: in quo tamen jura propriæ retinuit hereditatis, æternam ei recompenſaturus, ut Regis Regum & heres & filius per gratiam factus adoptionis, ei quandoque confidenter arrideret dicens: Tu es, Domine, qui reſtitues hereditatem meam mihi. Sanctus igitur NEOTUS regio quidem, ſed carnali de ſtemmate natus, ſalutari traditur à parentibus la-

a Hinc corrigendi Johannes Capgravius, qui patrem Neoti Ethelvvitum Regem, Alfredi Magni fratrem; & Johannes Pitſeus, qui Aldulfum appellatum dicunt. Neotum Alfredi cognatum fuiſſe conſtat ex Aſſero in libro de Vita Alfredi ad annum 878. De Neoti matre altum apud omnes ſilentium. De Neoti genere iterum infrà num. 17.

vacro regenerandus, ſicque expurgato in eo veteri fermento maſſæ corrupti- Circ. ann.
bilis factus eſt nova conſperſio, ſigillum ſupernæ accipiens hæreditatis. DCCC LXXVIII.

3. Renatus autem ex aqua & Spiritu ſancto, tranſactiſque feliciter teneris Jul. XXXI. infantiæ annis, litterarum implicatur exercitiis, moralibus ac divinis informandus diſciplinis, ut ſciat, quid, cui debeat; quid ex ſe, quid ex Deo habeat; quid carnalis, quid ſpiritualis ei nativitas contulerit; quid ex generis nobili- Educatio. tate, quid ex gratiæ divinæ largitate contraxerit. Quibus dum totus intenderet exercitus, ſancti Spiritus eruditionibus atque documentis conſummatus in brevi, explevit tempora multa, ſicque in vera Philoſophia quod decuit, didicit, ut quidquid indecens eſſet, præteriret. non enim ab hujuſmodi ſtudiis carnis delectatio, non petulantia vel mentis elatio, non pompæ ſæcularis revocabat ambitio. Inter coætaneos duplicis vernabat viroris fragrantia, dum & morum honeſtate bonæ indolis prætendebat elegantiam, & virtutum ſuavitate viriliter in puero ſectabatur juſtitiam. hunc ſiquidem cerneres & corporis adhuc parvitate puerum, & mentis jam gravitate ſummæ perfectionis virum. Sic enim quotidie coram Deo & hominibus, ſalutaribus proficiebat incrementis, ut ſuper ſenes intelligens, ab omni via mala prohiberet pedes ſuos, nitorem & gloriam pretioſarum veſtium, omnemque ſæculi luxum penitus abhorrebat, tamquam regalis oblitus proſapiæ. quod poſtea rerum probavit affectus.

4. Ingreſſus quippe adoleſcentiæ tramitem, cùm jam militare attigiſſet an- Glaſtoniæ fit Monachus. nos, ſæculari noluit implicari militia, ſed potiùs eligens temporaliter abjectus eſſe in domo Dei ſui, quàm in regno gloriari palatio, in Glaſtonienſi Cœnobio Monachus effectus eſt. Erat autem locus ille & magni fama nominis circumquaque celeberrimus, & virtutum aromatibus frequentantibus eum ſaluberrimus. Ibi tunc temporis ſanctus præerat DUNSTANUS[a] Pater inſignis, & variis decoratus miraculorum ſignis, qui merito ſanctitatis & diſcretionis, ac divinæ gratia dignationis, Cantuarienſis honoris apicem adeptus, utrumque poſtea feliciter obtinuit, numquam enim (ut fertur) paſtoralem ejuſdem eccleſiæ curam deſeruit. Vir autem Domini Neotus campum ibi certaminis ingreſſus, tam à prædicto Patre, quàm à Fratribus diligenter monaſticis informatur eruditionibus. Et cùm multi ſancti viri cum eo currerent in ſtadio, ut in unitate corporis Chriſti & pacis eccleſiaſticæ compaginati, omnes, ut unus, acciperent bravium; tamen iſte noſter Patronus cum Apoſtolo Dei æmulatione ſingulos æmulabatur. Cùm enim in diverſis diverſa conſideraret gratiarum munera, pro ſingulis Deo gratias agens, de ſingulis ſingulorum proficiebat profectibus. Unde factum eſt, ut ſubitò ad tantæ religionis adſcenderet faſtigium, quod nihil ei virtutis & gratiæ deeſſe crederetur.

5. Et quoniam unicuique procurandum eſt, ut de multis unum ſaltem ha- Adelvoldi monitis proficit. beat, cum quo familiares poſſit conferre ſermones; cui cordis aditus pateat & receſſus, juxta illud Sapientis, *Unus ſit tibi conſiliarius è mille;* vir Domini pretioſus unum ſibi præ ceteris elegit familiariſſimum, nomine ADELVOLDUM[b], qui poſtea rem patris ibidem ſortitus & nomen, Wintonienſis eccleſiæ Pontifex inde ſublimatus eſt: cujus vita glorioſa Deo complacuit, & mors in ejus conſpectu prædicatur glorioſa. Hunc familiaritatis gratia Sanctus alloquitur dicens: Frater amantiſſime, prætermittamus plurima, & conferamus alterutrum cæleſtis vitæ colloquia, ut ampliorem exprimamus contemplationis dulcedinem. Temperetur corporei laboris nimietas, & demus operam ſpeculationi. Spiritus enim promtus eſt, caro autem infirma. Prætermittamus erga Marthæ plurima ſollicitudinem, & unum cum Maria eligamus neceſſarium.

[a] Inſignis lapſus! Dunſtanus quippe Glaſtonienſi Monaſterio præfuit Edmundo Rege, ſub annum DCCCCXL. Glaſtoniæ præerat anno DCCCLI Edmundus Abbas; cui ſucceſſit Herefertus. ſub altero Monachum induit Neotus. De Glaſtonienſi Monaſterio apud Vveſtſaxones lege Monaſticon Anglicanum à tomi 1 pag. 1.

[b] Et hic aliud erratum. Adelvoldus enim ſeu Ethelvoldus, Dunſtani diſcipulus, ex Abbate Glaſtonienſi Epiſcopus Vvintonienſis creatus eſt anno DCCCCLXIII, ex Symeone Dunelmenſi.

Circ. ann. DCCC LXXVII Jul. XXXI.

Facta autem aliquantula digreſſionis hujuſcemodi mora, Sancto Sanctus iterum aiebat: Venerande Frater, vita brevis, labor utilis: otioſitas eſt culpabilis, cùm animæ ſit inimica. Recurramus ardentiùs ad laboris conſuetudinem, nec caro ſpiritui dominetur, ſed debitæ ſubjiciatur ſervituti. In hunc modum vir ſanctiſſimus inſtanter prædictum Fratrem & alios inſtruebat, ſic unum ex altero temperans exercitium, ut utrumque avidiùs alternatim reſumerent. ſic enim Rachelis pulcritudinem laudabat, ut Liæ non contemneret fœcunditatem: & cùm aliis iter vitæ prædicaret, ſeipſum ſingulis apponebat ſanctæ converſationis exemplar. Jejuniorum enim & parſimoniæ obſervatione, ſedula vigiliarum pernoctatione ac pervigili orationum frequentatione, jugique legis meditatione ſpiritum roborans, carnis domabat ſuperbiam. Quidquid etiam præter moderatam naturæ ſuſtentationem reſervare poterat, in neceſſarios indigentium uſus expendebatur.

Latère ſtudet.

6. Vixit autem in hac devotiónis conſtantia pluribus annis neminem per confinia forinſecus agnoſcens. Cumque fama circumquaque crebreſcente, jam univerſis ejus innoteſceret religio; ipſe tamen ſpecie tenus adhuc omnibus ignotus exſiſtebat, exceptis his cum quibus habitabat, & peculiari domus familia. Nec prætereundum quod dum totus eum conventus ex merito cognitæ ſanctitatis unanimiter ut patrem veneraretur, ac vinculo ſibi caritatis adſtringeret; tamen omnimodis ejus ſemitas inveſtigare non poterant, nec furtivas orationum excubias. Frequenter enim mutato ne cognoſceretur habitu, nonnumquam verò peregrinorum alteratus induviis in eccleſia pernoctabat vacans attentiùs orationi. Cùm verò lúx adveniens noctis diſſiparet caliginem, habitu latenter exutus peregrino, proprio rurſus induebatur.

Diaconus ordinatur.

7. Hujus denique viri fama celebris Epiſcopum non latuit, qui miſſis ad eum nuntiis advenientem pater filium, ut patrem filius, ſollemniter ſuſcepit. quem aliquanto ſecum tempore grataneer retinens, ejuſque feligibus utens colloquiis, tandem cognita ſanctitatis puritate Diaconii promovit ad gradum: in quo vir Dei Neotus magis magiſque proficiens, vaſa Domini vas electum mundo corde munda miniſtrabat. Et quemadmodum Levitis in veteri Teſtamento univerſa ad cultum tabernaculi pertinentia tradebantur cuſtodienda: ſic Levitæ Neoto idem eſt aſſignatum ex officio. quod officioſiſſimè complens, ut dulcem carperet obedientiæ fructum, ſic Deo per omnia placuit, ut nemini diſpliceret.

Sacerdos miracula patrat.

8. Raptus autem poſtea pari Monachorum ac Clericorum deſiderio ad honorem ſacerdotii, quamquam renitens & indignum adhuc ſe eſſe vociferans, qualem ſe omnibus, voce, forma & actu exhibuerit, non eſt noſtræ facultatis evolvere. ut tamen epilogo nonnulla perſtringam, ipſe velut fons patens irriguus & indeficiens, ſitientibus verbi divini pocula propinabat; ab obſeſſis corporibus fuſis ad Deum precibus dæmoniacam rabiem excludebat; languidis debilibuſque medelam ſalutis conferebat. Unde factum eſt, ut catervatim ad eum undecumque turbæ confluerent, alii corporalem, alii ſpiritualem curationem efflagitantes. Ille verò ſingulorum in ſe transformabat affectus, gaudens cum gaudentibus, flenſque cum flentibus, omnibus omnia factus, ut lucrifaceret Chriſto, omneſque eum tamquam omnium patrem & patriæ propugnatorem unanimi venerabantur affectu; & voce ejus audita, vel ſaltem ſpecie cognita, lætabundi remeabant ad propria. Erat quippe Neotus (ut dictum eſt) clarus avis, clarus ſtudiis, clarus moribus, clarus virtutibus; lingua facundus, verbo diſcretus, ſcientia laudabilis, doctrinaque mirabilis; in conſilio utilis, omnibus factus amabilis. Erat nihilo minus adſpectu angelicus, vultus hilaritate conſpicuus, inceſſu modificatus, omniumque membrorum officio compoſitus, ſed corporis brevitate alter Zachæus. Scabello namque ferreo ſuppoſito Miſſas celebrabat, & altaris cultui aſſiſtebat, quod uſque hodie ad ejuſdem viri gloriam & piiſſimam recordationis memoriam vice reliquiarum in eadem reſervatur eccleſia.

brevis corpore, ſcabello utitur ad Miſſam.

Circ. ann. DCCCLXXVII Jul. XXXI.

9. Inter innumera miraculorum ſigna ſignorumque prodigia quæ per eum divinitus creberrimè fiebant, accidit unum cella memoriali digniſſimum, quod nos idcirco ad devotionis excitationem memorare curavimus, ut unius ſaltem relatio multorum ſit certa probatio. Quadam die dum Neotus ceteris tamquam omiſſis, ſolis ex aſſueto ſpiritualibus intenderet, affuit perſona quædam, cui ſedula reverentiæ debebatur exhibitio, pulſans inſtanter ad oſtium, ut ei panderetur ingreſſus. Neotus autem Dei ſervus accelerans qui tunc (ut dictum eſt) ſecretarii * fungebatur officio, ut pulſanti celeriter aperiret ſummopere nitebatur, nec ad ſeram in ſublimi erectam attingere poterat pro ſtaturæ brevitate, cumque qui pulſabat, pulſando magis ac magis inſtaret, & hinc inde ſollicitus ſe vir Dei circumferret; conſpicit eminus eamdem ſeram de loco; ubi clavis confixa tenebatur, divina demiſſam omnipotentia ad ſuccinctorium uſque depoſitam. ſicque intrare volenti veneranter aperuit, glorificans Dominum, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit, qui ſuis in operibus ſemper eſt ab omnibus & ubique glorificandus.

* id eſt ædi-tui

Secreta loca petit cum Barrio.

10. Tandem vir Dei Neotus intra ſe deliberans hominum declinare frequentiam, & exhibitam ſibi ab hominibus honorificentiam; ſicut omnimodis evitabat jactantiam, divino præmonitus oraculo, intra Cornubiæ confinia, remota perquiſivit ſolitudinis loca. Unius itaque clientis contentus comitatu, nomine Barrii, quem ſui fecerat ſecreti conſcium, quique eum nec in vita, nec in morte deſeruit; nunc ambiens excelſa montium, nunc concava perluſtrans convallium; nunc denſas ſilvarum opacitates, nunc ſaltuum ac fluminum amœnitates, ipſo ducente, quo præmonente locum mutaverat, ſibi deſtinatam attigit nemoroſæ manſitationis aptitudinem. Erat autem locus ª ille nemoroſa circumſæptus arborum denſitate, fluminum perſpicuus jucunditate, & collaterali maris affinitate. Hunc ergo locum Christi miles eligens, tamquam neoptolemus, * & nunc primo converſus à ſæculo, rurſus elapſus eſt. Ibi proculdubio promeruit frequenter angelica dignatione viſitari. Novum quippe vivendi terminum, novis denuo virtutum incrementis tamquam novis inſtitueris votis, omnipotenti Deo per omnia ſatagebat anachoriticæ converſationis ſemitam ingreſſus arctiorem. Ad hoc enim elungavit fugiens, & manſit in ſolitudine, ut ſoli Deo ſolidiùs adhæreret ſolitarius: & cùm nihil ei deeſſet in conventu ad juſtitiæ perfectionem, ſummopere tamen nitebatur in ſeceſſu ad ejuſdem perfectionem. Ibi enim vires exercebat, quas antea collegerat: ibi vitam exhibebat, quam in ſcriptis didicerat. Guſtaverat & viderat, quàm ſuavis eſt Dominus: legerat & intellexerat, quia timentibus Deum nihil deeſt. Spinæ divitiarum in eo verbum vitæ non ſuffocabant, nec ſarcinis oneratum ſæcularibus juxta ſemitam retardabant. Ea nimirum quæ retro ſunt oblitus, ad ea quæ ante ſunt extendebatur. Audierat enim quod ſcriptum eſt: *Nemo mittens manum ad aratrum, & adſpiciens retro, aptus eſt regno Dei* & illud: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus*; in corporis autem cruciatu Dominum imitabatur, illam ejuſdem prætendens ſententiam: *Qui non bajulat crucem ſuam, & venit poſt me, non eſt me dignus.* Sanctus igitur Neotus, qui columba fuit in grege, nunc eſt turtur in ſolitudine: illius vitam duxerat ſocialem, nunc iſtius agit ſolitariam: illius retinens ſimplicitatem, iſtius conſervat caſtitatem & utriuſque gemitum: & ſicut de beato Joanne Baptiſta legimus, veſtibus aſperrimis atque cilicinis caro ejus oppreſſa tegebatur, & pauperrimi victus parcitate ſuſtentabatur. ſic nimirum ei videbatur tamquam anteacta tempora in otium expendiſſet, & in vacuum conſumſiſſet. In hac eremi vaſtitate, ſua contentus inedia & voluntaria paupertate, ut ſeptemplici repletus gratia ſeptem feliciter annos explevit, numquam hujuſcemodi rigoris reflectens habenas.

* id eſt novus miles

ibi degit annos 7.

Romam petit.

11. Sanctus igitur Neotus erectus in virtutum culmine, Sedem petit apo-

ª De hoc loco vide Obſervationes prævias num. 5.

CIRC. ANN. DCCC LXXVII Jul. XXXI. ſtolicam, ut inde ſanctioribus informaretur inſtitutis, ubi caput noverat totius religionis. Scire etiam volebat, utrum à ſummo Pontifice ratum haberetur, quod ipſe agebat, & agere intendebat. quod divina factum eſt diſpoſitione, ne lucerna diutius ſub modio lateret, ſed oſtenſa ſuper candelabrum tenebras effugaret. Romam igitur juxta pium deſiderium propoſiti devotus perveniens Neotus, à memorando Papa MARINO [a] cum honoris reverentia ſuſceptus eſt in amplexu caritatis confovendus. Cumque aliquamdiu cum eo converſatus fuiſſet, eique puriſſima cordis arcana funditus patefeciſſet; utroque alterius recreato ſolamine, tandem poſtulata cum benedictione licentia & ſuſcepta prædicationis obedientia, ad prælectum dilectæ paupertatis aſylum redire Sanctus diſpoſuit. Quis autem mira & magnifica quæ Deus per eum in itinere geſſit, narrare ſufficiat? Multos quippe variis diſſolutos languoribus prece pia conſolidavit, prava hæreticorum dogmata viva voce confutavit, & ad catholicæ Fidei ſymbolum iſtos adduxit, illos revocavit; imbre prædicationis terram circumquaque aridam irrigavit, diſcordes pacificavit; & nunc doctrinæ rigore, nunc conſilii ratione, nunc interfuſa oratione, multa multis contulit bona.

[a] à Marino P. obtinet facultatem prædicandi.

12. Glorioſus Dei ſervus & Confeſſor à peregrinatione reverſus, iteratò continuis ſe ſubdidit laboribus: & quia itineris difficultate in melius induruerat, duriorem, in quantum valuit, & artiorem religionis ſemitam ingreſſus eſt. Unde factum eſt, ut frequentiſſimè angelico confortaretur alloquio, & ſuſtentaretur patrocinio: qui ſpiritu vivebat, ſpiritu & ambulabat. Diſponens exinde divino nutu pluribus prodeſſe; ſicut in illis partibus noverat neceſſe; noluit ulteriùs ſolitarius eſſe: quia vivere pluribus, & ſe vita & moribus ceteris anteferre, converſatio eſt ſpecialis: cœpit ergo ardenti deſiderio Monaſterium conſtruere, domos ædificare, officinis inſiſtere, ſicque ſummo fultus artifice, in brevi quod intendebat conſummavit, ut ferventiſſimi rigoris lora nullatenus relaxaret. Omnes ilico occidentales Angliæ fines ejus famoſitas pervolavit, totamque longè lateque attingens provinciam, repentè populos reddidit attonitos: quod de illo quis ſentiebat, celebri laude ſtatim ceteris referebat, donec omnibus innoteſcens oleum effuſum factum eſt nomen ejus. In illis quippe locis pauci admodum culmen adhuc [b] perfectionis attigerant. Occurrunt ad eum populi hac odorifera reſperſi ſuavitate, utrum vera de ipſo audierint per ſemetipſos exploraturi. qui omnes cum Regina Saba, quæ venerat à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis, dicere poſſunt, ſe pauca audiviſſe, & multa inveniſſe. Exinde multi nobiles & juſti, ſæculi faſtum inter ceteros potentiores ejus ſaluberrimis compuncti eruditionibus fallaces abdicarunt delicias, ſe ſuaque Domino ſacrificium offerentes. qui ſacris ejus conſiliis in omnibus obtemperantes, regularibus inardeſcunt diſciplinis informari. Multi quoque ſuos ad eum deferunt filios, ſubnixis orantes precibus, ut eo duce, paſtore atque patrono, miſeros ſæculi fluctus evadere queant, ad vitam enutriri æternam. Porro Fratribus quamplurimis cujuſcumque ætatis regulariter ibidem congregatis venerandus Pater Neotus omnes erudiens, omnibus proficiens, reciproca viciſſitudine virtutum in ſe chariſmata concipiebat ab omnibus, ipſe totus in cælo angelica converſatione, totus erat in illis caritatis fervore.

Monaſterium condit.

Multos ad ſe trahit.

13. Quid de tanti viri ſanctitate referam? quid reticeſcam? nempe ut minùs

a Marinus Papa, quem alii Martinum mendosè appellant, eccleſiæ Romanæ præfuit anno DCCCLXXXII, mortuus anno DCCCLXXXIV, XV Kal. Februarii, ex Baronio. Quamquam Chronologia Saxonica Bedæ hiſtoriæ ſubjecta ejus obitum reponit anno DCCCLXXXI. Neoti profectio Romana contigiſſe non poteſt ſub Marino Papa. Siquidem ea quæ ſequuntur, poſt id tempus acciderunt. Itaque iter iſtud reponendum ſub Johannis VIII pontificatu.

b Id eſt per tempus: cujus rei rationem reddit Aſſerus in Vita Alfredi, *quia per multa retroacta annorum curricula monaſticæ vitæ deſiderium ab illa tota gente, necnon à multis aliis gentibus funditus deſierat, quamvis perplurima adhuc Monaſteria in illa regione conſtructa permanebant, nullo tamen regulam illius vitæ ordinabiliter tenente, aut pro alienigenarum infeſtationibus, aut etiam pro nimia illius gentis in omni genere divitiarum abundantia: propter quam multo magis id genus monaſticæ vitæ deſpectum fieri exiſtimo.* I 11 19.

hyper-

hyperbolicè loquar, pauca, ſed admiranda ſcribo, quæ præterire nefas eſt, aut Circ. ann.
puniendа negligentia. Iſta ſiquidem ferè omnes, & maximè comprovinciales, DCCC
devota & celeberrima concinunt relatione. Erat ibi (ut aiunt) & eſt uſque LXXVII
hodie fons quidam irriguus, qui totum locum reddebat aptiorem, gratam ei Iul. XXXI.
conferens amœnitatem, in quo Pater inſignis Deo proviſore, totius boni largitore, tres invenerat piſciculos, illos autem nec lædere præſumſit, nec tangere auſus fuit, donec divina revelatione noſſet, quid ex his ſibi foret agendum. quod factum eſt: affatu namque angelico præceptum accepit divinitus atque ſententiam, ut ſingulis diebus, vel quoties expediret, unum tantùm accipiens, reliquos duos ſemper ibi conſervaret illæſos. Hanc itaque ſententiam, tamquam mortis & vitæ januam, diu cuſtodivit inviolatam, pro hoc & aliis beneficiis Deo infatigabiliter gratias referens. Cúmque uno ſublato, duo ſemper illibati remanſiſſent, divina ſuppletus bonitate, in craſtino ſupraſcriptus reperiebatur piſciculorum numerus. Accidit autem aliquando, ut vir Dei moleſta corporis detentus infirmitate vix aliquo vel modicè veſceretur edulio. proinde cuſtos ejus & famulus fideliſſimus, de quo ſuperiùs * mentio facta fuit, condolens & compatiens pii Patris incommoditati, quantocius ad fontem properavit, & duos inde afferens piſciculos, præparare ſollicitus curavit. Unum itaque aſſatum, alterum elixum domino ſuo quem medullitus diligebat, obtulit in diſco, rogans & excitans eum ut comederet. Cumque vir Dei quid eſſet in diſco, requiſiſſet, & unde piſces allati fuiſſent; Barrius famulus ejus, ſicut erat ſimplex & innocens, quod ſimpliciter fuerat factum, ſimpliciter recognovit. Ideo, inquit, Pater, duos à fonte piſciculos ſuſtuli, & diverſo modo tibi in edulium præparavi, ut ſi fortè uno veſci non poteris, ex altero, ſi fieri poteſt, ſaltem reficiaris. Tunc Domini ſervus & athleta, ſimplici quidem animo, ſed tamquam in ita commotus, in verba prorupit increpationis dicens: Quare hoc feciſti? quare nobis victum divinitus attributum temere abſtuliſti? quare contra Dei nutum atque ſententiam agere præſumſiſti? Hæc dicens juſſit inde piſces auferri & in fonte reponi. Ipſe verò ad expertum converſus orationis remedium, ut & Dominum placaret, & deſolatum conſolaretur famulum, obtinuit. Pronus etenim ſolo ac gemebundus incumbens, nequaquam ab oratione dicitur ſurrexiſſe, donec ei nuntiatum fuiſſet, piſciculos more ſolito in fonte natare viventes. Tunc cum gratiarum actione ſurgens, unum denuo juſſit afferri, & paratum in eſum ſibi apponi. Cúmque guſtaſſet, ilico ſanus effectus convaluit. Ecce vir iſte, ſicut de Salomone ſcriptum reperimus, non ſolùm quod poſtulavit impetravit, verum etiam quod non poſtulavit. Habemus hic quid admirari, quidve debeamus venerari. O virum ineffabili laudatione dignum! ô pium Spiritus-ſancti ſacrarium!

Mirum de piſcibus.

* num. 10.

14. Audiamus & aliud quod ſollemniter atque devotè ſexus uterque refert. Quadam nocte, ut referunt, venerandi Patris boves furto ſublati ſunt, quibus tota domus in agricultura ſuſtentabatur. Cùm verò Fratres pro tali penuria cum pio Patre ad agros egreſſi fuiſſent, ut pro poſſe labori attentiùs inſiſterent; ecce cervi quamplures de frutetis nemorum gregatim advenientes, ad eos manſuetiſſimi properabant, eiſque tamquam alii cervorum hinnuli matribus applaudebant. quod videns pius Monachorum Pater & dux Neotus, per cujus merita hæc & alia fiebant magnalia, & ad cujus manſuetudinem leones & tygres & feræ quælibet indomitæ manſueſcerent, Fratres conſolatus eſt, dicens, Dominum eorum reſpexiſſe devotionem. ſtatimque cervi, ejus juſſu colla jugo ſubmittentes aratris apponuntur: ſicque (mirabile dictu!) boum vices longo tempore ſuppleſſe referuntur. Fures autem qui ſceleris hujus auctores exſtiterant, tam admirabile factum expaveſcentes, virum Deo plenum quantocius adierunt, veniam imploraturi. Cumque advenientes ei ſua reſtituiſſent animalia, pedibus ejus advoluti, plenam indulgentiæ largitatem ab eo miſericorditer perceperunt, atque dignum pœnitentiæ fructum ſe facturos

de furto boum & cervis arantibus.

Circ. ann. DCCCLXXVII Jul. XXXI

promiſerunt, vitam ſuam de cetero ejus conſilio munientes. Unde patens eſt, virum Dei ſanctitatis manſuetudine, boves à latronibus & latrones à dæmonibus eripuiſſe: aſſerunt etiam inſigni concrepantes præconio, ſuprà dictos cervos, & eos qui de eorum ſtirpe prodierunt, ad hujus rei notitiam atque probationem, notitiæ ſuæ ſignum uſque hodie prætendere, apparente circa loca ubi juga tetigerunt, albedine: hoc tamen nec pro rei inſolentia ſyllogizando probare contendo, nec de Dei potentia diffiſus abnegare præſumo.

Auctoris æquitas.

Venator ſeculo nuntium remittit.

15. Factum eſt autem in una dierum, ut idem Domini ſervus more ſolito ſtaret in fonte, in quo ſolitus erat ad rigoris incrementum totum ex integro pſalterium perſolvere. Porro cerva quædam per devexa montium, per devia nemorum, per divortia dumorum fugiens, immoderatis ad eum ſaltibus accelerabat. Canes quippe venatore incitante celerrimis eam inſectationibus & acerbis latratibus infeſtabant. Corruens autem ſupra fontem ſecus pedes morandi Patris, tamquam voce ſua vitæ remedium, & mortis ab eo depoſcens inducias, tamdiu ibi proſtrata jacuit, donec liberam inde juſſit abire. Sed & canes hoc videntes tamquam gravis morsûs vel ictûs afflicti vulnere, retro paſſim omnes ſtatim aufugerunt. Ipſe verò venator procidens in terram, ſanctum adoravit Neotum, & per eum veterem hominem exuens cum actibus ſuis, novum indutus eſt, ſacrum ab eo habitum ſuſcipiens. Eſt etiam facti hujus probabilis aſſertio, cornu venatoris ejuſdem uſque inpræſentiarum in ecclesia ſancti Petroci [a] reſervatum, & vice reliquiarum ibidem honorificè ſublimatum ob reverentiam atque memoriam Neoti Confeſſoris ſanctiſſimi, per cujus donum ibi tranſlatum eſt.

Neoteſcenſes à ſervitute exempti.

16. Non eſt ſilendum factum nihilo minus memorabile. Accidit aliquando juxta communem multorum aſſertionem, ut Neoteſcenſes (à Neoto quippe villa vocabulum traxit) ſolitum ſervitutis obſequium Domino ſuo ſolliciti perſolvere ſatagerent. Cúmque quadriga cum rebus ad eum pertinentibus ſervitutem onerata incedens jam medium iter perageret; affuit ventus obviàm turbinis vehemens ab aquilone veniens, qui mira impetus ſui valitudine boves, quadrigam, homines impellens, nullo eorum niſu prævalente, ad locum unde moti fuerant, retruſit. Præpotens autem, cui præfatum exhybebatur obſequium, concipiens hoc meritis & voluntate pii Patris fieri, Neoteſcenſibus hanc relaxans ſervitutem, eos de cetero libertatis ampliavit gratia. Pro his & hujuſmodi factis crevit fama viri Dei, & omnium erga Neotum eſt augmentata devotio.

Aluredo Regi data monita.

17. Contigit namque ALUREDUM Anglorum Regem egregium, famoſa Neoti concepiſſe magnalia; & talibus excitatum præconiis, orationum ejus adiiſſe ſuffragia. ad quem cùm veniſſet, corpore ſimul humiliatus ac mente, poſtulavit ab eo benedici. Ipſe verò piiſſimus Dei ſervus Regem ut dominum cum honore, & ut fratrem cum amore ſuſcipiens, benedixit, edocuit, & erudivit eum ſcientia, viam prudentiæ oſtendens illi: pravos etiam ejus redarguens actus, juſſit in melius converti, & tanto ſecuriùs, quanto carnis propagine ei jungebatur affiniùs. Neque enim alienus vel ipſo genere inferior ſanctus erat Neotus, ſed ex eodem ſanguine cretus. Rex itaque ſpiritualibus diligenter inſtructus, optata iterum benedictione ſuſcepta hilaris inde receſſit. Ex ea die Rex aſſuevit ſanctum frequenter adire Neotum, ſalubertimis ejus muniendus conſiliis & fulciendus patrociniis.

Neoti genus regiũ.

Regi iteratæ admonitiones.

18. Sed quamquam de ſanctiſſimis illius monitis atque præceptis idem Rex aliquantiſper profeciſſet; nondum tamen ad plenum [b] rectè regendi normam aſſecutus, viam deſeruerat pravitatis. Quadam denique die ſollemni venientem ex

[a] De ecclesia ſeu Monaſterio S. Petroci in agro Cornubienſi, inſtà in Appendice.

[b] Huc pertinent ea, quæ tradit Aſſerus ad annum 878, nempe Alfredum *in primo tempore regni ſui* vexatis ſubditis ad eum confugientibus non modò patrocinium ſuum non impendiſſe, ſed omnino eos nihili pendiſſe. *quod beatiſſimus vir Neotus, qui erat cognatus ſuus, intimo corde doluit, maximamque adverſitatem ob hoc ei venturam ſpiritu prophetico plenus prædixit.*

more de tyrannidis improbitate & de ſuperba regiminis auſteritate, acriter eum ſanctus increpavit Neotus: & qui priùs quaſi calcando ſubtiliter vulnus tetigerat, jam tunc quaſi ſapiens medicus ejuſdem vulneris profunditatem & occulta doloris gladio linguæ penetravit. ad ſulphureas gehennæ flammas eum trepidare coëgit, & ad gaudia humilibus repromiſſa negligentem excitavit. Volebat eum erudiri qui judicabat terram, quia potentes potenter tormenta eſſe paſſuros non dubitabat. Apponebat ei ſanctum David, quem ad regendum de pòſt fetantes Dominus acceperat Regum manſuetiſſimum, & omnibus humilitatis exemplar humilitate prælectum & approbatum: aſſerebat & Saülem ſuperbia reprobatum, qui cùm parvulus eſſet in oculis ſuis, caput conſtitutus fuerat in tribubus Iſraël: necnon inter aſpera increpativæ admonitionis convitia, ſpiritu attractus prophetico futura ei prædixit infortunia. Quid gloriaris, inquit, in malitia? quid potens es in iniquitate? elevatus es ad modicum, & non ſubſiſtes, & ſicut ſummitates ſpicarum contereris. Ubi eſt gloriatio tua? etſi nondum excluſa eſt, aliquando tamen excludetur. Ipſo enim regiminis principatu, cujus inani gloriatione te ipſum excedendo ſuperbis, in proximo privaberis. Irrumpentibus quippe intra regionem iſtam barbaris, atque Dei permiſſione triumphantibus, vix ſolus evadens, vagus & profugus eris ſuper terram: ſicque pauper & egenus aliquamdiu latitabis, timens ne omnis qui invenerit te, occidat te. Cùm autem hujus infortunii cognoveris effectum, confortare & eſto robuſtus: viriliter age, & confortetur cor tuum. In omnibus Dei miſericordiæ memor eris, qui cùm iratus fuerit, miſericordiæ recordabitur. Noveris enim me devotis apud Deum interceſſionibus obtinuiſſe, ut ſuppreſſa quandoque tantæ adverſitatis importunitate, priſtina iterum proſperitatis jucunditate & plena gaudeas regiminis reſtitutione, ſi tamen agere perversè quieveris, & digna pœnitueris ſatisfactione. Tunc igitur quantocius Romam Legatos dirigens, MARINUM ſummum apoſtolicæ Sedis principem, magnis & neceſſariis ampliare muneribus, ſupplex eum rogaturus, ut Anglicam ſcholam in eadem urbe ſitam non deneget applicare libertati, ut per hoc beneficium, gratiùs tibi præſtetur inter incommoda ſubſidium. Ego verò meæ tempore reſolutionis inſtante poſt modicum, viam univerſitatis ingrediar: quæ tibi prædico, credere ne differas. Hæc enim mihi Domino revelante, meque ad optatum littoris portum ſua gratia perducente, in proximo noveris adimpleri. Hac voce prophetica beatum Petrum imitatus eſt clamantem ac dicentem: *Juſtum arbitror, quamdiu ſum in hoc tabernaculo, ſuſcitare nos in commonitione, certus quòd velox eſt depoſitio tabernaculi mei.*

(Circ. ann. DCCCLXXVII. Jul. XXXI.)

(Infortunia prædicta.)

(Schola Anglorum Romæ libera.)

19. Tunc Regis animus ad audita contremuit; oculiſque madefactis, non voces, ſed miſerabiles mæroris ſingultus emittere cœpit, ſicque duplici jam contritus contritione, tam ob amici deſtitutionem, quàm ob regni deſolationem, alta & lacrymoſa pro reſponſis edidit ſuſpiria. tandem flexis genibus, ut poterat, benedici poſtulavit; & ſuffultus optatis orationum ejus præſidiis, acceleravit implere quod juſſerat. Rex itaque ALUREDUS, juxta viri Dei præceptum atque conſilium, pro ſua regnique ſalute Romam nuntios delegavit muneribus onuſtos: ſicque à ſummo Pontifice abſque mora proſperè quod quærebat impetratum. ſed & ipſa Pontificalis ſublimitas vicaria beneficiorum largitione, regiæ dignitati digniora direxit donaria. quia juxta Sapientis ſententiam, victurum eſt beneficium quod obviàm venit. Ob memoriam quippe noſtræ redemptionis de ligno ſalutiferæ crucis [a] quamdam ei transmittendo portionem, cum aliis multis Sanctorum reliquiis; mordaces ab ejus animo curas expulit, & magna ex parte tenebras attenuavit perturbationis. Sed cùm

(Aluredi legatio Romam.)

[a] Id atteſtatur Aſſerus, qui libertatem Scholæ Anglorum à Marino conceſſam memorat, ad annum DCCCLXXXIV. ſed Neotum hujus legationis auctorem fuiſſe non dicit. Certè Neotum ante Marini pontificatum deceſſiſſe poſtmodum videbimus.

Circ. ann. DCCCLXXVII. Jul. XXXI.

his aliquantiſper, non tamen omnimodis ſuſcitatus mente fuiſſet, ſemper tamen cum formidine præſagiorum certitudinem flebili præſtolabatur ſolatio, donec eum poſt ruinam divina revocaret clementia per ſancti Neoti ſuffragia.

Neoti extremus morbus.

20. Nominatiſſimus denique Dei miles & athleta Neotus, juxta veridicæ aſſertionis vaticinium, acri febrium cœpit fatigari moleſtia. Sed qui nullo tempore ab angelica fuerat deſtitutus conſolatione, in hac frequentiùs ægritudinis anguſtia, divinâ pariter & angelica meruit dignatione viſitari. Cumque certaminis hujus ultimo ſe ſenſiſſet agone coartari, inter vitæ mortiſque confinia, ſuas attentiùs oviculas ſalutaribus inſtruebat diſciplinis & ad cæleſtis gregis paſcua, ut paſtor egregius, invitabat, ut de illo veriſſimè dici poſſit, quia cùm dilexiſſet ſuos qui erant cum eo, in finem uſque dilexit eos. &, ut verè pacificus, heredibus ſuis pacis commendans patrimonium, pacem ſuam imitationem dominicam dedit eis, pacem reliquit eis, ac deinceps in anguſto extremitatis articulo, ſacrum dominici corporis percipiendo viaticum, qui in ſemetipſo coram Deo ſemper hoſtia viva fuit, hoſtiâ vivâ & vivificante in vitam vivificatur æternam. Sicque inter orationum & pſalmodiarum dulcedinem, Angelis in ſublimi plaudentibus, debitam humano generi teſolutus in mortem [a], cælo gaudenter ſuſceptus eſt. Fama dudum celebris & congratulatoria, jam tunc facta flebilis & deſolatoria, devotos circumquaque populos tantis excitavit exſequiis intereſſe. Aſſuerunt inter eos & multi qui variis oppreſſi morborum difficultatibus, priſtina gaviſi ſunt ſanitate, ſacram hujus funeris glebam devoto conſiderantes intuitu. In eadem autem eccleſia, quam idem Domini Confeſſor atque Sacerdos à primis conſtruxerat fundamentis, ſacrum ejus ac venerabile corpuſculum veneranter eſt humatum, & à digni[illegible] dignè reconditum. Præterea miræ ſuavitatis odor fragrantiſſimus inde reſpirans, non ſolùm eumdem locum, verùm etiam quæque loci confinia pleniſſimè reſperſit. Tantam etenim tamque delectabilem longè lateque totam aëris temperiem illa reddidit fragrantia, ut advenientes etiam remoti ſe ſubitò faterentur hujus renovari dulcedine, & ægroti quique ſanari. qui nimirum adhuc in corpore vivens, bonus odor fuerat omnibus in omni loco, jam defunctus, ſicut cinnamomum & balſamum aromatizat: qui vernando ſemper liliis incanduit caſtitatis, & omnium virtutum redoluit odoramentis; ecce, quaſi cella pigmentaria, ſuaviſſimum emittit odorem, & odor ejus ut Libani. Porro terra ſepulturæ illius cum pia veneratione langueſcentibus tradita, multis medicinaliter noſcitur profuiſſe. Guſtata quippe pro quolibet invalitudinis genere, tam homines, quàm jumenta plenè convaleſcere faciebat. Sic enim multiplicata eſt Dei miſericordia, homines ſalvans atque jumenta, per admiranda ſancti Neoti merita.

Viatico munitus obit.

Sepultus in Eccleſia.

Miracula iſtic facta.

Templum amplificatum.

21. Verùm quia populis inibi gregatim confluentibus templum eos capere non poſſet præ multitudine; aliquanto tempore tranſacto placuit indigenis & Fratribus ibidem vota ſua Deo perſolventibus, ut ampliarentur ædificia. Unde factum eſt, prout res exigebat, ut ſanctiſſimum Confeſſoris corpuſculum de loco, in quo fuerat priùs reconditum, in aquilonari altaris parte honorificè atque devotè reponeretur. Tunc iterato nihilominus ſalutiferæ ſuavitatis odore nonnulli peroptata potiti ſunt ſoſpitate. Sed & mira & magnifica per Abbatem Neotum & Confeſſorem præcipuum ibidem uſque hodie divina operatur potentia ad ejuſdem gloriam atque venerationem, cui eſt laus interminabilis per æterna ſæcula ſæculorum, Amen.

Sancti corpus ſublatum.

Anno 877 Gitro Angliam invadit.

22. His itaque feliciter conſummatis & ex amuſſim oppoſitis, quæ vir Dei Neotus de ſe ipſo vaticinando prædixerat, jam ad Regem ALUREDUM ordo dirigendus eſt narrationis, ut prophetica ſententia pii Patris, ſicut in ſe, ſic in Rege nihilo minus veriſſima eſſe comprobetur. Eo tempore, anno

a De anno & die inferiùs agendum in Appendice huic Vitæ ſubjecta.

Circ. ann. DCCCLXXVII. Jul. XXXI.

videlicet ab Incarnatione Domini octingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo [a], octavo Idus Januarii, contigit quemdam immaniſſimæ crudelitatis tyrannum, GYTRONEM [b] nomine, cum magno ac belligero claſſium apparatu Anglorum inſulam invaſiſſe. qui, ſicut gentium adhuc erat irretitus erroribus, & idolorum inhiabat ſpurcitiis, nulli parcens ſexui vel ætati, alios ferro trucidabat, alios fame ſuperabat, alios concremabat incendio, ac ſi cum furia infernali voce proclamaret terribili dicens: Bella manu letumque gero. Quid plura? ſævit amor ferri & ſcelerata inſania belli. Terras nihilo minus urbes villaſque depopulans, aut ſuppreſſo quarumlibet aggere munitionum miro conamine ſolum ſolo coæquabat; aut armato milite complens, victorioſus ad alia properabat. Templa Deo dicata ut membrum hoſtis antiqui, furibundus hoſtis ſolo tenus proſternebat: quæ autem concupiſcibilia ſibi ſuiſque videbantur, aut à prædonibus deferebantur, aut miſerabili tradebantur exterminio. ſicque circumquaque ſæviens, & ſuam omnimodis exercens tyrannidem, tam loca, quàm homines ſuo execrabili ſubjugabat imperio. Multi quoque remotiores tanta concuſſi formidine, ſibi fugiendo conſulentes, tranſmarinas in partes navali curſu tranſvehi nitebantur. Cumque vis tyrannica maxima ex parte jam prævaluiſſet in Anglia, & cuncta ſibi proſperarent, iter accelerans, occidentales Anglicos attentavit invadere. In illis etenim partibus didicerat à fugitivis ipſum Regem hicmare. Ibat igitur velut alter Saulus furiâ invectus, ditumque toto pectore virus efflabat, & Chriſtianorum ſanguinem ſine intermiſſione ſitiebat.

Alvredus fugit in Ethelingiam.

23. Rex autem ALUREDUS audiens barbaricam rabiem atque ſævitiam comminus irruiſſe, ſuorumque conſiderans diſpoſitionem, huc illucque cœpit animo fluctuare; tandem diſcretiori fretus arbitrio, ceſſit hoſtibus, ac ſolus & inermis fugæ eſt expoſitus ludibrio. Cumque prorſus ignotaret quo ſe verteret, quo eum fugæ neceſſitas impelleret; ut fortuna ducebat, quemdam ex inſperato locum ingreſſus eſt, magnis undique circumſeptum paludibus [c]. Eſt autem locus ille in extremis Angliæ Britannicæ finibus, qui linguâ eorum Ethelingaia dicebatur, quod apud nos exprimitur regalis inſula. Ibi Rex Aluredus, tamquam profugus & ſuis exſulatus ab oris, intercidens, pauperis ſubulci [d] domunculam eſt ingreſſus, ſpemque ſuam de cetero Regum altiſſimo committens, qui pauperem facit & ditat, humiliat & ſublevat; aliquot diebus pauper & ignotus ibidem delituit.

Apud ſubulcum latet.

Contumeliam ferr æquo animo.

24. Factum eſt autem in una ſabbati, ut ſubulcus more ſolito gregem ſolita duceret ad paſcua, ſolo Rege cum ejuſdem uxore domi remanente. Porro mulier, ut depoſcebat neceſſitas, igne ſuppoſito panes ſartagini ad coquendum commiſerat, quos nonnulli lyridas appellant, quibus maritus ejus rediens & ipſa veſcerentur. Cumque more plebeio, ſimili ex neceſſitate, aliis aliquamdiu eſſet occupata negotiis; tandem ad ignem ſollicita recurrens, & panem ex altera parte combuſtum reperiens, protinus Regem talibus aggreſſa eſt contumeliis: Quid hìc, homo, ſedens meditaris, & panes girare dedignaris? quod eſt genus tuum, qui mores, quæ ignavia, quæ tibi de futuris fiducia? quantæ nobilitatis te eſſe profiteris? Panes quos negligis apparare, apparatos non differes manducate. Rex verò procaciter his & hujuſmodi laceſſitus improperiis nullum ex adverſo reddidit impatientiæ verbum: ſed po-

[a] Eumdem annum ſignat Aſſerus in libro de vita Regis Alfredi, qui hic Aluredus appellatur. At impreſſionem hanc inſtante tempore autumnali factam refert iſte Auctor.

[b] GUTRUM vocatur ab Aſſero, in Chronologia Saxonica GUTHRUN & GYTRON, cui duo alii Dacorum Reges adduntur, Oskitellus & Anvvyndus.

[c] *Cum quibuſdam militibus & vaſallis per ſilveſtria & gronnoſa Summurtunenſis pagi loca, inquietam vitam ducebat*, inquit Aſſerus ad annum DCCCLXXVIII, quo anno hæc contigerunt. Idem auctor de Æthelingia inferiùs agens, ait locum fuiſſe *permaximis gronnis paludoſiſſimis & intranſmeabilis & aquis undique circumcinctum*, &c. Ibi inſigne Monaſterium ab Alfredo conſtructum, de quo poſtea fuſiùs agendum, ubi de Johanne ejus loci Abbate.

[d] Hoc factum itidem refert Aſſerus ex Vita S. Neoti ad annum 878.

Circ. ann. DCCC LXXVII. Jul. xxxi.

tiùs manſuetudinis & patientiæ forti vallatus munimine, velut alter Job, in omnibus his non peccavit labiis ſuis, neque ſtultum quid contra judicium Dei locutus eſt. Sic nimirum humiliatus eſt ſub potenti manu Dei, ut juxta veridicum ſancti Neoti præſagium quandoque reſpirare liceret, & iterum exaltaretur in tempore divinæ viſitationis. Exinde mulieris expergefactus litigiis, coquendis panibus atque conſervandis de cetero curam adhibuit. Hujus igitur Regis exemplo, qui ſtat, videat ne cadat ſuperbiendo: diſcat à Philoſopho, diſcat quod cecidit, qui ſtabili non erat ille gradu.

Barbaris reſiſtit.

25. Cùm verò Rex præfatus aliquamdiu pauperis ac dejecti ſuppreſſus fuiſſet opprobrio, & pro Regis palatio vili contentus tugurio, quadam die à quibuſdam fortè ſuorum, arrepto fugæ incommodo, huc illucque circumquaque diſperſis cognitus eſt. Unde tam Regi quàm militibus paullisper crevit animoſitas, qui priùs unum fugæ conſuluerant remedium. Per paucos ſiquidem dies, qualem potuerunt, belligeram conſtruxerunt munitionem. Sicque Rex Aluredus receptis aliquantiſper viribus reſiſtendi, paucorum militum vallatus præſidio, bellum hoſtibus commovit ex adverſo; & quamquam numero eſſent pauciſſimi reſpectu barbaricæ multitudinis, nec in primo belli occurſu aut in prima die prævaluerint; minimè tamen hoſtibus terga verterunt, aut devicti ſuccubuerunt. Spe ſiquidem ſuffulti victoriæ ſicut eorum numerus paullatim augmentabatur, ſic magis ac magis in adverſarios accendebantur, & de bello rurſus parabantur ad bellum. ſicque modò victi, modò victores tempus pro caſu, & caſum pro tempore ſuſtinere didicerunt. Rex verò inter dextrum & lævum fortunæ latus ſemper lætum prætendebat vultum, ut ſuos tali confortaret exemplo.

S. Neotus reſtitutionem illi prædicit.

26. Sed inter crebra intimi doloris ſuſpiria rem tacitus conſiderabat expectans ac deſiderans efficaciſſimum ſancti Neoti ſuffragium, & reſtitutionem regiminis ab eodem ſibi promiſſam. Noctis igitur profunditate cùm idem Rex, totius expers quietis, curis vallaretur mordacibus; affuit dilectiſſimus Dei Confeſſor Neotus vultus & habitus nitore locum irradians. Ille verò erectis in Sanctum luminibus & immobiliter defixis, ut quis eſſet certiùs agnoſceret, talibus ab eo ſuſcitatus eſt alloquiis. Quid Rex, inquit, tot deprimeris anguſtiis? cur unum oblitus neceſſarium, tot & tantis perturbationibus mente exagitaris? ſecurus eſto, quòd ſi bona egiſti, bona procul dubio recipies: ſi verò mala, jam judicium pertuliſti. neque enim Dominus judicabit bis in idipſum. Pone igitur modum triſtitiæ, ac de cetero deſiderata perfruere jucunditate. Ad hoc enim me miſit Dominus de ſuperna Sanctorum quiete, ut tua jam terminetur miſeria, ſi tamen juſtè vivendo meis acquieſcas conſiliis. Si igitur continentiæ, pacis, pietatis & innocentiæ ſectator fueris, ac exemplo præcedentium patrum totius æmulator juſtitiæ, in ſolio regali poſt modicum reſtituêris. Et ne viſionem hanc arbitreris illuſoriam, ego ſum ille Neotus, Dei cultor & amicus, qui tuis exigentibus culpis hos infortunii caſus tibi futuros præcinui. ſemper tamen tui memor incommodi, numquam Dominum prò te interpellare quievi. Dominus autem ad punctum in modico dereliquit te, ut in miſerationibus ſuis aſſumeret te: Non ſolùm enim de tyrannica rabie victorioſus triumphabis, ſed & ipſum tyrannum Chriſto Chriſtianum aſſignabis, univerſa arma ejus auferens, in quibus confidebat, & ſpolia ejus diſtribuens. Septima hebdomada poſt dominicæ reſurrectionis triumphum [a], congregato divinitus Chriſtianorum exercitu, in eoïs partibus me prævio gaudebis & protectore, donec omnia quæ polliceor feliciter compleantur. His dictis Sanctus diſparuit iterum receptus in gloria. Cùm verò diei nuntiaret principium, Rex mente pariter & corpore ſurgens, & auditis fidem adhibuit, & gratias Deo ſanctoque Neoto referre non diſtulit. Tempus quip-

a *Poſt Paſcha*, itidem habet Aſſerus, arcem apud Æthelingiam condidiſſe cum paucis adjutoribus, & *ſeptimâ hebdomadâ poſt Paſcha ad locum qui dicitur Ethandum*, in barbaros pugnaſſe.

Circ. ann. DCCC LXXVII. Jul. XXXI.

pe carnalis indixit afflictionis, ut ſaltem in brevi ſalutaribus afflicti commerciis, priora tempora per fructum pœnitentiæ redimerent, puriores ad prœlia proceſſuri.

Rex ſuos cogit ad arma.

27. Continuatis autem aliquamdiu bonorum operum exercitiis, cum illa exercitus portiuncula Rex eoas receſſit in partes, ſicut ſancti Neoti ſanctis didicerat documentis. Ad locum itaque pervenientes, quem *Elbrichtſtan* celebri novimus deſignatum vocabulo, quod Latinam vertitur in linguam, lapis Elbrichti; laxas inibi repreſſerunt habenas. Cumque belligeris inniterentur inſtrumentis, ut Regem illuc ſignificaretur veniſſe; altiſonis lituorum clamoribus, buccinarum clangoribus recognitis, innumerabiles ad eos ipſa die confluxerunt. Nec ſolummodo fugiendo diſperſos aut ubique latentes ibi credamus in modico conveniſſe; ſed & ipſos qui jam de vita deſperati colla tyranno ſubdiderant. His ita geſtis, propter gratam armatorum multitudinem juxta ſilvam ſalicis in gratam ſe ſe recipiunt planitiem: ubi per biduum commorantes, atque cultui vacantes armaturæ militaris, quibuſdam aliis inſperatum Regis regreſſum ſignificantibus multos ſecum receperunt. Tertia verò die diſpoſita ſeriatim acie proximum anticipaverunt promontorium. Et quia dies deſideratæ cælitus aſſignata victoriæ jam inſtabat, jamjamque divinitus appropinquabat, hinc hoſtium explorabant occurſum, hinc promiſſum præſtolabantur ſuffragium. Factum eſt autem, ut rumor hujus eventus jam latiſſimè diffuſus, profanas Gitronis attingeret aures, qui ubique ſerpentino gutture mortis ſibilabat edictum. Tunc magis ac magis effrenatæ malitiæ ſpiritum exagitans, ſolam Chriſtianorum anhelabat cædem atque cædem, & cruentas manus ad cruorem excitabat. Malus itaque malos hortabatur ad mala, & digna triumphantibus præmia promittebat: & licèt belluino fremitu contra Regem & ejus exercitum conaretur furibundus inſurgere, illos tamen aſpernabatur, & aſſerebat invalidos mortis exitio deſtinatos. Ecce alter Golia contra David veniens, carnes ejus beſtiis & avibus minatur exponere; & jam tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret.

S. Neoti dictis animatus.

28. Cùm itaque funeſtus idolatra ſitibundo pectore vaſa mortis fundere mortem præmonuiſſet, & adverſus antea devictos crebris exhortationibus animaſſet ad pugnam; protinus juxta morem ſuum acies diſpoſuerunt, ad locum certaminis caſtra moventes. Nox erat, & ecce Neotus angelica ſpecie, nivea canitie, veſtibus ſplendiferis & odoriferis Regi Aluredo viſibiliter [a] apparuit, belligera ſecum deferens arma. Rex quippe ſollicitus atque devotus, ut ſibi promiſſum, ejus deſiderabat adventum atque præſidium. cui Sanctus talibus infit; Surgens tolle moras, ad palmam præparatus victoriæ. Cùm enim huc procederes, tibi comes individuus commilitabam, & meo ſemper ſovebaris conſilio. Sicut enim in anguſtiis præmonitor, ſic in itinere nihilo minus tuus exſtiti ductor. Nunc igitur, ut viri fortes & ad bella doctiſſimi, & ut decet athletas Chriſti, ſuccincti & armati cras egredimini, & Dominus erit vobiſcum. Dominus enim fortis & potens, Dominus potens in prœlio; qui dat ſalutem Regibus, per me famulum ſuum optato vos ditabit tropæo cum ſalute. Ego ante vos ibo, & glorioſos atque ſuperbos humiliabo: in conſpectu meo cadent inimici veſtri gladio, & ſtragem facere comminantes magna ſtrage corruent in ore gladii. Quibus auditis, Rex protinus adverſos tendens in hoſtes, ſollerter ordinatas promovit acies. Tunc omnem exhortatur exercitum viriliter agere, nefariam multitudinem non timere, pro ſe ſuaque patria fortiter dimicare, & de victoria jam tertiò ſibi promiſſa non deſperare.

Certamen committit eo duce.

29. Mane autem facto, cùm jam utrimque mutua viſione phalanges ſe ſe conſpicerent, clamor ingens ex utroque ſpiratus exercitu auras concuſſit æthereas. Poſtmodum autem præmiſſis hinc inde ſagittis cum terrifico lancea-

[a] Alii S. Cuthberto id tribuunt, an tribuendum ambobus? De S. Cuthberto ſuprà.

Circ. ann. DCCC LXXVIII Jul. XXXI.

rum impulſu, ab utriſque concurritur, donec ad enſes comminus perveniatur. Glorioſus verò ſervus Chriſti Neotus ſignifer & prævius Regis antecedebat exercitum, hoſtiles ab ipſo belli primordio comprimebat acies, & antè glorioſos conterendo reddebat inglorios. quem videns Rex Aluredus, & agnoſcens, brevi ſermone converſus ad ſuos, in hæc prorumpit ſolamina: Commilitones, inquit, mei, bellatores incliti, nonne videtis eum qui noſtros conterit hoſtes? ſi noſſe deſideratis, ipſe eſt proculdubio Neotus Chriſti miles inviĉtiſſimus, per quem hodie præſto eſt in manibus noſtris palma victoriæ. Dixit, & ecce viri validi validiores effecti, actiùs animantur ad pugnam. tunc ſanè quaſi recenti bello reſumtis viribus, in barbaros pariter irruunt: iſtos proſternendo ſauciant, illos perimendo jugulant, & fundunt ſanguinis undas; alios fugam arripientes magnis inſequuntur clamoribus. Cumque dux alienigena ſuorum ſtragem vidiſſet, nec penitus reſiſtere prævaluiſſet, alienatus eſt retrorſum. quod videns incredulæ multitudinis portio reſidua, declinando mortis interitum, nihilo minus pari conſilio fugam conſuluit. Rex verò cui jam ad votum cælitus arridebat regalis hora triumphi, ad eam quam primò firmaverant arcem, eos ovanter inſecutus eſt, obſidens eos in gyro forti munimine. Denique pagani viribus exhauſtis, & ſuppreſſo conamine dextras Regi ſuiſque dederunt, ſupplicantes ut eis parceretur. Tunc ſpoponderunt ſub juramento, ipſum Principem ſuum victrici manui poſt modicum aſſignare Chriſtianæ militarum militiæ, penitus abdicatis idololatriæ ſpurcitiis.

Barbari fugati.

Gytro baptizatus cum aliis.

30. Decurſis igitur in pace trium hebdomadarum curriculis, GITRO tyrannus, belluina jam feritate depoſita, Regem adivit manſuetus, depoſcens, ut per eum ſacro renovari baptiſmate, ac divinæ legis cultor effici mereretur. quem Rex Aluredus honorificè ſuſcipiens, ad votum deſideranter exaudivit, & de fonte levavit catholicum, triginta [a] primatibus ſuis idem genere donum cum eo aſſecutis, præter alios, quorum numerus nequaquam nobis innotuit. Ecce per alterum quomodo Ananiam de lupo factus eſt agnus, & de Saulo mutatus eſt Paulus, & hæc mutatio dexteræ Excelſi. Cùm itaque Gitro ritibus profanis funditus eliminatis feliciter egreſſus fuiſſet in libertatem gloriæ filiorum Dei, cum nominatiſſimo Rege patrino ſuo aliquamdiu moram faciens, his quæ ad vitam pertinent, ſummopere ſtuduit informari. Denique magnis ab eodem Rege ditatus muneribus, ei vice caritatis valedicens, ſuam cum ſuis receſſit in patriam, laudans Deum trinum & unum. Rex autem Aluredus in ſolio regni denuo ſublimatus, ſectando juſtitiam jejunavit à culpa, & reliquum vitæ ſuæ tempus ſanctiſſimis venuſtavis commerciis, piè regens ſub Rege piiſſimo à quo piè regebatur. Si verò tempus regiminis ejus computando ſciri deſideratur, quatuor annorum ſeptenis rexit Angliam & anno dimidio; rexerat enim ſex annis ante barbarorum invaſionem, poſt reſtitutionem verò ſceptrum regale viginti duobus annis inſigniter obtinuit. ſi jungas ſemis, ſummam quam quæris, habebis. Jamque Rex Aluredus ad Patres ſuos feliciter appoſitus, de regno morientium ad regnum migravit ſine fine manſurum. O quàm pia recordatio! quàm attollenda laudatio! quàm pium eſt ſancti Neoti præconium! per eum Rex in melius corrigitur, per eum in regno reſtituitur, per eum tyrannica rabies in manſuetudinem convertitur, cultus dæmonum evacuatur, & grex catholicus augmentatur, ipſo opitulante qui prædeſtinatos miſericorditer vocat, vocatos juſtificat, juſtificatos beatificat, & exaltat in gloria, in qua vivit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Aluredus reſtitutus.

Regni ejus ſumma.

[a] Totidem numerat Aſſerus ad annum DCCCLXXVIII qui Gytronem ait baptizatum *in loco qui dicitur Alre*, prope Æthelingiam, & *chriſmatis* (fortè chriſmalis) ſolutione octavo poſt die *in villa qua dicitur Vvadmor* factâ, poſt baptiſmum *duodecim noctibus* cum Rege manſiſſe; & *multa & optima ædificia* ab eo ejuſque optimatibus accepiſſe. Chronologia Saxonica pro *Alre Aldram*, & pro ædificiis pecuniam habet ad eumdem annum. Anno verò DCCCXC Gytronis obitum reponit, *cui nomen*, inquit, *baptiſmale Æthelſtanus erat inditum*, qui apud *orientales Anglos habitavit*.

APPEN-

APPENDIX

De S. Neoti anno & die obitûs, ejuſque reliquiis, ubi de ſanctis GUEVORO & PETROCO.

1. SANCTI Neoti obitûs neque annum, neque diem diſertè exprimit præmiſſus Auctor: ſed tamen ex iis, quæ num. 22 commemorat, Neotum anno DCCC LXXVII deceſſiſſe intelligimus. Poſtquam enim de ejus morte egit num. 21, ſubdit, eo tempore, anno videlicet ab Incarnatione Domini octingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, VIII Id. Januarii, Gytronem Danorum Ducem cum magno claſſium apparatu in Angliam invaſiſſe. Adeo ut eodem, aut præcedenti anno, S. Neoti obitus reponendus ſit. ſiquidem hæc verba, eo tempore, accuratè uſurpavit auctor, ut quidem eum uſurpaſſe conſtat. Illud argumento eſt, quòd ea quæ Alfredo Regi prænuntiavit Neotus, ſe ad optatum litoris portum, id eſt ad mortem, accedente, in proximo adimplenda eſſe vaticinatus eſt, ex num. 18. Atqui Alfredum Gytro inſectatus eſt anno DCCC LXXVII, idemque ab eodem Alfredo ſuperatus poſt Paſcha inſequentis anni, S. Neoto inter pugnandum Alfredo apparente & opitulante: qui Alfredum ad prælium trepidantem viſo priùs animaverat, ex num. 26. ac proinde jam tum exceſſerat è vivis. Certè Aſſerus ubi cladis Alfredo per Gytronem anno DCCC LXXVIII inflictæ & à Neoto prædictæ mentionem facit; ſic de ea agit, quaſi Neotus jam vivere deſiiſſet. quod beatiſſimus vir Neotus, inquit, adhuc vivens in carne, qui erat cognatus ſuus, intimo corde doluit, maximamque adverſitatem ob hoc ei venturam ſpiritu prophetico plenus prædixerat. Itaque anno DCCC LXXVIII, cùm Alfredus Gytroni cedere compulſus eſt, mortem obierat Neotus: cujus mors proinde in annum DCCC LXXVII, aut præcedentem revocanda eſt. Si tamen Neoti eſſe conſtaret ea ſcripta, quæ Joannes Piſeus ipſi tribuit, ſcilicet Exhortationum librum unum, alterum de vivendi ratione ad Alfredum, & maximè epiſtolam ad Marinum Papam pro confirmatione Oxonienſis Academiæ; cum Piſeo dicendus eſſet anno DCCC LXXXIII obiiſſe. Diem prid. Kal. Auguſti ſtatuunt Harpsfeldius, Thomas Maihewius, aliique recentiores: quo die ejus feſtum antiquitus celebrabant Beccenſes noſtri cum eccleſia haud dubiè Anglicana. Certè Ordericus in hiſtoria lib. 4, agens de S. Neoti tranſlatione Crulandiam, ait ejus feſtivitatem prid Kal. Auguſti celebrari. S. Neoti mortis annus, & dies.

2. Ad tumulum ejus quod attinet, in eadem eccleſia, quam idem Domini Confeſſor à primis conſtruxerat fundamentis, ſacrum ejus ac venerabile corpuſculum veneranter eſt humatum. Eccleſiam iſtius loci S. Guevoro dicatam fuiſſe tradit Cambdenus, & colligitur ex Aſſero ad annum 884. ubi ſcribit, Alfredum, cùm Cornubiam venandi cauſâ adiiſſet, ad quamdam eccleſiam orandi gratiâ divertiſſe. in qua ſanctus Gueryr * requieſcit, & nunc etiam S. Neotus ibidem pauſat. & Johanne Bromtone referente, idem Rex languore correptus Cornubiam adiit, eccleſiam S. Guevori, ubi S. Neotus requieſcit, viſitavit, & ibi pro morbo ſedando, aut ſaltem immutando Deum rogavit. Quis fuerit iſte S. Guevorus, mihi incompertum. Locus poſtea à S. Neoto dictus eſt Neoteſtow, ut adnotatum in Obſervationibus præviis. Iſtic S. Neoti corpus perſtitiſſe ad ætatem ſuperioris Vitæ ſcriptoris, id eſt ad tempora Normannorum, colligas aliquis ex num. 21. ubi amplificato templo ſanctum corpus tumulo elatum, in aquilonari altaris parte repoſitum dicitur, ibidemque mira & magnifica uſque hodie, inquit auctor, divina operatur potentia per S. Neotum. dicturus de tranſlatione ſive Arnolbeſbiriam, ſeu Crulandam, ſi jam tum facta fuiſſet. Quamquam & miracula etiam ſublato S. Neoti corpore in priori cella fieri potuerunt, eamque tranſlationem in alium librum forſan remiſerit Auctor. Exiſtimem corpus ſacrum Arnolbeſbiriam in agro Huntindonenſi delatum fuiſſe pontificatu Adelvoldi Epiſcopi Wintonienſis, quando eo in loco S. Neoti cella inſtaurata eſt, ut dixi in Obſervationibus præviis: & inde tranſlatum, ſaltem ex parte, Crulandam ſæculo inſequenti. Tumulus. *l. Guevir Elevatio. Tranſlatio Arnolbeſbiriam;

3. De hac tranſlatione ſic agit Monaſticon Anglicanum pag. 369. Anno Chriſti M LXXVII, quædam matrona, nomine LEWINA, Enolveſbiri, quæ nunc villa S. Neoti dicitur, domina, [quæ de loco] ubi quondam ejuſdem ſancti corporis glebam ſive reliquias diſcipulus ejus Barri [ſepelierat, Arnolbeſbiriam tranſlatas in prædium ſuum] divinitus admonita detulerat; ad Monaſterium Croylandiæ, cui frater ſuus Oſkitellus præfuit, barbarorum metuens hoſtilitatem, amore fraterno compulſa, reliquias S. Neoti adduxit, ſicut ſcriptum in eodem codice palam oſtenditur. Unde poſtea dubitantibus de hoc quibuſdam Fratribus Abbatiæ, cum devotione accenſis cereis, loculum cum timore frangens, invenit teſtam capitis & oſſa de collo & ſcapulis & de thorace, & inſuper nonnulla oſſa tibiarum & coxarum. Has enim ſecum domina præfata reliquias attulit, in priori loco oſſibus quibuſdam cum cineribus dimiſſis. Tranſlata poſtea fuerunt oſſa illa ab Abbate Henrico, & dein Crulandiam.

Circ. ann. DCCC LXXVII. Jul. XXXI.

juxta altare in honore ejus conſtructum collocata anno Domini M CC XIII. Diebus tamen noſtris in Monaſterio S. Neoti à Fratribus Monaſterii Beccenſis occupato, ſcrinium ſatis pretioſum adventantibus oſtenditur. *Sanè Rotbertus de Monte in Prologo Appendicis ad Sigebertum, S. Neoti corpus Ainolbrſbiria ſuperfuiſſe perſuaſum habebat ex his verbis.* Neoti vitam laudabilem videre poteris ſuper fluvium prædictum ſcilicet Uſæ, decurrens uſque in Huntendoſira, ubi corpus ejus ſanctiſſimum pauſat. *De tranſlatione Crulandiam facta mentionem facit Ingulfus, ex quo ſuperius Monaſtici Anglicani fragmentum perquàm mendoſum emendavi. Inguſfi hæc verba ſunt.* Accidit ergo quamdam magnam dominam villæ, quæ Elnoſphesbiry vocatur, LEFWINAM nomine, ſurorem ſcilicet ex parentum propagine domini OSKETULI Abbatis Croylandiæ, ad Witleſey tunc villam ſuam venire, & ſecum ſacras reliquias, ſcilicet ſacratiſſimam glebam S. Neoti Confeſſoris de Elnoſphesbiry, quia minùs honorificè jacuerunt, ac Danorum deprædationi patuerunt, in ſcruio ad hoc aptato deferre. quæ dirigens celerem nuntium ad fratrem ſuum dominum Abbatem Osketulum, ſupplici poſtulabat ſupplicatione, quatenus cum congruo Fratrum ſuorum comitatu Witleſiam placeret accedere, & dictas reliquias S. Neoti Confeſſoris ſecum in ſuum Monaſterium cum digna reverentia deportare. Ille gaudens & exſultans, aſſumtis ſecum quibuſdam Fratribus Witleſiam adiit, & dictas ſanctas reliquias cum debita honorificentia & pſalmorum melodia ad Crotlandiam tranſtulit; ac juxta ſanctæ Dei genitricis Mariæ altare cum devotione debita collocantur. *Eadem ferè habet Ordericus Vitalis in lib. 4 pag. 542. S. Neoti maxilla in Beccenſi Monaſterio adſervatur. Lelandus in Monaſtico teſtatur, ſe vidiſſe ejuſdem tunicam interiorem ex panno villoſo, more Hibernico, ac pecten ex oſſiculo duos digitos lato, inſertis piſcium denticulis, inſtar maxillæ lupi fluviatilis.*

S. Petrocus.

4. *S. Petroci Monaſterium in Cornubia, de quo in præmiſſa Vita agitur num. 15, decem milliaribus à cella S. Neoti diſtabat. De S. Petroco ejuſque Cœnobio hæc legimus in Monaſtico Anglicano pag. 213.* S. Petrocus monaſticam profeſſus vitam ſub regula S. Benedicti apud Bodeminan, tunc temporis vocatam Boſmana, id eſt manſio Monachorum, in valle ubi S. Guronus ſolitariè deguit in parvo tugurio, quod relinquens tradidit S. Petroco: quam regulam uſque ad tempus Athelſtani, monaſticæ dicatum diſciplinæ, Monachi ibidem tenuerunt. *Et infrà:* Anno Domini DCCCC LXXXI S. Petroci Monaſterium in Cornubia à Danis pyratis devaſtatum eſt. *Poſt Normannorum adventum*, Comes Moritoniæ & Cornubiæ, quod in Monaſterio ſupererat, in uſus proprios convertit. Tandem orta inter Regem Henricum & Robertum fratrem ejus diſcordia, Comes incarceratus mortuus eſt: & tali modo eccleſiæ poſſeſſio in Regis devolvitur proprium. Sed poſt hæc quidam Algarus cum connivenția Epiſcopi Exonienſis Gulielmi Warweſt obtinuit licentiam à Rege, ut eadem eccleſia regulari dicaretur diſciplinæ. qua obtenta incipit Ordo Canonicorum regularium, & perſeveravit in hunc diem.

Ann. Chr. DCCC LXXVIII. Martii XXVI.

DE BEATO BERTILONE
CHOREPISCOPO, ET ABBATE
MONASTERII S. BENIGNI,
Apud Divionem in Gallia.

Benigniani Monaſterii primordia.

1. MONASTERIUM *ſancti Benigni Martyris nomine & tumulo illuſtre, in ſuburbio Divionis quondam, nunc intra urbis muros ſitum, beatum Gregorium Lingonenſem Epiſcopum auctorem agnoſcit. Is ſub finem ſæculi quinti, invento ſancti Benigni corpore, reliquias ejus ſacras in decentiorem tranſtulit locum, & ſuper ipſius tumulum baſilicam ædificavit: illique* ex diverſis partibus (*ut Chronographi Benigniani verbis utar*) adunavit multos Deo ſervire paratos, *id eſt Monachos, quibus præfectum* EUSTADIUM *virum ſanctum ferunt. Euſtadius multis laudatur in libello de vita ſancti Sequani Abba-*

ANN CHR. DCCC LXXXVIII. MARTII XXVI.

tis ipſum diſcipuli, ubi Magnimonrenſis * opidi ſanctiſſimus Preſbyter *appellatur. Sed an Monachus fuerit, an verò umquam apud Divionem manſerit, non ſatis eo in libro explicatum. Sanè ab eo Sequanus tonſuram & vita clericalis accepit elementa, non tamen monaſticam veſtem, quam ſuſcepit à ſancto Johanne Abbate Monaſterii Reomaënſis: quo ex loco Monachos in ſancti Benigni Cœnobium deductos veri ſimile eſt. nam Johannem Gregorio Lingonenſi Epiſcopo carum & familiarem fuiſſe conſtat.*

* Moſmont

Regula & inſtitutum.

Regulam ſancti Macarii primitus ſectabantur Reomaënſes, & forſan etiam Benigniani: ſed utrique poſt non multum temporis admiſerunt ſancti Benedicti Regulam, totius Occidentis conſenſu receptam & commendatam. Conjicio id factum curâ & providentia Guntchramni Regis, qui multis prædiis Benigniano Monaſterio attributis, inſtituit ut ad ſimilitudinem Monaſterii ſanctorum Agaunenſium diu noctuque divinum in hac eccleſia perſolveretur officium. Et ut hæc inſtitutio per ſuccedentia tempora non tepeſceret, vel monaſticus Ordo deperiret; conſtituit, ut Abbates illius loci, rectores & proviſores in hac domo eſſent, ut una congregatio, unuſque utrobique ſervaretur ordo. *Si enim conſtet beatum Maurum Caſino in Gallias accedentem, ubi Agaunum pervenit, Monachis ejus loci Benedictinam Regulam tradidiſſe; eamdem per Guntchramnum Regem Benignianis Cœnobitis impoſitam poſtea fuiſſe hoc factum perſuadet. Ut ut ſit, Regula noſtra in Benigniano Aſceterio viguit multo ante Pippini Regis principatum: quo tempore ipſius Regulæ diſciplina jam eo in loco laxata erat; longè antè proinde iſtuc admiſſa. Aridio enim Abbate, qui regnante Pippino loco præerat*, adoleſcens quidam nobili ortus progenie, nomine Dodo, veniens ad converſionem in hoc Divionenſe Monaſterium, tradidit prædicto Abbati Aridio & Monachis hujus loci quidquid poſſidere videbatur in villa Salonis *& in aliis: ut ſervi locorum illorum darent* pretium, unde poſſint præparari duo pulmentaria, ſecundùm quod præcipit Regula Monachorum, *id eſt Regula ſancti Benedicti in capite 39, ut ex litteris donationis refert Chronographus Benignianus in Spicilegii tomo 1. Atqui jam* eo tempore, *uti idem Auctor ſubdit*, fervor monaſticæ religionis tepuerat *in iſto Monaſterio: quæ certè jam ante annos centum ibi recepta fuerat.*

Reſtitutio diſciplinæ.

3. Poſt Synodum Aquiſgranenſem anni DCCC XVII, ALBERICUS *Lingonum Epiſcopus per Herlebertum Abbatem ibidem reſtituit diſciplinam regularem, eumdemque ea in urbe Chorepiſcopum inſtituit. Utrumque munus Chorepiſcopi & Abbatis geſſerunt Herleberti ſucceſſores* INGELRAMNUS *&* BERTILO *ſeu* Bertillo, *de quibus hic agendum eſt, quatenus ex Benigniano Chronico apud Acherium & ex Chartario apud Perardum edito mihi licebit.*

Abbas Chorepiſcopus.

Ingelramnus Abbas.

4. Circiter annum DCCC XLIV defuncto Herleberto Coëpiſcopo, qui vices Paſtoris in hoc loco tenuerat, ſucceſſit ad regimen animarum INGELRAMNUS, idem in eccleſiaſticis gerens officium. *Eo Abbate contigit, ut Monachi duo neſcio qui ex Italia ſuſpectas deferrent reliquias, ad quas præſtigia in mulierculas facta. Theodboldus tum Lingonum Epiſcopus Amulonem Lugdunenſem Pontificem ſuper hac re conſuluit per Ingelramnum Chorepiſcopum ſuum, qui reſponſum ab eo retulit lectu dignum. Epiſtolæ titulus & exordium hujuſmodi eſt.* Reverentiſſimo & puro dilectionis affectu excolendo Theodboldo Eccleſiæ Lingonenſis Epiſcopo Amolo humilis Eccleſiæ Lugdunenſis Epiſcopus in Domino JESU-CHRISTO ſempiternam ſalutem. Mandaſtis nobis per dilectum fratrem Chorepiſcopum veſtrum, nuper in caſtro Divionenſi, apud eccleſiam beati Benigni Martyris, cœpiſſe quædam fieri in his, qui orationis & venerationis cauſâ ex quibuſcumque locis confluere videntur, & maximè, immo (ut nonnulli affirmant) tantummodo in feminis, unde animus veſter quadam ambiguitate turbaretur, & neceſſarium judicaretis noſtrum, id eſt fraternum, experendum eſſe conſilium, &c. *Conſilii ejus ſumma eſt, ut incerta illa ac ſuſpecta reliquiæ* de ſacris adytis & de loco celebri tollantur, *& extra eccleſiam* loco

ANN. CHR. DCCC LXXVIII. MARTII XXVI.

ſecreto, *ſed tamen* mundo *recondantur: & de cetero mulierecularum iſtuc conventicula interdicantur.*

Monaſterii clades.

5. Eo tempore cladem ſuſtinuit Divionenſe ſancti Benigni Monaſterium, quod Iſaac Epiſcopus, Teudboldi ſucceſſor, inſtaurare curavit, opem ferente Carolo Calvo, qui nonnulla prædia Monachis in iſto loco ſervientibus dedit, ut pro ſe & conjuge, necnon & liberis, atque totius regni ſtatu, Domini clementiam implorarent. *Ejus rei diploma extat apud Perardum in collectione Burgundicorum monumentorum pag. 149*, datum XII Kal. Auguſti, Indict. II, anno XXX regnante Carolo glorioſiſſimo Rege, apud Piſtam * villam. *quo in diplomate Carolus exponit, uti* Iſaac venerabilis Lingonenſis matris Eccleſiæ Epiſcopus innotuit, qualiter Monaſterium, ubi ſanctus Benignus Martyr corpore requieſcit, quondam religioſorum turbâ Monachorum refertum, nunc peſſumdatum ac pæne adnullatum, *ob clades ſcilicet à Nortmannis illatas*, reſtruere & reſtaurare, & Monachos ibi SUB REGULA SANCTI BENEDICTI jugiter Deo militaturos ſtatuere, & ad priſtinum ſtatum reducere, ac ſuæ ſepulturæ locum ibi velit præparare. *quam in rem ſubſidia petebat à Carolo. Iſaac Catalauni mortuus, Remiſque ſepultus eſt: ſed corpus ipſius ab Argrimo altero ſucceſſore Divionem relatum, in Monaſterio Benigniano tumulatum eſt, ſicuti vivens optaverat, unà cum multis ejuſdem ſedis Epiſcopis, aliiſque viris nobilibus & ſanctis, qui in eodem loco ſepulturam elegerunt.*

* Piſtres

Bertilo Abbas.

6. Inſtaurato Monaſterio, Iſaac venerabilis Epiſcopus, *ut in Chronico legimus*, congregavit in hoc loco Monachos ſub Coëpiſcopo & Abbate, nomine BERTHILONE, qui regulariter viverent, & Deo in perpetuum deſervirent, & de omnibus quæ inclytus Princeps per præcepti ſui munificentiam contulerat, privilegium eidem concordans * epiſcopalis auctoritatis edidit. in quo privilegio in primis habere propriam electionem ſucciduis temporibus, ſecundum Regulam ſancti BENEDICTI Abbatem eligere Monachis iſtius loci conceſſit. eum verò qui electioni Fratrum contradicere, ſeu eidem congregationi aliquam vim inſerre, vel familiam affligere, aut aliquid ab eodem Monaſterio auferre, ſeu de rebus præſcriptis beneficiare alicui præſumſerit; ſua ac Coëpiſcoporum auctoritate excommunicatum, æternæ damnationis maledictione multandum, ac ſancti Benigni cui præjudicium inferre voluerit, ultione damnandum, inſuper anathema maranatha eſt imprecatus. Huic excommunicationi Archiepiſcopi quinque & Epiſcopi decem numero ſubſcripſerunt, ac deinde qui poſt eum eccleſiæ Lingonenſis Epiſcopi. *Ex quibus intelligimus, Carolum Calvum & Iſaacum iſtius Monaſterii inſtauratores fuiſſe. quo nomine* Dominus Karolus Imperator loci reædificator *laudatur in Necrologio Benigniano* pridie Nonas Octobris. *&* XV Kal. Aug. depoſitio domni Iſaac Lingonenſis Epiſcopi. *Ejus elogium habes in tomo I Bibliotheca Labbeana, ubi Iſaac Catalauni mortuus, Remiſque ſepultus fuiſſe dicitur, ſed permiſſione Caroli Calvi ac ſtudio Argrimi ſucceſſoris ſui Divionem tranſlatus & in S. Benigni eccleſia reconditus* IV *Non. Februarii.*

* ſ. concedens

Privilegiū.

Bibl. nova pag. 656.

7. Neque tamen ante hanc inſtaurationem penitus ibi defecerat Monachorum cœtus. In litteris donationum ac commutationum ab anno DCCC XLI *ad* DCCC LXVIII *confectis, nullam Abbatis, ſed ſolius Epiſcopi Lingonenſis factam mentionem invenio. quod argumento eſt, Ingelramnum pluſculum Epiſcopis Lingonenſibus in Monaſterio ſuo permiſiſſe. Prima Bertilone Abbate charta data eſt* anno XXVIII Caroli Regis, *id eſt anno Chriſti* DCCC LXVIII, *quo Aldo quidam & uxor ejus Ermenrada aliqua bona largiuntur* ſacroſanctæ baſilicæ ſancti Benigni Martyris ſub opido Divionis conſtructæ, ubi venerabilis vir domnus Iſaac præeſſe videtur Pontifex, & Bertilo Chorepiſcopus Abba cum omni congregatione Monachorum, *apud Perardum.*

Donationes factæ.

8. Præter ea Chronographus varias donationes eo Abbate factas recenſet his verbis. Bertillo igitur Coëpiſcopus & Abbas in hoc loco conſtitutus, cœpit erga

Ann. Chr. DCCC LXXVIII. Martii XXVI.

curam officii ſibi commiſſi ſaragere, & poſſeſſiones vel dono, vel pretiò datas, aut commutatione terrarum factas ſtuduit augmentare. Emit igitur à Fulcardo Præpoſito eccleſiæ Lingonicæ, dato ſeptem librarum pretio, in Aziriaco villa manſum unum & terram arabilem in novem campos diviſam. Dedit & Fulcardus Preſbyter in eodem loco campum unum Deo & ſancto Benigno. *Utriuſque litteræ habentur apud Perardum pag. 151. Ad hæc*, vendidit Eleiarnus in eadem villa terram, ubi poſſunt ſeminari modià ſex. alter quidam, Eldeardus vocatus, vendidit quatuor manſa cum ædificiis & ſupra poſitis in eadem villa. alius quidam, Mummjus vocatus, veniens ad converſionem in hoc Monaſterio, dedit manſa quatuor cum appendiciis ſuis in eadem villa, *nempe* anno XXXVII Caroli Regis, *imperii* II, *apud Perardum pag. 155 & 156. Plures alias commutationes donationeſque præſidente Bertilone factas memorat Chronographus, in his donationem* BERTÆ Comitiſſæ pro remedio animæ viri ſui Unfridi Comitis: *cujus Bertæ litteræ exſtant apud Perardum loco mox citato cum hac ſubſcriptione*: ſignum BERTANÆ Comitiſſæ Deoque ſacratæ. ſignum ERMENTRUDIS filiæ ejus, &c. die Mercoris menſe Novembri, anno primo regni domini Ludovici Regis, filii Karoli Imperatoris Auguſti.

Saro Bertilonis Coadjutor.

9. *At verò* conſiderans domnus Iſaac Epiſcopus, *teſtante Chronographo*, Bertillonem Coëpiſcopum & Abbatem ad utrumque officium non poſſe ſufficere, quoniam tunc temporis res eccleſiaſticæ ſimul & publicæ in magno erant diſcrimine ob infeſtationem paganorum, perturbato rerum ſtatu; SARONEM Abbatem conſtituit ei ſocium ad regimen & curam animarum: ut dum adjuncto cœtu Fratrum divinis ſtudet intendere theoriis, ille liberiùs eccleſiaſticis inſerviret miniſteriis. *Hæc ſunt, quæ de Bertilonis rebus geſtis ad nos tranſmiſit antiquitas.*

Bertilonis obitus.

10. *Bertilonis obitus contigit anno* DCCCLXXVIII, *die Martii vigeſima-ſexta. Annum colligo ex Chartario Benigniano, collatione facta binarum litterarum, quarum una, ſcilicet Bertæ Comitiſſæ modo memoratæ*, menſe Novembri, anno primo Ludovici Regis, *cognomento Balbi, Bertilone Abbate data ſunt, id eſt ſub finem anni* DCCCLXXVII. *altera ſunt Salamanni cujuſdam, qui* INGONI Abbati *Bertilonis ſucceſſori donat campum apud Aziriacum* die Veneris in menſe Maio, in anno primo regnante Karlomanno Rege, *Ludovici Balbi filio ac ſucceſſore, apud Perardum pag. 157. Bertilo proin deceſſit intra illud tempus, quod à menſe Novembri anni* DCCCLXXVII *ad Maium anni* DCCCLXXIX *effluxit. Certè Necrologio Benigniano inſcriptus reperitur* VII Kal. Aprilis *his verbis*: Depoſitio domni Bertilonis Chorepiſcopi atque Abbatis hujus loci. *ſuperſcriptis his duobus verbis*, hoc facimus. *id eſt anniverſarium pro eo. Necrologium hoc ſcriptum eſt ſub finem ſæculi* XI, *quo proinde tempore Bertiloni ſolita pro mortuis ſuffragia impendebantur.*

Sepultura & miracula.

11. *De ejus ſepultura & miraculis ita ſcribit Chronographus*: Bertilone & Sarone Abbatibus ad æternam vitam tranſlatis ſucceſſit Hingo. Saro ſiquidem in Pultarienſi loco ſibi commiſſo quievit: Bertilo autem moriens in hoc loco inter ſepulcra Sanctorum tumulari meruit. Ad cujus tumbam, ſi petentium fides exigat, febricitantium crebræ ſanitates fiunt. Anno denique dominicæ Incarnationis MXLV, HALINARDO Abbate hunc locum regente, decimo quinto ipſius anno, cùm transferretur, quia ſepulcrum ejus impediebat introitum cryptæ ſancti Benigni, à parte meridiana effoſſo tumulo, & ad pedes aliâ foſſâ præparatâ, quà removeri deberet, Monachis adſtantibus cum crucibus & thymiamateriis & luminaribus, multis ingerentibus manus ad movendum, quoniam immenſum erat ſarcophagum, ſubitò omnes ad terram corruunt. Surgentes verò inveniunt ſarcophagum in præparato loco decenter compoſitum: & accedentes ut viderent, qualiter locatus eſſet in tumulo, aperto opertorio fragrantiam miri odoris ſenſerunt omnes qui adfuerunt. Et

Translatio.

ANN. CHR. DCCC LXXVIII MARTII XXVI.

ecce corpus ejus monachili habitu indutum, ſtola ſacerdotali auro texta erat ornatum: caput verò ejus, quod ei fuit abſciſum, corpori adjunctum; & circa idem ſanguis erat coagulatus in ſepulcro. *Ex his conjectura eſt, Bertilonem à Nortmannis comprehenſum capite amputato interiiſſe.*

Cultus.

12. Hæc cùm ita ſint, nullo tamen publico cultu Bertilo honoratur in Monaſterio Benigniano: etſi ab antiquis Sanctus eſt habitus. Argumento eſt vetus ejus effigies in refectorii pariete depicta, in qua caput laureolâ coronatum conſpicitur his verbis appoſitis: B. BERTILO ABBAS HUJUS LOCI. *Caput ejus cum aliis cimeliis adſervatur, nullo tamen ornatu indutum. & in quodam memoriali Gallico legitur, anno* MDLXXXIX *multas reliquias Cardinali Cajetano, in his* reliquias ſancti Bertilonis Abbatis, *à Monachis Benignianis conceſſas fuiſſe.*

Saronis & Ingonis obitus.

13. Saronis ejus Coadjutoris obitus in prædicto Necrologio notatur his verbis: VII Kal. Martii depoſitio domni SARONIS Abbatis iſtius loci. *Et* XVI Kal. Aprilis *totidem verbis* depoſitio domni Ingonis Abbatis. *Eodem tempore Saro, idem an alius, regebat Pultarienſe Monaſterium, vulgo* Potieres, *ſitum in diœceſi Lingonenſi, quod hactenus ſubſiſtit ſub Benedictina ſancti Vitoni Congregatione. Saro inter Sanctos adſcribitur à Goutheroto in Hiſtoria Lingonenſi pag. 219. & in tabella Sanctorum Benigniani Cœnobii* S. SAXO *depictus viſitur, an Saro?*

Monaſterii ſtatus ſeculo X.

14. Anno DCCCCXI ARDEGRIMUS *Lingonenſis Epiſcopus* relicto Epiſcopatus honore Monachus eſt effectus in hoc Monaſterio: ac poſt biennium defunctus, honorificæ traditus eſt ſepulturæ intra ſepta hujus eccleſiæ. *Ejus depoſitio notatur* VIII *Kal. Februarii. Gotſelinus Warnerii poſt Ardegrimum ſucceſſor,* quoad vixit, huic loco ſtuduit prodeſſe pro ſuo poſſe. *Is anno* DCCCCXXVII, *Indictione I, Monachis Benignianis privilegium eligendi Abbatis ratum eſſe juſſit, & Albericum electum, quantumvis renitentem, ordinavit Abbatem, ut lego in membrana eo tempore ſcripta, in qua Epiſcopus* codicem manibus ſanctiſſimi juris pedumque ſuſcipiens, *electum Abbatem inveſtiiſſe perhibetur.*

15. Sub finem ſæculi decimi Benignianum Monaſterium novum ſplendorem accepit per ſanctum WILLELMUM *Abbatem, ejuſque diſcipulos* JARENTONEM, ALINARDUM, *poſtea Lugdunenſem Archiepiſcopum, aliosque, de quibus in Sæculo* VI *agemus: ubi alia ejus Monaſterii decora & ornamenta proſequemur.*

Chronici S. Benigni ſcriptor.

16. Interim obſervare convenit, S. Benigni Chronici ſcriptorem alium omnino eſſe ab Johanne Monacho, qui Beſuenſe litteris mandavit. Etſi enim ea quæ ad Francicam hiſtoriam pertinent, iiſdem verbis in Beſuenſi atque in Benigniano referuntur, unius tamen ab alio auctore diſcrimen produnt genius & ætas penitus diverſa. Ætatem ſuam deſignat Benignianus, cùm ait ſe in Benigniano Cœnobio à patre oblatum fuiſſe ſub annum MXXVI. *Accedit quòd Chronicon ſuum perducit ad annum dumtaxat* MLII. *At Johannes Beſuenſis ſub finem hiſtoriæ ſuæ refert litteras Gotefredi Epiſcopi Lingonenſis, quem ſub annum* MCXL *ei eccleſiæ præfuiſſe conſtat. Præterea Benignianus Halinardum Lugdunenſem Pontificem mirificè extollit pag. 461 & ſequentibus. Beſuenſis ultra modum deprimit pag. 556 & 557. Itaque Beſuenſis à Benigniano mutuatus eſt ea, quæ de rebus Francicis eadem in utroque Chronico memorantur. Porro utrumque habes in Spicilegii tomo I. Hæc obſervatio aliquanti momenti erat ad conciliandam fidem iis, quæ de Bertilonis ſanctimonia ex Chronographo Benigniano earum rerum æquali retulimus.*

HISTORIA ILLATIONIS S. P. BENEDICTI RELIQUIARUM, CUM SEX LIBRIS MIRACULORUM EJUSDEM,

Circ. ann. DCCC LXXXXIII Dec. IV.

Quæ in Gallia & Italia patrata ſunt.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

I.

1. *DE Monaſterii Floriacenſis primordiis, deque tranſlatione reliquiarum ſanctorum Benedicti & Scholaſticæ in Galliam, fuſiùs actum eſt in Sæculo 2, tum in Elogio S. Mummoli, tum ad hiſtoriam tranſlationis S. Benedicti, remiſſâ huc in locum Illationis hiſtoriâ, unà cum libris miraculorum, quæ Illationis tempus conſecuta ſunt.*

2. *Duplicem à priſcis Auctoribus hujuſce feſti cauſam repetere licet, quarum altera quodammodo primaria, altera ſecundaria dici poteſt. Primaria ex Adelberto, Adrevaldo, S. Odone Abbate, aliiſque profertur, nimirum tumulatio S. Benedicti in baſilica ſancta Mariæ die 4 Decembris facta. Quippe cùm S. Benedicti corpus ex monte Caſſino tranſlatum in Monaſterium Floriacenſe, die 11 Julii in oratorium S. Petri depoſitum fuiſſet; in eo tamdiu manſit, donec ſacro corpori congrua ſedes in eccleſia S. Mariæ pararetur: ubi tandem collocatum fuiſſe* pridie Nonas Decembris *narrat Adelbertus Monachus, & Aimoinus poſt eum in libello de tranſlatione S. Benedicti. Porro* tumulationis *ſeu* depoſitionis *S. Benedicti dicta hæc dies, ab eo tempore celebrata eſt tum Floriaci, tum in pleriſque Galliæ Monaſteriis, ut auctor eſt Adrevaldus in libro de miraculis cap. 22.* Sollemne feſtum impendebat, *inquit*, ſancti Confeſſoris Chriſti Benedicti, quod ex veteri conſuetudine quotannis pridie Nonarum Decembrium agitur; quo conventus multorum populorum ob tanti memoriam Patris confluere Monaſterio ſolet. *& ſanctus Odo Abbas in ſermone de ſancto Benedicto agit* de ſancta illius tranſlatione, necnon & TUMULATIONE, *quæ ſic* divinitus eſſe diſpoſita, multa ſignorum ſunt documenta. *In Chartario Patriciacenſi, quod Stephanus Pirardus in collectione monumentorum Burgundiæ edidit, hujus feſti fit mentio in chartis 29, 32 & 34. ubi vocatur* Miſſa ſancti Benedicti quæ eſt in menſe Decembrio. *Miſſa, id eſt feſtum, quod in vetuſtis Martyrologiis quàm multis inſcriptum reperitur. In Corbeienſi Kalendario ſcripto ab annis octingentis, quod libro paſtorali S. Gregorii præmittitur, habetur* pridie Nonas Decembris depoſitio Benedicti Abbatis. *Denique vigebat adhuc* Tumulationis *vocabulum ſæculo duodecimo, ut conſtat ex Rodulfi Tortarii libro de miraculis ſancti Benedicti cap. 33 in hæc verba.* In Patris igitur Tumulatione quæ in diebus dominici Adventus per omnes Gallias annuatim cum reverentia excolitur, mulier, *&c. Ex quibus perſpicuum eſt, qualis fuerit hujus celebritatis inſtitutio primaria.* — Illationis feſti cauſa primaria.

3. *Secundariam refert Diedericus Herſfeldenſis Germaniæ Monachus, qui in Floriacenſi Monaſterio ſub initium ſæculi XI diu commoratus, poſt reditum in patriam interrogatus aliquando à Richardo Amerbacenſi Abbate,* quænam cauſa exſiſtat illius feſtivitatis beatiſſimi Patris Monachorum Benedicti, quæ apud Gallias præcipuè celebratur in diebus Dominici Adventus ſub nomine Illationis; *condidit ea de re libellum, in quo tradit, cauſam hujus ſollemnitatis eſſe relationem corporis ſancti Benedicti factam ex urbe Aurelianenſi, poſt cladem à Nortmannis illatam Monaſterio Floriacenſi: qua in relatione Ligeris glacie concretus naviculam ſacris reliquiis onuſtam ſoluta glacie per adverſas alvei aquas Floriacum revexerit, & arbores erupterint in flores, unde nomen loco Floriacus. His addit ſacras ſancti Benedicti reliquias eo die* in ſancti Petri Monaſterio, *id eſt eccleſia, repoſitas fuiſſe, & anniverſario die ſequentis anni illatas* in proprium mauſoleum in eccleſia beatæ Mariæ, quæ jam per biennium ſui manſoris præſentia caruerat. *Unde ſtatuerunt Epiſcopi, qui rei geſtæ interfuerunt, ut* quoniam relatio & illatio eodem die anno revoluto factæ fuerant, annuatim — Secundaria

CIRC. ANN. DCCC LXXXIII DEC. IV. omni tempore futuri ævi ſollemniter eodem die per totam Galliam celebraretur. *Denique in eodem libro idem Auctor tradit Carolomannum (quem Sigebertum per errorem nominat) poſt hanc relationem miſſum eſſe in Gallias, ad repetendum corpus S. Benedicti, quod Deo repugnante infectum fit. Hæc Diedericus : cujus fidem hac in re elevant Socii Bellandiani in ſuo Martio, ubi ea quæ de hac Illatione à Diederico referuntur, prætermiſerunt,* quia, *inquiunt,* ferè commenticia ſunt, & apud Johannem Boſcium legi poſſunt; *contenti ſimplici expoſitione gemini miraculi de glacie ſub corpore ſancti Benedicti ultro ſoluta, & de arboribus erumpentibus in flores. quod tamen utrumque ſibi* ſuſpectum *eſſe fatentur in adnotationibus ad Adrevaldi librum de miraculis ſancti Benedicti num. 19.*

Confirmatur. 4. *Verùm æquiorem (ut ſperare licet) ſententiam feret prudens lector, ſi attenderit non ſolum Diedericum hanc Illationis hiſtoriam litteris mandaſſe, ſed etiam Rodulfum Tortarium, Petrum Abbatem Cluniacenſem, Venerabilem dictum, Chronographum Floriacenſem apud Cheſnium initio Hiſtoricorum Normannorum, alioſque multos eodem prorſus modo retuliſſe. Rodulfus Tortarius Cluniacenſis Monachus ſub initium ſæculi* XII *inter alia metricè reddidit hiſtoriam tranſlationis corporis S. Benedicti in Gallias, & in fine poëmatis ſui hæc addit.*

Poſt tumulata pius quæ geſſit membra Patronus,
Hæc ſimul hac una congero paginula.
Adſtrictus glacie Liger amnis, tempore brumæ
Præbet iter ſancto mobile Legifero.
Imponunt navi ſine remige membra magiſtri,
Oppoſitum flumen quo ſecat & glaciem.
Floret Floriacus, viſu ſpectabile, vicus,
Patris ad introitum, lux erat effugium.
Hinc ſumſit nomen, cujus fuit antè vocamen
Aurea vallis, eo quòd ſit opimus humo.

Petrus Venerabilis in hymno de Tranſlatione ſancti Benedicti, cujus hymni fit mentio in lib. 4 epiſtola 30. geminum hoc Illationis miraculum repræſentat his verſibus.

Navis per fluvium nat ſine remige,
Mirando glaciem diſſecat impetu,
Sancti membra ferens obvia flumini
Undas retro reverberat.
Eductum fluvio ſenſit ut arida,
Non curans gelidi frigora temporis,
Veſtit cuncta novis ilico floribus
Mutata facie ſoli.

Tantum virum [illegible]nti & Tortarium, ſola Diederici, hominis extranei, auctoritate inductum hæc ſcripſiſſe non puto, ſed certiora monumenta, quæ nobis latent, ob oculos habuiſſe. Forſan illo in libro quem de adventu ſancti Benedicti *beatus Odo ſcripſiſſe perhibetur, ejus rei mentio erat. Certè Aimoinus initio libri 2 de miraculis, innuere videtur Floriaco nomen acceſſiſſe ex miraculo florum.* Favorabili, *inquit,* ſupernæ dignationis præſagio, hoc in quo Deo auctore famulamur Cœnobium, ut Floriacus vocaretur, accepit. qui priſcis temporibus non diſſimilis gratiæ prærogativâ Vallis nominabatur aurea. *Hæc verba omnino conſonant Diederici verbis & Tortarii; qui duo prædicta miracula proximè poſt hiſtoriam tranſlationis ſubjicit (quod etiam facit Petrus Venerabilis) per anticipationem : non quòd ea ſtatim à tranſlatione facta fuiſſe crediderit, uti viſum eſt Sociis Bollandianis; ſed quia tam inſigne miraculum tranſlationis narrationi continuandum erat, ut ex uno alia miracula intelligeremus.*

5. *Denique Aurelianis hactenus exſtat eccleſia ſancti Benedicti, quæ modò parœcialis eſt,* de Reditu *vulgò appellata, ob hujus facti memoriam, ut fert civium perſuaſio; tametſi jam ante Illationem à Medone Abbate ædificata fuerat, ſed forſan poſt cladem Normannorum in memoriam Illationis reſtituta. Illationis tamen vocabulum rarò invenitur in antiquis Martyrologiis & eccleſiaſticis libris, ex quibus unum reperio Martyrologium Abbatiæ S. Mariæ de Quadraginta diœceſis Narbonenſis: in quo noſter Claudius Stephanotius hæc legit :* Prid. Non. Decemb. Aurelianis, in loco qui vocatur Floriacus, Illatio corporis S. Benedicti Abbatis & Monachi. *Hoc verè Martyrologium ſub annum* M C X *exaratum eſt.*

Expenduntur objecta. 6. *Jam expendenda ſunt rationum momenta, quibus moti tum Socii Bollandiani, tum alii, hanc Illationis hiſtoriam, prout à Diederico deſcripta primùm eſt, in dubium revocarunt, iiſque ſatisfaciendum pro modulo noſtro, quantum ſinunt veritatis leges & religionis, quæ præcipit omnia probare, & omni poſcenti rationem reddere.*

1 ex Auctorum ſilentio. 7. *Prima dubitandi ratio duci poteſt ex ſilentio domeſticorum Auctorum Diederico ſuperiorum, nempe Adrevaldi, Adelerii, & Aimoini: qui cùm res ad ſanctum Benedictum attinentes, & miracula per ipſum facta deditâ operâ ſcripſerint, unus poſt alium; nullus ta-*

men

nea eorum mentionem facit Illationis, duorumve miraculorum, quæ Diedericus commemorat. Et ut illa videre nequiverit Adrevaldus, forſan mortuus ante id tempus, quo hæc geſta ſunt; ea nihilo minus vidiſſe potuit Adelerius, utpote qui referat congreſſum Hugonis Abbatis & Girboldi Autiſiodorenſis Comitis cum Normannis ob factam Floriacenſis Monaſterii direptionem. qui GIRBOLDUS *non alius fuiſſe videtur, quàm* GISLOLFUS *Comes, iſtius Monaſterii Advocatus, in Diederici narratione memoratus, qui hortatu ſancti Benedicti in ſomnis apparentis Normannos inſecutus ſit, viceritque. Nam eadem apud Adelerium & Diedericum ſingulares notæ, viſum ſcilicet Comiti pugnanti ſanctum Benedictum monaſtico habitu indutum, qui dimicantis equum manu duxerit, aliaque manu plurimos hoſtium occiderit.* Circ. ann. DCCC LXXXIII Dec. IV.

8. *Non multum diſſimilis argumenti eſt quod urgent ex ipſa Diederici ſcriptione, quæ cùm Auctoris ſit poſterioris, & pleraque falſa contineat, (qualia ſunt ex miraculo florum, quod commemorat, nomen Floriaco acceſſiſſe, ac Carolomannum, quem alio errore Sigebertum appellat, poſt cladem Normannorum in Gallias adveniſſe) ſubleſta videtur auctoritatis. Neque enim Diedericum magis callentem fuiſſe rerum Floriacenſium, quàm Aimoinum, qui paullo ante eum ſcribebat. Aimoinus ſiquidem libros de miraculis ſancti Benedicti ſcripſit anno milleſimo quinto: Diedericus verò libellum de Illatione nuncupavit Richardo Amerbacenſi Abbati, qui anno milleſimo trigeſimo-nono vitâ functus eſt, teſtante Browero in Antiquitatum Fuldenſium cap. 20.* 2 ex Diederici etiatus.

9. *Poſtrema difficultas procedit ex tempore quo hæc accidiſſe dicuntur, nimirum poſt incendium & direptionem Floriacenſis Monaſterii per Normannos. Apud probos Auctores unicum hujus Cœnobii legitur incendium factum per Normannos, anno Chriſti ſexageſimo-quinto ſupra octingenteſimum: de quo Adrevaldus in libro de miraculis ſancti Benedicti cap. 34, Annales Bertiniani, & breve Chronicon, quod Andreas Cheſnius ſcriptoribus Normannicis præmiſit. Atqui eo anno non eſt facta Illatio, tum quia ejus rei meminiſſet Adrevaldus, qui aliquot annis ſuperſtes multa ſcripſit de ſancto Benedicto, quæ poſt illud tempus acciderunt: tum quia ſancti Benedicti corpus, non Aurelianos tum delatum eſt,* ſed hac & illac, *prout fugiendi neceſſitas impellebat. Deinde Regem Francorum, cujus principatu contigit Illatio,* CAROLOMANNUM, *Ludovici Balbi filium, ſatis deſignat Diedericus: Carolum, cognomento Simplicem, Chronographus anonymus inferiùs exhibendus. Verùm ea res non fugiſſet Adelerium Carolomanni tempore ſcribentem, ſi regnante Carolomanno contigiſſet. Si Carolo Simplice Rege, eam reſciviſſet Aimoinus, qui non integro ſæculo à Carolo aberat.* 3 ex tempore rei geſtæ.

10. *Præterea dici non poteſt corporis S. Benedicti relationem poſt abſolutam Adelerii ſcriptionem eveniſſe: tum quia in illa Normannorum direptione, quam deſcribit Adelerius, nulli Floriacenſes Monachi cæſi dicuntur, ſecus in Diederici narratione: tum quia Floriacenſes tum confugerant, non Aurelianos, quæ urbs tum capta fuiſſe videtur ex Adelerio; ſed* ad prædium Matriniacenſe *pagi Waſtinenſis, quo ſecum* pretioſa quæque *comportaverant, ac proinde corpus S. Benedicti. quod etſi aliquando perfugii causâ delatum ſit Aurelianos, non tamen repoſitum videtur in eccleſia S. Aniani, ut ſcribit Diedericus, quæ tunc extra muros erat: ſed potius in aliqua cellula ſacra, quam Medo Abbas in ſancti Benedicti honorem conſtruxerat, ut dictum eſt. Nam eo tum confugere ſoliti erant Floriacenſes, teſte Adrevaldo in libro de miraculis S. Benedicti cap. 21.*

11. *Denique ut eo tempore Floriacenſe Cœnobium violaverint Normanni, tantum abeſt, ut Rollo eorum Dux poſt vaſtatam longè Burgundiam* Monaſterium S. Benedicti contaminare noluerit, nec prædari illam provinciam, *Floriacenſe videlicet ſolum,* propter ſanctum Benedictum permiſerit, *ut Dudo Quintinianus Decanus ſcribit in lib. 2. cui Willelmus Gemeticenſis Monachus totidem verbis ſuffragatur in lib. 2 cap. 14. Et hæc ſunt præcipua quæ contra Diederici ſcriptionis auctoritatem afferri poſſunt momenta, quæ etſi non levia eſſe concedamus, non ejus tamen ſunt roboris, ut incunctanter* commenticia *cenſeri debeant ea, quæ ab ipſo referuntur.*

12. *Primo cùm Diederici error in aſſignanda cauſa, quæ Floriaci appellationem induxerit, aut nullus eſt, aut certè leviſſimi momenti. Nam & Aimoinus in eadem verſari videtur ſententia: & Scriptoribus familiare eſt aliquando data occaſione ludere in ſerio argumento. Eſto verò Diedericus falſus ſit in deſignando tempore, quo Carolomannus in Galliam acceſſit: at id non impedit, quo minus in ipſa narrationis ſubſtantia veritatem aſſecutus ſit. Certè variorum Scriptorum qui ſancti Benedicti miracula conſequenter poſteris mandarunt, ſilentium non ita decretorium eſt, ut ex eo causâ ſuâ Diedericus cadere debeat. Nam præterquam quod ab aliquo alio Auctore antiquo, qui exciderit, ſcripta forſan eſt Illationis hiſtoria: hoc ad rem noſtram maximè facit, quòd neque omnia ſancti Benedicti miracula quæ per id tempus acciderunt, ſcripta eſſe, neque Aimoinum ea quæ de ipſis in litteras relata ſunt, omnia legiſſe conſtat ex libro 3 de Vita ſancti Odonis cap. 13, ubi Johannes Monachus commemorat quoddam ſancti Benedicti miraculum ab aliis Scriptoribus omiſſum, (tametſi aliquid ſimile referunt Adrevaldus in cap. 22, & Adelerius) & librum* de A[illegible] corporis ſancti Bene- Diluuntur.

CIRC ANN. DCCC LXXXIII DEC. IV.

dicti, *quem ſanctus Odo in Aurelianenſi Monaſterio deſcripſiſſe fertur, ab Aimoino ignoratum. Ad hæc Aimoinus ipſe fatetur in libro primo de miraculis cap. 4, miracula quæ Odonis Abbatis tempore geſta ſunt,* incognita manere, partim antiquitate, partim ſcriptorum negligentiâ oblivioni tradita. *quanto magis ea quæ per turbulentiſſimas illas Normannorum tempeſtates facta ſunt, ejus notitiam fugere potuerunt?*

Tempus rei geſtæ expenditur.

13. *Paullo minùs facile eſt ſolvere quod objicitur de tempore, quo hæc Illationis hiſtoria à Diederico relata accidiſſe fertur. Nam aliud fortaſſe Floriaco incendium per Normannos illatum eſt præter illud ab Adrevaldo aliiſque commemoratum, quod Illationi aptari nequit. Certè Diederici ſententiæ maximè favet Adelerius in eo, quod magnam ejus narrationis partem commemorat, deſcribendo irruptionem Normannorum Floriacum, & Girboldi victoriam contra eos duce ſancto Benedicto reportatam ſub regno Carolomanni. Neque obſtat, quòd Adelerius reticeat incendium Cœnobii, & cædem quorumdam Monachorum, nihilque de Illatione quam poſtea factam ait Diedericus, litteris conſignavit. Definit ſiquidem Adelerii liber in Hugonis & Girboldi victoria de Normannis, poſt quam facta eſt relatio corporis S. Benedicti: quo tempore Adelerius ſcribendi, ac fortaſſe vivendi finem jam fecerat. Deinde quot ſingulares ejuſmodi circumſtantias in prolixa narratione videmus in dies omitti à nonnullis Hiſtoricis, quæ ab aliis referuntur? Neque dicit Adelerius corpus ſancti Benedicti Matriniacum delatum, aut Aurelianorum urbem à Normannis tum captam fuiſſe: ſed tantùm* pretioſa quæque ad prædium Matriniacenſe *devecta, & Normannos in eam urbem deveniſſe. Immo etiam ſi illud utrumque diceret, non tamen impediret, quo minus reliquiæ ſanctæ Matriniaco in urbem Aurelianorum fuiſſent advecta, donec Floriacenſe Cœnobium aliquatenus inſtauraretur.*

14. *Ex his porro facilè intelligimus, cur Rollo vaſtatâ dein Burgundiâ, Monaſterio & agro Floriacenſi temperari juſſerit propter ſanctum Benedictum, quem ob miracula in Girboldi victoria, & in ejus corporis relatione patrata veritus eſt. En locus integer Dudonis Decani Quintiniani ex libro ſecundo, & Willelmi Gemeticenſis totidem verbis id tradentis.* Rollo putans ſe propter ſecuritatem quam dedit, à Francis vilem æſtimatum, ferociter & crudeliter devaſtando provincias cœpit laniare & affligere atque delere populum. Sui autem in Burgundiam pergentes, perque Ionam in Sigonam navigantes, terraſque omnibus affines uſque Clarum Montem undique ſecus devaſtantes, Senonis provinciam invaſerunt; atque cuncta depopulantes ad ſanctum Benedictum contra Rollonem revenerunt. Videns autem Rollo Monaſterium ſancti Benedicti, illud contaminare noluit, nec prædari illam provinciam propter ſanctum Benedictum permiſit. *Nimirum animo ferocis hominis injecta non fuiſſet religio, niſi ex ſimilibus prodigiis, quæ Diedericus refert: & ob eamdem ferè cauſam Theodericus Comes Patriciacum Monaſterio Floriacenſi à ſe abſtractum reſtituit cum magno pœnitentis animi indicio, ut legitur in inſtrumento undecimo Chartarii Patriciacenſis,* dato menſe Aprili anno defunctionis Karlomanni Regis, Incarnationis dominicæ anno DCCCLXXXV. *Nam eo anno currebat annus primus à morte Carolomanni, qui anno Chriſti præcedente obierat. Eo ipſo anno inducias pactus erat cum Normannis, ut legimus in Annalibus Bertinianis: nempe poſt impreſſionem ab eis factam, quam Adelerius deſcribit. Denique anno* DCCC LXXXIII *Adventûs prima dies incidebat in Kalendas Decembris: quæ omnia rectè cum Diederici narratione conveniunt.*

15. *Ex quibus patet, Diederici ſententiam, ſcribentis Illationem regnante Carolomanno accidiſſe, præferendam eſſe auctoritati anonymi Chronographi eam revocantis ad tempus Caroli Simplicis ejus fratris, nempe ad annum circiter undenongenteſimum, paullo poſt obſidionem Carnutenſem. In hac autem Anonymi opinione dicendum eſſet. Rollonem præcepiſſe quidem ſuis, ut Monaſterio ſancti Benedicti parcerent: ſed tamen contra ejus mandatum palantes & excurſores quoſdam illud diripuiſſe. In ea ſententia (ut verum fatear) id commodum invenitur, quòd Carolus Simplex anno nongenteſimo verſatus eſt Floriaci, ut conſtat ex diplomate Uticenſis Monaſterii Canonicis (nam ibi tunc Canonici degebant) conceſſo pro confirmatione prædiorum ſuorum. Sic enim deſinit diploma.* Datum pridie Kal. Novemb. Indict. III, anno VIII, redintegrante III, regnante Domno Karolo glorioſiſſimo Rege. Actum Monaſterio S. Benedicti. *Quo modo diploma iſtud redierit in manus Uticenſium Monachorum, obiter diſcimus ex titulo, qui præfixus habetur in codice mſ.* Formam ſubſcriptæ Caroli Regis chartæ RODBERTUS Uticenſis Monaſterii Abbas Aurelianis invenit, & ipſius juſſu GOSCELINUS Monachus ſcriptor egregius celeriter tranſcripſit, & ad notitiam intimandam, quantæ famæ beatus Ebrulfus apud Gallos antiquitus fuerit, Uticenſibus Monachis tempore Philippi Regis Francorum miſit. *Ergo, ut dixi, probabile eſt, Carolum tum acceſſiſſe Floriacum, adductum religione loci, & commemoratione victoriæ, quam Giſlelfus recèns de Normannis cæſis retulerat. Hæc ſatis de tota illa controverſia: nunc ad alia veniendum eſt.*

Circ. ann. DCCC LXXXIII Dec. IV.

II.

16. *Præter Auctores qui Vitam ſancti Benedicti litteris mandarunt, plures etiam ejus miracula protulerunt in lucem, maximè Gallicani. Primus hiſtoriam tranſlationis in Galliam, & miracula tum facta ſcripſit* ADALBERTUS *Floriacenſis Monachus, teſtante Rodulfo Tortario in carmine de eadem tranſlatione, quam ſic exorditur.* Scriptores miraculorum S. Benedicti, Adalbertus.

> Patris ADALBERTUS tranſlatos edocet artus,
> Quædam geſta ſtilo ſubjiciens nitido.

Exiſtimavi aliquando, Adalbertum non alium eſſe quàm Adrevaldum, ductus tum teſtimonio Aimoini in prologo miraculorum, ubi ait, Adrevaldum & tranſlationis ſacri corporis ordinem, & ſigna per Gallias geſta inſeruiſſe: *tum Sigiberti & Trithemii aſſerentium binominem fuiſſe Adrevaldum, qui etiam dictus Adalbertus. Verùm ut diverſos fuiſſe ſentiam, perſuadet me locus Chronici Floriacenſis apud Cheſnium in tomo 3 Hiſtoriæ Francorum pag. 355 in hæc verba.* Anno DCCCLIII Adalbertus bonæ memoriæ Monachus XI Kalend. Januar. obiit. *quod ſine dubio de Adalberto tranſlationis ſcriptore intelligendum, aptari nequit Adrevaldo, qui ſeriùs vitam produxit.*

17. ADREVALDUS *ſiquidem librum de miraculis ſancti Benedicti condidit, cùm Normanni jam Gallias attriviſſent* per triginta ferme annorum ſpatium, *ex cap. 33, ac proinde circiter annum Chriſti octingenteſimum ſeptuageſimum quintum. & in cap. 28 teſtatur, ſe tum, cùm Ludovicus Auguſtus imperaret,* puerulum *fuiſſe. Adalberti & Adrevaldi libros retuli in Sæculo 2, cum Adelerii Appendice.* Adrevaldus.

18. ADELERIUS *verò, Floriacenſis itidem Monachus,* duo tantùm capitula *libro Adrevaldi* adjecit, *teſtante Aimoino in prologo ſuo. quæ capitula deſinunt in morte Ludovici Balbi,* qui vix duobus annis regno potitus eſt, *inquit ille, mortuus anno* DCCCLXXIX. *Ex quo intelligitur, Adrevaldum paullo ante Carolum Calvum deceſſiſſe, & Adelerium hæc ſcripſiſſe regnante Carolomanno.* Adelerius.

19. AIMOINUS, *Floriacenſis utique Monachus, continuavit hiſtoriam miraculorum ſancti Benedicti, editis duobus libris, quos Gauzlino Abbati Floriacenſi nuncupavit anno proximo poſt mortem Abbonis Floriacenſis Abbatis exſtincti anno milleſimo quarto, ut in lib. 2 cap. 1 legitur. Aimoinus* habitum monaſticæ religionis *ſuſcepit ab Amalberto Abbate, ex lib. 1 cap. 18. idemque ſcripſit quatuor libros Hiſtoriæ Francorum, quales in tomo 3 Cheſnii editi ſunt, quos etiam Gauzlino Abbati jam dicto dedicavit. ſcripſit etiam poëma de tranſlatione & ſermonem de ſancto Patre Benedicto, librum de vita ſancti Abbonis Abbatis, & librum de geſtis Abbatum Monaſterii ſui, qui non exſtat. Aimoinum nobilis generis Aquitanum fuiſſe patet ex Vita S. Abbonis cap. 18.* Aimoinus.

20. DIEDERICUS *ſeu* Theodoricus, *Hersfeldenſis in Toringia Monachus, eodem ferè tempore de Illatione reliquiarum ſancti Benedicti libellum condidit hortatu Richardi Abbatis Amerbacenſis, in editis mendosè Marbacenſis, qui anno* MXXIX *vitâ functus eſt, auctore Browero in Antiquitatum Fuldenſium lib. 1 cap. 20. dictus Amerbachenſis, quia* condidit Monaſterium Amerbachenſe, quod in Franconiæ receſſu non procul à Mœno ſancto Simplicio dicavit, *inquit Browerus. Diederico Trithemius perperam tribuit librum Adalberti de tranſlatione ſancti Benedicti; & Illationis hiſtoriam cum Vita S. Benedicti confundit.* Diedericus.

21. *Diederico pene æqualis fuit* ANDREAS *Floriacenſis Monachus, qui Aimoini libris unum adjecit de miraculis ſancti Benedicti, à Rodulfo Tortario metricè redditum: cujus Andreæ liber hactenus latet.* Andreas.

22. RODULFUS *verò, cognomento* TORTARIUS, *itidem Floriacenſis, præter hunc librum, etiam alium de miraculis ſancti Benedicti proſâ & metro edidit. Proſaicum ſine Auctoris nomine typis vulgavit Johannes à Boſco in Bibliotheca Floriacenſi: ſed nomen Auctoris indicaverunt Socii Bollandiani, qui hujus Auctoris & aliorum plura opuſcula viderunt Romæ in Reginæ Sueciæ Bibliotheca, quæ magna ex parte conſtat libris manuſcriptis Bibliothecæ Floriacenſis. Scribebat Auctor iſte initio ſæculi duodecimi, nempe poſt mortem Joſcerandi Abbatis & incendium Floriacenſe anni* MXCV, *cui interfuit ex cap. 27.* Rodulfus Tortarius.

23. *Quo tempore ſcripſerit* GIRALDUS, *Floriacenſis etiam Cœnobita, qui poëma de tranſlatione ſancti Benedicti compoſuit & aliud in honorem ſancti Benedicti, nondum ſcio. Utrumque primi indicavere Socii Bollandiani, editis tantùm exordiis, primi quidem in hunc modum.* Giraldus.

> Longobardorum gens impia cùm reproborum
> Perfidiæ tenebris nollet abeſſe ſuis, &c.

Alterius verò ſic.

> In laudem nunc tota dies expenditur iſta
> Cælorum Regis, & , Benedicte, tui.
> Mota fuere loco juſti pia membra Prophetæ,
> Oſſa Patris proprio mota fuere loco.

Circ. ann. DCCC LXXXIII Dec. IV. Victor tertius.

24. *Præter hos Floriacenſes Monachos, Italici etiam miracula Caſini à ſancto Patre edita prodidere: quos inter præcipuus eſt* Desiderius *Abbas, poſtea Romanus Pontifex, Victor tertius appellatus. Is quatuor libros de miraculis Caſini & in aliis Italiæ locis patratis compoſuit, ex quibus tres tantùm exſtant.*

Leo & Petrus.

25. *His omnibus accedunt* Leo *Marſicanus, ex Monacho Caſinenſi Cardinalis Oſtienſis; &* Petrus *Diaconus, qui in Chronico Caſinenſi plura referunt ſancti Benedicti miracula. plura item Petrus in hiſtoria inventionis corporis ſancti Benedicti in Martio Bollandiano edita.*

Quæ hic edita.

26. *Ex his omnibus quatuor tantùm ſelegi Auctores, exceptis Adalberto, Adrevaldo & Adelerio, quorum opuſcula exſtant in Sæculo 2 cum Aimoini poemate de tranſlatione. Selegi, inquam, Diedericum, Aimoinum, Rodulfum Tortarium, & Deſiderium ſeu Victorem. Diederici priorem dumtaxat partem edere viſum eſt, rejectâ ſecundâ, quæ eſt de repetitione corporis ſancti Benedicti per Carolomannum, quam poſt Illationem accidiſſe ſupino errore ſcribit. Aimoini duobus libris ſubjicio librum Rodulfi Tortarii, nomine Anonymi à Johanne Boſcio vulgatum, omiſſis duobus libris metricis ejuſdem Tortarii, in quorum primo Andreæ Monachi libellum verſibus reddit, in ſecundo hunc, quem hîc exhibeo. Andreæ Monachi opuſculum iſtud intercidit: Tortarii verſio metrica exſtat in Martio Bollandiano, ſed tam exilis & jejuna, ut præter nudas infirmorum curationes nihil ferè emolumenti ex ea elici poſſe videatur. En poematis exordium.*

Quæ tibi de geſtis ſcripſiſſe ſtupenda paternis
  Dicitur Andreas, fiſtula noſtra notat.
At Lemovix populus feriente Deo pateretur
  Ignem dum ſacrum, dat ſibi conſilium
Patris relliquias urbi geſtare verendas.
  Quod poſtquam fecit, peſtis iniqua perit.

Quædam alia inferiùs inde adducam de cella Barcinonenſi. Rodulfum ſubſequuntur, qui præcedere debuerant, Deſiderii ſeu Victoris Dialogi: ut continua ſerie miracula in Gallia, tum alia in Italia facta ob oculos poneremus. Deſiderii Dialogos ex Vaticano codice mſ. eruit Johannes Baptiſta Marus, Romanus Canonicus, vir ſanè de republica litteraria & Benedictina bene meritus; eoſque illuſtravit eruditis notis, quas quia propoſito noſtro accommodata ſunt, ferè integras ad verbum exhibere viſum eſt. Deſiderius initio dialogi promittit quatuor libros de miraculis tum per ſanctum Benedictum, cùm per alios Sanctos maxime ejus diſcipulos patratis, quorum duo priores miracula Caſini; alii duo miracula in aliis Italiæ locis facta repræſentant. ſed ſive is non perfecerit opus ſuum, ſive integrum non reddat codex Vaticanus, qui olim fuit Bibliothecæ Caſinenſis, ſinis tertii libri & totus quartus ad nos minimè pervenit.

III.

Loca à S. Benedicto illuſtrata.

27. *Præter Caſinum & Floriacum, quæ loca inſignioribus præſentiæ ſuæ indiciis decoravit ſanctus Pater, in ſubjectis libris celebrantur alia duo, cella ſcilicet Patriciacenſis & Barcinonenſis, ubi ſanctus Benedictus miraculis claruit.*

Patriciacus.

28. *De Patriciaco agunt Aimoinus in lib. 2 cap. 15 & ſequentibus, Tortarius in cap. 39 & aliis.* Patriciacus, *inquit Aimoinus,* dicitur villa in Auguſtudunenſi territorio regionis Burgundiæ ſita. Hanc Ecchardus, Comes Burgundionum ditiſſimus, ſancto Benedicto & Fratribus Floriacenſis Cœnobii ad ſtipendiarios quoſdam ſumtus benigna largitate contulit. Quo defuncto ac in Floriacenſi Monaſterio juxta eccleſiam ſanctæ Mariæ ſepulto, in memorata poſſeſſione Fratres habitationem ſibi ſtatuerunt: in qua etiam delatis à Floriaco S. Patris Benedicti reliquiis, eccleſia in honore Dei ac glorioſæ virginis Mariæ ſimulque egregii ipſius Confeſſoris conſtructa eſt, quam baſilicam Chriſtus Dominus meritis ſanctæ ſuæ Genitricis, necnon dilecti famuli ſui Benedicti ſæpiſſime miraculis inluſtrem reddidit.

Heccardus donator.

29. *Quis fuerit iſte Ecardus ſeu Heccardus Comes, quove tempore floruerit, docet nos egregium antiquitatis monumentum, Chartarium ſcilicet Patriciacenſe, quod nuper typis vulgatum eſt apud Stephanum Perardum in collectione veterum inſtrumentorum ad Burgundiæ hiſtoriam pertinentium. Chartaceus iſte codex diplomata triginta novem continet, in quorum primo legitur donatio prædii Patriciaci ab Heccardo facta* ad confugium ſuprà dictorum Monachorum *Floriacenſium: ubi notanda hæc verba.* Ego Eccardus dono Dei Comes & conjux mea Richildis, paventes diem extremæ vocationis, ne gravati mole peccaminum ſine fructu boni operis ſteriles inveniamur; donamus pro animæ noſtræ remedio atque in eleemoſyna Childebranni genitoris mei & genitricis meæ Donnanæ, necnon germani fratris mei Theoderici, & ſororum mearum Albsoundis atque Richeldis, donatumque in perpetuum eſſe volumus res noſtras ad Monaſterium ſanctæ Mariæ & ſancti Petri atque ſancti Benedicti Floriacenſis libri*, ubi ipſe ſanctus Benedictus debito quieſcit honore, vel ubi præeſſe cognoſcitur vir venerabilis Abba Theodbertus unà cum plu-

* an loci

rima turba Monachorum ibidem Domino famulantium ; quæ ſita ſunt in pago Augu- ſtidunenſe atque in pago Matiſconenſe, ſeu in Cabilonenſe, id eſt in villa quæ dicitur Patriciacus, cum eccleſia in honore ſancti Petri ſacrata, *&c.* Data in menſe Januario, anno primo imperii domini Karoli junioris, *nempe Calvi, Chriſti ſcilicet* DCCC LXXVI *ineunte. Villam hanc cum appendicibus à Ludovico Auguſto dono acceperat Eccardus litteris datis* Pictavis IV Kal. Januarii anno imperii vigeſimo ſeptimo, Indictione tertia, *id eſt ſub finem anni* DCCC XXXIX. CIRC. ANN. DCCC LXXXIII. DEC. IV.

30. *Ex his nonnulla diſcimus obſervatu digna. primum, Eccardi Comitis genus ex patre* CHILDEBRANNO, *Nibelungi Comitis (ut puto) filio, & ex matre* DONNANA. *uxores* ALBEGUNDEM, *an* ALDEGUNDEM, *&* RICHILDEM, THEODORICUM *fratrem. Ex ejuſdem Eccardi teſtamento, quæ charta ordine quinta eſt, diſcimus ipſi germanam fuiſſe* ADANAM *Monacham in* Afrano *ſeu* Afarano *Monaſterio, cui tum præfecta* BERTRADANA. *quod non aliud eſſe videtur, quàm Monaſterium ſanctæ Faræ in tractu Briegio. In eodem teſtamento* GERBERGANAM *neptem ſuam vocat, uti & in ſequentibus litteris, in quibus* GUINITERIUM *nepotem ſuum appellat: cujus Guiniterii ſeu Winiteris duæ chartæ leguntur ordine 20 & 26. Lege chartas 13, 14 & 15 pro Nivelongo Comite, quem puto eſſe hujus Eccardi avum. Diſcimus item ex prima charta, & etiam ex ſecunda,* TEUDBERTUM *Abbatem poſt Bernardum Floriacenſi Monaſterio præfuiſſe jam inde ſaltem ab anno* DCCC LXXVI, *eumdemque eſſe, qui loco præſidebat anno* DCCC LXXXV *ex charta 11. Giberium Teodberti locum occupaſſe anno* DCCC XC *conſtat ex charta 27.* LAMBERTUM *verò anno* DCCCC VII *ex 29. De ſitu Patriciaci ampliùs dicetur ad Tortarii cap. 46.* Eccardi genus. Abbates quidam Floriacenſes.

31. *Alius locus Benedicti miraculis celebris fuit cella quadam agri Barcinonenſis ſancto Patri ſacra, de qua in Appendice ad Rodulfum Tortarium. memoratur ab ipſo Tortario in libri Adreæ Monachi verſione metrica his verſibus.* Cella Barcinonenſis.

Eſt domus ampla Patri ſita pago Barcinonenſi,
Sæpe vocatus ubi plura ſtupenda facit.
In qua turma Deo famulatur ſedula Chriſto,
Gaudet præſidio tuta, Patrone, tuo.
Huc oraturus ſucceſſit miles amicus,
Extrà dimiſſis donec abiret equis.
Fur rapit hos avidè: vicino mergitur amne.
Perdere quos timuit, miles equos recipit.
Claſſibus advecti properant illuc Agareni,
Quatenus igne crement, rebus & exſpolient.
Fundere vina volunt, glacies quaſi dura rigeſcunt:
Ignis & injectus ſponte ſua moritur.
Judicat hos molles, & mittit Rex truciores.
Miratur quare fiat & his ſimile.
Unus qui ſacram demoliri cupit aram,
Ictum dum librat, ſe feriendo necat.

Hac Cella ſeu Cœnobium itinere unius diei à Barcinone diſtare dicitur in Appendice ad Tortarium: ubi primum iſtud miraculum recitatur.

32. *Jam tempus eſt adducendi Diederici narrationem, quæ in mſ. codice hunc titulum præfert.*

CIRC ANN. DCCC. LXXXIII. DEC. IV.

INCIPIT APOLOGETICA PRÆFATIO

Cujuſdam DIEDERICI Monachi ad venerabilem RICHARDUM, Amarbacenſis Cœnobii Abbatem.

Richardi petitio. EXIGIS à me, mi Pater reverende RICHARDE, quatinus aliquo tibi compendioſæ commoditatis ſtilo, pro modulo ingenii mei, pahfieare quantocius non differam, quænam cauſa exſiſtat illius feſtivitatis beatiſſimi Patris Monachorum Benedicti, quæ apud Gallias non mediocriter, ſed præcipuè celebratur in diebus dominici Adventus [a], Adventûs Religio. in quibus orientales Monachi, velut in Quadragesima, auſteriùs ſolent vivere, & ſub maxima inſtitutionis monaſticæ diſciplina vigilantiùs Natale Domini exſpectare.

Auctoris excuſatio. Et, ut reor, aliqua ſuſpicione conductus putas, me tam ſacro deſiderio quoquo modo ſatisfacere poſſe: quippe qui in quibuſdam negotiis hoc ipſum te aſſeris alias expertum fore. at hæc mitiùs. Quidnam, inquam, fieri poteſt, ut homo agreſtis, liberaliumque elementorum, quibus rationem totius diſputationis confìgi neceſſe eſt, expers, abſque multorum invectiſſima reprehenſione, ignota aliqua vel peregrina, pudore monachali poſtpoſito, ſcribendi gratiâ temerare præſumat? præſertim cùm plures habeantur tecum noſtri Ordinis noſtrique propoſiti Fratres, qui pro ipſa ſui reverentia non temere poſſunt non invocari: quippe paterna tua juſſione, aurium vivaciſſimo pulſu admonente, hujus operis onus ſubire valent, ſine redargutionis diſpendio.

Richardus urget. Quare, inquies ad hæc, ironicis ſchematibus noſtram noſtrorumque inſcientiam tam impudenter verboſando deludis? Potens eſt enim Deus, & nobis aliqua ſuæ laudi non incongrua diſtillare, qui tibi tuiſque Gallis tam largiflué dignatus eſt impluere. Atqui celſiſſimus ille Auguſtinus de ſuperis ad nos delapſus, inpræſentiarum ſi adeſſet, qui totum mundum jam libris ſuis replevit, aut ideo hujus negotii jugum indomitus cornupeta evaderet? Quonam modo, tametſi, uti tua allidit laſcivia, mihi lucubratioris ingenioli Fratres non deeſſent, qui plena auctoritate, catholico ſtilo catholicis auribus deſervire poſſent; hactenus Germaniæ inaudita ſcribere valuiſſent? Nam Lucanum novimus ob hoc poëtæ nomen non promeruiſſe, quòd abſque fictione quæ convenit poëtis, veritatem proſecutus eſt Punicæ Hiſtoriæ. Nos autem multo magis decet nihil umquam fingere, quos conſtat ipſi veritati fide & profeſſione adhærere debere. Quocirca ceſſa, obſecro, à tanta garrulitate verborum, & quæ tandem aliquando, velis, nolis, niſi, quod non credo, cervicoſus tui oblitus exſtiteris, proſequi habebis, aptiùs dulcioribus utens verbis, ſulcis vitulinis, anſerinum deponendo clangorem, ne differas exprimere. Auctor apud Gallos moratus Floriaci. Te quippe ſolum ac ſpecialem novimus, Germanicis lætantem anfractibus, qui plures apud Gallos ſenuiſti annos: & non hoc tantùm, ſed in illo ſolitario atque unico diſciplinato obverſatus es Monachorum Archiſterio, quod ſacratiſſimi Monarchæ Benedicti glebæ continentiâ omnium pænè Monaſteriorum obtinet monarchiam. Nam noveris non eſſe te ſcribere, qualiter beatiſſimus Pater noſter de hoc mundo migravit ad Dominum, eo quòd

[a] Apud occidentales Monachos viget etiamnunc Adventus religio, immo aliquando viguit apud Laïcos. Angli *ſemper in plena hebdomada ante natale Domini juges duodecim dies in jejuniis & vigiliis & orationibus & eleemoſynarum largitionibus quaſi legitimum jejunium exercebant*, teſte Egberto in Dialogo. In Gallia Synodus Matiſconenſis canone 9 præcepit jejunium ſecunda, quarta & ſexta feria, à feſto ſancti Martini ad natale Domini. Hæc dicta Quadrageſima tertia ſeu Quadrageſima Adventûs, quam Vvillelmus Autiſiodorenſis Epiſcopus, *etiam infirmus*, obſervaſſe memoratur. Ad hæc Theodinus & Albertus Cardinalis in Synodo Abrincenſi anni M C LXXII *in Adventu Domini omnibus qui poterunt, maximè autem Clericis & Militibus, jejunium & abſtinentiam carnium* indixerunt. Lege Menardum in lib. Sacram. pag. 216.

omnis Chriſtianitas non ignoret. neque tranſlationem ejus prodere: ſed tantummodo feſtivitatem illam, quam Illationem vocant: & quare Illatio dicatur, quæ pridie Nonas Decembris agitur: quia multoties eidem feſtivitati interfuiſti. quatinus per tuam adſertionem liquidiùs adſignatam in poſterum per annos ſingulos pro exiguitate noſtra & nos omni religionis & laudis divinæ apparatu, feſtivi inveniamur, utpote voluntarii in lege Domini. Quia dignum & æquum omnino fore cenſeo, ut poſt primos & beatos Apoſtolos, Sanctiſſimum Patrem noſtrum, cujus magiſterio colla ſubjecimus, omni honore & gaudio veneremur præſtantiùs. CIRCA ANN. DCCC LXXXIII DEC. IV. Quæſtionis ratio.

Undique me, inquam, video, Pater, præſtantiſſima veritate tuis illationibus ita circumvallatum, ut nuſquam mihi aliqua pateat excuſationis muniuncula: nec infitiari valeo, quin uti paternitas tua aſſerit, mihi hæc notiſſima comprobentur. Et revera, quia coram judice tacere, confiteri eſt; ſupponam digitum ori meo, nec ampliùs recalcitrare vel muſſitando tentabo. Tuis, mi Pater, orationibus confiſus experiar quæ injungis: ea videlicet ratione, ne implumem aviculam extra nidum tuum avolare permittas. Auctor paret.

INCIPIT ILLATIO BEATI PATRIS BENEDICTI.

UT cæleſtium ſacramentorum limpidiſſimus ſpeculator Propheta David, nullo revelationis acceſſu, attingere ſe poſſe divinorum judiciorum alta pervidiſſet, ad ſe reverſus dixit: *Judicia tua, Domine, abyſſus multa.* & vas electionis diviniſſimus Paulus Prophetæ concordat dicens: *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!* Hæc idcirco præmiſſa ſunt, quatinus plena oratione ſimplicioribus & minùs eruditis facilè reſpondeam, qui quæritando mirum ducunt, quare omnipotens Deus toties permittat loca ſibi Sanctorum ſuorum exuviis ſacratiſſimis conſecrata, non ſolùm falſorum Chriſtianorum tyrannide, ſed etiam paganorum rapidiſſima invaſione temerari. CAP. I. Cur Deus ſuos affligit. Pſal. 35, 7.

Temporibus CARLOMANNI sereniſſimi Regis Francorum, quando per totum orbem, divina largiente clementia, pax Eccleſiæ jucundiùs exuberavit; Normannica feritas ſubitò atque inopinatè frementibus beluis ſimilis emergens, totam Auſtraſiam atque citeriorem Galliam adeo ſuis copiis conſtipando compreſſit, ut tota Francorum bellipotens proceritas (quod mirum dictu eſt) in tantum ſtupore atque metu obrigeſceret, ut etiam nullus contrà hiſcere illis præſumeret. Nec mirum: creditur enim, quòd mira diſpenſatione Divinitatis actum ſit, ut populus ille præ omnibus tunc temporis Deo deditus, tam clementi piaminum ultione multatus ſit, quatinus & rerum damna pateretur, & tamen abſque congreſſione armorum cæleſti victoria potiretur. II. Normanni vaſtant Gallias.

Eſt quippe Gallia præ omnibus terris ſumtuum copiâ fertiliſſima; inſuper & artium liberalium ſubtilitate avidiſſima, &, ut totum dicam, monaſticæ religionis integritate cautiſſima. Et quia ſecundùm Apoſtolum, *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum;* exceptâ Italiâ, quæ Romano cacumini eſt continua, non invenitur in totius orbis habitabili area, tot Sanctorum millium capax terra. Quapropter gazophylacium Domini videtur eſſe Gallia, & quaſi cæleſtis patriarchii clavicularia, quæ tam innumera membrorum Chriſti incluſa reſervat pignora. Nam ſuperbit apud Pariſium, quòd obtinet Apoſtolum ſuum pretioſum DIONYSIUM. Non autem minùs gloriatur apud Turonicam urbem, quòd ibi fovet incomparabilem Sacerdotem MARTINUM. Remis nobilitatur in REMIGIO Francorum Apoſtolo. Aurelianis tripudiat cum ANNIANO miræ ſanctitatis Epiſcopo. Lemovicis congaudet de MARTIALE Epiſcopo, primo Apoſtolorum Principis diſcipulo. apud Bellovacum conlætatur Martyri LUCIANO. Sed quia dies antè, quàm Sanctorum copia, III. Gallia laudatur. Rom. 8, 28. Sanctorum ferax.

CIRC. ANN. DCCCLXXXIII DIC. IV. deficiet; non tacebo, quòd apud Floriacum ſacratus applaudat Monachorum chorus BENEDICTO. Tantiſper de ornatu Galliæ per exceſſum commemoraſſe ſufficiat. Hinc ſtilus redeat.

IIII Floriaci ſitus. Situm namque præfati loci Floriacenſis Monaſterii, ubi beatiſſimus Pater Benedictus in pace repauſat, & adventum Redemptoris exſpectat; ſi quis curioſiùs ſcire deſiderat, hoc modo notitiam capiat. Inſtar quippe trigoni viſitur ſiſti: & ut preſſiùs dicam, in modum Δ litteræ proprio ſtatu cernitur ſidereum cornu occupare. Nam à ſeptemtrione Franciam, ab oriente Burgundiam, ab auſtrali verò parte Aquitaniam tangit. Sicque in confinio trium regionum, velut præſens inter præteritum & futurum, naturali ordine obtinet primatum; & ſicut perfectus numerus inter imperfectum & pluſquam perfectum. nam medietate vicem ac locum poſſidet virtutum. Sed redeundum ad cœptæ narrationis textum.

V. Normanni locum diripiunt. Poſtquam verò permiſſu divino præſata gens barbarorum hoſtili pervaſione cuncta illius regni bona diripuit, vaſtavit, incendit, conflagramine conſumſit, Monaſteriorum ſæpta diabolica rabie fœdavit; tandem ad notitiam Floriacenſium pervenit Monachorum. Omnis verò ætas, omniſque utriuſque ſexus conditio vivendi conducta amore, maluit fugiendo ſubſtantiæ diſpendium pati, quàm ferratis hoſtium gladiis congredi. Cumque ante quintum diem præfatis Fratribus vix innotuiſſet, quòd cjuſdem exercitus manus validiſſima appropinquaret; vivacitate qua poterant, continuatis viribus ſanctiſſimam Patris ac Patroni ſui glebam, aureis invaſatam ciſtellis, de ex imis perudi * ſuſtollunt, greſſuque perniciſſimo navi ſpem beatam imponunt: atque remige Christo ad Aurelianam urbem quàm citiſſimè perveniunt, & in Monaſterio ſancti Anniani Epiſcopi digniſſima veneratione theſaurum Domini ſub cuſtodum frequentia deputant, donec furor divinus pertranſit. Impius autem malignorum cœtus Floriacum perveniens, ſexaginta & eo amplius reperit ſacri deſiderii Monachos & quoſdam cum eis eccleſiæ ſervitores, quos omnes abſque ulla conſideratione præcipiti peremit ſtrage. Peracta cæde & rerum pretioſarum nefanda direptione, ſanctæ Reginæ cæli ornatiſſimum oratorium, quod ſacra Monachorum religio per plures annos ſanctiſſimo conſtruxerat Benedicto, profano diſſipavit incendio. Omnia autem ejuſdem loci adunantes mobilia atque utenſilia, inimici Domini redierunt onuſti ad propria.

S. Benedicti theca Aurelianos defertur.

* lacrimis madentes

Monachorum cædes.

Baſilicæ incendium.

VI. Ultio de Normannis. Eadem porro nocte beatiſſimus Pater Benedictus apparuit cuidam Comiti potentiſſimo, nomine GISLOLFO [a], qui ejuſdem Monaſterii Advocatus atque defenſor exſtitit, & dixit ad eum: Eia frater, quare tantæ timiditatis te ignavia oppreſſit, ut tuæ advocationis locum nobiliſſimum Floriacum gentili manu devaſtatum dimitteres uſque adeo indefenſum, ut Fratres noſtri ſervi Domini jaceant inhumati? Cui Comes: Quis, inquit, es tu, Pater? Ait illi: Ego ſum frater Benedictus, qui de Beneventanis finibus in Galliam tranſlatus, propriam requiem in Caſino monte ſprevi, & hunc locum Floriacenſis Monaſterii elegi, ut lucerna diſciplinæ per meam corporalem coëſſentiam univerſæ innoteſceret Galliæ. ſurge ergo quantocius, & eſto vir fortis & belliger robuſtus: & inſequere dorſa latronum, qui & locum meum violaverunt, & igni combuſſerunt: inſuper & meos Monachos & collibertos interfecerunt quamplures; ad ultimum autem, omnem Monaſterii ſupellectilem diripuerunt: & ſic impunè, prô dolor, evaſerunt, ut nullus in tanto regno inventus ſit, qui ad excutiendam prædam illis occurrere præſumeret. Ad hæc Comes ille: Quomodo, inquit, poſſum ego vel inſequi latrones,

[a] An Giboldus Comes Autiſiodorenſis, de quo Adelerius ſuprà in Obſervationibus num. 7. Hujus Comitis fortean vicarius erat Rapertardus Vicecomes Autiſiodorenſis, de quo agit Hiſtoria Epiſcoporum Autiſiodorenſium cap. 42 in Geranno. Primus Comes pagi Autiſiodorenſis fuit Ermenoldus, ex cap. 33.

trones, vel prædam excutere, qui nec modò tempus habeo congregandi ſatellites & vernaculos meos? Cui Pater ſanctus: Noli, inquit, multum anxiari propter paucitatem militum: neſcis enim fortitudinem cæli. tantùm accelera, & arripe clypeum cum his qui tibi adſunt hominibus, & inſequere illos velociùs nihil metuens: quia tecum ego ſum ut ambiam latera tua, & munitus ab hoſtium telis, victor ſamoſus revertaris. His dictis Comes evigilavit; ſecumque, quæ ſibi divinitus juſſa ſunt prudenter pertractans; ſub omni feſtinantia, cum ſuis ſuorumque omnibus ſurgit, arreptiſque armis hoſtes inſequitur, munimine fidei ſacræ armatus ac tanti proviſoris ſponſione animatus. Tertia jam die prope Andegavenſem urbem, quæ pæne in litore oceani ſita eſt, in maximo impetu ſuper eos irruit. Quid plura? hoſtes exſupetat, & prædam haud ſegnis excuſſit: & emancipatis pluribus captivatis, victor lætabundus, abſque læſione aliqua regreſſus eſt. Qua expleta victoria Floriacum ingreditur, & non ſine lacrymarum copia interemtorum tumulavit corpora, illud Pſalmographi commemorans, quia *effuderunt ſanguinem Sanctorum; & non erat qui ſepeliret.* Psal. 78, 3.

Circ. ann. DCCCLXXXIII Dec. IV.

Pace autem Deo donante reddita, ad notitiam memorati Francorum Regis devenit, qualiter GISLOLFUS Comes, ſancti Benedicti Advocatus cum paucis hoſtem tantum proſtraverit, prædam excuſſerit, vinctos reduxerit enodatos, victorque per omnia redierit illæſus. Non eſt fides adhibita, donec idem Comes omni ſubnixus veritatis adſtipulatione ac munitus, quidquid in re fuit, in Regis proferret præſentia. Teſtem namque ſibi omnium advocavit Dominum, quia in illa hora congreſſionis beatus Pater Benedictus monachali inſula redimitus, caballum cui ipſe inſederat, concitus conſcendit, & in tota illa hoſtili acie, uti pius propugnator promiſerat, frenum tenuit, equum rexit equeſter, ſcutum rotavit artiſex pugnandi; & quòd militiam cæli perſenſiſſet in prœlio Patris Benedicti. Quibus compertis, continuò Rex cum univerſis regni Primaribus Floriacum pervenit, lamentum deſolationis dedit, & poſt hæc cum omni munificentia regali ſubſidium reſtaurationis adhibuit, ſumtuum ſupplementa larga manu adminiſtravit, reſartores pleno cornu conduxit, ut quantocius loco renovato, clementiſſimus habitator pauſatorium quod ſibi delegit, quando totum mundum quaſi ſub uno ſolis radio conſpexit, libens reviſere dignaretur. Datâ denique, ut dictum eſt, totius reſtaurationis ubertimâ copiâ, in unius anni revolutione pæne omnia Monaſterii ornamenta in priſtinum modum redacta ſunt. Monaſterium [a] verò in eodem Floriacenſi caſtro antiquitus conſtructum & in honore beati Petri Apoſtolorum principis conſecratum, divina protegente dextera remanſit illæſum, quando cetera omnia hoſtile ſavillavit incendium.

VII. Monaſterium inſtauratur.

Facto autem non minimo Epiſcoporum atque Abbatum conventu conſilium ſalubre inierunt, quatinus beatiſſimum aurigam Chriſti Benedictum in initio Adventus Domini, quod certè in Kalendis [b] Decembris tunc exſtitit, quia per liquida non pnterant, (erat enim hiems glaciali ſtridore triſtiſſima *) ſaltem per campeſtria, de urbe Aurelianenſi, omni induſtria reducerent, & in præſato ſancti Petri Monaſterio, quod intactum ab igne remanſit, eo uſque collocarent, donec officinæ Monaſterii regulari more ad calcem pervenirent. Quod cum omnibus in commune placuiſſet, ſtatuto die Aurelianis convenerunt, quatinus theſaurum Domini ſecundùm condictum reportarent. Tunc ob difficultatem frigoris ibi tardantibus, & inſtrumenta tali negotio congrua machinantibus, unus Monachorum intulit dicens: Si meum

VIII. Relatio corporis. [b]

* al. triſtiſſima

[a] Id eſt eccleſia, infrà apud Anonymum, & apud Rodolfum Tortarium infrà cap. 14. quo ſenſu ſæpe vox *Monaſterium* accipitur, infrà cap. 30.

[b] Adventus initium in Kalendas Decembris incidit anno Chriſti DCCCLXXXIII, qui littera dominicali F prædıtus erat. Hoc non expreſſit Chronographus anonymus.

Circ. ann. DCCCLXXXIII Dec. IV.

vobis conſilium animo ſederit, ſanctiſſimam Patris noſtri glebam navi imponamus. nihil quippe illi apud Dominum impoſſibile fore credimus, & ſic navigio ſibi condigno redeat, qui inde huc navigio aſportari voluit. Cui cùm omnes pari voto conſentirent, acceperunt viri timorati Sacerdotes Domini

Miraculū navis.

ſacratiſſima pignora, & impoſuerunt navi: quæ ita gelu ſtipante fixa atque immobilis in Ligeris alveo tenebatur, acſi radicitus terræ conglutinata fuiſſet. quæ videlicet navis, cùm tantæ ſanctitatis onus ſentiret, acſi Salomonis vo-

Cant. 4, 16.

ce clamaret, *Surge Aquilo, & veni Auſter;* ſubitò ex utroque latere cœpit gelu liqueſcere, acſi ſol verſaretur in torrenti ſidere. Omnes quidem qui aderant, nihil aliud dicere poterant, niſi quod veritas ipſa cogebat, quia mirabilis eſt Deus in Sanctis ſuis, qui fecit voluntatem timentium ſe, & quia ſic oportet fieri. Monachi verò qui neceſſariò Patri ſuo adhærebant, navim incredibili multitudine onerabant: ſed nihil oneris navis inde ſentiebat, quia magis portabatur ab eo, quem portare videbatur. ſicque modo miro atque mirando, totum illud Ligeris ſpatium, quod ferè uſque ad Floriacum per ſexdecim miliaria ſpatiatur; abſque gubernatore & remige [a] humano, nullo gelu obice offendente, peractum eſt, ut crederes Chriſtum cum Apoſtolis in navi ſedentem ac elementis poteſtativè imperitantem. Ipſa verò dies pridie Nonas Decembris eſſe dignoſcitur; in qua quamdiu hujus mundi ſphæra volvitur, honor ac memoria tantæ gloriæ ſollemniter per totam Galliam celebratur.

IX

Aliud florum. [b]

Sed jam veniendum eſt ad alia non quidem divinitati mira, ſed hominibus hactenus [b] cunctiſque retro ſæculis inviſa. Cùm verò jam navis portum Floriacenſem impingeret, maxima Epiſcoporum, Abbatum & Monachorum Clericorumque unà cum plebeiis turmis multitudo concurrit, portantes cruces cereoſque, thuribula & Evangelii gemmatos textus, pſallentes & dicentes: Benedictus qui venit in nomine Domini. Tunc levaverunt Epiſcopi beatiſſimum Patrem de navi, & impoſuerunt cervicibus ſuis, ferre margaritum Domini. Incipiente autem proceſſione ingens frigus, ut tunc temporis ſolet, cuncta obſtrinxerat arva. Res contigit mira ac vehementer ſtupenda. Nam cùm per eam portam, quæ Paſchalis [c] dicitur, ſanctiſſimi cineres inferrentur: acſi in medio Aprili, ita omnes arbores ejuſdem loci tam pomiferæ quàm agreſtes, ſpineta etiam & arbuſta in flores eruperunt, ut palam cunctis innoteſceret, qualiter ſanctus Pater apud omnipotentem Dominum noſtrum JESUM-CHRISTUM gloria & honore ſublimatus exſiſteret. Nulla vox alia audiebatur, niſi: Gloria tibi, Domine, quia nunc cognoſcimus, quid te donante accepimus.

X.

Depoſitio in eccleſia S. Petri.

Illatio.

Depoſitis autem ſacris pignoribus in antefato ſancti Petri Monaſterio, ibique diligentia ſpeciali reconditis, divino celebrato myſterio quique in ſua rediere cum gaudio, pſallentes Domino ac dicentes: Beatus quem elegiſti & adſumſiſti. Et hæc feſtivitas, Illatio vocatur Reditusve. Per annum verò ſancti Patris diſcipulis locum illum maximo ſtudio ingentique deſiderio reſarcire ac in priſtinum reſtituere modum curantibus, poſtea revoluto anno, ip-

Repoſitio in eccleſia B. Mariæ.

ſo eodem die infulati Præſules epiſcopali more rogatu Abbatis ac Fratrum levaverunt tantum Patrem, & impoſuerunt cervicibus ſuis, ſine pondere pondus: ſicque cum omni hilaritate cordis, quamquam pleni lacrymis, portave-

Feſtum indictum.

runt piiſſimum Patronum, & impoſuerunt in proprium mauſoleum in eccleſia beatæ Mariæ, quæ jam per biennium ſui manſoris præſentiâ caruerat. ſtatue-

[a] Simile quid refertur ab Adrevaldo in cap. 19 de miraculis ſancti Benedicti, ubi navis Monaſterii ſale onuſta, ad fruſtrandam vim exactorum ſubitò abſque humano remige à portu emota, medium Ligerim petiiſſe dicitur, & deinde perveniſſe ad poſterulam, quæ hactenus ſancti Benedicti dicitur.

[b] Et tamen in relatione corporis ſancti Martini idem contigiſſe ſcribit ſanctus Odo Abbas in hiſtoria tranſlationis.

[c] Non exſtat amplius hæc porta: nomen tamen loco hactenus hæſit.

runtque, ut quoniam & relatio & illatio eodem die annis revolutis factæ fuerant, annuatim omni tempore futuri ævi, ſollemniter eodem die per totam Galliam celebrarentur [a]. CIRC. ANN. DCCC LXXXIII DEC. IV.

[a] Sequitur alia pars in mſ. codice de repetitione corporis per Carolomannum (malè Sigibertum) & de negotio divinitus impedito. quæ poſt Illationem præpoſtere poſita non eſt neceſſe publicare.

FRAGMENTUM
CHRONOGRAPHI ANONYMI

Ex tomo 3 Hiſtoriæ Franc. & ex Hiſtoria Normannorum Andreæ Cheſnii.

1. ROLLO conſcenſis navibus, tandem per Sequanam & Saguinnam maxima flumina tendens ad ſuperiora Burgundiæ, & Arvernorum fines ſubintravit, & uſque ad Clarmontem Arvernorum civitatem totam regionem diverſis calamitatibus exinanivit. Et inde rediens per provinciam Senonenſem in Floriacum venit. Verùm ante biduum quàm illuc pergeret, ejus adventus ad notitiam Floriacenſium pervenit Monachorum: qui ſtatim Aurelianis citiſſimi fugiendo pervenerunt, & intra ipſam urbem, in eccleſia ſancti Præſulis Anniani, ſancti Benedicti pretioſum ac venerabile corpus depoſuerunt, donec ille malignantium impetus pertranſiret. Impius autem ille cœtus adveniens, ſexaginta ibi ſacri deſiderii Monachos reperit, & quoſdam cum eis eccleſiæ ſervitores, quos mox gladio trucidavit, ipſumque ſancti Patris Benedicti Cœnobium priùs devaſtatum efferа rabie concremavit. Sed eadem nocte pius Pater Benedictus in ſomnis apparuit cuidam Comiti nomine GISSILOLFO, qui ejuſdem Monaſterii erat Advocatus, & ait ad eum: Eia Comes, quare te tanta timiditas & ignavia oppreſſit, *&c. ut ſuprà cap. 6*.

2. Quod factum poſtmodum pervenit ad notitiam KAROLI Regis, qualiter Comes Giſſilolfus ſancti Benedicti Advocatus cum paucis hoſtium multitudinem proſtraviſſet, & prædam excuſſiſſet, vinctos enodatos reduxiſſet, & victor illæſus remeaviſſet. Moxque prædictus Comes advocatus ante Regem adfuit; remque per ordinem ſicut egerat retexuit, teſtem ſibi advocans Deum, quia in horâ congreſſionis beatiſſimus Pater Benedictus, monachili habitu reveſtitus; caballum cui inſederat conſcendit, & in tota illa congreſſione, uti pius propugnator promiſerat; frenum tenuit & equum rexit, ſcutumque rotavit, & illum illæſum cum ſuis omnibus ab hoſtili acie reduxit. Quod audiens Rex, Dominum glorificavit, & Floriacum perveniens lamentum deſolationis dedit; & poſt hæc munificentia regali copioſum ſubſidium reſtaurationis adhibuit. Data denique, ut dignum eſt, totius reſtaurationis ubertimâ copiâ, in unius anni ſpatio pæne totum Monaſterium in priſtinum renovatum eſt modum.

3. Porro quædam eccleſia intra caſtrum Floriacum erat conſtructa, & in honore ſancti Petri Apoſtolorum principis conſecrata, quæ divinâ gratiâ ab incendio remanſerat inviolata. Verùm intra annum Monachi qui remanſerant, conſilium inierunt, ut beati corpus Benedicti in initio Adventus Domini ab urbe Aurelianenſi navigio reportarent, & illud in præfata ſancti Petri baſilica, quæ intacta ab igne remanſerat, eo uſque collocarent, donec eorum officinæ regulari more perficerentur. Statuto igitur die conventus Epiſcoporum & Abbatum non minimus Aurelianis advenit, quatinus theſaurum

Circ. ann. DCCC LXXXIII Dec. IV.

Domini, ſancti corpus videlicet Benedicti, ſecundùm condictum proprium reportarent ad locum. Acceperunt igitur viri timorati ſacrum corpus ſancti Benedicti, & impoſuerunt navi. quæ cùm tantæ ſanctitatis onus ſuſcepiſſet, *&c. ut cap. 8. & 9.*

4. Paucis denique evolutis diebus præfatus Rollo tyrannus diſpoſuit obſidere Carnotum, *&c.*

DE MIRACULIS SANCTI PATRIS BENEDICTI LIBRI DUO

Scripti ab AIMOINO, Monacho Floriacenſi, anno M V.

Ex Bibliotheca Floriacenſi & Martio Bollandiano.

PROLOGUS AD GAUZLINUM Abbatem.

1. HONORANDIS Patribus GAUZLINO reverentiſſimo Abbati, omnique Floriacenſis Cœnobii ſanctæ Congregationi illi commiſſæ, eorum peripſema omnium AIMOINUS regnum cum Chriſto æternum. Obedientiæ bonum quanto ſit præmio dignum, veſtrâ, reverendi domini, doctrinâ ediſcere merui. Ideóque quorumdam veſtrûm imperiis, qui id paterna potiùs admonitione, quàm imperioſa auctoritate perſuadendum mihi putarunt, libenter cerviceem ſubdidi, ut quædam de miraculis communis Patroni noſtri ſanctiſſimi BENEDICTI ad memoriam poſterorum ſcripto traderem. Inſtiti itaque ut potui, & non ſolùm ea quæ ad ſacroſanctum ejuſdem Patris ſepulcrum geſta ſunt, verùm etiam illa quæ in aliis ipſius memoriæ locis ad ejus declatandum meritum Dominus operari dignatus eſt, ſtilo comprehendere curavi, opus omne in duos partiens libros. Suſcipite igitur, ſanctiſſimi Patres, tenuem licèt, ſed tamen fidelem fructum gracilis ramuſculi è magna veſtræ unanimis ſocietatis arbore prodeuntis: nec vos in ejus pæniteat laboraſſe profectu, qui id quàm maximè nititur efficere, ut & Nutritoris ſui dilecti Benedicti laudes promulgare, & veſtris per omnia ſtudeat placere deſideriis. Vos autem, Fratres amantiſſimi, cum quibus in primævo ætatis flore jugum ſuave Chriſti ferre didici, mihi quæſo congratulamini, quòd veſtris quoque adminiculis ad hoc profeci, quatinus aliquid utilitatis meæ vilitati poſſit injungi. Quamvis enim in me ad veſtri comparationem nulla exſiſtat utilitas; quidquid tamen boni in me eſt, ab omnipotente Deo per interceſſionem glorioſæ Virginis MARIÆ ac Legiſlatoris noſtri Benedicti, perque ſervorum ejus laborem rotum eſt.

2. Ad poſtremum omnes quorum corda ejuſdem Confeſſoris Chriſti amor poſſidet, conveniens expoſco, ne in hoc opere rhetoricæ ſuadelam facundiæ requirant. Quin potiùs inter ruſticana deſpicabilis menſæ noſtræ caniſtra, rutilantia ac ſuave redolentia miraculorum admirantes hauriant mella: memineríntque, quia in teſtaceis plerumque vaſis, laurioribus epulis delectabiliter uti ſoleant. His de ingenioli noſtri tenuitate prælibatis,

Auctores Benedictini qui de ſancto Patre ſcripſerunt.

3. In calce prologi non putavimus prætermittendum hoc, quod divina pietas huic noſtro Paſtori, inter cetera largitatis ſuæ contulir munera, quia videlicet ad ea promenda quæ de ſe retulerant digna, nullius extraneæ perſonæ eguit umquam ſupplemento. quinimmo ipſius clientuli in ejus Cœnobiis il-

lius ope educati atque edocti, quidquid in ejus laude promendum erat, poſterorum mandare memoriæ ſufficientes inventi ſunt poſt beatum duntaxat Papam GREGORIUM: qui & ipſe ejus Regulæ ſubditus diſciplinis, quantis idem Pater effulſerit virtutibus, eloquentiſſimo enucleavit ſermone. MARCUS denique poëta, atque PAULUS in Caſinenſi Cœnobio, multa de illius miraculis metrico opere elegantiſſimè ediderunt. Tranſlationis verò ejus ſacri corporis ordinem ad hunc venerabilem locum, necnon ſigna hîc vel per Gallias ipſius meritis geſta, vir diſertiſſimus ADREVALDUS [a], iſtius Monaſterii Monachus, ſcriptis inſeruit. cui operi ADELERIUS, hujus nihilo minus congregationis Monachus, duo tantùm capitula adjecit. Horum ergo veſtigia, licèt non æquis proſecutus paſſibus, vos bene valere exoptans, his quæ dicenda propoſui, hoc dedi exordium.

CIRC. ANN. DCCCLXXXIII. DEC. IV. Gregorius Ordinis S. Benedicti.

4. Gallicanarum incolas regionum aſſiduis exterarum labefactatos incurſibus nationum, & veteres & modernæ quibuſque eas intellectu revolventibus pandunt hiſtoriæ. Quos Julii Cæſaris decennalis attrivit concertatio, Hunnorum ſubita dilaceravit irruptio, Gothorum ſubvertit præſumtiva habitandi invaſio; ad ultimum Francorum vivida bello dextra, victos pariterque victores, æqua ſorte, ſuo ſubjugavit dominio. Horum præferox potentia, cùm in ſubigendis, tum etiam in arcendis à ſuis finibus barbaris gentibus, viguit concordiæ viribus, uſque ad divæ memoriæ Caroli Calvi tempora, filii HLudovici, cui agnomen Pius fuit. Contra hunc fraternæ inſimulatio invidiæ, finitimarum concitavit odia gentium, præcipuè Nortmannorum, qui piraticam exercendo, maritima regni ejus loca direptionibus graviſſimis depopulati ſunt. Obſtitit primo eorum ſævis conatibus ROTBERTUS Andegavenſis Comes, Saxonici generis vir, cui per id locorum à Rege ſumma rerum delegata fuerat: adnitentibus ſibi præeminentiſſimis Neuſtriæ viris, RAINULFO atque LAMBERTO, uti eloquentiſſimus auctor ADREVALDUS priori refert libro. Sed illis varia obeuntibus ſorte Dani excurſionis ſuæ liberam nacti occaſionem, quæ & quanta civitatibus bina expeditione intulerint damna, vaſtationibus ſeu incendiis Monaſteriorum, ac reliquarum eccleſiarum, ſtudioſo lectori procedentis operis textus patefaciet.

CAPUT I. Nortmannorum ſtrages per Galliam ſub Carolo Calvo.

5. Verum Auguſto Karolo rebus humanis exemto, filius ejus HLudovicus ſucceſſit, qui Nihil-feciſſe prænomen ſortitus eſt, ſive quòd vix duobus annis regno potitus nil ſtrenuè geſſit; ſive quòd Sanctimonialem quamdam, ſicuti à majoribus accepimus, Kalæ Monaſterio puellarum abſtractam, conjugio copulans ſuo, peccatum; quod nihil eſſe noſcitur, perpetrarit. Hujus in diebus effera memoratorum natio Danorum, tertiam Neuſtraſiis inflictura cladem advenit: intuliſſetque majorem ſuperioribus, ni HUGO [b] per Gallias Abbatis honore præditus, eorum compeſcuiſſet temerarios auſus. Denique quòd parva manu innumeras hoſtium phalanges, adjutus manifeſto ſanctiſſimi Patris Benedicti auxilio ita fuderit, ut vix nuntius ſuperviveret, ex ſcriptis venerabilis viri ADELFRII agnoſci facile eſt. qua plaga humiliati Dani, Gallias per aliquot ſpatium temporis quietas liquerunt.

Sub Ludovico.

6. At Hugone ultimos vitæ ſuæ claudente ſoles, HLudovicôque Principe poſt adminiſtratum biennio regnum diem obeunte, KAROLUS ejus filius, qui Simplex poſtea eſt dictus, in cunis ævum agens, patre orbatus remanſit: cujus ætatem Franciæ primores incongruam, ut erat, exercendæ dominationi arbitrati, maximè cùm jam recidivi Nortmannorum nuntiarentur motus;

Sub Carolo Simplice;

[a] Patriciacenſis codex, quo uſi ſunt Socii Bollandiani, hæc inſerit, *qui & ADALBERTUS æſtimatur nominatus, iſtius*, &c. qua de re ſuprà

[b] Johannes à Boſco addit, *ut fertur, Roberti filium*. quæ verba deſunt in codice Patriciacenſi, & rectè. nam Hugo iſte filius fuit non Roberti, ſed Conradi Comitis & Adalcidis, teſte Herrico in lib. 2 de miraculis ſancti Germani Autiſiodorenſis Epiſcopi cap. 5. Aureliania mortuus anno DCCCLXXXVII, & ſepultus Autiſiodori in Monaſterio ſancti Germani. Alius fuit Hugo Magnus, filius Roberti ſe Regem ferentis, qui in Sueſſionica pugna cæſus eſt anno DCCCCXXIII; infrà.

Circ. ann. DCCC LXXXIII Dec. iv. Odone,

conſilium de ſummis ineunt rebus. Supererant duo filii Rotberti: ſenior Odo dicebatur, Rotbertus alter, patrem nomine referens. Ex his majorem natu Odonem Franci, licèt reluctantem, tutorem pueri, regnique elegêre gubernatorem: qui mente benignus, & reipublicæ hoſtes arcendo ſtrenuè præfuit, & parvulum optimè fovit, atque adoleſcenti & ſua repetenti patienter regna refudit: à quo parte regni redonatus, quoad vixit tempore, hoſtibus terribilis, eique ſemper exſtitit fidelis. Ab hac fraterni manſuetudine animi in

& Rotberto.

tantum frater ejus aberravit Rotbertus, ut eo defuncto, quia pars regiminis, quam germanus ſuus Odo tenuit, non redhibebatur, palam tyrannidem invaſerit. Quam cauſam aquilonales populi ſibi non obfuturam arbitrati, cùm ſcilicet totius regionis incolæ, ſtudiis in diverſa porrectis, concordi nequaquam adverſus eos rebellarent animoſitate, totis incumbendum rapinæ viribus decernunt.

7. Et quia nobis ad præſens non bella Regum tumultuſve gentium diſſerere animo propoſitum eſt; quinimmo miracula per beatiſſimum noſtræ vilitatis alumnum, Deo operante, patrata Benedictum, mens promere geſtit; ad ea explicanda veniendum eſt. Non verò nos idcirco eum noſtræ vilitatis auctorem fatemur, quaſi nos ipſe viles fecerit: verùm quia nos abjectos deſpectoſque, nulliuſve momenti exſiſtentes, ad hoc ſuo interventu ac ſua ope provexerit, ut & ejus laudes promere, & quidquid in nos ſalutis ſeu utilitatis quiverimus agnoſcere, poſt Dominum ei debeamus imputare.

Hierem. 1, 14.

8. Prophetici itaque nos memores exſiſtere oraculi, quo dicitur, ab aquilone omne venire malum, acſi ſpecialiter in nos prolati, frequens cogit memoratorum infeſtatio paganorum, qui è genuina ſua tellure, inſtar apum ſuper noſtras ſæpiſſime, ut præfati ſumus, provincias examen effudere prædonum. qui hac ultima, de qua nunc nobis ſermo eſt, expeditione, Rainaldo quodam duce, noſtrarum reliquias ſpinarum, quantum in ipſis fuit, eradere procurarunt. Hujus teſtes ſunt rei, non ſolùm, ut jam dicti verba teſtantur auctoris Adrevaldi, Sequanico, Ligericoque litori, quibus Neuſtria nobilitatur fluminibus; Dordoniæ ſeu Garonnæ, quarum Aquitania inſignitur fluentis, adhærentium urbium: verùm etiam præeminentium ruinæ ædificiorum. Inter quæ eminentiſſimum illud Karoli Magni Principis palatium

Caſſinogili palatii ſitus, &c.

Caſſignol, gloria quondam & decus cunctarum filii ejus jam præfati HLudovici Pii: quod ita Deo inimica gens ſubvertit, ut & inhabitabile redderet; & tamen quid aliquando fuerit, manifeſtè appareat. Id eo loci ſitum eſt, quo torrens *Codrot* Garonnam influit, turrim lateritiam in margine memorati torrentis exſtructam habens, è qua & adventus prævideri, & ingreſſus hoſtilium poſſit arceri navium: ſimulque ut claſſis regia, abſque adverſariorum impedimento fabricata in minori, ad fluenta majoris deduceretur amnis. Habet verò eccleſiam ampliori eccleſiæ conjunctam, miro opere ex lateribus fornicatam: in qua (ſi bene viſa recordor) permodicum habetur ſarcophagum, in quo frater HLudovici Pii geminus [a] eſſe putatur ſepultus. Inde etiam magnum Karolum Garonnam tranſiiſſe, Hiſpaniæ Chriſtianis ſuppetias ferentem, ibique rediiſſe, liber vitæ ejus refert. Sed de his ſatis dictum: nunc propoſitum exſequamur.

II. Rainaldus Rex Nortmannorum moratur Floriaci.

9. Igitur innumeræ Nortmannorum phalanges, ſuper quas Rainaldus regnum obtinuerat; quampluribus longis uſæ navibus, uſque ad ſuperiora Ligeris percurſantes, cuncta devaſtant. Tandem ad Cœnobium ter beati Deoque dilecti Benedicti, quod Floriacum dicitur, Rainaldus cum ſuis attingens; vacuum habitatoribus cunctiſque neceſſariis offendit rebus, domibus dumtaxat

[a] Lothario nomen erat, ut tradunt veteres Francorum Annales. Lege Vitam ſancti Abbonis Floriacenſis Abbatis ab Aimoino itidem ſcriptam, in qua mentionem facit rerum hoc in loco dictarum, nempe Caſſinogili palatii, Karoli Magni, & torrentis *Codrot* ſeu *Aroth*, vulgò *Drot*, qui amnis Dononiam prætervectis Ga..nnam verſus occurrit.

exceptis. ſiquidem Monachi cum corpore ſemper nominandi Patris noſtri Benedicti ad tutiora ſe contulerant loci, LAMBERTO tunc Abbate piæ ſollicitudinis erga eos curam gerente. Perveniens ergo inibi Rex memoratus, & ex captivis reſciſcens, quorum hominum foret talis habitatio; dormitorium Fratrum ſuæ metationis delegit ſedem: in quo varia, utpote paganus, dum patraret flagitia, una noctium quieſcenti ei ſanctus adſtitit Benedictus duobus comitatus Monachis: unus, ut ipſi Rainaldo videbatur, mediæ ætatis robore præditus; alteri puerilis inerat habitudo. Beatiſſimus autem Pater niveam capite canitiem præferens, baculum verò manu, ita jacentem allocutus eſt adverſarium: Quid, inquiens, te, Rainalde, offendi, quòd me meoſque à propriis perturbas ſedibus? ſed mihi deinceps curæ erit, & te ab inceptis inhibere, & famulis Chriſti, oſſibus quoque unà meis, optatam quietem reformare. His dictis, ligno, quod manu gerebat, incurvo caput jam expergefacti Regis contingens, prænuntiavit terminum ejus vitæ in proximo adfuturum; ſicque receſſit. Turbatus hac viſione Rainaldus, ſatellites magna ad auxiliandum ſibi voce inclamat. Quibus accurrentibus, & quid pateretur percunctantibus: Quidam, inquit, Monachus, non alter, ut æſtimo, quàm ille hujus tutor loci ſenex Benedictus, baculo verticem tangens meum, mortem minitando, dolorem mihi ingeſſit ingentem. Jubet confeſtim cunctos pervaſa domicilia deſerere, nativumque ſolum repetere: cum quibus ipſe profectus, ut patriam attigit, crebro debilitatus cruciatu vitâ diſceſſit; tantaque ſubitò moriente eo ventorum procella inhorruit, ut non ſolùm culmina tectorum, verùm etiam eminentium ſubrueret moles arborum. Captivorum vincula ſoluta, equi ſeu reliqua jumenta infra duodecim & eo amplius miliaria, à Rotomagenſi urbe ad paſtum deducta, diſruptis compedibus, in diverſa fugerunt. Corporis ejus tumulo pyramidem ſuperædificatam validiſſimo accepimus terræ motu ſubverſam, ac ejus cadaver tellurem à ſuo rejeciſſe ſinu: quod culeo cum lapidum mole inſutum, in Sequanam eſt demerſum, quandoquidem humo non poterat contineri tectum. Hoc interitu memoria nefandi abolita fuiſſet hominis, ni vetuſtas Floriacenſium incolarum, curioſa futurorum, marmoream [a] ejus capitis fingere curaviſſet effigiem, quæ nunc in ultima parte parietis eccleſiæ ſanctæ Dei genitricis Mariæ ac famuli ejus Benedicti, ſeptemtrionem verſus, inſerta perſpicitur: quatinus & præſentes, & ſecuturi omnes agnoſcerent, interventu eorumdem Sanctorum omnipotens Deus qualem, quantamque exercuerit in ſuis adverſariis vindictæ ſeveritatem. Adeo denique hæc ultio Northmannicam in poſterum perterrefecit temeritatem, ut præ ceteris Galliæ Sanctis beatiſſimum revereantur Patrem noſtrum Benedictum [b].

Circ. ann. DCCC LXXXIII. Dec. IV.

à S. Benedicto cæſus.

cadaver in Sequanam miſſum.

[a] effigies ejus Floriaci.

[b]

10. Interea ROTBERTUS affectatæ tyrannidis potentiam palam exercere cupiens, à quibuſdam Epiſcopis diademate ſe regio coronari, ac ſceptro regni inſigniri partim blanditiis, partim minis extorſit: ſed nequaquam hujus præſumtionis lætos habuit exitus. Denique Sueſſionicis in campis bello à Ducibus Karoli exceptus, vitaque ſpoliatus, licèt exercitus ejus victoriam obtinuerit, ipſe tamen nefariæ temeritatis pretium luit. Nec tamen ſocii defectionis interitu ejus territi, perfidiæ deſeruere contumaciam: quin potiùs HERBERTUS Comes Virmandenſis, infando ſcelere dominum ſuum Regemque totius Franciæ Karolum dolo captum, vinculis quoque irretitum, Peronnæ direxit tenebroſo carcere recludendum. Et quia regni ſtatus ſine Principe agebatur in incertum, maximè cum HUCONI Rotberti filio, qui pòſt probis actionibus Magni nomen promeruit, puerilis obſiſteret ætas, quo minus regias aſſumeret infulas; & Herberti cunctos haberet odium, præcipuè eos quos humanitatis reſpectu ad miſericordiam ærumna commovebat Princi-

III. Rotbertus occiſus.

Herbertus Caroli proditor.

[a] Nunc loco marmoreæ cernitur in lapide ad denticulum ſculpta ejus capitis effigies, quam Northmannorum Regis eſſe incolæ tradunt.

[b] Idem teſtantur Dudo Decanus Quintinianus & Vvillelmus Gemeticenſis Monachus, ut dictum ſuprà, quos tamen nuſquam hujus Rainaldi Regis mentionem feciſſe invenio.

Circ. ann. DCCCLXXXIII Dec. IV. Rodulfus Rex.

pis; tandem Rodulfus quidam, Burgundiâ oriundus, regendæ præficitur Francorum patriæ. qui quàm ſeverus in coërcendis ſanctæ Dei Eccleſiæ exſtiterit prædonibus, hoc uno liquebit exemplo.

Exemplum de ejus æquitate.

11. Prædium olim ſancto Benedicto ab Hugone [a] viro illuſtri, qui fuit tempore Dagoberti junioris, dono erat datum ad ſtipendia Floriacenſium Fratrum, in Burgundiæ partibus ſitum, vocabulo Diacum [b]. Illud quidam perverſæ mentis miles ad ſuos uſus rapuit: nec petenti Abbati vel Fratribus in jus venire voluit. Querimoniâ ad ſe perlatâ jubet Rex pervaſorem ab hac ceſſare temeritatis pertinacia. qui vocem quidem jubentis audivit, ſed adſenſum parendi accommodare diſtulit. Renuntiatur Principi, illum non ſolùm pervaſa retentare, verùm etiam convivium ex ſubſtantiis Monachorum ſeu incolarum in proxima ſilva ſibi parare. Fortè Rex Autiſſiodorenſis urbis domicilia incolebat, cùm nuntius hujuſcemodi rei aures ejus attigit. qui inexſpectato milite equum adſcendens, quantocius ad locum properavit: relicto in civitate mandato, ut armatorum cohortes ſe digredientem ſubſequerentur. at regii ſatellites famâ proficiſcentis Regis permoti, certatim proſequuntur iter maturantem. Verebatur enim, ne quiſpiam de exercitu agnita re, æmulum redderet cautiorem. Ubi ad ſilvam ventum eſt, circumcingi eam Princeps imperat armatis: interminatus eum capite plectendum, à cujus partis cuſtodia rerum pervaſor eccleſiaſticarum fugâ delaberetur. Ipſe cum lectis juvenum ſilvæ abdita perluſtrans, reperit eum quem quærebat, ſumtis armis reſiſtere velle. quem Rex ipſe Rodulfus lanceâ transfixum humi dejecit mortuum: apparitoreſque ejus qui imminentem evaſerant necem, per diverſa fugere coëgit. Hæc ut à patribus accepimus, plana fide retulimus; certumque habemus venerandæ memoriæ ingeniique ſingularis Patrem noſtrum Benedictum deinceps ei ſuum contra adverſarios contribuiſſe auxilium, præcipuè Northmannorum debellanti exercitum.

IV. Floriacenſium Abbatum ſucceſſio.

12. Abbate Lamberto carnis ſarcinâ exonerato, aliquanto interjecto tempore egregiæ ſanctitatis [c] Odo, ex Monaſterio ſancti Giraldi, quod Aureliacum dicitur, adveniens, huic ſacro prælatus eſt Cœnobio: cujus in diebus ea quæ ad ſepulcrum ſancti Confeſſoris ſui Benedicti Dominus operari dignatus eſt, ſeu in aliis ſub ejus nomine locis, nobis uſque nunc incognita manent, partim antiquitate, partim ſcriptorum negligentiâ oblivioni tradita. Ipſe tamen eo ſermone, quem in ejuſdem Patris laude ac honore facundiſſimâ dictavit eloquentiâ, memorat, eumdem Cœnobitarum Legiſlatorem ſuis temporibus multis miraculorum radiaſſe ſignis.

Drogonis novitii probatio.

13. At eo migrante, & Archembaldo [d] hujus ſacri ovilis ſollicitudinem excipiente, Drogo quidam, ſæculo non ſolùm corpore, verùm etiam tota implicitus mente, ad converſionem venit. cujus ſpiritum mundanæ vanitati jampridem deditum idem Abbas experiri pro certo volens utrum adhuc ex Deo eſſet; tramitem regularis exceſſit probationis. Nam petiturus Romam, animal ſarcinas itineri neceſſarias ferens, manu trahere abſque ullius evectionis adjumentis pedibus viam terenti imperavit: ut qui pravitate morum reliquos ſæcularibus nugis abrenuntiantes exceſſiſſe credebatur, excederet etiam præ oſtenſa abjectioris forma humilitatis. Qua ille injuria quaſi quadam cote ad virtutum acumen uſus, poſtquam ut ſuſciperetur obtinuit, præcedere ceteros in ſanctitate vitæ nitebatur.

[a] Hugone ſcilicet Drogonis filio, poſtea Archiepiſcopo Rotomagenſi, cujus Acta lege in Sæculi ſecundi parte prima.

[b] Diac, Die, vicus diœceſis Lingonenſis in pago Tornodorenſi, ex Rodulfo Tortario in cap. 22 de miraculis S. Benedicti, infrà. Præpoſitus de Diaco decem ſolidos quotannis pro bibliotheca ſolvere tenebatur ex præſcripto Macarii Abbatis, in Bibliotheca Floriacenſi pag. 410.

[c] Quo modo Lamberto ſucceſſerit ſanctus Odo, narrat Johannes Monachus in lib. 2 de ipſius vita cap. 21. Id factum Rodulfo Rege circiter annum DCCCCXXX. Odoni ſucceſſit Archembaldus anno DCCCCXLII. Vulfaldus Archembaldi ſucceſſor laudatur in Vita ſancti Odonis loco præcitato.

[d] Is eſt Erambaldus, qui *Regulam monaſticam in Monaſterio S. Remigii* apud Remos *reſtituiſſe* perhibetur apud Frodoardum in hiſtoriæ lib. 4 cap. 32.

14.

14. Verùm memorato Abbate monaſterialis regiminis metas attingente, venerabilique viro WELFALDO ei ſuccedente, qui pòſt Carnotenſis exſtitit[a] Præſul urbis, jam dictus vir Drogo ab eo petiit, ægerriméque impetravit, ut ſibi in cœnobitali diuturna probato converſatione, eremi ſingularem liceret aggredi pugnam. quam eo loco, qui Balma[b] dicitur, viriliter adverſus antiqui hoſtis inſidias ſuſcipiens, quanta & qualia tentationum certamina pertulerit, non eſt hujus operis evolvere. Sanè dum in contritione carnis ac ſpiritus totam expenderet vitam, & vigiliis jejunia, jejuniis vigilias alternando ſubnecteret, graviores inimici generis humani perpeti cœpit inſidias. Circ. ann. DCCCLXXXIII Dec. IV. [a] Seceſſus in eremum. [b]

15. Quadam namque nocte quæ unam feſtivitatum excellentiſſimi Legiſlatoris Monachorum antecedebat Benedicti, maturiùs pervigil ſurgens Eremita, explorabat ſub dio progreſſus ſtellarum in ortu competentis horæ adventum, in qua Deo ac protectori ſuo laudum præconia ſancto perſolveret Benedicto. Sed invidus omnium bonorum diabolus calliditatis conſuetæ aſtu mentem ejus ab incœpto deterrere bono geſtiens propoſito, aëreæ quercus inſtar figuratus, quæ flammivomis ardere æſtimaretur ignibus, tecto appropinquabat pauperis tugurii. Tum miles Chriſti ad nota recurrens præſidia, ſigno crucis armat frontem, totumque ſe adverſus phantaſticum objicit incendium: memor utique (ut conjici datur) operum domini ac magiſtri ſui Benedicti, qui divinæ gratiæ præventus munere, adurentes flammas, vocatis ad ſuos oculos diſcipulis, imaginarias fuiſſe declaravit. Hac illius conſtantia fraus inimica devicta diſparuit. Adfuit è veſtigio ſupernæ viſitationis benigna conſolatio: & claritatis immenſæ circumfuſus lumine, conſpexit ſimul cum ſplendore adveniſſe quemdam egregiâ comtum formâ, albaque palliatum ſtola, qui in hæc verba venuſta reſolvit ora. Ave, inquit, primus hujuſce vaſtæ ſolitudinis accola, Chriſto diatim contriti cordis placabilia offerens libamina. Fuerit quidem intolerabilis viſa perfidi tentatoris pervicacia: ſed poſt ventos & nubila, tranquilla, crede mihi, tibi ſuccedent ſerena. Propoſiti itaque tui ne ceſſes continuare perſeverantiam, alumnique tui Benedicti laudibus proſequi celebritatem. Tuum poſt hæc erit deliberare, quid velis poſcere: illius ſtudium poſtulata concedere. Aderit deinceps, ut non ſit neceſſe quidquam petere: quin potiùs ante tui invocationem, tibi præſtò procurabit fore. Hujus jocundiſſimæ affabilitatis auctorem, non alium ſolitarius ille proculdubio ſuſpicatus eſſe, quàm beatiſſimum Patrem Benedictum, ei pro poſſe ac ſcire gratiarum ſtuduit munia recompenſare. Ecce qualis ac quantus hujus noſtri protectoris circa devotè ad ejus ſacroſanctum excubantes tumulum exſiſtat favor, hinc colligi valet, ſi ita præſens his quoque apparet ipſius conſolatio, qui procul remoto commanentes in ſolo, ejus humiliter ſe dedunt obſequio. [illegible] Greg. lib. 2 Dial. cap. 10. Viſitatio S. Benedicti.

16. Ceterùm Rodulfo Rege defuncto, qui dum armis protervos Danorum compeſcit incurſus, Gallias uſque adhuc ab eorum impetu magna ex parte facit manere quietas; converſæ res. Nam KAROLUS ergaſtulo clauſus, animam, non corpus cuſtodiâ exemit, relinquens HLUDOVICUM ex HEADTGIVA[d] Anglorum Regis filia ſuſceptum. qui calamitatis paternæ procellâ ſemet involvi metuens, ad Anglos-Saxones maternæ affinitatis invitatus gratiâ ſe contulit: in tranſmarinis arbitratus ſe tutiorem manere re- V. Lodovicus Rex Caroli ſucceſſor. [d]

[a] Anno VIII Lotharii Regis, ut conſtat ex fragmento apud Cheſnium edito in tomo 3 Hiſtoriæ Francorum pag. 343, qui annus reſpondet anno Chriſti DCCCCLXII. Is eo loci Floriacenſe Monaſterium vallo & muro muniviſſe dicitur; & Oſwaldus, nepos Odonis Cantuarienſium Pontificis, Floriaci Monachum induiſſe. Sed tamen corrigendus illius fragmenti ſcriptor in eo, quòd Richardo Abbati Vulfaldum ſubſtituit, cùm Richardus Vulfaldo ſucceſſerit, ex Aimoino infrà cap. 7.

[b] An Balma in finibus Burgundiæ, ubi Berno Abbas Monaſterium per ſuos inſtituit, ex lib. de vita S. Odonis Abbatis Cluniacenſis cap. 10.

[c] Drogonem cum titulo *Beati* retulit in Menologium ſuum Bucelinus ad 2 Aprilis. Drogonem fuiſſe virum pium patet ex hoc loco: *beatum* dicere nolim abſque auctore, neque mortis diem ignotum adſignare.

[d] Ejus lapis ſepulcralis in crypta Monaſterii S. Medardi apud Sueſſionas cernitur cum epitaphio, quod in tomo 2 Analectorum editum eſt.

Circ. ann. DCCCLXXXIII Dec. IV.

gionibus, quàm inter ſuos dominus ſi foret in cubiculo, Rex in convivio. Poſt exceſſum ſanè Rodulfi Regis ab HUGONE Magno revocatus, ſpecietenus regno redditus eſt patrio. cujus adminiſtratio, jus dominationis exercere cupienti, tam ſui à TETBALDO Carnotenſium Comite captione, quàm pòſt regni recuperatione, varia, inſtabilis fortunæ proventu, laborioſáque illi fuit. Is obiit mortem duobus liberis ſuperſtitibus, LOTHARIO atque KAROLO, quos ei GERBERGA ſoror Othonis, Romanorum poſtea Imperatoris, genuerat. Karolus ævo junior, privatis in ædibus ſenuit: in hereditatem omnem Lotharius ſucceſſit, qui poteſtate regia functus eſt per triginta & eo amplius annos perpetua.

Filii ejus duo.

Arnuſtus S. Benedicto dat pœnas.

17. Ejus in diebus, tam apud ſacratiſſima Patris noſtri Benedicti oſſa, quámque & in aliis locis, ubi ejus veneranda habetur memoria, multa, præſtante Deo, per eumdem egregium Confeſſorem patrata ſunt miracula, quæ poſterorum notitiæ Chriſto nos juvante tradere adoriemur. Nam ARNUSTUS quidam fuit, vir ſæcularis militiæ clarus ſtipendiis, qui ab ARCHEMBALDO hujus loci Abbate beneficiario jure aliqua ex poſſeſſionibus Monaſterii ſibi tradita poſſidebat. Hic oblitus benefactorum, fidei quoque quam ſacramento ſancto ſpoponderat Benedicto, ac illi pro poſſe famulantibus Monachis, Pauliacenſis *°parrochiæ prædium aſſidua exinanibat metatione*. Cui cùm à Fratribus mandatum eſſet, ut ab hac præſumtione quieſceret, illeque obtemperare deſpiceret; coacti Fratres, omnipotentis Domini clementiam patronique ſui Benedicti auxilium implorare cœperunt. Illis denique obnixè Dominum rogantibus, adverſario vero in ſua perdurante malitia, contigit ut una dierum memoratus vir prandium ſibi in jamdicto prædio parari jubens, inter lautioris menſæ epulas, poma piri ad veſcendum inquiri juberet. è quibus unum manu tenens, poſt multas blaſphemias adverſus Monachos Floriacenſes prolatas, juramentum protulit mendax, ita inquiens: Hoc teſtor, ait, pirum, hoc anno me eis multa incommoda irrogaturum. His dictis partem pomi jam inciſi ſuo injecit ori, quæ continuò ita blaſphemum oppilavit guttur, ut interclusa voce nulla valeret promere verba. Quem veluti exanimem, ſui inter brachia lecto inferentes, hortabantur, ut pœnitens eorum quæ injuſtè intulerat beatiſſimo obſequentibus Benedicto, veniam flagitaret. Sed ille proloqui non valens, reclinato ad parietem capite, ſpiritum exhalavit. Nec paſſus eſt Dominus Chriſtus incaſſum cadere ſuorum preces ſervulorum, à glorioſa ſua genitrice Maria dilectoque ſibi allegatas Benedicto.

* Pouilly in Nivernis, V. Adrevald. cap. 37

* id eſt hoſpitatione

VI.

18. Unum verò ejus operum inſigne, Patris dico Benedicti, nunc adorimur exponere, quod cujuſdam Fratris relatu ſeu ſcriptis nos contigit agnoviſſe, qui ſe illud à fidelibus ſanctæ Remenſis eccleſiæ viris teſtatus eſt didiciſſe in territorio ejuſdem urbis fuiſſe geſtum. Anniverſaria beati Confeſſoris Chriſti Remigii in terris ex more celebrabantur, dies videlicet feſtus & plenus reverentiæ, in quo concurſus populorum ad ejus venerandam baſilicam fieri adſolet. Eodem die jam dicta GERBERGA Regina, tardiore jam incumbente hora, ſuorum circumfuſa comitatu ad templum venit: & accidit, ut veſpertinæ laudis officia jam à cantorum choro inchoata offenderet. Quæ pudore ſuæ tarditatis, conſuetæ ſtationis relicto loco, cryptas ipſius eccleſiæ ingreſſa eſt, in quibus pretioſi Patris Benedicti oratorium habetur; ubi dum ad orandum regii ſtipatores ſuas flecterent cervices, unus eorum protervæ temeritatis auſu ſpatam quam manu gerebat, altario ſuperpoſuit. Exſecrati factum ſocii, gladio inde ablato, adverſus tantæ auctorem vanitatis, increpatoria invexere verba, quibus ille ſuperbè reſpondit: Quænam, inquiens, in nos * nova iſtæc inceſſit religio, ut aggeſtum calcis ac ſabuli cum lapidum mole, meo judicetis enſe fore ſanctius? & ſimul cum verbo, receptam machæram, dominicæ non dubitavit reimponere menſæ. Hoc faciens tertiò à contumaciæ ſuæ faſtu inhiberi non potuit. Sed qui blandis hominum verbis corrigi noluit, acriorem di-

S. Remigii feſtum.

Enſem altari S. Benedicti imponens punitur.

* f. vos

[illegible] ſeveritatis redargutionem in [illegible]emet expert[illegible]. Nam d[illegible]cedente à ſacra æde R[illegible]ina, & ipſ[illegible] diſceſſit. Cumque nim[illegible] [illegible]rus ac de ſe præſumens, lætus cum cœnantibus & ipſ[illegible] cœnaret [illegible] epulas ac poc[illegible]a, labente ſu[illegible]r inguina [illegible] ſauc[illegible], de[illegible]nde e[illegible] obſ[illegible]quentium à menſa, e v[illegible]ſtigio [illegible]mpœnit[illegible]ns, nim[illegible]mque lugendus [illegible], infel[illegible]cem exhalavit animam: oſtenditque Deus diſplicere ſibi altaris ſui ab[illegible]ationem, quod ſub nomi[illegible] ſe[illegible] ſu[illegible] [illegible]dicatur, q[illegible] [illegible]ac[illegible]ſancti corporis Chriſti [illegible] obr[illegible]er crucis. CIRC. ANN. DCCC. LXXXVIII. DEC. XV.

19. [illegible], quod a vico Fl[illegible] tribus diſtat milibus, poſ[illegible] qu[illegible]m HERBERTUS dictus eſt, H[illegible]ENALDO genitus patre, [illegible] habens n[illegible]e AR[illegible]HEMBAL[illegible]UM, Turonicæ eccleſiæ nunc [a] At[illegible]m. [illegible] RICHARDUS v[illegible] A[illegible]as [b], ſucceſſor domini W[illegible], [illegible] juris eccleſiaſt[illegible] prædia in ben[illegible]ficium conceſſerat. qui nequa[illegible]m his contentus, [illegible] qua quæ Cœnobitarum uſibus delegata erant, nefan[illegible] [illegible] bat [illegible] M[illegible] [illegible]nctaque congregatio ad eum di[illegible] p[illegible]s ut in[illegible] fide[illegible]ndo eis à ſe pollicitæ, res eorum invadere d[illegible] [illegible] pa[illegible] [illegible]orum monita, ad LOTHARIUM Re[illegible]m, [illegible]em [illegible] M[illegible] q[illegible] [illegible]moniæ ſuæ flebilem deploraturi ærum[illegible] [illegible] [illegible]idem parum proficientes, per ſemetipſos [illegible] p[illegible] [illegible] adorſi, orant ut ſui miſereatur, ab eorum oppr[illegible] V[illegible] [illegible]ntamen eo avertente autem, ad nota recurrunt præ[illegible]. D[illegible] pr[illegible] modum ejuſdem anni quadrageſimali tempore, inter [illegible] ſua Domino pro tribulatione fundentes vota, duo ærea pul[illegible]bant ſig[illegible] [illegible]t eorum ſonitu audientes ad ſimile invitarent opus. VII. [a] *Sully* Herbertus prædiorum Floriacenſium invaſor,

Interim præfatus Herbertus in ſuæ malignitatis perſeverans contumacia, peſſimis cotidie adjiciens pejora, quadam nocte cum quibuſdam ſatellitibus in Waſtinenſem pagum adire diſpoſuerat. Et quia juxta Veritatis vocem, *qui ambulat in nocte, offendit, quia lux in eo non eſt.* Luce utique carens virtutum ac tenebris obſeſſus vitiorum, obſcuritate quoque mundanæ noctis impius quiſque ſe ſuoſque actus celare nititur: ſed licet humanos, quantum in ipſo eſt, devitet obtutus, oculos tamen Domini, qui ſuper vias hominum ſunt, & omnes [illegible] eorum conſiderant, effugere nullatenus valet. Non enim, ut beatus Job teſtatur, apud Dominum ullæ ſunt tenebræ, aut umbra mortis, ut abſcondantur ibi, qui operantur iniquitatem. Sic itaque ab hoc impio Herberto ablata lux ſua eſt: ipſeque repentè ſublatus, quia diu fuerat exſpectatus. Namque dum equi tergo inſidens, cum ſuis nocturna adopertus caligine iter carperet adſpexit ſubitò adſtitiſſe lateri ſuo aliquem monachalis habitus ſtigmata præferentem: cujus indumentum æthereâ claritate, ut pòſt ipſe ſuis retulit reſplendebat. A quo baculo quod præ manibus habere videbatur, inter ſ[illegible]pulas ictus, horribilem emiſit vocem: ſicque viſio ex oculis ejus ablata eſt. C[illegible]meq[illegible]tantes horrore vocis perculſi, inquirunt ſollicitè quid ei acciderit. Q[illegible]nis ille Sanctus, inquit, Benedictus nunc mihi adſiſtens, valido me affli[illegible]t verbere, ex quo malè habens, immenſo crucior dolore. Sed vos, ô fidiſſimi c[illegible]mmil[illegible]ones, retrogradum callem arripientes, ad domum me referte meam: indeque mihi veniam efflagitaturi, ad ſepulcrum properate Confeſſoris glorioſum. Illi ejus obtemperantes præceptis, hinc inde ſuſtentatum, unde digreſſus fuerat, reduxerunt. qui inter manus famulorum, in ipſo pæne oſtii limine, animam reddidit: cujus devoti fideles Cœnobii Patris Benedicti Fratres adeuntes, eventum rei innoteſcunt, petentes, quatinus vel cadaver exanime ad ſepulturam ſuſcipiant. Quibus illi, quamvis indignationis ſuſpecti Abbatis ſui, qui tum fortè aberat, adſenſum præbentes, ſuſceptum corpus humo texerunt. percutitur baculo S. Benedicti. *Ioh. 11, 10.* *Iob 34, 22.*

[a] [illegible] h[illegible] particula *nunc*, rectè col[illegible]unt So[illegible] B[illegible]ni, Archembaldum ſuperfuiſſe anno [illegible]

[b] Richardus Abbas præfecturam iniit anno DCCCLXII, quo Vulfal[illegible]us adſumtus eſt ad ſedem Carnutenſem, ex dictis.

Circ. ann. DCCCLXXXIII Dec. IV. Qui etſi pro parta ſibi q[illegible] app[illegible]audi[illegible]nt, pia tamen com[illegible] compatiebantur, eo quod in pr[illegible]oxvo juventutis flore vitæ hujus p[illegible]nere, pravitatem quoque morum non valuit corrigere.

VIII. Romaldus item morte correptus. 20. Romaldu[illegible] ivis Car[illegible] nia * ſita, coofinis [illegible] quam Deo devoti [illegible] jam dictæ [illegible] runt, eſſe dignoſcitur. Is unus exſiſtens eorum de quibus Sc[illegible]ptura [illegible] * In Sologne. Iob 24, 2. *Quoniam quidem ipſi terminos tranſtulerunt, diripuerunt ue gr*[illegible] tam in ſilva S. Ben[illegible]i, quamque in ſua ſilva ad [illegible] gem ex æquo partiri conabatur. E[illegible] quia pars ſ[illegible]tus Monachorum m[illegible] ipſius erat, grave hoc Fratribus videbatur. Unde communi [illegible] dam ex ſuo collegio dirigunt ad Arnulfum A[illegible]eliano[illegible] lem, cui idem vir benefi[illegible]ii g[illegible]atia pe[illegible]epti par[illegible]bat, ut eum a[illegible] ra ſua revocaret auctoritate. Verum [illegible]e cont[illegible]maciæ ſ[illegible]tus ſpi[illegible] Epiſcopo quatinus juſtitiæ tramitem ſervaret ſuperbè reſpond[illegible] quo ſues è boſco abducendi erant [illegible] mans miſer ſervis Dei ſe quæ [illegible]irebant, [illegible] immem[illegible] divitis, cui ſua amplianti horrea, Dominus infit: *Stulte, hac n*[illegible]*e animam* Luc. 12, 20. *tuam abs te repetunt, & quæ paraſti cujus erunt* [illegible] R[illegible]al[illegible] p[illegible] antequam è loco ubi legatis protervè reſ[illegible] ingenti correptus, eo uſque languit, donec [illegible] peribus Chriſti ſuillum pecus iri ereptum, mort[illegible]ur ad ſepeliendum. Fratres interea à reliquis juxta condi[illegible] ejus operientes adventum: comperto quòd obiiſſet, cum [illegible] debita ad propria ſunt regreſſi, benedicentes Dominum, [illegible] ſanctam Chriſti matrem Mariam ac Dei famulum laudantes Benedictum.

IX. Floriacenſe incendium. 21. Tempore ſæpius ac cum reverentia nominandi Abbatis R[illegible], cùm ab imperatoria cæleſtis Regis ſeveritate ob enormitatem [illegible]am decretum proceſſiſſet, ut flammis voracibus venerabilis hic locus, [illegible]n ſis ſcilicet, purgari debuiſſet; quæ & quanta, perfidis quidem [illegible], nobis autem & quibuſque ſanum ſapientibus miranda, acci[illegible] paucis memorare libet. Primum quidem ſatis obſtupeſcendum, quod b[illegible]a ſancti Petri principis Apoſtolorum caſuali conflagrante incen[illegible]o, ea quæ [illegible]ctiſſimæ Dei genitrici ac perpetuæ virgini Mariæ dicata [illegible] Domin[illegible]m timentibus multipliciter diligendum retinet theſaurum, cor[illegible] ſanctiſſimi Patris Benedicti, illæſa reſedit. Non ſolùm autem i[illegible] ra & non multò ampliùs ab ipſa diſtabat paſſibus; verum unive[illegible] bitum caſtri admodum artum conſtructa ædificia, uno duntaxat horr[illegible]o ardentis eccleſiæ parieti adhærente, incorrupta manſere ab ignibus. Acervus quoque frugum, quem metam * vulgò dicimus, qui tantùm p[illegible]m vix paſſibus in longum dilatato, ab ipſo diſtabat oratorio, vora[illegible] eva[illegible] ignium flammas. Movere debuerat hoc damnum corda mortalium [illegible] mens hominum nimiùm ignara futuri, dum non veret[illegible]r, dum non m[illegible]tuit, ſibi ingruentia nequaquam conſiderans adverſa, cadit in [illegible]

* Gallicè meteil

Aliud. 22. Etenim non longo labente annorum curriculo, præc[illegible] Richardi Abbatis induſtriâ fuſile æris vas ad convocandos in oratorio Fideles [illegible]rabatur. cujus rei miniſtri cùm nocte quæ Octavas ſancti præcedebat Laur[illegible]tii, labore feſſi membra ſopori dediſſent; accenſam candelam poſt bu[illegible]xam obliti exſtinguere, reliquerunt. quæ decidens, ſtramen lectorum ſt[illegible] exſtructum accendit, à quo domus completa flammis, ut jam veh[illegible] ardetet, etiam in contiguam ſibi aulam ſanctæ Mariæ Chriſti mat[illegible] lectiſſimi Domini Benedicti incendia ſparſit. Clamor ſubitò ac l[illegible] miſcentium tollitur Fratrum, verentium ne comprehenſis om[illegible]n di ſacri corporis ſancti Patris Benedicti ſibi facultas deperiret. Qu[illegible] ſpes inerat, eumdem excellentiſſimum Patrem ſuos poſſe incon[illegible]

[illegible] artus; humanus tamen animus fragilitatis ſuæ vento agitatus, in incertum agebatur. Effertur denique lugentium mærentiumque manibus illud admirabile [illegible], & cum palla [a], ſuper quam pridie ſacroſanctum corpus JESU-CHRISTI fuerat confectum, circumducitur. Cum repentè aquilone qui ad horrea Fratrum flammas impellebat, flare ceſſante, totus ignium globus volumine facto cælum verſus cacumen extendit; ibique par ſuperiori apparuit miraculum, eccleſiâ ſancti Benedicti, quæ pridem ſuccenſa atque inſtaurata erat, remanente cum Xenodochio ejuſque coquina, necnon & piſtrino, acſi Dominus non verbis, ſed operibus, ſervis ſuis dicere videretur: Etſi vobis pro commiſſis iniquitatibus iratus videor, precibus tamen fidelium [illegible]m, quos huic loco tutores delegi, mitigatus, aliqua vobis ad inhabitandum domicilia relinquo. — Circa an. DCCCLXXXIII. Dec. 1. [a]

23. Aliud quoque inuſitatum antea ſæculis oſtenſum à Domino eſt ſignum, quod non ambigitur meritis glorioſæ virginis Mariæ ſanctiſſimique Confeſſoris Chriſti Benedicti fuiſſe obtentum, ad mæſtorum ſolamen Monachorum. Tripoda erat exigua, ad uſus reficiendorum qui fortè adveniſſent peregrinorum præparata. Hæc caſu ſub turri e qua ſigna dependebant, elata, decidentibus ambuſtis circumvallatur trabibus. Tunc renovante Deo antiqua miracula, qui ſub Moyſe rubum mediis in flammis ſervavit incombuſtum; menſa lignea vaporem non ſenſit igneum. Videbatur ergo non ardens ardere tripes, [illegible] a cal[illegible] mat[illegible] alimenta dabat, ut aperte c[illegible]ſceret, ipſum aliquando [illegible] hanc diſcubuiſſe menſam, qui ſibi tribui fatetur, quod egenis ac mendicis confertur. Fit concurſus ingens ad hoc ſpectaculum, videntque [illegible] quibus eſt videre datum, quaſi turbinem à prædicta menſa exſurgentem, congeriem carbonum huc illucque diſpergentem. Videre erat dudum lugubres [illegible] imminenti calamitate multorum vultus, repentè hujus prodigii alacritate permutatos. Conſumtis igitur omnibus, hæc remanſit inuſta. Nec his incommoditatibus fracti animi bonorum, quin immo procurante venerabili Dei cultore RICHARDO Abbate in eum quo nunc cernitur ſtatum, intra trium ſpatium annorum, hoc ſacrum & valde monachicæ vitæ cultoribus jucundum præparatum eſt Cœnobium. Porrò annus combuſtionis ipſius fuit [illegible] ab incarnatione Domini [b] nongenteſimus ſeptuageſimus quartus dicitur fuiſſe. — X. Menſa combuſta. — Cœnobium inſtauratum. — Incendium anno 974. [b]

24. Circa tempus verò illud, quo ſummo ſtudio reſtauratio ejus perficiebatur, architectus quidam, qui nunc adhuc rupereſt, Dominicus nomine, operam cooperiendo Fratrum dabat refectorio. Cúmque in ſummo operturæ [illegible]gio conſiſteret, ac cuidam ſibi poculum porrigenti, ultra quàm neceſſe erat, intenderet, lapſo pede ſubitò inter immenſas trabium moles, ad terram decidit. Concurrentes Fratres, qui eum tam ictibus tignorum, quam [illegible] exanimatum putabant; non ſolùm viventem, ſed etiam omnibus membris integerrimum reperiunt. Quod non ambigitur meritis ſancti viri Benedicti fuiſſe obtentum, ne homo ejus deditus ſervitio, vitæ aut membrorum quodlibet ſuſtineret diſpendium. — XI. Architectus caſu illæſus.

25. Ea etiam tempeſtate qua adhuc inſtaurationi ejus ſtudioſus impendebatur labor, & [illegible] a[illegible] Patris ſui Benedicti oſſa, in eccleſia ſancti Petri [c] [illegible] ſimum aſſervabat amor, tale quid in priori tumulationis ſuæ loco — Mulier à dæmone liberatur. [c]

a [illegible] ia de- [illegible] m, [illegible] pel- [illegible] A [illegible] T- [illegible]

b [illegible] Chro[illegible] ius in tomo [illegible] 3 [illegible]

c [illegible] act nus ma[illegible] ex par[illegible] Monaſterii aliud ab eccleſia principali, quæ beatæ Mariæ dicata eſt, tametſi ara [illegible] etiam in honore ſancti Petri [illegible], ut colligitur tum ex litteris Eccardi [illegible] ſuperius [illegible], tum ex quadam [illegible], quod nuper, dum [illegible] [illegible] mo loco, [illegible] lamina inſcripta M[illegible] [illegible] SIT. IN. AMORE [illegible] MARIÆ [illegible] STRI. Is eſt Mummo [illegible] Abbas [illegible] ſecundus cujus elogium in Sæculo a relato [illegible]

Circ. ann. DCCXXXXIII Dic. [illegible] hic tutor noſter oſtendiſſe narratur. Mulier quædam dæmonio [illegible] Monaſterium eſt de[illegible]a, atque in crypta int[illegible]ori, ut ibi cura [illegible] miſſa. unde poſt aliquantulas debacchationis ſuæ moras retracta [illegible] ſanctæ Dei genitricis Mariæ conſtituit: ex cujus ore, ut nobis r[illegible] tres dæmones in modum ſcarabæorum cum viridi cholera in concha d[illegible]tes ærea[illegible] ſoni[illegible]m r[illegible]percu[illegible]o æte cierunt. ſicque perſona illa m[illegible] obtentu glorioſæ Matris Domini ac incliti confeſſoris ejus Benedicti

XII. Contractus erectus. 26. Homo fuit quidam Waſtinenſis pagi indigena, qui ab utero [illegible] dum privat[illegible]s offic[illegible]is ſcammellorum adminiculo iter conficiebat, [illegible] verrendo. Hic ter beati Patris noſtri Benedicti auditâ famâ, ejus v[illegible] adiit limina. Suſceptus autem in domum alendorum pauperum u[illegible]tam, petiit ſe alimoniâ ſuſtentari Fratrum, donec interventu ſan[illegible]ſoris ſui Dominus optatæ ei ſalutis tribueret effectum. Cujus pr[illegible]

Duodecim pauperes Floriaci aliti. CHARD[illegible] Abbas annuens, in numero duodecim egenorum eum [illegible]ſtituit, quos diligens boni antiquorum cura Patrum in hoc noſtr[illegible] Cœnobio, ob duodenarium Apoſtolorum numerum, communi[illegible] diatim ali ac veſtiri ſancivit. Qui quotidianis ſ[illegible]is a[illegible]res p[illegible] Conditoris, dona cupitæ poſcebat ſoſpitatis. Et quia juxta Veritat[illegible] cælorum vim patitur regnum, & inſtantia rapitur violentorum p[illegible]ens [illegible]pere, quærens invenire pulſanſque ut ſibi m[illegible]ix ape[illegible] meruit obtinere. Tandem enim ſuffragio in[illegible] almæ g[illegible] Mariæ, in cujus excubabat aula, ac deinde ex[illegible]ntiſſimi Monachorum Legiſlatoris Benedicti, quem mediatorem inter ſe & Dominum ſuatum elegerat precum; arentes hum[illegible]ari nervi, cruraque contra[illegible] rel[illegible]vi[illegible] Hoc ubi languidus perſenſit, & ipſe cupidus ſanitatis, in[illegible] via[illegible]rere more. Paullatim itaque ſe ſubrigendo, proceſſu tempor[illegible] ſan[illegible]miſſimas adeptus vires, meritis egregii Confeſſoris, nativæ ſta[illegible] proprietatem telluris. Poſtulatâ itaque abeundi licentia, grat[illegible]as [illegible] b[illegible] D[illegible]o ſanctoque pro poſſe referens Benedicto, cum pr[illegible] q[illegible]s ad [illegible]m evocaverat Fratribus ad ſua reverſus, agriculturæ de r[illegible]iquo ope[illegible]

XIII. 27. Sæpe nominati Abbatis Richardi temporibus, cuidam Mon[illegible]o BENEDICTO, cui Niger prænomen fuit, ab eodem Abbate cum al[illegible]s ex cœtu Fratrum, tuendæ ſacræ æ[illegible]is mandata ſo[illegible]licitudo [illegible], il[illegible] ſanctæ Dei genitricis Mariæ ſub honore Deo dicata, cæleſtis th[illegible]auri, corporis dico ſanctiſſimi Patris Benedicti, mirabile cunctis in ſe retinet ma[illegible]ritum. Una itaque dierum, dum ei in ordine vi[illegible]s ſuæ propenſi[illegible] cu[illegible]æ [illegible]mineret diligens cautela, accidit lucernam ante al[illegible]re pe[illegible]pe[illegible]uæ vi[illegible] Ma-

Lucernæ tres in ecclesia B. Mariæ. riæ venerationis gratiâ accenſam exſtingui. Mos verò à pri[illegible] inſ[illegible]tutu[illegible] patribus obſervari ſolitus erat, quod nos quoque in noſtra p[illegible]ſpexim[illegible] ſi[illegible] pueritia, ut tam diebus quàm noctibus, trium [illegible] rata inluſtraretur eccleſia. Exſtinctam ergo [illegible] aliam quæ ſepulcro beati Confeſſoris prælu[illegible]ferens, ipſam quoque defeciſſe reperit. tertia[illegible]

Cereus ex ſe ſitus accenſus. inluſtrare ſolita erat, dum inviſiſſet, & i[illegible]ſam [illegible] offen[illegible] T[illegible] igitur animo, dum concito gradu ſe eff[illegible] greſſus perſpexit unum è cereis eminen[illegible], q[illegible]nes a[illegible] R[illegible]n[illegible]ginum poni ſolent, & in feſtivitatibus tant[illegible]m acc[illegible]n[illegible]i, divinitu[illegible]tum, flammis rutilare coruſcis. q[illegible] rem valde a[illegible]ans[illegible] didit, intelligens exſtinctionem l[illegible]m non c[illegible], [illegible] videntia, ad oſtendendum mor[illegible]bus, huic ſacratiſſimo lo[illegible] quaquam abe[illegible] viſitationem.

XIV. Sancti contemtor punitus. 28. Eq[illegible]s quidam aliquando iter faciens, d[illegible] M[illegible]ſter[illegible] [illegible]n[illegible]dicti per[illegible]nen[illegible]m, cui V[illegible]riat[illegible] n[illegible]m[illegible]n e[illegible]mum cujuſdam viduæ, invenit ſextarium avenæ, quam [illegible]

Circa ann. DCCCLXXXIII. Dec. 14.

ceſſariam ſibi tollere volens, à muliere prohibebatur, dicente: Si, inquit, viduitatis meæ paupertatem auferendo me deſpectui habes, ſaltem ſanctiſſimum reverere Benedictum, cujus juris hoc rus eſt quod incolo. Cui miles: Tantum, ait, pro ſancto Benedicto, quantum pro te dimitto. vocatoque armigero, avenam quam ipſe in ſacculum pauperculæ transfuderat, collo equi ferendam tradidit; ſicque diſceſſit. Nec longum itineris ſpatium emenſus, ſubitò, ac nullis urgentibus calcarium ſtimulis, equo ad curſum proclivo in præceps labitur. Sonipes diſrupto gutture interiit: ipſe fracto debilitatus crure diu languit. Suâ igitur pœnâ ipſe didicit, & aliis exemplum præbuit, nec Sanctos oportere contemni, nec viduarum lacrymas debere eſſe deſpectui, quæ, ut ait Salomon, ab oculis ad maxillas, à maxillis ad terram decidunt, & Dominus omnium ſuſceptor eſt earum. *Eccleſ. 35.*

XV. * *Sacerge* * *lib. 2 cap. 5. V. Adrevald. cap. 38.* * *num. 27.* Prædatores multi à paucis fuſi.

29. Caput-cervium * poſſeſſio quædam eſt ſancti Benedicti, de qua in ſequentibus pleniùs, ſavente Deo, narraturi ſumus *, qualiter ſcilicet ad dominium hujus Floriacenſis Cœnobii pervenerit, ſeu quomodo inde habitatio Monachorum ad Salenſe [a] caſtrum mutata ſit. Cui poſſeſſioni gubernandæ paullo antè memoratus * vir venerabilis BENEDICTUS Monachus præpoſitus eſt. Qua tempeſtate ex caſtris, quæ creberrima per eam regionem habentur, ad centum quadraginta armati, in Argentomagenſes [b] agros, qui ei loco vicini ſunt, ſe ſe diffuderant, prædas ex eis acturi. idcirco ex villis etiam prædictæ poſſeſſionis armenta ſeu pecudes abegerant. Cumque Argentomagenſibus damna ſuarum perlata fuiſſent rerum, è caſtrenſibus confeſtim adverſus eos pugnaturi proſiliere portis: ſed in unum conglobati, cùm ſe hoſtibus numero inferiores viderent, congredi cum his pavitabant. Tunc unus ex ipſis divinitus animatus ſociis inſit: Nunc interim, ô fidiſſimi commilitones, terram ſancti Benedicti adverſarios deprædatum ingredi ſinamus: & quia dominus noſter GERALDUS ejus eſt Advocatus, eam vice ipſius defenſaturi, hoſtes viriliter, ſecureque aggrediamur, miſſo priùs legato, qui è Monaſterio Salenſi, quod eſt ſancti Benedicti, vexillum ipſius pretioſi Confeſſoris, quod nobis præſidio ſit, maturatò deferat. Conſentientibus cunctis ac ejus conſilio obtemperantibus, poſt ſuſceptionem vexilli, adverſariis nil tale verentibus, quadraginta ſolummodò juvenes totis viribus ſanctum invocantes Benedictum, ex improviſo prædonibus ſuperveniunt. Adverſariorum verò corda omnipotens Deus meritis dilecti ſui Benedicti ita perterruerat, ut nullo modo reſiſtere auderent. & hoc modo à quadraginta tantùm juvenibus, centum quadraginta hoſtium, nullo aut minimo ſuto ſanguine, fugati, ſeu capti ſunt. Victores verò omni potiti præda, nobilioribus quoque ex hoſtili agmine captis, ad Salenſe Cœnobium venerunt rogantes, memoratum Benedictum Præpoſitum, ut quidquid inter manubias ex ſuorum agnoſci poſſet ſubſtantia pauperum, gratis reciperet. Quod ille libens accepit, & receptis ſuorum ſpoliis, tripudiantes bellatores ad propria ſivit abire. Sequuntur alia duo miracula haud multum huic diſſimilia, à Domino per ſummum Confeſſorem Benedictum iiſdem in locis geſta: è quibus unum quod tempore ejuſdem Præpoſiti accidit, iſti ipſi connectentes; aliud illi per omnia ſimillimum ſuo in loco aptiùs referemus.

S. Benedicti vexillum.

XVI. Item alii.

30. Monarchiam regni Francorum adhuc LOTHARIO regente, gravi perduellione primores Aquitanici regni contigit turbari. ſiquidem GIRALDUS Lemovicinæ urbis Vicecomes, & BOSO markam ipſius poſſidens regionis, contractis adverſum ſe decertabant odiis. Quapropter HELIAS Boſonis filius, dominum ſuum WILLELMUM Comitem Pictavenſem muneribus precibuſque pellexit, quatinus caſtrum Giraldi, quod Brucia * dicitur, ſecum ob- * *V. lib. 2 cap. 6.*

[a] De ſite caſtri Salenſis, vulgo *S. Benoiſt du Sault*, infrà in lib. 2 cap. 6 num. 15.

[b] Argentomagum, *Argenton*, aliis Argentomum, olim caſtrum, quod Vvaiferius Aquitaniæ Dux deſtruxiſſe; Pippinus verò Francorum Rex inſtauraſſe perhibetur; nunc oppidum pagi Bituricenſis ad Croſam fluvium, infra confluentes Croſæ minoris in majorem, *la Creuſe*.

CIRC. ANN. DCCCLXXXIII DEC. XV. ſidione cingeret: Qua de re non ſolùm villas Giraldo parentes, verùm etiam poſſeſſiones Salenſis Cœnobii contigit graviter devaſtari. Nuntius ad Giraldum Lemovicina tunc in urbe reſidentem venit, qui diceret, non ſolùm ejus regionem, ſed etiam agros ſancti Benedicti, eo quòd ejus eſſent delegati tutelæ, ab hoſtibus depopulari. Ille in talibus nequaquam procraſtinandum ratus, maximè confidens Benedictum Patrem ſibi auxilio ob ſuarum vaſtationem poſſeſſionum adfuturum, dirigit eò Guidonem filium cum lecta equitum manu, dans in mandatis, ut hoſtes & à rapinis inhiberet, & junctis ſibi Argentomagenſibus, ab obſidione, ſi tutò poſſet, bello deterreret. Argentomagenſes non ignari per quem poſt Dominum in ſuperiori pugna victores exſtitiſſent; ad jam nominatum ſancti Benedicti Monaſterium oraturi venerunt, poſcenteſque à Fratribus eulogias panis & vini ſibi tribui, dixerunt ſe tantæ fidei eſſe, ut abſque dubitatione crederent, per illam eſcam meritis glorioſi Confeſſoris Benedicti, ſe & in prœlio ſore victores, & à mortis periculo immunes. nec ſua eos ſpes ſefellit. Nam congreſſione habita, tanta adverſarios cæde affecerunt, ut poſt victoriam à Monachis reſpectu humanitatis etiam inimicos inhumare cupientibus vix ſepeliri quirent. Attamen ararris humum hac illacque more arantium inverti præcipientes, glebis, utcumque poterant, cadavera obruebant. Nullus ſanè Argentomagenſium, qui pane ac vino ſancti Benedicti ob ſuæ ſalutis auxilium paſti fuerant, diſcrimen aliquod necis perpeſſi ſunt: ſed omnes victores, integroque numero ad ſua redierunt, laudantes Dominum, ejuſque Confeſſorem ſummis laudibus extollentes Benedictum, cujus meritis & ſe periculo liberatos, & hoſtes palam profitebantur eſſe fugatos.

Argentomagenſes eulogiis panis & vini muniti.

XVII. 31. RICHARDO Abbati AMALSERTUS ª ſucceſſit, qui benignus naturâ, benignior etiam exſtitit humilitatis ſibi inſita manſuetudine. Hic à LOTHARIO, Ludovici quondam à Tethbaldo Comite capti filio, cum electione Fratrum regimen noſtri ſuſceperat Cœnobii. Hujus in diebus, in poſſeſſione ipſius Floriacenſis Cœnobii, quæ Hervini-curtis * dicitur, res hujuſmodi divinitus acta eſt. GAUZLINUS Monachus, ei curti tunc præpoſitus, conductis operariis, ad oſtium baſilicæ ſub nomine egregii Confeſſoris Chriſti Benedicti, Deo in eadem villa dicatæ, gradus ligneos fieri diſpoſuerat. Faber lignarius ei rei ſtudium impendens, dejectæ in proxima ſilva arbori dolabra ſuperflua quæque demere parabat. cúmque eam in partem alteram vertere tentaret, & non poſſet: Eia, inquit, ſancte Benedicte, quia ego nequeo, tu illam verte. Hæc dicit non orantis voto, nec poſcentis affectu, quin potiùs quaſi diffidens. Vicinas ſilvæ adiit domos, auxiliares accerſiturus: cum quibus regreſſus, reperit lignum, quod vix ſex virorum moviſſet manus, divina virtute eam in partem verſum, quam ipſe volebat. Quid putas beneficii egregius iſte Pater noſter illis largiri prævalet, qui eum tota mentis intentione cum cordis invocaverint puritate: ſi tantum illi præſtitit, qui ſe cum quadam, ut ità dicam, interpellaverat animi vanitate? nec nobis, quibus, quamvis immeritis, à Deo donatum eſt, talem ac tantum inpræſentiarum habere Patrem, omnino deſperandum, ſi ejus opem pura ac ſimplici imploraverimus prece: cùm & extraneorum non adſpernetur gemitus humillimos, & longè poſitos ſæpiſſime exaudiat famulos. Quid denique cuidam Monacho ſui gregis, vocabulo AANNONI *, qui nunc adhuc ſupereſt, longiuſculè hinc remoto, mæſtorum ſolamen animorum, ſemper nominandus contulerit Benedictus, breviter exponere libet.

Trabs loco mota.

* *V. Tertaviti cap. 6 infrà.*

* *infrà lib. 2 cap. 6.*

ª Incertum mihi quo anno. In Chartario Patriciacenſi binas invenio chartas Richardo Abbati ſcriptas, nimirum XXV & XXVIII. prior data eſt *anno decimo*, poſterior *anno quintodecimo* Lotharii Regis, ac proinde anno Chriſti DCCCCLXIX. Lege iſtius Chartarii inſtrumentum IX, & librum de miraculis S. Maximini Abbatis Miciacenſis cap. 12. ubi Richardus funeri Annonis Abbatis interfuiſſe, & AMALRICUS Floriacenſis Decanus, rejecto Hermenaldo Monacho, Annoni ſucceſſiſſe memoratur.

Poſt

32. Poſt exceſſum paſtoris Amalberti, à quo in tenera ætate habitum monaſticæ ſuſcepi religionis, atque utinam cum propoſito mentis: Oilboldus a ad prælationem Floriacenſium Fratrum, ipſorum electione & regia Principis Hlotarii adſcendit donatione. qui pia ſollicitudine, tam ſpiritales quàmque temporales ſubditorum procurans utilitates, imminente celebri Patris Benedicti tranſitûs ſollemnitate congruum duxit ad abundantes uberiore piſcium copia regiones quempiam ſuorum dirigere. Mittens igitur memoratum Fratrem, & per manum ejus ſufficientem ei negotio pecuniæ quantitatem, monuit ut impigrè injuncto inſiſteret operi. Qui præcepto parens, fluminum leguminâ ſollerti cura quæſivit, quæſita emit, emtaque ut ad Patrem à quo miſſus fuerat, reveheret, anxiè inſtabat. ſed ejus accelerationem itineris inundantes profuſione imbrium, retardavere Aquitanici amnes. Inter quos Andria deſpicabilis quidam viſu fluviolus, ſed crebra in multiplices diſcurſus alvei ſectione, ac paludum aliquantis in locis interpoſitione, ad transmeandum difficilis: ad cujus, ut vulgariter loquar, matrem aquam, prædictus perveniens Frater, offendit vadum inundaſſe aquis, ac ideo impermeabile equis: naviculas verò duas, unam medio in flumine ſemimerſam, aliam ulteriori in ripa detineri revinctam. Circumſpiciens undique, nullius naucleri opem, aut alicujus prætereuntis, valuit reperire juvamen. In hac itaque animi anxietate conſtitutus, dum iter ſuum impediri, & diem feſtum appropinquare intelligeret; ſe in ſe colligens, & audaciam ex deſperatione ſumens, totum ſe ad orandum contulit. Adſit nunc, inquiens, Domine Deus, mihi indigno famulo tuo auxiliatrix dextera tua: & ſi quid umquam majeſtati tuæ bene placitum Pater noſter ſacer Benedictus patravit, ſeu quiſpiam ſervulorum ejus tibi in præſentia ſacri corporis ipſius famulantium, ad præſens declara. Placeat tibi eamdem nunc, ordine quo tibi placuerit, exercere potentiam, quam quondam meritis ipſius dilecti tui exercuiſti, dum diſcipulo illius undas ſiccis pedibus calcare conceſſiſti. Non quidem ad hæc poſcenda de meis præſumens acceſſi meritis: ſed majora egregium Confeſſorem Benedictum apud te poſſe impetrare confidens, ego quoque de patrocinio ipſius; pro mea apud tuam clementiam fragilitate, majora meis audendo viribus præſumſi. Hujuſmodi oratione, ac manſueta qua idem Monachus pollet ſimplicitate, præcedentibus inſuper beatiſſimi Benedicti meritis flexus Dominus, citiſſimum illi ſuæ gratiæ contulit ſuffragium. Navis etenim quam contrario in litore ſitam eſſe diximus, divinitus ſoluta, abſque ullo mortali remige, ad eam in qua Cœnobita ille cum ſociis reſidebat, fluminis partem tranſiit. Videre erat ingens prodigium, navim aliquando invito ac fruſtra obnitente gubernatore, in fluentis aquæ devios agentem curſus; tunc quaſi cælitus oſtenſam ſibi lineam à ripa in ripam inoffenſè teneret, transmeaviſſe: donec contigua famulis Monachi facta, lanceis attraheretur. qui haſtis ſubremigando, univerſa onera tranſponunt, equos natatui committentes. Reverſus ad Patrem vel ad Fratres feſti jam diei celebre officium initiare parantes, præfatus Monachus eos magno exhilaravit gaudio, non tantum advectione tripudiantes alimentorum, quantum devotè exſultantes virtute ſignorum quoque * terrarum Dominum ſuum ſanctiſſimum radiare Benedictum.

Circa ann. DCCCLXXXIII Dec. IV.

XVIII. Navicula cælitus ſubminiſtrata.

* f. quocumque

33. Liberalis circa ægrotantes quoque ipſius ſancti viri Benedicti exſtat gratia. Unde unum narro miraculum, quod memoratus Abbas Oiboldus ſuo lætatus eſt accidiſſe tempore. Arnulfus Aurelianorum b Epiſcopus, aliàs ſanè bonus, & eccleſiaſticas regulas ſcientiâ & opere optimè ſervans,

XIX. Arnulfo Epiſcopo vineas invadente, b

a Quo anno factus ſit Abbas Oilboldus, non mihi liquet, mortuus anno DCCCCLXXXVII aut inſequenti, infrà.

b Duos ejuſdem nominis Epiſcopos fuiſſe puto, inter quos medius Manaſſes: unum Ermenthei nepotem ac ſucceſſorem, qui Floriacenſes ac Mitiacenſes Monachos plurimum amavit, ut conſtat ex libro de miraculis ſancti Maximini Miciacenſis Abbatis cap. 12 in Sæculo 1 alterum poſt Manaſſen, de quo hic ſermo, & in libro de vita ſancti Abbonis Abbatis.

Circ. ann. DCCCLXXXIII Dec. IV.

* le clos de Boarie

nunquam ad purum Prælatos hujus Floriacenſis loci dilexit, ideo quàm maximè, quòd illi ditioni ſolummodo parentes regiæ, ſubjectionem [a], qua ipſe ultra modum delectabatur, nequaquam ei ad ipſius voluntatis dependerent nutum. Qua de re vineas S. Benedicti in ſuburbano Aurelianenſis urbis, in loco qui Boaria * dicitur, ſitas, ut ſui eas pervaderent ſatellites, adſenſum præbuit: propter quarum recuperationem cum prædictus Abbas ad eum legatos miſiſſet, nec impetraviſſet; cum ſenioribus habito conſilio, deliberavit ut ſumtis ſanctorum pignoribus, imminente vindemia, ad locum cum aliquibus è Fratribus, fructus earum collecturus properaret: ut quia eidem viro viribus armatorum obniti difficile erat; cùm ipſe multis ſæculari potentia præditis, Regibus quoque perſæpe reſtitiſſe comprobetur; ſaltem hac arte obviàm iretur: cui idem Pontifex, cunctos pæne Antiſtites Galliarum ſuo exſiſtentes tempore in his quæ JESU-CHRISTI ſunt, ſapientiâ antecedens, refragari intuitu divini reſpectus nequiret. Levatis igitur duorum corporibus Martyrum Mauri [b] atque Frongentii [c], ſub nomine incliti Confeſſoris Dei Benedicti; venitur ad locum, & inter iter agendum, vicinis, & qui viæ propinqua incolebant domicilia, percuntantibus, cujus tam celebris foret pompa prætereuntium; reſpondebatur, Sancti Benedicti. Inter quos quidam æger, longo attritus vires febrium ardore, ſciſcitabatur prætergradientes, cujus in obſequio tanta cum crucibus viam tereret turba. Reſponſum ei eſt, ſanctum Domini dilectum eo itinere Benedictum ad ſuburbana Aurelianenſium ob ſuarum defenſionem tranſire vinearum. Quo ille audito ſpem promerendæ ſalutis induens, imbecillia membra baculo ſuſtentante, reliquias uſque beatas protraxit, proſtratuſque ſub argenteo quo reconditæ erant ſcrinio, in ſomnum revolvitur. Tranſacta verò una nocte, mane primo ſurgens; incolumitati ſe ſenſit reſtitutum priſtinæ, ac gratias Deo agens, laudum quibus poterat præconiis ſanctum attollebat Benedictum, procuratorem eum ſuæ dictitans ſoſpitatis. Nec multum à vero ejus deviabat opinio. Ipſius enim ope ac precibus conſtat eum propriæ redditum virtuti, cujus meritis fiſus ſeu famâ evocatus ad illa properaverat loca. licèt nos ſuprà nominatos veritatis teſtes nequaquam ab hujus ſecludamus operatione miraculi, immo per omnia æquales & merito judicemus & actu. Porro Fratres cum memorato Abbate, peractis abſque ullius interpellatoris impedimento pro quibus ierant, gemino lætabundi gaudio, ad ſua regrediuntur. Verùm pauper ſpiritu qui ſanatus erat, tuguriolum eo loci, quo ipſe cubans, ſuperpoſitos capiti Sanctorum habuerat artus, ligneo conſtruxit tabulatu: ſub quo ſimili detenti languore quieſcentes, ſi tamen plena eorum hoc fides exegerit; citiſſimam opitulantibus tribus memoratis Sanctis capiunt medelam, uti accolæ eorumdem teſtantur locorum.

Reliquiæ delatæ.

Æger ſanatus.

Ædicula conſtructa.

[a] De ſubjectione ſpirituali, quam Abbates tum, cùm benedicebantur, promittebant Epiſcopo, aliàs dicendum: hic de temporali quæſtio videtur.

[b] *Quidam Pontifex de Britannia veniens, cui nomen erat Hedrem, & in Floriacenſi loco monachilem induens tunicam, corpus beati Martyris Mauri ſecum detulit, quem conſtat Romæ paſſum ſub Celerino Præfecto, imperantibus Imperatoribus Carino & Numeriano. Sed & alter ad idem* [illegible] *Carnotenſis, Otto nomine, & corpus cujuſdam ſancti Frogentii ſancto ſecum obtulit Benedicto*, ut legitur in prædicto fragmento Cheſniano. Mauri Martyris Vita metricè ſcripta eſt à Rodulfo Tortario, & hiſtoria ejus tranſlationis, uti habetur in Bibliotheca Floriacenſi. In catalogo Bibliothecæ Petavianæ Framberto Monacho ejuſdem Martyris Vita metrica tribuitur, anà Tortarii carmine diverſa.

[c] De hoc ſancto Frongentio ſeu Frogentio intelligendum videtur diploma Caroli Calvi concedentis Hilboldo Abbati Deenſi rogatu Eriſpogii Britanniæ Ducis *cellam in pago Cenomannico ſitam* apud Buſſogilum, *in honore beati Petri à ſancto Trogeno* (legendum videtur *Frogetio*) *fundatam*, apud Chiffletium in Probationibus hiſtoriæ Tornutienſis pag. 106.

[CIRC. ANN. DCCCLXXXIII DEC. IV.]

LIBER SECUNDUS.

[CAPUT I.]

1. FAVORABILI ſupernæ dignationis præſagio, hoc in quo Deo auctore famulamur Cœnobium, ut Floriacus [a] vocaretur accepit; qui * priſcis temporibus, non diſſimilis gratiæ prærogativâ, Vallis nominabatur aurea. Retinet enim in ſe aureum paradiſi florem, ſanctiſſimum Patrem Benedictum: qui gratantiſſimo virtutum odore quoſque remotiſſimos ad ſui reverentiam invitat. Quarum proprietatem operationum ſi per ſingula explicare velimus; chartam nobis ſermonemque antequam ſermonis materiam deficere pro certo intelligemus. Sed ne beneficiis piæ paternitatis ejus, ab ipſo nobis immeritis impenſis, ingrati eſſe videamur, ea quæ noſtram attigere notitiam, in quantum ipſius benigni Patroni clemens ſupplicatio vires noſtro tenui ingeniolo à Chriſto obtinuerit; ruſticano licèt ſermone, poſterorum mandare adoriemur memoriæ. & primò, qualiter his temporibus reſpublica Francorum ſubſtiterit, ſuccinctum perſtringamus: ut pòſt libetiùs ea quæ propoſuimus, exſequamur.

[Floriacus, Vallis-aurea. * quod]

[Sibi nota narrat Auctor.]

2. LOTHARIO Regi cæleſte (ut credimus) pro terreno commutanti regnum, HLUDOVICUS filius ſucceſſit. qui immatura præventus morte, deſtitutum proprio herede Francigenæ gentis principatum, utpote naturalis expers conjugii, dereliquit. Sanè patruus ejus KAROLUS, quem privatum ſenuiſſe ſuprà prælibavimus, conabatur, ſi poſſet, à ſui generis auctoribus diu poſſeſſum ſibi vindicare imperium: ſed ejus voluntas nullum ſortitur effectum. Nam Franci primates eo relicto, ad HUGONEM qui Ducatum Franciæ ſtrenuè tunc gubernabat, magni illius Hugonis filium, cujus jam mentio facta eſt, ſe conferentes, eum Noviocomo * ſolio ſublimant regio. Is eodem anno ROTBERTUM filium ſibi conſortem regni legit. Et quia quantum ad cœptæ rei cauſam attinet, de Regibus diximus, ad eam proſequendam veniendum eſt.

[Francorum Reges. anno 986]

[anno 987]

[* Noyon]

3. Igitur OILBOLDO Abbate in Chriſto quieſcente, ABBO [b] Deo & hominibus vir amabilis, à Fratribus Hugone annuente Rege electus, in gradum ſucceſſit monaſtici regiminis. qui præcedente hunc quo hæc ſcribimus anno, qui fuit ab Incarnatione Domini milleſimus quartus, in Vaſconiæ partibus, à perfidis illius nationis hominibus, nobis præſentibus, innocenter occiſus, martyrii ſanguine laureatus, ad regna eſt æterna à Chriſto vocatus. In cujus diebus res mirabiles per præeminentiſſimum Patrem noſtrum Benedictum, ab omnipotente Domino patratas, quia jam tunc nos intelligibilis contigit perveniſſe ad metas ætatis, certiori, utpote aliquibus præſentes, digerimus ſtilo.

[Abbo Oilboldi ſucceſſor.]

[II.]

4. Feſtivus æſtivis menſibus tranſlationis ejuſdem glorioſi Patris annuo ſucceſſu recurrebat dies: ad cujus ſpectanda gaudia, non ſolùm quique pagenſes, ut quidam in ipſius laude ait Sapiens *, verùm plebs urbana honeſtis clericorum confluxerat perſonis inflorata. Quibus vigiliis inſiſtentibus nocturnæ laudis, quam devota Monachorum caterva identidem undecumque ob lætitiam tantæ ſollemnitatis adventando noſtris ſociata, in ſui Legiſlatoris explebat obſequela, repentè per aquilonales baſilicæ feneſtras nocivi ignis lux reſplenduit horrenda. Quippe in quoddam fenile caſu quidam ignis decidens, aridis auctus fomentis, circumpoſitas ſeſe diffudit in ædes. Nec laborabat flamma, ut

[Floriacenſe incendium.]

[* S. Odo in ſerm. de tranſl. S. Benedicti.]

[a] Hoc nomine locus cenſebatur etiam ante conditionem Monaſterii, ut conſtat ex Leodebodi Abbatis teſtamento. Johannes à Boſco teſtatur, ſibi lectam fuiſſe inſcriptionem in area ſacelli beatæ Mariæ apud Floriacum: HÆC EST VALLIS AUREA. A conditione Monaſterii nonnumquam VETUS FLORIACUS dictus eſt locus, ubi nunc oppidum; *Floriacus* Monaſterium. Cœnobium de Paredo, de quo infrà in libro Tortarii, ab initio itidem *Vallis aurea* dicebatur.

[b] Anno DCCCCLXXXVIII Oilboldo ſucceſſit Abbo, cùm annis ſexdecim Floriacenſi Monaſterio præfuerit, mortuuſque ſit anno MIV, teſte Aimoino in ipſius Vita, quam dabimus in Sæculo ſexto Benedictino.

Circ. ann. dccclxxxiii Dec. iv.

ſuas augeret vires: cùm æſtatis ardor tectorum jam torruiſſet culmina; & domus ſibimet copulatæ, una alteri exuſtionis occaſionem præberet facilem. Interea matutinalibus relictis hymnis cunctì è ſacris proſiliunt adytis: ad ſua quiſque tutanda totis intenti animis. Pauci ſeniorum unà nobiſcum pueritiæ in annis conſtitutis, matutinales, prout exigebat res, laudes, licèt minùs decenti fine, concluſerunt. Inde ad ſubtrahenda ignibus quæque neceſſaria promtæ vertuntur manus. Aula erat ſanctæ Dei genitricis Mariæ holoſericis palliis aliorumque velorum tam decora introrſus circumamicta varietate, ut multi eorum qui ad diem convenerant feſtum, faterentur numquam antea ſic decenter eamdem vidiſſe ornatam baſilicam. Ad cujus pulcritudinem decoris, cum lampadarum ac cereorum ſtellata (ut ſic dictum ſit) area, accedebat auro ac gemmis præfulgens à fronte lectica, theſaurum Arabico metalló lapidique præferendum topaſio in ſe retinens. Id primum cum ceterorum reliquiis Sanctorum, humeris dolentium ſuorum effertur ſervulorum, atque ad orientalem eccleſiæ partem, in cœmeterio exponitur Fratrum. Inde univerſi ad deponendum ſanctuarii ornatum ora converſi, quod ſollers æditorum diligentia per octo ſpatium dierum eleganter conſerat; id nos trium, aut non multo ampliùs quatuor horarum noctis intervallo depoſuimus. Perſpicere erat ac gemere, regiam [a] illam Matris Domini, ſtigmata viæ illius qua quondam dilectus Domino cælum Benedictus conſcendit, nocturnis in laudibus præferentem; poſt modicum deſertatum ædium factam ſimilem. Et quia igneo fervore in vitreis jam feneſtris plumbum liquari poſſe conjiciebatur, maximè cùm victricis flammæ vorago cuncta exinaniret; ſpe ſublapſa mortalis auxilii, ſupellex varia longiuſculè à Monaſterio inter nemorum denſa occulitur: cùm repentè uni ex Abbatibus, qui ex vicinis Cœnobiis emerito duci ſuo militaturi advenerant, nomine Rainardo [b], viſio ſupernæ apparuit conſolationis. Adſpexit nempe cum aliis, quibus hæc datum eſt videre, duas columbas ſuper nivis candorem albicantes: quæ trino volatu, ambitum circumcingentes templi, ad africum ſui impetus direxere curſum, ubi jam proxima horreis Fratrum violentia ſtetit ignium: nec divinitus deſignatum auſa eſt prætergredi terminum. Jamque humani ceſſaverat ars ingenii, laborque conquieverat hominum, ut major divinæ miſerationis virtus clareſceret per beatiſſimum Benedictum, quem nos miſeri criminabamur iiſſe dormitum. Nec quippiam eorum quæ ambitu clauſtri claudebantur, ullam ſuſtinuere jacturam; acſi illarum angelici adſpectus volatu avium circumvallata protegerentur.

apparatus in feſto tranſlationis.

Incendium divinitus reſtinctum.

III. Contractus erectus.

5. Noſtris modò diebus Archembertum Autiſſiodorenſis territorii incolam fuiſſe novimus, diutino languore graviter afflictum: cui cùm amicorum ſeu propinquorum ſollers defuiſſet cura, ita aſſidua cubatione curvatis genibus; coxis tibiæ adhæſerunt; ut latitudinem palmæ hominis ſubtercreſcens excederet caro. Quem dum parentes ad cujuſdam ſancti Syméonis [c] ſepulcrum; quod ſanitatum gratiâ illuſtrari fama vulgante didicerant, efferre deſtinaviſſent, eo quòd intra ſuam eſſet regionem; abnuit æger, ſeque ad Floriacenſe popoſcit deduci Cœnobium. Aiebat namque, per nocturnum ſe conſpexiſſe ſoporem, quia eo ſtante ante ſacratiſſimam Patris Benedicti tumbam coram altare præcelſæ virginis Mariæ, rectis conſtitiſſet plantis; immenſique decoris intuitus eſſet baſilicam, ex qua ſibi exeundi facultas negabatur. Nec vana illa quibus ſæpe ludimur fuere ſomnia: ſed opitulante Deo, ſuffragantibuſque meritis Reginæ virginum ac eminentiſſimi Confeſſoris, ſalubrem habuere ope-

a Id eſt baſilicam principalem, quæ beatæ Mariæ Deiparæ ſacrata erat. quamquam *regia* nonnumquam eccleſiæ portam ſignificat

b Duo tum temporis Abbates ejuſdem nominis vivebant in vicinis Monaſteriis, Ferrarienſi & Senonenſi ſancti Petri. Rainardus Senonenſis Abbas fuerat quidem Abbas Cœnobii ſanctæ Columbæ prope Senonas: ſed Sevinus Archiepiſcopus Cœnobii ſancti Petri inſtaurator, iſtuc *Monachos regulares ex Cœnobio S. Benedicti & S. Petri Cluniacenſis adduxerat*, teſte Clario Monacho in Chronico: ubi Rainardus iſte dicitur obiiſſe anno M X V.

c Quis ſit ſanctus iſte Symeon, nondum diſcere potui.

ſtationem. Denique locato aſello ad deſideratum devectus locum, à proximis Circ. anni
qui eum deduxerant, pro foribus Monaſterii exponitur. Unde quia necdum DCCC
ſcamellis uſus fuerat, natibus reptando ac manibus, ad unum è publicis ſe LXXXIII
protrahens piſtrinum, ab ejus cuſtode humanitatis compaſſione ſuſceptus eſt: Dec. xv.
ubi diu curationis ſuæ præſtolando adventum, deſiderio accenſus eſt adeundi
Matris Chriſti aulam, in qua ſpes directionis ejus ſanctus quieſcit Benedictus.
Quam introgreſſus, minutum * ſibi à vicario ejuſdem vici, Ermenfredo no- * *al.* minu-
mine; obtentu tranſmiſſum eleemoſynæ altario quod Deo ſub honorem ſanctæ tam
Mariæ omniumque ſanctarum Virginum dicatum eſt, ſuperponere cupiens,
ſentit ſuos reſolvi nervos. Cumque circumſpectaret qui ſibi auxilium ferret;
à matriculario eccleſiæ elevatus, ſcamellos quidem ſuos cancellis ſanctuarii;
nummus verò, haud ſecus quadrante illius evangelicæ viduæ, Chriſto accepta-
bile altari impoſuit: dehinc humi proſtratus cùm orationi incubuiſſet, reſolu-
tus in ſomnum, ſalſo perfunditur ſudore. Experrectus autem; non jam ſca-
mellos poſcens, ſed baculo à quodam circumſtantium ſibi porrecto ſemet ſu-
ſtentans, ad hoſpitium abiit, pedetentimque firmiſſimas ambulandi vires ad-
eptus eſt.

6. Cumque ſenſiſſet copiam peragendi itineris ſibimet non deeſſe; ingratus ingratus
ſalutis, abſque licentia hoſpitis vel Sanctorum qui ei medelæ tribuerant effi- denuo malè habet.
caciam, clam abſceſſit: veniensque ad villam quæ Domini-Petri * dicitur, ite- * *Dompierre*
ratò debilis redditur. Cui Preſbyter Teudo nomine; qui ei locum metandi in
ſua conceſſerat domo, ita locutus eſt. Quid, inquit, mali commeruiſti, ô ho-
mo, ut languorem priſtinum evitare nequeas? Reſpondit ille, ſe ſine gratiarum
actione à Sanctis ſuæ curationis proviſoribus receſſiſſe. Interea ſequenti nocte,
quieſcenti ei videbatur, quòd ſacris à quibus diſceſſiſſet locis; adſtaret incolu-
mis; tenens lucernam[a] præ manibus, ſtatus ſui menſuræ æqualem. Monitu [a]
igitur & adjutorio prædicti Sacerdoris carrucæ impoſitus, ad loca malè à ſe
deſerta reducitur. Demum emtam ceram, juxta præoſtenſam viſionem, ad me-
moriam * inclitæ virginis Mariæ deferens; ante ſepulcrum glorioſi Confeſſo- * *id eſt* ec-
ris Chriſti Benedicti accendit: adhærenſque pavimento; veniam admiſſi reatus cleſiam
cum redintegratione poſcebat ſoſpitatis. Facto ergo voto; numquam ſe ex eo- iterum ſa-
dem receſſurum vico; greſſuum meruit redonari integerrimo ſupplemento. natus.
Hoc nos ab ipſius contigit ore audire, eo ipſo die, quo hæc cœpimus ſcribe-
re: ei quoque narrationi interfuere CONSTANTINUS[b] Preſbyter & LE- [b]
THERIUS, Levita gradu; Monachus habitu; ſuſcipiendorum hoſpitum tunc
delegatus miniſterio.

7. Et quia, ut refert beatus Papa Gregorius, ſancti Martyres frequentiora IV.
oſtendunt miracula, ubi eorum tantùm habetur memoria, quàm ubi eorum *Greg. lib.* 2
ſacra conſervantur corpora; liquet idem de ceteris intelligere Sanctis; maximè *Dial. cap. ult.*
ex hoc Patre noſtro multipliciter excolendo ſanctiſſimo Benedicto. Cujus ex-
cellentiſſima ſignorum, à Deo per ejus meritum aliis in locis patratorum, no-
titiæ poſterorum tradere noſter geſtit animus. Caput cervium * dicitur præ- Sacergii
dium in finibus Biturigum ſitum, Lemovicinis contiguum: à quo vicina re- ſitus.
gio, corrupto vocabulo Capcergenſis vocitatur. Hoc ad dominium Floria- * *Sacergo*
cenſis Cœnobii, omnipotenti Deo ſub nomine perpetuæ virginis Mariæ ſan-
ctiſſimique Benedicti dicatum, hac de cauſa relatu ſeniorum valde antiquo-
rum perveniſſe comperimus.

8. Ejus poſſeſſionis dominus OTHERIUS dicebatur, inter Aquitanicos Otberius
primares clara nobilitatis pollens proſapia. Is à primævæ juventutis flore para- paralyticus,
lyſis percuſſus languore, manuum ac pedum caruerat juvamine: ſolius illi

[a] Id eſt cereum. Sic ad menſuram hominis ægrotantis cereos formari mos erat.

[b] An Conſtantinus Scholaſticus, ad quem exſtant plures Gerberti epiſtolæ. Conſtantinus Preſbyter laudatur in libro de Vita ſancti Abbonis cap. 10. ubi Bernardi Bellilocenſis Abbatis comes Italicæ peregrinationis fuiſſe dicitur.

Circ. ann. DCCCLXXXIII Dec. IV.

linguæ, auditus quoque ac viſus, ex parte manebant officia. Diutino igitur laborans morbo, dum vana medicorum ſtudia propenſiùs ſibi adhibita nihil intellexiſſet conferre valetudinis; auditâ famâ miraculorum, quæ Salvatoris noſtri omnipotentia apud ſacratiſſima patroni communis Benedicti creberrimè tunc operabatur oſſa, ait ſuis: Videtis, fidiſſimi mihi, vitaque ipſa qua nunc fruor miſerrima cariores amici, quòd medicinæ impenſis nihil proficio, immo in dies ægritudinis protrahitur longitudo. Quapropter ſi qua vos cura veſtri tangit Otherii, mearum quæſo miſerantes ærumnarum, celeri calle ſepulcrum adire curate glorioſi Confeſſoris Chriſti Benedicti. Et ne fortè vos conturbent ignota viarum; ſcitote Ligerici * amnis litora, pagumque Aurelianenſem, hoc præclaro irradiari theſauro. Id mihi divinum prænuntiavit oraculum, dum feſſos artus ſopori mandaſſem, debere me eò cum votis dirigere meæ petitores ſalutis, quia inde forem adepturus remedium ſanitatis. Et quia ſolus cum dulciſſima genitrice reſedi, patre orbatus & fratribus; ipſa non abnuente, verùm hoc ipſum fieri ſedulò depoſcente; voveo Deo & jam dicto eximio Benedicto, hereditatis meæ portionem, cui Caput-cervium nomen eſt, cum omnibus ad eam pertinentibus, eo videlicet tenore, ut ſuperſtites ambo uſumfructum ac præſentis vitæ exactionem retinentes, Fratribus Floriacenſibus poſt noſtri diſſolutionem cuncta reſtitui faciamus. Spe etenim ſuſcipiendæ prolis per ſuprà memoratam privatus revelationem, ſollicitudinem ducendæ uxoris funditus abjeci. Properate igitur quantocius, & veſtris ſervorumque Dei inibi degentium precibus opem efflagitate miſero.

* la Loire

Caput-cervium vovet S. Benedicto,

factus dono mox ſanatus.

9. Acceptis ejus fideles hujuſmodi præceptis, cum wantis [a] ipſius auro ornatis, per quos donationem memoratarum rerum ſacris imponerent altaribus; abſque dilatione venerandum adeunt Cœnobium, mandata preceſque ſui domini catervæ innoteſcentes Fratrum. Memorabile dictu: eadem die, ipſoque horæ momento, quo qui miſſi erant, donum cum orationibus ante Sancti præſentarunt tumulum; æger qui nonaginta millibus jacebat ſemotus à loco, integerrimam adeptus eſt ſanitatem. Qui laudum Deo præconia, ſanctoque dans Benedicto gratiarum cantica, exercitationis venationiſve gratiâ ſilvarum petiit abdita. Cui dum ſtudet operam dare rei, occurrit ſuis à noſtro remeantibus Monaſterio. quem illi conſpicati equitando ſaltum peragrare, ſtupore ingenti perculſi ſunt, videntes hominem, dudum abſque alterius adminiculo è lectulo non valentem ſurgere, tunc non ſolùm firmiter incedere, verùm etiam equum curſu fatigare. Hæſitantibus illis & vultus ſimilitudine ſe deceptos autumantibus, obvium ſe ille gratulabundus offert. Inquirit deinde ſollicitiùs diem, quo pro ſe vota ſolviſſent: ipſumque fuiſſe certiſſimè comperit, quo ſibi ſalutem obtigiſſe gaudebat.

Alia relatio de traditione illius prædii. V. Adrewald. cap. 38.

10. Huic antiquæ veterum relationi virorum repugnabat antiquius tertii Chlotarii [b] Regis edictum: in quo continetur, quòd memoratus Otherius ob perfidiam ab ipſo Rege interfici juſſus ſit; rebuſque ejus omnibus confiſcatis, illud prædium ab eodem Principe, ſancto eſt Benedicto collatum. Et hoc eſt quod in quadam ſententia primi libri legitur, Caput-cervium liberalitate regia Floriacenſes promeruiſſe Fratres. Potuit tamen fieri, ut poſt hanc quam nunc retulimus donationem, ipſe Otherius apud Regem infidelitatis inſimulatus juberetur interfici, & quaſi ex ſua parte, eamdem villam idem Rex noſtro conferret Cœnobio. Quod verò in ipſo regali præcepto Aotharius [c] vocatur, permutatio veterum facit verborum, ut pòſt latiùs oſtendemus. Poſt cujus exceſſum, vicini quique hoc eis prædium auferre moliti, ad ſibi utile coegerunt declinare conſilium.

[a] Ritus inveſtituræ ſeu traditionis per wantos, id eſt chirothecas, paſſim obvius apud Auctores.

[b] Is filius erat Chlodovei ſecundi, cujus principatu facta eſt tranſlatio corporis ſancti Benedicti in Galliam.

[c] Neque Aotharii, neque Otherii ulla mentio eſt (ſi non fallor) apud veteres Hiſtoriæ Francicæ Scriptores.

Circ. ann. DCCCLXXXIII. Dec. IV. VI. * cap. 15. Ademarus Bruccię & Capitis-cervii invaſor,

11. Denique, ut ſuperioris continetur ſerie libri *, habitaculis monachico congruis Ordini inibi conſtructis, ſpem potiendarum rerum ipſarum adverſariis ſuſtulere uſque ad tempora Rotberti Regis filii Hugonis: quo onus gubernandi ſuſcipiente regni, ADEMARUS quidam, juventâ pariterque corporis elatus formâ, cujus genitor WIDO, in urbe Lemovicina Vicecomitis fungebatur honore; nefarium molitus eſt ſcelus. Namque Lemovicinis nequaquam contentus facultatibus ex paterna ſibi hereditate jure ſuppetentibus, dum cerneret numeroſam coheredum fratrum ſuorum ſucreſcere ſtirpem; in ſubripiendas res alienas animum intendit; doliquе artifex, caſtrum quod à ruſticanis Bruccia [a] dicitur, ingreſſus, dominum ſe agebat. Erat in ea provincia, vir quidam haud contemnendæ potentiæ, HUGO nomine: cui media pars ipſius caſtri hereditaria obvenerat ſucceſſione. Hanc ille, uti & eam quæ genitorem competebat ſuum, auſu temerario pervadit. Toto itaque potitus caſtro, copias duorum Comitum qui eum inde pellere nitebantur, WILLELMI [b] videlicet Pictavenſis, & BOSONIS Petragorici, per quindecim dierum eludens ſpatium, obſidionem eos ſolvere coëgit: qua liberatus neceſſitate, audendo majora, municipium Patris Benedicti quatuor & ſemis millibus à memorato diſtans caſtello, abſentiam Præpoſiti OTHERII aucupatus, latrocinantium more ingreditur. Municipio illi antiquitas Salis nomen indiderat, eóque Monachi habitationem aſſiduam à Caput-cervio commutaverant: eo quòd is locus magna ex parte naturâ foret munitus. Hunc præfatus Ademarus idcirco, ut poſt ipſe retulit, invadere niſus eſt; ut copiis frumenti ac vini, quæ à circumjacentibus incolis inibi ob tutamen ſanctorum locorum aggregata erant, pervaſæ Bruccię inopiam ſublevaret: re autem vera ut artiſſimos poſſeſſionis ſuæ fines ampliaret, operam dabat.

Otherio Præpoſito Hugonem hortante,

12. Interim Præpoſitus loci jamdictus Otherius tantæ calamitatis accepto nuntio, dolore cordis tactus intrinſecùs, quòd commendatum ſibi à venerabili Abbate Abbone tunc Flori cenſium rectore & Fratribus locum funditus amiſiſſe videretur; in diverſa cogitationum turbine rapitur: tandemque non mæroris, ſed conſilii tempus ingruere ſibi intelligens, ad ſuperiùs nominatum Hugonem rectâ proficiſcitur viâ. cui opportunitatem capiendi innoteſcens inimici, quod ſcilicet Bruccię firmiſſimo derelicto præſidio in Salenſis municipii demigraſſet domicilium; ad præoccupandos ejus conatus, proficiſci hortabatur. Nec ille diſtulit, qui intelligeret ſuo uſui proficere, ſi eum in minùs tuto valeret præoccupare loco. Quid plura? non ſolùm illum, verùm quoſque circummanentes vicinos, quibus cordi eſſe Patris Benedicti venerandam dilectionem cognoſcebat, ad ſui adjutorium alliciens, diluculo feriæ tertiæ præmonet hoſtibus occurrendum.

Viſo accedente,

13. Interea cuidam militi ex auxiliaribus noſtræ partis, nocte quæ diem belli præcedebat, hujuſmodi per quietem oſtenſa eſt viſio. Videbatur ei, quòd quaſi cum Præpoſito eccleſiæ ſancti Stephani Lemovicinæ ſedis, nomine AINARDO, ſilvam peragraret; opportuniſque in locis, retibus oppanſis, multitudinem aprorum præ ſe ageret: quorum quidem alios ad præparatas inſidias deductos vivos caperet; alios verò venabulis transfixos neci traderet. Evigilans igitur dum cuidam ſodalium quæ viderat, enarraſſet, hoc ab eo reſponſum accepit. Viſionis, inquit, tuæ; Deo opitulante & ſanctiſſimi Benedicti ſuffragantibus meritis, manifeſtus in proximo propalabitur intellectus. Nam quod tibi de porcis præoſtenſum eſt ſilveſtribus, hoc tu patrari conſpicies de perfidis hominibus: quodque auctore Ainardo te agere ſomniabas, hoc ventura luce; Otherio ſancti viri Benedicti Monacho duce, unà nobiſcum Chriſto auxiliante

a *Brocia caſtrum* vocatur ab Ademaro Monacho in tomo 2 Bibliothecæ Labbeanæ, ubi ejus caſtri obſeſſio deſcribitur, non alia, ut videtur, quàm iſta. tametſi non per Ademarum ſoluta fuiſſe dicatur, ſed per Wìdonem patrem, nulla Ademari facta mentione. Lege Aimoini lib. 1 cap. 16 ſuprà. Brocia, vulgò *Brouſſe*, adjacet caſtro Salcaſi, de quo infrà

b Is Willelmus Fera-brachia dictus; eo nomine quartus.

Circ. ann. DCCCLXXXIII Dec. IV.

perficies. Cúmque ille qui ſomnium viderat, rem ſibi manifeſtiùs declarari peteret: erat enim earum quæ gerebantur inſcius rerum; interpres ad eum: Num, ait, ad aures adhuc pervenit tuas, Adhemarum Guidonis filium egregii Confeſſoris Benedicti pervaſiſſe Monaſterium; & Otherium Præpoſitum idcirco Domini noſtri petiſſe auxilium? GAUSFREDUS ob fortitudinem corporis, Aſini prænomine vocitabatur, in cujus caſtro memoratus Monachus tum fortè aderat, cùm hæc miles contubernali referret ſuo. quique hæc adjecit dicens: Nos quoque, volente Deo ac ſancto juvante Benedicto, ſacri perváſores loci aut vindice feriemus gladio, aut captos nobili ducemus in triumpho. Hoc dictum multorum roboravit pavitantia corda virorum. Videntur mihi ſomniator iſte ac ejus interpres, duobus orientalibus fore ſimiles: quorum unus victoriam Gedeonis ſomniavit, alter interpretatus eſt.

Terricus auditio nomine S. Benedicti,

14. Feria porro ſexta ſecundæ hebdomadis ſanctæ Quadrageſimæ vertebatur, quando factio latronum memoratum occupavit Cœnobium. & ecce crepuſculo tertiæ feriæ ſequentis ſeptimanæ undecumque adſciti auxiliares, improviſi adſtitere portis. Tunc quibuſdam noſtri agminis viris adhuc procul à caſtro conſtitutis unà cum Præpoſito Otherio, divinum apparuit prodigium. Viderunt namque, ſole totius terræ reliquas clariſſimè inluſtrante partes, ambitum caſtri denſiſſima vallari nebula: quæ quidem nullum ſibi pugnandi afferret impedimentum, hoſtium verò obnubilaret intuitum. Olli hæc dies æquanda videtur, de qua antiquus Legiſlator ſcribit: Quia Ægyptiis erant tenebræ craſſæ & palpabiles, filiis autem Iſraël erat lux in omnibus finibus ſuis. Roboratis hoc ſigno animis, ſtatuunt hoſtes prœlio aggredi: & præmiſſo Præpoſito, qui prævius dudum ſibi fidos, tunc autem hoſtiles aggrediens muros, beati Benedicti nomen celſiùs inclamaret; ipſi elata in excelſum voce, Benedictum invocant Monachorum Patrem. Benedictum reſonant tum vallium concava, reſpondentque Benedictum proximæ ſilvæ abdita. Quo fragore, vicinos conſediſſe montes, infernaque patuiſſe hoſtibus viſum: & quia montium facta mentio eſt, non ſit audientibus oneroſum, jam dicti Salenſis caſtri memorare ſitum.

Exod. 10, 22.

Caſtri de Salis ſitus.

15. Mons eſt non multæ altitudinis, in cujus declivio caſtrum conſtitutum eſt, quod quidem ab orientali auſtralive parte difficilem ad ſe venientibus præſtat acceſſum. Ab aquilonali ſanè latere devexus montis, machinamentorum omnium inhibet evectionem: at occidentem verſus, ubi hoſtium facilis formidabatur progreſſus; domus erat lapidibus firmiſſimè conſtructa, ad auſtrum in longum porrecta, ad repellendos inimicos ſatis idonea. Hujuſmodi enim munitio adverſariis facta eſt perditionis occaſio: dum ob nimiam ſecuritatem priùs hoſtem adeſſe ſenſerunt, quàm prævidiſſent.

Adhemarus tandem victus & captus.

16. Primus ferratas aquilonali parte intulit acies Gaufredus, propter vires, non propter pigritiam, Aſinus agnomine: ignemque, ut pridie ſuis inter pocula [a] in amore Patris Benedicti ſumta condixerat, admoveri præcepit. Poſt eum reliqui auxiliares, GIRALDUS ſcilicet Cluenſis caſtri dominus, & HUGO Gargelenſis, reliquique, quorum nomina dicere ſuperſedi: qui ducentorum vallati caterva armatorum, adverſarios pari fidentes numero, ſed virtute conſtantiæ impares, è propugnaculis quæ tueri parabant, jaculis ac lapidibus repellere cœperunt. Et ecce providentiâ divinâ interventuque egregii Confeſſoris ventus aquilo ſurgens, flammas quidem ignium portis ingerebat, hoſtilia verò tela retro agebat. Cumque ignem convaleſcere, jaculaque ſua in irritum

[a] Ejuſmodi propinationes etiam in honorem Sanctorum (ſi tamen is honor eſt) factas hactenus retinet mos compotandi in pervigilio ſancti Martini, ad nos uſque traductus: de quo lege Spondanum anno 580 num. 2, & ex eo Cointium ad annum 577 num. 45. Hinc natæ olim potandi conjurationes per S. Stephanum, aliuſque Sanctos, immo & per Reges eorumque filios. quod vetant Carolus Magnus in Capitulari anni DCCLXXXIX de diverſis rebus cap. 10, & Hincmarus Remenſis in Capitul. I cap. 14, & ante utrumque Auguſtinus in ſerm. 232 de tempore, laudatus à Caniſio in Notatione ad Alcuini epiſtolam 22. Lege Gregorium Turonenſem lib. 2 de gloria Martyrum cap. 35.

cadere

cadere opidani cernerent, formidinem animis inducentes, introrſus fugêre. Seditioſis eccleſiam petentibus, noſtri à tergo ſequuntur attentiùs: cæſiſque in introitu portæ aliquantis, eos qui baſilicam petebant, inſectabantur: in qua non tutam ſibi latebram fore auſpicatus Ademarus, turrim ligneam de qua ſigna dependebant, cum ſex factionis ſuæ ſociis formidoloſus conſcendit. Ibi quoque ſe latere poſſe diffidens, tecta more architecti perambulabat: donec ab Hugone qui ſtudioſiùs reliquis eum inveſtigabat, viſus, pacta vitæ ac membrorum ſecuritate captus eſt. Cum quo quinque commanipulares ex ennumerationibus tenti ſunt, HUGO videlicet ac ARCHEMBALDUS de Buciaco, RAINARDUS & AMERICUS frater ejus, filii HELDEGARII haud ignobilis viri Argentomagenſis: atque GIRALDUS Tirinenſis. His exceptis, quos aut minor potentia, aut minùs pollens de nobilitate parentum ſanguis noſtræ ſubtraxit notitiæ, quorum numerus ad viginti & eo amplius fuiſſe refertur; equi capti numero centum viginti, præter eos qui vel à victoribus furtim ſubducti, vel à victis fugâ ſibi conſulentibus abducti ſunt: è quibus & multitudo hoſtium colligi potuit, & virtus ſuperna pariterque excellentiſſimum Patris Benedicti meritum evidenter agnoſci, quòd à tam paucis exercitatæ militiæ viris adverſarii copiis ac natura muniti loci tam facilè ſint ſuperati. Illud nihilominùs gratiâ Dei gratuitâ nobis collatum credimus, quòd hoſtium triginta militibus peremtis, noſtrorum nemo ſaltem vulneratus eſt, tribus exceptis, unus videlicet militaribus deditus ſtipendiis, qui letali accepto vulnere ad propria rediens vitâ deceſſit; ac duo agriculturæ potiùs quàm bellicis dediti ſtipendiis, qui cum multis aliis artis hominibus famâ prœlii exciti, auxiliatum noſtris venerant: dum nimiùm rapinæ ſtudent, incertum à ſociis, an ab extraneis interemti ſunt. Hoc itaque modo caſtrum intra ſextam diei quo primum ibi advenerant, horam receptum, noſtriſque redditum eſt, anno Incarnationis dominicæ milleſimo.

Circa ann. DCCC LXXXIX Dec. 15.

anno 1000

17. Et ne quis æſtimet tantam victoriam, hominum potiùs virtuti, quàm divinæ adſcribi debere largitioni: ſciat ipſorum nobis relatione adverſariorum vulgatum, eos vigore ita deſtitutos, ut quamvis telorum ſeu lapidum mole abundare ſe cernerent, nullam tamen efficaciam in jaciendo ſibi ineſſe ſentirent. Animæ quoque peremtorum nocturno tempore in eadem villa quieſcentes homines ſomnos rumpere ſæpiſſimè cogebant: flebiliter oberrando inclamantes, ſe miſeras fore*, quæ excellentiſſimi Patris Benedicti res pervadere non dubitaviſſent.

favente ſuperna virtute.

* eſſe

18. Nec Guido genitor Ademari, ſive etiam Giraldus frater ejus, patrinus jam dicti adoleſcentis, immunes miſeriarum fuere: verùm ſicuti participes ejus fuere conſilii, ſic quoque Dei juſtiſſima diſponente providentia, periculorum fuere conſortes. Siquidem Guidonem non tantum orationis, quantum diſſimulationis, quaſi neſciret quæ à filio gererentur, gratiâ, Romam profectum morbus adeo vitiliginis debilitavit, ut non aliter quàm in lectica ad ſua regredi valeret. Giraldum verò obtentu ejuſdem ſimulationis apud Pictavum degentem, & rei eventum præſtolantem, ferox equus mordicus per coxam arreptum, per aliquot dies lecto cubare coëgit. Hildebertus quoque Argentomagenſis* incola, hujus factionis ſignifer, qui pacis medius palàm quidem videbatur fore, occultè autem proditionem alebat; igne divino in maxilla aduſtus, uſque ad diem ſuæ mortis incurabilis perſeveravit, ita ut conſumta carne, dentes ſpecie miſerabili nudarentur. Per omnia benedictus Deus, qui ſibi beneplacitos aſſiduè mirificat Sanctos.

Socii itidem caſtigati.

* Boſcio Argenſis

19. Quia verò ſemel Aquitaniam ingreſſi ſumus, non ab re eſſe videtur, ſi ei geſtæ miraculum, quod ordo cauſarum ſuperiori paucis elabentibus annis ſubnexuit, enarraverimus. Captus, ut ſuprà dictum eſt, Adhemarus ab Hugone, ad caſtrum Bruccïæ deductus eſt. Id Giraldus quidam partibus favens Adhemarianis tenebat, excluſis factoribus* Hugonis, qui partem ejuſdem caſtri ab Adhemaro ſibi præreptam non mediocriter indignabatur. Denique

VI. Adhemari caſtrum dirutum.

* fautoribus

Circ. ann. DCCCLXXXIII. Dec. IV.

eumdem juvenem, quem captum habebat, è regione murorum, unde à ſuis intueri poſſet, deduci præcipiens, interminatus eſt, ſe ejus caput abſciſſurum, ni maturatò ſibi munitionibus cederent. Quæ res Giraldum & eos qui intus erant, graviter perterruit, maximè videntes dominum ſuum cum tot exercitatæ militiæ egregiis bellatoribus ſubita rerum converſione dejectum. Unde non ſolùm opidum, ſed etiam ſe ſuaque omnia territi dedidere. Hugo potitus caſtro, turrim quæ juris Adhemari fuiſſe videbatur, confeſtim diruit. Juxta eam ciſterna erat ad colligendas imbrium aquas effoſſa, quadraginta quinque & eo ampliùs cubitis in profundum patens.

Equus è puteo eductus.

20. Fortè poſt aliquod temporis ſpatium duo ex Fratribus noſtris apud memoratum ſancti Patris Benedicti Salenſe Monaſterium degentibus; utilitatis Monaſterii gratià, præfatum Hugonem Brucciam tunc incolentem adierunt: ob cujus colloquium ſuperiora turris petentes, binos equos retinaculis ſibimet connexos in inferioribus reliquerunt. Horum unus quietis impatiens, dum huc illucque errando ſocium trahit, poſtrema corporis parte in ſuperiùs nominatam ciſternam labitur, nec alterius ope juvari valuit, quin ad fundum uſque decideret. Clamor ilicò intuentium oritur, equum Monachorum in puteum eſſe lapſum. Tumultus cauſam Hugo ſollicitè perquirens, ubi damna lapſi animalis reperit, vehementer indoluit, quòd hi qui eum viſitandi gratia adierant Monachi, (æger quippe erat) tantam fuiſſent paſſi jacturam. Itaque uxori imperat, ut evocatis juvenum robuſtioribus, ſeminecis equi cadaver è puteo abſtrahi faciat. Ipſe poſt paullulum ubi ſe veſtibus induit, eam ſequutus inclinans ſe ad os putei, ſolum equinum caput aquis eminere proſpexit, reliquis membris cum ſella lymphis opertis. & ad circumſtantes converſus: Hic, inquit, equus ſellæ deinceps numquam ſentiet onus. Ad quem mulier: Num, ait, ille ſenex Benedictus, qui tibi à Domino victoriam obtinuit ex hoſtibus, tam eſt invalidus, ut impetrare nequeat, quatinus proprio animali ſuus revehatur Monachus? Ad hæc ille diffidens: Si, inquit, hæc ille impetrarit, ceteris prælato Sanctis, ejus me committam tuitioni. Admotis igitur ſcalis, deſcendit quidam, audaci fiſus juventa, qui equum per opportunas corporis partes funibus ligaret, quò faciliùs educi poſſet. Verùm eo egreſſo, cùm difficile videretur, tam immenſi corporis animal ſimul cum ſcala poſſe abſtrahi ob anguſtiam putei: primò ſcalam educentes, dehinc caballum abſtrahere cœperunt. Sed omnipotens Deus, ut oſtenderet non ſolùm jam ſæpius dicto Hugoni, verùm quibuſque ſanum ſapientibus egregium ducem Monachorum, ſummum videlicet Benedictum, non parvi apud ſe eſſe meriti, immo majoris quàm quiſque mortalium conjicere valeat; geminavit miraculum. Nempe cùm jam numeroſa juventus uſque ad ſummum putei marginem equum elevaviſſet, ac Fratres eminus adſtantes, letaniæ preces Domino ſolverent; ubi dilectum Domino Benedictum invocare cœperunt, ſubitò rupti funes equúſque ad inferiora lapſus eſt. Deſperatio cunctos habuit, diffidentes eum ulteriùs poſſe vivum retrahi, maximè cùm & deſcenſus ad eum alligandum difficilis foret, nec funium illis tanta ſuppeteret copia; caſuſque de ſuperioribus ejus æſtimaretur contriviſſe membra. Accedens autem unus Fratrum ad memoratum Hugonem, hortatus eſt, ut de virtute Confeſſoris Chriſti Benedicti ſumtà fiducià, adhuc ſemel attentatum adorirentur opus. Annuentibus quoque ejus perſuaſioni quibuſdam juvenum, quid ſuæ poſſent vires experiri cupientium, præcipuè conjuge ejuſdem nobiliſſimi viri Hugonis, quæ fidei ac devotionis in beatiſſimum Patrem noſtrum Benedictum ardore flagrabat; iteratò ſcalæ in puteum deponuntur. Porro apparatus funium nullus alter reperiri potuit, niſi quo retibus ad uſum capiendarum ſilveſtrium præparatis caprearum ſibi invicem connexis atque contortis utebantur. His ergo alligatum, uti prius fecerant, retrahebant equum, magnis clamoribus ſanctum invocantes Benedictum. Et ecce cùm jam pæne inter manus futurus eſſet,

Iteratò deficientibus vinculis relabi cœperat in imis. Tunc unus è turba alligari ſe poſcit cingulis ex coriis cervorum deſectis, quibus Aquitani utuntur latiſſimis atque fortiſſimis; ſicque introrſus dimitti: arreptiſque tibiarum faſciolis, caballum aptiſſimè capite alligans, monet ſocios ſe quidem primum, deinde quadrupedem extrahant. Qui monitis ociſſimè parentes, utroſque ad ſuperos reduxerunt. Sonipes acſi mortuus humi exponitur, ad quem honorabilis vir Hugo accedens, eumque virgâ tangens, ad circumſtantes ait: Hic reviviſcet numquam. Tunc equus quibuſdam eum ſublevantibus à terra, ſe ſe erigens concuſſit, aquamque quam invitus hauſerat, per meatum urinæ digeſſit. Alacris ilico mulier his verbis virum arguebat: En, ait, experimento hoc diſce, Benedictum Dei famulum fideliter ſe invocantibus, præcipuè ſuis famulis præſtò eſſe. Plauſus continuò ac vox lætitiæ toto oriuntur caſtro, Benedictum laudantium, Benedicto gratias agentium, quòd jam viveret, quòd jam propriis pedibus equus vaderet. Sanè religioſa femina, quia hiems erat, in aprica domo cornipedem deductum mollioribus ſtramentis uſque ad diffuſionem ſudoris ipſa operuit: qui inde poſt paullulum retractus, terræ ſe provolvens ac omnibus membris concutiens, hinnitu ſodalem quærebat. Quem Fratres, qui aderant, receptum lætantes, ad propria incolumem, nullo membro debilem reduxerunt. Horum uni nomen AANNO *, qui ſacerdotii fungitur officio; alteri REMIGIUS, in ordine manens Diaconatus: quorum relatu ante tranſactos quindecim ſoles hæc ita geſta fuiſſe comperi; à quibus & ſella oſtendebatur, quæ dilapſa cum equo fuerat: cujus ſcandilia quamvis nova, & antelam ſuis impatiens pedibus ipſe diſruperat.

Circa ann. DCCCLXXXIII Dec. xv.

* ſuprà lib. I cap. 27.

21. Viderit nunc quiſquis ille eſt, qui hæc non ſibi mira videri jactitat, quid horum præcellat, utrum ferrum è profundo laci reduxiſſe, an quadrupedis vitam in immani præcipitio non ſolùm ſervaviſſe, verùm & incolumem ſuperis reduxiſſe. Ego quia utrumque noſter iſte Legiſlator patravit, in ambobus eum non tantùm potentem, ſed etiam potentiſſimum fuiſſe fateor. In hoc verò illud admiratione dignum eſt, quòd equum, quem chordarum nequivere retinaculis protrahere, faſciolæ fragilis retraxerunt habenis. acſi patenter pius Pater Benedictus eos non verbis, ſed factis moneret, id non humanæ fortitudini, ſed divinæ potiùs operationi debere imputari ſuæque interventioni. Verùm ſi quiſpiam ejus mira facta ob noſtræ vilitatis perſonam contemnenda judicat, hunc nos rogamus, non ut noſtra legat, ſed ut mitiſſimos ejuſdem Patris vultus ſua nequaquam exaſperet ingratitudine. Qui ſi, quod abſit, offenſus fuerit, nulli dubium, quòd durum ſe præbeat & intractabilem: ſicut è contra, humilitatis precibus mitigatus, favorabilem ſe exhibebit ac lenem.

Greg. lib. 2 Dial. c. 6.

22. Opportunum videtur & illud inſerere lectioni, quod in eadèm provincia ſub antedicto Præpoſito Otherio meritis ſancti ſui Benedicti Dominus operari dignatus eſt. HILDEBERTUS ſuprà nominati BOSONIS filius, ex materni avi ſucceſſione Comitatum Petragoricæ urbis adeptus, adverſum GUILLELMUM Comitem Pictavorum arma movit: & commoto exercitu, ad ſecundum Pictavæ civitatis miliarium caſtra poſuit. Inter reliquos verò ejus auxiliares, quos ad id evocaverat bellum, erat HUGO, de quo præmiſimus, dominus caſtri, quod Gargiliſſa dicitur. Is cognitum habens, beatiſſimum Patrem noſtrum Benedictum his qui ſe plena invocaverint fide, ubique & maximè in bello ſolere auxiliari; memoratum rogavit Præpoſitum Otherium, ut ſibi ſaltem duos conferret panes ex iis, quibus Munachi veſcebantur, quos ipſe cum ſuis certamen intraturus in eſcam ſumeret: fidei non modicæ exſiſtens, qui crederet illo ſe cibo validiùs omnibus poſſe armis contra univerſa muniri pericula. Interim Hildebertum, tam ipſum Hugonem

VII. Milites paſti pane S. Benedicti in prœlio illæſi.

CIRCA ANN. DCCC LXXXIII DEC. IV. quámque cetera exſpectantem auxilia, præcipuè FULCONEM, Andegavenſem Comitem, congregati Pictavenſes repentina irruptione opprimere conati ſunt: quatinus eo qui dux belli erat, antequam cunctæ ejus congregarentur copiæ, oppreſſo, reſiduos ab ipſius deterrerent adjutorio. Nec ille ſegnior in obviando fuit: ſed cum paucis, quos ſecum habebat, excipiens advenientes, bis cum eis campali certamine conflixit. Cumque in eo eſſet, ut ab hoſtium multitudine ſuperaretur, veteranis etiam ſuis fugere non erubeſcentibus; ex improviſo jam dictus ſupervenit Hugo, qui dejectos rebus adverſis ſociorum intuens animos, fractis citatim, quos ex Monaſterio ſancti Benedicti acceperat panibus, & ipſe ſumſit, & his quos ſecum adduxerat, diſtribuit: ac demum Pictavos jamjamque victores, & ſui nimium ſecuros, cum Hildeberto aggreſſus, vicit, fugavitque. Sanè ex militibus, qui quippiam panis ſancti Benedicti quamvis modicè ſumſerant, nullus letale ſuſcepit vulnus, ſed omnes incolumes evaſerunt.

VIII. 23. Nunc jam ab Aquitania greſſum verbi promoventes, in Franciam redeamus, narratiſque de ſtatu regni ſeu Regum, quæ ad rem pertinere videbuntur, miraculum per beatiſſimum Patrem noſtrum Benedictum ab omnipotente Deo in loco, qui Abbatis-villa dicitur, geſtum recitemus: ſicque per Monaſterium ad Burgundiæ partes certis ex cauſis tranſitum faciamus.

24. Dux Francorum HUGO inſulas regni adeptus, cum filio per decem continuos annos eis potitus eſt: moriens autem ROTBERTO filio monarchiam ſui reliquit principatus. Hugonides Rotbertus uxoriam inire copulam jamdudum mente tractans, & ab Arelatenſium partibus adſumere ſibi conjugem [b] volens, exercitum congregat, ſponſæ jamjamque advenienti occurſurus. Dum ergo iter agens exercitus, ulteriorem Ligeris ripam teneret; contigit GUILLELMUM Beleſmenſem, caſtra metandi cauſâ, curtim ſuperiùs nominatæ villæ Abbatis ſibi deligere. Porrò è ſatellitibus ejus quidam perverſæ mentis juvenis præveniens dominum, Monacho ei curti Præpoſito, THEODERICO nomine, furibundè imperat, ut ſibi portas aperiat, eo quòd ipſe inibi metatum habiturus foret. Ad quem Monachus: Patientiam, inquit, ô optime militum, in me habe, adventum tui ſenioris operientem, cui ſoli hæ patebunt portæ. Animadvertens miles copiam introeundi ſibi denegari, converſus in iram, ſociis infit: En, inquit, contemplamini hunc Monachum, veluti tumidum buſonem, equo itidem tumenti ſuperbè reſidere, nec mihi aperire velle. His contumeliæ verbis Cœnobita motus, converſus ad orientalem, ad quam Monaſterium ſitum eſt, plagam: Ego, ait, te, ô ſenior ſanctiſſime Benedicte, aut perpetuo obdormiſſe ſuſpicor ſomno, aut noſtris offenſum peccatis, ab his olim tibi dilectis abſceſſiſſe ſedibus, qui ita inultas tuorum pateris manere injurias. Quid multis morer? non diu vindex dilata eſt blaſphemiæ ultio, divina eam meritis beati Confeſſoris idcirco, ut credimus, accelerante providentia, ne puſillanimitate victus Frater, majoris offenſæ in verbo incurreret lapſum. Namque adventante Guillelmo infelix ille qui ſcandalizaverat Fratrem, & inſuper Benedictum deſpexerat Patrem, jactitans ſe vino ſervorum ejus ad ebrietatem uſque, ſua ſuorumque viſcera abſque ejus oppleturum gratia, domum à curti longiuſculè remotam ingreditur: in qua minarum ſuarum ſatisfacturus exſecutioni, dum ultra modum vina haurit, calicem furoris Domini unà cum mero uſque ad fæces potavit. A menſa quippe ſurgens ſecus ignem ſe collocavit, temporalem æterno ſocians ſomno. Namque ignis ſtramenta lectorum corripiens, flammarum globos in

[a] De hoc Fulcone, qui Nerra dictus eſt, lege Glabrum Rodulfum in lib. 2 cap. 5, & lib. 3 cap. 2. Lege etiam Geſta Comitum Andegavenſium in Spicilegii tomo 10.

[b] Conſtantiam ſcilicet, filiam Guillelmi Comitis Arelatenſis, & Blanchæ ſeu Adelæ ejus uxoris.

ſublimi extulit, ac tectum domus facilè accendit : nec evigilavit miſer, donec comprehenſis omnibus, obrueretur trabium moſibus. Iraque cum duobus obſequii ſui pueris (nam tertius ſemiuſtulatus evaſit) ac quinque equis, ſeu cum omni itineraria ſupellectili, incendio conſumtus eſt. qui verò ambuſta veſte vel capitis crinibus, diſcrimine mortis beneficio exemtus fuerat fugæ. in præſentiam Guillelmi deductus, rem, ut erat geſta, ordine retulit. Tum ille : Meritò, ait, hæc infelicibus pœna provenit, qui malivolo vecordiæ ſuæ ſpiritu vina Monachorum cuncta ſe exhaurire poſſe æſtimantes; ita ebrietati operam dederunt, ut imminens periculum vitare nequirent. Hoc itaque facto ſuſpicio Fratris abolita eſt, qua falsò calumniatus erat, beatiſſimum Patrem noſtrum Benedictum obdormiſſe, qui cura pervigili aſſiduam ſollicitudinem ſibi ſubdito exhibet gregi. Porro à ſibi placitorum iſtorum viſitatione locorum, nullius noſtrûm quolibet immani poterit deterreri facinore, quem grata ſuorum invitat præſentia oſſuum. Verumtamen eo magis nobis cavendum, ne tam pii adſpectum viſitatoris fuſca commiſſorum offendamus caligine peccaminum. Circ. ann. DCCC LXXXIII Dic. IV.

25. In ea inundatione Ligeris, quam plus ſolitam litoris accola, inſolitam procul remotus ſenſit agricola; quid mirandi per meritum ſæpiſſime nominandi Patroni noſtri actum ſit Benedicti, quia abſentem me contigit fuiſſe, relatu ſeniorum cognitum memoriæ adoriar tradere poſterorum. Igitur Liger eorum maximus fluviorum, qui per Galliam alvei ſui curſus in oceanum propriis invehunt nominibus; inaudito antea ſæculis modo antiquos exceſſit terminos anno Incarnationis Domini milleſimo tertio, regni autem Rotberti Regis [a], quo cum patre regnare cœpit, ſexto-decimo; monarchiæ verò ſeptimo. Tanta verò, tamque repentina ejus fuit profuſio, ut agrarios laborantes, ſeu equites iter agentes, ſubita involverit ruina, ut non incongruè illi aptetur illud Virgilianum de Pado dictum. IX. Ligeris exundatio anno 1003.

Proluit inſano contorquens vertice ſilvas
Fluviorum Rex Eridanus, camposque per omnes,
Cum ſtabulis armenta tulit. Virg. 1 Georg.

Sic & iſte, non ſolùm pecudes cum ovilibus, homines cum domibus, verùm etiam patrem matremve-familias cum filiis ac filiabus, ſeu cum univerſis improviſo impetu protraxit utenſilibus. Hac aquarum illuvione involvi metuens armentarius gregis, uſui Monachorum Patris Benedicti in Cœnobio Floriacenſi degentium delegati, ad tutiora montium paſcua vaccarum abduxit armenta; unde regrediens, dum concitus ſe ſe proripit, ut intra ſæpta caſtri receptus imminens evitaret periculum, obvium habuit hoſtilem quem fugere cupiebat amnem. Retrogrado itaque ſe proripiens pede, ad pontem rivuli, qui ob circumjacentis latitudinem paludis, Longum-rete dicitur, quem jam fortè præterierat, ſumma cum feſtinatione tendebat. Ibi quoque obvios habens inundantis fluctus gurgitis, in deſperationem vitæ labitur : & incertus conſilii, faſciolis à tibiis reſolutis, ad binas pontis tabulas ſe alligavit. Invocare tamen Chriſtum, & ſanctum cœpit orare Benedictum, ut ſui miſereretur opem ferendo : ſed reſoluto vi tumeſcentis fluminis ponte, ipſe pariter ferebatur in præceps. Tum verò toto cordis affectu nomen beatiſſimi iterabat frequentiùs Benedicti : & quia jam morti traditum ſe credebat, ut animam tantùm ſalvaret, poſcebat. Cumque undis ſe propellentibus ad eum delatus eſſet locum, ubi Bonodia fluviolus Ligeri influit; per tria ferè miliaria aquis vectus, & ſemper in ore, ſemper in corde ſanctiſſimi vocabulum Armentarius ex aquis ereptus.

[a] Notanda hæc epocha de regno Rotberti Regis, cujus cum patre regnantis annus primus comparatur cum anno Chriſti DCCCCLXXXVIII, monarchiæ cum anno DCCCCXCVII. Utraque epocha multis inſtrumentis confirmatur; ſed potiſſimùm prima, de qua ſuo loco agendum. Et tamen Hugo anno DCCCCLXXXVII Rex dictus, *eodem anno filium ſuum conſortem regni legit*, teſte Aimoino ſuprà in lib. 2 cap. 1. nempe eodem anno Hugonis, ſed Chriſti inſequenti, & quidem Kalendis Januarii, qui pro veteri more ad annum præcedentem pertinebat.

CIRC. ANN. DCCCLXXXIII. DEC. IV.

replicaret Benedicti, exaudiri meruit. Nam mutatis flatibus ventorum, flans zephyrus ad litus eum leni impulſu deducere cœpit. Quidam verò ejus noti, propè lintribus obnavigantes, cognito quis eſſet, ſolutis quibus ipſe ſe vinxerat ligaminibus, ad tutam portus ſtationem, ſecum incolumem reduxerunt. Vocitatur autem homo ipſe Conſtantius: qui etiam refert ſe multitudine circumdatum ſerpentium ſeu diverſi generis reptilium, nec tamen per Dei providentiam & egregii Chriſti Confeſſoris Benedicti interventionem quidquam ſibi fuiſſe nocitum. Quod eò magis mirandum cenſetur, quia quoſdam hominum ſumma arborum cacumina conſcendentium, ubi undoſo torrenti adſpirare fas non fore arbitrabantur, reptando ſubſecuti angues, miſerandis laniatos morſibus decidere in profundum cogebant: hunc verò in imis conſtitutum, quamvis in modum cinguli circumambirent, nullatenus tamen lædebant, gratia eum divina meritis ſancti ſui Confeſſoris Benedicti cuſtodiente, ad exhibendum famulis ejus devotæ ſervitutis obſequium. Cui etiam aliud divini muneris attributum conſtat fuiſſe beneficium. Ruerat radicitus aquarum alluvies maximas arborum moles, quarum impetu trunci quoque antiqua diuturnitate ſolidati evertebantur. Horum ille impulſu non ſolùm mergi non poterat, verùm ſola manu vel brachio, acſi leves ſtipulas ad ſe appropinquantes depellebat.

X. S. Benedicti agrum minuens mala morte perit.

26. Ager quidam ditioni ſubditus eccleſiæ ſancti Stephani Autiſiodorenſis urbis, confinis eſt terræ ſancti Benedicti, quæ memoratæ ſuperiùs adjacet paludi. Hunc quidam Walterius jure beneficii ſortitus, ejuſdem telluris partem ad ſuos uſus præripere cupiebat: confictaque calumnia, quòd ex ſuo beneficio exſiſteret, atque à noſtris ruricolis injuſtè pervaſa foret, querelam ante venerabilem Abbatem ABBONEM exponit. Nam quodam tempore ab uno dominorum ſuorum miſſus eſt; ut ſua vice jam dicto obſequeretur Abbati ad regale palatium properanti. Inde cùm redirent ambo ſimul, & ad eum perventum eſſet locum, de quo lis videbatur orta, idem vir converſus ad Abbatem: Nunc, inquit, domine Abba, ſi placet, oſtendam tibi terminum meæ poſſeſſionis. Monente autem illo, ne quid ſupra ſuum determinaret jus, ne fortè id nequaquam ei impunè cederet; ille impulſo calcaribus equo, ad locum determinationis ſibi placitæ properat; obteſtantibus pæne omnibus qui cum Abbate aderant, illum metam juſtæ diviſionis tranſgredi. Sed cùm habenis equum refrenare conaretur dicens: Ab hoc ego loco univerſum jus ad iſtam partem (manu eam demonſtrans) mihi, etiam ſi neceſſarium fuerit, ſingulari certamine vindicabo; equus in curſum actus, retineri ab eo non potuit, quin potiùs invito ſeſſore proruens ſemel ac ſecundò, offenſo labitur pede. Tunc reverentiſſimus Abbo Abbas converſus ad ſuos ita infit: Jam nunc æquiſſimi judicis juſtum citiſſimè conſpicietis examen. Poſt quæ verba, equus tertiò lapſus dominum à tergo ſuo abjicit qui cadens, diſciſſis interioribus, fractaque ſcapula debilitatus ad villam Monaſterii delatus, adveſperaſcente ipſo die defunctus eſt, peregitque ipſe ſolus ſingularem quam propoſuerat pugnam, Deo manifeſtum exſerente judicium meritis dilecti ſui Confeſſoris Benedicti, cujus res alienate cupiebat. cujus caſum miſeratus honorabilis Abbo Abbas, eo quòd ſibi in itinere devotiſſimè obſequutus fuiſſet; cum Fratribus in cœmeterio eccleſiæ honorificentiſſimè tradidit ſepulturæ.

XI. S. Pauli corporis tranſlatio Floriacum.

27. Oſa * oceani maris quædam eſt inſula, quæ à continenti Armoricanæ regionis terra, quam Cornugalliæ nominant, pelago ſexdecim paſſuum in tranſverſum porrecto ſejungitur. In ea beatum Paulum, cognomento Aurelianum, eremiticam duxiſſe vitam ex libro Vitæ [a] ejus didicimus. Hic denique S. Paulus, in loco Brittaniæ qui opidum ſancti Pauli [b] dicitur, Epi-

* *Hueſſant*

a Exſtat liber iſte, ſed mutilus in Bibliotheca Floriacenſi.

b Sic reſtituerunt Socii Bollandiani, Boſcio mendosè, *qui opidum dicitur.* Leonium nunc dictum, *Leon*, ſedes epiſcopalis.

Circ. ann. DCCC LXXXIII. Dec. IV.

ſcopus factus, multis in vita ſua clarus virtutibus, ibidem per divinam deſignationem tumulariam meruit ſepulturam. cujus corpus poſt longa obitus ipſius tranſacta tempora, à Mabbone [a] ipſius loci Pontifice ad hoc noſtrum Floriacenſe tranſlatum eſt Cœnobium. Hujus tranſlationis ſeriem, quia occaſio ſe præbuit, licèt multis antea temporibus geſta ſit, ſicut à prioribus noſtris eam auditu comperimus, referre dignum duximus. Memoratus denique venerabilis Mabbo Pontifex, amore divino contemplativæ ſuccenſus vitæ, hæſitabat animo, quonam potiſſimùm in loco ſuum poſſet explere propoſitum. cui divinitus inſpiratum eſt, nuſquam aptiùs id poſſe eum perficere, quàm in præſentia corporis ſanctiſſimi Patris noſtri Benedicti, qui dux & ſigniſer illius eſſet inſtitutionis, quam ipſe ſectari cupiebat. Sumtis igitur Evangeliis & ſacratum veſtium non contemnendo ornatu, ſimul cum ſacratiſſimo corpore egregii Præſulis Pauli. ad ſibi deſideratam pervenit habitationem. quem Abbas iſtius ſacri Cœnobii, præcedenti libro nominatus Wlfaldus [b], cunctaque congregatio, gratantiſſimo dilectionis ſuſcipientes obſequio, quo advixit tempore, honorificè ſecum tenuerunt. Qui peracto laudabilis vitæ curſu, ante altare ſancti Johannis Evangeliſtæ, in baſilica ſanctæ Dei genitricis Mariæ, tumulariam adeptus eſt ſepulturam. Corpus autem antedicti Confeſſoris Pauli cum proprio loculo, poſt loculum ſanctiſſimi Patris Benedicti poſuerunt, uno tamen ampliori ſcrinio, quod etiam argento tectum erat, utrumque concludentes. Nunc jam ad id quod cœpimus exſequendum regrediamur.

XII. Felix Anachoreta naufragio liberatus.

28. In memorata igitur inſula, ob amorem tanti Præſulis, quidam civis jam dictæ regionis Cornugalliæ, Felix nomine, ad inhabitandum demigrans, cum aliis ſuæ provinciæ viris, per aliquantos annos, Deo placitam ſtuduit ducere vitam. ſed cùm veraci referente fama didiciſſet, corpus jam dicti Sancti apud nos retineri, deliberavit animo ad ejus ſacratiſſima properare membra. Incitabat quoque bonæ voluntatis ejus conatum rumor ſanctiſſimi Patris noſtri Benedicti, qui totius etiam remotiſſimos Brittaniæ repleverat ſinus. Adſcenſa ergo una, quam ſolùm tunc reperit navim, ad ſuperiùs nominatum ſancti Pauli opidum venire diſpoſuit, cum Pontifice ipſius ſedis tractaturus, utrùm ſibi hæc quæ cogitaverat, agere expediret: Verùm pelagus illud quod inter inſulam ac continentem diximus eſſe terram, ob ſui anguſtiam & rupium in eo prominentium exaſperationem, difficilem multoties navigantibus efficit tranſitum. Quod cùm jam dictus vir tranſmeare vellet; inopinato impetu undarum navis verſata eum cum univerſis ſociis inter ſe & mare concluſit. Erant inter eos natandi ignari. hos unda raptos, ſuper unum è prominentibus ſaxis illæſos depoſuit. Ille verò cum uno tantùm ſodali, jam reductæ in ſuum ſtatum navi inſiluit; & fluctus qui eam oppleverant, pinna ſinuatæ veſtis exhauriens, cum duobus qui ſoli remanſerant remis, ad recipiendos ſocios rupi adpropinquavit. Quibus receptis proſpicit eminus librum, per quem laudes Deo perſolvere conſueverat, undis jactari, nec mergi. Poſt quem directo curſu navis eum levavit, ita omni humore introrſus carentem, quaſi non undæ ipſum per maria, ſed ventus per terras portaverit. Deinde aliquibus remis cum aliquantula ſupellectili receptis, ad deſtinatum tandem delati ſunt locum.

Epiſcopus Leonenſis id cælitus diſcit.

29. Cumque memoratus vir, cum Epiſcopo loci colloquium familiare habens, ea quæ ſibi obvenerant, referre vellet, prævenit eum Pontifex, ita inquiens: Num, ait, ignoras, domine mi Felix, quid cuidam Monacho omnibus tibique bene noto de te per nocturnum ſoporem revelatum ſit? Cui cùm ille diceret, ſe id funditus ignorare; Epiſcopus ad eum: Retulit, inquit;

[a] Mabbo Leonenſi eccleſiæ præfuit ab anno DCCCC XL ad DCCCC XLV, ex Alberto de Monte-relaxo, qui hanc ſancti Pauli reliquiarum tranſlationem Floriacum tribuit etiam Liberali Epiſcopo ſub Carolo Calvo.

[b] Auctor fragmenti hiſtorici jam citati, apud Chelnium tomo 3 pag. 343, idem atteſtatur.

Circ. ann. DCCCLXXXIII mihi idem Monachus coram multis teſtibus, dicens: Videbatur mihi, quòd Felix qui in inſula habitat, hîc apud nos foret poſitus. qui dum ad ſua regredi vellet, navimque adſcendiſſet, diabolus in ſpecie vulturis adveniens, cujus corporis moles montis altitudini æquari poſſe credebatur, cunctos qui rate vehebantur, ſimul cum ipſa in profundum mergere mihi videbatur. Illis itaque hoc modo ſubmerſis, apparuit repentè vir quidam monachico adopertus indumento, more Abbatum recurvum à capite de manu gerens baculum; quiſque ſuper aquam deambulans, eodem ligno navim cum hominibus nil mali paſſis, ac cunctis rebus, de profundo ad litus traxit. Liberatis verò imperans, ut ſe ibidem operirentur; vulturem qui jam fugam paraverat, inſequutus, virgâ percuſſum in profundum abyſſi merſit. Reverſus ad Felicem & ſocios ejus, alacri ut erat vultu, eos hortabatur, ut adſcenſa lintre quò cupiebant, ſecurè enavigarent, dicens: En Adverſarius veſter per Dei gratiam à me ſubmerſus, perdidit omnem vobis nocendi poteſtatem.

Felix ob id in S. Benedictum amplius animatus. 30. Cumque iſta referente Antiſtite Dei ſervus audiſſet, caſus quoque ſuos & ipſe omnes ei expoſuit, aſſerens ipſam viſionem, etiam corporeo actu, in ſe completam. Intelligens verò ex memorata apparitione, ſanctiſſimum Patrem noſtrum Benedictum ſuæ ſaluti auxilium contuliſſe; magis amore ejuſdem præcellentiſſimi Confeſſoris flagrare cœpit, atque ut ad ejus ſacroſanctum tumulum perveniret inſtare.

Iterum liberatus. 31. Igitur pauci temporis interpoſita mora, aſſumtis quibus ſe indigere rebus æſtimavit, ad continentem deſtinavit remeare terram. Sanè omnipotens Deus, ut ejus cor ad amorem Sanctorum, quorum expetebat præſentiam, ampliùs inflammaret, duplicavit miraculum. Nam dum anchora à litore ſublata, alta peteret maria, repentè ſe fluctus attollunt: & in ſublime elatus præruptus aquæ mons ita totam circumcinxit ſcapham, ut nulla ex parte aditus reperiretur evadendi. Tunc jam dictus Chriſti famulus Felix, horrore imminentis periculi perculſus, intra ima pectoris hujuſmodi fundebat preces humillimæ ſupplicationis: Incliti, inquiens, Confeſſores Chriſti Benedicte atque Paule, quorum ſacratiſſimos adire exopto cineres, ferte opem mihi miſero, qui ſolius nunc mortis diſcrimen formido. Poſt has preces dicto citiùs tumida conſidunt æquora, ventiſque placidum ſtans mare, tutam navigantibus præbuit viam. Ita ab inſtanti naufragio ſæpe nominatus Felix [a] exemtus, ad hoc ſibi diu deſideratum venit Cœnobium, nobiſque hunc ſuæ ſalvationis retulit fuiſſe modum.

XIII. 32. Brevitati quidem ſtudendum erat, ne prolixitas verborum audientibus faſtidium materiæ gigneret. Sed quia decurrens ſermo retineri non potuit, quem vis dilectionis ſanctiſſimi Patris Benedicti ad pleniùs exponendas res geſtas impulit; ignoſcendum eſt, ſi pluſquam licuit, loquax pagina fuit. Procurabimus deinceps ſuccincto narrandi genere miracula ejuſdem dilecti Domini comprehendere, ut & laudes ejus promamus, & lectori nequaquam oneri ſimus.

Advocatus malus perit. 33. Burgundiæ in partibus, territorio Tricaſſino, villa habetur ſancti Benedicti, Tauriacus nomine, quam Advocatus vocabulo Gauzfredus, quamvis ab extraneis defenderet, violentiùs quàm quilibet externus vaſtabat. quem à Monachis frequenter ut à malefactis quieſceret, admonitum, nec obtemperantem, pius Pater Benedictus à Deo obtinuit, flagello correptionis priùs percuti, quàm ejus malitia funditus deleretur. Quadam itaque die eo in domo propria intra memoratæ urbis Tricaſſinæ muros conſtituta reſidente, & judiciariam inter ruſticanos agente actionem, niger canis rabie plenus adfuit, & nullum lædens circumſtantium, impetu in eum facto nares ejus ac faciem morſibus dilanians abſceſſit. Unde ille in amentiam verſus, ab amicis ad ba-

[a] Hic eſt Felix ille, multis laudatus in libro de vita Gildæ Abbatis in Sæculo primo, is qui à Gauzlino Floriaci Abbate in Armoricam miſſus eſt anno M XIII ad inſtaurandа in ea regione Monaſteria.

ſilicam

Circ. ann. DCCCLXXXIII. Dec. IV.

ſilicam ſancti Dionyſii eſt deductus: ibique aliquantulum, ſed non ad plenum ſenſu recuperato, regreſſus ad propria, dum malis quæ pauperibus ſancti Benedicti intulerat, adjiceret pejora, à dæmonio arripitur, catenatuſque & in quoddam tetruſus cubiculum, ultimum exhalavit ſpiritum, profitentibus cunctis qui eum noverant, ob ſæviciam ejus in ruricolas pretioſi Confeſſoris Benedicti talia ipſum pertuliſſe. Huic metuendæ ultioni, aliud amplectendum miſericordiæ ac ſanitatis adnectamus ſignum.

XIV. Monachus in extremis ab omnibus derelictus,

34. In inferioribus hujus Neuſtriæ [a] partibus, in Andegavenſi ſcilicet urbe, AINFREDUS quidam, apud Monaſterium ſancti Albini, ex Clerico Monachus ſponte factus eſt. Is meliorandæ vitæ gratiâ ad hunc venerabilem Floriacenſem demigrans locum, aliquantiſper nobiſcum commoratus, ad memoratum regreſſus eſt Cœnobium. ubi dum moratur, gravi tumeſcentis coxæ afflictus languore, gemino urgebatur angore. Nam Abbas ipſius Monaſterii, quibuſdam ſimultatibus eum impetens, cunctis interdixerat Fratribus, ne quis eum ſaltem in exitu viſitaret animæ. Cumque ille morbo ingraveſcente, ac dolore ad vitalia ſerpente, Fratres ad ſe inviſendum ſuumque exitum Domino commendandum venire depoſceret: ab uno, cui ſoli conceſſum erat eum inviſere, quid Abbas de eo præcepiſſet, addidicit. Quod ipſe audiens, graviter tulit, & per Andegavæ civitatis nobiles qui ab ejus viſitatione, quia eum diligebant, inhiberi non poterant; Abbati mandavit, ut ſibi miſereretur, ad ſatisfactionem, ſi quid in eum non rectè commiſiſſet, parato. Sed eo differente coactus eſt æger aliunde conſolationem quærere: & quia ſe à temporali Abbate videbat deſpici, ad illum qui legionibus Monachorum per longa jam pridem ſæcula ſollicitudinis ſuæ curam impendit, tota ſe contulit mente. recordanſque, quantam in Patribus hujus Floriacenſis Cœnobii tempore ſuæ peregrinationis reperit dilectionem, converſo ad parietem capite ac lacrymis ſuffuſus ora, in hæc prorupit verba: O ſancte, inquiens, Benedicte, miſerere mei tuum auxilium anxie implorantis, tibique ſpondentis, quòd ſi mihi corporis ſanitatem vitæque à Deo obtinueris proſperitatem, tua ſupplex ſacratiſſima expetam oſſa, gratiarum pro poſſe redditurus vota. His peroratis, adſpexit, ut pòſt ipſe retulit, ſubitò quemdam incogniti vultus virum, monachalis habitus tegmine adopertum, qui è regione ulceris manu protenta, ſilenter abire viſus eſt. Mox ægrotus in ſomnum reſolutus, qui tres & eo ampliùs noctes pervigiles duxerat, unius horæ ſpatio placidiſſima quiete potitus eſt. Evigilans verò, dum ſummis digitis vulnus quod vis morbi patefecerat, incautiùs premeret, particula quædam putrefactæ carnis, inſtar boleti, inde cum maxima doloris parte proſiluit, ac demum infra breve tempus, reſumtis viribus, quod voverat, devotè, nec abſque munere complevit.

S. Benedictum habet propitium.

XV. Patriciacus, *Preſſy*, in Burgundia.

35. Patriciacus [b] dicitur villa in Auguſtudunenſi territorio regionis Burgundiæ ſita. Hanc ECHARDUS, Comes Burgundionum ditiſſimus, ſancto Benedicto & Fratribus Floriacenſis Cœnobii ad ſtipendiarios quondam ſumtus benigna largitate contulit. Quo defuncto, ac in Floriacenſi Monaſterio juxta eccleſiam ſanctæ Mariæ ſepulto, in memorata poſſeſſione Fratres habitationem ſibi ſtatuerunt: in qua etiam delatis à Floriaco ſancti Patris Benedicti reliquiis, eccleſia in honore Dei ac glorioſæ virginis Mariæ, ſimulque egregii ipſius Confeſſoris conſtructa eſt, quam Chriſtus Dominus meritis ſanctæ ſuæ Genitricis, necnon dilecti famuli ſui Benedicti ſæpiſſime miraculis inluſtrem reddidit. De quibus quia multa per inertiam oblivioni tradita ſunt, pauca quæ vilitatis noſtræ attigere notitiam, memoriæ poſterorum, ad omnipotentis Dei ac Sanctorum ejus laudem, tradere curabimus.

Ibi reliquiæ S. Benedicti,

a Neuſtria ſiquidem olim complectebatur quidquid terrarum eſt inter Ligerim & Sequanam ad Oceanum.

b De hac villa, deque ejus donatore Eccardo Comite dictum eſt in Obſervationibus præviis, num. 28. Lege Teſtam. capita 39 & ſeqq.

Circ. ann. DCCC LXXXIII. Dec. 27.

Cum aliis contra prædatores delatæ.

36. Solmaricenſe prædium, jam dicto Patriciacenſi Cœnobio ſubditum, quidam perverſæ mentis homines invadere moliebantur. quorum malitiæ ROTBERTUS Monachus illi loco tunc præpoſitus obſiſtere cupiens, inſtante vindemiæ tempore cum Sanctorum pignoribus ad locum properat. Cumque iter agendo, ſanctarum vectores reliquiarum Cluniacum Cœnobium deveniſſent, inibi nocte quieverunt. In craſtinum verò cœpti itineris callem capturi à Fratribus ejuſdem Cœnobii, cum magno proceſſionis apparatu ducebantur: & ecce in ipſo baſilicæ ſancti Benedicti egreſſu, ortâ cum vento pluviâ, cereos ob honorem Dei ac Sanctorum ejus accenſos funditus exſtinxit. ſed antequam portam caſtri ipſius Monaſterii egrederentur, & ſerenitas rediit, & cerei divinitus reaccenſi, inſpicientibus cunctis per aliquod viæ ſpatium, nullis ventorum flatibus exſtingui potuerunt. Simili modo dum peractis pro quibus ierant, ſanctas reliquias à tabernaculo ſub quo manſerant, extuliſſent, lucernæ exſtinctæ, divinaque virtute inluminatæ, nullo aurarum ſpiramine lumen amiſerunt, donec à terra ſancti Benedicti Sanctorum progrederentur pignora. Erant autem, quæ ferebantur cum patrocinio ſancti Patris noſtri Benedicti, pretioſæ reliquiæ beatiſſimorum Confeſſorum Eucherii & Verani, necnon Cypriani, Sperati, ac Pantaleonis Martyrum. Has, ſicuti relatu ſeniorum noſtrorum comperimus, quidam aliquando Lugdunenſis Antiſtes [a] cuidam Monacho hujus ſanctæ congregationis contulerat remunerandæ ſedulitatis gratiâ, quia liberalibus eum inſtruxiſſet litterarum ſtudiis. quas ille, ut celebrior inde eſſet locus, in ejuſdem Patriciacæ villæ oratorio condidit.

Cerei cælitus bis reaccenſi.

Reliquiæ datæ in præmium doctrinæ.

XVI.

Minax & blaſphemus in S. Benedictum interit.

37. BERNARDUS quidam, ejuſdem Burgundiæ vir inluſtris, dominuſque caſtri quod *Uzon* * vocatur, diſcordiam habebat cum quodam ſibi affinitate propinquo, non minoris potentiæ, nomine LETBOLDO. cujus poſſeſſiones dum direptionibus vaſtaret, etiam ex villis ad jam dictum Patriciacum Monaſterium pertinentibus armenta abducere cupiens, quoſdam ſervorum ſancti Benedicti reſiſtentes ſibi interemit. Proptèr quam cauſam ſuprà nominatus ROTBERTUS Præpoſitus eum adiens, humiliter poſcebat, ut legaliter ſancto Benedicto ac ejus Monachis emendaret malum, quod contra leges ſervis eorum irrogaverat. Ille contumaciæ plenus ſpiritu, in hæc verba reſpondit: Miror, domine Rotberte, tam ſapientem virum ad tantam ſtultitiam devolutum, ut à me emendationem rei exigas; cùm me magis rogare oportuerit, ne pejora adjicerem. & adjecit, Dominum, inquiens, qui me naſci fecit, teſtor, me antequam quindecim ab hoc die evolvantur ſoles, experimento probaturum, utrum ſanctus Benedictus igni, an ignis à me ejus injectus domibus ſancto prævaleat Benedicto, qui meum intra ſuum caſtrum defenſare nititur inimicum. Ad quæ verba commotus Monachus: Confido, ait, in Domino, ac in Sanctorum ejus meritis, te nec iſta impleturum; nec conſtitutum à te terminum temet vivendo exceſſurum. Hoc dictum rei veritas ſubſecuta eſt. Denique prædicto viro venerabili Rotberto ad Monaſterium regreſſo, antequam præfinita præteriiſſet dies, præfatus Bernardus ab obvio ſibi hoſte præſcripto Letboldo lanceâ confixus interiit, ſubiturus pro certo illud diutinum cum igne certamen, quod falsò juraverat, ſe ſancto Benedicto brevi tempore inlaturum.

* al. *Vzon*

38. Adjiciantur huic vindictæ prodigio, quatuor ſanitatum inſignia duabus tantùm feminei ſexus perſonis, à Chriſto conlata in eodem Monaſterio Patriciaco per merita ſanctæ ſuæ Genitricis ac incliti Confeſſoris Benedicti; aliorumque, quorum ibi habentur patrocinia, Sanctorum.

[a] Leidradus reliquias S. Cypriani Arelate Lugdunum advehi curavit, teſtante Adone in Martyrologio, quas poſtea Carolus Calvus Compendium deduxit in baſilicam ab ſe conſtructam, ubi hactenus adſervantur. At de Leidrado intelligi non poteſt hic locus, propterea quod donatio Patriciaci Floriaco ſeriùs facta eſt.

39. Mulier quædam Adelais vocabulo, linguæ ac pedum privata officio, ad memoratum venit Cœnobium manibus reptando. Hæc præ foribus Monaſterii per aliquantulum decubans temporis ſpatium, à Fratribus quidem nutu manuum petebat vitæ ſubſidium, à Sanctis autem voce cordis ſanitatis auxilium. Quadam itaque die, tertiâ videlicet feriâ ante ſanctum Pentecoſten, cujus ipſo anno [a] feſtivitas XIII Kalendas Junii evenit, medelæ ſuæ horam adeſſe perſenſit: veniensque ante eccleſiam, indiciis quibus poterat, aperiri ſibi introitum expoſcebat. Quo impetrato per terram ſe trahens oratorium intravit, & coram altare ſanctæ ac individuæ Trinitatis, in ipſo ingreſſu poſito ſubitò ſubſtitit, ac ſe paullatim ab humo ſuſtollere cœpit. Quid pluribus morer? intra breve momentum pleniter erecta, rectis greſſibus ad altare ſanctæ Dei genitricis Mariæ atque Confeſſoris Chriſti Benedicti progreſſa, acſi in oratione proſternitur: indeque poſt paullulum ſe erigens, elatis in altum manibus in hanc vocem prorupit: Gratias, inquit, ago tibi, Domina mea, virginum Regina ſancta Maria, tibique, ſancte Benedicte, quorum interventu omnipotens Deus mihi curvæ ac mutæ rectitudinem membrorum contulit & loquelam. Nec vobis, ſancti Dei Eucheri & Veranne, minores perſolvo gratiarum actiones, quos ſæpe exoratos meæ non diffido adjutores fuiſſe ſalutis. In his vocibus totam pæne exegit noctem. Agebatur eo die feſtivitas beati Romani [b] alumni ſanctiſſimi Patris noſtri Benedicti, & Fratres completorios Deo ſolvebant hymnos. qui continuò ſonantibus ſignis laudes Deo alacres pro oſtenſo reddiderunt miraculo.

Circ. ann. DCCC LXXXIII. Dec. IV. XVII. Muta & clauda ſanatur.

40. Chriſto diſponente adhuc Sanctos ſuos mirabilibus inſignes reddere, nono poſt patratum iſtud ſignum die, tertio videlicet Kalendas Junii, alia inibi deducta eſt mulier. Huic Alexandra nomen erat. quæ geſtatorio, quo lapides ferri mos eſt, à duobus viris advecta, in baſilicam ſe introduci rogavit. Quæ in eodem quo & prior erecta fuerat loco, ad orationem ſe inclinans, poſt modicum pedetentim erigere ſeſe cœpit. cujus conatum Fratres, qui ad tam mirandum convenerant ſpectaculum, juvare cupientes, inter manus eam elevando ſuſtentabant. Ipſa quoque circa horam diei tertiam, in qua delata fuerat, plenæ donata ſanitati, per aliquot menſes in ſervitio eccleſiæ permanſit.

XVIII. Item alia ambulare non valens.

41. Poſtulatâ autem atque impetratâ à jam dicto ejus loci Præpoſito Rotberto licentiâ redeundi ad ſua, pollicita eſt, ſe ad inchoatum reverſuram ſanctuarii obſequium: ſed dum moras ad regrediendum innecteret, priſtinum languorem incurrit. Verumtamen dum quæreret, qui ſe ad ſuæ ſalutis locum revehereut, nec inveniret; cœpit anxiari & mæſta eſſe. Tandem neceſſitas conſilium reperit, ut Deo ac ſancto Benedicto voveret, ſi ſalus conlata ſibi reſtitueretur, ut ad jam nominatum valeret regredi Monaſterium, ſe deinceps inde nequaquam receſſuram. Statim igitur ut hoc vovit, firmiſſimas in eo quo reſidebat loco, ambulandi vires reſumens, poſtpoſita omni morarum occaſione, ad Patriciacum ſancti Benedicti Cœnobium, ubi ſanata priùs fuerat, reverſa eſt. Cumque cuncta quæ circa ipſam acta fuerant, Fratribus referret, ſponderetque ſe inde ampliùs non diſceſſuram; in commune benedixerunt Dominum, famulumque ejus ſanctiſſimum Patrem noſtrum Benedictum, gratias agentes illi, qui ſervulos ſuos quos fortè abſentia ſacri corporis ejus mæſtificare poterat, ſpiritali viſitatione dignos ducendo miraculis lætificaret. Et ne qua dubitatio de præſtitis mirabilium beneficiis remaneret, vicinos ambarum mulierum ſollicitè perſcrutari curaverunt: hoſpitem etiam ejus quæ priùs ſanata fuerat, interrogantes, utrum eam aliquando loquentem aut ambulantem rectè vidiſſet: tam ab ipſo quàm à reliquis, qui utraſque no-

Iterum impotens iterum ſanata.

a Id eſt anno MV, quo ſanctum Paſcha in primam Aprilis, Pentecoſtes in 20 Maii incidebat.

b Vides antiquitus celebratam fuiſſe diem feſtum ſancti Romani Abbatis, alumni ſeu nutritoris ſancti Patris Benedicti, cujus Romani Vita exſtat in Sæculo I.

verant, verè eas debiles, verè à Chriſto meritis ſanctæ ſuæ Genitricis ac dilecti ſui Benedicti fuiſſe ſanatas didicerunt.

CIRC. ANN. DCCC LXXXIII. DEC. IV. XIX.

42. Migrante ad ſuperos eo quo ſuperiùs relatum eſt ordine, venerabili Patre noſtro ABBONE, è veſtigio quædam adverſæ res, maximè nobis qui ejus obſequio adhæſeramus, evenere. At reliquis neglectis ærumnis, unam memoriæ mandare non grave videatur audientibus: quæ pæne intolerabili hoc ſacrum Cœnobium profligaſſet damno, ni ſuperni Regis Chriſti pia clementia interventù ſanctæ ſuæ Genitricis Patriſque noſtri Benedicti mitigata, vindicem noſtrorum ſcelerum retraxiſſet dexteram. Enimvero quia in ſignis ſuperioribus demonſtratum eſt, quàm potens hic egregius dux noſter ac ſemper nominandus Benedictus, in duobus ſingulatim exſtiterit elementis, aqua videlicet & igne; in hoc manifeſtè apparebit, quantum in utriſque valuerit uno eodemque tempore, &, ut veriùs fatear, temporis momento.

In feſto tranſlationis incendium reſtinctum.

43. Celebris noſtro orbi illuxerat dies tranſlationis ipſius ſummi Confeſſoris, quæ quinto Iduum Juliarum annuum nobis repræſentare conſuevit delectabileque feſtum. Cumque tota vigiliarum nox cum ſubſequente die in laudibus Deo debitis congruè fuiſſet expenſa ob tanti devotionem Patris; poſt debitam refectionem veſpertinaleque officium, horâ quietis advenit, & cupientibus nobis, oculos diurno furari labori: erroneæ antiqui hoſtis adfuere inſidiæ. Namque ejus inſtinctu quidam perverſæ mentis homines, latrocinandi, ut quidam referunt, cupiditate, ignem forenſibus impoſuere domibus: ut verò alii fatentur, caſualis eiſdem ædibus irrepſit ignis. Qua de cauſa, excitato tumultu Fratres expergefacti, ad exſtinguendas voraces incendii flammas properarunt, ſubductoque primùm quaqua oportunitas ſe ſe obtulit, omni ornatu baſilicæ, qui non minor, immo per omnia major, quàm in priori incendio, interiora templi venuſtabat; ad jam dictum opus unanimes vertuntur. ſed illorum labor incaſſum cedebat. In ſuperiora namque ſe aurarum ſpiramine ignis attollens, coquinam xenodochii repentè corripuit, quæ aulæ ſanctæ Dei genitricis Mariæ vicina erat, in qua pretioſus Confeſſor Domini Benedictus quieſcit. Tum metus ingens cunctos habuit, verentes ejus ædis occaſione, venerabile cunctis Dominum timentibus, exuſtum iri templum. Unde quidam noſtrorum, interioris hominis voce, auxiliari ſibi piis precibus ſanctam Dei genitricem Mariam famulumque ejus inclitum poſcebant Benedictum, repetito ſæpius nomine ſororis ejus Scholaſticæ. Alii verò id ipſum clara quidem voce, ſed querulòſis iterabant verbis. Tandem memoratorum preces Sanctorum audiit omnipotens, cælique à parte ſerena intonuit. Denique cùm ſumma cæli eſſet ſerenitas, profuſus ſubitò è nubibus imber, flammas quæ interiora caſtri ædificia depaſcebantur, funditus exſtinxit. Mutati autem ventorum flatus cadentes favillas, quarum copia inſtar decidentis nivis introrſus ferebatur, retroactas in ſemet redire cogebant. Ita meritis egregii protectoris noſtri Benedicti non ſolùm Monaſterium incolume reſedit; verùm nec tantum vici exuſtum eſt, quantum priori incendio perierat, quod in eadem feſtivitate, temporibuſque memorati contigit venerandi Abbatis ABBONIS. Unde nimirum legiones Monachorum Domino ſuo Benedicto illud cujuſdam ſapientis non incongruè & abſque fuco valent aptare elogium: quòd ille fucata uſus laude, de quodam terrenarum protulit Principe rerum ita inquiens:

O nimiùm dilecte Deo, tibi militat æther,
Et conjurati veniunt ad claſſica venti.

Ex Claudiano in panegyric. Honoris.

Liceat nobis hac de re quædam proludendo paullulum eloqui. congruum, ut reor, huic noſtro videbatur Legifero, in commotione elementorum venerabilis ſororis ſuæ adhibere ſolatium, quam meminerat ad ſe retinendum tempeſtatum oppoſuiſſe obſtaculum. Unde non incongruè aëreis poteſtatibus complacita ſibi loca evertere molientibus ſtrenuè repugnaturus, à ſuis famulis

camdem ſororem ſuam ſecum invocari voluit, cujus preces ad obtinendas à Domino imbrium proſuſiones agnoſcebat fore idoneas. Circa ann. DCCCLXXXIII

44. Puellam quamdam nobilibus ortam antiquitus fuiſſe natalibus, nomine ADELAIDEM, nuper didicimus cruribus contractam. quam dum pater ejus ac mater per multa Sanctorum loca duxiſſent, nil remedii ei à Sanctis impetrare potuerunt. Ii deſperata ſalute ad domum eam reducentes, manebant triſtes, quid de ea agerent ignorantes. Nam Pariſius [a] eam ad S. Dionyſii ſepulcrum, atque Lemovicas ad Domini Martialis tumbam, qui ambo tunc miraculis coruſcabant, perducentes, nihil omnino proſecerant. Quieſcenti autem matri ejus vox cælitus advenit quæ diceret: Quænam, ait, dementia vos tantas in vanum compulit perdere expenſas, ut longè poſita Sanctorum adiretis patrocinia, veſtro hic relicto vicino, ſanctiſſimo videlicet Dominique dilecto Benedicto? cujus ſacratiſſima oſſa, pro veſtra (ſi tamen id ex fide experieritis) multorumque tranſlata ſalute, ex Italia provincia in hanc divinitus tranſlata ſunt regionem. Unde pro certo ſcias, nullatenus tuam ſanandam eſſe filiam, niſi eò delata fuerit. Evigilans itaque mulier viro ſibi conjacenti ſomnium refert. cui ille: Ego, inquiens, jam id ipſum mente conceperam. ſed vereor ut Sanctus ille noſtro iritatus contemtu Dominum pro ea exorare velit. Ad hæc illa reſpondens; Ducatur, inquit, ad Sancti ſepulcrum. & ſiquidem eam ſanaverit, habeat ipſam ancillam in ſempiternum. ſin verò noluerit, reducatur, cum debilitate etiam libertatem retinens. Erant enim ipſi non ſolùm liberi, verùm etiam genere clariſſimi, ac facultatibus ditati. Orto igitur ſole iter ad Monaſterium arripiunt, quod non niſi XVIII milibus ab eorum diſtabat domo, unà ſecum filiam deducentes debilem. Inſtabat autem celebre feſtum ejuſdem ſanctiſſimi Benedicti; & in ipſa quidem die feſtivitatis eam ſanandam ſancto Patri Benedicto obtulerunt. In craſtino verò mane ſurgentes, dum regredi cuperent, filiam ſanam omnibuſque membris benevalentem repererunt. Pro qua te immenſas gratiarum actiones Deo ac ejus amico beatiſſimo referentes Benedicto, eamdem natam ſuam ei perpetuò ſerviturам tradiderunt. quæ poſtmodum ducens virum, filios procreavit: ex quorum progenie quidam adhuc non inutiles [b] in ſervitio perdurant Fratrum. Dec. IV. XX. Contracta erigitur.

45. Nuper quoque res eſt geſta quam narro. Quidam cæcus Argentomagenſis caſtri incola, dum reliquiæ ipſius præcellentiſſimi Confeſſoris Chriſti Benedicti à Salenſi cella ad ſanctum Marcellum Martyrem [c] à Fratribus deferrentur; tacto loculo confeſtim viſum recepit. Requieſcit ſanè corpus ipſius ſancti Martyris in Eccleſia non longè ab ipſo caſtro conſtructa. Quod cùm identidem à ſuis ad Salenſe Monaſterium delatum fuiſſet, alter cæcus de villa ipſius Monaſterii, Modicia nomine, ibi advenit magnis vocibus ſanctum invocans Benedictum: fama namque ſuprafati miraculi jam ejus attigerat aures. qui & ipſe non multo pòſtquam ibidem advenerat tempore, miſerante Deo & meritis Sanctorum obtinentibus, lumen quod petebat, recipere meruit. In quo videlicet Salenſi Cœnobio tantis tamque aſſiduis idem toto orbe venerabilis Pater Monachorum renitet miraculis Benedictus; & maximè in ulciſcendis inimicis, ut ſi cuncta quis velit mandare memoriæ, proprio indigeant volumine. XXI. Cæci duo lumen receperunt.

46. Hæc de miraculis quæ Deus per merita ſancti ſui Benedicti diverſis in locis operari dignatus eſt, inerti ſtilo ac ſermone ruſticano edidimus. Ve- XXII. Auctor multa omiſit.

[a] Id eſt in ſuburbano Pariſiorum agro. qui unus locus ſufficit ad interpretandos quoſdam locos Auctorum veterum, qui baſilicam ſancti Dionyſii tumulo illuſtrem *Pariſius* locant. Nam eam tempore Aimoini quinto ab urbe lapide ſitam fuiſſe nemo negaverit, qui legerit librum de vita S. Abbonis cap. 9. Lege Elogium Fulradi Abbatis in parte 2 Sæculi 3.

[b] Nempe ſervi Monaſterlis devoti, ſi quos gignebant liberos, ii Monaſteriis etiam addicti erant.

[c] Marcellum apud Argentomum caſtrum martyrii palmam obtinuiſſe legitur in Vita S. Genulfi Epiſcopi. & tamen vicus ſancti Marcelli eſt juxta Argentomagum.

Circ. ann. DCCC LXXXIII Dec. XV. rumtamen hanc ſententiam claudendo operi adnectentes, monemus lectorem, multa nos ſcienter præteriiſſe. Cavendum eſt enim in univerſis rebus omne nimium: & auditorum intentio grata brevitate invitanda, non faſtidioſa eſt loquacitate deterrenda. Hic ergo finis erit libri, quamvis ſi Dominus voluerit, vitaque comes fuerit, ea quæ fidelis fama in tota pæne divulgavit Neuſtria, noſtrâ nequaquam ſint ſilenda deſidiâ. Compellunt etiam nos ad tacendum amici * noſtri, qui maximum deputant ſibi affluere epulum, ſi aliorum ſtudiis lacerum infigant dentem. attamen nulla eorum detractione deterrebimur, quo minùs laudes Dei ac ejus dilecti, Patris videlicet noſtri beatiſſimi Benedicti, referamus. Iſta igitur omnia, & quæ in priori opuſculo ab aliis auctoribus deſcripta ſunt miracula, ſub triginta [a] Abbatibus, qui huic Floriacenſi Cœnobio ab initio ſuæ fundationis, per trecentos octoginta quinque [b] & eo ampliùs præfuerunt annos, diverſis in locis per merita ſancti Confeſſoris ſui Benedicti operari dignatus eſt Jesus-Christus Dominus noſter, qui cum Deo Patre & Spiritu-ſancto in Trinitate perfecta vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

*f. inimici

a Deſunt ergo quinque in catalogis vulgatis, in quibus Gauzlinus, cui hos libros dedicat Aimoinus, vigeſimum-quintum occupat locum. Teotbertum Abbatem reſtituimus ſuprà in Obſervationum num. 28 Adi catalogum infrà poſt Tortarii librum.

b Aimoinus, & cum ſecutus Helgaudus, Floriacenſis Monaſterii conditionem referunt ad annum Chriſti DCXX, ex malè computato anno Incarnationis cum anno ſecundo Chlodovei junioris Dagoberti Magni filii. quo anno ejus Monaſterii jacta ſunt fundamenta. Lege Diſſertationem de tranſlatione corporis S. P. Benedicti in Galliam in Sæculo 2.

ALIA MIRACULA

à Rodulfo Tortario Floriacenſi Monacho deſcripta ſub finem ſæculi XI.

Ex Bibliotheca Floriacenſi & Martio Bollandiano.

Caput I. REGE Francorum Henrico feliciter ſceptra tenente, ejuſque germano * Ducatum Burgundiæ utcumque adminiſtrante, frater ipſorum Odo privatus degebat, nullius dignitatis faſtigio ſublimatus. Qui quoniam non habebat propria, inhiabat ſubripere aliena, rapinis & deprædationibus operam impendens. Unde factum eſt die quadam, ut valida manu militum collecta, Solracenſium * ſibique contiguorum agros deprædatum iret. Inde revertens onuſtus ſpoliis & præda, contigit ut etiam quorumdam pauperum Patris Benedicti res cepiſſet. Divertens verò in quoddam rus ejuſdem Patris, Germiniacus * vocabulo, manſionem violentam ibidem accepit, contradicentibus ſibi ejuſdem ruris officialibus, & referentibus quàm ſeverè ulciſceretur omnipotens violatores illius loci, meritis Patris Benedicti. Qui floccipendens eorum dicta, præcepit circa eccleſiam in honore Sàlvatoris mundi ibidem dicatam rapinas includi pauperum. Siquidem habebat eadem eccleſia cœmeterium valli munimine circumdatum. Porro famulis jam dicti Patris ab eo ſibi ſubrepta repetentibus animo obfirmatus nihil reddere voluit penitus; inſuper comminatus eſt, eos verberibus ut tacerent afficiendos. erat enim nimiæ ferocitatis & extollentiæ. Igitur præparari amplum ſibi ſuiſque, de rebus pauperum jubet convivium. Cúmque deeſſet cera unde deberent fieri luminaria epulaturis neceſſaria; interrogat, utrum in eccleſia illa candelæ haberentur, cui cùm reſponſum eſſet, nihil ceræ illic haberi præter paſchalem cereum, in honorem videlicet dominicæ reſurrectionis, à parrochialibus ſollemni oblatum more, jubet eum properè adferri, & exinde cande-

* Roberto

Odo rex S. Benedicti rapieus,

* Sully prope Floriacũ

* Germigni

& cereum paſchalem,

las copiosè ſuppeditari, non veritus injuriam Salvatoris, cui ſanctificata erant Circ. ann. DCCC LXXXVIII Dec. IV.
cereus & eccleſia. Proinde vino diverſiſque ciborum ferculis cum ſuis accuratè refectus, ſanus & incolumis, poſt morosè protractas in vanum ſermonum vigilias, dormitum vadit: & dum levi ſopore quieſcens aliquas noctis pertranſiſſet horas, ſubitâ incommoditatis anguſtiâ perturbatus, inclamat ſuos. quibus circumſiſtentibus, indicat ſe mortifera invaletudine detineri. Itaque malè moritur.
per reliquum ejus noctis, eadem ingraveſcente moleſtia, in eo loco manſit. Facto autem manè recognoſcens manifeſtè Patris Benedicti res, neminem quamvis generoſo concretum ſanguine impunè temerare poſſe; quo valuit modo, equum adſcendens receſſit, & eodem invaleſcente morbo diem ultimum clauſit, probabile ſatis factus argumentum, veridicam illam eſſe ſententiam, qua dicitur non eſſe perſonarum acceptionem apud Deum.

Exſtitit ejuſdem prædii villicus, nomine Vivianus, vir moribus barbarus, II. Villicus negligens:
adſpectu torvus. Huic ſuprafatæ eccleſiæ, ſicut & reliquarum ipſius poſſeſſionis actionum, cura commiſſa fuerat. qui ſupervacaneum ducens in talibus tempus expendere, quippe qui ignoraret, quanti habenda ſint; cuſtodiam ſanctorum ſibi delegatam locorum omnino poſtpoſuit, magis intendens annuum exigere quæſtum de ſibi ſubditorum rebus pauperum. Oratorii ergo ejuſdem ambitus ejus incuriâ neglectus, nullius valli muniebatur obice alteriuſve ob- Eccleſiæ neglectæ pœna.
ſtaculi: ſed foribus reſeratis patebat canibus, porcis & cujuſque generis animalibus. Erat autem Vivianus cultor fertilis agri abundans opibus, dives pecoris: & quoniam erat aſſiduus venator, alebat canum gregem, ad capiendas modicas ſeu magnas diverſarum ſpecierum feras ſagacem. Accidit itaque die quadam unum de canibus, quia patebat ingreſſus, nemine obſiſtente, intraſſe jam dictum ſancti Salvatoris oratorium, quem conſecuti ſunt ex aliis aliqui. Porro qui primus ingreſſus fuerat, quoniam lampas in quo olei liquor ad effugandas nocturnas illius ſacri loci tenebras infuſus habebatur, propior pavimento dependebat, ſaltu adniſus eam dejecit, & olei liquamen, quod de ipſa effracta lampade effuſum erat, linguâ lambit. Erat verò hic domino ſuo valde carus: quoniam ex illo erat canum genere, qui lepores adſequuntur velocitate pedum. Accurrunt & alii, cupientes hujus edulii participes fieri. Nec mora, qui oleum lambuerant, in rabiem vertuntur: egreſſique ab oratorio, mirabile dictu! aliis commiſti canibus, qui fortè in domo vel platea ſubſiſtebant, omnes rabidos efficiunt: & gregatim quaquaverſum diſcurrentes, cuicumque obviabant animali, illud ore dilaniare, unguibus diſcerpere attentabant. nec eſt data requies ab eorum infeſtatione per circuitum vici illius habitantibus, donec omnes ſuffocarentur vario genere mortium.

Corripitur ergo Vivianus ab amicis, ſeu à quibuſcumque ſanum ſapienti- III.
bus viris vicinis, ne ſacrum locum vilipendat, ut ambitum ejus claudat; ut alia.
animalia ſua ab ingreſſu illius arceat. Sed nullatenus autem ſeſe monentium dictis accommodans, incurrit aliud majus detrimentum. Denique cùm haberet multitudinem porcorum, (erant enim ferè quater viceni) nequaquam eis adhibere cuſtodiam voluit, ne ſuperiùs memoratum intrarent ſacrum. Igitur una dierum illapſi aliqui ex eis ipſius penetralia ſacri, vertuntur in furiam; egredienteſque ab illo, toti ſuo obviant gregi. Protinus ergo omnes ſues, ſicut canes ſuperiùs, in inſaniam vertuntur: ita ut nullus eorum, ulteriùs ad conſuetam domus Viviani redierint haram. Videres eos paſſim vagantes, hianti ore, ea feritate qua illud animal furiâ invectum fertur, bacchando diſcurrere, & quodcumque obvium immundo ore polluere, pedibus conculcare: nec ab illa rabie ceſſarunt, donec cuncti variis mortibus necati ſunt. Penſanda eſt omnipotentis invicta in hujuſmodi tranſgreſſores patientia, quæ eos ad pœnitentiam adducens, de facultatibus ipſorum, quàm de ipſis ultionem mavult. Hic Monachus in extremis.
etenim poſtmodum exſtitit Monachus, licèt in extremis.

Enimvero Gaufredus, cognomento Rufus, cupiditate inſtigante, bis binos IV.

Circ. ann. DCCC LXXXIII Dec. IV

boves qui ad excolenda novalia ad reditus Fratrum pertinentia in eadem poſſeſſione addicti fuerant, rapaciter abſtulit: admonitus ut eos redderet, nullomodo adquievit. Inſuper multa ſe illaturum adverſa Patri Benedicto famulantibus, interminatus eſt. Nam dum per villam ejuſdem Patris Bubiacus vocatam iter faceret; convocato Gauterio ejuſdem villæ Majore, inter cetera inſana quæ furioſo protulit ore, conteſtatus eſt, quamdiu adviveret, ſanctum Benedictum pacem cum eo numquam habiturum. Cui idem Gauterius, vir modeſtus, tali reſpondit affamine: Multorum, inquiens, ejuſmodi minas perpeſſi ſumus, & ab omnibus his eripuit nos Dominus per meritum ſanctiſſimi Benedicti domini noſtri. nemo tamen eorum qui talia inaniter adverſus eum protulerunt verba, impune ea protuliſſe diutiùs lætatus eſt. needum dies octavus præterierat, poſtquam boves rapuerat: & ecce à quodam ſuo inimico, cui itidem quamplura intulerat damna, circumventus, gladioque confoſſus interiit, Patri Benedicto famulantibus in nullo de reliquo calumniatus. *Impii enim*, ut ait Salomon, *de terra perdentur, & qui iniquè agunt, auferentur ex ea.*

Fur Sancto injurius dat pœnas.

Prov. 2, 22.

V. Hugonis Abbatis pavo debilitatus.

Hugo[a] Abbas juveniles adhuc agens annos, dum magnificus vellet haberi, multa juveniliter geſſit: & quoniam ex præclara Francorum lampade originem trahebat, degenerem ſe autumabat, ni ea gereret quorum multimoda opinio aures vulgi pervelleret. Unde inter cetera ſuis præcepit clientibus, ut in ſupraſato agro, Germiniaco ſcilicet, multum earum avium agmen, quæ pavones nominantur, ſibi aggregarent. Qui ſui domini obtemperantes mandatis, circumquaque diſcurrunt: eos qui ejuſdem generis nutriebant alites, adeunt; & tam precibus quàm muneribus, in brevi copiam earum aſſequuntur, curamque illarum fetibus impendentes, domini ſui applaudunt votis. Accidit autem quadam, ut adſolet, die, unum ex maribus ſolivagum incedere. qui dum huc atque illuc pervagatur, eccleſiam ſancti Salvatoris, cujus ſuprà meminimus, ingreſſus eſt, per eamque deambulans, ſubitò alis expanſis altari ſubvolat. cujus ut crepidinem attigit, mox debilitatus cruribus & immobilis juxta altare manſit. Aliquot horis decurſis quidam eccleſiam intrantes inveniunt eum circa aram ſe volutantem, adſumtoque eo, eis quibus earum alitum alendarum cura delegata fuerat, reſignant. Qui ſuſcipientes, domino ſuo ſuæ alitis infortunium referentes, qualiter contigerit aperiunt. At ille fide plenus, jubet fieri ſtupeum filum ad menſuram pavonis, ab extremitate videlicet roſtri illius uſque ad extremum caudæ, ceraque involvi, & accenſum altari ante quod debilitas ipſa contigerat, præponi. Qui juſſa complentes, factum & accenſum lychnum ante aram ſtatuunt. needum conſumtus lychnus erat, & avis integrè priſtinam recepit ſoſpitatem. Ecce quid meruerit fides. licèt enim dicat Pſalmus: *Quoniam multiplicata eſt miſericordia tua, Deus, homines ſalvans & jumenta.* & B. Auguſtinus: Qui ſalvat te, ſalvat & gallinam tuam. tamen, ut Apoſtolus ait, ſcimus non eſſe Deo curam de hujuſmodi irrationabilitate, niſi quantum expetit uſus & neceſſitas rationalis creaturæ.

Cereus ad pavonis menſuram factus.

Pſal. 35.

Auguſt. in eum locum.

1 Cor. 9, 9.

VI. Advocatus malus punitus.

In territorio Portiano eſt quidam ager Arvini-curtis[b] vocabulo, ab hoc monaſticæ religionis inſtitutore, per longa tempora poſſeſſus, cujus agri Advocatus dicebatur Adelardus. Hic cùm tutari & defendere ſibi credita debuiſſet, magis ipſe peſſumdare & deterere inſtitit, quàm ab aliorum violentia eripere. totis ſiquidem in res ruricolarum inhians faucibus, per fas & nefas illis ſua auferebat, & propriis mancipabat uſibus. nec tamen id ſolum ſibi, ſi eorum res diriperet, ſufficiebat, inſuper verberibus multis afficiebat. Crebriùs verò à Fratribus qui eidem prædio præfecti fuerant, admonitus ceſſare debere à tanta malignitate, emendare ſe noluit: ſed potiùs in majorem ſævitiam exarſit. De-

a Hugo Abbas ponitur anno 21 XXIV in Gallia Chriſtiana. de eo rurſus infrà capp. 11 & 36.

b Hervini-curtis ſuprà in Aimoini lib. 1 cap. 17. qui vicus mihi videtur eſſe *Harnicourt* vulgò dictus in pago caſtri Portiani, ſiti ad Axonam fluvium infra Regiteſtum, *Retel*, in Campania. Eo loci extat Prioratus à Floriaco hactenus pendens, diœceſis Remenſis, in editis malè Bellovacenſis.

nique

Circ. ann. DCCCLXXXIII Dec. IV.

piique cuidam mulierculæ aliquid abſtulerat, quæ currens ad eccleſiam, ſublatiſque quibus operiebatur lineis, altare diutiſſime flagris [a] cecidit, increpans quaſi præſentem Patrem Benedictum his verbis: Benedicte vetuſtiſſime piger, letargice, quid agis? ut quid dormitas? quid tuos tantis ſubjacere ſervos improperiis ſinis? Quemdam etiam, ut plures omittam, ruſticum multæ ſimplicitatis virum, nomine Arnaldum, ſtimulis nequitiæ exagitatus, dum quadam die agrum exerceret, improviſus adveniens, arrepto ſtimulo quo ille ſuos ſtimulabat juges, tantis affecit verberibus, ut ſemivivum relinqueret. nec ductus pœnitentiâ, ſatisfactione aliqua eum aliquando voluit placare. qui autem verbera paſſus fuerat, ab omnipotente Domino ultionem de ipſo flagitabat, implorans ſuper hoc auxilium Benedicti ſui Domini. Nec diu remoratus Dominus, qui pauperem liberet à potente, retribuit impio juxta ſuam impietatem. namque una dierum audiens ſuos ad locum, ubi erat, properare hoſtes, equum adſcendens, armis protectus obviare illis feſtinat. à quibus fugatus, dum properat equi ſaltu velociter tranſmeare quemdam fluviolum, qui Minio vocatur, cuſpide haſtæ quam geſtabat, longiùs ante ſe protenſa, terræque innixa, ferrum ejuſdem haſtæ verſus ſuum incautiùs reduxit guttur, equoque cui inſidebat, calcaribus incitato, dum rivum tranſire geſtit, lanceam in ſuum guttur demerſit: moxque exanimis effectus, ſociorum manibus ad propria reportatur, nulli deinceps famulorum Patris Benedicti verbera irrogaturus.

VII. Fur perjurus correptus.

Alter etiam Rainerius nuncupatus, qui unus erat ex ejuſdem poſſeſſionis exactoribus, & ipſe, ut rei probavit eventus, erga famulos ipſius Monachorum dicis extitit malitioſus. qui dum multa ſecus quàm debuerat, ageret, frequentiùs falſâ innoxios opprimens calumniâ, & eorum bona iniquâ diripiens violentiâ; cujuſdam viduæ unum quem ſolum habebat, abſtulit porcum. Repetente vidua ſuum, & cum lacrymis precibuſque gemebundis ſuppliciter ut ſibi ab eo redderetur, ſæpius flagitante, nullatenus adquieſcere voluit. Qua de cauſa dolens illa, aſſiduas in ipſum devotationes aggerebat. Die ergo quodam caſu accidit eamdem viduam ex improviſo ingredi domum, in qua cum quibuſdam aliis prandens Rainerius recumbebat. Quæ, cùm ipſam recordatio amiſſi pecoris gravi torqueret mœrore, cœpit, ſicut crebriùs ſolebat, ut ſuus ſibi reſtitueretur expoſcere porcus. Ille verò æſtimans nil ſibi officere quod dicturus erat; incauta protulit temeritate quod poſtmodum pœnituit dixiſſe, putans Patrem Benedictum nihil ducere, ſi quis à ſe ſibi promiſſam fidem prolatis incautiùs verbis auſus fuerit temerare. Per ſacramentum, ait, quod ſancto feci Benedicto, numquam tuum attigi porcum. Idem verò Rainerius, ut ipſe viculi adipiſceretur exactionem, ex more loci jurejurando [b] promiſerat, ne aliquid injuſtum in famulos ſuperiùs dicti Patris moliretur. Igitur poſtquam falſum pejerando protulit juramentum, irâ commotus, cultrum quem fortè tenebat manus, ſuper menſam jecit. qui à menſa reſiliens, mucrone ſurſum verſo, oculum perjuri pupugit, & eum perpetua cæcitate damnavit. Tandem improbus, poſteaquam intellexit, divino judicio uno ſe privatum lumine, profeſſus eſt priùs mendaciter locutum fuiſſe: perpendens viduarum lacrymas nequaquam ſpernendas, quæ à maxilla ad terram deſcendunt, & Dominus omnipotens ſuſceptor eſt earum.

VIII. Prov. 3, 12.

Amplectenda & omni excolenda eſt favore pia miſeratio Omnipotentis, qui quos diligit, corripit, flagellat autem omnem filium quem recipit. Denique

[a] Haccine eſt religio? ſic ferebant illa tempora, quibus temporibus ſi quid ja quavis eccleſia raptum fuiſſet, altaria nudabant, induebant ciliciis, flagellabant, aliaque id genus patrabant: quod poſtea in morem tranſiit, ſicubi interdictum eccleſiaſticum indicebatur. Mauricius Rotomagenſis Antiſtes ob occupata bona eccleſiæ Rotomagenſis præcepit totam diœceſim interdicto ſupponi, ob idque omnes & ſingulas beatæ Virginis, immo & Chriſti Domini imagines in tota diœceſi ſua ſuper cathedram aut ſellam aliquam deponi, ſpiniſque circumdari. qua de re exſtat ejus epiſtola in Spicilegii tomo 2 pag. 521. Porro hoc interdictum anno MCCXXXIII contigiſſe conſtat ex pag. 523. Paullo pòſt Gregorius Papa X ſuſtulit hunc morem, ut oſtendi ad Præfationem Sæculi 2 num. 48.

[b] Formam juramenti quod præſtabant Advocati, lege in fine Præfationis primæ Sæculi 5.

Circ. ann. DCCC LXXXIII Dec. IV. permittit diverſarum ſpiritus infirmitatum dominari interdum corporibus noſtris, ut ſaltem proprio admoniti incommodo, recordemur clementis ejus longanimitatis. Qui ſi tota mentis intentione ejus benignitatem, pro e dein incommoditate imploraverimus, niſi augmento noſtræ obeſſe præviderit animæ, facilem ſingultibus noſtris dabit aditum ad ſe. Gaudet quippe de totius creationis ſuæ ſalute. Quòd ſi etiam juxta quod ſcriptum eſt, ad ejus Sanctorum aliquem convertantur, vocem ſui fidelis exaudiet, noſtras preces ſibi allegantis. Quam noſtram adſertionem approbant mirifica opera, per Patrem Benedictum ſæpius nobis oſtenſa. Quidam etenim vir ex famulis ejuſdem Patris, Archembaldus nomine, frater Hildruardi villici de Braio *, quæ eſt haud contemnenda ipſius ducis monaſticæ cohortis poſſeſſio, igne conſumebatur ſacro. Hic delatus à villa ad illius ſacratiſſima membra, continuis gemitibus Conditoris omnium opem per meritum ſui Domini ſibi implorans opitulari, velociùs quàm ſperabat, exoptatæ reſtitutus eſt ſoſpitati. Sopito namque incendio, qui * jam anteriorem pedis ejus conſumſerat partem, remeavit ovans ad propria, Salvatori Deo devota precum fundens libamina, & ſuum patronum, cujus meritis ſalutem promeruerat, magnis extollens laudibus.

Job 38. 8. — Ignis ſacer reſtinctus. — * Bray — * quod

IX. Simile. Alter quoque eadem detentus incommoditate, juvenis quidam, de Tranſligeranis partibus, à matre in aſino Floriacum devehitur qui vigilantioris fidei ex hoc probatur exſtitiſſe, quoniam mox ut cognovit ſe comburi ſacro igne, nihil pigritatus petiit matrem ut Floriacum deportaretur: habere ſe fidem, per meritum Patris Benedicti ab omnipotente Domino valere ſalvari. nec eum fefellit laudabilis ſuæ fidei devotio. Denique ante aram glorioſæ Dei Genitricis allatus, abſque dilatione per gratiam ejuſdem ſemper Virginis meritumque pii Patris, integræ juxta ſuam fidem reſtitutus eſt ſoſpitati. Lætabundus itaque cum jucunda redit matre, quæ eum mærens, & cum gravi perſequuta fuerat mærore.

X. Feſti violatrix punita. Feſtum Purgationis ſemper virginis Mariæ Dei genitricis, quæ puriſſima & caſtiſſima ſuper omnem humanam puritatem & caſtimoniam ſemper exſtitit, celebrabatur, eratque dies dominicus *. Quædam ergo mulier Teſcelina vocabulo, incola vici Floriacenſis, operam impendebat lanificio. Hæc adveſperacente jam die reputans tam celebritatem ipſam, quàm diem dominicum præteriiſſe, & aliquas ipſius diei lucrari cupiens morulas, accepit colum, lanamque ſuper ſua ſubtiliter extendens genua cum totiſluo ſputamine, eamdem colum tenuiter ipſâ lanâ cœpit involvere. cavebat tamen, ne ſuæ cerneretit quid ageret vicinæ. ſed Redemtor mundi; cujus oculis nuda & aperta ſunt omnia, & Matris injuriam, & ſuam diem ſeverè vindicavit dominicam. nempe cùm diem tantum gemina religione ſacrum inreligioſa mulier temeraret, manibus retrorſum actis omnimoque debilitatis, experta eſt in ſe ipſa, qua ſunt digni pœna ſacrorum violatores dierum. Cum tortione quoque manuum aliud grande patiebatur tormentum. ſentiebat quippe intolerabilem digitorum intercapedine ſuorum exire ardorem. Cúmque immenſis cruciaretur ſuppliciis, vicinarum hortatu mulierum Monaſterium ingreſſa poſt diem alterum, coram altare Dei Genitricis adſtitit, ipſam pietatis matrem continuis flebiliter obſecrans ſingultibus, ut ſui miſereretur: frequenter utique & Patrem invocans Benedictum, ut pro ſe intercederet. Tranſitis ergo aliquot diurnis horis, manibus ad priſtinum reductis ſtatum & ſopito incendio, gratias agit omnium conditori Deo glorioſæque ſemper virgini Mariæ, nullatenus oblita Monachorum Legiſlatoris Benedicti.

* Anno 1046 — Sanatur.

XI. Servorum antiquorū conditio. Memoratus Abbas Hugo quemdam virum de familia Patris Benedicti, nomine Letardum, Teſcelino conceſſerat Petverenſi *, ut tam ipſe quàm ab eo progeniti perpetuò ipſi famularentur obſequio ſervili. qui factus dominus illius, obtinuit eum non paucis diebus. Interpellatus autem idem vir nobilis poſt longum tempus à quodam ſuorum militum Ingranno nomine, ut ſupra-

* de Petiviers

dictum ſervum ei jure beneficii donaret, annuit. Ingrannus quoque obiens, CIRC. ANN.
filio ſuo Iſembardo ipſum poſſidendum reliquit. Genuit autem præfatus Le- DCCC
tardus filium, nomine Rotbertum: quem Iſembardus, utpura proprium ver- LXXXIII
naculum, in ſua aluit & educavit domo. Rotbertus verò factus grandiuſculus DEC. IV.
à ſuis comperiens genitoribus, ſe de familia Patris exortum Benedicti; ſed ab
Abbate ſupradicto, ut vile diſtractum mancipium, indoluit, nec diutius dolo-
rem ſui animi occulere valuit. Facta igitur fuga, ab Iſembardi præſentia ſe ſub- Servi fuga.
traxit. Quem longum latere non valens, ab eodem domum reductus, pœnas
luit quas ſolet fugitivus. inſuper ſacramento ab eo eſt adſtrictus, ne ſervitutis
jugum de reliquo ferre detrectaret. Qui quoniam adoleſcentiæ tempora nec-
dum exceſſerat, ad præſens ſiluit: donec ætate procedente vires colligeret,
quibus ſuo injuſto domino reſiſtere valeret. Poſtquam ergo genas illius flos
veſtierat juventutis, elapſis adoleſcentiæ luſtris Abbatem expetiit GUILLEL-
MUM *, qui tunc temporis præerat Floriacenſibus: apud quem angorem ſui * V. cap. 25.
cordis cum anxiis deponens ſuſpiriis, conqueritur de injuſtitia ſibi ſuiſque in-
lata. Guillelmus itaque cùm eſſet vir ſtrenuus, & ſuam rempublicam ſemper
augmentare toto anhelaret deſiderio, reſpondit ſe illius ærumnarum miſereri
velle, juſtaſque querelas ipſius viris prudentibus palam facere, & ſi quo pacto
valeret, præſidium illi ſeſe fore. Comperto igitur Iſembardus Rotbertum, Contentio
quem ſuum opinabatur ſervum eſſe perpetuum, ad priorum dominorum con- de ſervo,
fugiſſe aſylum, mandat Abbati nominato, ut ſibi proprium reſtituat manci-
pium, alioquin deinceps ſe ejus futurum inimicum. Qui miſſis ad eum qui ſua
referrent verba, mandavit, eum quidem quem injuſtè repetebat, vernaculum
Patris Benedicti fore *, ſe verò inlicitè diutius ipſum poſſediſſe. Quapropter * eſſe
ſi de cetero illum habère vellet ſervum, in jus venire eſſe neceſſe. Quibus
Iſembardus auditis, apud ſe deliberans, quoniam Abbati injuſtè reſiſtere nec
fas, nec poſſe habebat; determinatum mandavit diem, in quo hæc controver-
ſia inter eos finiretur. Die autem ſtatuto, plurimis nobilium & ſagacium viris
ab alterutra parte aggregatis, diu multúmque ſermone altercatum eſt: ſed mi-
nimè ipſa calumnia eodem die finem accepit. Tandem verò multis priùs ex-
actis convenneulis, adjudicatum eſt idem negotium, monomachiâ [a] terminari
debere. Dato igitur die ſingularem ineundi pugnam, in condictum conve- duello fini-
niunt locum, videlicet qui repetebatur, & Airicus quidam nomine, quem ta.
Iſembardus ſuo obtulerat loco, fortis robore, miles officio. Erat autem idem
ſtaturâ procerus: Rotbertus verò puſillus. qui quamvis ſecum confligentis cor-
pulentiam metueret, habebat tamen, uti poſtea retulit, fiduciam in Patre Be-
nedicto ſuo jure domino, & ſibi infeſto viro hunc inculcabat ſermonem: Non
ego tecum decerto, ſed dominus meus, cujus me ſervum profiteor, Benedi-
ctus. Ergo qui illum impetebat Airicus, ut moris eſt, primos ictus intorſit in Duelli ri-
eum. quos ille gratiâ Dei protectus conſtanter ſuſtinens, permanſit inlæſus: tus.
& alternum verber ſuo hoſti tentans incutere, virtute Patris, cujus nomen re-
tinebat mente, manum ipſius ductante, buculam [b] clypei quo ſuus regebatur
adverſarius, fortiter perculit. quæ claviculis quibus affixa tenebatur, avulſis,
longiùs reſilivit, moxque manus adverſarii nuda apparuit. Quippe foramen in
clypeo fuerat, quod bucula protegebat, deintus ſemipedali adfixa ligno, quo
manu retento, gravem ille Rotberti adverſarius faciliùs verteret clypeum.
Rotbertus cernens manum ſecum dimicantis nudam, ictu repetito toto cona-

[a] Vigebat adhuc ſæculo XI duellum in cauſis Monachorum, ut patet tum ex hoc loco, tum ex aliis pluribus. Quædam exempla profert Andreas Cheſnius in Notis ad Bibliothecam Cluniacenſem; quædam item Acherius noſter in Notis ad Guibertum. Memorabile eſt hanc in rem diploma Ludovici ſexti Francorum Regis, Theobaldo Abbati Foſſatenſi conceſſum anno MCXVIII, ut ſervi ejus Monaſterii *adverſus omnes homines, tam liberos quàm ſervos, in omnibus negotiis liberam habeant teſtificandi & bellandi licentiam.* Id poſtea prohibuit Gregorius Papa IX litteris datis ad Abbatem & Monachos Foſſatenſes.

[b] Umbo clypei, ubi manus inſerenda, vulgò *boucle*. unde Gallicè nomen clypei *bouclier*, ex Bollandiana notatione.

CIRC. ANN. DCCCLXXXIII; DEC. XV. mine eam percuſſit. At ille doloris impatiens, clypeum remiſit: & quoniam manu debilitata qua tegumen regebat, qua arte ſe tegeret, non habebat; aſſiduo Rotberti verbere fatigatus, victum ſe proclamat. Dehinc exarmatus à victore, cum Iſembardo, pro quo ignominioſum certamen inierat, confuſus rediit ad propria, de reliquo haud dubius, Patrem Benedictum nequaquam ſuis defore in adverſis rebus. Hæc victoria facta eſt Floriacenſibus non modica exſultatio: hoſtibus verò maxima confuſio. Porro demonſtravit Pater ſanctus in hoc facto neminem, ſuos poſſe aliquo pacto diſtrahere vernaculos. Videant ſibi, qui famulos, cenſus, prædia, ſanctis locis attributa ob laudes omnipotenti Domino perſolvendas, nefariè diſtribuunt laicis, ſeu cujuſcumque generis perſonis.

XII. Miſerum genus hominum pagos incolentium vix umquam levi jugo Chriſti ferream cervicem ſubmittere appetit ſuam: ſed qualiter ferox taurus indomitæ fronti primum præſentiſcens imponi jugum, ſtimulis actus recalcitrat, ſulcos agens obliquos: ſic illud genus hominum ſemper ſacræ renitens religioni, vix aliquando viam rectitudinis incedere conſentit. Unde quidam ruſticus, dum
Translatio-nis S. Benedicti feſtū. Sacerdote ex more præconante audiſſet, celebrem ſollemnitatem tranſlationis Patris Benedicti adnunciari, quæ quotannis apud plurimas celebriter recolitur in menſe Julio nationes; parvipendens ejuſdem præceptum Sacerdotis, qui juſſerat omnes ſuos parrochiales eſſe feriatos, ſtatuit eo die agriculturæ operam dare. Habitabat autem idem in agello quodam Patris Benedicti, Vinoilo dicto. Diluculo igitur ſurgens, vicinis cunctis ab opere manuum vacantibus, ipſe ſolus junctis bobus in agrum quem exercere cupiebat, tendit, cum quem in hieme proſciderat, gliſcens reſcindere campum, ut tam æſtatis calore, quàm
ejus violator caſtigatus. hiemis rigore decoctus, & ſementis tempore dentata crate glebis attritis in pulverem redactus, ſemine ſuſcepto abundantiorem diebus meſſis ſuo cultori exhiberet frugem. Dum ergo cupitum perageret opus, ecce adſtitit ei quidam in ſchemate monachali, qui utraſque illius manus tenens, bifurco quo aratrum regitur, tam fortiter adſtringit ligno, ut ſanguinem per omnes ejus ungues eliceret, & ruſticus idem aliquo prorſus pacto eas divellere ab eodem nequiret ligno. Quo facto, qui apparuerat Monachus, nequaquam ulteriùs ſibi eſt viſus. ille pariter dolore nimio anxius, & rubore confuſus, hæſitabat quid ageret. Concurrentibus verò quibuſque, & tanto ſtupentibus prodigio, cognoverant enim per bubulcum, qui effrenato animo eis intimaverat; detegit quid viderit, manifeſtè videntibus quid ſibi acciderit. Conjectantes itaque qui ad-
* viſo currerant ex circumſtantiis, ex Monachi videlicet oromate * & diei feſti ipſius violatione, Monachorum ducem hanc ultionem de præſumtore tanti facinoris patraſſe; hortantur, quatenus votum eidem Patri faciat, ſe ſollemnitates illius,
voto facto noxa remiſſa. quo advixerit tempore, numquam temeraturum; Monaſterium ejus petiturum, pænitentiamque tanti commiſſi acturum. Vovente hæc illo, & omnibus quos tantæ rei ſtupor inexpertus adtraxerat, Dominum omnipotentem pro eo exorantibus, Patremque Benedictum lacrymabili voce crebriùs inclamantibus, ut miſero miſereretur; relaxatæ ſunt manus illius, & cœpit adſtare ſolutus, qui ante paullulum inviſibilibus loris tenebatur adſtrictus. Indicibili ergo exhilaratus gaudio, votum quod fecerat, efficaciter implere ſtuduit. Nam Floriacum tendens, præſentavit ſe Abbati RAINERO [a] Fratribuſque in die octava ejuſdem feſti, dum celebraretur Miſſa: referens quàm magnifica in ſe oſtendiſſet Dominus omnipotens magnalia per ſui fidelis Benedicti merita. At illi magnâ tripudiantes lætitiâ, totâ cordis inſtantiâ Salvatori laudes proclamant, magnum Patrem magnis extollentes præconiis: eique in quo tantum oſtenſum fuerat miraculum, ſalubribus correcto verberibus licentiam tribuentes regredi ad propria. cognoverat enim, nequaquam ſui Sacerdotis ſpernenda ſibi
Luc. 10, 16. monita, quoniam de talibus dicit Salvator: *Qui vos ſpernit, me ſpernit; & qui vos audit, me audit.*

a Rainerus Abbas coronationi Philippi Regis interfuiſſe memoratur anno MLXIII.

Circ. ann. DCCCLXXXIIII Usq. LV.

XIII. Mulier contracta erigitur.

In territorio Trecaſſino quoddam habetur prædium juris ejuſdem Patris, ſuper Sequanam fluvium, ob oratorium in illius honore inibi conſtructum Sanctus Benedictus ſuper Sequanam nuncupatum. Porro habitabat in eo mulier Maria nomine, quæ diutino detenta languore ſpina dorſi contracta, effecta fuerat curva, ita ut nullo pacto ſuos verſus cælum erigere valeret vultus. Hæc indigena ipſius prædii, de familia ejuſdem Patris originem trâhebat. Multis itaque in eadem curvitate permanſis luſtris, deſperaverat jam de ſua ſalute, nequaquam audens opinari, ſe ulteriùs poſſe ſubrigi. Quadam ergo die dominica, dum in eodem oratorio adſtans cum ceteris Miſſæ celebrationem audiret, legereturque Evangelium; nodis ſpinæ qui diu de ſuo deſciverant loco, in antiquum remeantibus ſtatum, dorſo in breviorem modum retracto, ventreque qui per multum tempus contractior fuerat, in longiùs ſpatium extenſo, cœpit ſubitò ſtare erecta, quæ per longa jam tempora ambulaverat prona. Stupentes omnes qui aderant, quique eam ab infantia noverant, & ipſius infirmitatis conſcii fuerant, tam inſperatum remedium; palmas ad cælum tendunt, ſummum opificem per ſanctum Benedictum laudantes, qui ſuum auxilium ejus impendere dignatur veneratoribus. Mulier denique illa multa laude meritum ejuſdem attollens Patris, in ea quam receperat, ſanitate perſeveravit uſque ad ſuæ terminum vitæ.

XIIII. Monacho loquela reddita ad confeſſionem.

Cùm ſint reliqua quæ ſcribimus miſericordiæ opera, per Patrem Benedictum ab omnipotente Domino miſericorditer impenſa, unum tamen quod propriè dici valeat miſericordiæ opus, referre dignum duximus, tam pro ſui dignitate, quàm pro congruè ſumenda imitatione ſimili jure, ſi aliquando fuerit neceſſe: & ut clariùs liqueat pia miſeratio Patris Benedicti, quam propenſiùs impendit eis, qui levi Chriſti jugo ſua ſubdere feſtinant colla, illius provocati magiſterio. Quidam ergo noſtræ congregationis Monachus HUMBALDUS dicebatur, qui ætate juvenis, dum in ſuis actibus ſtrenuus videretur, quarumdam poſſeſſionum Floriacenſi loco ſubditarum [a] adeptus eſt tutelam, Almeri-curtis videlicet, ac earum quæ ei ſubjacent. quibus cùm fere annis tribus perduraſſet Præpoſitus, diſpoſuit aliquando more ſolito Floriacum reviſere, geſtiens noſſe, utrum omnia apud ſuos concives agerentur proſperè. Cœptum itaque iter agens, contigit ipſum in via graviter infirmari: ſed nullatenus moleſtiæ cedens, licèt quotidie languor ingraveſceret, tandem moribundus, nimio tædio fatigata Floriaco ſui compos deſiderii intulit membra: ubi dum morbo confractis viribus in lecto decumberet, viſitatus à Fratribus, admonetur, quatinus ſui memor in extremis, Abbati ſeu cui liberet ſeniorum, propria confiteretur peccata. qui corvinam æmulatus vocem, cœpit promittere, in craſtinum ſe quod monebatur, acturum. Miror nimirum, quæ oblivio illius inſederat menti, cùm id maximè ſtudium omni fore debeat Chriſtiano, præſertim Monacho, ſi peccaverit, quod humanum eſt, ut ſtatim currat ad medelam, confitendo ſcilicet proprium alicui religioſo commiſſum. Quòd ſi etiam à noxiis criminibus Omnipotentis munere immunis habetur, humilitatis tamen eſt cuſtodia, reum ſeſe credere, & confiteri omni hora juxta legis ſuæ ſancita; tunc verò præcipuè, cùm pulſatur vel modica moleſtia, quatenus ſemper de ſe ſecurior exſiſtat. Is ergo, de quo dicere cœperamus, ægrotus, à ſuis etiam intimis iterum atque iterum de eodem pulſatus amicis, cras ſemper differendo ſicut & ceteris promittebat. Neque aliquo ab ipſo potuit extorqueri pacto, confeſſionis remedia ſibi velle adhibere. Hoc tamdiu reſpondit, donec amiſſa voce protinus loqui deſtitit. Comperientes deinde Fratres ipſum obmutuiſſe, conſternati animo, ignorabant quò ſe verterent: metuentes Fratris illius conſcientiam alicujus maximi facinoris maculâ pollutam, quod nec in extremis

Præpoſiti officium.

Confeſſio, etiam venialium.

Reg. S. Bened. cap. 4.

Confeſſionis dilatæ pœna

[a] Præpoſituræ ſiquidem eo fine inſtitutæ ſunt, ut Præpoſitus uno aut altero ſocio adhibito prædium aliquod procuraret, uti aliàs dicendum uberiùs, Deo dante. Interim lege Browveri librum primum Antiquitatum Fuldenſium cap. 7.

Circ. ann. DCCCLXXXIII Dec. IV. ſuſus fuerit manifeſtare. Mota ergo in capitulo quæſtione, quid agi deberet ſuper hac re, formidantibus omnibus de Fratris illius ſalute, unus eorum nomine GAUZBERTUS[a], vir timoratus, qui etiam Abbatis officio functus fuerat, ſed ſibi ſubjectorum mores nequaquam emendare valens, renuntians nomini quod incaſſum tenebat, Floriacum amore Patris Benedicti experierat, taliter intulit: Miror, vos Fratres, viros ſapientes ſuper hoc negotio ſic pendulos, cùm habeatis in præſenti tantum patronum legis veſtræ ſanctiorem, prærogativâ miraculorum præclarum. Si placet itaque vobis meum conſilium, ingreſſi Monaſterium[b], coram ipſo terræ proſternamur: placemus per ipſum iram ſummi Judicis cantatâ letaniâ cum ſeptem pſalmis. Audita Fratres ſapientis viri exhortatione, acclamant quod ſuggeſſerat, debere fieri. Ergo proſtrati pavimento ante tumulum Patris, pſallebant letanias cum ſeptem pſalmis. quibus expletis, conjungunt Fratri ægrotanti Fratrem quemdam ſanæ mentis virum, nomine MILONEM: qui dum eum nomine proprio vocaſſet, ille quaſi de ſomno mortis evigilans, oculos aperuit: & ſibi protinus reſumto ſermone reſpondit; deinde admonitus, ſua confeſſus eſt peccata. His peractis, Viaticum ſuæ ſalutis, corpus utique & ſanguinem Domini, accipiens, vitâ deceſſit. Fratres verò exhilarati oppidò, gratiarum actiones retulerunt omnipotenti Domino, qui tam magnificè ſubvenire dignatus eſt per eos Fratri perituro, Patris Benedicti merito.

Optimum conſilium. — *Viaticum.*

XV. *Prædo excommunicatus.*

Albericus unus ex primoribus caſtri Caſtellionis[c] quod eſt ſitum ſuper Lupam fluviolum, veſaniæ ſtimulis agitatus, creberrimis deprædationibus prædia ſæpius dicendi Patris devaſtabat, maximè illa quæ Curti-Matriniacenſi[d] adjacent. Qua de re, mandaverunt ſibi tam Abbas RAINERIUS, quàm Fratres ſub eo degentes, ut commiſſa corrigeret, & de cetero adverſus Patrem Benedictum talia committere caveret. qui pro nihilo ducens mandata, peſſimis adjecit pejora. Dolentes verò Fratres Patrem ſæpius nominandum contemtui haberi, & famulos ſuos extenuari; inito conſilio concorditer prædonem illum cum ſibi in hoc ſcelere participantibus anathematis mucrone, ni ceſſaret, & neglecta emendaret, mulctarunt[e]. Idem autem in malis perſeverans, eorum excommunicationem quaſi aliquod frivolum deſpexit: induratus animo, neglecta neglexit emendare, & à ſua perverſitate noluit ceſſare. Proinde Omnipotens qui clamores humilium nequaquam ſpernit, & qui gemitus viduarum & pupillorum ex alto proſpicit, dignatus eſt conſolari ſub hac anxietate ſervos ſuos. Contigit enim, ut ſuprafatus prædo ductaret exercitum Comitis THEOBALDI ſuper habitatores caſtri, quod à ſæcularibus viris, turpi cenſetur vocabulo; à nobis verò quibus prohibitum eſt turpiter loqui, Malumtalentum vocatur. qui dum dux in primo agmine iter faceret, propter curtem jamdictam Matriniacenſem, exterriti qui eam inhabitabant, videntes hominem ſibi infeſtum cum tanta adfore militum multitudine, exierunt ei obvii cum armis, in locis videlicet opportunis ejuſdem vici, ne patentibus ſibi aditibus, valeret eis aliquid inferre diſcriminis. Unde indignatus ille nequam, comminatus eſt cum multo juramento, perfecto negotio quo tendebat ſe omnes eos captos ducturum, inſuper & vicum eumdem incenſurum. Cui viri illi reſpondentes, dixerunt: Te quidem palam eſt multum poſſe & velle nobis nocendi habere. Potens autem eſt Deus, meritis Domini noſtri cujus ſervi ſu-

Excommunicatione ſpreta malè periit. — *Nota*

[a] Gaurbertus in editis, mendosè. Is Abbas fuerat (ni fallor) Ferrarienſis, cujus mentio in Vita ſancti Aldrici Epiſcopi Senonenſis, ſupra. Id ſi ita eſt, longè extra ordinem poſitus eſt in editis, ubi ſextus-decimus habetur. Sanè ejus tempore maximè laxatam fuiſſe regularem diſciplinam, patet ex prædicta Vita. quod ſatis convenit in hunc locum.

[b] Id eſt eccleſiam, ut ex contextus ſerie manifeſtum eſt.

[c] Vulgò *Chaſtillon ſur Loin*, ſupra urbem Montem-Argi ad Lupam amnem in Burgundiæ pago Vvaſtinenſi, *le Gaſtinois*.

[d] Curtis-Matriniaci infrà, vulgò *la Cort Marigny*, diœceſis Senonenſis ſub Decanatu Vvaſtinenſi. ad quem etiam pertinet Bondellum, quod (ſi non fallor) *Malum-talentum* Auctor inferius vocat religionis cauſâ. Matriniaci meminit Adrevaldus non ſemel.

[e] De excommunicandi ritu per id tempus ſervato dictum in Præfatione hujus Sæculi.

mus Benedicti, ab interminati à te, potenter liberare nos calamitatibus. Ille cum voce minaci, equo calcaribus concitato, quò tendebat, perrexit miſer. qui cum Patrem Benedictum debuiſſet ſupplici voce, ut ei in auxilium eſſet, in tali diſcrimine ne periclitaretur, expoſcere, conteſtatus eſt ſervos illius in prædam ſe minaturum, bona eorum direpturum, & habitacula igni crematurum. Dum ergo perveniſſet ad caſtrum ſuperius relatum, adorſus illud cum prima quam regebat cohorte, (reliquus enim exercitus cum Comite longè poſt ſequebatur) cœpit ſagittis & diverſis miſſilibus eos qui intus erant, infeſtare. Armati verò egreſſi portas caſtri ejuſdem indigenæ, in eo quod accidit, probati ſunt ſtrenuè reſtitiſſe. Tendens enim quidam adverſæ partis arcum, jecit ſagittam in Albericum: qui exictus, ſuper unum ſuorum genuum, mox de equo cui inſidebat, ita proclivus corruens, ut galea telluri illideretur, exſpiravit, & quas incaſſum adverſus Patrem noſtrum effuderat minas, perire permiſit. nihil nempe poſt vulnus acceptum loqui valuit. Hujuſmodi retributionem ſuperbo Deus ultionum Dominus reddidit. Circ. ann. DCCC LXXXIII. Dec. IV.

Seguinus quoque hujus Alberici, de quo ſuprà retulimus, tam carnè quàm malitia germanus, nullatenus terrifica morte ſui fratris territus eſt. Denique ſceleratior fratre evaſit, majora adverſus Patrem noſtrum præſumens, multimoda crudelitate in famulos ejus graſſatus. Qui poſt necem fratris, pro abſolutione ejuſdem Floriacum pervenit: & ea impetrata ſpoponderat ſe de cetero fidelem futurum, & de propriis multa largiturum. Sed omnia mentitus, pro fideli infidelis, pro largitore raptor effectus eſt. Hic ergo devium fratris iter ingreſſus, cœpit & ipſe rapinas exercere de Patris Benedicti poſſeſſionibus, ipſius famulos quos poterat, capiens, & eorum bona diripiens, tamquam ultionem fratris de Patris Benedicti expeteret famulis. qui & ipſe ſæpius admonitus à ſua ceſſare debere malitia, nullò modo adquievit. Ad extremum dum quadam die prædas de terra quæ Curti-Matriniaci adjacet, agens, ſuillum gregem minaſſet; directi ſunt ad eum qui ſua repeterent, & emendationem ſuaderent. qui abeuntes, invenerunt eum in ſua domo. Erat autem ipſa domus lignea turris. quippe vir potens erat, ex nobilioribus indigenis ejuſdem caſtri, cujus fuerat & Albericus. Turris ergo illa in ſuperioribus ſuis ſolarium habebat, ubi idem Seguinus cum ſua manebat familia, colloquebatur, convivabatur, & noctibus quieſcebat. porro in ejus inferioribus habebatur cellarium diverſi generis retinens apothecas, ad recipienda & conſervanda humani victus neceſſaria idoneas. Solarii verò pavimentum, ut moris eſt, compactum erat dolatilibus trabeculis, quæ parum quidem habebant ſpiſſitudinis, ſed aliquantum latitudinis, plurimum autem longitudinis. Denique in hoc ſolario qui miſſi fuerant, prædictum virum reperiunt; qui eum convenientes, quæ injuncta fuerant, mitiori ſermone ei cœperunt recenſere. At ille his quæ mandabantur, minimè intendit: ſed efferatus animo, ore reſpondit furibundo, inquiens cum terribilibus juramentis, velle ſe injeciſſe Monaſterio ſancti Benedicti tantarum vitium ignem, qui turres ejus combureret, & quaſque ei contiguas ædes depaſceretur. Hæc loquebatur ſtans in ſummo unius trabeculæ, quibus, ut diximus, ſolarii pavimentum conſiſtit. quæ vix venenato evomuerat ore, cum trabeculæ, cui pedibus inſiſtebat, caput ruit, ſublata in altum altera ejus extremitate ille verò deorſum capite corruens, tali lapſus eſt caſu, ut caput ejus inter duas arcas quæ in cellario (quod ſubeſſe ſolario diximus) erant, infigeretur inſtar cunei ligno impacti, reliquo corpore ſuper unam earum arcarum rejecto. Facto clamore, famuli domus in cellarium ruunt: reperiunt autem dominum ſuum confractis cervicibus animam exhalaſſe. quem reportantes ad ſuperiora, pro ejus morte ſubita ama- XVI. Excommunicatus ſolutus poſt mortem. Alius prædo male perit.

a Superius conclave ſignificari nomine ſolarii frequentis exemplis conſtat. Egregium habetur in diplomate Guntchramni Regis pro conditione Cabilonenſis Monaſterii ſancti Marcelli, ubi præcipitur, ut *ſolarium cum caminata illi de Gergiaco & de Aliaco faciant.*

Circa ann. DCCC LXXXIII Dec. IV. riſſimas fundebant lacrymas. Hoc exitu obſtructum eſt os loquentis iniqua, renovata eſt in hoc perfido antiqua ejuſdem Patris potentia: dum corruente Florentio tota domûs fabrica manſit inlæſa, præter ſolarium, cui idem Florentius inſiſtebat. ſic & iſto ruente tota turris fabrica permanſit integra, ſola trabecula cui ſuperſtabat, ruinam paſſa.

Greg. lib. 2 Dial. c. 8.

XVII. S. Benedicti cœmeterii immunitas.

Eſt quoddam prædiolum in Leomanſi [a] pago, quod vocatur Alſonia, Patri Benedicto à LEOTBERTO viro probo olim attributum: ubi tantam miraculorum frequentiam idem Pater per gratiam ſibi à Deo largitam oſtendit, ut omnes ipſius nationis homines eumdem locum maxima devotionis veneratione excolant. Denique cruces aliquantum excelſas per gyrum cœmeterii poſuerunt, quas nemo ſuum perſequens inimicum, quamvis exitiali ejus odio detentus, tranſgredi audeat, ſi ad eccleſiam in eodem loco conſtructam confugium fecerit. Fugitivi denique, homicidæ, & quicumque aliqua alia reatus ſui anxietate cogente ad eumdem confugerint locum, immunes exſiſtunt, quamdiu infra cœmeterii terminos ſe ſe continuerint. Nemo aliquid furari, ſeu aliquam fraudem de qualibet re alicui facere in eodem audet atrio. Contigit ergo die quadam, venatores Adelardi cujuſdam nobilis viri, Advocati videlicet illius prædii, venatu redeuntes, feſſos ibidem cum ſuis reſediſſe canibus. Cumque non haberent unde ſuis paſtum canibus exhiberent, querimoniam ſuam ad Iſaac quemdam prudentem referunt virum, quem Fratres Floriacenſes ipſi præfecerant poſſeſſioni. qui dum ſe ignorare quid agere valerent, reſpondiſſet; inquiunt illi, de annona Patris Benedicti, quæ in eodem reſervabatur loco, unum ſextarium ſe præſumturos, ut inde cibus præparetur canibus. At ille infert, neqoaquam impune id eos poſſe perficere: ſuum verò nullatenus ſuper hac temeritate habere conſenſum. timere, ne pœna huic præſumtioni mox adfutura, in ſe ſi accideret, relaberetur. Illi quæ dicebantur, pro nihilo ducentes; ut animo conceperant, annonæ quantum ſibi videbatur, auferunt, attritu molarum in farinam redigunt, ſuis exinde paſtum beluis conficiunt. quos talibus ſaturos alimentis, imminente nocte, unà includunt domunculâ. Diluculò autem de ſuis cubilibus exſurgunt, ſolitam venationi operam dare cupientes: adeuntesque cubiculum, in quo ſuos recluſerant canes, januam eis patefaciunt: & introſpicientes, vident eos vitâ defeciſſe, alios pavimento toto proſtratos corpore, quoſdam reſupinato ore mortuos jacere, alios parieti domus anterioribus veſtigiis inhærere, reductis capitibus in terga. Quod cernentes, clamore ſublato femora ſua palmis alii quatiunt, alii complexis manibus ſonitum grandem cum voce querula emittunt: timebant enim pœnas à domino ſuo pro amiſſione canum juſtè ſibi irrogandas. Diu ergo ſtupidæ admirationi vocibus queſtuoſis immorati, tandem recedunt, domino ſuo infortunium quod ſibi acciderat, & quàm ſeverus ultor Pater Benedictus in eos exſtiterat, relaturi.

Annonæ raptæ pœna.

XVIII. Simile de prato.

Alio quoque tempore, dum milites propter eumdem viculum horâ ientandi iter carperent, diverterunt illoc. dumque alii cibos & quæque commeſſuris appararent idonea, unus eorum ſuo inquit armigero: Cur, hominum inertiſſime, tanta te oppreſſit ignavia, ut aliqua non ſubminiſtres tuis equis pabula, quandiu procurantur nobis epulaturis neceſſaria? At ille ſe neſcire dicit, à quo quidquam feni vel palearum depoſcere poſſit. Vade, inquit, in pratum S. Benedicti, quod huic adjacet villæ, & collecto herbæ faſce, quem ſolus valeas collo equi imponere, defer, & tuis appone animalibus. Ille præceptis domini ſui parens, mutuata falce à quodam in pratum evolat, herbam totis viribus reſecat, ut quantocius repedare valeat, ne ſociorum defraudetur epulis. Interea dum ille illicito inſtaret operi, vidit eum quidam de pagenſi-

[a] Alſonia, *Auſſon*, vicus eſt diœceſis Senonicæ in Decanatu S. Florentini, cujus viſi eccleſia pendet à Monaſterio Floriacenſi. Iſtic proinde ſtatuendus eſt pagus *Leomanſis*; ſi hic non erravit typographus, rectiùs *Leomenſis*.

bus,

Circ. ann. DCCCLXXXXIII. Dec. XV.

bus, & accurrens ocius, nuntiavit prædicto Iſaac villæ Præpoſito. erat enim pratum illud contiguum domui ejus. Intuitus autem Iſaac armigerum falce gramen prati præcidentem, à longè excelſiori inclamat voce: Quiſnam es, ô homo nefarie, qui contra fas temerator ingreſſus es ſancti pratum Benedicti? egredere peſtifer velociùs, ne divina ultio celeriùs te diſperdat. Ille autem voces contemnens monentis, in hæc ludicra prorupit verba: Sanctus, ait, Benedictus hac vice hoc modicum mihi indulgebit facinus. & facto herbæ faſciculo, ſuum repetiit hoſpitium, ſuis animalibus exhibens pabulum. Deinde feſtinus properans ad domum, ubi ſui convivabantur comites, & ipſe convivatus eſt cum eis. Conſumtis itaque dapibus finitoque jentaculo, proprium unuſquiſque conſcendens equum, tendere feſtinant quo diſpoſuerant. Contemtor autem Benedicti Patris poſtremus omnium de villa egreditur, credo aliquantulum herbæ ſuperfuiſſe, quam ut ſuus conſumeret equus exſpectabat: & ipſe demum ut ſuis conjungeretur ſociis, qui longiuſculè jam aberant, equo calcaribus admiſſo eos inſequi conatur. ſed antequam de villa exiret, equus præceps in terram cadens, conliſa cervice, mortuus ruit. Eques qui ei inſidebat, & ipſe labitur: confractoque femore, ab humo, niſi aliorum ulnis ſublevatus, ſurgere nequivit. Concurrente turba ad tám ſubitam divini examinis vindictam, & ipſe Iſaac adfuit, increpans miſerum his verbis: Nonne tibi dixeram, miſerabilis, B. Benedictum ſuas injurias nequaquam diu dimittere inultas? ſed quia mihi credere renuiſti, ecce contritis membris jaces inutilis.

Quidam pro admiſſis à ſe criminibus, metuens diem extremi examinis, ut ſummi Judicis ſibi metum placaret, ſua ferro [a] ligari fecerat brachia: & quamplurima peragrans terrarum ſpatia, Sanctorum expetiit loca multorum, gemitibus exorans crebris, quæ ipſius redarguebant conſcientiam, deleri ſcelera. Porro hoc per aliquot vigilanter continuans recurſus annuos, licèt fideliter adſtipulari debear, quorum memorias Beatorum adierat, eos Omnipotentem pro abſolutione facinorum ipſius exoraſſe, tamen nullius manifeſtam opem perſenſiſſe videbatur. Hæc etenim illius exſtabat fides, ut poſtquam à pio Judice ejus remitteretur peccatum, mox ſubſequeretur ſolutio brachiorum. Dum ergo circumquaque diſcurrit, Patris Benedicti ſuffragium ſibi utile fore confidens, Floriacum attigit: & majorem ingrediens eccleſiam, in qua ejuſdem Patris ſacratiſſima requieſcunt oſſa, devota precum libamina ante ſingulas perluſtrando aras Deo offerebat. Perveniens autem ad aram [b] Dei Genitricis, quæ pone ſe habebat altare ſæpius nominandi Patris, protenſis in cælum manibus omnipotentem Dominum precabatur attentiùs, ſua ſibi relaxari debita, Dei Genitricem cum eodem Patre frequentiùs invocans. Et dum intentus eidem eſſet orationi, ſubitò rupto clavo quo ferreum conſtringebatur vinculum, ferrum in pavimentum dato crepitu reſilivit. At ille ſolutum ſe cernens, & in eadem ſolutione viſibili peccaminum inviſibilia vincula relaxata intelligens, exhilaratus oppidò indicibili tripudiavit gaudio, proclamans omnipotenti Domino laudes, ac Dei Genitrici Patrique Benedicto innumeras reddens gratiarum actiones.

XIX. Pœnitens ferro constrictus, Floriaci ſolvitur.

Exigente mole peccaminum, accidit aliquando ferventiſſimam per aliquot menſes continuari ſiccitatem, ſidere ſolis ſuo fervore omnia acriùs ſolito perurente. Unde contigit Floriacenſes graviter affligi, durriſſima per aliquantum temporis in homines deſæviente peſtilentia. Cerneres domos vacuas pereunte ſubitò patre-familias cum prole & tota clientela; promtuaria vino redundantia, arcas tritico videres refertas; & non erat qui attingere auderet, areſcentibus hominibus, præ timore qui ſupervenerat univerſis. Quippe cum

XX. Peſtis remiſſa delatis reliquiis S. Mauri.

[a] Plura ejuſmodi pœnitentiæ exempla, quæ adhuc ſæculo XI vigebat, vidimus in Præfatione Sæculi 2 num. 41, & in lib. 3 de geſtis S. Convvoionis Abbatis ſuprà.

[b] Altare matutinale vocant, quod hactenus pone altare ſancti Benedicti viſitur.

Circ. ann. DCCCLXXXIII Dec. IV. cum quo modò loquebaris, mox adſpiceres vel audires interiiſſe inaudito necis genere. Sentiebat aliquis ſe ſe pungi ſubita punctione, vel in humeris, vel in brachiis, ſeu ſemore, pectore, ventre; & extemplo in terram corruens, moriebatur. Hæc intemerabilis lues aliquot menſtruis recurſibus Floriacum obtinuerat. Decreverunt itaque tam Fratres, quàm cuncta ejuſdem loci plebs, ſacra celeberrimi Martyris Mauri membra cum letaniis proceſſionaliter deſerre ad matrem ipſius burgi eccleſiam, quæ in honore teſtis Chriſti Sebaſtiani eidem Chriſto dicata erat: confidentes Salvatorem meritis ſui fidelis, cujus reliquiæ deportarentur, precibuſque Patris Benedicti placatum, plebi ſuæ miſerturum. Nudis pedibus. Condicto ergo die, diſcalceatus pedes, lacrymis perſuſus, tam ſacer ordo quàm populus, cum parvulis & mulieribus, beati Martyris membra duobus ex clero pro conſuetudine in humeris geſtantibus, cum letaniarum ſupplicatione ad ſupradictam perveniunt eccleſiam. ubi quanti profuſi gemitus ex intimis cordium fuerint, quantæ lacrymæ effuſæ, quanta precum vota omnipotenti Deo oblata, nimiùm difficile eſt proſequi. Expleta ergo ex more Miſſarum celebratione, redeunt quiſque ad ſua, præſtolantes omnipotentis Dei immenſam clementiam, quæ non diu abfuit. Namque mox ſicco excluſo aquilone, humidus auſter libero volatu Floriacos perflans campos, omnia torifluis humectavit pennis, quæ ſolis fervor arida reddiderat, largo imbre irrigans ſola. Corpora quoque cùm hominum, quàm reliquorum animalium, grato relevans temperamento, omnem prorſus in eis exſtinxit ardorem. Ceſſante itaque immoderato ſolis fervore, ceſſavit & peſtis inviſa: nec deinceps, præter conſuetum morem, in eodem aliquis loco eo tempore obiit. Porro qui à tanta liberati fuerant clade, totis præcordiis omnipotenti Domino debitas perſolvunt laudes, beato Martyri Mauro Patrique Benedicto meritas agentes gratiarum actiones.

XXI. Simile. Paucis diebus revolutis, eadem peſtifera lues invaſit incolas caſtri, quod Gordonicum vocatur, in pago Biturico ſitum. Sole denique vires ſolito majores exerente, tanto ardore Gallicam regionem torruit, ut fontes qui toto pæne hactenus ævo fluxerant, ſiccati, nequaquam conſuetum ſuis potum præbere ſufficerent accolis. Tellus verò hiulcis paſſim fiſſa rimis, pandebat hiatus creberrimos & ſolito profundiores. Proinde amnes largiflui, qui inſtar abyſſi magnæ oneriferas vectare conſueverant naves, exſiccatis alveis, amiſſo navigii uſu, tranſitum duodenni præbebant puero, ſi neceſſarium foret pedibus tranſire. Quid de pratorum retexam exuſtione, quæ viroris decore, æſtatis tempore veſtiri ſolent graminibus, ſpeciem lapidis ſmaragdini æmulantibus, quæ æſtu ſolis attrita ſic aruerant, quaſi numquam aliquid humoris habuiſſent? Porro tot & tantas noſtræ ætati inexpertes ærumnas comitabatur mortiſera lues, quæ humanorum corporum innumeras quotidie dabat ſtrages, quæ lues maximè incolas ſupraſati angebat caſtri, cùm reliquæ clades pæne toti dominarentur Gallico orbi. Nihil in eo apparebat caſtro, niſi mortis imago: omnia plena luctus, plena mæroris, plena doloris. Nuſquam riſus, nuſquam cordis lætitia, nuſquam vultus hilaritas: omnes ſubmiſſis in terram gradiebantur oculis. Non ibi exaudiebantur voces exſultantium, non mulierum tinnuli concrepabant cantus choros ducentium. Nulla in plateis plebis frequentia: & mirum quòd in tam populoſo opido vix rara aut nulla, metu mortis cunctos percurrente, videres conventicula. Decor mulierum, puerorum laſcivia, juvenum petulantia, varius veſtium ornatus in pullos commutatus fuerat amictus. Nec immeritò. vix enim aliqua immunis à cadavere inibi reperiebatur domus. Quippe cum quo aliquid tractabas modò homo poſt paullulum fiebat cadaver. Moriente aliquo, quærere ſolemus veſpillones, qui defuncto procurent ſepulturam: ibi verò antequam ſciretur qui in eis mortui poni deberent, quamplurimæ ab illius officii miniſtris fiebant foſſæ, certis nullatenus mercede ſui laboris ſe poſſe fraudari. His & amplioribus opi-

dani jam dicti caſtri coartati maſſis, tandem rediit ad memoriam, qualiter omnipotens Dominus per beatum Martyrem Maurum, comitantibus Patris Benedicti meritis, de cruentiſſima peſte ſuperioribus annis Floriacenſes liberavit. Cunſilio ergo inito decernunt prudentes Floriacum dirigere viros, qui communes populi preces Fratribus intimarent Floriacenſibus, quatinus Chriſticolæ ſuffragari non differant plebi gregatim pereunti, deportato corpore ad eos jam dicti Martyris cum Benedicti Patris reliquiis. Venientibus ergo Floriacum legatis, & rem pro qua venerant, ex ordine propalantibus, durum quidem Fratribus videbatur, glorioſum Martyrem Floriaco extrahere, & vel modico terrarum ab eo divelli ſpatio; cùm poſt ſanctiſſimum Patrem in ipſo maxima ſpes illorum ſita foret. Duriùs tamen quibuſque ſanioris conſilii viſum eſt, ſi tantam plebem, præſertim Patris Benedicti dilectricem, petire ſinerent: maximè cùm certum haberent, celeriter illi poſſe ſubveniri, & fides petentium hoc apud ſe retineret. Adſumto igitur quidam religioſorum Fratrum celeberrimo Martyre cum ſacratiſſimis Patris Benedicti pignoribus, honeſto comitum tam clericorum, quàm laicorum vallati agmine, ut tantum decebat Martyrem, ad deſtinatum perveniunt locum. Comperto Gordonicenſes ad quos tendebant, eorum adventu, obviàm ruunt: omnis ſexus, omniſque ætas, ſenes jam decrepiti incurva baculo ſuſtentantes membra, puerulli etiam, quos modò ætas ad frequentationem habiles reddiderat, quibus poterant verbis, ad accelerandum ſibi opitulari rogabant. Immenſum namque gaudium eorum replebat corda: quoniam quas toto mentis deſiderio videre exoptaverant, beatiſſimi videlicet Mauri adſpiciebant reliquias: ſecuri jam de ſua per eum ſalute, quem apud omnipotentem Dominum tantum audierant poſſe. Occurrunt etiam cum maximo tripudio ſancti Satyri Canonici, albis induti veſtibus, ſuperamicti holoſericis cappis, crucibus, cereis thuribuliſque thymiamate vaporantibus præmiſſis. Deducitur beatiſſimus Martyr hac populi frequentia uſque ad caſtri ſuperiora, quod ſitum eſt, ut recolunt qui viderunt, in prærupti collis eminentia. Expoſitis ergo in planitie ejuſdem opidi cupis, defertur vinum certatim in amphoris & aliis vaſis deportando vino * aptatis, & funditur in eis: quatinus loto feretro quo beati Martyris continebantur membra; ex illa potione quaſi de ipſis ſacris condita membris, vel de confectione aliqua medicinali, omnes potarentur. Videres nimirum catervatim confluere univerſæ ætatis ſexum, deferre cyatos, ſcyphos, crateras, & cujuſque generis vaſcula ad ſuſcipiendum potum. Suſcepto ergo in ſuo quiſque calice illius medicaminis hauſtu, nequaquam aliquid, ut fieri adſolet, exinde domi reſidentibus deportabat, priuſquam ſufficienter reficeretur: metuens ſi vel modica poſtquam ſuſceperat, morula intercederet, ne ſubita lues ſe perimeret. etenim qui ampliùs ex eodem potum haurire poterat ampliorem, ſalutem ſe ſe promeriturum ſperabat. Refecti igitur eo affatim omnes, (ceterùm idem caſtrum præ ceteris vino abundat, & gaudium erat cuique qui illud præbere valebat) rogant obnixè, quò beatus Martyr per vicos & plateas ejuſdem circumferatur opidi, ut peſtifera lues ejus præſentiam fugiens, à cunctis ipſius pelleretur angulis. Hoc facto cœpit exemplo ventus leni ſpiramine aërem in nubes cogere, polus deinde obſcurari denſitate nubium. Nec mora, ut ſolet in Aprili deſcendere pluvia levi aurarum ſuſurrio, imber gratiſſimus placido lapſu ſe ſe infudit ſitientis telluris in gremium, depellens nocivum, qui diu lugubri dominatus mundo fuerat, ſolis ardorem. Porro expulſa mox clades illa mortifera, quæ multas mortalium ſtrages illis in locis inexperto ediderat more, luſtrante fines illos beato Martyre, neminem hominum inibi inſueto deinceps modo auſa eſt attingere. Denique eruti ab immani periculo, non eſt in promtu dicere quanto tripudiabant gaudio, perſolventes laudum cantica omnipotenti Domino, qui per ſuum fideliſſimum teſtem à ſubitæ mortis diſcrimine dignatus eſt eos eripere. Noſtri nihilomi-

Circ. ann. DCCC LXXXIII Dec. IV.

Feretrum vino locum.

* ſaint vinage

Circ. ann. DCCC LXXXIII Dec. IV. nus Legiſlatoris amore devincti, ejus meritum ſublimis attollunt præconio vocis, qui tantum habere meruerit contubernalem, per quem, ipſius Patris junctis precibus, imminentem evaſerint mortem. Proinde quanta fuerint munerum donaria, quivis perpendere poteſt, dum unuſquiſque præcipua quæ habet, offerre feſtinat, ne alius ſe devotior appareat. Siquidem per triduum detinent ſuum ſalutiferum hoſpitem, ut certiores facti de conceſſa ſalute, nulla jam formido ipſius peſtis in eorum reſideret mente. In quarto demum die cum hymnis & canticis tanto Martyre dignis ejus perſequuntur feretrum per longius viæ ſpatium: valedicenteſque illi ad propria ſunt regreſſi. Fratres itaque Floriacum repedantes, narrant reſiduis, quæ fecerit magnalia Dominus omnipotens fidelium ſuorum meritis. Qui gratulabundi laudes exinde referunt omnium Creatori, beati Martyris, Patriſque ſui precibus ſe ſe commendantes attentiùs.

XXII. Nulli videatur oneroſum, ſi duo ſubnectamus capitula, ad laudem hujus præſentis ſanctiſſimi Martyris, referentes mira, quæ per eum omnipotens Dominus oſtendere dignatus eſt opera in duabus longiùs à ſe remotis regionibus, in quibus ejus ſacratiſſima continentur pignora. Priùs tamen compendioſè intimandum rem ignorantibus. Quoniam dum ipſius honorandæ Floriacum tranſlatæ forent reliquiæ, Fratres Floriacenſes duo venerabilia ejus brachiorum oſſa in duabus ſui juris poſſeſſionibus poſuerunt, ad ſubſidium videlicet & tutelam earum. quarum altera Diacus * nuncupatur, in partibus ſita Burgundiæ, territorio videlicet Tornodorenſi. alterius, licèt minùs conſequens in ſcripto adnotari habeatur vocabulum, quoniam eſt barbarum; tamen, ſicut profertur, barbarè adnotavimus, vocatur itaque *Pontons*, in regione poſita Guaſconiæ. Ergo apud Diacum quidam ejuſdem loci habebatur villicus, nomine Joſcelinus, qui dum in multis aliter quàm oportebat, ageret, extricando ſuorum cenſum dominorum, uſurpando per fraudem reditus agrorum, ſubripiendo bona ruſticorum ſibi commiſſorum; poſt plurimas objurgationes, quibus ut ſe à ſuis pravis corrigeret actibus commonitus, quia nequaquam emendatus eſt, à Rainerio ejus poſſeſſionis tunc Præpoſito, poſtmodum Abbate, quarumdam cauſarum rationem reddere cogitur infideliter à ſe geſtarum. Judiciario deinde more ventilata earum rerum quæſtione, definitum eſt, eum debere juramento ſibi objecta refellere: quia infitiabatur omnia illa, de quibus criminabatur. Reſpondet ille, ſe alacriter jusjurandum facturum. Nec moratus diutius jamdictus Præpoſitus, jubet afferri coràm ſuperiùs memoratas beati Martyris reliquias. At miſerabilis Joſcelinus, quamvis eum ſua reprehenderet conſcientia, formidine Præpoſiti ſui compellente, præſumit ſacris pignoribus temere manum imponere. Peracto verò ſacramento, ſicut dictaverant qui illud fieri adjudicaverant; improbus pejerator jam ſecurus, quoniam ilico minimè ipſum perculerat divina ultio, hilari vultu, procacibus verbis, quam prolixam habebat barbâ mento-tenus comprehenſâ: Per hanc, inquit, barbam ſalvum feci ſacramentum. Quo dicto, tota veluti eam comprehenderat manum proſecuta eſt barba: reliquo quo vixit tempore, mento penitus perſeverante in barbæ privatione. Manifeſtata igitur luce clarius ejus infidelitate, juſto judicio amiſſa villicatione, ulteriùs nec ipſe, nec ſoboles ejus potuit villicare: expertus, beatum Martyrem admirandæ virtutis fore, quem priùs debitâ nequaquam veneratus fuerat reverentiâ.

S. Mauri brachia, ubi.

* Dio

Perjurus punitus.

Juramentũ ſuper reliquias.

XXIII. Præterea Comite [a] Pictavenſium in expeditionem Hieroſolymitanam multa armatorum millia ducente, uxor ipſius curam agebat provinciarum poteſtati ſuæ ſubditarum. Unde factum eſt, dum Guaſconiam peragraret, ut tranſmeatâ Garonnâ fines ejuſdem regionis attingeret, in quibus poſitus eſt locus

[a] Nempe Guillelmo ejus nominis octavo, aliis nono, qui in loca ſancta profectus eſt anno MC I, cujus *vexillum feruntur triginta millia armatorum ſecuta*, teſte Orderico Vitali in hiſtoriæ lib. 10. Guillelmi uxor Philippa Mathildis, ut notarunt Socii Bollandiani.

Circ. ann. DCCC LXXXIII. Dec. XV.

Eccleſiæ violator punitus.

Pictones audaces.

ſuperiùs memoratus, *Pontons* [a] videlicet, in pago Auſienſi, ſuper flumen Adurcium, ditioni Floriacenſium Fratrum ſubditus: ubi, ut diximus, jam dicti celeberrimi Martyris reliquiæ habentur. Invitante igitur itineris neceſſitate, Comitiſſa militum vallata phalange hoſpitium ibidem accepit. Comperto ergo ante triduum Pictavorum adventu, incolæ eorum locorum, metu ipſorum, quoniam dominationem eorum valde exoſam habent, omnia ſua quæ in eccleſiam inferri licebat, advehunt, & in oratorio ejuſdem poſſeſſionis congerunt, veſtium diverſas ſpecies, alimenta, & cetera humanis uſibus accommoda. Hoſpitati itaque Pictavi audiunt, provinciales omnia ſua, ut dictum eſt, in eccleſia conjeciſſe, ceteris (quamvis ſit præceps eadem natio ad audenda quæque illicita) ſacrum tamen formidantibus temerare locum; unus eorum audacior reliquis, prorumpens in eccleſiam, ſaccum frumento plenum humeris imponens ſuis, onuſtus ſacrilegio proprium repedavit ad hoſpitium, nequaquam diu ſuper tali gaviſurus facto. Denique mox ut ſuæ metationis * ſubiit limitem, cœperunt omnia illius membra, more eorum qui quartano laborant typho, tremere: friguſque intolerabile per totum ejus ſe diſpergens corpus, glaciali rigore omnes ipſius adſtrinxit artus. Porro accolæ ejuſdem loci, qui certiùs noverant, cur ſibi contigiſſet tam ſubita valetudo, (conſcii enim optimè fuerant magnarum beati Martyris virtutum) hortantur miſerum, ut quod ab eccleſia violenter abſtraxerat triticum, reſtitueret. Quod monebant, fieri ægrè impetrant: ſed nullatenus beatus Martyr ejus invitâ placatur pœnitentiâ. Ergo Pictavis cum ſua Domina in craſtino à loco illo ſe ſe promoventibus, miſer ille ibidem remorari formidans, quo valuit modo cum eis progreditur. In proceſſu autem viæ dum cum ſociis graditur paullatim formidabili indutus inſania, cœpit ſua inſatiabili morſu more canino dilaniare brachia. qui verò eum compeſcere volebant, nequaquam ſufficere valebant. Perſeverante illo in tanta amentia, ventum eſt ad fluvium quemdam. tranſvadantibus ceteris, miſer ille ſua ſponte in fluvium ſe ſe præcipitans, aquis ſuffocatus periit, maximum ſuis ſodalibus incutiens terrorem & de reliquo cautelam, ne ſacrorum ulteriùs violatores exſiſtere præſumerent locorum. Plura quidem erant, quæ de hoc præſtantiſſimo Martyre dici poterant. Sed ne aliquis obvians calumniam nobis velit præſtruere, dicens, nos noſtrum propoſitum exceſſiſſe: quoniam dum debuimus Patris Benedicti mira referre opera, beati Mauri aliqua retulimus geſta; revertamur ad ſuperiùs omiſſa. Licèt non ignoremus eorum quæ beato ſingulatiter adſcripſimus Mauro, Benedictum Patrem exſtitiſſe participem. quippe qui in eadem requieſcant eccleſia, & eadem loca ſuſceperint tuenda, & eædem poſſeſſiones, in quibus beatum Martyrem relata diximus patraſſe miracula, ipſi Floriaco ſunt ſubjectæ. cujus loci factus eſt uterque patronus omnipotente Domino largiente.

* hoſpitii

XXIV. Hiſtorica.

* Ladiſlai

* Inſulanus nomine V

Regina MATHILDE metas vivendi excedente, Rex AINRICUS in conjugium ſibi adſcivit filiam Regis * Ruſſorum, nomine ANNAM. Hæc ei peperit tres filios, PHILIPPUM, ROTBERTUM, HUGONEM: quorum Rotbertus adhuc puerulus deceſſit; Hugo Comitatum poſtmodum Viromandenſium adeptus eſt; Philippus autem patre defuncto totius regni Francorum gubernacula obtinuit. Septennis [b] autem erat, quando pater defungitur. qua de re ſortitus eſt tutelam illius vir inluſtriſſimus BALDUINUS * Flandrenſium Comes. qui prudentiſſimè Regni adminiſtrans negotia, donec idem Philippus intelligibiles attingeret annos, tyrannos per totam pullulantes Franciam tam conſiliis quàm armis perdomuit, & pacem maximam teneri fecit. Proinde Philippo jam juvene facto, integrum abſque unius viculi imminu-

a Vulgo *Saint Maur de Pontons*, qui Prioratus in libris editis dicitur eſſe diœceſis Aginnenſis, rectiùs hic Auſcienſis, *d'Auſch*, ſiquidem ſitus dicitur *ſuper flumen Adurcium*, vernaculè *l'Adour*.

b Ergo Philippus natus eſt anno M LIII: nam Henricus ejus pater deceſſit anno M LX.

tione regnum reſtituit: & ipſe non multo pòſt vivendi finem fecit. Philippus verò in primis multa ſtrenuè geſſit annis: ſed ætate procedente, mole carnis aggravatus, ampliorem operam cibo indulſit & ſomno, quàm rebus bellicis. Hic Ducis Friſiæ filiam nomine BERTAM in matrimonium accepit, quæ ei genuit LUDOVICUM. Rebellaverunt autem contra eum quidam Francorum Proceres, opibus & viribus GUILLELMI Regis Anglorum fidentes: ex quibus HUGO de Puteolo adverſus eum arma corripuit, plures ſibi adſciſcens auxiliatores. Rex verò ejus audaciam compeſcere cupiens, undequaque militum contrahit manum. Inter reliquos etiam auxiliares, exercitum de Burgundia adventare jubet: qui accepto mandato, in Franciam properant, Dux videlicet ejuſdem Burgundiæ ODO, Nivernenſium Comes GUILLELMUS, Autiſiodorenſium Pontifex GAUFREDUS, & alii quamplnres, quos retexere perlongum putavimus. Hi cœptum iter carpentes, via dictanre in quodam prædio Patris Benedicti, Everam [a] vocato, metationem acceperunt. Ut verò moris agreſtium eſt, in adventu militum formidare, perſtrepere, quaquaverſum fugere, ſua in locis tutioribus recondere; maximè in tanto ſtrepitu ruſtici ſuprà memorati pagi omnia ſua ad eccleſiam convehunt, tam annonam quàm ſupellectilem variam. Porro militum phalanges, poſtquam feſſa labore viæ corpora dapibus relevatunt, cibaria ſuis procuraturi equis, comperiunt ruricolas ſuam totam annonam in eccleſia abdidiſſe. Unde animis dejecti referunt ad Principes exercitus rem omnem ex ordine: ruſticos ſcilicet ſpem ſui victus ad tutiorem portum, eccleſiam dico, contuliſſe; nec ſibi penitus velle dare aut vendere alimenta ſuis vehiculis neceſſaria. At illi conſilii extorres, quid agant ignorant. neque enim ſanctorum violatores locorum fieri volunr, ſeu præſumunt. Epiſcopus itaque, qui cautior ceteris eſſe debuerat, juvenili actus temeritate, ſcurrili interrogat ſermone, utrum eam annonam homines in eccleſiam contuliſſent. cui cùm reſponſum eſſet, Etiam. Igitur, inquit, homines abſtrahant. Jubet ergo præpetes [b] ire, & quantum hordei neceſſitas expetebat, ſuis præbere equis. Properatur ad eccleſiam, violenter hordeum ab ea abſtrahitur. pabulum exinde equis ſubminiſtratur. In craſtino, quò cœperant tendunt, nihil noxæ ſe contraxiſſe credentes apud Patrem Benedictum pro infractione illius loci & injuria ſuis illata. Enimverò Rege cum reliquis militum legionibus ad Puteolum feſtinante, & ipſi ei occurrunt. Caſtra metantut tam ipſi quàm Rex circa ipſum caſtrum. Obſeſſo itaque caſtro, poſt crebras aggreſſiones, aliquot diebus ibidem jam peractis, die quadam illi qui incluſi videbantur, Hugo videlicet cum ſuis, apertis portis improviſi adſunt obſidentibus, omnigeno bellorum tumultu perſonantes, cornicinibus etiam horrifico boatu concrepantibus. Exterriti qui in caſtris erant ſubitâ hoſtium audaciâ, credunt totius Franciæ militum cohortes noctu caſtrum idem intraſſe, & idcirco Hugonem ad tanti auſum facinoris proruppiſſe. Quid plura? terga vertunt, fugæ præſidio ſe ſe committentes: diverſarum ſpecierum tentoria varia ſupellectili plena linquentes, & cetera quæ ad tantam expeditionem neceſſaria convexerant. hoſtes eos fugere cernentes, quod nequaquam mente antea concipere præſumſerant, ut à paucis tanta multitudo fugaretur, acriùs inſequuntur. Capti ſunt igitur in illa fuga quamplurimi nobiles viri, maximè exercitus Burgundiæ, qui Patrem Benedictum injuriari auſi fuerant, direptores ipſius exſiſtentes poſſeſſionis. Denique Epiſcopus qui alios ſermone illuſoriè prolato nefariè agere impulerat, cum patre Nivernenſium Comite captus, coactus eſt ſeipſum non modicæ quantitatis pecuniâ redimere: à qua demum captura exemtus, Floriacum petens, fatetur ſe ſtultè egiſſe, & quæ ſibi acciderant, juſtè contigiſſe: veniam petit, promeretur. In ea fuga completum videres, quod in fine Deuterono-

Circ. ann. DCCC LXXXIII. Dec. IV.

Eccleſiæ violatores milites puniti.

a Evera, *Yevre le Chaſteau*, diœceſis Aurelianenſis, ubi Prioratus Floriaco ſubjectus.

b Sic apud Bollandianos. Boſcius habet *Perpemos*, quod nomen officii militaris eſſe putavit.

mil legitur in imprecationibus, quas vir Dei Moyſes populo Iſraëli imprecatus eſt, ſi à lege Dei ſui aliquando recederet: *Per unam*, inquit, *viam egredieris contra hoſtes tuos, & per ſeptem fugies.* & in Levitico: *Fugietis nemine perſequente.* Circ. ann. DCCC LXXXIII. D c. IV. Deut. 28. 25. Levit. 26. 17.

Baſilicâ ſemper virginis Mariæ Dei genitricis, in qua beatus Pater Benedictus corpore quieſcit, partim vetuſtate, partim incendio demolitâ, viſum eſt Abbati GUILLELMO [a], adnitente ODILONE viro probo ejuſdem baſilicæ ædit, vetus demoliri, & novum opus pro vetere inſtaurare. Qua de re actum eſt, ut veneranda ejuſdem Patris membra, quæ in arca lignea erant recondita, ſcrinio æneo ea ob durabilitatem intrinſecùs ambiente, neceſſe foret de eadem arca abſtrahere, & aliàs alio in locello locare. De cujus arcæ reliquiis multa remedia præſtantur infirmis ejuſdem Patris meritis, cujus venerabilia oſſa ambivit. Denique quicumque febricitantium, ſive quotidianis, ſeu tertianis, vel quartanis detentus fuerit typhis, ſi aqua aut vino laverit aliquam particulam lignorum ipſius arcæ, & eamdem potionem fide opitulante hauſerit, confeſtim emottua febre ſanus evadit. quod frequentiùs probavimus experimento multiplici. Plures etiam de ipſis quibus compacta fuerat arca illa lignis, diverſarum homines regionum ad propria loca gratiâ ſuæ ſalutis detulerunt: qui poſtmodum atteſtati ſunt, contra variorum genera morborum ea profuiſſe multum. Enimvero nos plurima quæ per ea oſtenſa ſunt, omittentes ſigna, unum dumtaxat retexamus, cujus documento multa potuiſſe fieri ſimilia manifeſtemus. VERANUS [b], qui per aliquanta annorum curricula regimen obtinuit Floriacenſium, quartanis validè per menſes ferè ter binos adurebatur febribus, qui plurimorum medicorum (ut putabat) doctorum, fibi propenſiùs curam adhibens, nihil profecit: tantùm aliquam pecuniæ quantitatem in comparandis medicaminibus, & eorum præmiis, qui fruſtra vel modicum ſuæ arris ſuſcipere laborem renuunt, expendit. Ipſe quoque, quoniam jactitabat aliquantulam medicaminis ſe habere notitiolam, per ſe in ſe multa tentavit: ſed nil ſibi profuit. Deſtitutus itaque omni auxilio, & attenta medicinæ fraudatus ſpe, recordatur, multos hujus infirmitatis pondere oppreſſos per arcæ ipſius reliquias ſoſpitati priſtinæ reſtitutos. Diluculo igitur cujuſdam diei ſurgens à lectulo, manibus ſuorum deportatus cubiculariorum, eccleſiam intravit, coram altari in qno prædictæ conditæ fuerant reliquiæ, ſe ſe in pavimento proſtravit, fletu & gemitu ſubveniri ſibi expoſcens beati Patris precibus. Poſtremò de ſoli duritia ſublevatus, & ulnis ſuorum bajulorum ſuſtentatus, rogat cuſtodem prædictorum ſacrorum oſſium, aliquam arcæ portiunculam ſibi adferri, mero ablui, & ſibi tribui. Quod dum impetraſſet, hauſto ejuſmodi potu, corde deficiens, de manibus ſe ſe bajulantium ad terram prolapſus cecidit. Omnem deinde ſuperflui humoris abundantiam, quæ ſibi eam ægritudinem intulerat, evomens per ſpatium ferme unius horæ, humi proſtratus jacuit, mentis deliquium paſſus. Unde reſumtis aliquantulum viribus ſe ſe erigens, denuo ad lectulum deportatus, & tranquilla quiete paullulum ſoporatus, nullam ipſius motbi deinceps ſenſit anguſtiam. Cognovit ergo potiorem ſote * medicinam, omnipotentis Domini expoſcere in infirmitate clementiam, quàm in pretioſarum ſuccis & viribus confidere herbarum.

XXV.

S. Benedicti reliquiæ in aliam thecam illatæ.

thecæ particulæ ægris ſalubres.

* eſſe

XXVI. Unus ex Fratribus, cognomento GIL[illegible]BERTUS, qui cœmentariis fuerat præfectus prætaxato operi inſiſtentibus, pecuniis minùs aliquando abundans, ibat circumiens loca plurima, & ducens ſecum ſeminiverbios: quorum admonitione excitata virorum & mulierum corda, ſæcli negotiis inretita, alique ſuffragio, etſi modico, penuriam ipſius ſublevarent. Dum ergo circum-

Quæſtura concionatoria.

[a] Guillelmus Abbas ponitur annis M LXII & LXXV in fuſiori Gallia Chriſtiana.

[b] Veranus nullus eſt in vulgatis indicibus Abbatum Floriacenſium. qui quidem Veranus non Abbas, ſed Rector ſeu Curatus (ut vocant) Floriacenſium fuiſſe videtur.

Circ. ann. DCCC LXXXIII Dec. IV.

quaque diſcurreret, Vitriacum [a] advenit: qui locus regalis palatii honorificentiâ noſtris temporibus decorabatur. Ingreſſus itaque eccleſiam, exhortatorio ſermone populum commoneſaciebat, vitæ præſentis mutabilitatem fugere, vitæ futuræ ſtabilitatem flagrantis animi deſiderio appetere. Inter cetera verò blandis perſuaſionibus exorabat, ex qua re tota illa exhortatio originem duxerat, quatinus injuncto ſibi operi aliquid ſubſidii impendendo, vel pauca largirentur numiſmata. Aderat autem in eodem populo ruſticus quidam Marcus, qui ſiniſtra debilitatus manu nullum ex ea opus attentare valebat, ſed nervis

Marcus ſanatus.

contractis, digitorum ſummitatibus medio palmæ infixis, polliceque ſuperadſtricto, modum aliquem clauſo pugno percutere valentis expreſſerat: & hac ferè per quinquennium multatus debilitate, nulla medicorum ope adjuvari potuit. Porro noverant illius convicanei, eum ipſa incommoditate diu detentum. Igitur cùm audiret prædicatorem, Patris Benedicti virtutes inter alia prædicamenta ſæpius extollentem, videretque in præſentia Sanctorum quorumdam pignora auro incluſa, quæ ad excitandam plebis devotionem prædictus Frater, ſecum detulerat; credo inſpirante omnipotentis Domini gratia, qui ſibi hac occaſione miſereri diſpoſuerat, converſus ad ſuperiùs memoratum Fratrem, inquit: Spero, mi domine, & fides hoc mea certum apud ſe retinet, quoniam ſi iſtis ſacris pignoribus quæ in præſenti cerno, manui meæ debili vexillum crucis exteriùs in circuitu pingatis, invocato nomine ſancti cujus famuli eſtis, Benedicti Patris, pulſa debilitate, priſtinæ reddatur ſoſpitati. Audita qui aderant, ejus poſtulatione, & admirati fidem, exorat & ipſe, quæ poſtulabat fieri. Frater verò & ipſe, fide nihilo minus plenus, confiſus de ſanctarum virtute reliquiarum & meritis Patris, acceptis Sanctorum pignoribus, manum debilem illius, uti rogaverat, ſigno crucis exteriùs circumcinxit. quæ confeſtim nervis ſtrepitum grandem dantibus ſanitatem recepit ex integro, digitis omnibus ſe ſe erigentibus. Cœpit itaque idem ruſticus habere liberam manum, qui diu habuerat inutilem ſolummodo pugnum. Videns autem in ſe tantam omnipotentis Domini clementiam, ei pro poſſe & ſcire referebat gratiarum actiones pro ſua reformatione: agens etiam & Patri Benedicto grates, cujus meritis ſe ſe ſalutem conſecutum profitebatur. nec minùs omnes, qui in eamdem eccleſiam convenerant, diutiſſimè laudibus Redemtoris immorati, quibus valebant laudibus, ejus extollebant magnalia, qui in Sanctis ſuis eſt ubique mirabilis.

XXVII. Anno 1095 incendium Floriaci.

Anno ab Incarnatione Domini milleſimo nonageſimo quinto, flamma voracis ignis maximam Floriacenſis burgi conſumſit partem. Incognitum autem habetur, utrum caſuale, an furtivum idem fuerit incendium. Nocte ſiquidem quæ ſacratiſſimum diem dominicum Paſchæ ſubſequta eſt, vehemens ignis unam corripuit domorum, quæ à parte ſeptemtrionali exceptæ erant à clauſura ejuſdem burgi. quæ cùm eſſet receptaculum boum, habebat feni plurimum & palearum. Hæc verò licèt ſint omni tempore lætiſſimum ignis pabulum, ea tamen multo magis tempeſtate, quia excluſis reliquis ventis, ſolus aquilo libero flatu orbem perflabat Gallicum. qui omnia more ſuo adurens, arida reddiderat, nulla penitus pluviæ ſtillante gutta per aliquot temporis ſpatia. Igitur incipiente tertia noctis parte, quæ conticinium vocatur, perſtrepentibus illis qui primi viderant ignem accendi; vulgus reliquum expergefactum terrificam illam vocem cum horribili ululatu concrepabat, Ad focum videlicet, Ad focum. quo ſtrepitu exciti Fratres, linquunt ſtratus, baſilicam irrumpentes. Erat autem eadem baſilica ob paſchalem celebritatem honeſtiſſimè holoſericis venuſtata ornatibus, ad quos deponendos & in gazophylacio reponendos, quoniam ea domûs fornice lapideo protegebatur, juniores de Fratribus certatim accinguntur. quod citiſſimè peragitur, aliis ſcalas erigentibus, aliis per gradus eatum ad faſtigia ipſius aulæ evolantibus, & ipſos

[a] *Vitry in ſilva Aurelianenſi, ubi Prioratus Floriaco ſubjectus.*

ornatus

CIRC. ANN. DCCCLXXXXII DEC. IV.

ornatus depooentibus; aliis eos in humeris & ulnis ſuſcipientibus, & ad jamdictum tutum locum deſerentibus. Nec minus librorum pernceceſſariam copiam amittere ignis violentiâ pertimeſcentes, eòdem congeſſimus cum teſtamentorum & privilegiorum noſtrorum congerie. metuebamus enim ne turricula in qua hæc recondita erant, ignium viribus ſuccumbens, in ſavillas redigeretur; cùm foret rimarum plena, ſuperiori incendio conſumta, quod Domini Abbatis GAUSLINI [a] tempore Floriacenſe Cœnobium peſſumdedit.

Bibliotheca & chartæ ſervatæ.

Porro junioribus in his quæ prætaxavimus, occupatis, qui religioſiores & ætate provectiores erant, Patris ſanctiſſimi glebam, non ſolùm his, ſed omnibus gazis milies pretioſiorem ſupradicto gazophylacio intulerunt, cum ceterorum pignoribus Sanctorum, qui in eadem quieſcebant eccleſia. Quidam autem ſacratiſſimi Martyris Mauri membra auream que dextram [b], in qua pars dominici ſudarii habetur incluſa, adſumentes foras extulerunt incendio oppoenentes. Sed dùm nequaquam ignis odorem ſuſtinere valerent, infra ambitum caſtri ſe ſe recipientes, adſcenſo muro implorabant Domini auxilium, oppoſitis nihilo minùs incendio ſacris pignoribus. JOSCERANDUS verò beatæ memoriæ vir, qui eo tempore Abbatis [c] officium apud Floriacum ſtrenuè exſequebatur, adſumtis ſecum paucis Fratribus cum pueris, qui adhuc ſub arctioris diſciplinæ cuſtodia tenebantur; domicilia ejuſdem Cœnobii uſque ad auroram circumeundo letanias agebat, protenſis in cælum manibus, crebriùs *Kyrie eleiſon* inclamans. Interea ignis paullatim ſuas in majus augmentando vires, depaſtis ædibus, quas à parte ſeptemtrionis extra villam depaſci primò cœperat, flatibus aquilonis qui vehementer flabat, impulſus, eccleſiam ſancti Dionyſii [d] quæ ferè in medio ipſius villæ ſita erat, corripit. Enimvero exinde quaſi ex eminentiori loco, liberioribus ſaltibus admiſſus, circumquaque diffunditur: ita ut etiam torcularia, quæ in vinetis centum ferme paſſibus longius aberant, combureret. Erat verò tantus ejus crepitus, ut omnes audientes corde paverent, vix ſtare valentes, quatiente eorum genua tremore nimio. Tunc denique omnes ingens arripuit timor Fratres, cernentes carbones ignitis mixtos ſcintillis ſuper Monaſterium quod ſtipula opertum erat, cadere; metuentes ne ſub uno momento cuncta eorum habitacula eo igne conſumerentur. Idem denique Monaſterium quod ſuperiùs innovati cœptum diximus; quoniam adhuc imperfectum manebat, ſtipulâ tegebatur. Tandem ergo placatus Salvator, ut credimus, ſuæ glorioſæ meritis Genitricis Patriſque Benedicti, necnon ſuprà memorati religioſi viri precibus, induxit africum vehementem, qui ex obliquo flans, aquilonem à Monaſterii ambitu penitus excluderet, & vapores incendii quos ille ſuis impellebat flatibus, ab eo omnimodis arceret. Quam miſerationem Omnipotentis cernentes, retulimus pro poſſe ejus immenſæ clementiæ gratiarum actiones, qui nos à tam immani eripuerat periculo. Denique donec omne illud incendium ſopiretur, non ceſſavit idem ventus flare vehementiùs. Perduravit autem idem incendium debacchando, peſſumdans Floriacenſium ædes, cum his quæ in ipſis reperie alimentis & veſtibus & varia ſupellectili, ab hora noctis tertia uſque primam ſequentis diei horam, devaſtans omnia à porta ſeptemtrionali verſus orientem uſque in portam auſtralem, paucis reſiduis domibus ad ſolis ortum, quæ extra villam erant.

Chriſti ſudarium & aliæ reliquiæ flammis objectæ.

Incendium repreſſum.

XXVIII. Quædam paupercula anus, ab ignotis nobis finibus egrediens, Floriacum fortuito caſu oſtiatim victum quæritando, contigit. Hæc diu in cæcitate perdu-

Cæca lumen recipit.

[a] Sic legendum, non GAUZLINS, cujus Abbatis tempore incendium contigit deſcriptum ab Aimoino ſupra in lib. 2 cap. 19

[b] Hinc pro inſignibus Floriacenſis Monaſterii pingitur dextra manus deſcendentis extenta cum hoc elogio: DEXTERA DOMINI, ut notavit Johannes à Bosco.

[c] Huic ... ſucceſſit SIMON, quo Abbate Tortarius ſcribebat. Lege Notas ad finem hujus libri.

[d] D. hac eccleſia lege librum de vita Roberti Regis auctore Helgaldo Monacho, qui eam primò ligneam, & poſt incendium lapideam fecit. Eccleſia hæc non ampliùs exſtat, forſan à tempore poſterioris hujus incendii.

Circ. ann. DCCC LXXXIII Dec. IV. rans, funditus ſpem recuperandi amiſerat viſus. quæ manu ſiniſtra puerulo data, iter carpebat, dexterâ baculum gratiâ ſuſtentationis geſtans. Ingreſſa ergo Dei Genitricis aulam, pone imaginem noſtri Salvatoris argento radiante veſtitam, aureoque pulcrè nitore interſtinctam, ubi eo tempore beatiſſimi Patris veneranda quieſcebant membra, causâ innovationis ejuſdem aulæ tranſlata; anicula illa dum ductore ductante ibidem reſtitiſſet, memor propriæ paupertatis, exorabat Patrem ſanctum, ut ejus ſuffragaretur inopiæ, ſuppeditando videlicet ſibi victus & veſtitus neceſſaria. neque enim de ſuorum reformatione luminum, de qua jam deſperaverat, orationem fundere præſumebat. Sed pius Pater, qui utrumque largiri poterat, quod potius erat, conceſſit: quoniam luminibus reſtitutis, faciliùs ipſa ſibi procurare valeret cetera. Ex inſperato igitur repulſa cæcitate cœpit lumen cæli clarè conſpicere: nec modicè gaviſa, Patris ſanctiſſimi merita totis efferebat animi præconiis, per quem ejus lumina receperant munera lucis. Referebat autem quemdam ſibi adſtitiſſe, qui tenuem quæ ejus pupillas texerat, pelliculam acutâ incidebat novaculâ: qua utique inciſa, confeſtim lumen recipiebat.

XXIX. Dæmoniacus liberatus. Quidam mediæ ætatis homo, pervaſus ab humani generis adverſario, inops mentis factus perdiderat totius acumina ſenſus. Hic à proximis ſibi ſanguine artiſſimis adſtrictus loris, ad celeberrimum Patris adductus tumulum, diem ibi tranſegit integrum, adnectens diei & noctem contiguam. quam dum vigil pernoctaſſet, illuceſcente ſequentis diei crepuſculo nullum ſanitatis expetitæ indicium apparebat in illo, torquente qui eum pervaſerat, inceſſanter dæmone. Denique terribili quoſcumque appropinquantes ſibi adſpectu intuens, ſi permiſſum fuiſſet, etiam dentibus more canino laceraſſet, frendens, & quantum licebat, impetum in eos faciens. Sed, ut diximus, diris ligatus vinculis, nequaquam ſibimet vel alicui appropianti aliquid inferre prævalebat damni. Edebat verò ore ſonos horrificos & inconditos: loquens etiam nefanda & exſecranda verba. Quoniam autem idem energumenus pro ſalute ſua, ſui ipſius impos, nullatenus meminerat exorare; non ſolùm qui illum adduxerant, ſed quicumque eccleſiam in qua erat, intrabant, pro eo omnipotenti Domino, ut competens fuerat, orationem fundebant. Quo factum eſt, ut mediante hora diei ſecunda, terribiliter exclamans, tamquam valido percuſſus ictu, in terram corrueret reſupinus. Extemplo itaque dæmonio purgatus expulſo, compos mentis factus, omnipotentem magnificabat Dominum, qui ſe à peſſimo hoſte captivatum per beatiſſimum Patrem reddiderat liberum. Confeſtim Fratres qui aderant in ejus liberatione, ceteris in capitulo reſidentibus, nuntiare properarunt hujuſmodi miraculum per venerabilem Patrem patratum: qui mox inde ſurgentes, ingreſſi oratorium hilarianam* pſalmodiam, quam diebus feſtivis in omnipotentis laudibus Domini decantare ſolemus voce celſiori, videlicet *Te Deum laudamus*, tota mentis devotione concinunt, Patrem quoque gratulabundi magnificantes Benedictum. Porro qui ſanatus fuerat, referebat ea hora qua dæmone fugato liberatus eſt, ſe quemdam conſpicui vultus virum vidiſſe, qui ingreſſus per orientalem ipſius baſilicæ abſidem, baculum à capite incurvum manu gerens, cùm uſque ad ſe properaſſet: ſeque eo quem geſtabat, baculo in capite feriſſet. quo ictu accepto, ſeſe confeſtim in terram corruiſſe, & ſobrietatem mentis recepiſſe.

* jucundâ

XXX. Operarius lapſus fit incolumis. Nuper properantibus cæmentariis fornicem miræ altitudinis in dextera ipſius eccleſiæ parte erigere, locatæ ſunt trabes in ſublimi parietum ſtabilimento à fabris lignariis, ad ſuſtollenda ligna quæ in modum hemiſpherii fabricantur, quibus moles lapidum & cæmenti inniti habebat. Ergo dum quodam mane trabibus tenui imbre madefactis operarii deſuper incederent, præparantes quæ præcipiebantur; unus eorum Otgerius nomine, minùs cautè ſuperambulans, dum affigere veſtigia uni trabium fortiter nititur, pede lapſo de illa celſitudine per compaginatos ſibi fuſtes, per multiplicem lignorum ſtruem, inter acervos

lapidum pronus ad terram corruit. Erat enim pæne totum illud telluris ſpatium tam lignorum quàm ſaxorum congerie adopertum: parvus tantùm locellus ad menſuram humanæ proceritatis remanſerat immunis ab eis, in quo admirantibus qui aderant, acſi de induſtria projectus decidit juvenis ipſe. attrito tamen capite ſoli duritie, oculis pæne erutis, lingua ab ore porrecta; perfuſus faciem rivo cruoris, jacebat humi tamquam exanimis. Accurrimus ſtatim multitudo tam laicorum quàm Monachorum, qui etſi caſum non videramus, amorem tamen & luctum artificum audieramus. qui omnes cum gemitu & lacrymoſis vocibus cœpimus implorare glorioſæ Dei Genitricis opem Patriſque Benedicti ſuffragia, quatinus ſubvenirent miſero, ne paucæ quæ ſupererant animæ reliquiæ, protinus elaberentur. Denique formidabamus, ne ſi ille ſpiritum exhalaret, intermitteretur opus, conſtactis animis vulgi totius; quod tam pecunias quàm corporum vires certatim operi perficiendo impendebat. Quod quoniam mobile eſt, & in quamcumque partem mentis levitas impulerit, more arundinis aurâ commotæ inflectitur; fortaſſis immutaret; Patrem Benedictum nullam ipſius loci providentiam habere, nec curare, ſi quid adverſi operi illi intercederet. Levantes igitur juvenem debilitatum, depoſuerunt eum ante altare Dei Genitricis, quod prope erat: exſpectantes tam ipſius quàm Patris noſtri auxilium. Nec fruſtra nempe poſt aliquanta temporis momenta, qui putabatur mox moriturus, reſumto ſpiritu, oculis patefactis, cœpit alloqui circumſtantes, & de ſua integritate certos reddere, ſtupentibus illis & Dominum glorificantibus. Hinc delatus ad propriam domum, non poſt multos dies, integræ redditus eſt ſoſpitati. qui interrogatus, quid ſibi videretur, cùm de tanta altitudine præcipitatus corrueret; reſpondit ſe ſic exceptum tellure, tamquam ſuper multas ceciderit culcitras, nec ſoli ſoliditatem aliquatenus ſenſiſſe.

Circ. ann. DCCCLXXXIII. Dec. IV.

Stephanus etiam unus de familia, equeſtris ordinis vir, longa ægritudine maceratus, ad ultimum funditus amiſit ſenſum. qui ad inſtar debacchantium, loris adſtrictus tenacibus vix cohiberi poterat, ne à lecto proſiliens, præceps quaquaverſum titubantia inferret veſtigia. Cujus amici & conſanguinei nimio tædio affecti, dum nil medelæ quod ejus tam peſſimo obviaret letargo, inveniretur; dejecti animis, jam de ipſius deſperaverant reparatione. Tandem propitia divinitate, quæ illi incolumitatem reſtituere decreverat, incidit mentibus eorum, quatinus illum in eccleſiam deportarent, & coram altare Dei Genitricis locarent, exoraturi ejus Patriſque Benedicti indefeſſam clementiam, ut ægroto ſuis ſubvenire feſtinarent meritis. Quod imminente jam noctis crepuſculo, conſtituerunt agere: erubeſcebant enim, eum diurnis ſua domo efferre horis, propter ipſius aſſiduam debacchationem, ne obtutus ſeſe intuentium offenderet. Poſitus ergo ante jam dictam Dei Matris aram, pernoctavit in eodem loco ignorans penitus ſe ibidem eſſe. At dum auroræ circulus adhuc ambiguam lucem, rareſcentibus jam tenebris, mundo inferret; relatus ab amicis proprio invehitur domicilio, neſcius ſe productum ab ipſo omnino. Exin verò memoria paullatim revertente, mentis oblivio quæ per plures obtinuerat ſoles, ipſum deſeruit, atque infra modicum, perfectè recepit quem amiſerat intellectum, congratulantibus ſibi vicinis & cognatis, atque de ejus ſoſpitate omnipotentem Dominum collaudantibus.

XXXI. Mentis impos convaleſcit.

Boſonis-villa quædam ſancti Patris noſtri dicitur poſſeſſio, juxta caſtrum quod Petveris * vocatur, ſita, in qua hæc tria quæ ſubnotavimus ſigna per gratiam quam à Domino idem Pater promeruit, ſunt patrata. Menſe Julio tranſlatio ejuſdem glorioſi Patris non modò apud Gallos, ſed etiam apud compluſes nationes celebriter recolitur. Morabatur autem in ſupradicta poſſeſſione quædam puella, quæ quoniam de Patris ipſius familia originem non trahebat, impune putaſſe ſe tantam ſollemnitatem temerare poſſe, ſumſit colum cum fuſo, cœpitque per eamdem quaſi deambulando villam nens diſcurrere. Cer-

XXXII. Tranſlationis feſtum violans punitur.

* *Petiviers in Belſia*

CIRC. ANN. DCCLXXXXIII DEC. IV. nentes id mulieres aliæ, quæ Patris erant familiæ; arguebant ipſam, quoniam cùm in rure ipſius commoraretur, feſtum ejus tam præcipuum violare præſumeret. Illa ſtomachando intulit eis: Vos quæ illius eſtis ancillæ, eſtote feriatæ, & celebritatem hanc ſtudioſè excolite. me verò quoniam ipſi in nullo ſum obnoxia, opere manuum mearum finire lucrari cibum, quem hodie ſum comeſſura. Hoc dato reſponſo, cum majori pervicacia cœptum opus agebat. Repentè itaque inviſibiliter divina eam proſequente ultione, percuſſa in maxillam, cruentum accepit ictum: & profluente de dentibus largo cruore, tam dolore percuſſionis, quàm formidine percuſſoris exterrita, ad eccleſiam illius villæ profugit. Factus eſt autem non parvus conventus ruſticorum in eadem eccleſia, qui exciti clamoribus mulierculæ & famâ tantæ virtutis illuc confluxerant. qui ſalubre conſilium eidem ſuggerentes, hortati ſunt, ut ſeſe traderet in ancillam ſancto Patri, & ſponderet de cetero, omnes celebritates ipſius, ut condecens eſſet, ſe venerabiliter obſervaturam. quæ dignæ ſuggeſtioni credens, obtemperavit juſto ipſorum conſilio: & confeſtim tam à dolore dentium quàm à formidine liberata eſt.

Facto voto melius ſe habet.

XXXIII. *Simile.* In idem rus advenerat altera muliercula, quæ textricis fungebatur officio. Hæc mercede conducta à quodam viro nomine Rodulfo, gente Britonno, habebat cooperatricem quæ ejuſdem erat miniſterii: ſed hæc ex famlia Patris Benedicti progenita fuerat, altera verò minimè. Britannus autem ipſe liberam traxerat genitivam. qui de ſua adveniens regione, ipſius Patris rus incolebat, habens habitationem in eodem rure: eratque durus agricola, cui etiam vires labori tolerando ſufficiebant. In Patris igitur tumulatione, quæ in diebus dominici Adventus per omnes Gallias annuatim cum reverentia excolitur; mulier quæ carnalis libertatis ſupercilio tumebat, inquit ei quæ ex famulabus Patris ſe quoque eſſe plaudebat: Veni, mi cara, properemus perficere quod pariter cœpimus opus. Suſceperant enim texere lineam, quæ ipſius Britonis erat, telam. Cui illa reſpondit: Abſit à me, mi ſoror, ut ego hodie aliquem præſumam exercere laborem, & domini mei cujus ſum ancilla, tam ſollemnem temerare celebritatem. At illa è contra: Tu, ſi tibi vacat, feriata eſto. ego enim quo fruar cibo, hodie laboratura ſum: tu verò domini tui excole feſtum. Huic altercationi Britannus ipſe intervenit: qui ſciſcitatus cujuſmodi inter ſe ſermones ſererent, ubi edidicit cauſam, ſuis compulit exhortationibus utramque aggredi, quod adſumſerat opus. Cœpit itaque famula Patris anxiè valde poſt telam reſidens exſpectare, quid ejus actura foret ſocia. quæ tramam apprehendens, ubi primùm per ſtamen duxit filum, adſumto pectine ligneo, inculcabat idem filum reliquo ſubtegmini, percutiendo. Extemplò conſequente juſti examinis ultione, pecten manui ejus adhæſit. quod ipſa dum perſenſit, exterrita vociferari exorſa eſt, attentans crebrò, ſi à manu propria pectinem aliquo pacto excutere quiret. ſed videns incaſſum ſe id facere, ab incœpto deſtitit. Accurrerunt autem plurimi ipſius vici habitatores exciti clamoribus illius, inter quos & Brito adfuit. qui nequaquam reveritus tectiſſima Omnipotentis judicia, quæ etſi ſunt occulta aliquando, ſemper tamen ſunt juſta; comprehenſa dextera mulieris cui pecten inhæſerat, violenter extrahendo diſcuſſit.

Tumulationis feſtum.

XXXIV. Quem Britonem ilico vindicta ſuperni Judicis pro ſua ſuperba temeritate meritò perculit. Dextera denique ejus, quæ cum violentia pecten à mulierculæ manu excuſſerat, mox arefacta eſt: ita ut inutilis reddita, nullum opus efficere valeret. Cum ipſa quoque ariditate aliud inuſitatæ paſſionis detrimentum accrevit. ſiquidem tamquam reatus ſui quodam argueretur timore, tremula concuſſione agitata, uno in loco, etiamſi vinculis conſtringeretur, cogi non poterat: ſed mobilitate inexperta abſque ulla quiete diſſiliebat. Paullatim etiam augmentata vi ægritudinis, ruſticus ille percuſſus dira paralyſi, medietate ſui deſtitutus eſt corporis, ita ut ad omne artificium efficeretur inutilis. Miſer

Circ. ann. DCCC LXXXIII Dec. IV.

tamen idem tanta fuerat captus dementia & obſtinatione animi induratus, ut nequaquam confiteri adquieſceret, ob temeritatem dictam ſe tantum languorem incurriſſe: donec inveterata morbi acerbitate maceratus, invitus, qualiter id ſibi accidiſſet, ſua voce protulerit. Admonentibus autem viei ejuſdem cohabitatoribus, periit Floriacum in Patris tranſlatione, qua Calinum deſerens elegit ſacris ſuis pignoribus metationem Gallicanam regionem: & ſervitium profeſſus ipſi de cetero Patri, pernoctavit poſt ipſius ſanctiſſimam tumulationem nocte illa, continuato die feſti nocti ipſi: depoſcens ipſius clementiam, cujus in ſe concitaverat vindictam, quod & ipſi perſpeximus. Sed quoniam ex ſuperbiæ typo * ejuſdem crimen deſcendebat, nullatenus veniam impetravit quam implorabat: ſed uſque ad terminum vitæ, comitante ſe occulto Omnipotentis examine, incuratus perſeveravit. Mulier igitur quæ in ſe experta ſeveram Domini fuerat ultionem, perterrita etiam ruſtici illius diris paſſionibus, famulatum profeſſa Patri Benedicto, ſpopondit ſe in eadem ſollemnitate candelam omnibus annis quibus viveret, oblaturam: & illam, ceteraſque ejus feſtivitates debita cum devotione obſervaturam.

Tranſlatio dicta tumulatio.
* typho
Votum candelæ.

XXXV. In Caſtellione * Patris ipſius non exigua poſſeſſione, ubi beatus Confeſſor Poſſennus [a] requieſcit, de quo & ANDREAS plurima in ſuis retulit dictis; multa ad laudem ſui nominis, per merita utriuſque Patris ſæpius Omnipotentis clementia demonſtrat magnalia, de quibus & nos dicturi ſumus aliqua. Homuncio quidem, Herbertus nomine, ægritudinem incidit adeo gravem, ut reſolutis omnibus membris, nullius eorum uteretur officio, præter linguam: quæ licèt ſatis exilem, retinebat ſonum. Hujus inopia ſuſtentabatur timoratorum ammonitià virorum, qui etiam tuguriolum in porticu baſilicæ loci ipſius ſibi conſtruxerant: ubi & per numeroſa annorum curricula inſtar glomeris involutus decubuit, vix etiam liquidas ſorbitiunculas ore valens ligurire, neceſſitate quoque relevandi alvi, à loco in locum digredi nequaquam potens. Miſerante igitur omnipotentia clementis Salvatoris, ſuffragantibus verò Patris noſtri beatique Confeſſoris Chriſti Poſenni precibus, paullatim membris ſoſpitatem amiſſam recipientibus, factus eſt incolumis, grates referens Domino JESU-CHRISTO ſecundùm ſuæ ſcientiæ modulum, & ejus utriſque fidelibus. permanſit autem in eodem loco per multa tempora, eccleſiæ ſervitio mancipatus, aquam, lumen, & quæque ad miniſterium altaris erant idonea, ſuppeditans: quem nos etiam pluribus annis id officioſè peragentem perſpeximus.

Membrorum impotens ſanatur
* Chaſtillon ſur Loire

XXXVI. In territorio Nivernenſi quoddam habetur caſtrum, *Huben* nuncupatum, in prærupti cujuſdam collis cacumine. hujus dominus Hugo dicebatur, provectæ ætatis vir. Hic filium genuerat vocabulo Gauterium, qui juvenilis ævi elatus ſupercilio, nimis de omnipotentis Dei pertractans mandatis, res eccleſiarum & pauperum rapinis inhians diripere, & ſuis in neceſſitatibus expendere ardebat. Unde arbitratus opimam de jam memorata poſſeſſione prædam ſe poſſe abducere, propter multitudinem diverſorum animalium, quæ in eodem erant loco; (eſt enim alendorum animalium opportunus ob fertilitatem pabulorum) adſumtis cohortibus equitum ſeu peditum, devenit illuc, neque Dei veritus offenſam, neque Patris noſtri meritum. Porro accolæ loci ipſius & circa poſiti ruris comperientes ejus inſanam cupidinem, & pertimeſcentes copioſum prædonum numerum; adſciverunt in auxilium ſibi dominum caſtri; quod dicitur ſancti Briccii, Rotbertum nomine, ſtrenuum ſanè tam armis quàm conſiliis virum: qui vallatus ſuorum cuneo, promto accurrit animo, paratus cum eis, ſi quod immineret, ſubire diſpendium pro Patris promerendo

Rapax morte punitus.

[a] Poſennus vocatur in Andreani libri verſione metrica per Tortarium, qui hujus Sancti miraculum & inventionem ſic canit.

Corpore, Conſtanti, de ſacro prodo Poſenni.
Bis monitus, flagris tertiò corripitur.
Viſio quod docuit, compulſus pondere, pandit:
Inventum ſacro conditur in tumulo.

[b] Andreas Monachus Floriacenſis librum ſcripſit de miraculis ſancti Benedicti, ex dictis in Obſervationum præviarum num. 20.

Circ. ann. [illegible] Dec. iv.

ſuffragio, & vicinorum qui ſe expetierant, commodis. Gauterius itaque aggreſſus Caſtellionenſes, ſatagebat opere perficere quod mente conceperat: ruricolas videlicet eorumque pecora & ſpolia ſecum abducere. Rotbertus autem ei obviàm progreſſus cum ſuis, conjunctis quoque ſibi locorum contiguorum colonis, conferre cum eo non valens, ejus timendo copias, terga vertit. Gauterius ergo ſuos multis clamoribus adhortatus, equoque cui inſidebat, calcaribus incitato, ipſum perniciter inſequitur. quem Rotbertus jamjamque ſibi appropiantem cernens, utpote moris eſt fugientium, haſtâ ſuper humerum rejectâ, ferrum haſtæ ſequenti oppoſuit. At ille conatus hoſtis nequaquam prævidens, dum incautiùs attingere eum equo ardeſcit, in ferrum ruit: quod gutturi illius immerſum, abſque dilatione vitâ privavit. Videntes verò ſatellites ejus dominum ſuum exanimatum, ululatibus aërem, lacrymis genas oplentes, humeris corpus imponentes abire maturant. Miſerante ipſo cujus interierat ferro, illis quoque quos prædatum venerat, concedentibus liberam fugiendi copiam, laudeſque proclamantibus omnipotenti Deo, grates Patri Benedicto, ſanctoque Confeſſori Poſenno, de tam celeri hoſtis ſui multatione. Genitor autem genitrixque defuncti cernentes exſtinctum filium, in quo tota ſpes pendebat illorum, quoniam hunc ſolum poſſidebant; non eſt facile dicere quos ediderint gemitus, quantas fuderint lacrymas, inconſolabili lugentes mæſtitia, quem amplectebantur dilectione unica. Metuentes verò futuram diſcuſſionem juſti judicis Dei, (erant enim timorati) quoniam ſpes omnis debita corporis ſublata fuerat, tractabant, qualiter animæ ipſius conſulerent, quatinus indulgentiam inveniret, qui extrema ſua tam peſſimè præcipitaverat. Adſumto igitur Autiſiodorenſi Antiſtite, venerabili ſanè viro, cum grandi apparatu exſequiarum, & exanimato filii ſui corpore Floriacum propeſant. Advoluti autem genibus Hugonis*, qui tunc in eodem loco Abbatis fungebatur officio, & totius congregationis; implorant vincula reatus defuncti precibus eorum ſolvi: certum tenentes, in conſpectu ſummi Judicis ipſius laxandum crimen, ſi quibus illata injuria fuerat, in præſenti toto animo ipſam priùs remitterent. Unde & calicem puriſſimi auri libram habentem, in dextera filii ſui ponunt, & illum pro vadimonio offerunt, quatinus promtiorem veniam delicti ſui adſequi mereretur, ſi aliquam recompenſationem pro temeritate ipſius exſolverent: credentes quotiens in eo ſacrificium ſummæ divinitati offerretur, nequaquam ejuſdem ſacrificii ipſum eſſe exſortem. Fratres itaque pia miſeratione permoti, generaliter pro eo ſacrificium omnipotenti Domino obtulerunt, abſolvi poſcentes ipſius offenſas, & ipſi ſecundùm poſſibilitatem à Chriſto fidelibus ſuis conceſſam, quod in eos deliquerat, remittentes: expletiſque funereis honore congruo officiis, genitores cum nobilibus viris quos in ſuo adſciverant comitatu, ad propria dimiſere, non mediocrem conſolationem de ſalute filii ſui reportantes.

Damnum à parentibus reſtitutum.

* v. ſuprà cap. 5.

Calix aureus manu defuncti oblatus.

XXXVII. Prædones Ligeris undâ merſi.

Interjectis aliquantis annorum curriculis; confederati de vicinæ partibus Burgundiæ adverſus eoſdem Caſtellionenſes, quidam prædones glomeraverunt non infirmam manum ſatellitum, equitum & peditum. Tranſito autem amne Ligerico, diffuderunt ſe per rura ad ipſum prædium pertinentia. Tanta verò erat illis ſecuritas confidentibus in ſua multitudine, & tanta arrogantia de robore & aptitudine ſuæ juventutis, ut ſcurram ſe præcedere facerent, qui muſico inſtrumento res fortiter geſtas & priorum bella præcineret: quatinus his acriùs incitarentur ad ea peragenda, quæ maligno conceperant animo. Erat autem Præpoſitus ipſius poſſeſſionis conſtitutus à Fratribus eo tempore quidam vir probus, Aimericus vocabulo, qui mundi relictis pompis, adſumto habitu monachico, omnipotenti Domino fideli famulabatur obſequio, Patri Benedicto in ſibi commiſſis exſiſtens jugiter fidelis. Hic antequam veſtem mutaſſet, Sacerdotis fungebatur officio: cui vicini, & qui eum noverant, teſtimonium deferebant legitimè converſatum, quamdiu in clericatus perman-

ſerat forte. Itaque phalanges rapacium effractis domibus ruricolarum, oneraverunt ſe ſpoliis, agentes præ ſe greges pecorum, quos in contiguis torrentum pratis, ſeu in litore Ligeris repererant depaſcentes. Plurimam ſiquidem eorum multitudinem ruſtici qui prædonum præſcierant adventum, in ſilvis & in confragoſis abdiderant vallibus. Igitur præeunte cantore, utpote nihil formidinis habentes, ad litus properant amnis, ubi plures ſuorum ad cuſtodiam navium collocaverant, quibus eumdem tranſnavigaverant fluvium. Porro coloni jamdictæ poſſeſſionis in unum jam confluxerant, ſequentes eos à longè; nequaquam enim appropiare audebant. Jamdictus autem Præpoſitus non minimum in corde concipiens dolorem, anxiabatur valde, ignorans quid potiſſimum agere deberet. neque enim ſibi vel ſuis tutum fore advertebat in hoſtes irruere, neque ipſorum navigium præoccupare: cùm hi qui ad eum convenerant, pauci eſſent numero, nec ſatis animo conſtantes. Enimvero quoniam deerant vires hominum, & robore deſtituebatur humano, totis medullis convertitur ad divinum ſuffragium: totoque in terram proſtratus corpore, cælitus ſuis exorabat auxiliari. Et verſus ad hoſtes, in nomine Domini maledixit illis: ſuiſque præcepit, cùm clamore maximo terga malignorum à longè inſequi: qui jam per collis declivum deſcendentes, feſtinabant adſcenſis navibus ad ſua regredi, neminem ſuis obviare auſibus audere ſuſpicantes. Auditis ergo poſt ſua veſtigia vociferantium tumultibus, & clamore tamquam ſeſe invicem exhortantium, tantus corda ipſorum induit metus, ut præcipiti omnes ſe traderent fugæ, & certatim curſu pernici pervolarent ad flumen: nulluſque eſſet qui eos à fuga cohibere aggrederetur, ut in tali negotio fieri adſolet. qui enim duces fuerant in ſcelere, primi erant fugæ. Tunc illud beati Job dictum, quamquam ſub alio intellectu, videres impletum: *Verſa eſt in luctum cithara, & organum in vocem flentium.* Job 30, 31. Itaque præcipitanter in ſcaphas ingreſſi, dum eorum unuſquiſque tranſvehi flumine accelerat, pondere multitudinis adgravatæ, cùm proceſſiſſent in altum, ſubmerſæ dehiſcunt. Reſonabant litora gemitu ac clamore miſerorum & morientium ululatibus: concava vallium & nemorum condenſa reſpondebant. Videres Ligeris alveo arcus cum ſagittis, haſtas etiam cum clypeis ſubnatare, quæ fluvius celeritate qua decurrit, inferiùs devehebat. Ferunt autem eos qui in amnis ipſius cæcis ſubmerſi gurgitibus ſuffocati perierunt, non paucos fuiſſe. Capta eſt verò non minima multitudo eorum, qui nequaquam ad navigium pertingere potuerant, vel formidine fluminis exterriti in ripa reſtiterant. qui omnes præcepto Abbatis & reliquorum Fratrum relaxati, virtutem Patris circumquaque divulgarunt. Per omnia benedictus Deus, qui contumaciam illorum dejecit, & robur comminuit.

Circ. ann. DCCC LXXXIII Dec. IV.

XXXVIII. Amens recipit mentem.

Erat in ſuperiùs dicta curti Matriniacenſi quidam flore juvenilis elatus ætatis, nomine Waldo, qui pruritum ſuæ non ferens carnis, conſuetudinem ſtupri cum aliqua fecerat muliercula. Hic ab amicis ſæpius correptus, illâ rejectâ duxit uxorem. At illa dolens, & ulciſci ſe ſè toto affectans animo, inveſtigat, qua arte ſuam poſſit vindicare injuriam. Unde maleficiis operoſam impendens curam, adeo prævaluit, ut juvenis mentem alienaret, & in eo funditus ſuis veneficiis vim rationis exſtingueret. Qui mente perditus, à ſuo domicilio egreſſus propria ignorante familia, quid agere deſtinaret, arcu adſumto cum ſagittis (huic enim arti vacabat) ſilvas petiit Calvi-montis, deliteſcens incubatus aliquot dies in illis. quibus tandem relictis Flotiacum devenit, in vigilia beati Baptiſtæ Johannis: majoremque eccleſiam petens, coram altari, quod imaginem argenteam dominicæ recordationis pone habet, conſtitit, Fratribus Domino ſollemni more hymnos reſonantibus. ubi dum inter candelabra ſtupidus hac & illac lumina contorquens, & calcaneis ſolum pavimenti atterens perſiſteret, ſuſpenſis Fratribus, qui eum noverant, quid agere deliberaret; tandem comperto quod mente exceſſiſſet, expulſus eſt à loco ſtationis illius.

CIRC. ANN. DCCC LXXXIII DEC. IV. qui ſe ſe pernici greſſu promovens, ante aram Dei Genitricis contulit: & inibi totam illam noctem infatigabilis pervigilem ducens, viſione ſalubri, ut ipſe pluribus poſtmodum confeſſus eſt, in priſtinam ſoſpitatem eſt reſtitutus. Videbat namque Dei Genitricem, Patrem Benedictum, ſanctumque Martyrem Maurum coram adſiſtere. de quibus primus ſanctus Martyr ad Patrem Benedictum aiebat: Libera hunc famulum tuum.

XXXIX. Miracula edita Patriciaci. Conſequens videtur, ut etiam aliqua ex his annotemus, quæ omnipotens Dominus mira operatur per eumdem Patrem apud Patriciacum, ſeu in locis ſibi ſubditis. Neque enim minori miraculorum copia in eodem coruſcare dignoſcitur loco, quàm apud Floriacum, ubi corpore quieſcit. Unde idem locus in maximo à ſuis honore habetur vicinis, & multorum frequentia frequentatur populorum, tum in ſollemnitatibus hujus Patris accurrentium, quàm pro diverſis calamitatibus, ſi quando afflicti fuerint, ſupplicantium. Nos verò vix pauca eorum, quæ inibi glorioſus Pater geſſit, attigimus operum, partim illis habitatorum incuriâ oblivioni traditis, partim priorum negligentiâ noſtrorum, qui cùm peritia ſcribendi calluerint, ea ſcribere neglexerunt. Igitur ruſticus quidam, vocabulo Durandus, ſervus S. Gradi [a] de Petedo, contractionem inferiorum incurrerat membrorum, femorum videlicet, tibiarum & pedum. qui quoniam unde victus ſui inopiam ſuppleret, debilitatis non haberet membris, fecerat ſibi fieri geſtatorium locellum, in quo deportatus per fidelium virorum domos, quotidianam ſtipem pro eorum abſolutione facinorum ab ipſis recipere mereretur. Vicinis autem illius & conſanguineis aſſiduâ egeſtatis illius ſuſtentatione uſquequaque fatigatis, contigit, quatinus ſuis relictis Patriciacum in ſuo deportaretur grabato: ubi per aliquod temporis ſpatium, mendicando à ſibi impendentibus agapem promeruit. In ſollemni autem die tranſlationis memorati Patris, quæ menſe Julio ibidem celebriùs recolitur, advenientibus non ſolùm plebeiorum turmis, ſed etiam clericorum & nobilium honeſtis perſonis, Fratribus nocturnas agentibus vigilias, rogavit ſe deferri ad Monaſterium, ejuſdem intereſſe cupiens vigiliis. quod & obtinuit. Porro dum quartum canitur reſponſorium, inſpirante (ut reor) divina clementia, quæ ſibi per glorioſi Patris merita miſereri decreverat, poſtulabat obnixè, ut tranſvehendo ſubderetur capſæ, in qua continebantur reliquiæ. Arripientes ergo duo de populo grabatum ejus, in quo geſtari ſolebat, ſubduxerunt eum per locum de quo petierat. Tranſlato itaque eo, mox nervis ſe ſe extendentibus, laxatis nodis quibus tenebantur adſtricti, omnium recepit ſolutionem membrorum, linquente dolore priſtino crura illius, ſuras & reliqua quæ diu obtinuerat membra. Solutus denique omni anguſtia, cœpit omnium ſalvatori Deo multas juxta modulum ſuæ ſcientiæ perſolvere grates, Patremque Benedictum magnis extollere laudibus, per quem ſalutem promeruerat. Quod cernentes Fratres, tam ipſi quàm totus ille qui ad feſtum occurrerat populus, ad ſimile opus ſe præparant, in laudibus Omnipotentis diu immorati, qui per merita jamdicti Patris ſuis beneficia largitur famulis.

Contractus vegetatus.

XL. Simile. Alter etiam, Belinus nomine, de familia ejuſdem Patris, & ipſe unus de ruris cultoribus, nimia membrorum vexatione fatigatus, in lectum decidit. in quo prolixioris recubans ſpatio temporis, nimia vi ægritudinis artatis venis, meatumque ſuum ſanguine perdente, exſiccati ſunt nervi ejus, humorum irrigatione amiſſa. Qui quoniam ſuis operari manibus nequaquam poterat, unde

[a] Lege *S. Grati de Paredo*, vulgò *Paré le Monial*. diœceſis Æduenſis ad Brebincam amnem, in Ligerim paullo infrà influentem. quod Monaſterium Lambertus Comes Cabilonenſis ædificavit, Hugo filius ejus, Autiſiodorenſis Epiſcopus, Cluniaco ſubjecit anno undemilleſimo, Roberto Rege approbante. Beatæ Mariæ & ſancto Johanni Baptiſtæ primitus ſacrum fuiſſe Cœnobium legitur in litteris Hugonis Epiſcopi Æduenſis apud Perardum in Monumentis Burgundicis pag. 167. ubi *Vallis-aurea* nominatur. At in ejus loci Chartario, cujus copiam mihi fecit V. Cl. Antonius Herovallius, S. Gratum unum è Patronis fuiſſe conſtat. Nunc Decanatus Cluniaco unitus. Paredi fit mentio in Vita ſancti Hugonis Abbatis Cluniacenſis, in Hiſtoria Epiſcoporum Autiſiodorenſ. cap. 49, & apud Glabrum lib. 3 cap. 2.

ſibi victum adquireret, cœpit non modicam rerum neceſſariarum pati penuriam. Quamobrem aptari ſibi fecit grabatum ad ſimilitudinem illius inſtrumenti, quo ſtercora pecorum de ſtabulis efferuntur, dum mundantur: quatinus in eo per vicos & rura à ſuis devectus propinquis, alimoniam à viris ſuſciperet miſericordibus. Dum ergo ſuam, quamvis miſerè, ſuſtentando vitam, diverſa frequentaſſet loca; tandem Patriciacum advectus eſt. Ibi quoque velut in aliis, in quibus degerat, locis, quotidianam mendicans aliquanto tempore conſecutus eſt annonam. Audiens autem Patrem Benedictum, ſuum etiam carnaliter dominum, multa ceteris præſtare ſanitatum beneficia, cœpit in ſuis hujuſmodi conflictum habere cogitationibus: Si alienis meus tam magnificè ſuffragatur dominus, ut eos quamvis remotiſſimos, ſi ipſum mente ſupplici advenientes expoſcerint, ab omnigenis curet infirmitatibus; quanto magis meis ſoſpitatem redintegrare debet membris, illius ſerviturі obnoxiis, qui cùm ejus ſim corpore ſervus, mente etiam ſum illi devotiſſimus? Hæc & his ſimilia apud ſe retractans, exorat deferri ſe ad Monaſterium: ubi non multis evolutis diebus, ſecundùm fidem propriam, ſalutem recepit integerrimam, omnibus recuperatis membris. Unde plurimum gaudens, perſeverabat in eodem loco, noctibus quieſcens in ſtabulo, quod ſupereſt domui hoſpitum illic præparatæ adventui. Reputans verò licere jam ſibi quidquid agere vellet, una noctium, victus ſui concupiſcentià córdis, tentante ſe ſpiritu nequam, incidit in fornicationem. quam rem beatus Pater non leviter tulit: vel quia recepta ſanitate caſtimoniæ vigorem ſervare debuit, vel quia in locis ſanctis tantum facinus admittere non dubitavit. Ea etenim domus, in qua perpetraverat ſtuprum, ante januam habetur Monaſterii. Igitur quoniam turpi proſtratus voluptate animæ ſpreverat ſalurem; quam promeruerat, mox perdidit corporis ſanitatem. Sed denuo dum doloribus os ſuum affligatur, corde compunctus, orat Patrem pium, ut ſibi parceret. Pius autem Pater ejus ærumnarum miſertus, iterum integram ſibi reformavit ſoſpitatem. Ipſe autem aliquamdiu metu quidem periculi ſuperioris ſeſe continuit: ſed quoniam fervens libidine pruritum ſuæ carnis nequaquam domare curavit, rurſus illicitam incurrit commiſtionem, uni turpium commiſtus mulierum, oblitus penitus prioris diſcriminis. Quapropter probroſum ejus admiſſum velox conſecuta eſt vindicta, redeunte quam jam bis evaſerat, damnoſa ægritudine. Idem verò ad ſibi jam bis expertam recurrens medicinæ officinam, orabat cum gemitu multo, ſibi ſubveniri denuo. Sed Pater Benedictus volens ejus reprimere ſtoliditatem, nullatenus integræ, ut ſuperiùs, ipſum reſtituit incolumitati: ſed ex parte ſanato, partim debilem eſſe permiſit; ut vel ſic carnis afflictus verbere, vigilantiùs cuſtodiam ſuæ adhiberet animæ. Permanſit itaque de cetero in ea quam poſteriùs promeruit ſoſpitate, bacilis duobus minùs valida ſuffulciens membra: & quia egenus erat, & neceſſaria ſibi procurare non valebat, poſuerunt eum Fratres unum illorum, quo quotidianam ſtipem ibidem ſuſcipiunt, pro ſalute benivolorum ejuſdem loci. Porro grabatum illius in turri lignea, in qua dependent ſigna, ſuſpenderunt, ubi per longa in monumentum tanti prodigii pependit tempora.

Alio quoque tempore quidam juvenis, qui per multum tempus linguæ amiſerat officium, permanens mutus Patriciacum advenit, cupiens oris ſoluto vinculo, linguæ ſuæ plectrum, amiſſum reſumere officium. Hic una dierum, dum Fratres hora invitante nona, perſolverent omnipotenti Domino pſalmorum penſum, adfuit inter eos in choro illis pſallentibus: à quibus ad aram uſque Dei Genitricis perductus, adſtitit coram. Fundens itaque attentiùs corde, quoniam nullatenus poterat ore, precum ſuarum ſalvatori Domino vota, precabatur ſibi miſereri per Patris Benedicti merita: allegans ipſi domino ſuam orationem per eumdem Patrem, quem exoptabat fieri pro ſe interceſſorem. cujus quamcitiſſimè perſenſit quam fideliter expetierat opem. Denique clau-

Circ. ann. DCCCLXXXIII Dec. XV.

Fornicator punitus.

Quæſtura pro egenis.

XLI. Muto vox reddita.

Circ. ann. DCCCLXXXIII Dec. IV.

ſtris oris ejus patefactis, attentare cœpit ejus lingua per flexus varios recolligere perplexos loquendi modos; & quæ diutiſſimè in dentium ſepulcro velut emortua jacuerat, redivivo ſermone quaſi pullulantia primum germina, prima verba proferendo perſonabat. Incertus hic nimirum aliquot momentis exſtitit, utrum munere ſibi nupertime attributo liceret frui aſſiduo, donec ipſâ experientiâ addidicit, ſe ſe perfectè uſum loquelæ recepiſſe. Tripudians autem de tam large in ſe oſtenſa Patris Benedicti munificentia, talionem quem valuit, gratanter retribuere minimè diſtulit. Quippe corruerat pars maxima teſtudinis lapideæ ipſius eccleſiæ à parte aquilonali, cujus fundamento, quoniam minus roboris habuerat, penitus eruto, conſtruere firmius Fratres, ut eadem teſtudo robuſtiori ſuperpoſita fundamini firmior foret, inſtituerunt. in cujus ædificii conſtructione idem juvenis ſtrenuus ſedulus perſeveravit operarius, quamdiu ad plenum conſummaretur. Nam poſtmodum gratiarum actione Patri Benedicto reddita & à Fratribus licentia accepta, repedavit ovans ad propria.

XLII. Cæcæ lux reddita.

Quædam puella, habitum privatione excludente, orbatis utriſque luminibus, cæca facta fuerat; & ut eſt conſuetudinis lumine ſolis hujus privatis vivacioris ingenii lumen mentes eorum clarius irradiare; quæ minus de timore omnipotentis Domini recto, ætatis mediocritate impediente habuerat, cœpit eſſe timorata ampliùs, & in ipſius amore Domini ferventior, & ut ſolent corporis gravati debilitate robuſtiores fore mente. Sollicitior facta ad Domini cultum, frequentabat eccleſiam, petens ejus indefeſſam clementiam, quatinus ipſius ærumnas relevare dignaretur. Perpendens verò, ſe ſe id nullatenus poſſe propriis adſequi precibus, niſi aliquos fidelium ipſius internuntios haberet, qui ſuam petionem acceptiùs præſentarent, circumibat multorum memorias Sanctorum; & quos propinquiores ipſi omnipotenti Domino clarioribus fore audierat meritis, advocatos ſibi adſciſcens, crebriùs nominatim ſuis interpellabat obſecrationibus. Pluribus igitur excurſis locis, ſed minimè quem exoptaverat, miſeratione Sanctorum quos expetierat, fulgorem oculorum lucrata; adiens Patriciacum, petiit Patrem ſanctum, quem auditu cognoverat clarificari aſſiduitate miraculorum. cujus expoſcens patrocinium, dum in ejus adſiſteret oratorio, interpellabat ipſum corde devoto, quatenus ejus interventu reaccendi mererentur lumina ejus munere divino. Pulſatus ergo Dominus omnipotens ipſius Patris precibus, exaudivit poſtulationem paupérculæ, accendens ejus pupillas redivivo lumine; expulſiſque cæcitatis umbris, conceſſit ſibi intueri clarè fulgorem rutilantis Phœbi. Quæ impenſius exhilarata de ſibi reſtitutis obtutibus, haud facile eſt explanare, quanta animi alacritate rerum omnium conditori laudes lætabunda perſolverit. Patri autem Benedicto, per quem tanta promeruerat beneficia, diebus vitæ ſuæ omnibus exſtitit fidelis famulâ.

XLIII. Mente inops curatus.

Quidam nobilium, Gaufredus nomine, præpotens vir, dominus caſtri quod Sinemurus [a] vocatur, nimia capitis infirmitate oppreſſus, mentis inops effectus, totam funditus perdidit memoriam. Unde omnis ejus clientela, quæ in obſequio illius non pauca deſerviebat, mente conſternata ſuper ſuo domino, queſtibus & lamentis, expers conſilii, omnem ſuam impendebat operam. quique etiam viri illuſtres, qui ſeu affinitate, ſeu amicitia, ſeu beneficio ſibi adjuncti videbantur; ſuper hoc ipſius infortunio valde afflicti, non minimâ detinebantur cordis anguſtiâ. Communi igitur conſilio inito, ſtatuerunt, debere eum inviſere præcipuorum memorias Sanctorum, Apoſtoli videlicet Petri in Cluniaco Cœnobio, beati Filiberti apud Turnucum [b], &

[a] Duplex eſt eo nomine caſtrum ſeu opidum in Burgundia. unum in pago Alſenſi, vulgo *Semur en Auſſois*, ad Armentionem fluviolum. alterum haud procul à Ligeri ſupra Patriciacum, vernacule *Semur en Brienois*, de quo intelligendus videtur hic locus.

[b] Turnucum ſeu Tornutium, *Tournus*, Burgundiæ opidum ad Ararim, Abbatiâ illuſtratum, quò delatæ ſancti Filiberti reliquiæ, cujus tranſlationis hiſtoria ſuperiùs edita.

aliorum Sanctorum, quorum nomina latiſſimè fulgentibus divulgantur meritis *Circ. ann.* in illa regione. quod ſtatutum, cum magno apparatu certatim explere ado- *DCCC* riuntur famuli illius. Denique haud contemtibili obſequentium comitatus fa- *LXXXVIII.* mulitio, peragravit magnorum loca Sanctorum: qui hoc opus venerando re- *Dec. IV.* ſervantes Patri, nullatenus voluerunt eum priſtinæ reſtituere ſoſpitati. Ergo tandem recordati qui eum ducabant, magnum Patrem magna apud Patriciacum ſolere operari; illuc greſſum dirigunt. quos adventantes cum ſuo domino, in domo hoſpitum ſuſcipiunt Fratres, & ut idem Pater inquit, Nam divitum terror ipſe ſibi exigit honorem; honorificè per tres ferè hedomadas quibus apud eos manſit, cum ſuis eſt habitus. *Reg. S. Bened. cap. 53.* Siquidem toto illo quo cum eis deguit tempore, oratione pro eo directa ad aures omnipotentis Domini, ſacriſque pignoribus lotis mero, ſibique in potu dato; obtinuit ſalutem quam expetierat. *Vino lotæ reliquiæ.* Qua de re gratias agens omnium conditori Patrique Benedicto, per quem meruerat ſanari; reverſus eſt ovans ad ſua, congratulantibus ſibi ſuis omnibus benevolis.

Tranſlatio Patris ejuſdem agebatur, quæ æſtatis tempore, per omnem Galliam ſingulis celebratur annis. XLIV. *Tranſlationis celebritas.* Eſt autem moris eorum, qui de familia Patris progeniem ſe ſe ducere gratulantur, quemcumque locum Patriciaco vicinum incolant, ad idem feſtum occurrere, & lychnos quos coram altari ſui accendant domini, ob devotionem afferre. Inter reliquos igitur, quidam eorum Rotbertus nomine, incola caſtri quod Luciacus vocatur, venire feſtinans, haud ſpernendæ quantitatis lychnum, ſui affectum animi erga eumdem Patrem declarans, obtulit. *Cerei oblati.* quem in vigilia ſollemnitatis accendere faciens, rogavit æditus ſacræ baſilicæ, quatinus per totum feſti diem, ſuus non exſtingueretur lychnus: ſed coruſcantibus flammis, in ſequens perduraret mane. quod abſque difficultate apud eos obtinuit. Ergo accenſus cum aliis quampluribus à diverſi ſexus perſonis itidem oblatis arſit per totam illam ſacram noctem diemque feſtum, donec ſollemnis Miſſæ conſummaretur celebratio. Qua expleta, Fratres feſſa vigilandi & pſallendi labore corpora ſolito copioſius relevaturi, domum refectionis intrarunt. Porrò apocriſarius [a] ipſius ſacri loci, ſanè vir modeſtus, Iterius nomine, laico cuidam, qui ſub eo ipſius baſilicæ excubias obſervare ſolebat, Dagoberto nomine, infit: Mi frater, quoniam cum ceteris pranſuris & ego diſpoſui prandere, tu cuſtos pervigil, cave ne aliquam in hoc ſpatio incurramus negligentiam. inveſtiga ne aliqua malignæ voluntatis perſona hanc baſilicam ſit ingreſſa, cupiens aliquod nobis inferre detrimentum. cuſtodito, ne aliquis ex fulgorantibus lychnis in altari decidens damna inferat vel modica. & ut certiores ſimus, circumſpiciamus eoſdem, qualiter candelabris affixi ſunt, lychnos. His peroratis, quæ propoſuerant, peragunt: lychnum autem illum, de quo cœpit agere ſermo, propter aram glorioſæ Dei genitricis, quæ in eadem eccleſia primum obtinet locum, ſtatuunt, mucroni artius imprimentes candelabri, de ejus conſiſi craſſitudine. Quibus patratis, frater ſupradictus ad prandium accedit cum ceteris refecturus: qui verò ad cuſtodiam relictus eſt laicus, in adſignatis ſibi minùs quàm debuerat, occupatus, aliter agebat. Lychnus ergo ille quem juxta aram Dei Genitricis poſitum fore diximus, ſuper eamdem concidit aram, *Ornamenta flammis intacta.* æſtatis tempore cerâ emollitâ. ara autem ipſa, ob diem ſollemnem cultioribus velis velata erat. Itaque illo toto moratum ſpatio, quo Fratres ad prandendum reſederunt, lychnus ille coruſcantibus flammis ſuper aram arſit, permanentibus illæſis quibus adoperta fuerat operimentis, veſtigiis dumtaxat apparentibus cineris. Igitur pranſi Fratres eccleſiam [b] petunt, gratiarum actio-

[a] Apocriſarius in Monaſteriis erat æditùus baſilicæ, ut patet ex hoc loco, alias Archarius in libro de miraculis S. Mauri Abbatis num. 22, ſuprà.
[b] Ex hoc loco & multis aliis patet, morem fuiſſe apud majores noſtros, ut gratias acturi poſt cibum eccleſiam adirent, non Capitulum. quod patet ex Capitulis S. Galli Monachorum cap. 22 & aliis

Circ. ann. DCCC LXXXIII Dec. IV. * eſſ.

nes omnipotenti Domino perſolventes. Cernentes vero lychnum in altari, accurrunt, opinantes omnia lintea illius igne conſumta. Comperientes autem fore * ea illæſa, gratias referunt omnipotenti Domino, qui tanta eis beneficia dignabatur oſtendere per Patris eorum merita.

XLV. Fur in ſuſpendio incolumis ſervatus.

Quædam anus de ſuprà memorati Patris familia, neceſſariis omnibus indiga, ſolum ſuæ viduitatis & ſenectutis baculum habebat filium. Hic autem non habens unde matris inopiam ſuſtentaret, cùm labore ſuarum manuum victus & veſtitus neceſſaria ei ſibique nequaquam ſuppeditare valeret, furtis hoc ſupplere decrevit. Inſiſtens igitur neſario, minima quæque priùs ſubripiens, paullatim ad majora audenda prorupit. Omnia verò quæ furabatur, matri deferens, eam exinde alebat, veſtiebat, & omnem illius ſuſtentabat egeſtatem. Dum autem per aliquantum temporis, copulato ſibi ſocio, hoc exſecrabili vitio illectus foret, multa ſuis importans damna vicinis; comperientes illi adoleſcentem ipſum, viduæ illius ſuæ vicinæ filium, ſuarum rerum tantam ſibi facere imminutionem; quadam die dum ſolito more furaretur, interceptum cum ſodali præſentarunt judiciariæ poteſtati, objicientes quæ commiſerant facinora Convicti ergo adoleſcentes, adjudicati ſunt ſuſpendio perire debere. Enimvero anus illa, quam matrem adoleſcentis unius fuiſſe diximus, audiens filium ſuum duci ad ſuſpendium, anhelo curſu, feſtinat ad Monaſterium; & ingreſſa, his vocibus Patrem compellat Benedictum: Domine mi, inquit, Benedicte, quid faciet hæc tua miſera ancilla? quæ nullum aliud, ut tu meliùs noſti, habebam ſuffragium præter hunc meum natum, qui modò ducitur ad ſupplicium. tu ſcis, domine, quoniam neceſſitate coactus, furta hæc committebat. redde, mi domine, mihi filium meum, tibi ſervum tuum, jam de reliquo correptum, qui meas ſoletur ærumnas, ne famis inediâ diſpereat hæc tua ancilla. Oſtende tuam ſolitam pietatem in me paupercula, tangat mea querimonia tua pia viſcera. His & aliis querulòſis gemitibus perfuſa genas lacrymis, preces fundebat. Flexus ad miſericordiam Pater pius miſerabili hujus aniculæ queſtu, exhibuit prodigium noſtris temporibus inauditum. Denique ductus uterque juvenum ad locum hujuſmodi ſupplicio deſtinatum, furcis appenſi ſunt. Unus igitur illorum, ſodalis videlicet filii viduæ, extemplo vitam finivit. ipſe autem ab exortu ſolis uſque in tertiam horam ſuſpenſus, precibus matris ejus obſiſtentibus nequaquam mori potuit. Paſtores quippe more ſuo accelerantes videre ſuſpenſos, dum ad locum veniſſent, cernunt alterum vitam finiiſſe, alterum vivere. Obſtupeſcentes itaque in tanto miraculo, celeri curſu indicare tam militibus quàm promiſcuo vulgo, quæ viderant, feſtinant. qui nequaquam verbis eorum creduli, dirigunt qui ſibi renuntient, utrum verum, an falſum ſit quod audiebant. At illi qui miſſi fuerant, ad locum ſuſpendii properantes, ita eſſe, uti paſtores dixerant, cognoſcentes, eis qui ſe miſerant, referunt. Admirati omnes, mittunt qui adoleſcentem ſolvant, & ſibi præſentent: rem ab eo omnem pleniùs reſcituri. Cognoſcunt ergo viduæ illius lacrymis & precibus, quam eccleſiam concito curſu petiiſſe perfuſam lacrymis viderant, omnipotentem Dominum vitam filio ejus per merita Patris Benedicti, quem devotiùs exoraverat, reſervaſſe, ſuper hoc facto magnificantes ipſius clementiam Omnipotentis. Denique interrogatus adoleſcens, profeſſus eſt ſe nullam læſionem ſenſiſſe per totum ſuæ ſuſpenſionis ſpatium. Unde conjici datur, magis eam per indigentiam, quàm per malitiam commiſiſſe furtum.

XLVI. Dæmoniacus liberatus.

Gauterius de Capriaco quadam nocte quæ ſabbatum præibat, ad caſtrum, quod Mons ſancti Vincentii nuncupatur, feſtinans, exoptabat adfore hominum conventiculo, quod pro mercibus congerendis fieri adſolet: unde tam ipſe conventiculi locus, quàm negotium ibi habitum, mercatum vulgo dicitur. Fit verò in eodem loco in ſabbato. Itaque, dum in loco Planchia-Guil-

lelmi dicto, præterlegeret fluviolum Wldracam [a], qui Patriciacos præterluit agros; equo reſidens, nullumque habens comitem, ingenti primùm tremefactus metu, perſenſit adeſſe dæmones: & oblitus ſibi ſignum imponere crucis, circumvallatur ab eis, nullo munitus ſubſidio. qui illum cum equo cui inſidebat arripientes & per aëra vectitantes, ad poſtremum in gurgitem tentabant, demergere. At ille Deo ſibi propitio ad memoriam reduxit glorioſi nomen Benedicti Patris: & cùm jam prope eſſet, ut à dæmonibus in amnis illius profunda mergeretur, Sancte Benedicte, Sancte Benedicte, cum grandi clamore cœpit crebriùs iterare. Exterriti igitur dæmones ad nominis hujus invocationem, ſtatim eum linquentes, more ſibi conſueto evanuerunt. Porro ille virtute hujus nominis ſe ſe cernens ereptum, retrogrado calle Patriciacum rediit, nullo modo auſus, quod cœperat iter, ulteriùs adoriri. Reverſus ergo, ob formidinem nimiam quam ſibi dæmones incuſſerant, memoriâ exceſſit. A ſuis verò in craſtinum ad Monaſterium adductus, & ibidem aliquantum remoratus, pro eo omnipotenti Domino fuſis precibus, integræ mentis recepit ſobrietatem meritis ipſius quem invocaverat Patris. Circ. ANN. DCCCLXXXIII Dec. IV.

Hugo Bidulſus cognomine, unus militum Patriciacum inhabitantium, cùm in aliis quamplutibus eidem loco adverſaretur; cujuſdam ſeditionis in eadem villa inter equites exortæ occaſione, una dierum aggreſſus quemdam ruſticum Guarinum nomine, à loco de Cumbis cognominatum, & ipſum de familia Patris progenitum, nulla juſtæ querelæ exſiſtente cauſa, tam crudeliter verberavit, ut ei brachium contriverit. Ruſticus verò idem neminem ſuarum injuriarum reperiens ultorem, dum non haberet, quem potiſſimum ſuæ querelæ advocatum faceret; (quippe vir ſuperbus erat, qui eum ceciderat, & nulli reverentiam deferebat) anxius valde, ad ſui domini auxilium confugit Benedicti. Ingreſſus itaque eccleſiam ejuſdem Patris appropiavit altari; & ſuper eo contritum imponens brachium, hæc verba cum multo gemitu mente profudit contrita: Sancte, inquit, Benedicte, mi domine, tuum me profiteor ſervum; & te meum jure dominum. cernis hoc contritum brachium. tuum erat, & præter te nemo alius in eo dominationem exercere debuerat. ſi tu illud confregiſſes, adverſus te nullam haberem quæſtionem, quoniam eſt tui juris. ſed mi domine, quare permiſiſti, ut Hugo Bidulſus, cui in nullo obnoxium eſt, illud contereret. noveris me ab hac die tuis, vel tibi nullo modo famulari, niſi de ipſius brachio & corpore juſtam ultionem exegeris. His & hujuſmodi vocibus Fratres qui aderant & hæc audiebant, ad lacrymas provocati, pariter flebant, & ejus juncti gemitibus, eadem expoſcebant. quibus peroratis, ruſticus eccleſiâ egreſſus, ægerrimè ad ſuum remeavit habitaculum. Porro Pater ſanctus nullatenus querimoniarum illius oblitus, in malignum juſtiſſimam exercuit ultionem virum. Brachium enim ipſius ejuſdem lateris, cujus & ruſtici brachium verbere demolitus fuerat, cum toto humero tanta vi ægritudinis pervaſum eſt, ut omnino inutile factum, ad nullum penitus neceſſitatis uſum inveniretur idoneum. Quo dolore miſer diutiſſimè vexatus, à nullo prorſus medicorum curari valuit: ſed augmentatâ anguſtiâ, eodem morbo omnia ipſius membra percurrente, fatigatum diris doloribus ſpiritum miſerabilis miſerabiliter effudit. XLVII. Servus vindicatus.

Duo etiam viri, quorum uterque ex agreſti hominum genere ducebat natale, damnati membris, annoſa nervorum contractione eos perdente, diutiſſimè in ſuis, hoc cogente morbo, reſides jacuere grabatis. Horum unus incola villæ quæ Sanctus Bonitus de Vetula-vinea dicitur; alter verò ex villa Palingias vocitata, exſtitiſſe perhibetur. qui primordio ſuæ invaletudinis, am- XLVIII. Contracti duo erecti.

[a] Vvldraca ſeu Vvldraga vocatur in Chartario Patriciacenſi, vulgo l'Oudrac, qui in Ligerim influit ſupra Burbonem (ut vocant) Ancium in finibus Æduorum. Patriciaci ſitum deſinit Eccardus Comes in charta 6, his verbis: *Hic ergo locus in Auguſtudunenſi pago poſitus; hic ab Oriente fluentis, Parrula videlicet & Burbancia dividitur, deinde à Meridie eadem Burbancia deſcendente in Iſram fluvium uſque ad ſancti Iohannis eccleſiam*, &c.

Circa ann. DCCCLXXXIII. Dec. 17. pliùs juſto anilibus creduli ſabulis, non paucis diebus, ſalſis mulierculatum carminibus ſe ſe decipi pertulerunt, animati ſalſis ſpebus, ſed & popularium medicorum inſanam experti opem, qui artemiſiæ, vervenæ, betarum, ſeu aliarum quæ paſſim tellus edere conſuevit ſuccis herbarum, ſeu diverſorum animalium adipibus, vili plebeculæ illudere ſolent, nil omnino profecerunt. Unde animo dimiſſi, ulteriùs medelam ſe adipiſci deſtiterunt ſperare, quam magnopere ſe ſe expetiiſſe arbitrabantur. in qua deſperatione diu perſeverantes, nihil de ſua ſalute cogitabant. Immenſa verò omnipotentis Domini clementia, quæ illorum miſereri decreverat, immiſit cordi eorum, quatinus Patriciacum deportari ſe facerent, Patremque Benedictum, ut pro eorum ſalute intercedere dignaretur, exorarent. Fecerunt autem ſic, non quidem eodem tempore, ſed diverſis temporibus. Igitur dum aliquot diebus in Monaſterio ejuſdem loci precibus inſiſtentes pernoctaſſent, ſoſpitatem integerrimam receperunt. Lætabundis itaque animis, grates Patri ſancto tribuentes, revertuntur ad propria, omnibus propalantes omnipotentis Domini in ſe oſtenſa magnalia.

XLIX. Fur punitur in filio. Quædam poſſeſſio dicta Sulmeriacus [a] Patriciacenſium ſubjacet ditioni, quæ ipſis non contemnenda victualium quotannis rerum infert ſubſidia. cui nuperrimè præfecerant quemdam ex ſuis Fratres, gratiâ tuitionis loci & arcendorum prædonum, & colligendorum annuatim ſolitæ repræſentationis fructuum. Huic vocabulum inerat ODO: quo referente, ea quæ ſcribo, cognovi. Quidam ARCHEMBALDUS cognomine Albus, vir potens, non ſolùm in ruricolas prædii illius, verum etiam in contiguos, avitæ dominationis exercebat jus. cujus uxor dum occaſione turpis quæſtus vicina peragraret rura, devenit ad ſuprà memoratum cum ſuperbo comitatu locum, uti hujuſmodi incedere adſolent matronæ. Erat autem autumnale tempus, quando preſſis torculari vinis, vinum condi ſolet in præparatis promtuariis ad ſervandum in poſterum: cujus non modica quantitas tunc temporis ibidem habebatur. Mandat ergo eadem matrona Monacho, ut ſibi & ſuis acceleratum exhibeat prandium. Qui audiens quæ jubebantur, nimia animi indignatione commotus, ut erat animoſus, reſpondit nequaquam ſe directum, quatenus ſubſtantiam ruris ipſius in conviviis mulierum expenderet, ſed ut fideliter collectam eis qui ſe miſerant, dirigeret; nec conſuetudinem imponere loco velle, quam non inveniſſet. Qua reſponſione contemni ſe ſe mulier autumans, furibunda receſſit. Imperat ergo Anſegiſo Brutnio, qui eorum locorum ab ipſa dominationem acceperat, quatenus quidquid vini ſub jure Monachorum reperiſſet, plauſtris imponens deveheret, & ſuo cellario reconderet. Hic præceptis dominæ velociter obaudiens, vehiculis vinum imponit, & ſuis inferre properat apothecis. at nequaquam diu gaviſus eſt. Denique filius ejus admodum parvus, quem unicè diligebat, mox ut plauſtra fores attigerunt domus, tam validis febribus urgeri cœpit, ut pæne animam exhalaret. At vir ille nequaquam hæſitans hoc infortunium ſibi accidere, eo quòd nefandis dominæ juſſis obtemperaſſet, vinum reddidit; & quia ſtultè egiſſet recognoſcens, pro ſuo delicto ſatisfecit, Patremque Benedictum pro pueri ſalute oravit. quem pius Pater pænitentiam ipſius acceptans exaudivit, & puerum in priſtinam ſanitatem reſtituit [b].

Pænitens filii ſanitatem obtinet.

[a] Villa hæc ſita erat in pago Matiſconenſi, Floriaco attributa à Wlniterio Eccardi Comitis nepote, ex chartis XX & XXIII codicis Patriciacenſis.

[b] Non pervenit Auctor ad annum MCVII, quo reliquiarum ſancti Patris Benedicti tranſlatio in novam thecam facta eſt XII Kal. Aprilis, præſentibus Ludovico Rege, Johanne Aurelianenſi, & Humbaldo Autiſſodorenſi Epiſcopis; Chriſtiano quoque ejus loci Monacho, qui rem litteris mandavit, atque factam eſſe tum electionem Boloni Abbatis eo nomine ſecundi in locum Simonis, qui paucis antè diebus obierat.

Circ. ann. DCCC LXXXIII. Dec. IV.

APPENDIX

A Bollandianis fuſior addita ex mſ. codice Patriciacenſi.

1. TEMPORE GAUZLINI glorioſiſſimi Patris ac Bituricenſium Archipræſulis, multi nobilium mundialis vitæ nugis abnegatis, in palæſtra hujus loci Dei & Domini noſtri ſe dedere ditioni ſub propoſito ſanctæ Religionis. Nec minus etiam ab extimis Hiſpaniæ ſeceſſibus, alii à puero in divina obſervatione enutriti, alii apice paſtoralis curæ ſublimati, patriâ rebuſque abdicatis, præſentiam petiere hujus Principis Dei: magni exiſtimantes, ſi liceret conſpectibus perfrui, cujus erant doctrinâ & magiſterio informati. Videres confluentium agmina undecumque concurrere, & tamquam uno ore proclamare illud nobile vaticinium Iſaiæ: *A finibus terræ audivimus laudes, gloriam juſti.* & Pſalmiſtæ: *Etenim benedictionem dabit Legiſlator.* Cujus benedictionis ut participium mererentur quidam duo germani, nectare tacti ſupernæ inſpirationis à Barcinona urbe profecti, communis Protectoris noſtri ſacroſanctum unanimi voto expetiere tumulum. quorum unus, nomine JOHANNES, in Monaſterio ſanctæ Dei Genitricis, cognomento Rivipollenſis [a], à pueritia ſacris imbutus litteris, pedum promeruerat curæ paſtoralis, ſcilicet Abbatiæ ſanctæ Cæciliæ virginis & Martyris, ſitæ in cujuſdam vertice montis. alter verò, vocabulo BERNARDUS, à quibuſque nobilium ſub tirocinio militiæ ſæcularis eſt inſtructus; ſed, quoad poſſibile laico, Deo ſubditus: qui florentis militiæ abjectis deliciis, quodque mirificum eſt, tædis nuptialibus ſpretis, igneſque animi igne ſuperans ſupernæ contemplationis, cum proprio germano Floriacum uſque locum, ut prælibatum eſt, devenit, ibique habitum ſanctæ Religionis humiliter quæſivit, & reverenter ſuſcepit. Quo pro certo referente cognovimus, quoddam Cœnobium haberi in partibus illis, dicatum in honore hujus amici Dei, à memorata urbe iter protrahens unius diei: in quo loco innumera fiunt miracula ad laudem Domini noſtri JESU-CHRISTI per merita beatiſſimi Patris noſtri Benedicti, ex quibus [pauca hæc] perſtringere libuit.

Floriacum multi ſe recipiunt, ſub ann. 1010.

Iſa. 24. 16. Pſal 83, 8.

2. Igitur quidam præclaræ indolis adoleſcens, ſecus præfatam baſilicam iter faciens, gratiâ orandi cum proprio armigero devertit. Porro pone fores eccleſiæ equis à foris relictis, dicens: Sancte Benedicte, hos interim tuæ committo cuſtodiæ; ſe in orationem ante ſacrum dedit altare. Dumque crebris ſingultibus preces fundit attentiùs, contigit quemdam tranſitum habere pari quidem itinere, ſed diſpari operatione. Ergo miſer, ubi neminem cuſtodum reperit, vim faciens aurigæ inviſibili, animalibus cum armis invaſis, cujuſdam fluvioli, cui nomen Lubrigatus, vadum aduſque tendit. Sed demens cæcatus perfidiæ ſuæ tenebris, dum medium conatur nare gurgitis, præceps ruens undis, nulli ultrà comparuit. Juvenis verò à templo egrediens, dum huc illucque oculorum vertit aciem, damni haud fruſtra impatiens, mox ut animadvertit adverſarii fraudem, concitus irrupit ſibi debitoris baſilicam, talia voce querula proclamans: Eia, inquiens, ſanctiſſime Benedicte, quonam pacto preces te rogantis ad Chriſtum allegabis, qui unius quadrupedis cuſtos eſſe nequiſti? Obteſtor non me hinc diſceſſurum, uſquequo reſtituas quod

Equus furto abductus reſtituitur.

[a] Hactenus perſtat Monaſterium Rivipollenſe Ordinis S. Benedicti in Catalania: cujus loci fuit Enneco Abbas imperante Ludovico Auguſto, ut conſtat ex litteris Aviæ Comitiſſæ in hæc verba. *Ego Ava Comitiſſa & filii mei, id eſt* JINIOFREDUS *Comes,* & VUIFREDUS *Comes,* & OOLIBA *Comes,* & MIRO *Levita, ſimul donatores domum ſanctæ Mariæ ſitum in Comitatu Auſona, in locum quem vocant Rivopullo, ad prædictum domum, quæ eſt fundata in honore ſanctæ Dei genitrice Mariæ perpetua Virgine, vel ad Abbate Enneconе, vel ad Monachos, qui ibidem Deo ſerviunt, &c. Scriptum XII Kal. Julii anno ſexto regnante Ludovico Rege filio Karoli.*

Circ. ann DCCC LXXXIII Dec. IV. novi amiſſum tuâ negligentiâ. Hæc & his ſimilia dum queritur voce ſedula, extemplo revertitur raptoris rapina, & abſque ullius regentis ſollertia loco conſtitit, quo injuſtè fuerat ablata. Fit continuò concurſus populorum, ingens agitur gaudium, *&c.*

CATALOGUS
ABBATUM FLORIACENSIUM.

PRIMUS Abbas RIGOMARUS habuit annos V.

Secundus Abbas MUMOLUS annos XXX. Et infra iſtos XXX annos corpus Patris BENEDICTI allatum eſt de monte Caſſino ab Aigolfo Monacho anno DCLX Incarnationis Domini, Regis Clodovei temporibus, filii Dagoberti.

Tertius Abbas LEODARDUS habuit annos X.

Quartus Abbas IDO habuit annum I & dimidium.

Quintus Abbas AUDERANNUS habuit dimidium annum.

Sextus FLATBERTUS habuit annos III.

Septimus Abbas ADALBERTUS habuit annos XXIX.

Octavus Abbas GEILO annos XIX.

Nonus Abbas MEDO habuit annos XXI.

Decimus Abbas RODULFUS habuit annos XIX.

Undecimus Abbas IDO annos IX.

* l. Magnulfus

Duodecimus Abbas MAGULFUS* annos XVI.

Tertius decimus Abbas FULRADUS annum I & dimidium.

Quartus decimus Abbas THEODULFUS annos XIX & dimidium: qui à glorioſiſſimo Imperatore Karolo ex Heſperia propter eruditionis ſcientiam, qua pollebat, in Gallias adductus, Floriacenſibus Abbas & Aurelianenſibus datus eſt Pontifex, *&c.*

Sic in Theodulfo deſinit catalogus, quem vir Cl. Stephanus Baluzius ex veteri codice mſ. publicavit ſub hoc titulo: Incipit nomina Abbatum ſanctæ Mariæ & ſancti Petri & domni Benedicti Floriacenſis Monaſterii, poſtquam primùm ædificatum fuit. *Ex his quatuor-decim Abbatibus quatuor aut quinque tantùm exhibentur in fuſiori Gallia Chriſtiana,* nempe RIGOMARUS, MUMMOLUS, MEDO, RADULFUS, & THEODULFUS. De Magnulfo intelligenda videntur Alcuini epigrammata duo, nempe 162 & 163. Confer quæ de aliis Abbatibus adnotavimus ſuprà tum in fine Obſervationum præviarum, tum in fine libri 2 Aimoini.

DE ALIIS

Circ. ann. DCCC LXXXIII Dec. IV.

DE ALIIS MIRACULIS IN ITALIA FACTIS DIALOGORUM LIBRI TRES,

Auctore Desiderio Abbate Caſinenſi, dein Papa Victore III.

Ex editione Johannis Baptiſtæ Mari Romani.

LIBER PRIMUS.

De miraculis à S. Benedicto, aliiſve Monachis in Monaſterio Caſinenſi factis.

Qua donante Deo miracula, quæ ipſe ad laudem ſui nominis in hoc Caſinenſi Cœnobio fieri voluit, quæve noſtrâ memoriâ facta ſunt, vel à ſenioribus noſtris relata cognovi, ſcribere diſpoſui; licèt omnia nequeam ſtilo comprehendere, tum quia plura exciderunt memoria, tum quia occupatus regimine, vel ea quæ ſcribo, diſcutere ipſe non poſſum; pauca tamen de pluribus ad ædificationem audientium mandare curabo memoriæ. Nam ſi omnia quæ vel ipſe vidi, vel quæ mihi relata fuere, per ordinem referre velim; dies me, ut æſtimo, antè, quàm ſermo, deficeret. Et hæc non tam fretus ingenio, quàm quia res omiſſa videbatur, ſcribere ſum aggreſſus: metuens, ne ſicut hactenus, ita etiam amodò ſcriptorum negligentiâ derelicta, à memoria elapſa, oblivioni traderentur. Inſuper etiam rogatus à Fratribus, & præcipuè à te, Frater Theophile Levita cariſſime, ut cuncta vel audita, vel viſa memoratu digna, tuis tuorumque auribus ſtudioſè fideliterque referre deberem, ruſticano licèt ſtilo, tam devotæ atque ſedulæ ſtudui parere petitioni: omnipotentem Dominum deprecans, ut qui ſervis ſuis gratiam tribuit ad virtutes & mirabilia facienda, mihi quoque ſermonem non deneget, quatenus ea dignè ac fideliter ad multorum profectum valeam enarrare. Ratio ſuſcepti operis.

Theophilus. Ego quidem non ſolùm ea quæ in hoc Caſinenſi Cœnobio miracula Domino largiente patrata ſunt, noſſe deſidero: verùm etiam ea, quæ in aliis partibus his vicinis temporibus Chriſtus Dominus per ſervos ſuos dignatus eſt operari, ſi quæ noſti, mihi hæc audire ſitienti, te, quæſo, narrare ne pigeat. Et hæc idcirco te maximè ſcribere rogo, quia pleroſque magis virtutum exemplis, quàm exhortationum verbis ad exercitium boni operis, ac ad amorem patriæ cæleſtis accendendos eſſe non dubito.

Desiderius. Primùm quidem voluntati tuæ favens, ea, quæ in hoc noſtro Cœnobio facta ſunt, duobus comprehendam libellis; dein cetera, quæ ex aliis partibus vel audiſſe, vel vidiſſe me contigerit, aliis duobus libellis concludere, comite vita, ſtudebo. Et ut omnem dubitationis ſcrupulum legentibus auferam, per ſingula quæque perſonas, à quibus mihi hæc ſunt relata, ſubnectam: melius eſſe reputans ex toto ſilere, quàm aliquid falſum mendoſumve narrare. Auctor promittit libros 4.

Theophilus. Cùm Scriptura dicat, *Os, quod mentitur, occidit animam;* quare B. Paulus unà cum Sila carceris cuſtodiæ mancipatus, Romanum ſe Sap. I. 11.

Chr. ann. eſſe aſſeruit, cùm non Romanum, ſed Judæum fuiſſe luce clarius conſtet?
DCCC LXXXIII DESIDERIUS. Abſit hoc à fidelium cordibus, ut veritatis Prædicator
Dec. IV. Doctorque Gentium mendacium in aliquo incurriſſe credatur. Beatiſſimus enim Paulus & Romanus erat, & Romanus non erat. Romanus non erat, quia ex Romana urbe oriundus non fuerat. Romanus[a] verò erat, quia omnis Judaica plebs, ut univerſus pæne orbis, ſub Romani tunc temporis Imperii ditione degebat. Vel etiam propterea, quia Romanus, excelſus interpretatur, congruentiſſimè juſtiſſiméque ſe Romanum potuit appellare, quia ſe
Philip. 3. excelſum eſſe nullatenus hæſitabat, ſicut ipſe dicit: *Noſtra autem converſatio in cælis eſt.*

THEOPHILUS. Fateor, valde mihi ſunt grata quæ dicis: ſed ea, quæſo, quæ promiſeras, narrare jam incipe.

Mirac. 1. Apollinaris ſiccis pedibus tranſit fluvium. DESIDERIUS. Res valde eſt nova, quam narro, & ſeniorum noſtrorum aſſertione roborata, de reverendiſſimo viro APOLLINARE Abbate, ſcilicet noſtri Monaſterii, cui, Deo fautore licèt indignus, deſervio: cujus ſanctitas, benignitas, largitas, omnibus pæne in hac provincia commorantibus lucidiſſimè[b] patuit. Qui dum quadam die neceſſitate cogente prædia requireret Monaſterii, venit ad fluvium Lirim[c]. Cumque navis deeſſet, qua fluvium tranſire poſſet; plenus fide, ſignaculo ſanctæ crucis ſe muniens, acceſſit ad oram fluminis: atque ut erat indutus veſtibus, calciatus pedibus, fluvium eſt ingreſſus; & ita ſicco[d] veſtigio ad alteram ripam pervenit, ut nec calceamenta quidem ipſius madefacta viderentur. Animadverte precor, quantæ ſanctitatis, quantæque religionis ac meriti apud omnipotentem Deum iſte vir exſtitit, cui adhuc pondere gravato corporis conceſſum eſt elementum ſuper liquidum, acſi ſuper aridam, ambulare: ut videlicet Apoſtolorum principi ſimilis hoc in facto habeatur, cùm deſuper undas, jubente Domino, ſicco veſtigio gradiebatur.

THEOPHILUS. Animadverto utique & vehementer admiror, cùm in noſtris temporibus (in quibus juxta Prophetæ vaticinium, *defecit Sanctus, diminutæ ſunt veritates à filiis hominum, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque*
Pſal. 13. *ad unum*) omnipotens Deus talia dignatus eſt operari.

DESIDERIUS. Si illud, cariſſime Frater, attendas, quod Dominus diſcipulis ſuis promittere eſt dignatus, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque*
Matth. 28. *ad conſummationem ſæculi;* lætari potiùs, quàm mirari poteris.

THEOPHILUS. Et lætor quidem, & vehementer exſulto: ſed prorſus precor, inchoata proſequere.

II. Caſinum à Saracenis intactum. DESIDERIUS. Eo quoque tempore, quo gens Agarenorum[e] devecta claſſe latè devaſtavere Italiam, qualiter omnipotens Deus hoc de manibus illorum liberaverit Monaſterium, non duxi dignum ſilentio præterire. Cùm igitur omnia circumcirca igne ferroque conſumſiſſent, eccleſias etiam ſanctiſſimorum Petri & Pauli adeuntes deprædati ſunt. Dein Appiæ carpentes iter, Fundanam aggreſſi urbem igne eam cremarunt, cunctique in ea commorantes ab eis vel occiſi, vel capti ſunt. Indeque digreſſi, in vicinia noſtri Monaſterii trans Lirim fluvium applicantes, quia nox jam imminebat terris, caſtra poſuerunt, ut facto mane omne Monaſterium funditus diruerent, vel

[a] Fuit hereditario jure S. Paulus civis Romanus, & hoc modo natus, non quia in ipſa urbe, ſed quia patre cive Romano. Natus enim erat Tarſi, quæ Ciliciæ metropolis erat, & jus municipale à Romanis fuerat conſecuta, ita ut Tarſenſes cenſerentur cives Romani, & civium Romanorum privilegiis fruerentur. Vide Lorinum in Acta Apoſt. cap. 22, verſ. 28.

[b] De Apollinari agendum infrà poſt hæc miracula, ubi de Berthario Abbate Caſinenſi.

[c] Liris, qui & Garilianus, fluvius Campaniæ præcipuus, eam à Latio diſtinguens, cujus fontes in Apennino monte ſupra Soram civitatem monſtrantur.

[d] Complures Sanctos ſiccis pedibus aquas calcaſſe hîc adnotavit Marus.

[e] Anno Domini DCCCXLVI Agareni ſeu Saraceni, utpote gens populoſa, magna Italiæ damna intulerunt, omneſque fere Romanas provincias incendiis & direptionibus vaſtarunt. Leo Oſtienſis in Chron. lib. 1 cap. 26. Baronius hoc eodem anno.

quidquid ibi invenire poſſent, in prædam abducerent: & ut ſunt nimis ſitientes ſanguinem, omnes quos illic repeuiſſent Fratres, gladio jugularent. Cúmque hoc tam horrendum, tam immane, tamque formidandum periculum eſſet in Monaſterio nuntiatum, omnes Fratres nimio pavore perculſi, terræ conſternati ſunt; divinam majeſtatem obnixè precantes, ut illorum animas benignè recipere dignaretur, quarum corpora tam ſubitæ, tam formidandæ morti, peccatis exigentibus, tradere decreviſſet. Non enim ampliùs in hoc mundo ſe victuros credebant, qui tam proximæ mortis gladium ſibi imminere cernebant. Igitur cùm per totam noctem adſperſi capita cinere, vigiliis & orationibus eſſent intenti, reverendiſſimus vir Apollinaris Abbas, cujus ſuperiùs mentionem feci, Bassatium[a] Abbatem, religioſum ſcilicet virum, per viſionem allocutus eſt, dicens: Nolite timere, ne mæſtum geratis animum. non enim in hoc tempore ab Agarenis capiemini, nec aliquid damni, divina protegente dextera, vobis inferre poterunt: ſed quantocius revertentes ſuos adire tentabunt fines. vos autem deinceps ſecuri ac illæſi manebitis: quia ſanctiſſimus Pater Benedictus veſtram ab omnipotente Domino ſalutem obtinuit. ipſe enim venit ad adjuvandum vos, noſque omnes cum eo ſimul. Igitur venerabilis vir Baſſatius Abbas expergefactus ſomno, convocatis in unum Fratribus retulit quæ vidiſſet, quæque ſibi revelata fuiſſent: & ut inſtanter omnipotentem Dominum deprecarentur, admonuit. At illi certi de divina miſericordia, alacres effecti, laudantes ac benedicentes Dominum, quod reliquum erat noctis, precibus orationibuſque conſumunt. Tanta verò erat ſerenitas aëris, ut nulla in eo vel tenuis quidem nubecula videretur: cùm ſubitò cælum denſatur nubibus, tonitrua concrepant, coruſcationes ac fulgura crebra micant, tantuſque imber effuſus eſt terris, ut Liris fluvius latè redundans, quaſi mare videretur. Igitur illuceſcente diluculo, ſurgentes è caſtris Barbari, acceſſerunt ad oram fluminis, diligentiùs perſcrutantes, ſi quam fortè navim vadumve reperire poſſent, ut fluvium tranſmeare valerent. ſed cùm omnis tranſeundi ſpes eis eſſet ablata, dira incitati barbarie, manus ſibi digitoſque corrodentes, quòd ſpe fruſtrati prædæ vacui remanſerant; cellas noſtri Monaſterii trans Lirim poſitas igne cremantes, verſo exercitu quantocius abire cœperunt. Cúmque ad eum locum perveniſſent, quo prædictus Liris fluvius patenti oſtio mari influit; omnes quos habebant equos debilitatis cruribus, præciſis nervis, quia ſecum ferre nequibant, reliquerunt. Ipſi verò adſcenſis navibus, danteſque carbaſa ventis, recto curſu ſulcantes æquora, Siciliam tendunt. Cùm autem jam prope Siciliam deveniſſent, & ſe celeriter aridam contingere ſperarent, repentè parvam cernunt naviculam huc illucque inter ſuas naves liquidas ſuper undas celeriter diſcurrentem: in qua Clericus veneranda canitie, & alter Monachus ſedere videbantur. Et cùm ab eis ſollicitè interrogarentur, unde tam læti, tam alacres, vel tam onuſti repedarent, ab Italia ſe venire profeſſi ſunt, ibique omnia igni ferroque tradidiſſe: domos etiam Petri ac Pauli, necnon Benedicti ſe expoliaſſe gloriati ſunt. Et vos, inquiunt, qui eſtis, qui tam ſollicitè, tam diligenter, tamque curioſè nos interrogare nitimini? Nos, inquiunt, unus Petrus, alter Benedictus vocamur, quorum domos vos invaſiſſe jactatis: ſed cujus virtutis, cujuſve potentiæ ſimus, quàm citiſſimè experiemini. Et his dictis ab oculis eorum ablati ſunt. Mox igitur undique furentibus ventis, tumeſcentibus fluctibus tanta ſubitò tempeſtas exorta eſt, ut naves omnes vel colliſæ inter ſe, vel impulſæ ſcopulis confractæ ſint. Ita ut ex omni illa paganorum copia vix pauci ſuperfuerint, qui ſuis hæc, à quibus miſſi fuerant, civibus nuntiare potuiſſent. Et quidem permiſit omnipotens Deus ad tempus ſuas ab eis eccleſias devaſtari: ſed non eſt paſſus eos ſuper tanto facinore diu-

Circ. ann. DCCC LXXXIII Dec. IV.

[a] Baſſatius creatur Abbas Caſin. anno Domini DCCC XXXVII. Leo Oſtienſis in Chron. lib. 1 cap. 23. & obiit anno DCCC LVI die XVI Kal. Aprilis.

Circ. ann. DCCC LXXXIII. Dec. IV. tius gratulari. Hoc in facto illud mihi videtur eſſe impletum, quod beatus Pater Benedictus ſuis olim diſcipulis promiſerat, dicens: Præſentior vobis, dilecti filii, carnis depoſito onere, veſtrique per Dei gratiam cooperator exſiſtam aſſiduus. Illud etiam quod beato Petro Dominus intulit dicens: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* (Matth. 16.) Non inquit, non valebunt; ſed non prævalebunt. Portæ enim inferi pagani ſunt, hæretici atque Judæi: qui tunc adverſus Dei valere videntur Eccleſiam, cùm per eos Dominus ſuos flagellari fideles permittit. ſed non prævalebunt, quia omnipotens ac miſericors Deus non eos de Eccleſia ſua perpetuos ſinit habere triumphos. Unde & Apoſtolus hortatur, dicens: (2. Cor. 4.) *Tribulationem patimur, ſed non coanguſtiamur; aporiamur, ſed non deſtituimur; perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur; humiliamur, ſed non confundimur; tribulamur, ſed non perimus.*

THEOPHILUS. Placent vehementer quæ dicis.

III. Dæmoniaca liberata. DESIDERIUS. JOHANNES [a] ſanctæ recordationis Preſbyter, qui in noſtro Monaſterio Decanatus officio aliquo tempore functus eſt, veſtri poſtmodum Monaſterii, quod intra Lucenſem urbem conſtructum eſt, Præpoſitus fuit. qui quantæ obedientiæ, quantæque humilitatis fuerit, plures qui eum noverunt Monachi, & adhuc ſuperſunt, teſtes exſiſtunt. De mirabilibus verò quæ per eum divina majeſtas operari dignata eſt: quia plura à memoria lapſa ſunt; quæ recolo, pauca narrabo. Cùm idem vir Dei jejuniis, vigiliis, orationibus, maximéque largitati eleemoſynarum eſſet intentus; tantam lacrymarum gratiam Domino largiente promeruit, ut dubium non eſſet, quòd illæ lacrymæ multa apud Deum impetrare valuiſſent, quæ ex tam ſimplici humilique corde editæ fuiſſent. Cúmque fama ſanctitatis ejus totam per eamdem urbem clareſceret, dæmoniaca quædam quæ graviter vexabatur, ad Monaſterium cui ipſe præerat, adducta eſt. Et cùm ab eis, qui eam duxerant, ut pro ea Dominum precaretur, magnis precibus fuiſſet obſtrictus; convocatis Fratribus oratorium intravit, atque multis effuſis lacrymis preces pro ea Domino fudit, ſtatimque ab ea dæmonium effugavit.

Sed neque hoc ſileam, quod veridicis viris de eodem venerabili viro nar-

IV. Infirma ſanata. rantibus agnovi, quod videlicet ita clarum eſt, ut nullis pæne, qui intra mœnia ejuſdem præfatæ urbis Lucenſis commorantur, occultum ſit vel incognitum. Cujuſdam namque illuſtris viri uxor infirmitate detenta jacebat in lectulo, quæ adeo creſcente languore ad extrema perducta eſt, ut per tres dies ſine ſenſu, ſine voce recubans, velut mortua haberetur. Cúmque omnes qui aderant, funditus de ejus vita deſperarent, ad Dei hominem miſſum eſt, ut pro ea omnipotenti Domino hoſtias preceſque offerre dignaretur. At ille; ut erat benevolus animo & ad ſupplicantium vota paratus, mox ſacerdotalibus indutus veſtibus, ad altare omnipotenti Deo ſacrificium oblaturus acceſſit. Igitur cùm intra ſacra Miſſarum ſollemnia nomen [b] illius memoraretur, illa in domo propria, longè à Monaſterio poſita, ex lectulo, in quo quaſi exanimis jacebat, tamquam ſi ab aliquo vocaretur, reſpondit. Cúmque ab illis qui aderant, interrogaretur, quid diceret, vel cui reſponſum dediſſet, illa inquit: Dominus Johannes Præpoſitus numquid non eſt hìc? ipſe enim vocavit me, illique reſpondi. At illi obſtupefacti ex tam inuſitato, tam celebri, tamque obſtupendo miraculo, tum quia illam, quæ ferè exanimis jacuerat, ſanam pæne & incolumem videbant; tum quia vocem illius tam longè poſiti audiſſe ſe referebat: ſtatim curaverunt ad Monaſterium nuncios mittere, ut quid ſervus Dei ageret, agnoſcerent & indicarent: proculdubio credentes, quòd non abs

[a] Geſta Johannis, genere ac cognomine Apuli, Abbatis Lucenſis ſanctitate conſpicui, deſcripſit Petrus Diaconus lib. mſ. de ortu & vita Juſtorum Caſinenſium cap. 33, Leo Oſtienſis in Chron. lib. 2 cap. 92, & in Martyrologio Benedictino ſub die 22 Februarii inter Beatos adſcribitur. Vivebat anno Domini MLV.

[b] Ergo ſæculo XI vigebat adhuc mos recitandi in ſacris nomina eorum, pro quibus offerebatur ſacrificium.

te mulier tam celeriter in lectulo ſurrexiſſet, reſponſumque dediſſet. Cúmque illi qui miſſi fuerant, ad Monaſterii oratorium intraſſent; virum Dei invenerunt juxta altare ſtantem, ac pro ea longinquitatis auctori Domino ſacrificium offerentem: & ſubtiliter notantes horam, repererunt, eodem momento, quo intra ſacra Miſſarum ſollemnia nominata eſt, eam ex lecto ſurrexiſſe, reſponſumque dediſſe.

CIRC ANN. DCCC LXXXXIII DAC. IV.

Felicis etiam memoriæ ALEXANDER[a] Papa, vir diſertiſſimus ac erudiriſſimus exſtitit: qui primùm Lucenſem, poſtmodum verò Romanam Eccleſiam rexit: ex cujus ore ea quæ nunc refero, de eodem venerabili viro audiſſe me contigit. Cùm quodam tempore idem præfatus Pontifex febre correptus graviter ægrotaſſet, & quotidie languore creſcente vehementiùs fatigaretur; repentè ei ad memoriam rediit, quòd fama vulgante de prædicto ſervo Dei ſæpius audierat: quod videlicet, quicumque febre detentus, hauſiſſet ex aqua[b], quæ de manibus ipſius defluebat, dum poſt Miſſarum ſollemnia ablueretur, mox recepta ſanitate liberaretur. Latenter igitur miſit, qui ſibi ex illa aqua aliquantulum adferre debuiſſent. Cúmque hi qui miſſi fuerant, aquam quam poſtulaverat, attuliſſent, mox ebibit: atque ita repentè ſanitati priſtinæ reſtitutus eſt, ut nulla in eo languoris illius indicia remanerent.

V. Alexander item Papa.

Alius quoque vir venerabilis vitæ GUINIZZO[c] nomine, mente & habitu Monachus fuit, qui ex ulteriori Hiſpania noſtrum ad Cœnobium veniens, in hac vicina ſilva non parvo tempore vitam ſolitariam duxit: ubíque in omnipotentis Domini JESU-CHRISTI ſervitio vitam finivit, de quo venerabili viro Johannes Abbas Monaſterii ſancti Vincentii, ſiti juxta ortum Vulturni amnis, qui ei familiariſſimus fuit, multa miranda mihi, cùm adhuc in noſtro Monaſterio Præpoſituræ curam gererer, referre ſolitus erat. Cujus diſcipulus JANUARIUS[d] nomine, magnæ obedientiæ magnæque abſtinentiæ Monachus exſtitit. qui dum quodam tempore à Magiſtro ſuo, venerabili videlicet Guinizzone, ut ferramenta, quibus operari ſoliti erant, reficeret, Aquinum miſſus fuiſſet; domum fabri ferrarii adiit, atque ab eo eadem ferramenta reparari data mercede popoſcit. Faber verò ferrarius cœpit eum irridere, dicens: Num ex pane & aqua ſolitarius iſte tam rubicundus tamque pinguis exſtat? rubor[e] iſte, ut mihi videtur, magis ex vino, quàm ex latice hauſto procedit. At ille: Hodie, inquit, tibi, utrum ex natura, an ex aſſidua vini potatione rubore conſpergar, oſtendam. Cùm verò ferrum in ignem miſſum vehementer ferveret, & faber ferrarius id acceptum forcipe ſuper incudem poſuiſſet, ac ſcintillæ huc illucque undique volantes, totam pæne domum illuſtraviſſent; caſu ferrum ex incude in terram deſiliens cecidit. Igitur venerabilis vir Januarius, ferrum ex incude cecidiſſe conſpiciens, inclinans ſe ſe fervens ferrum nuda manu tenuit, & ſuper incudem ponens, malleatorem, ut quantocius id percuteret, hortatus eſt. At illi qui aderant, viſo tanto miraculo, nimio pavore perterriti, pedibus ejus provoluti, veniam ex irriſione quam in eum exercuerant, humiliter deprecati ſunt. Sicque factum eſt, ut omnis illa irriſio in venerationem verſa ſit, quam ſtulti homines in Dei ſervum procaciter inferre

VI. Guinizzonis vita ſancta.

Januarius ferrum candens tractat.

[a] Hic fuit Alexander Papa II, creatus anno Domini MLXI, moritur Romæ miraculis illuſtris, anno MLXXIII.

[b] Refertur etiam hoc miraculum à Leone Oſtienſi in lib. 2 cap. 92, & à Baronio anno Domini MLXX num. 25. Apud Græcos id etiam uſitatum, teſte Allatio in libro de quorumdam Græcorum opinationibus num. 6. ex Maro. Apud Latinos itidem id in uſu fuiſſe docent nos Acta Sanctorum.

[c] Vixit Guinizzo circa annum MLXXX, tempore quo Henricus Romanum, Baſilius Conſtantinopolitanum gubernabat Imperium. Vir planè mirabilis, ſanctitate conſpicuus, & prophetiæ ſpiritu ſplendidus, & in Martyrologio Benedictino inter Sanctos ſub die 26 Maii recenſitus, cujus acta deſcripta videntur apud Leonem Oſt. lib. 3 cap. 47, & Petrum Diac. lib. de viris Illuſt. Caſin. cap. 30, quo loco etiam memorantur dialogi Deſiderii.

[d] De Januario habetur mentio in vita Guinizzonis deſcripta à Petro Diacono lib. de ortu Juſtorum Caſinenſ. capite 30.

[e] Sic etiam S. Caſſius Narnienſis Epiſcopus à Totila Gothorum Rege bibacitatis eſt inſimulatus. fundamentum ex rubore faciei delumptum, ad quam calumniam depellendam inſurgit S. Gregorius in lib. 3 dial. cap. 6.

Circ. ann. DCCC LXXXIII. Dec. IV. ob id arguitur à Magiſtro.

præſumſerant. Itaque cùm venerabilis vir ad magiſtrum atque ad cellam propterea remeaſſet, ab eo vehementer correptus eſt, quòd inſultantibus cedens, talia in oculis hominum facere præſumſiſſet. Cúmque ille unde hoc ſciret, vel quis ſibi indicaſſet, percuntaretur: Ille, inquit, qui tibi præſtitit ut poſſes facere, mihi etiam ut poſſim ſcire.

Luc. 11.

THEOPHILUS. Cùm Dominus dicat: *Luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant veſtra bona opera, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt.* quid eſt, quòd ſancti viri bona ſua occultant, & ne ab aliquibus videantur, omni niſu elaborant?

Ex Greg. in homil. 11 in Evang.

DESIDERIUS. Sancti viri, etſi quandoque opera ſua oſtendant in publico, intentio tamen illorum manet in occulto: per hoc enim quod intus agunt, laudes exteriùs non requirunt: quia & de bono opere proximis cupiunt præbere exemplum, & tamen per intentionem, qua ſoli Deo placere deſiderant, ſemper optant eſſe ſecretum. Tunc, inquam, bona ſua occultari appetunt, quando ex eorum propalatione nullum animarum lucrum, nullum fraternæ ſaluti emolumentum cernunt adfuturum. Cùm autem exinde ad gloriam omnipotentis Dei aliquid ſe lucrari poſſe conſpiciunt, tunc bona ſua declarari, ac propalari patiuntur: quia non ſuam, ſed Conditoris ſui laudem requirunt.

THEOPHILUS. Satis aperta ratio patet, nec aliquid inde ultra requirendum puto.

VII. Guinizzonis prophetia.

DESIDERIUS. Ea quoque quæ de hoc egregio viro, videlicet Guinizzone, Johannes religioſus Monachus, qui in hac vicina ſilva ſub anachoretica diſciplina ſolitarius commoratur, ſolitus eſt referre, dignum duxi huic noſtro adſociare libello. dicebat enim, quia cùm adhuc in Beneventana civitate in ſuo Monaſterio degeret, quadam die quidem Dei ſervus ſibi aliiſque Fratribus qui ibi aderant, intulerit, dicens: Pro certo ſciatis hodie aliquem magnum virum è Monachis apud montem Caſinum ex hoc mundo migraſſe ad Dominum: quod illi audientes, mirati ſunt, quod per octoginta ferme milia-ria egredientem è corpore animam illius videre potuerit: & non adhibentes fidem, ſubtiliter ſtuduerunt indagare. Et repertum eſt eo die illum venerabilem virum emiſiſſe animam, quo prædictus Dei ſervus Beneventi poſitus agnovit.

VIII. Apoſtatæ lapſus.

Sed neque hoc tacebo, quod de MANCUSO Monacho Fratribus referentibus agnovi, quem ipſe in Monaſterio poſitus vidi, noſtroque jam tempore defunctus eſt. Qui cùm ex Apuliæ partibus converſionis gratiâ huc veniſſet, à RICHERIO [a] Abbate noſtro prædeceſſore ſuſceptus, Fratrum Congregationi ſociatus eſt. Itaque in Monaſterio corpore, in ſæculo mente degens, ſemper terrena quæque meditabatur: omne magiſterium regularis diſciplinæ ſibi grave & importabile videbatur. Tunc cœpit ab Abbate licentiam petere, multaſque occaſiones adinvenire quâ patriam parenteſque poſſet reviſere. Cúmque ab Abbate ſuo ſæpius fuiſſet admonitus, ut viam veritatis quam ſemel arripuerat, in melius proficiens de die in diem ad finem uſque perducere depoſitâ omnis corporis ignaviâ ſummopere ſtuderet: ne fortè juxta ſententiam Domini, aratrum tenens retróque reſpiciens regno cælorum aptus eſſe non poſſet, & ne uxorem Loth imitans, in ſtatuam ſalis verſus, horrendum cunctis ſpectaculum præberet. Ille nihilominus (cujus mens ſemel à maligno obſeſſa fuerat) nullo modo quieſcebat: ſed quotidie Abbatem Fratreſque precibus fatigando, ut eum patriam reviſere ſinerent, omnimodè poſtulabat. Cúmque ſpem redeundi fruſtratam ſibi eſſe conſpiceret, clam de Monaſterio egreſſus, more fugacis ſervi nocturnas tenebras captans, ut caſtis ad ſuum vo-

Luc. 9, 62. Gen. 19, 26.

[a] Richerius creatur Abbas Caſinenſis anno Domini MXXXVIII. obiit anno MLV, infra quod ſpatium temporis accidiſſe hoc miraculum deprehenditur. Vide Oſtienſem lib. 3.

nitum, ad patriam [a] diabolo inſtigante reverſus eſt; atque in parentum domo manſitans, ſæculariter ibi, ut jamdudum mente conceperat, vivere cœpit. Sed cùm ab Abbate ſuo per nuntium ſæpe fuiſſet admonitus, ut ad Monaſterii clauſtra rediret, & ille ſalutaria monita parvipendens, obtemperare negligeret; ab eodem Abbate communione privatus eſt. Cùm itaque non poſt multos dies paullulum languore correptus in lectulo reſideret, immanem leonem ingredientem oſtium, ac contra ſe aperto ore venientem cernit. At ille ad ingreſſum ferocis beſtiæ territus, cœpit magnis vocibus clamare, dicens: Currite, currite, quia leo iſte me devorare contendit. Leo verò rugiens irruit in eum, & mordens coxam illius apprehendens, maximum ex ea carnis fruſtum abſtraxit; ſicque eum ementatum ac ſeminecem relinquens, diſparuit. Cúmque plures ad clamorem vocis illius obſtupefacti concurrerent, leonem quidem minimè viderunt, ſed ementatum ac ſeminecem Monachum in terra proſtratum invenerunt. Itaque cùm eum à terra elevarent, paullulum recepto ſpiritu, cuncta quæ ſibi acciderant, per ordinem pandit, & ut quantocius ſe ad Monaſterium reducerent, propinquos ac vicinos obnixè precatus eſt. Propinquis igitur ejus voto obtemperantibus, ad cellam hujus noſtri Monaſterii, quæ contra Aſculanum opidum ſita eſt, eum portaverunt: ibique poſt paullulum recuperata ſanitate, huc ad Monaſterium eſt reverſus: ac ex perpetrata culpa pœnitentiâ acceptâ, plures poſtea in ſanctæ converſationis habitu vixit annos.

CIRC. ANN. DCCC LXXXIII DEC. IV. [a]

Converſio.

THEOPHILUS. Monachus iſte, ut video, idcirco leoni, id eſt diabolo, viſibiliter ad tempus traditus eſt, ut poſtmodum inviſibiliter ab ejus poteſtate liberari in perpetuum mereretur.

DESIDERIUS. Vis etiam ut narrem tibi, qualiter omnipotens Deus hoc Monaſterium de tyrannorum manibus ſemper eripuit; atque ab inimicorum infeſtatione, meritis B. P. Benedicti, dextera ſuæ divinitatis protexit?

THEOPHILUS. Narra quod libet. nam alacri animo, devota mente, attentiſque auribus me cuncta hæc auſcultare profiteor.

IX. Pandulfi malefacta. [b]

DESIDERIUS. PANDULFUS [b] Capuanus Princeps vir potentiſſimus ac ditiſſimus fuit, qui latrocinando, humanum ſanguinem fundendo, civitates, opida, ac aliorum prædia circumcirca manentium crudeliter auferens, ſuo ſubdidit dominatui: quique ſtupra, cædes, rapinas, diſtractioneſque bonorum eccleſiarum multa per tempora abſque ulla miſeratione inſatiabiliter exercuit. Igitur cùm plurimas opes Chriſti eccleſiis diripiens abſtuliſſet, omnia caſtra, villas, ac prædia hujus Monaſterii cupiditate ductus ſacrilega abſtulit: ita ut nec unum ruſticum qui rura coleret, vel rura quæ à ruſtico colerentur, Monachis reliquiſſet. Inſuper etiam omnem theſaurum hujus Monaſterii auferens aſportavit, ac in arce quam non longè à Capuana urbe, in monte [c] qui ſanctæ Agathæ Martyris dicitur, conſtruxerat, in qua multa ſpolia orphanorum, viduarum, & eccleſiarum ac pauperum intulerat, condens repoſuit. Cùm verò jam omnipotens Deus tantis ſceleribus finem veller imponere, & lacry- [c]

[a] Quàm exitialis ſit Monacho patria, refert Caſſianus collat. Pat. lib. 5 cap. 31, de Abbate Machete, qui non ſolùm faſciculum epiſtolarum à parentibus delatum volvere non præſumſit, ſed igni tradidit comburendum: *Ite*, inquiens, *cogitationes patriæ, pariter concremamini, nec me ulterius ad illa, quæ fugi, revocare tentetis.* Scribit Simon Miletius, hodie oſtendi locum in deſcenſu montis Caſini ad ſanctum Germanum, in quo diaco Monacho in Monaſterio permanere nolenti & poſtea exeunti apparuerit, quem dæmonem draconis ſpecie transformatum fuiſſe ait. Sed illuſtre penitus eſt, quod in vita ſancti Dominici lib. 3 cap. 2 à Theodorico proditum legitur. Vide S. Hieron. epiſt. ad Heliodor. de laude vitæ ſolit. & S. Ambroſ. de fuga ſæculi. Attendant igitur ſibi & caveant illi Monachi, qui non ſolùm patriam non deſerunt, parentes & amicos non dimittunt, ſed quotidie animi ſui cauſâ Magnatum ſectantur aulas & oculos. Utinam non ſæculi noſtri hoc vitium ſit.

[b] Iſtum Pandulfum fuiſſe quartum Principem Capuanum, qui obiit an. M L, docet eruditiſſimus Camillus Peregrinus in hiſt. Principum Langob. Ejus geſta recitat Leo Oſt. lib. 2 cap. 60, 64, 84, & Baronius anno 1038, num. 3.

[c] Mons S. Agathæ, nunc dicitur S. Nicolai. Vide Sanctuarium Capuanum Michaëlis Monachi in notis ad S. Offam.

Circ ann DCCCLXXXIII Dec. IV. Conradi monitio. *Prov. c. 21.* Anno 1038

mæ & voces pupillorum, viduarum ac pauperum, necnon orationes preceſque ſervorum Dei in conſpectu divinitatis ejus eſſent admiſſæ; ſicut ſcriptum eſt, *Cor Regis in manu Dei eſt*, Conradi Imperatoris menti inſpiravit, ut ad vindicandas ejus eccleſias ac de tyrannorum manibus eruendas Italiam reviſens Romam veniret. Cùm igitur magno exercitu congregato, Italiam ingrediens Romam veniſſet, optimos ex latere ſuo viros Capuam mittere placuit Pandulfo Principi, cui, ut bona ſancti Benedicti injuſtè à ſe ablata, omni poſtpoſita mora reſtitueret, & nobiles vel cujuſlibet generis viros, quos captos ac magno ferri pondere connexos multos in carcere detinebat, dimitteret, omneſque res illorum eis feſtinanter redderet, per eoſdem viros voluit imperare. nam voluntas veniendi ad has partes minimè animo ejus inſederat, ſi ea perficere poſſet, quæ per præfatos viros eidem Pandulfo præcipiebat. Sed Deus omnipotens, qui cor Pharaonis induravit, ob multa quæ in populum Dei ſine cauſa irrogaverat mala, ut Moſi ſervo ſuo ſigna & prodigia mirabiliter oſtendenti non crederet; induravit etiam & cor iſtius, ne juſſioni imperatoriæ obediret. Cúmque ii qui miſſi ab Imperatore fuerant, Capuam veniſſent; multis cum eodem Pandulfo verbis fruſtra habitis, ad Imperatorem ſine effectu reverſi ſunt. At verò poſtquam Imperator ſe contemtum à Principe vidit, irâ commotus, Roma exercitu moto egrediens, Caſinum venit, ac ad beati Patris Benedicti limina conſcendit. Factâ horâ Fratrum capitulum intravit, congregatiſque in unum Fratribus, ut pro ſe Dominum precarentur, rogavit: ibique coram eis Deum beatumque Benedictum, non ob aliud ſe ad has partes veniſſe, niſi ut ejus Monaſterium de manu crudeliſſimi tyranni eriperet, teſtatus eſt. Deinde benedictione petita, inde ingreſſus Capuam venit. ſatellites verò præfati Principis, qui Monaſterii bona ejus imperio ad ſui uſum detinebant, poſtquam de Auguſti adventu certificati cognoverunt, omnes huc illucque fugientes, diſperſi ſunt. Sicque factum eſt, ut Monaſterium omnia caſtra, villas, ac prædia ſibi ablata uno die reciperet, & ea quæ ibi ad alienum uſum miniſtri ſcelerum congregaverant, in Monachorum poteſtatem devenirent. Unde eis mihi contigiſſe videtur illud, quod beatus Pater Benedictus diſcipulis ſuis ex inopia panum triſtantibus olim prædixerat, ut hodie minùs, craſtina verò abundanter haberent. Præfatus igitur Auguſtus Capuam ingreſſus, eidem Pandulfo principatûs honorem auferens, alterum in locum ejus conſtituit. Ipſe verò in arcem, quam in monte ſanctæ Agathæ Martyris ſummo ſtudio munierat, ex eadem urbe fugiens, ſe contulit. Unde divina diſpoſitione contigit, ut omnia quæ latrocinando, pejerando, multorumque cruorem innoxium effundendo, multa per tempora adquiſierat, in ſpatio unius ſeptimanæ amitteret; nihilque ſibi ex tot & tantis acquiſitis municipiis, præter arcem quam prædiximus, remaneret: & qui multos aliorum natos, ſuis ablatis rebus, mendicare coëgerat; qui ex eo orti ſunt, uſque hodie huc illucque mendicatum pergant. Quæ omnia meritis beati Benedicti ſibi eveniſſe quis dubitet, cujus ipſe bona, iniqua ductus cupiditate, diſtraxit.

Caſinum adventus.

Caſinenſibus bona reſtituta.

Pandulfo ablatus principatus.

Theophilus. De hac re minimè dubitandum eſt, quando coram Fratribus præfatus Imperator non ob aliud, niſi ob defenſionem ſancti Benedicti Monaſterii ſe Romam tranſiſſe teſtatus eſt.

X.

Prædonum intentio fruſtrata. [a]

Desiderius. Alio tempore quidam Capuanus Pandulfus [a] nomine, collectis ex amicis & vicinis undique equitibus, ac non parvo militum numero congregato, caſtellum hujus Monaſterii quæ Concha dicitur, diabolo inſtigante aggredi ac capere conabatur. Qui è Capuana urbe ſuis cum ſequacibus inclinato jam ad veſperam die egreſſus, ut per totam noctem deambulans, antequam dies illuceſceret, cunctis adhuc ſecurè illic dormientibus,

[a] Ea quæ narrantur à Deſiderio, ſibi etiam relata affirmat Leo Oſt. in Chron. lib. 2 cap. 81, ab uno eorum, qui tanto equitatui interfuit. Refertur etiam à Petro Diac. in ſerm. mſ. de octava S. Benedicti. Evenerunt hæc omnia anno Domini MXLIX.

prædictum

prædictum caſtellum aggredi & capere poſſet, iter arripuit. Cùm verò egreſſi urbe aliquantulum proceſſiſſent, atque in eum locum, ex quo ipſi jam non in die, ſed in nocte, ne ab aliquibus viderentur, ambulare diſpoſuerant, perveniſſent; eis paullulum ibi remorantibus, optata nox ſupervenit. Qui ut filii tenebrarum, magis tenebras quàm lucem diligentes, ac illud quod Dominus in Evangelio dicit, *Qui ambulat in nocte, offendit*, minimè attendentes, per agrum unius fundi cœperunt ambulare, & ad invaſionem præfati caſtri quantocius properare. Igitur equis calcaribus cruentatis recto ſe itinere ire putantes, per totam noctem prædictum agrum diſcurrentes, circumierunt. Sed operis Dei mirabili diſpoſitione facto mane, ibi ſe eos, ubi ſe nox ceperat, invenerunt: ſicque eis, quæ cupierant, fruſtrati, confuſi ac mirabiliter fatigati, ad domum ſuam vacui ſunt reverſi. Circ. ann. DCCCLXXXIII Dec. IV. Joh. 11.

Alio quoque tempore[a], dum piſcatores hujus Monaſterii retia in mare, qui piſces ad refectionem Fratrum caperent, miſiſſent; Normannus quidam mente tumidus ac inflatus ſuperbiâ, furibundus ſpiritu, ſupervenit: & ut ſunt ad rapinam avidi, ad invadenda aliena bona inexplebiliter anxii; comprehenſum unum ex piſcatoribus, veſtimentum ei, quo erat indutus, abſtraxit, ſibique mox induit; deinde naviculam ingreſſus, piſcatorem cogere cœpit, ut retia ex alto educeret, quatenus piſces, qui in eis inventi eſſent, ſecum abſtrahens deportaret. Cúmque piſcator renueret, & ſe piſces ad Monachorum, non ad Normannorum refectionem capere velle ſe diceret; valde cæſus ab eodem Normanno in mare projectus eſt. Cùm verò idem Normannus piſcium prædæ avidus, retia ex alto per ſemetipſum trahere, & piſces legere cœpiſſet; ſubitò inde ex navicula cecidit, atque intercluſus ab æquore ſpiritum exhalavit. Sed mirabile dictu! antè illum unda mortuum projecit in litore, quàm piſcator, qui ab eo projectus in aquas fuerat, vivus natando pervenire potuiſſet. XI. Normannus ob latrocinium undis merſus.

Alio etiam tempore, latrones noctu hujus noſtri Monaſterii cellarium ingreſſi, carnes, caſeum, lardumque exinde ſurripientes ſuos ſacculos impleverant: ſed foras egreſſi, ſacculos quos impleverant, levare conati minimè potuerunt. deinde relictâ ſarcinâ tentantes fugere, per totam noctem hac illac per clauſtra Monaſterii deambulantes, foras egredi nullatenus valuerunt. Igitur facto mane cùm ſe intra Monaſterii clauſtra conſpicerent; timore exterriti, ac ſui reatus conſcii, quid facerent neſciebant. Tandem reperto inter ſe conſilio, exeuntes per portam Monaſterii, ſi quo modo poſſent evadere, quaſi nihil mali perpetraſſe viderentur, ceteris ſe, qui de Monaſterio ad quodlibet opus egrediebantur, miſcuerunt; & lento pede, ne aliqua de eis ſuſpicio oriretur, carpentes iter, haud longiuſculè à Monaſterio ſubſtiterant: cùm interea Cellarius Fratribus ſolita ſtipendia præbiturus, cellarium ingrederetur, refertos ante aditum ſacculos invenit: & miratus, ignoranſque quid eſſet, quæque condita requiſivit. Cùm autem repoſita ablata conſpiceret, turbatus damno, foras egreſſus, quidquid perdiderat, in ipſis ſacculis reperit. Qui vehementer attonitus, & jam quid eſſet intelligens, mox convocatis ad ſe duobus vel tribus pueris *, per viam vergentis deorſum montis, ſi fortè latrunculos qui id admiſerant, invenire poſſent, mittere curavit. Illi autem juſſa complentes, cùm Monaſterio egreſſi paullulum proceſſiſſent; repererunt illos juxtà ſtantes in ipſo itinere montis. Cúmque jam pæne pertranſiſſent eos, ac nullam in eos, quia noti erant, ſuſpicionem haberent; cito greſſu iter quod cœperant, peregerunt. Illi verò divinitus exterriti, ac velut amentes effecti, cœperunt poſt eos clamare & dicere: Scimus, domini, quia ut nos comprehendatis veniſtis. ſed miſeremini noſtri, nihil enim inde aſportavimus, ſed ablata XII. Latrones deluſi, [b] * id eſt famulis ultro ſe produnt.

a Circa annum Domini M XXXVIII. lege Leonem Oſt. in Chron. lib. 2 cap. 65, & Petrum Diac. in ſerm. mſ. de octava S. Benedicti.

b Meminit Leo Oſt. in Chron. lib. 3 cap. 62, & Petrus Diac. in ſerm. mſ. de octava S. Benedicti.

Circ. ann. DCCCLXXXIII. Dec. 15. omnia in ipſo cellarii ingreſſu dereliquimus. At illi talia audientes, comprehenderunt eos, ligatiſque poſt tergum manibus ad Monaſterium perduxerunt, atque ita ut erant connexi vinculis, Fratribus præſentaverunt. Præterea fuerunt nonnulli, qui minùs circa præceptum Domini cauti, cædi eos atque ita ſic dimitti judicaverunt; ceteri autem, quorum mens pia in Domino erat, & magis erga mandata divina ſollicitè ſtudentes juſſa complere dominica, ſolutos vinculis, cibo potuque refectos, liberos abire permittunt. O mira Domini JESU-CHRISTI benignitas! mira pietas! mira quam docuit Matth. 5. patientia! cùm in lege ſcriptum ſit, *Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum;* necnon manum pro manu, dentem pro dente, oculum pro oculo, talionem pro talione reddi mandatum ſit; ipſe diligere inimicos, benefacere ſe odientibus, ſalutare non reſalutantes, auferenti tunicam dimittere pallium, ac bona pro malis reddere, ſe ſequentibus voluit imperare.

THEOPHILUS. Grata mihi fateor nimiùm eſſe quæ narras.

XIII. DESIDERIUS. Res eſt mirabilis, & vehementer ſtupenda, quam narro; ſed ita à pluribus [a] cognita, ut de ea ab aliquo in nullo debeat dubitari. Quodam itaque tempore SERGIUS Magiſter militum, qui Neapolitanæ præerat urbi, venatum in ipſo ſancto paſchali ſabbato pergens, ſilvam ſuis cum pueris, ut aptum caperet, eſt ingreſſus: tenſiſque retibus, ad inſequendos eos ſe ſe cum canibus huc illucque unanimiter omnes per ſilvam diffundunt. ſed antequam aper à retis laqueo fugiens involveretur, occupatus à venatoribus, confoſſus captuſque eſt. Cùm autem hora jam tardior eſſet, & ſol ad occaſum vergens, umbram atram jam pæne induceret terris; prædictus Magiſter militum, ne noctis tenebris occuparetur, ſumta quam cœperat venatione, omni cum clientela domum quantocius repedare cœpit, uni tantummodo puero, Pythagoræ nomine, ut retia colligeret, & ſe perniciter ſequeretur, imperavit. Igitur cùm puer qui relictus fuerat, collectis retibus recto calle ſuum dominum ſequeretur, ſubitò duo Monachi reverendi admodum vultus ei ſe in itinere contulerunt. Cumque timore exterritus, quinam eſſent inquireret; illi, Ne timeas, inquiunt, tantummodo ſequere nos. Cùm itaque aliquantulum ſimul per eamdem ſilvam graderentur, venerunt ad quemdam locum cœnoſum valde atque horribilem adſpectu; ibique PANDULFUM [b] Capuanum Principem, cujus ſuperiùs mentionem feci, qui non longo antè tempore defunctus fuerat, ferreis nexum vinculis, atque in illius cœno laci ad gulam uſque demerſum, ei miſerabiliter oſtendunt. Interea duo nigerrimi ſpiritus retortas ex agreſtibus vitibus facientes, per gulam eum ligaverunt, ac in ipſam lacus profunditatem merſerunt, iterumque ſurſum extraxerunt. Cumque hæc ſæpius facerent, prædictus puer Pythagoras tremula licèt voce eum alloquitur, ut ſibi, qua de cauſa talia pateretur, ediceret. Ille verò flens, & ejulans ad verba interrogantis pueri, mox tale reſponſum protulit, dicens: Quamvis, ô puer, ex innumeris meis ſceleribus mihi plurima & infinita pœna parata ſit; tamen ob nullam cauſam hanc quam cernis patior pœnam, niſi propter aureum calicem, quem de Monaſterio ſancti Benedicti ſacrilega ductus cupiditate abſtraxi, eique etiam moriens reddere neglexi. Sed obnixè deprecor, ac per JESUM-CHRISTUM Dominum Salvatorem omnium, cujus ego miſer præcepta contemnens, in hanc ſum voraginem mortis demerſus, te obteſtor, ut Capuam ad uxorem meam vel ipſe

(Margin notes: Pandulfi damnatio, beside "modo puero"; maximè ob raptum calicem aureum., beside "patior pœnam".)

[a] Recitatur à Leone Oſtienſi in Chron. lib. 2 cap. 60. & à Baronio anno M XXXVIII num. 11.

[b] Viſio Pythagoræ de damnatione Pandulfi ad inferos intelligenda videtur de quarto hujus nominis Principe Capuano, qui obiit anno M L. Probat Camil. Peregrin. hiſtor. Princ. Langobard. in ſerie Abb. Caſin. in Richerio: qui etiam advertere docet quamdam alteram viſionem cuidam ſolitario factam damnationis animæ alterius Pandulfi, de quo Petrus Damiani epiſt. ad Dominic. c. 15. Leo Oſtienſis lib. 2 cap. 84. & Baronius, anno M XXXVIII num. 12. 13. competere Pandulfo cognomine Capiti-ferreo Principi Capuæ, qui vixit uſque ad annum DCCCCLXXXI, & non Pandulfo quarto Principi Capuano, qui obiit anno, ut diximus, M L. ubi etiam non diſcrepare ab aliis hiſtoriis clarè demonſtrat.

Circ. ann. DCCCLXXXIII Dec. IV.

quem reſtitui petit.

pergas, vel nuntium dirigas, qui ei & tormenta quæ patior, & ut calicem Monaſterio S. Benedicti reddat, inſinuet. [a] At ille: Quid prodeſt, inquit, ſi ei nuntiavero? non enim quòd te vidiſſem, vel quòd talia patiaris, mihi creditura eſt. Cui ille reſpondit: Hoc ſibi ſignum ex mei parte denuntia, quòd Pandulfus Gualæ filius calicem ipſum pro pignore habeat, & ut datis ſolidis quos ei debuimus reddere, illum recipiat, atque ſancti Benedicti Monaſterio omni poſtpoſita mora reſtituat; ſibi celeriter rogo inſinuare ne differas. Quibus dictis viſio illa ab oculis ejus ablata eſt. Puer verò ſtatim ut domum regreſſus eſt, infirmitate detentus intra paucos dies defunctus eſt; ea verò, quæ viderat, quæve ſibi dicta fuerant, omnibus ad ſe venientibus patefecit. Pandulfus etiam ipſe, qui cauſâ pignoris calicem apud ſe habebat, hoc ipſo tempore, neſcio qua de cauſa, Neapolim pergens, hæc omnia ex ore ipſius Pythagoræ ſe audiſſe retulit: per quem quoque idem Pythagoras uxori illius omnia quæ de viro ejus viderat, vel quæ ipſe ei mandaverat, Capuæ nuntiavit. Illa autem ſibi potiùs quàm marito conſulens, pretium quod vir ejus accommodaverat, reddere nolens; nec calicem recipere, nec Monaſterio reddere curavit.

THEOPHILUS. Mirandum valde eſt ae magna cum cautela penſandum, cur omnipotens Deus talia huic puero oſtendere voluit, cùm ille, qui ſibi oſtenſus eſt, à pœnâ liberatus non eſt, vel cum tot tantiſque ſceleribus occultatis, pro ſolo aureo calice cruciari viſus eſt.

DESIDERIUS. Quòd vir iſte in pœnis viſus eſt, & tamen uxore calicem reddere parvipendente, à pœnis liberatus non eſt, juſto, occulto tamen omnipotentis Dei judicio factum eſt, ejuſque pia ac benigna providentia in notitiam hominum deducta eſt, ut videlicet quicumque hæc audierit, pertimeſcat, & à rapinis eccleſiarum mentem manuſque compeſcat; ne & ante mortem ſe ſe pœnitere non liceat, & poſt mortem parentibus propinquiſque ea, pro quibus ipſe à ſupplieiis liberetur, operari non libeat. ſicque fiat, ut pro eis ſupplicia æterna poſſideat, qui Dei timore poſtpoſito, in vita poſitus, nullatenus perpetrare formidat: & jam veniam non mereatur in vita illa, qui bonis ſanctiſque operibus neglexit promereri in iſta. Quod verò ceteris facinoribus tacitis de ſolo aureo calice judicari viſus eſt, apertè datur intelligi, quàm fortiter, quàm atrociter, quamque miſerabiliter pro aliis pluribus immenſiſque ſceleribus torquebatur; quando parvi calicis rapina tam dirè tamque crudeliter eruciabatur. Nam ſuperiùs retulimus quod idem Pythagoræ puero dixerit, quòd multa & immenſa delictis aliis fuerant ſibi præparata tormenta. Quòd verò is qui eum in ſuppliciis vidit, continuò languore correptus, non poſt multum tempus eſt mortuus, non multum miremur, ſi illud quod Danieli viro deſideriorum & ſomniorum veridico interpretatori contigit, attendamus. Nam poſt viſionem ſpiritualium myſteriorum continuò ægrotavit, & per dies plurimos, ſicut ipſe teſtatur, elanguit. Si autem talis tantuſque vir ſpiritualia viſa non tulit, ſed continuò languore apprehenſus per dies plurimos infirmatus fuit; quid mirnm, ſi puer iſte curis ſæcularibus deditus, carnalibus deſideriis preſſus, viſionem ſpiritualium rerum ferre non potuit, ſed infirmitate detentus ad extrema devenit? Sed in his omnibus divina judicia magis metuenda, quàm indaganda ſunt. quæ magna & inſcrutabilia ſunt, teſte Pſalmiſta qui ait: *Judicia tua abyſſus multa.* Pſal. 35.
teſtante quoque Paulo qui dicit: *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei;* Rom. 11.
quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus & inveſtigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipſo & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia; ipſi gloria & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

[a] Sperabat forſitan Pandulfus ex reſtitutione minui pœnam: ſed in inferno, ubi eſt ſumma miſeria, nullum refrigerium eſt, adeo quòd dives epulo tamdiu deſideraverat guttam aquæ, ut refrigeraret linguam ſuam, ſperans refrigerium obtinere, & non valuit, *Lucæ cap.* 16.

Circ. ann. DCCC LXXXIII Dec. IV.

LIBER SECUNDUS.

PRÆMISSO utcumque primo (ut promiſeramus) libello, nunc ſecundum Deo auxiliante ſcribere aggrediar: in quo cetera, quæ ſuperſunt in hoc Monaſterio, vel à Monachis hujus ſacri Cœnobii ubicumque, divina largiente clementia, his temporibus facta miracula, quæ noſtræ occurrunt memoriæ, curabo concludere.

I. Cùm adhuc eſſem laïcus, & intra annos adoleſcentiæ ætatem ducerem; quæ à multis in Beneventana civitate degens audivi de JOHANNE [a], tunc ejuſdem Beneventanæ eccleſiæ Archidiacono, poſtmodum verò hujus ſancti Cœnobii Abbate, ſilenter non tranſibo. Cùm idem Johannes de illuſtri proſapia originem duceret, & (quod majus eſt) religioſè vivens omnipotenti Domino omnimodo placere ſtuderet; ita à clero & populo diligebatur, ut omnes ei unanimiter poſt mortem Archiepiſcopi ejuſdem urbis ſummum Sacerdotium peroptarent. Alter quidam in eadem eccleſia, ALIX [b] nomine, Diaconus erat, qui ad adipiſcendum Pontificium omni niſu adſpirabat, nec quo ordine id adſequi poſſet, quidquam penſi habebat. ſed dum idem Johannes Archidiaconus ſupereſſet, ad culmen tanti honoris ſe poſſe pertingere deſperabat. Cumque hæc quotidie in animo volveret, vana illum cogitatio haud quieſcere permittebat. Cùm quadam die uterque ſecreto in loco conſediſſent, & nemo alius cum eis eſſet; ſermo inter eos orſus eſt de hujuſmodi miſeræ vitæ fragilitate, de cæleſtis ac perpetuæ vitæ jucunditate, de pœna peccatorum, ac de gloria ſempiterna juſtorum. Itaque ſtatuerunt inter ſe hujus gloriam mundi relinquere, ac ſanctæ converſationis habitum ſuſcipere: & ut magis fidi eſſe poſſent, juramento, quod ſtatuerant, firmaverunt. Dein diem decernunt, quo apud caſtrum Caſinum limina beati Benedicti peterent, ac ſub ejus magiſterii Regula JESU-CHRISTO Domino deſervirent. Igitur poſtquam ad ſtatutum diem ventum eſt, quò ab eis aggrediendum erat iter; Alix qui aliud animo, aliud geſtabat in ore, Johanni Archidiacono dixit: Cariſſime frater, quoniam de rebus meis aliquid adhuc ſupereſt, quod ſecundùm Deum ordinare cupio; tu, obſecro, præcede, & mox ut ſanctæ converſationis habitum ſuſceperis, mihi nuntium mitte: ego autem his expletis quanto citius te ſubſequi curabo. Archidiaconus verò ad Monaſterium beati Patris Benedicti veniens, mox ut habitum ſacrum ſuſcepit, nuntium ut decreverant, ſocio direxit, qui eum ſub ſanctæ inſtitutionis Regula jam colla ſubmiſiſſe, & ut ipſe celeriter veniret, ut pollicitus fuerat, nuntiaret. At ille mox ut talia audivit, alacer effectus, quòd illum, qui ſibi in eccleſia præeminebat, receſſiſſe cernebat; omnino ſe ad eum accedere, atque tam artam ingredi viam poſſe negavit. Deinde ad adquirendum culmen Pontificatus ho-

Alix Johannem ludit pro Epiſcopatu.

[a] Johannes Abbas tertius hujus nominis, & triceſimus à beato Benedicto, ex illuſtri Beneventanorum civium proſapia genus duxit. Suſcepit Abbatiam anno Domini DCCCCXCVII, & pervenit uſque ad annum milleſimum.

[b] Alix Archiepiſcopus IV Beneventanus Silveſtro Papa II anno Domini milleſimo ad inſtantiam Othonis III Imperat. ab eodem Pontifice ad Archiepiſcopatum evectus, à populo tamen minimè receptus, ut habetur in Chronico Archiepiſc. Benevent. Indigna res Religioſo! ſed noſtri ſæculi mores huc devenere, ut quod abhorrent & execrantur pagani, hoc quaſi pro lege à noſtris politicis habeatur: dum docent viro bono & ſapienti, ac præſertim Principi, mentiri fas eſſe, & licere aliis ſtruere inſidias, aliudque clauſum in pectore, aliud verò in lingua promtum habere regnandi cupidine, irridendo Sextum Pompeium, cui cùm facillimum eſſet adverſarios ſuos violata fide obtruncare, atque ita toto terrarum orbe potiri, pluris fidem, quàm Imperium fecerit. Et ſunt tam impudentes, ut docere audeant religionem virtutemque imperio famulari debere, liceréque Principi pro re nata fidem vel jurejurando firmatam ægrè atque cothurnum exuere. En quibus in rebus glorientur. Utinam ſpe ſua fruſtrarentur, qui dolos concinnare, alioſque capere ſtudent; eoſque eluderent aves, quas captant; & evolarent, ſicuti evenit Alix Archiepiſcopo, qui non aſſecutus fuit venationem. O quam longè à primis ſæculis, ubi Chriſtiani malle mori volebant, ut ſcribit Juſtinus Martyr in Apologia 2. quàm vel ſemel mentiri. Sic Marus.

Circ. ann. DCCC LXXXIII Dic. IV.

noris totis viribus nitebatur. ſed omnipotens ac juſtus Deus, aliter quàm ipſe ſperabat, diſpoſuit. Nam cùm Imperator OTHO egreſſus Germaniâ Italiam intraſſet, poſtquam Romanas res, ut ſibi videbatur, diſpoſuit, Beneventum adiit, cui Alix ita familiaris effectus eſt, ut idem Auguſtus eum eligi in Pontificem Eccleſia tenuenre præciperet. Poſtmodum verò Imperator Romam rediens, Romanum Pontificem eum conſecrare rogavit, & conſecratum Beneventum remiſit. Imperator deinde ſebre correptus, poſt aliquos dies divina diſpoſitione defunctus eſt. Ille verò Beneventum rediens, ne mœnibus quidem civitatis appropinquare auſus fuit, ſed cum dedecore illo repulſo, alium ſibi cives Pontificem elegerunt. Fecit quidem hæc omnipotens Deus ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: ut qui cupiditate honoris ductus fraudulenter fratrem ſuum ſtuduit ab eccleſia pellere, ipſe pulſus patriâ, exſul in alieno ſolo vitam finiret.

Ipſe eluſus.

II. Johannis peregrinatio.

Præter hæc, ea quæ ſequuntur, LEONE venerabilis vitæ, qui ante paucos annos defunctus eſt, & aliis veteranis Monachis narrantibus audivi. Cùm igitur idem JOHANNES aliquantos in Monaſterio ſanctæ inſtitutionis Regulæ expleſſet annos; petitâ ab Abbate ſuo licentiâ, Jeroſolymam perrexit, atque in Sinaï monte per ſex continuos in Dei ſervitio degit annos. poſtmodum verò in Græcia, in monte qui Hagionoros [a] dicitur, aliquanto tempore manſit. Sed ea quæ illo in loco eum vidiſſe contigit, haudquaquam mihi videntur reticenda.

Eremita ab urſo paſtus.

Quidam namque Eremita in eodem monte manens, à paucis vel frequentabatur, vel noſcebatur. Dum quadam die Frater qui ei miniſtrabat, & certis diebus victum deferebat, ſuprà memoratum Johannem venerabilem virum ad eumdem Dei ſervum duxiſſet; ſicut ipſe poſtmodum diſcipulis ſuis cum lacrymis ſolitus erat referre, benignè, ut decebat, ab eo ſuſceptus eſt: & cùm ſermo inter eos de cæleſtis vitæ gaudiis diutius agitaretur, ſervus Dei iis qui advenerant, dixit: Venite, Fratres, quia jam hora eſt, alimenta ſumamus corporis, ne revertentes in via deficiatis. nec enim jejuni à nobis recedere debetis, propter quem tanti ſubiiſtis iter laboris. Et hæc dicens, menſam præparat, prandium apponit. Cùm denique, oratione facta, ad menſam conſediſſent, mirabile dictu! immanis urſus [b] è vicina ſilva veniens; ſe ſe ante ora prandentium favum melliflui mellis ferens exhibuit. Cùmque illi valde perterriti fugam inire tentarent, venerabilis Eremita ille eos compeſcuit, & ne terrerentur admonuit, dicens, multos eſſe jam annos, quo ſibi omnipotens Deus per beſtiam illam ſæpiſſime hoc melliflui nectaris donum ſua pietate tranſmiſerit.

Johannes S. Benedicti monitu redit Caſinum.

Peracto itaque prandio ſurgentes è menſa, animo magis ſatiati quàm corpore, percepta benedictione ad Monaſterium ſunt reverſi. Poſt non multos verò dies beatiſſimus Pater Benedictus eidem Johanni per viſionem apparuit: & dans ei paſtoralem virgam quam manu geſtabat, ut Caſinum ad ſuum Monaſterium quantocius reverteretur, admonuit. Facto itaque mane, Abbati ipſius Monaſterii religioſo ſcilicet viro, viſionem, quam viderat, per ordinem pandit. At ille, ut erat vir providus atque diſcretus, voluntatem Dei in hac viſione cognoſcens, intulit dicens: Frater Johannes celeriter ad tuum Monaſterium reverti feſtina, ne tanto Patri qui tibi per viſionem apparuit, eſſe inobediens videaris. Decrevit enim, ut mihi videtur, omnipotens Deus te ſuo gregi præponere, &, ut ſuas fideliter paſcas oves, ſua miſeratione elegiſſe. Ille igitur viſioni & admonitioni obtemperans, tranſmarina relinquens arva, Chriſto duce, reverſus eſt, atque à religioſiſſimo viro Johan-

[a] De peregrinatione Johannis ad montem Hagionoros, ſive montem ſanctum, qui olim Athos dicebatur, in Macedonia Græciæ provincia, meminit etiam Petrus Diacon. lib. mſ. de ortu Juſtorum Caſin. cap. 35 & Leo Oſtienſis in Chron. lib. 2, cap. 21.

[b] Non pauci reperiuntur Sancti, qui bruta quædam animantia habuerunt familiaria, quibus aut cibum tribuebant, aut à quibus accipiebant. Exempla refert Marus, qualia in his Actis obvia ſunt.

Circ. ann. DCCCLXXXXII. Dac. IV. Abbas factus. ne, qui tunc Fratribus præerat, Præpoſitus factus, non multo pòſt tempore (quia idem Abbas corpore jam debilis erat, atque pondus tanti oneris ferre nequibat) conſilio & electione cunctorum Fratrum, ab eodem venerabili Patre Abbas eſt ordinatus. Ille verò Abbatiâ relictâ in vicinam ſilvam ſeceſſit, atque ibi uſque ad vitæ ſuæ terminum ſolitarius degens, in omnipotentis Dei ſervitio vitam finivit.

III. Felix ſanctus Teani ſepultus. Interea nec ea quæ de FELICE [a] audivi, Monacho videlicet hujus Monaſterii, ſilentio ſunt prætermittenda. Quodam tempore, neſcio qua de cauſa, ad Teatinam urbem eſſe me contigit; & cum ab Epiſcopo [b] & clericis illius Eccleſiæ benignè & amicabiliter ſuſceptus eſſem, atque orationis gratiâ ad orationem * me duxiſſent; facta oratione, ad dexteram eccleſiæ me contuli, ibique ædiculam & altare conſpexi. Cúmque Epiſcopum & clericos interrogaſſem, in cujus honorem altare illud conditum eſſet; reſponſum mihi eſt, quòd in honorem beati Felicis Confeſſoris Chriſti altare illud eſſet dedicatum. Cùm autem quis fuerit ille Felix, inquirerem, dicebant mihi, quòd Monachus Caſinenſis Congregationis fuerit; atque ab Abbate ſuo illis in partibus miſſus, ut paſtoribus egregiè præeſſet, ibi vitam finivit. Et cùm ad corpus ejus omnipotens Deus multa mirabilia operatur, à majoribus ſuis de loco, in quo priùs jacuerat, levatus, atque in hac eccleſia, ſub hoc, ut cernis, altari conditus fuerit. Igitur quoddam memorabile illo in loco nuper ab eo patratum, omnipotente Domino largiente, narrabatur.

* Oratorium

Cæco lumen reddit. Cùm quidam cæcus ad cuncta obſtantia pedes offendens, miſericordem Dominum rogaturus, ante ejus altare veniſſet, & proſtratus toto in terra corpore, gemitu ac ſuſpiriis, ut meritis beati Felicis ſui miſereretur, oraſſet; mox depulſis cæcitatis tenebris ita ſanus & incolumis ſurrexit, ut mirantibus cunctis ipſe ſuis oculis lucem cœperit cernere, quam ſemper ab aliis deſiderat audire.

THEOPHILUS. Velim ſcire, ſi vir iſte venerabilis, qui ita claruit, poſt mortem in hac vita poſitus aliquod ſignum de vitæ ſuæ merito dederit.

DESIDERIUS. Non quidem hunc venerabilem virum, dum in hoc ſæculo vixit, aliquod indicium ſuarum virtutum dediſſe comperi: verùm tamen omnipotens Deus plerumque agere conſuevit, ut illi, qui devota mente illi ſervire ſtudent, licèt in carne poſiti nullum ſignum ſuæ ſanctitatis oſtendant, poſt mortem tamen cujus meriti fuerint, celari minimè patiatur: ut dum exſtincta illorum corpora ita miraculis coruſcare cernuntur, in ipſius ſervitio humanæ mentes acriùs accendantur.

THEOPHILUS. Fateor mihi placere quæ dicis: ſed quæſo te, inchoata proſequere, ut dum quæ valde cupio, audio, ad amorem ſupernæ patriæ feſſus animus relevetur.

IV. Fragrantia in obitu Gregorii Monachi. DESIDERIUS. GREGORIUS quidam, ſummæ religionis Monachus in hoc Cœnobio dictus eſt, qui, ſicut à pleriſque hujus loci Fratribus audiſſe me reminiſcor, dum in præſenti vita moratus eſt, ſub monaſticæ diſciplinæ Regula omnipotenti Domino ſtuduit ſtrenuiſſimè deſervire. Cumque expleto vitæ termino ex hoc mundo migraſſet, tanta odoris fragrantia de loco, in quo exanimis jacebat, emanavit, ut omne ſubitò Monaſterium illius odoris ſuavitas, quaſi unius angulum domatis mirificè reſperſerit. Et dum omnes odoris illius ineffabili quadam ſuavitate recreati mirarentur, ac quid eſſet omnino neſcirent; nuntius repentè ab infirmorum domo properans venit, qui

[a] Agit etiam de B. Felice Petrus Diacon. lib. de ortu Juſtor. cap. 37. Pertinent enim quæ narrat Deſiderius, ad annum M LII, ut videre eſt apud Camillum Peregrinium in ſerie Abb. Caſin. in Deſiderio.

[b] Epiſcopus Teatinus, de quo hic injicitur mentio, Arnulfus fuiſſe creditur, quem circa annum MXLIX ſediſſe & ſucceſſorem habuiſſe Attonem ex Comitibus Marſorum opinatur eruditiſſimus Abbas D. Ferdinandus Ughellus tom. 6 ſuæ Italiæ ſacræ. De antiquis rebus Teatinæ civitatis nuperrimè egit Lucius Camarra, vir ejuſdem civitatis patricius, humanis ac divinis diſciplinis inſigniter expolitus ſtilo ſatis eleganti & erudito.

Gregorium Monachum obiiſſe retulit. Voluit itaque omnipotens Deus oſtendere, quanti meriti iſte vir fuerit, cujus egrediente anima tam mitifico odore Cœnobium omne repleverit [a].

Circ. ann. DCCC LXXXIII. Dec. IV.

V. Ang[illegible] Monachus per S. Benedictum ſervatus.

Alter quidam, ut Fratres qui adhuc ſuperſunt, referunt, Angelus [b], in hoc Monaſterio Monachus, dictus eſt, cujus profectò vita nomini diſſimilis non fuit. Qui dum infirmitate tactus corporis, ultimum diem clauſiſſet, dæmoniacus quidem fortè in coquinam intraverat: & ecce ſubitò cœpit ſtrepere, ac ſe, furibundus à terra diſſiliens, in aëra elevate, magniſque vocibus clamans, cùm ſe à Benedicto perpeti conquerebatur, dicens: O quid nunc mihi modò Benedictus fecit, animam Angeli Monachi, ob parvum cucullum quod geſtavit in capite, mihi auferens ſecum detulit. Cúmque omnes qui aderant, ad verba illius ſtupefacti intenderent, & quid diceret ignorarent; repentè ſignum, quo Fratrum obitus ſignificari ſolet, inſonuit: ſtatimque Fratres omnes feſtinanter ad domum infirmorum pergunt, & Angelum Monachum jam defunctum reperiunt. Qua de re apertè monſtratum eſt, quòd animam illius in aliquo nocere non potuit, de cujus morte coram Fratribus tam triſtem, tam lugubrem ſe antiquus hoſtis oſtendit.

Theophilus. Quæſo ut dicas, cùt diabolus tantùm inimicetur humano generi, ut ab ortu nativitatis uſque ad exitum vitæ omnibus modis elaboret à mandatis Creatoris ſui hominem avertere, atque ad æternam patriam tendenti quaſcumque poterit inſidias tendere.

Desiderius. Aperta ratio patet, quòd antiquus hoſtis, qui ſe Creatori ſuo æquiparare contendit, paſſus magnam ruinam, in voraginem profundi barathri demerſus ſit: & idcirco humano generi omnibus modis contrarius exiſtat, quia illùc eùm adſcendere cernit, unde ipſe per ſuperbiam dejectus irrecuperabiliter cecidit. Indè eſt quòd ſtrepere, inſanire, frendere in electorum Dei tranſitu terribiliter videtur.

VI. Azzo à S. Michaele in cælum adſumtus.

Azzo [c] etiam quidam religioſæ ſatis vitæ Monachus fuit, qui eccleſiam beati Michaëlis Archangeli in valle quæ dicitur Regis, à Ludovico Chriſtianiſſimo Imperatore mirifico opere conſtructam, poſtmodum verò à Saracenis deſtructam, omni cum ſtudio reſtauravit, ibique Fratres ad omnipotentis Dei ſervitium, prout potuit, congregavit. Cúmque ibidem in ſervitio Dei compleſſet annos, ultimam jam pæne agens ætatem, ad Monaſterium noſtrum, ex quo ab Abbate ſuo miſſus fuerat, eſt reverſus. Qui ſenio morboque confectus, in domo infirmorum in lectulò jacens, extremum vitæ ſpiritum jam moriturus trahebat, multique è Fratribus excubantes circa lectum ipſius hymnis & pſalmis vacantes, ejus exitum exſpectabant. Quidam verò Frater [d], qui adhuc ſupereſt, & nobiſcum in Monaſterio converſatur, tunc juvenis, nunc autem ætate moribuſque grandævus, in dormitorio cum ceteris Fratribus quieſcebat: cùm ecce ſubitò nocte intempeſta reſpiciens, vidit per viſionem beatum Michaëlem Archangelum, cujus vultum pictura eum docente cognoverat, per dormitorium venientem: cujus alter Angelus veſtigia ſubſequens paullo longiùs gradiebatur: quem intuens dixit: Domine, nonne tu es beatus Michaël Archangelus? Et ille: Ego ſum utique. At ille: Quò tendis, inquit, domine? Ad domum, inquit, infirmorum, ut Fratrem Azzonem mecum adſumam; quia jam tempus eſt, pergo. Et his dictis, viſio quam videbat, diſparuit. Qui ſtatim evigilans ſurrexit, & feſtinanter ad domum infirmorum perrexit, Fratremque Azzonem è corpore animam jam exhalaſſe invenit. Qua de re apertè datur intelligi, quòd idem beatus Michaël

[a] Refertur etiam à Leone Oſtienſi lib. 3 cap. 30, & à Petro Diac. lib. de ortu Juſt. cap. 44.

[b] De Angelo Monacho habetur mentio in Petro Diac. lib. mſ. de ortu Juſt. cap. 39, & in ſerm. mſ. de octava S. Benedicti, ac in Leone Oſtienſi lib. 3 cap. 42.

[c] Floruit Azzo ad annum Domini M XXII. Vide Leonem Oſtienſ. lib. 2 cap. 14, & Petr. Diac. lib. mſ. de ortu Juſt. Caſin. cap. 40.

[d] Cui nomen erat Petrus, ut refert Leo Oſtienſi lib. 2 capite 34.

Circa ann. DCCC LXXXIII Dec. XV. — eum ſecum detulerit, qui ad adſumendum eum ſe veniſſe teſtatus eſt.

VII. Stephanus cœlum conſcendere viſus.

Frater quidam in noſtro Monaſterio STEPHANUS [a] Veneticus dicebatur, qui ex Venetiæ partibus adveniens, in ſanctæ converſationis habitu ſtudioſiſſimè vixit: cujus humilitatis, patientiæ ac obedientiæ bonum omnibus, qui tunc in omnipotentis Dei ſervitio ibidem congregati erant, liquidiſſimè patuit. Cúmque jam tempus eſſet, ut ejus digna converſatio à juſtiſſimo Domino remunerari debuiſſet; moleſtiâ gravatus corporis, Fratribus coram poſitis diem clauſit extremum. Tunc quædam religioſiſſima anus, AGUNDIA nomine, virgo mente & corpore, quæ in ſanctimoniali habitu juxta eccleſiam beatæ Mariæ ſemper virginis ſitam in civitate, quæ circa radicem Caſini montis eſt condita, manebat more ſolito; antequam Clerici ejuſdem civitatis ad reddendas nocturnas Deo laudes ſurrexiſſent, ante prædictam eccleſiam Dei Genitricis ſtans, gemitu, lacrymis ac ſuſpiriis omnipotentem Dominum precabatur: cùm ecce ſubitò intempeſtâ noctis horâ reſpiciens vidit columnam igneam è cella, in qua infirmi Fratres quieſcere erant ſoliti, exeuntem, cælumque tendentem. Quæ mox nuntium Monaſterium ſubitè præcepit, qui ſtudioſè inquireret, ſi aliquis ex infirmis Fratribus in cella illa degentibus ex hoc mundo migraſſet. Tum is qui fuerat miſſus nuntius, perniciter montem adſcendit, Monaſterium intravit, domum infirmorum adiit, atque Stephanum religioſum Monachum defunctum reperit: & ſtudioſiùs inquirens, invenit eum eâ horâ emiſiſſe animam, quâ columna ignea ab ancilla Dei viſa eſt celſa penetrare polorum.

VIII. Johannis Venetici miraculum de hernioſo curato.

Alter quidam in jam dicto noſtro Monaſterio JOHANNES [b] Veneticus dictus eſt, miræ patientiæ, obedientiæ ac humilitatis Monachus, qui quanti meriti apud JESUM-CHRISTUM Dominum fuerit, ſuum poſt obitum maniſeſtiſſimè claruit. Cùm quidam Frater, cujus nomen [c] à memoria excidit, caſu in inguine crepuiſſet, ita ut interiora ejus membrano diſrupto, inter carnem & corium dilaberentur; ſepulcrum ipſius adiit, ac ſe ſuper illud proſternens, lacrymis gemitibuſque, ut pro ſe Dominum precaretur, ex intimo cordis poſtulabat affectu: proculdubio credens ejus meritis ſe poſſe ſanitatem recipere, qui in hac vita poſitus omnipotenti Domino totis viribus ſtuduit deſervire. Cùm igitur aliquantulum ſuper ſepulcrum ejus orans incubuiſſet, ita reſtitutus eſt ſanitati, ut languoris priſtini nec ullum in eo quidem indicium remanſiſſe videretur.

IX. Smaragdus ad ſepulcrũ S. Benedicti ſanatus.

SMARAGDUS Monachus, qui adhuc ſupereſt, & in noſtro Monaſterio commoratur, retulit mihi quod narro, quòd à Leone venerabili Presbytero, avunculo ſcilicet ſuo, ſe audiſſe referebat de ANTONIO Monacho atque Preſbytero, qui ſæcularibus ac divinis litteris haud mediocriter eruditus; ab adoleſcentia uſque ad vitæ exitum in ſæpe dicto Monaſterio degens, omnibus pæne in hac provincia notus exſtitit. Qui dum quodam tempore, caſu accidente, ſicut prædictus Presbyter ex ore illius accepit, loco in ſecretiori crepuiſſet, & languore creſcente quotidie vehementer fatigaretur; medicum à quo ſecari vel exuri deberet, ſi quo modo poſſet ſanitatem recipere, conducere meditabatur. Timebat tamen ſi ſecaretur à medico, ut multoties evenire ſolet, ne fortè moreretur: & rurſus ſi non ſecaretur, ſedulum ſuſtineret dolorem, quod eſt ipſa morte deterius, periculoſius ſibi videbatur. Igitur cùm intra ſe hæc diutius agitaret, unum ſibi fore remedium credidit, ut ad ſepulcrum beati Benedicti pergens, ipſius miſericordiam imploraret, ſperans ſe ejus patrocinio poſſe ſalvari, ſub cujus magiſterio ſe recedens à ſæculo devotiſſimè contulerat. Statim igitur eccleſiam intravit, ac ſe coram altari humi-

[a] Recitatur etiam hoc miraculum à Petro Diac. lib. mſ. de ortu Juſt. Caſ. cap. 42, & à Leone Oſtienſ. in Chronic. lib. 3 cap. 42. Vixit Stephanus Veneticus ſub annum DCCCLXXX.

[b] Meminit Johannis Venetici Petrus Diac. lib. de ortu Juſt. cap. 41, & Leo Oſtienſ. lib. 3 c. 41.

[c] Rampicis nominatus à Leone Oſtienſi & Petro.

liter

liter proſternens, diutius oravit, ut omnipotens Deus meritis tanti Patris ſalutem ſibi conferre dignaretur. Expleta verò oratione, è pavimento, in quo proſtratus jacuerat, ſurrexit, atque ex crepidine altaris pulverem collegit, & ligans in panno, loco in quo patiebatur, ſuperimpoſuit: atque die altero ita ſanus repertus eſt, ut nec ſignum quidem præteritæ infirmitatis in eo omnimodo remaneret. Circ. ann. DCCCLXXXIII Dec. IV.

X. Paulus vi-ſus cælum adſcendere.

De Paulo [a] ſanctæ converſationis Monacho, quod à Fratribus, qui adhuc in hac præſenti vita vivunt, & eum optimè norunt, audiſſe me memini, referre curabo. Cùm idem Paulus ſalutis ſuæ cauſâ noſtrum ad Cœnobium deveniſſet, à Theobaldo Abbate, religioſo videlicet viro, qui tunc Fratribus honeſtiſſimè præerat, devotè ſuſceptus eſt. Quem venerabilis Pater in Monaſterio beati Patris Benedicti, quod intra Capuanam urbem conſtructum eſt, habitare præcepit. qui poſtquam ad eumdem pervenit, ita ſe ſub ſanctæ inſtitutionis Regula conſtrinxit, ut ob hoc omnibus mirabilis haberetur. Sed omnipotens, miſericors ac pius Deus, quantum ſibi ejus digna converſatio in hac vita placuerit, illius poſt obitum oſtendere eſt dignatus. Cùm namque in eodem Monaſterio religioſam, honeſtam, ac dignam Deo converſationem exercens, aliquantos expleſſet annos, infirmitate pulſatus corporis, è carnis ergaſtulo, jubente Domino, exſilivit. Igitur quidam venerabilis vitæ Epiſcopus ex Galliæ partibus veniens, orationis gratiâ ad eccleſiam beati Michaëlis Archangeli in Gargano monte conditam properabat. Cùm autem ad Capuanam urbem deveniſſet, juxta eccleſiam Protomartyris Stephani [b] diverſus, hoſpitatus eſt. Denique cùm nocte intempeſta è lectulo ſurrexiſſet, ante eccleſiam prædicti Martyris ſtans, vicinas ſibi omnipotentis Dei aures precibus lacrimiſque reddebat: cùm ecce ſubitò ad dexteram orientis partem oculos porrexiſſet, vidit inſtar ſolis radiis lucem ſplendidam è Monaſterio per aëra mirabiliter advolare. Cúmque diu lucem quam videbat, attonitus miraretur, ſignum in Monaſterio inſonuit, quo Fratris exitus ſignificabatur. Intellexit protinus è Fratrum numero aliquem magni meriti ex hoc mundo migraſſe, ſimulque cum ipſa luce cæli ſublimia penetraſſe. Mox itaque convocatis clericis, quæ viderat, enarravit; ſtatimque ad Monaſterium nuntium miſit, ut quis ibi defunctus eſſet, agnoſceret. Cúmque is qui miſſus fuerat, Monaſterium intraſſet, invenit Paulum venerabilem Monachum è corpore animam emiſiſſe. anno 1018.

XI. Et Johannes Abbas. [c]

Johannes [c] admodum religioſus Monachus & Sacerdos, cujus ſuperiùs mentionem feci, qui relicto regimine Monaſterii, ad eremi ſecreta ſe contulit, in hac vicina ſilva uſque ad extremum vitæ ſuæ terminum ſolitarius manſit: ibique jejuniis, vigiliis, ac orationibus operam dans, ſtuduit omnipotenti Domino ſollicita mente ſervire. Hic verò cùm temporibus Theobaldi Abbatis ex hac luce migraſſet, Monachus quidam Johannes nomine, in Monaſterio beati Laurentii Martyris; quod apud Capuam ſitum eſt, ſtudioſiſſimè in Dei ſervitio converſabatur. qui dum quadam nocte antequam Fratres ad vigilias ſurgerent, de lectulo more ſolito omnipotentem Dominum precaturus ſurrexiſſet, dum attenta mente ſtans miſericordem Dominum precaretur, ſubitò reſpiciens clariſſimam lucem in aëre, & intra ipſam venerabilis viri Johannis animam cælum penetrare conſpexit. Igitur facto mane certiùs ſcire volens quod viderat, venit ad Andream, qui Cellæ hujus Monaſterii, quæ intra eamdem Capuanam urbem ſita eſt, tunc Præpoſitus erat; hocque, quod viderat, per ordinem retulit: & ut ad hoc Monaſterium nuntium dirigeret, qui diligentiſſimè rem quam viderat, inveſtigaret, obnixè popoſcit. anno 1022.

[a] Eadem de Paulo Monacho referuntur à Leone Oſtienſ lib. 2 cap. 55. & à Petro Diac. lib. mſ. de ortu Juſt. c. 41. Floruit ad annum MXXXV. Vide Sanctuarium Capuanum Michaelis Monachi de ſanctis Johanne Primicerio & Paulo Præpoſito.

[b] Nominatur in Chron. Caſinenſi lib. 2 cap. 5, & in Petro Diac. cap. 45. eccleſia ſancti Laurentii, non Stephani.

[c] De hoc miraculo agit etiam Petrus Diacon. libro mſ. de ortu Juſt. cap. 36.

CIRCA ANN. DCCC LXXXIII DEC. IV. Qui ejus voto parere ſtudens, nuntium mox direxit, qui diligenter hæc quæ dicta ſunt, cognoſceret: citiuſque reverſus indicare curaret. Tum is qui miſſus fuerat nuntius, dum feſtinanter pergeret, & in ipſo itinere alter à Monaſterio veniens occurrit, qui Fratribus in prædicta Cella Capuæ commorantibus præfati ſervi Dei obitum nuntiavit: à quo ſubtiliter inquirens, invenit prædictum Dei ſervum ea hora ex hac luce ſubtractum, qua eum Johannes religioſus Monachus, Capuæ poſitus, cælum mirabiliter penetraſſe cognovit. Tunc uterque ad eos, à quibus miſſi fuerant, reverſi, alter ſervi Dei obitum, alter verò viſionem, quæ de eo viſa eſt, retulerunt.

XII. Incendium extinctum. Multorum [a] Fratrum teſtimonio didici hæc, quæ noſtro curavi annotari libello. Et licèt Petrus venerabilis Oſtienſis Epiſcopus in ſermone, quem in vigiliis beati Patris Benedicti legendum luculentiſſimè compoſuit, id eleganter decenterque inſeruerit; tamen inter cetera miracula, quæ omnipotens Deus ad laudem ſui nominis noſtrâ etiam memoriâ vel ſeniorum noſtrorum, quos ipſi vidimus, quibuſque referentibus agnovimus, hoc in noſtro Monaſterio oſtendere eſt dignatus, inſerere curavi, ut in cujus ſortè manus ſermo ille non venerit, & hoc in noſtro libello cognoverit, Deum laudet in mirabilibus ſuis, qui omni tempore, novo videlicet cibo alit teneras mentes ſuorum. Igitur quodam tempore ab initio Maii menſis uſque ad extrema menſis Julii, tanta ſiccitas aeris exſtitit, ut ne pauciſſimis quidem guttis arens terra, & crebris diſſciſſa rimis, aliquo modo madefieri videretur. Tunc quadam die quidam ruſticus, ut ſtipulam triticeæ meſſis ſuo in agello ſuccenderet, quo liberiùs terrám excolere poſſet, allatum ignem incautè ſuppoſuit. cúmque ignis paullatim ſtipulam lambendo flammam in altum porrigeret, flante aura in proximam ſilvam, quæ ſubjacet Monaſterio, ruſtico renitente diſſiluit. Igitur infinitam ſibi ſilva miniſtrante materiam, ignis huc illuc per latera montis diſcurrens, omne Monaſterium incendio ſe concrematurum, populis undique ſpectantibus, minabatur. Cùm itaque Fratres flammis crepitantibus timore exterriti atque turbati, animo expergefacti, à lectulis ſurrexiſſent, (nam in meridiano tempore illis quieſcentibus res iſta contigerat) videntes tam immane, tam ſubitaneum periculum, & ei qualiter reſiſtere poſſent, nullo modo excogitare valentes, ad divina ſe ſtatim contulere præſidia. Totis itaque viribus, & ex intimo cordis affectu omnipotentem Dominum rogare cœperunt, ut meritis beati Patris Benedicti, quo ordine vellet, ſua virtute Monaſterium ab incendio eriperet, quod humana manu defendi poſſe penitus deſperabant. Cúmque alii erectis in cælum manibus, atque alii proſtratis in terra corporibus, alii flexis genibus, alii in terram demiſſis capitibus omnipotentem Dominum precarentur; ſubitò parva nubecula ſe in hujus latere montis colligens, ſupra cacumen ipſius divina imperante potentia dilatavit: quæ mox tantum imbrem ex ſe effundens expreſſit, ut & incendium omne extingueret, & omnino Monaſterium liberaret. Studeamus igitur, Fratres, religioſè ac piè vivere, & tantum Patronum, Deo ſerviendo, propitium adquirere: quia cujus meritis nubes hujus cacumen montis obtexit, atque ex ſe copioſum imbrem exprimens, incendium extinxit; ejus nihilo minus precibus, ſi eum ſedulè ac devotè, præveniente bono opere, rogaverimus, ab æſtuantium vitiorum flamma, divina concedente miſericordia liberabimur.

XIII. Fons ex undis exhauſtus reductum. Quodam [b] tempore, ſicut ab iis qui optimè noverant, agnovi, dum Fratres hujus Monaſterii eccleſiam beatæ Scholaſticæ virginis intra Caietanam urbem, quatenus dum ad aliquas res emendas ibidem pergerent, receptaculum habere poſſent, conſtruerent; quidam ex operariis in ſummitate rupis, quæ

[a] Habetur mentio utique in Petro Damiani ſermone habito in vigilia ſancti Benedicti, & in Leone Oſtienſi in Chron. lib. 2 cap. 65.

[b] Recitatur etiam hoc miraculum à Petro Diacono in ſerm. mſ. de oct. ſancti Benedicti.

in capite civitatis mari præeminet, ſaxa quibus eccleſiæ parietes conſtruerentur, frangebat: qui cùm attentiùs eadem ſaxa malleo quateret, idem malleus de manubrio recidit, ac per ingens præcipitium, quod ibidem patebat, delapſus in mare cecidit. qui valde contriſtatus quod evenerat damno, ad Fratres ubi parietes eccleſiæ ædificabant, protinus venit, & ea quæ ſibi acciderant, mærens retulit. Cúmque ſpes recuperationis eſſet ablata, & alterum ſibi malleum, quo ſaxa ad eccleſiæ ædificium frangerentur, fieri decernerent, unus è Fratribus dixit: Deſcendamus illuc, Fratres, forſitan beatus Benedictus ſuis meritis nobis malleum reſtituet, qui quondam Gotho ferramentum ex profundo lacus mirabiliter abſtrahens reddidit, atque ad opus quod cœperat, lætum remiſit. Placuit ſermo coram ceteris, & deſcendentes ad mare naviculam ſunt ingreſſi: regyranteſque ſinum civitatis, venerunt ad locum, in quo ſub prædicto præcipitio ex operarii manibus diſſiliens malleus ille ceciderat. in quo videlicet tanta erat aquarum profunditas, ut ſpes recuperandi illum per aliquod humanum ingenium nulla omnino perſiſteret. Igitur confiſi de omnipotentis Dei adjutorio & meritis beati Patris Benedicti, manubrium in æquora mittunt. Mirum in modum, mox ferrum manubrio adhæſit, & extrahentes eum foràs, gratias agentes Deo & beato Benedicto gaudentes ad opera ſua ſunt reverſi. Circa ann. DCCCLXXXIII Dec. IV.

Theophilus. Hoc miraculum & in veteri Teſtamento ab Heliſæo, & in novo à ſanctiſſimo Patre Benedicto factum reminiſcor. Sed dum merita iſtorum, illorumque longe diſtantia eſſe perpendo, majorem fateor admirationem de hoc nuper patrato miraculo in animo meo concipio.

Desiderius. Hoc factum, cariſſime Frater, non tantùm iſtis imputare debemus, quantum illi, de cujus meritis confiſi id agere tentaverunt. Verùm tamen vis narrem aliquid de obſeſſis à dæmone, divinâ largiente clementia, ſuffragantibus beati Benedicti meritis in hoc ejus Monaſterio curatis, ut audientium animus magis ac magis in Dei laudibus convaleſcat; atque in amorem ſummæ divinitatis multipliciter incaleſcat?

Theophilus. Quidquid ad ædificationem audientium dicere velis, proſequere: ego autem me hæc gratanter auſcultare profiteor.

Desiderius. Quidam puer in domo hoſpitum ſimul cum patre in lectulo cubans, cùm ad neceſſitatem corporis in ipſo noctis ſilentio ſurrexiſſet, ſubitò ingens leo dentibus fremens, eum paratus diſcerpere unguibus, ſibi horrendus apparuit. qui pavore nimio exterritus vociferans, in terram corruit. Ad cujus vocem mox turbatus pater è lecto ſurrexit, feſtinus ad eum, valdeque anxius acceſſit, cur ita clamaſſet, vel quid ſibi eveniſſet, primâ diligentiâ ſollicitus interrogavit. Ille immanem leonem contra ſe venientem tremebundus ac palpitans vidiſſe ſe retulit. Quem pater blanditiis demulcens, in ulnis propriis acceptum, reduxit ad lectulum. Sed diabolus, qui in ſpecie leonis ſibi apparuerat, in eum ingreſſus, poſt aliquot dies vehementiſſimè vexare cœpit. Cúmque ad eccleſiam ante altare beatiſſimi Benedicti eſſet adductus, mirum in modum in pavimento clauſis oculis proſtratus jacens, quicumque Monaſterii portam ingrediebatur, mox ejus nomen exprimebat, dicens: Talis, vel talis homo per portam modò Monaſterii ingreditur. Quidam autem Frater cum cauſa obedientiæ è Monaſterio ad civitatem deſcendiſſet, duodecim à quodam accipiens denarios, eoſque propriæ utilitatis gratiâ occultè capiens ſibi, in ſinum miſit. Cùm autem ad Monaſterium reverſus, ad puerum in locum quo vexabatur, acceſſiſſet, ſtatim diabolus hoc modo eum per os pueri coram Fratribus infamare cœpit, dicens: Monachus iſte contra Regulam ſui Ordinis duodecim denarios à tali viro accipiens cauſâ proprii commodi, occultatos retinet in ſinu. Igitur cùm à Fratribus interrogaretur, utrumnam vera eſſent convicia, quæ antiquus hoſtis per os vexati ſibi objiceret: mox ille ſuam clamitans culpam, omnino id ita eſſe profeſſus eſt. XIV. Dæmoniacus prodit Monachi culpam.

Circ. ann. DCCCLXXXIII. Dec. IV. item alterius.

Alter quoque Frater, cujus nomen, ne verecundiam patiatur, omitto, ex alio Monaſterio ſuæ ſalutis causâ ad noſtrum deductus, quadam nocte ad nocturnas vigilias, lectionem de veteri Teſtamento in eccleſia more ſolito Fratribus reſidentibus recitabat, cùm fortè puer qui vexabatur, aderat. Et ecce ſubitò diabolus per os ejus exclamans, illa omnia quæ legebantur, ſe ſe ad liquidum noſſe, ibique fuiſſe proteſtabatur, & adjungens hujuſmodi lectori verbis exprobrabat: Sed ſi ea, inquit, quæ de te ſcio, referre coram præſentibus vellem, magnam profectò tibi verecundiam incutere poſſem. Et re vera Fratrem illum abundè in ſuo Monaſterio ſæculariter vixiſſe compertum eſt.

poſtea curatus.

Poſtquam igitur pro vexato puero ante ſepulcrum B. P. Benedicti, diutius à Fratribus oratum fuiſſet, ita ſanus effectus eſt, ut amplius à maligno ſpiritu vexari minimè viſus eſſet.

XV. item alius.

Eodem etiam tempore alter puerulus ingentem Æthyopem ſuper tectum ſtantem conſpexit: qui valde territus, mox fugam arripuit. Sed idem dæmon eum inſequens ad oſtium domus, in terram proſtravit, ſtatimque in eum ingrediens acriter miſerum fatigabat. Cúmque in oratorium ad ſepulcrum prædicti Patris per aliquot dies ſæpe fuiſſet adductus, ejuſdem Patris meritis, qui eum invaſerat dæmon, relinquens abſceſſit, ſic ut ad eum accedere ulteriùs auſus non fuerit.

XVI. item alius.

Alius quidam Johannes nomine, qui ætate provectus adhuc ſupereſt, atque in infirmorum domo deſervit, ex Provincia Marſorum de qua ortus fuerat, cùm à peſſimo dæmone teneretur, hoc ad Cœnobium gratiâ recuperandæ ſalutis à propinquis adductus eſt, proculdubio credentibus cum meritis beati Benedicti ſalutem poſſe recipere, ad cujus limina multos diverſis languoribus occupatos audierant ſaluti priſtinæ reſtitutos. Et ipſe poſt non longum tempus expulſo hoſte ſanitate recepta magnam exſultationem videntibus intulit.

XVII. item alius.

Theodoricus etiam Monachus atque Sacerdos, qui adhuc vivit, & nobiſcum in hoc Cœnobio religioſam vitam ducens converſatur, nepotem habuit, quem valde diligebat in ſæculo: in quem antiquus hoſtis ingreſſus eſt, non tamen ut apertè eum vexaret, ſed latenter languorem inferens, quaſi paralyticum videntibus exhiberet. Hunc itaque prædictus avunculus ejus causâ recuperandæ ſanitatis ad ſe de beati Patris Benedicti confidens meritis adduci fecit. Sed cùm in hoc Monaſterio aliquamdiu infirmus, ita ut venerat, perduraret, & à nullo, quòd eum dæmon poſſideret, æſtimaretur, quadam die ab eodem avunculo ſuo ad venerabilem virum Lambertum nomine, qui in hac proxima ſilva juxta eccleſiam SS. Martyrum Coſmæ & Damiani ſolitarius habitabat, ut ejus benedictione frueretur, delatus eſt. Cui vir Dei panem benedictum dedit, eumque ut comederet, imperavit. Cúmque ſibi, quod acceperat, in os miſiſſet, idque comedens guſtaſſet, dæmon qui hactenus in eo latuerat, benedictionem tanti muneris ferre non valens, ſtrependo, vociferando, huc illucque diſſiliendo, quæ cauſa languoris eſſet, innotuit. Poſtquam verò cum avunculo ad Monaſterium eſt reverſus, & apertè quod à dæmone poſſideretur, cognitum fuit, ductus in oratorium eſt, quò omnipotentem Dominum pro eo rogaturi cuncti ſimul Fratres conveniunt. Expleta itaque oratione ac pſalmodia, horâ ſextâ Fratres ad refectorium, dimiſſis cum eo duobus vel tribus Monachis, causâ reficiendorum corporum pergunt. Igitur cùm illi qui remanſerant, divinam pro eo miſericordiam lacrymabiliter precarentur, quatenus interceſſione beatiſſimi Confeſſoris ſui Benedicti liberare captivum hominem dignaretur; Monachus veneranda canitie eidem qui vexabatur, ante altare ſtare viſus eſt, qui antiquo hoſti ab eo recedere potenti virtute imperabat. Mox dæmon facto impetu magno cum vomitu ab obſeſſo exiit, atque ad eum ulteriùs accedere minimè præſumſit. Quem videlicet ſenem beatum Maurum proculdubio fuiſſe compertum eſt, cujus reliquias Fratres qui cum eodem obſeſſo in eccleſia remanſerant, ſuper pectus ejus magna cum devo-

tione ac ſpe poſuerant. Is autem liberatus à dæmone, eſt Monachus factus, & in hoc Monaſterio ceteris cum Fratribus in JESU-CHRISTI Domini noſtri ſervitio perſeverans exſiſtit. Circ. ann. DCCCLXXXIII. Dec. IV.

XVIII.

Ruſtici religio in feſto S. Nicolai, & die communionis.

Ruſticus quidam in vicinia hujus Monaſterii, in caſtello quod ſancti Angeli nominatur, habitabat: qui feſtivitatem beati Nicolai Confeſſoris Chriſti per annos ſingulos unà cum familia ſua, prout poterat, devotiſſimè celebrabat. Ea igitur die, qua ejus ſacra à Fidelibus colebatur ſollemnitas, ad baſilicam illius nomini conſecratam, cum uxore & filio in puerili adhuc ætate manente, oblationem Domino oblaturus acceſſit. Poſtquam verò expletis Miſſarum ſollemniis, & communione ſacri corporis & ſanguinis Domini participati, ad domum propriam ſunt reverſi, puer à patre agrum reviſendi licentiam petiit. quem pater compeſcuit, dicens: Non eſt dignum, ô fili, in agrum hodie ad agri opus exercendum exire, quia, licèt indigni, divina ſacra percepimus, & feſtivitas patroni noſtri, beatiſſimi ſcilicet Nicolai, ab omnibus magna cum devotione ubique recolitur. Sed ille puerili levitati deditus, poſtquam quod petierat, à patre impetrare nequit, paterna juſſa parvipendens, clam de domo avolans, ſolus ad rura viſenda contendit. Ubi verò aliquamdiu in agro moratus, ſolem ad occaſum vergere, & opacam noctem jam pæne terris imminere conſpexit; ad viciniam ſilvam, ne vacuus redire videretur, ac per hoc patris gratiam, cujus verba contemſerat, recipere poſſet, ligna cæſurus, domumque delaturus acceſſit. Cùmque ligna jam componere cœpiſſet in ſarcinam, ſubitò quaſi vehemens ſpiritus ſonitum contra ſe venire perſenſit; elevatoque ſurſum capite, nigerrimam avem in modum vulturis, magno cum impetu per aëra ſuper ſe volantem conſpexit: quæ haud longiunculè in ſemita, qua puer regredi debebat, ſe ſe obviàm poſuit. Itaque cum timore perterritus ac tremebundus in eam intenderet, illa in ſpeciem nigerrimi pueri, cujus capilli hiſpidi ac ſurſum erecti, extrema pars veſtium in ruborem deſinere videbatur, ſe ſe transformans, oſtendit. Igitur puer, dum id quod videbat, pavidus ut erat, animo inſpiceret, idem antiquus hoſtis eum taliter allocutus eſt: Efficere, inquit, ô puer, ex toto meus, & unà mecum ad hujus proximi fluminis oram accede: ibique auri & argenti magnam copiam tibi tribuam, ut non lignis, ſed auro argentoque domum revertaris onuſtus: quatenus dum ſuperfueris, omnes propinquos vicinoſque tuos divitiis excellens, nobiliter delicioſiori vita fruaris in terris. Hæc autem ei antiquus hoſtis non ideo perſuadebat, ut quæ pollicebatur, tribueret, ſed ut eum mergens necare poſſet in flumine. At puer frequens Chriſti nomen invocans, crucis ſe ſtudebat munire ſignaculo, flebilique voce talia reſponſa reddebat: Abſit à me, abſit, ut alicujus aliquando efficiar famulus, niſi qui me creavit omnipotentis Dei, & qui me generavit patris mei. Cùm itaque iterum atque iterum ſignum ſalutis ſibi apponeret, dæmon qui videbatur, in undas vicinas fluminis inde ſe ſubmovens, magno cum ſtrepitu ſe merſit, ibique ſerpentum ſibilare, aſinorum rudere, mugire taurorum, rugire leonum more cœpit; atque tantum timorem miſello incuſſit, ut tota ſibi ſilva rotari in vertiginem videretur. Cùmque in terra ferè jaceret exanimis, & quid ageret penitus ignoraret; ecce ſubitò ſenex mitrato capite, candidus, indutus ſtola, ſibi adſtans apparuit, & inquit ad eum: Quid hic agis, cùm ſe jam hora tardior protrahat, & recedentibus cunctis ſolitaria jam pæne arva remanſerint? ſurge quantocius, domumque redire feſtina, ne ſi ampliùs hic moratus fueris, grave periculum incurras. Surgens itaque de terra, cùm ſe ad levandam ſarcinulam inclinaſſet, idem qui viſus fuerat ſenex, diſparuit: & ecce iterum malignus ſpiritus ante oculos ejus ſe ingerens, iiſdem quibus priùs verbis affari puerum cœpit. Sed ille nihilo minus quæ hortabatur, ſe facturum omnino denegans, flens & ejulans in terram decidit, ac prout poterat & ſciebat, Salvatoris omnium JESU-CHRISTI clementiam, ut ſibi præberet auxilium flagitabat. Mox ille vene-

Filius minus religioſus a dæmone turbatur.

CIRC. ANN. DCCCLXXXIII. DEC. IV. randus ſenex, qui ei dudum viſus fuerat, rurſus apparuit; & ut citiùs ſurgeret, lignaque auferens aſportaret, hortatus eſt. Ad cujus adventum, inimicus qui videbatur, ut fumus evanuit. Quem utique ſenem, beatum fuiſſe credimus Nicolaum, cujus celebrandæ feſtivitati prædictus ruſticus eo die operam dederat. At puer ad ſenis imperium ſurgens à terra, levatâ ſarcinulâ, ſumma cum velocitate domum rediit, &, ut ipſe poſtmodum referebat, tam levis ſibi illa lignorum ſarcinula facta eſt, ut nihil ponderis habere videretur. Cùm autem domum regreſſus paullulum remoratus eſſet, qui ei apparuerat dæmon, in eum ingreſſus cœpit horribiliter fatigare. Uterque turbatus parens adfuit lugens, & perſtrepens familiola cuncta circumſterit. Sed cùm nullum ei auxilium impendere poſſe ſe cernerent, ſalubri reperto conſilio, hoc ad Monaſterium ad limina cum beati Benedicti perducunt, atque ad ejus venerandum ſepulcrum in dextera parte altaris, miſericordiam Domini lacrymabiliter poſtulantes, proſternunt, ibique obſeſſus vehementer fatigatus obdormivit. Igitur dum ſic feſſus dormiens jaceret, aperiri ſibi ſubitò à latere viſum eſt, indéque vir clariſſimo adſpectu candidoque amictus habitu procedens, ejus alvum pectuſque diu contrectans, ei ut ſurgeret ac diſcederet, imperavit. Qui mox expergefactus, ita ſanus ſurrexit, ut dæmoniacam infeſtationem in ſe ulteriùs non ſentiret. Hæc omnia per ordinem ex ore ipſius pueri qui paſſus fuerat, lacrymabiliter referentis, audivi.

THEOPHILUS. Hæc quæ pueró contigiſſe narras, valde admiror, atque ad omnipotentis Dei judicia tremens ſtupeſco, cur illum, qui unà cum patre feſtivitatem beati Nicolai devotè celebrans, communionem dominici corporis & ſanguinis percepit, immundo ſpiritui mancipare permiſerit.

DESIDERIUS. Si animadvertas utique, quantum parentibus non obedire
Exod. 20. 1. Reg. 15. delictum ſit, cùm Scriptura dicat: *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram.* & item: *Melius eſt obedire quàm ſacrificare, & auſcultare magis, quàm offerre adipem arietum. quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt, repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle adquieſcere.* & Salomon: *Audi, fili mi, diſciplinam patris tui, & non dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.* & alio loco: *Quàm malæ famæ eſt, qui relinquit patrem, & eſt maledictus à Deo qui exaſperat matrem.* juſto Dei judicio id accidiſſe probabis. Permiſit itaque Deus puerum hunc pro ſua inobedientia flagellari; ſed ſolita pietate non eſt paſſus eum ſub eodem verbere diutius immorari: ut ex hoc quiſque intelligat, quantum inobedientia periculum pariat, atque ad obediendum parentibus quantum ſe ſe humiliter ſubdere debeat.

THEOPHILUS. Verba reſponſionis tuæ ſatisfeciſſe videntur interrogationi meæ.

XIX. Fratres à Monaſterii ruina educti.

DESIDERIUS. In diœceſi Teatini Epiſcopatûs eſt Monaſterium nobile juxta radicem Majellici montis, in honorem ſancti Liberatoris [a] conſtructum, & huic noſtro Caſinenſi Cœnobio ſubditum, ubi magna Fratrum multitudo commorantes, juxta almi beati Benedicti mandatum, Chriſto Domino vero Regi militantes deſerviunt.

Quodam igitur tempore, dum Fratrès in eodem Monaſterio in noctis ſilentio juxta morem quieſcerent, quidam reverendus vir monaſtico indutus habitu apparuit uni eorum, eumque exhortans, ut velociter de lectulo, in quo jacebat, ſurgeret. Cúmque ille ad ejus imperium expergefactus perniciter ſurrexiſſet, inquit ad eum: Accelera & excita omnes Fratres, ut velociter ſurgant, atque ad eccleſiam pergant, magnis clamoribus inſta: quia hæc in qua quieſcunt cella, ſub omni eſt celeritate caſura. Ille autem juſſis obtemperans, magnis

[a] De Monaſterio ſancti Liberatoris in diœceſi Teatina vide Leonem Oſtienſem in Chron. lib. 1 cap. 44, & eruditiſſimum Lucium Camarram de antiquis rebus Teatinæ civitatis. Quod hic in illo eveniſſe dicitur, legitur etiam in ſermone mſ. Petri Diaconi de octava ſancti Benedicti, uti & miraculum ſequens.

voribus clamare cœpit: Surgite, inquiens, Fratres, ſurgite, atque ex hac Circ. ann.
cella, quia protinus ruitura eſt, quantocius exite: ne moram in ea amplius DCCC
facientes, à ruinis, quod abſit, opprimamini. Cum igitur illi expergefacti, LXXXIII
ejus à clamoribus turbati, unde hæc noſſet, inquirerent; ille quæ viderat, Dec. IV.
quæve ſibi dicta fuerant, ordine retulit. Mox itaque Fratres inde celeriter exeuntes, eccleſiam intraverunt, nocturnamque ſynaxim more ſolito, pulſatis ſignis Domino decantare cœperunt. Cúmque intentis mentibus officia conſueta perſolverent, ſubitò prædicta domus dato magno ſtrepitu funditus corruit. Exterriti Fratres feſtinè pergunt, ſolliciti ne quis eorum illâ ruinâ oppreſſus eſſet, inquirere: & cùm delapſam materiam hucillucque devolverent, invenerunt unum è Fratribus ſenectute gravatum ſub ruinis undique circumjacentibus incolumem remanſiſſe, extractumque foras quonam modo evaſiſſet, curioſè interrogaverunt. At ille: Cùm domus, inquit, funditus ſatiſcens ſuper me dilaberetur, ſubitò quidam ſplendidus vir, monaſtica veſte indutus, mihi adſtitit, ipſamque ruinam jam jamque ſuper me ruentem meque opprimere minitantem, brachio ſuo ſuſtentans, incolumem, ut ipſi cernitis, conſervavit. Qui videlicet beatus Benedictus fuiſſe creditur, qui & antea paterna pietate dominicum gregem ſub ſuo magiſterio militantem, ſua admonitione & protectione eripuit, & ſenem fugere non valentem manu ſollicitudinis ſuæ defendit.

XX. S. Benedictus moribundo adſtat.

Quidam etiam Frater in eodem Monaſterio Johannes dicebatur, qui ætate ac ægritudine preſſus, extremum vitæ ſpiritum trahebat. Cùm igitur quadam die aliqui ex Fratribus more ſolito decantaturi matutinas laudes ad eum veniſſent, ille eos voce qua potuit, compeſcuit dicens: Nolo, inquit, ut mihi canonicas horas ampliùs decantetis, quia dominus Abbas cum multis Fratribus albis veſtibus indutis ad me modò gratiâ viſitandi venerunt, mihique matutinale officium decantantes poſt paullulum ſe huc venturos, meque ſecum adſumturos eſſe dixerunt. Dum itaque Fratres qui ad eum venerant, ad ejus viſionem intenti, & ſi vera eſſent quæ retulerat, ſollicitè præſtolarentur; poſt unius horæ ſpatium Frater ille magna cum exſultatione emiſit ſpiritum. Ex quo animadvertere poſſumus beatum Patrem Benedictum fuiſſe, qui ei cum illa albatorum concione apparuit, eumque ſecum, ut promiſerat, adſumſiſſe. Hæc quæ retuli, in quadam veteri pagiuncula imperito ſatis ſtilo exarata reperi, noſtroque nunc aſſociare libello ſtudui.

XXI. Lampades caſu inextinctæ.

Quia verò omnipotens Deus non tantùm in magnis, ſed etiam in minimis rebus aliquando oſtendit mirabilia ſua, ut fides credentium magis ac magis augeatur, ac in laudibus Creatoris ſui univerſa creatura prorumpat, cùm in cùnctis uſui humano conceſſis paterna pietate curam habere conſpicitur; quid de lampadibus in hac eccleſia noſtris temporibus actum ſit, ſicut à GREGORIO venerabili Monacho, qui ejuſdem eccleſiæ cuſtos adhuc ſupereſt, didici, ex parte referre non negligam.

Cum [a] quadam die unus è cuſtodibus lampadem in oratorio ante altare igne admoto accendiſſet, eamque ſurſum pæne uſque ad laquearia elevaſſet; repentè delapſa, ante altare in pavimentum cecidit. Mirabilis Deus in factis ſuis! non ſolùm fracta non eſt, ſed nec oleum effuſum, nec ignis in ea accenſus exſtinctus eſt.

Alio tempore cùm præfatus Gregorius lampadem ante imaginem Salvatoris, quæ ſupra fores eccleſiæ depicta erat, vellet reficere, invenit eam extenſis uncinulis ita in aëre dependere, ut nulla prorſus materia ſuſtentaretur,

[a] Ea quæ de lampadibus referuntur, confirmat etiam Leo Oſtienſ. in Chron. lib. 3 cap. 18, & Petrus Diaconus in ſerm. mſ. de oct. S. Benedicti. Affine his miraculis eſt, quod de S. Martino hauſtum ex Severo Sulpicio dialog. 3 cap. 3, verſu expreſſit Venantius Fortunatus lib. 4 de vita ſancti Martini.

Lapſa pavimento ampulla ſtat marmore tenſo:
Sed nec ſaxa vitrum perdunt, nec vaſa liquorem.

Circ. ann. DCCC LXXXIII Dec. IV.

Qui mox convocatis Fratribus, qui propè adſtabant, eis ut tanti teſtes miraculi eſſe deberent, quod miratur, oſtendit.

Præterea alio tempore in hac eadem eccleſia beati Benedicti ea nocte quæ præcedebat diem, qua ejus feſtivitas agebatur, ſicut ab eis qui huic miraculo interfuêre, accepi; dum ad vigilias unus è cuſtodibus lampadem ante imaginem ejuſdem beati Benedicti reficeret, repentè delapſa in pavimentum corruit, ac illæſa permanſit. quæ iterum ter ſurſum elevata ter cecidit: &, quod mirabilius eſt, nec ipſa frangi, nec oleum effundi, nec lumen in ea accenſum exſtingui, divina conſervante virtute, potuit.

Plura ſunt in hujus Monaſterii oratorio ex lampadibus hujuſmodi facta miracula: quæ quia valde ſimplicia ſunt, ſuperfluum ſcribere duximus. Hæc autem idcirco ſcripſimus, ne, quia parva ſunt, omnino contemni viderentur. Unum autem, quod in ſuperiori libro à memoria excidit ſuo in ordine referre, in quo me tibi narrare promiſeram, qualiter omnipotens Deus hoc Monaſterium ſæpe de tyrannorum manibus eripuerit; in hoc ſecundo, ne à memoria laberetur, ſcribere opportunum duximus.

XXII. Nortmanni direptores puniti.

Dum prædeceſſoris noſtri Athenulfi [a] tempore prædia hujus Monaſterii acriter ab Aquinenſi Comite infeſtarentur, & neque Monachorum precibus, neque reverentiâ almi Patris Benedicti qui fundator ac ædificator hujus Cœnobii exſtiterat, animus ejus emolleſceret, ut ab hujus loci læſione ſe aliquo modo temperaret; prædictus Abbas neceſſitate compulſus, poſtquam vidit ferocem viri animum nullo modo mitigari poſſe, aliquot ex Nortmannis qui tunc temporis conductu noſtrorum Principum Italiam adverſabant, in poſſeſſiones hujus Monaſterii, quatenus eas à prædicto Comite per eos tueretur, induxit. Qui poſtquam & domos ad manendum, & ſtipendia quibus ſuſtentarentur, abunde percêpere, cœperunt quæque Monaſterii pertinentia; more ſtrenuorum militum, inimicis longè repulſis, circumcirca nobiliter fideliterque defendere. Igitur cùm prædictus Abbas, & qui ei in regimine ſecundo gradu ſucceſſerat, ſupervixere, conducti milites ſatis honeſtè in eorum fidelitate manſerunt; poſtquam verò ipſis hac vita ſubtractis, fortuna noſtrorum Principum mutata aliquantulum vacillare cœpit; Nortmannica cohors, quæ ob noſtram defenſionem admiſſa fuerat, nobis infida atque adverſa paullatim eſſe cœpit. quæ quotidie ad noſtram perniciem, ut canis & ſerpens, modò hæc, modò illa nobis auferens, ad dominationem ſui juris ſacrilega ducti cupiditate devolvunt. Unde factum eſt, ut ex tanta tamque ampla poſſeſſione, nihil aliud ad noſtri commodi uſus, præter civitatem *, quæ ad radicem Caſini montis ſita eſt, cum quatuor vel quinque villarum fundis, remanſerit: qui etiam (ſicut barbarica avaritia neſcit tenere modum) quotidie ab eis oppreſſi, illis opes auferentes nobis miſeriam atque inopiam tribuebant. Cùm igitur per aliquanti ſpatium temporis ſine ulla animi pietate id inceſſanter agerent, & miſericors ac pius Dominus ſervis ſuis fame atque inopia laborantibus ſua benignitate ſubvenire decreviſſet; beatiſſimus Pater Benedictus cuidam ruſtico in agello cujuſdam noſtræ villulæ commoranti per viſionem apparuit, eique ut egrediens ſe ſequeretur juſſit. Cumque idem ruſticus ad eamdem viſionem animum intenderet, viſum eſt ei, quòd beatiſſimus Benedictus cunctos Nortmannos, qui ejus bona invaſerant, cum virga quam manu geſtabat, potenti virtute à finibus hujus terræ expelleret, eoſque vacuos rebus, oneratoſque ignominia à ſui hereditate Monaſterii eliminaret. Eodem itaque anno præfata cohors Nortmannica ampliùs quàm ſolebat per audaciam inſoleſcens, ad noſtram calamitatem, arcem quæ ſancti Andreæ nuncupatur, ut ſecuriùs nobis ſublata retinere poſſet, occupavit. quæ

* id eſt oppidum ſancti Germani

[a] Athenulfus Abbas ſedit ab anno DCCCXC, & vixit uſque ad DCCCXXII quo tempore contigerunt ea, quæ narrat Deſiderius. Vide Leonem Oſtienſ. in Chron. lib. 1 cap. 71. & Petrum Diac. in ſerm. de oct. ſancti Benedicti.

utique

utique res illorum animum ad dominationem, noſtrum ad deſperationem adduxit. Poſtquam ergo eadem arce potiti ſunt, quadam die in unum conglobati, magna cum ſuperbia in præfatam Caſini civitatem venientes intraverunt: ibique nutu Dei à populo civitatis oppreſſi, aliquanti eorum vel occiſi vel capti ſunt, ceteri autem qui remanſerunt, in munitionem prædictæ arcis fugientes ſe contulerunt. Igitur habitatores hujus terræ unanimiter facto grege, vicinis undique auxiliantibus, ad obſidionem ejuſdem arcis animum intendunt. (Mira dicturus ſum) obſidione facta, dum jacula ex utraque parte acriter impulſa mitterentur, Nortmannorum pila velut à ventorum flamine retorta, eos à quibus miſſa fuerant, ſauciabant. Quid multis opus eſt? cùm ſe à ſemetipſis ita impugnari conſpicerent, & jam ampliùs reſiſtere minimè valerent; cernentes durum ſibi eſſe contra ſtimulum calcitrare, & quod contra ſe divinam dexteram dimicare cognoſcerent; facta deditione in manibus Abbatis & Monachorum ſe tradunt; à quibus vix defenſi, ad ſocios, qui in Averſano opido commorabantur, remiſſi ſunt. Sicque factum eſt, ut ab eo tempore, beati Benedicti meritis hæc in qua degimus terra, ab eorum infeſtatione illæſa permaneat, atque ſub ipſius Sancti tutamine ſecura perſiſtat. Circ. ann. DCCC LXXXIII. Dec. IV.

Modus libelli hujus nos ad finem tendere cogit. Sed bonum obedientiæ quæ inter ceteras virtutes prima eſt, non ſinit nos virtutem cujuſdam Fratris, qui eam tota cordis humilitate uſque ad mortem quoque ſectatus eſt, penitus ſilentio præterire: illum videlicet imitans, qui factus obediens Patri uſque ad mortem, obedientiæ nobis pariter ac patientiæ reliquit exemplum. XXIII. Obedientia occiſi Monachi miraculis illuſtrata.

Qui videlicet Frater hujus noſtræ congregationis RAINERIUS [a] nomine, juvenis quidem ætate, ſed moribus grandævus fuit: cui multi ex Fratribus qui adhuc ſuperſunt, & eum optimè noverunt, teſtimonium perhibent, quòd tantæ humilitatis tantæque obedientiæ fuerit, ut ex hoc mirabilis ab omnibus haberetur. Cui dum quadam die eſſet ab Abbate ſuo injunctum, ad aliquod opus pro utilitate Monaſterii peragendum, Teatinum adire territorium; ille læto, ut ſemper, animo ad obedientiam promtus, juſſa implere feſtinans, iter aripuit. Qui dum pergeret, & aliquanti jam itineris ſpatium profligaſſet, à latrunculis cujuſdam potentis viri Oderiſii, qui ex præcepto ejus, ſi quid ex Monaſterii hujus rebus diripere poſſent, viam obſervabant; omnibus quæ deferebat ſublatis, interfectus eſt. Cujus quidem corpus, vel propter inimicorum inſidias, vel quia longè erat, ad hoc Cœnobium deferri non potuit, ſed in quadam eccleſia juxta poſita humi traditum eſt. Sed quantum illius obedientia omnipotenti Deo fuerit accepta, ad exſtinctum ejus corpus oſtendere eſt dignatus. Cœperunt itaque multi infirmitate detenti ad ejus ſepulcrum properare, & recepta ſanitate ad ſua incolumes remeare. inter quos ATTO [b] Comes, magni Attonis Comitis filius, præfati quoque Oderiſii gener, cùm graviter detentus à febribus fatigaretur, ad ſepulcrum iſtius fama ducente venit; ibique in oratione proſtratus, recedente febre ita ſanus ſurrexit, ut malæ illius valetudinis, quâ antea laborabat, nihil prorſus in ſe ſentiret. qui pro recepta ſanitate gratias referens, ob retributionem tanti muneris optimo ſuper ejus ſepulcrum oblato pallio, gaudens diſceſſit.

Et quoniam de mirabilibus Dei cœpimus facere mentionem, quod mihi ipſi contigit, ſilentio prætereundum non duxi, dicente Scriptura: *Quòd ſecretum Regis abſcondere bonum eſt, opera verò Dei manifeſtare ac revelare honorificum eſt.* Cùm intra annos pueritiæ poſitus vi febrium laboratem, beatæ me- XXIV. Auctori febris fugata. Tob. 12.

[a] De Rainerio Monacho Caſinenſi occiſo à latronibus agit quoque Petrus Diaconus in lib. de ortu Juſt. Caſinenſ. cap. 45.

[b] Vivebant anno Domini M LXII, & fuerunt Italorum duces adverſus Nortmannos. Vide Guilielmum Apulienſem lib. 2 rerum in Italia ac Regno Neapolit. Nortmannicarum.

Circ. ann. DCCCLXXXIII. Dec. IV.

moriæ JOHANNES reverendæ dignitatis Sacerdos, qui tunc in noſtra Beneventana urbe in Dei ſervitio celebris habebatur, viſitationis gratiâ ad me properans venit. Cumque paululum cum ceteris qui advenerant, conſediſſet, & me vehementiùs à tertiano typo urgeri conſpiceret; motus caritate quam erga me habebat, ſurrexit, ac perfuſus ora lacrymis lenta voce Dominum invocans, manum capiti meo impoſuit, & febris, quæ me acriùs infeſtabat, mox effugata diſceſſit.

XXV. SS. Protus & Hyacinthus apparent in Monaſterio S. Pauli.

Ea etiam, quæ LEONE [a] Abbate Monaſterii ſancti Pauli Apoſtoli ſecundo ab urbe Roma miliario conſtituti, ubi ſacratiſſimum ejus corpus ſignis prodigiiſque coruſcans veneratur & colitur, referente cognovi, in calce hujus libelli ſcribere curabo. Dicebat enim, quod ſibi ADAM reverendiſſimus valde Monachus & cuſtos eccleſiæ hujus noſtri Monaſterii retulerit, quia quadam die dum idem venerabilis Adam portam Monaſterii ad aliquod opus faciendum eſſet egreſſus, duo juvenes in habitu Monachi, ſibi in ipſo introitu Monaſterii obviaverunt. Cumque ſalutatos eos ſtudioſè qui eſſent, inquireret, audivit ab eis, quòd unus eorum Protus, alter verò Hyacinthus diceretur. At ille obſtupefactus, cur veniſſent, cùm percuntaretur, illi inquiunt: Ad Fratres, qui hodie noſtri memoriam mente devota recolunt, viſitandos venimus. Erat enim ea dies, quâ pro Chriſto effuſo ſanguine palmam martyrii ipſo donante meruerunt. Cùm ergo attonitus paullulum ſubſtitiſſet, ac illi cœpto itinere Monaſterium eſſent ingreſſi, ad ſe reverſus, certiùs quod audierat, cognoſcere volens, rapido eos curſu proſequitur. Dumque eos huc illucque per Monaſterium ſtudioſè requireret, ac minimè invenire poſſet; quoſque ſibi obviantes interrogare cœpit, ubi eſſent Monachi, qui modò ſecum loquentes Monaſterium eſſent ingreſſi. ſed illi nullum in Monaſterium introiſſe præter illum ſe audiſſe profeſſi ſunt. Qua de re apertè datur intelligi, eos qui ſibi apparuerant, ſanctos Martyres Protum & Hyacintum, quorum feſtivitas eo die celebrabatur, veraciter fuiſſe. Quæ omnia eodem ordine à FIRMO hujus Monaſterii veterano Monacho, nepote ſcilicet ipſius Adæ, quo ille mihi Romæ poſitus dixerat reverſus ad Monaſterium, acta fuiſſe percepi.

Hìc finem faciat hujus diei oratio: quatenus in honore tantorum Martyrum liber iſte concluſus, recreato per hujus noctis ſpatium animo, ad cetera quæ reſtant Sanctorum acta, ipſorum omniumque Sanctorum precibus adjuti, fideliter enarrando veniamus.

[a] Miraculum iſtud narratur etiam à Leone Oſtienſi in Chron. lib. 2 cap. 48, & à Petro Diacono in lib. de obitu Juſtorum Caſinenſium cap. 46. Dubium quod tangit hic Marus, cui tum ſubjectum fuerit S. Pauli Monaſterium, Congregationi Caſinenſi, an Cluniacenſi, aliàs expendendum.

LIBER TERTIUS.

De miraculis geſtis in aliis Italiæ locis.

EXPLETIS duobus Chriſti gratia comitante libellis, quos de miraculis Dei vel in hoc Cœnobio, vel in ſibi ſubditis cellis ipſo largiente patratis deſcripſimus, ad narrationem tertii concedente Domino veniamus. Et quia cetera quæ extra hujus Monaſterii clauſtra facta ſunt, quæque viſu vel auditu percepimus, in aliis duobus libellis adhuc exaranda remanent; operæ pretium mihi videtur ab ipſo capite Eccleſiæ exordium ſumere, ſicque poſtea ſeriatim ſtilo proſequente ad ſingula membra venire.

Dum igitur negligentiâ Sacerdotum Italia à recto religionis tramite paullatim devians labefactaretur, in tantum mala conſuetudo adolevit, ut ſacræ legis auctoritate poſtpoſita divina humanaque omnia miſcerentur: adeo ut populus electionem, & Sacerdotes conſecrationem, donumque ſancti Spiritus, quod gratìs accipere & dare divina auctoritate ſtatutum fuerat, datá acceptáque per manus pecuniâ ducti avaritiâ venderent: ita ut vix aliquanti invenirentur, qui non hujus ſimoniacæ peſtis contagione fœdati, mundi coram Deo præcepta dominica obſervantes exſiſterent. Itaque cum vulgus Clericorum per viam effrenatæ licentiæ nemine prohibente graderetur, cœperunt ipſi Preſbyteri ac Diacones, qui tradita ſibi ſacramenta dominica mundo corde, caſtoque corpore tractare debebant, laïcorum more uxores [a] ducere, ſuſceptoſque filios heredes teſtamento relinquere; nonnulli etiam Epiſcoporum [b] verecundia omni contemta, cum uxoribus domo ſimul in una habitare. Et hæc peſſima & exſecranda conſuetudo intra urbem [c] maximè pullulabat: unde olim religionis norma ab ipſo Apoſtolo Petro, ejuſque ſucceſſoribus ubique diffuſa proceſſerat.

Circa ann. DCCC LXXXIII Deci. IV. Eccleſiæ ſtatus.

Igitur dum per aliquot annos nonnulli ſolo nomine Pontificum cathedram obtinerent, Benedictus [d] quidam nomine, non tamen opere, cujuſdam Alberici Conſulis filius, Magi potiùs Simonis, quàm Simonis Petri veſtigia ſectatus, non parvâ à patre in populum profligatâ pecuniâ, ſummum ſibi Sacerdotium vindicavit: cujus quidem poſt adeptum Sacerdotium vita quàm turpis, quàm fœda, quámque exſecranda exſtiterit, horreſco referre: eo potiùs qualiter omnipotens Deus in faciem Eccleſiæ ſit dignatus reſpicere, exordia enarrare. Denique cùm rapinas, cædes, aliaque nefanda in Romanum populum aliquanta per tempora ſine ulla dilatione ageret, congregati in unum populi, quia ejus nequitiam ampliùs ferre nequibant, eum à Pontificatus cathedra exturbantes, urbe pellunt; alterumque in loco ejus, Johannem [e] videlicet Sabinenſem Epiſcopum, non tamen vacua manu, canonica parvipendentes decreta, ſubſtituunt. qui tribus non amplius menſibus Romanæ uſus eſt cathedræ ſucceſſione, Benedicto undique ſuis eum propinquis infeſtante urbem, quia ex Conſulibus tertæ ortus erat, & in eis maxima virtus; ur-

[a] Eo uſque peſtis illa Nicolaitarum iſtis ſæculis invaluerat, & præcipuè in Germania, ut inceſtuoſa conjugia Clerici non tantùm publicè inirent, ſed & impudentiſſimè propugnarent, cùm omnes penè per vitiorum abrupta præcipites, & tamquam furentis equi per voluptatum ſuarum campos ferebantur effrenes, præſertim ſi vera ſunt quæ Lambertus Schafnaburgenſis narrat de iſtis temporibus. Animadvertendum tamen eſt, non omnes Clericos ita in profundum incontinentiæ demerſos, ut uxores ducerent, ſed potiùs ex eis nonnullos magis incontinentes tumultuatos adverſus decretum Gregorii ſeptimi prædeceſſorum veſtigiis inhærentis de Clericorum continentia ſervanda, dicendo quòd melius eſſet nubere quàm uri; & dum conſuetum curſum naturæ negaret Gregorius, fornicationi & immunditiei frena laxaret. Sub hoc igitur prætextu uxores ducebant. Unde verè Sacerdotibus illius ævi contigit, quod dixerat Propheta Malachias primo: *Vos receſſiſtis de via, & ſcandalizaſtis plurimos in lege: irritum feciſtis pactum Levi, propter quod & ego dedi vos contemtibiles & humiles in omnibus populis.* Vide opuſc. 5. B. Petri Damiani, quod inſcribitur de privilegio Rom. Eccleſ. Baron. anno 1074 num. 18, 29, 57, & Bellarm. de Clerie. cap. 19.

[b] Tullenſis enim ſpecialiter Epiſcopus fuit vocatus à Gregorio VII in Synodo anno 1074 ad dicendam cauſam de ſimonia, & cohabitatione cum muliere, quam habebat ut conjugem. O pudendum illius ſæculi! Vide Baron. ad ann. 1074 num. 57.

[c] Stephanus Papa X zeli Phinees æmulator ardorem, omnes Clericos Romæ, qui poſt interdictum Papæ Leonis IX incontinentes exſtiterant, inter quos forſan aliqui uxorati, aut ut potiùs dicam publici concubinarii exſiſtebant, de conventu Clericorum & choro eccleſiæ præcepit exire. Pudor enim & honeſtas perierat: & dum eccleſiaſtici vigoris ſenſim diſciplina collabebatur, inundans vitiorum ac pravitatum omnium in dies peſtis augebatur. Vide Baron. ann. MLVII num. 15 & ſeq.

[d] Benedictus hujus nominis nonus, qui & Theophylactus, Alberici Comitis Tuſculani filius, puer duodecim annorum, largitione ac tyrannide patris Pontifex in ſedem Romanam intruditur anno Domini MXXXIV. O facinus toto lacrymarum fonte lugendum! Qualis deinde fuerit iſte Benedictus, & quàm turpi vitæ deditus unà cum ejus infelici ad inferos damnatione, qui ſcire cupit, legat Baron. ad ann. MXXXIII & ſeq. Ciaconium in vita Benedicti, alioſque de vita Rom. Pont. ſcribentes. Horrendum certe ac deteſtabile erat viſu videre ſedentem in eminenti Petri ſolio puerum. Quid enim non patitur Eccleſia, ſi Principes ſe immiſceant in jura non ſua! quæ non tentat flagrans Præfecturæ cupiditas!

[e] Johannes Epiſcopus Sabinenſis, qui Silveſter tertius Antipapa dictus. Baron. ad ann. MXLIV num. 2.

CIRC. ANN. DCCC LXXXIII DEC. IV. be cum dedecore pulſus, ſuum ad Epiſcopatum reverſus eſt. Benedictus igitur quod amiſerat Sacerdotium recepit: priſtinos tamen mores minimè mutavit, ſecundùm quod ſcriptum eſt: *Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit,* Prov. 22. *non recedet ab ea.* Et quia durum eſt in corde veteri nova meditari, in eiſdem pravis & perverſis operibus, ut antè, perſeverabat. Cumque ſe à Clero ſimul & populo propter nequitias ſuas contemni reſpiceret, & fama ſuorum facinorum omnium aures impleri cerneret, tandem reperto conſilio [a] (quia voluptati deditus, ut Epicurus magis quàm ut Pontifex vivere malebat) cuidam JOHANNI [b] Archipreſbytero, qui tunc in urbe religioſior ceteris Clericis videbatur; non parvâ ab eo acceptâ pecuniâ ſummum Sacerdotium relinquens, tradidit: ipſe verò in propriis ſe caſtellis recipiens, urbe ceſſit. Interea Johannes, cui GREGORIUS nomen inditum eſt, cùm duobus annis & octo menſibus Sacerdotium adminiſtraſſet, Henricus Rex, qui tunc Germaniæ, Pannoniæ, Saxoniæ ac Italiæ imperabat, ad ſuſcipiendam de manu Romani Pontificis imperialem coronam, quatenus deinceps Auguſtus appellari poſſet, Italiam ingreſſus, Romanam adiit urbem. Sed antequam urbem ingrederetur, plurimorum Epiſcoporum necnon Abbatum, Clericorum quoque ac religioſorum Monachorum, in Sutrina urbe Concilio congregato, Johannem, qui Gregorius dictus eſt, miſſis ad eum Epiſcopis, ut de ecSchiſma 19. cleſiaſticis negotiis, maximéque de Romana tunc Eccleſia, quæ tres ſimul habere Pontifices videbatur, ipſo præſidente tractaretur, venire rogavit. Sed hæc de induſtria agebantur. jam enim dudum regio animo inſederat, ut tres illos, qui injuſtè apoſtolicam Sedem invaſerant, cum conſilio & auctoritate totius Concilii juſtè depelleret, & unus qui ſecundum ſtatuta ſanctorum Patrum dominico gregi ſollicitè præeſſet, Clero & populo eligente ordinaretur. Prædictus itaque Pontifex exoratus à Rege ceterique Pontificibus, Sutrium, ubi Synodus congregata erat, allectus ſpe, quòd aliis duobus depoſitis, ſibi ſoli Pontificatus confirmaretur, gratanter perrexit. Sed poſtquam eo ventum eſt, & res agitari ac diſcuti à Synodo cœpta eſt, agnoſcens ſe non poſſe juſtè honorem tanti Sacerdotii adminiſtrare, ex pontificali ſella exſiliens, ac ſemetipſum pontificalia indumenta exuens, poſtulatâ veniâ, ſummi Sacerdotii [c] dignitatem depoſuit.

Poſt hæc Rex urbem ingreſſus, congregato in eccleſia beati Petri Apoſtoli Romano Clero & populo, unà cum Epiſcopis, qui in prædictam convenerant Synodum, communi conſilio CLEMENTEM [d] Bambergenſem Epiſcopum elegerunt, quia in Romana Eccleſia non erat tunc talis reperta perſona, quæ dignè poſſet ad tanti honorem ſufficere Sacerdotii: eumque in apoſtolica Sede ad regendum dominicum gregem inthronizantes conſtituunt. Quo non ampliùs novem menſibus Sacerdotio functo ex hac vita decedente, DAMASUS [e] ex Germania oriundus, fultus auctoritate regia eidem ſucce-

a Benedictus ſuaſu ſancti Bartholomæi Abbatis Cryptæ Ferratæ, diſcipuli ſancti Nili ceſſit ſede.

b Multa congerit Marus hoc loco ad probandam hujus Gregorii VI innocentiam, quod etſi quidam pecuniæ largitus ſit ad obtinendam dignitatem, hæc tamen largitio licita fuerit, non ſimoniaca, probantibus Caſuiſtis. Othonem Friſingenſem, Petrum Damiani, & Gregorium VII, immo Deum ipſum miraculo atteſtatum eſſe ejus innocentiæ, ut propterea immeritò à Concilio Sutrino depoſitus ſit anno MXLVII, & ex falſo vulgi rumore à Deſiderio noſtro ſugillatus. Quamquam Deſiderius ſobriè omnino agit de Gregorio, & Deo non accepta fuiſſe videatur ea pecuniæ largitio, quæ corruptis illius temporis moribus obſecundabat, ſed ſpontanea dignitatis ceſſio.

c Videns Gregorius Papa ſanctiſſimus fore conflandum dirum ſchiſma, niſi Pontificatui renuntiaſſet, imitatus ipſe Gregorius Gregorium Nazianzenum, qui ob pacem conciliandam Eccleſiæ, ſponte ſe abdicavit, & ipſe eodem animo, eademque virtute, Pontificia ſede ſponte ceſſit: ſic enim illa temporum iniquitas poſtulabat. Marus, & quæ ſequuntur.

d Clemens ſecundus, nomine Suidigerus, Bambergenſis Epiſcopus, creatur Papa anno Domini MXLVII, veneno propinato, ut quidam ſcribunt, confectus, ultra Montes è vita improvisò migrat nono die Octobris feriâ ſextâ.

e Henricus tertius Imperator Popponem Epiſcopum Brixinenſem magni nominis, Romam Pontificem conſecrandum mittit ann. MXLVIII, & Damaſus ſecundus appellatur. Fuit in dies, ut quidam tradunt, Julii menſis decimus-ſeptimus Dominicus: & Præneſte die nona Auguſti feriâ tertiâ è vita exceſſit. Funus in urbem relatum, & ad eccleſiam ſancti Laurentii extra muros conditum eſt. Veneno ſublatum opera Benedicti noni ſedis invaſoris quidam referunt.

dens, Sacerdotium eſt adeptus, quique non ampliùs quàm viginti & tribus diebus Sacerdotio adminiſtrato, diem clauſit extremum. Huic ſucceſſit LEO[a], de quo nobis eſt ſermo præ manibus, vir per omnia apoſtolicus, regali genere ortus, ſapientiâ præditus, religione conſpicuus, omnique eccleſiaſtica doctrina apprimè eruditus, ac qui (quemadmodum ſcriptum eſt) cœpit invocare nomen Domini: quémque etiam vidi, ejuſque familiaritatem habere merui: ſæpe etiam eo in eccleſia Miſſas celebrante, cum illo ad divinum altare ſacris indutus veſtibus ſteti, eique Evangelium legi. à quo omnia eccleſiaſtica ſtudia renovata ac reſtaurata, novaque lux mundo viſa eſt exoriri. Circ. ann. DCCC LXXVIII Dec. IV. Leonis IX. laus.

Hic ſæpe ſacerdotale conſilium advocans, Sacerdotes, Diaconos & reliquos Clericos non regulariter ordinatos removit, & in eorum locis ad veri & ſummi Dei cultum, qui dignè miniſtrare poſſent, conſtituit. Quotidie quoque per ſe ſuoſque diſcipulos ubique miſſos, populis viam Domini litteris & verbis prædicans oſtendebat. qui per apoſtolicam viam ſemper gradiens, apoſtolicos etiam viros in miraculis eſt imitatus. De quo quidem plura audire me contigit: ſed multis occupatus negotiis, ſingula quæque diſcutere non valens, pauca referre de pluribus ſatagam: ut per hæc, quanti vir iſte meriti fuerit, quicumque in poſterum legerit, agnoſcat.

GREGORII[b] itaque Pontificis, qui ab eo educatus ac Subdiaconus ordinatus, nunc autem in Romana urbe culmen apoſtolicum tenens, Chriſti Eccleſiam verbis ſimul & exemplis illuſtrat, didici relatione, quæ narro. cujus utique verbis ita me credere oportet, acſi ego inpræſentiarum adfuiſſem, oculiſque vidiſſem. Dum quodam tempore prædictus Leo venerabilis Pontifex eccleſiaſticis intentus negotiis in Gallia moraretur; à quodam Abbate Monaſterii ſancti Confeſſoris Chriſti Remigii lignarium poculum benedictionis causâ oblatum ſuſcepit: quod videlicet pro amore tanti Pontificis valde diligebat, ac in eo refectionis horâ in menſa ſedens, aureis & argenteis poſthabitis, bibere conſueverat. Igitur dum quadam die ad menſam ſedenti pincerna ex more poculum vellet porrigere, quâ neſcio negligentiâ tenentis de manu cecidit, moxque confractum in partes eſt. Cùm denique beatiſſimus Papa bis terque vinum requireret, & pincerna hac de cauſa venire differret; nuntiatum eſt ei, quòd poculum in quo bibere conſueverat, de manu ferentis decidiſſet, fractumque fuiſſet. quod ille audiens valde triſtatus eſt, non tantum damno ſcyphi, quantum quòd vaſe de Monaſterio ſancti Remigii benedictionis causâ accepto, ſe fruſtratum cernebat, ſibique adſtantibus; Fractum mihi, inquit, ſcyphum adferte. Cumque ſibi allatum fuiſſet, cernens utramque fracturam, omnipotentem Dominum deprecatus eſt, ut meritis beati Remigii fractum ſibi ſcyphum, quem pro amore ejus tantopere diligebat, reſtitueret. Moxque alteram partem alteri adjunxit, ſicque eodem momento ſolidatus[c] eſt, ut nullum in eo, quòd fractus fuiſſet, indicium remaneret, cunctis qui aderant, admirantibus, ac in ejus veneratione acclamantibus. Ille non ſuis hoc, ſed beati Remigii meritis imputare cœpit: cujus de Monaſterio caritatis gratiâ id munus acceperat. I. Miracula. Scyphus fractus refectus.

THEOPHILUS. In hoc utriuſque alteriuſve miraculo illud beati Pauli Greg. lib. 2 Dial. c. 2.

a Leo omnes in ſummum Pontificem eligitur anno Domini MXLIX, antea vocatus Bruno, Tullenſium Epiſcopus, Hugonis filius, Comes de Dagsburg, &c. Monachus Tulleaſis Congregationis Cluniacenſis ex nobili Francorum proſapia oriundus Idibus Februarii fuit Romæ conſecratus, auditâ priùs Angelorum voce cantantium: Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis. Marus. De Leone agemus in Sæculo noſtro VI.

b Is fuit Gregorius ſeptimus, antea Hildebrandus, natione Tuſcus, creatus anno Domini MLXXIII. obiit verò ann. MLXXXV. cujus ſanctitas veneratur in Martyrologio Romano, ſub die XXV Maii, lì è à Schiſmaticis & Hereticis, ac præcipuè à Melchiore Haiminsfeldio Goldaſto in ſuis conſtit. imperial. edit. MDCVII adverſus Gregorium delatrantibus ſimoniæ inſimulatus fuerit: ad quam deinde calumniam depellendam Gregorius perceptione divinæ Euchariſtiæ ſuam probavit innocentiam, &c. Marus. De Gregorio VII agemus ſuo loco.

c Sancti Leonis Papæ de fracto calice miraculum recitatur etiam in ejus Vita, quæ dabitur in Sæculo 6 ad annum MLIV, quo obiit.

Circ. ann. DCCC LXXXIII Benedicti de re licèt diſſimili, ſimiliter audio, primum renovari miraculum, dum in partes diviſum rejunxit capiſterium.

Dec. IV. II Simonia cælitus detecta. DESIDERIUS. Interim te, cariſſime frater, ſilere oportet, quatenus intentus animo adhuc de illo majora cognoſcas. Aliq itaque tempore (ſicut mihi præfatus Papa Gregorius retulit) quidam Galliarum Epiſcopus ab eodem Pontifice Leone fuerat Epiſcopi honore ſuſpenſus: cujus quidam Preſbyter, GIBERTUS nomine, facundus ſermone, & litteris haud mediocriter eruditus, eidem promiſerat Epiſcopo, ſe Romam venire, atque callidis ſuis adſertionibus eumdem beatum Pontificem decipere, eique ſublatum officium reſtitui impetrare: ſicque ab eo acceptâ pecuniâ Romam venit. Cúmque ſe beatiſſimo Pontifici præſentaſſet, cœpit ſe huc illucque ut callidus ſerpens vertere, Epiſcopum ſuum verbis rhetoricis excuſare, blandis & humillimis precibus, ut interdictum officium injuſtè, ut adſerebat, ablatum deberet reſtitui, flagitare. Sed cùm id quod petebatur, ſibi denegatum fuiſſet, nec eum ut ſperaverat, decipere poſſet: ne ad Epiſcopum ſuum, à quo non parvam acceperat pecuniam, ſine effectu reverti videretur, aliud exquiſivit ingenium. adiit apoſtolicæ Sedis Cancellarium, eique oblato pretio perſuaſit, ut ſibi furtivas litteras, & apoſtolico ſigillo ſignatas, ad ſuum Epiſcopum deferendas tribueret, quæ & epiſcopale officium, & gratiam apoſtolicæ Sedis ſibi redditam ſignificarent. Quæ res beatum Leonem minimè latuit, moxque prædictum Preſbyterum advocans, acceptâ quam obtulerat pecuniâ, eique in ma-
Act. 8. num mittens, dixit: Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quia donum Dei furtim tentaſti pecuniis poſſidere. Cujus ſermonem divina ultio mox ſecuta
a eſt, ita ut amiſſa [a] mente ab illa die uſque nunc, ubique vagabundus, incedat, nec ulla domus, vel clauſtra, ultra duos vel tres dies eum valeant retinere.

Qua de re apertè datur intelligi, quòd quiſquis temerario auſu, vel decipere, vel ad iracundiam provocare tentaverit eum qui in juſtis habitat, procul dubio Dominum offendit: cujus & vindicem iram in ſe ſentiat, quam non expertam temere devitare neglexerat.

THEOPHILUS. Ita eſt ut adſeris: ſed quæſo te de virtute tanti Patris, ſi qua adhuc occurrunt animo, incunctanter proſequere.

III. Leonis Papæ mors. & miraculum linguæ muto redditæ. DESIDERIUS. Dum beatiſſimus Pontifex LEO quinque per annos divinitus ſibi conceſſum Sacerdotium piè ac religioſiſſimè adminiſtraret, ab hac inſtabili luce ad Chriſtum, qui vera & æterna lux eſt, cælorum lætantibus civibus, angelicis ſubvectus manibus, commigravit. Et illi quidem Paradiſus patuit Sanctorum recepto conſortio: ſed infelix mundus, qui talem Pontificem diu habere non meruit. Cujus poſt obitum multa & magna ad ejus tumulum, aliiſque in locis per eum Domino tribuente claruere miracula. E quibus omiſſis ceteris duo tantùm (quia ad aliorum geſta narranda feſtino) ædificationis gratiâ huic libello ſubnectam.

b VICTOR [b] Papa, qui in regimine ſacerdotali ei ſucceſſerat (ſicut à veridicis viris nobis relata ſunt) auditâ famâ miraculorum ejus: quod per eum Dominus talia operaretur, fidem non accommodabat. Sed quia, ut ait Apo-
1. Cor. 14. ſtolus, *linguæ in ſignum ſunt non fidelibus, ſed infidelibus;* omnipotens Dominus experimento eum docere voluit, quæ audita à pluribus minimè credere volebat.

a Refertur etiam hoc miraculum à Baronio anno Domini 1049 num. 29 Gravitatem verò criminis ſimoniæ demonſtravit pariter etiam ſupplicium Juſtini Imperatoris, qui in phreneſis morbum & inſaniam incidit: ita ut nihil quidquam earum rerum, quæ fierent, intelligeret Nicephor. 17. hiſt. cap. 31 & 39 Antiochus quoque hujuſmodi ſupplicio punitus refertur 2 Mach. 9. Cur igitur non diſſolvuntur renes eorum formidine, qui modò non timent, ſed perfricta fronte impietatem profitentur; dum hi, qui in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis confidunt, tamquam phrenetici ac mente capti deinde conſpiciantur, verumque experiantur illud dictum: Homo per ea quæ peccat, per eadem torquetur. O quam terribilis Deus in conſiliis ſuper filios hominum!

b Victor ſecundus creatur Papa anno 1055.

Curienſis quidam Epiſcopus, cujus nomen [a] è memoria excidit, cum ſuprà memorato Pontifice Victore à Germania veniens, ejus in obſequio Romæ morabatur. hic puerum ab utero matris mutum habebat, quem pro mercede animæ ſuæ paſcens ac veſtiens, quocumque ibat ſecum ducere conſueverat: in cujus vacuo ore nec indicium quidem linguæ ineſſe videbatur. qui etiam Epiſcopus ex mirabilibus ad beati Leonis tumulum patratis, ſimiliter ut Papa, incredulum animum gerebat. Cùm igitur quadam die ad ſedem ſui Epiſcopatus jam acceptâ licentiâ reverti decreviſſet; eccleſiam beati Petri Apoſtoli orationis gratiâ ingreſſus, poſtquam beato Petro ſe attentiùs commendavit ſuis cum clientibus, equis adſcenſis, puero in eadem eccleſia oblito, feſtinus viam quæ eum ad ſuam ducebat patriam, egreſſus urbe gradiebatur. Cùm itaque longiuſculè adhuc eſſet ab urbe profectus, repentè ei in memoriam rediit, quòd mutum puerum in eccleſia beati Petri reliquiſſet. qui mox ſubſtitit, ac famulos ſuos, à quibus puer reduci deberet, quoſdam remiſit. Igitur cùm illi Apoſtolorum Principis baſilicam eſſent ingreſſi, conſpiciunt puerum ante tumulum beati Leonis ſtantem, atque cum his qui circumſtabant, loquentem. Illis itaque mirantibus & qualiter hoc ſibi eveniſſet, quærentibus, puer inquit: Poſtquam dominus meus hac in eccleſia me relinquens diſceſſit, huc ad ſepulcrum beati Leonis me contuli, ſi fortè omnipotens Dominus officium quo carebam vocis, meritis ejus mihi reſtituere dignaretur. Nec ſum meo, quod corde poſcebam, voto fraudatus; ſed mox ut ante ejus venerandam memoriam lacrymans aliquantulum proſtratus jacui, ilico recepta voce loquens, ut ipſi videtis, ſurrexi. Ab illa itaquè die, quod mirabilius eſt, cœpit in ore ejus lingua, quæ defuerat, paullatim creſcere, ita ut intra paucos dies pleno ore linguam perfectè reciperet, & verba ſine impedimento ſonaret. Denique qui miſſi fuerant, curaverunt puerum ad Epiſcopum ducere; & quem tacentem reliquerat, beati Leonis ſuffragantibus meritis ei loquentem adducunt. Regreſſus igitur Epiſcopus Romanum Pontificem adiit, & quid omnipotens Dominus per beatum Leonem operari dignatus fuiſſet, oſtendit. Extunc cœperunt ipſi ejus veneranda merita cunctis prædicare, quæ aliis antea referentibus non patiebantur audire.

CIRC ANN. DCCCLXXXIII DEC. IV.

THEOPHILUS. Placent quia mira ſunt, ſed magis quia nova ſunt.

DESIDERIUS. Illuſtris vir Maximus, Romanæ urbis civis, nuper retulit mihi de eodem venerabili Præſule quæ narro. Bernardus quidam peſſimæ mentis miles exſtitit, qui apoſtolicæ ſedi contrarium ſe in omnibus, quibus potuit, modis exhibebat. Sed in bello, quod à vicinis circa urbem manentibus, conjurantibus cum CADALOO [b] Parmenſi Epiſcopo, qui tunc apoſtolicam ſedem invadere tentabat, cum militibus qui Romanam Eccleſiam defendebant, commiſſum eſt, juſto Dei judicio, confoſſus interiit. Hic igitur auditâ famâ miraculorum, quæ omnipotens Deus meritis beati Leonis fidelibus populis exhibebat, non ſolùm non credebat, verùm etiam ore ſacrilego deridebat & blaſphemabat. Cùm denique quadam die in conventu appareret populi, & ſermo inter eos de ſignis & virtutibus beati Leonis exortus eſſet, cœpit irridere dicens: Si ſanctus eſt, ut dicis, contrahat mihi digitum meum. Cúmque compeſceretur ab iis qui adſtabant, ne de ſancto viro talia loqueretur, dimiſſo conventu diſceſſit: cùm ecce fortè canis qui eum ſequebatur, ſuem in platea inventum invaſit. Ille verò ne porcus diſcerperetur, feſtinè cucurrit, & injecta manu canem tenere voluit: ſed mox porcus hianti ore digitum ejus momordit. ſicque ab illa die omni tempore quo vixit, digitum con-

[a] Cui nomen erat Diethmarus, qui ipſis Kalendis Februariis anni à nato Chriſto M XL Epiſcopatui Curienſi poſito Rætiæ ad Rhenum fluvium præficitur, & obiit anno M LXX, cùm triginta annis laudabiliter ac utiliſſimè præfuiſſet. Vide Guilimannum lib. 4 de rebus Helvetiorum, cap. 2, & Chron. Johann. Gualteri.

[b] De Cadaloo vide Baron. ad ann. 1064, num. 29, 30 & ſeq.

CIRC. ANN. DCCCLXXXIII DEC. IV. tractum habens, nullatenus eum extendere potuit. Unde factum eſt, ut qui Dei famulum irridere præſumſerat, ipſe contracto digito omnibus deriſui haberetur. Hæc de tanto Patre beato Leone dicta ſufficiant, ut quia ad aliorum narranda geſta properamus, alii cui otium eſt, quæ multa de illo & mirabiliora dicuntur, ſcribenda relinquamus.

IV. *Ioh. 5, 17.* Quod Dominus in Evangelio dicit, *Pater meus uſquemodo operatur, & ego operor*, quotidie cernimus adimpleri, & antiqua novis temporibus miracula innovari. Hæc itaque quæ dicturus ſum, adeo clara ſunt, ut non ſolùm in Florentina diœceſi, in qua facta noſcuntur, verùm etiam in tota Tuſcia ac in urbe, quæ caput mundi eſt, Roma conſtet eſſe notiſſima.

Petrus Epiſcopus Simoniacus probatus judicio ignis. Petrus [a] quidam Clericus eſt, qui occultè datâ pecuniâ regio adminiculo in prædicta Florentina civitate cathedram Epiſcopatus accepit. Cùm denique à Clericis & populo, ut Epiſcopum decebat, benignè fuiſſet ſuſceptus, poſt non multum ſpatium temporis fama [b] per ejuſdem Epiſcopatus diœceſim increbuit, quòd ſimoniacæ hæreſis peſte fœdatus, quod gratis Domino jubente accipere & dare ſtatutum eſt, pecuniâ mercatus fuerit. Cúmque tam horrenda & tam exſecranda fama primitus ad religioſorum, dehinc ad aures vulgi perveniſſet, cœperunt ſe plures ab ejus communione ſubtrahere: Romanoque [c] Pontifici quæcumque ſuper hac re cognoverant, divino exardeſcente zelo ſtuduerunt intimare. Qui Epiſcoporum conſilio congregato, eumdem Epiſcopum, ut rem diligenter agnoſceret, convocavit. Sed cùm ſe Synodo præſentaſſet, accuſatoribus undique acclamantibus, ſacramento ſe ſe purgare nitebatur. Cúmque coram præſentibus res aliquantulum agitata fuiſſet, datæ induciæ ſunt, ut per eaſdem forſitan inductus, divinum expaveſcens judicium, quod pertinaciter negabat, humiliter confiteretur: quatenus ab æterno non removeretur altari, ſi ab hoc præſenti, cui miniſtrare juſtè non poterat, ſe abſtinuiſſet. Interim populus in duas dividitur partes, quarum altera, quæ amorem Dei muneribus præferebat, Clericos & religioſos Monachos, qui contra Epiſcopum rem comprobandam ſuſceperant; altera quæ munera & favorem diligebat, Epiſcopum eſt ſecuta. Cùm crebrò igitur inter ſe altercaretur populus, & altera alteri obſtaret parti, in tantum exorta augebatur contentio, ut inter ſe dimicantibus ſæpe etiam uſque ad effuſionem ſanguinis venirent. Cúmque hæc diutiùs agerentur & neutra pars parti cederet, JOHANNES [d] reverendiſſimus Abbas Monaſterii, quæ Umbroſa-Vallis dicitur, ſæpe ad hunc conflictum advocatus, zelo Dei ductus ſuis cum Monachis veniebat, qui exhortando, prædicando, divini examinationem judicii intentando, Epiſcopum admonere non ceſſabat, quatenus ex perpetrata culpa pœnitentiam ageret, & ſacerdotio minimè legaliter acquiſito, humiliter cederet, nec ſibi ſuiſque ſubjectis, quibus incremento eſſe debuerat, detrimento foret: illud de Evangelio ei ſæpe proponens, quomodo Dominus JESUS vendentes & ementes columbas de templo projecerit, cathedraſque ſubverterit, & æs numulariorum effuderit; videlicet demonſtrans, ut quicumque Spiritus-ſancti donum, quod per columbam ſignificatur, ductus avaritiâ vel vanâ gloriâ elatus, pretio adquirere, vel vendere tentaverit, ab illo cæleſti templo & æterno altari ſe proculdubio eliminandum noverit. Sed ille nihilo minùs præſentis vitæ honoris cupidus, pro nihilo monita ſancti viri ducebat, immo potiùs pertinaciter & armis & verbis, omnibúſque modis, quibus poterat, ſe defendere nitebatur. Cúmque idem venerabilis Abbas incaſſum procedere ſua verba videret, utraque parte populi advocata: Quoniam, inquit, verba non proſunt, veniamus ad

[a] Petrus Ticinenſis cognomento Simoniacus, Theuzonis Medinbarbæ filius, inivit Epiſcopatum anno Domini MLXII.

[b] Petri ſimoniam deteriſſe ejus patrem narrat Andreas Januenſis in actis ſancti Johannis Gualberti cap. 61.

[c] Cujus rei epiſtola graviſſima exſtat populi Florentini Alexandro Papæ II ſcripta, qua totius rei ordo & veritas continetur.

[d] Hic fuit ſanctus Johannes Gualbertus Abbas Vallis Umbroſæ, cujus Vita dabitur in Sæculo VI, in qua hoc miraculum recitatum.

ſigna.

ſigna a. Conſtruatur rogus & igne ſuppoſito accendatur, per quem unuſ è noſtris ingrediatur, ut utrum vera, an falſa ſint, quæ de Epiſcopo dicimus, Domino diſcernente, probetur. Placet utrique parti ſententia. Rogus mox duodecim b pedum menſura conſtruitur: intra quem parva ſemita, qua unius tantùm hominis perſona tranſire poſſet, relinquitur: quæ etiam ex accenſis lignis, ne ibi aliquis locus à flamma vacaret, conſternitur. Interim autem dum hæc præparantur, præfatus Abbas Johannes PETRO c ſuo diſcipulo, reverendiſſimo videlicet viro, qui poſtmodum in Albanenſi urbe Epiſcopus ordinatus eſt, quique etiam adhuc ſupereſt, eamdem eccleſiam regens, præcepit, ut indutus ſacris veſtibus omnipotenti Deo ſacrificium offerret, & ſic demum confiſus de miſericordia Dei per accenſi rogi flammas indubitanter intraret. CIRC. ANN. DCCC LXXXIII DEC. IV.

Qui juſſis Patris obtemperans, poſtquam ſacrificium Deo obtulit, caſulam ſe exſpolians, ad ignem venit; & magna voce: Oro, inquit, Deus omnipotens, ſi Petrus, qui Epiſcopus dicitur, ſimoniaca eſt peſte fœdatus, ne eccleſia tua ampliùs polluatur, judicio ſancti Spiritus tui oſtende virtutem, illæſum me per hunc ignem tranſire concede. quòd ſi nos fallaciâ pleni, cauſâ invidiæ ducti, hanc contra eum tulimus quæſtionem, ardor iſtius ignis me tuâ gratiâ derelictum conſumat. Hæc dicens & ſanctæ crucis ſe ſignaculo muniens, per medias flammas conſtanter ingreſſus eſt. Cùm igitur undique eſſet flammis circumdatus, ita ut à nemine prorſus videretur, & omnes eum jam conſumtum putarent; ſubitò ex alia parte, Chriſti comitante gratia, egrediens proſilivit: ita ut non modò veſtimenta ejus, ſed ne capillus quidem læſus ab igne in aliquo videretur. Sed ut idem venerabilis vir poſtea referebat, cùm per medias flammas graderetur, mappula d de manu ejus cecidit. cúmque jam pæne egrederetur ex igne, vidit ſe mappulam in manibus non geſtare, ac in ignem ſibi eam cecidiſſe conſiderans, per medias iterum flammas revertitur, & ſecum mappulam extrahens reportavit. Tunc omnes qui aderant e, viſo tam maximo, tam obſtupeſcendo miraculo, immenſas Deo gratias agentes, mox diverſa pars una effecta; præfatum Epiſcopum de eccleſia pellunt, qui poſtea pænitentiâ f ductus, mutata veſte ſub ſanctæ converſationis Regula religioſam agere vitam viſus eſt.

a Propter incredulitatem humanam deficientibus humanis ad veritatem eruendam ſubſidiis, præcedente tamen legitima accuſatione in tribunalibus, examinatio per ignem antiquitus admittebatur, ut obſervari licet in Ivone Carnot. epiſtol. 74, 205, 251, 252, 254, 280, & in Roſweidi lib. de fide hæret. ſerv. cap. 12. Unde appellabatur divinum teſtimonium, ut in epiſtola 252. Arnulfus accuſatus in Synodo Rhemenſi c. 30. *Meumque verņaculum Epiſcopis tradam, qui per ignitos vomeres incedens, Deum de te judicare manifeſtius declaret indicium.* Sic Coprès per ignem fidem catholicam veram eſſe probavit lib. 3 cap. 9 in vitis Patrum editis à Roſweido. Andreas etiam Spoletinus Franciſcanus in Mauritania Foſſæ Rege & Principibus ſpectantibus, ut oſtenderet Chriſti doctrinam, quam prædicabat, veram eſſe, flammis circumdari non renuit, & inter illas diu permanſit illæſus. Franciſcanus quidam pariter, & Hier. Savonarola Florentiæ in ignem periculum factura ingredi parati erant. Vide Petrum Delphinum lib. 4 epiſt. 68 ad Petrum Barotium data die 15 April. 1498.

b De latitudine, longitudine ac altitudine rogi extructi vide Thomam Bozium de ſignis Eccleſiæ lib. 9, ſigno 33, cap. 5, §. 18, & Ant. Yepes Chron. cent. 6, cap. 4, tom. 5 S. Antoninum 3 part. tit. 15, cap. 17, §. 5. Gononum & Surium in vita ſancti Johannis Gualberti, aliosque Auctores apud Didacum de Franchis in hiſtoria Monaſterii Vallis-Umbroſæ lib. 12.

c Hic fuit ex nobiliſſima Aldobrandinorum familia, tantæ humilitatis, ut vaccarum cuſtodiam in Cœnobio libenter acceperit, qui poſtea ob illuſtre ignis prodigium Petrus Igneus dictus eſt: deinde verò renuntiatus Epiſcopus Cardinalis Albanenſis, & in catalogo Beatorum, ſub die 8 Januarii Martyrologio Benedictino adſcriptus. Vide Baronium ad ann. 1063, num. 37. Marus uti & præmiſſa & quæ ſequuntur.

d Mappulam Ordo Romanus appellat, quâ pituita oculorum, naſium, & oris detergebatur; alii ſudarium & cingulum brachiale.

e Contigit hoc prodigium, ſeu, ut potiùs dicam, Babylonium miraculum, præſentibus omnibus Clericis & laicis promiſcui ſexus & ætatis fere ad octo millia in Septimiano Cœnobio, quinto ab urbe Florentina milliario di ante, anno Domini MLXIII die 16 Febr. quarta feriâ in prima hebdomada Quadrageſimæ. Ad lævam majoris eccleſiæ Monaſterii aſpicitur locus, quo Petrus per ignem illæſus perrexiſſet, ibique ad futuram facti memoriam nonnulli verſus inciſi leguntur, in mo, mirabile dictu! ex prædicto loco tantam odoris fragrantiam emanare ad hæc uſque tempora teſtantur Monachi in prædicto Cœnobio commorantes, in ſignum miraculique evidentiam, ut omnes pæne mirentur de tam ingenti odoris ſuavitate diſperſa.

f Adeo æquo animo Petrus Jeſtiſſimam tulit ſententiam, ut etiam tonſus intra Septimianum clauſtrum voluerit vitam monaſticam profiteri. Vide Abbatem Ughellum ſacrarum litterarum excellenti cognitione ac prætià inſignem in ſua Italia ſac. tom. 3 in Epiſc. Florent.

Circ. ann. DCCO LXXXIII Dec. IV.

Theophilus. Ut lætando miror, & mirando lætor, quòd mediocritatis noſtræ tempore illud antiquum & glorioſum trium puerorum miraculum intueor, cùm de camino æſtuantis incendii integri & incorrupti toto corpore prodierunt.

V. Alius item ſimoniacus Spiritum-ſanctum proferre non valet.

Desiderius. Venerabilis Gregorius Papa, cujus ſuperiùs memoriam feci, quid contra eamdem ſimoniacam hæreſim ſe præſente Dominus oſtendere voluit, ſæpe mihi ſolitus eſt referre. Cùm eſſem, inquit, Subdiaconus, & à beatæ memoriæ Victore hujus apoſtolicæ ſedis Pontifice in Galliam pro eccleſiaſticis negotiis diſcutiendis eſſem tranſmiſſus, curæ mihi fuit Epiſcoporum convocare Concilium, ut illis coràm poſitis de Eccleſiaſticis negotiis tractaremus. In eadem verò civitate in qua Synodus agebatur, Epiſcopus erat, qui pretio honorem comparaſſe Epiſcopatus à multis infamabatur. Igitur vocatus Epiſcopus venit ad medium. Cùm ergo eum exhortari ſalutaribus monitis cœpiſſemus, ut quæ ſibi opponebantur, conſcientia jam fatente, humiliter confiteretur: ille, tum quia ejuſdem civitatis erat Epiſcopus, tum quia fretus auxilio Comitis terræ ipſius; plenus ſuperbiâ omnino verba noſtra viliſpendebat. Sed cùm à nobis & à ceteris qui aderant Epiſcopis ſub juſtitiæ regula, ſe, quod non ſperaverat, conſtringi conſpiceret, nec effugiendi haberet licentiam; negare pertinaciter cœpit, quod antè vix audire dignabatur. Cumque verba producerentur in longum, & maximum diei ſpatium eſſet conſumtum, & ille nihilominus in ſua pertinacia negando perſiſteret, hoc modo eum cum ceteris qui aderant religioſis Epiſcopis nobis adjurare viſum fuit, & totum judicium in oſtenſione Spiritus-ſancti committere: In nomine, inquam, Patris & Filii & Spiritus ſancti, cujus donum gratiæ te comparaſſe audivimus, ut hujus rei nobis veritatem ediſſeras, adjuramus. quod ſi amplius, ut cœpiſti, negare tentaveris, Spiritum-ſanctum, donec quæ vera ſunt, confitearis, nominare non valeas. Qui Epiſcopus cùm abunde eloquens eſſet, & à nobis exoraretur, ut Spiritum-ſanctum nominaret, Patrem quidem & Filium ſatis diſertè nominabat; Spiritum verò ſanctum mirum in modum nominare [a] nullo modo poterat. Tunc omnibus qui aderant, luce clarius patuit, quòd honorem Epiſcopatus dato pretio emerat, qui non niſi Spiritus-ſancti gratia largiente tribuitur. Tunc Spiritus-ſancti virtute tremefactus Epiſcopus, humiliter coram omnibus confiteri coactus eſt, quod antè inflatus ſuperbiâ, Dei timore poſtpoſito procaciter negare præſumſerat.

Theophilus. Cùm Pater & Filius & Spiritus-ſanctus unum ſint, nec aliud de Patre & Filio, quàm de Spiritu-ſancto ſentire fas eſt: cur in Patris & Filii vocabulis proferendis ſolutam atque diſertam, in ſolo verò Spiritus-ſancti nomine, quaſi præcellenti, linguam mutam & omnino habuit colligatam.

Desiderius. Juſto Dei judicio contigit, ut qui donum Spiritus-ſancti gratiæ, quod gratis & datur & accipitur, lingua placitante mercatus eſt, in proferendo Spiritus-ſancti vocabulo ſpecialiter linguæ [b] officium non haberet.

VI. Alferius caſu illæſus.

Alperius [c] Abbas Monaſterii ſanctæ Trinitatis ab ipſo in latere montis

[a] Vide Baronium tom. II, ar. Dom. M. LV num. 17. cui prodigio interfuit etiam Hugo Abbas Cluniacenſis.

[b] Idcirco Spiritus-ſanctus non potuit exprimi à ſimoniaco, quia ei appropriantur dona gratiæ, in quæ ſimoniacus eſt injurioſus, vendens illa. Ex hoc diſcant qui per pecuniam ad dignitates eccleſiaſticas provecti in templo Dei ſedent, quàm fœdum, quàm enorme, quàm horrendum ſit ſimoniæ flagitium: meminerint, omnia crimina ad comparationem ſimoniacæ hæreſis quaſi pro nihilo reputari, & à divo Ambroſio culpam inexpiabilem nuncupari. Utinam ſæculi noſtri mores talia non parerent monſtra, & tolleretur è medio quantocius, verbis utor Petri Damiani, tartareæ amaritudinis aconitum, ne, quod abſit, ferale venenum influat.

[c] Quievit in pace S. Alferius Salernitanus Monachus Cluniacenſis, primus Abbas Monaſterii Cavenſis, & diſcipulus ſancti Odilonis, anno Domini M L, pridie Idus Aprilis. Marus Eo anno de Alferio agemus.

ædificati, qui inter Salernitanam & Amalphitanam civitates præminet mari, exſtitit: cujus religioſam ac Deo amabilem vitam & ipſe ex parte vidi, qui apud eum aliquantulum familiariter manſi, & aliis referentibus agnovi. Miraculum verò quod divina virtus in eo operari dignata eſt, quódque à quamplurimis didici, æquum eſt ſilentio non tranſire. Denique dum quadam die pro utilitate Monaſterii Salernitanam urbem abiret, per viam præciſi montis gradiens deorſum cum equo quo ſedebat, per immane præcipitium cecidit, quod tanta altitudine mari ſuperjacet, ut quinquaginta & eo ampliùs paſſus in altum prætendi videatur. Dum igitur qui cum eo pergebant, illum ſine dubio exſtinctum putarent, nimiùm triſtes & flentes, per quoddam diverticulum ad mare, ſi ſaltem illum aliquo modo invenire poſſent, ut ſepulturæ traderent, deſcendere curaverunt. Cum autem ſub radice montis molles juxta litus maris calcantes arenas feſtinanter ad locum quo ciciderat, pergerent; invenerunt eum in via ſanum & incolumem, equo cum quo ceciderat, inſidentem, Salernum properè cœpto itinere tendere. Cumque illi obſtupefacti, qualiter res eveniſſet, omnino nequirent perpendere, cœperunt Deo gratias agere, voceſque quaſi tumultuantes in altum levare. Sed ab illo repentè compreſſi præceptum audiunt: Si meis, inquit, benedictionibus frui vultis, nulli, quamdiu vixero, quæ ex me vidiſtis, dicatis.

CIRC. ANN. DCCC LXXXIII DEC. IV.

Dicitur etiam de illo, quòd mortuum ſuſcitaverit: quod videlicet illis, qui eum, ejuſque vitam ad liquidum noverunt, incredibile minimè videtur. VII. Mortuum ſuſcitat.

LEO, Abbas, qui ei in Monaſterii regimine ſucceſſit, ſub ejus magiſterio educatus, ejus in obſequio Præpoſituræ officium gerens, qui præ ceteris Fratribus ei familiariter adhærebat, nuper mihi retulit, quia quodam tempore ſæculares viri, ut ejus orationibus fruerentur, viſitationis gratiâ ad ipſum venerunt. quibus poſt ſpiritualem, corporalem etiam refectionem præbere cupiens, præfato Leoni, ſuo videlicet Præpoſito, præcepit caritatis causâ menſam eis apponere & prandium præparare. Qui nihil aliud præter panem & vinum & quinque ova gallinacea, quod eis ad manducandum præbere poſſet, ſe habere reſpondit: ſed qualiter inter eos ipſa ova dividi deberent, ignorare. erant illi utique ſeptem. Cui ille: Feſtina, inquit, quantocius, & eadem ova igne adhibito præpara, mihique ut eis apponam deporta. Cucurrit ille, & ſicut ſibi fuerat imperatum, ova decoxit, eique, ut præceperat, detulit. Qui accipiens, benedixit, & ex quinque ovis, ſeptem viris, quod mirabile eſt, ſingulis ſingula præbuit. VIII. Ova multiplicat. [a]

THEOPHILUS. Cum ſeptem diſtributa hominibus ſic augeri quinque ova conſidero, ut ſinguli ſingula æquali ſorte accipiant, illud quodammodo miraculum video, quo Auctor omnium de quinque panibus quinque millia hominum ſaturavit.

DESIDERIUS. Amita patris mei, BELLA nomine, in Monaſterio beati Petri [b] Apoſtoli intra Beneventanam urbem poſito, in ſanctimoniali habitu à primævo juventutis flore uſque ad ultimam ſenectutem degit. quæ cùm eſſet deſponſata viro, occultè de domo parentum fugiens ad Monaſterium contendit, ibique virginitatem ſuam omnipotenti Domino dicavit: & quia terrenum in terra ſponſum habere contemſit, proculdubio meruit habere cæleſtem in cælis. Ipſa mihi ſolita erat referre de Abbatiſſa ſua, quæ OFFA [c] dicebatur, quia in monte qui ſanctæ Agathæ Martyris dicitur, prope Capuanam urbem, antequam regimen Monaſterii ſuſciperet, longo tempore habitaverit, ibique vitam eremeticam duxerit. dehinc Monaſterii ſuſcepto regimine, quadam nocte Sororibus adhuc quieſcentibus oratorium ingreſſa, ac- IX. S. Offæ ibus ab Angelo miniſtratum. [b]

[a] Succeſſit S. Alferio Leo ejus diſcipulus, & ſanctitate proximus, ut refert Baronius anno M L.

[b] Theodata ſeu Theodorada Ducis Romualdi uxor an. Dom. DCLXXXI adjunxit eccleſiæ ſancti Petri Monaſterium Monialium magnæ devotionis, cujus veſtigia ad hæc uſque tempora videntur ad radices montis ſancti Felicis. Paulus Diaconus de geſtis Longobardorum libro 6 capite 1.

[c] Agemus de S. Offa in noſtro Sæculo VI.

CIRC. ANN. DCCCLXXXIII DEC. IV. a cepit thuribulum [a], ut more ſolito thura adoleret altaribus. Cumque itaque thus in thutibulum mittere vellet, è manu ejus cecidit, & lampade à vento exſtincta thus invenire non valuit. Repentè verò quidam juxta illum adſtitit, & tenens manum ejus, thymiama quod in thuribulum poſuerat, dedit. Tantus igitur odor ex illo incenſo thymiamate emanavit, ut per totum quod reliquum erat noctis, uſque ad horam diei tertiam non ſolùm eccleſiam, ſed etiam omne illud Monaſterium mira ſuavitate repleverit. Ex qua re ſine dubio datur intelligi, quòd Angelus Domini fuerit, qui illud thymiama tanti fragrantiæ odoris tribuerit.

X. Offæ temperantia in morbo extremo. Hæc eadem religioſiſſima Abbatiſſa dum multa per tempora ſollicitè virginibus præfuiſſet, verbis & exemplis ſibi commiſſas Dei famulas inſtruere non ceſſans, languore tacta corporis venit ad mortem. Cumque in extremo poſita jam propè eſſet, ut Chriſto cui ſerviebat, animam reddere deberet; videntibus cunctis qui aderant, è lectulo ſe quaſi ad menſuram trium cubitorum in aëre elevans, expanſis in cælum manibus ſtetit: & facta oratione, iterum ſe in lectulo collocans, ultimum ſpiritum exhalavit. Sed ex hoc quantæ fuerit abſtinentiæ dignoſci poteſt, quæ dum infirma jaceret in lectulo, & à multis honeſtioribus viris ac mulieribus, viſitationis gratiâ ad ipſam venientibus, ut aliquantulum cibi quo infirmum corpus ſuſtentaretur, caperet, rogaretur, illa deſueta deliciis: Si aliquid, inquit, mihi de infuſis leguminibus attuleritis, forſitan aliquantulum inde potero deguſtare. O abſtinentia in femina prædicanda, quæ in infirmitate poſita, infuſis leguminibus pro ſummis etiam deliciis utebatur! Quæ cùm fuiſſet defuncta, & in eccleſia ſepulta, quadam die ruſticus quidam frumento onuſtus per eamdem eccleſiam tranſiens, ſupra ſepulcrum ejus, parvipendens cujus meriti eſſet quæ ibi ſepulta jacebat, ſaccum cum frumento depoſuit, & feſſus ut aliquantulum pauſaret, juxtà conſedit. Repentè igitur ſaccus divinitus de eodem ſepulcro ſublatus Tumulo honor cælitus datus. longéque projectus, omne illud, quo plenus erat, frumentum paſſim per eamdem eccleſiam ſparſit. Ruſticus ergo vehementer conterritus, ab illa die didicit, quantum Dei homines in corpore venerandi ſint, cùm exſtincta illorum corpora ac in ſepulcro poſita, ne ab aliquibus parvipendantur, divina ſibi virtus voluit demonſtrare.

XI. Alter quidam nobilis vir de eadem Beneventana urbe neſcio quâ causâ Monaſterium adventarat, ac neſcius, forte ejus ſupra ſepulcrum conſederat: cùm ſubitò tantus dolor viſcerum eum invaſit, ut vociferans atque ejulans, ſe eadem horâ moriturum putaret. Ad cujus vocem, quæ in Monaſterio erant virgines, protinus cucurrerunt, eique cujus eſſet ſepulcrum, ſupra quod ſederat, indicaverunt. Qui pro ignorantia veniâ poſtulatâ, meritis Dei famulæ cælitus meruit medicinam.

XXII. Sancti moribundi apparent. b In eadem urbe Monaſterium eſt, quod ſanctæ Sophiæ [b] dicitur, huic Caſinenſi Monaſterio ſubditum, in quo quidam à pueritia ſanctæ converſationis & magnæ humilitatis Monachus fuit, qui infra annos adoleſcentiæ nimio languore præventus ad extrema perductus eſt. Ad cujus exitum congregati Fratres, hymnis & pſalmis Deo cœperunt ejus animam commendare, Sanctorumque cœtus in ejus auxilium attentiùs invocare. qui creſcente languore defunctus eſt. Sed dum ad lavandum ejus corpus aqua præparatur, per unam ferè horam exanimis jacuit. Cumque qui aderant, orationi & pſalmodiæ inſiſterent, ſubitò corpus ejus omne contremuit, ac paullatim reviviſcens cunctis mirantibus in lectulo conſedit. Dein interrogatus, cœpit illis quæ egreſſus de corpore viderat, referre, dicens: Cùm anima mea vobis litanias canentibus,

a Ob ſuam tantùm devotionem ſola ac ſecretò altare cum odoribus circuibat. Rem illam paullulum diverſè à Victore narrat etiam Petrus Damiani lib. 8 epiſt. 5 Matus, Lege Notas noſtras in Sæculo VI.

b De Monaſterio ſanctæ Sophiæ vide Leonem Oſtienſ. lib. 1 cap. 9, & tomum 9 Italiæ ſacræ, ubi Chronicon ejus Monaſterii edidit Ferdinandus Ughellus.

Sanctoſque Domini invocantibus, de corpore egrederetur, mox ad preces veſtras Sancti quos invocaſtis, meum in auxilium advenerunt. Cumque illi ab eo requirerent, ſi illos, quos numquam viderat, cognoſcere potuiſſet, reſpondit: Sanctum Benedictum & ſanctum Gregorium cognovi, beatum Donatum, & Felicem cum reliquis qui in hac Eccleſia requieſcunt Sanctis, meum in auxilium venire conſpexi: inter quos Beatus Mercurius patronus noſter velut ſplendidum ſidus rutilans videbatur. quem cùm interrogaſſent, utrumnam in hac vita eſſet moraturus: Minime, inquit, nam beatus Mercurius hodie ſe ad me adſumendum venire ſpopondit. Quæ ut dixerat vera fuiſſe, rei exitus comprobavit. Eodem namque die ex hac luce ſubtractus, ab illis proculdubio eſt receptus, quos antea moriens, ſuum in auxilium venire conſpexit. Ego denique in eodem Monaſterio poſitus, unum ex illis qui adfuerant teſtibus, Sicenolfum nomine, ſuperſtitem vidi, qui cuncta hæc, ut dicta ſunt, ſe vidiſſe & audiviſſe profitebatur. Circ. ann. DCCC LXXXIII. Dec. IV.

Hujus Libri tertii finis, totuſque quartus, in mſ. autographo Vaticanæ Bibliothecæ ſignato numero 1203, qui Longobardorum litteris deſcriptus, Caſinenſis Cœnobii Patribus quondam uſui fuiſſe cognoſcitur, deſiderantur.

DE S. EUSEBIO RECLUSO AC DE MARCO ET MARCELLO, MONACHIS COENOBII S. GALLI,

Ann. Chr. DCCC LXXXIV Jan. XXXI.

Ubi etiam de S. MEROLILANO Scotto.

1. CUM *Monaſterium ſancti Galli omnibus hoſpitium facile præbuerit, tum maximè id præſtitit adverſus Scottos, qui ex eadem qua ſanctus Gallus gente erant. Tres invenio illuſtres Scottos, qui ſæculo nono iſtud Monaſterium adierunt,* MARCUM *ſcilicet Epiſcopum,* MOENGALLUM, *alio nomine* Marcellum, *ejus nepotem; &* EUSEBIUM.

2. *De Marco & Marcello ſic agit Ekkehardus Sancti-Gallenſis Monachus in cap. 1.* Grimaldi temporibus Canonici Abbatis, Hartmutn ejus quaſi Proabbate, MARCUS quidam Scotigena Epiſcopus Gallum, tamquam compatriotam ſuum, Româ rediens viſitat. Comitatur eum ſororis filius MOENGAL, poſtea à noſtris MARCELLUS diminutivè à Marco avunculo ſuo ſic nominatus. hic erat in divinis & humanis eruditiſſimus. Rogatur Epiſcopus loco noſtro aliquamdiu ſtare. Allecto nepote diu ſecum deliberantes, vix tandem conſenſerant: dieque condicto partitur Marcellus nummos [famulis] avunculi ſui per feneſtram, timens ne diſcerperetur ab eis. confremebant enim in illum, quaſi ipſius ſuaſu Epiſcopus reſtaret. Equos autem & mulos quibus ipſe voluit, nominatim Epiſcopus tradidit: libros verò, aurum & pallia ſibi & ſancto Gallo retinuit. Stolâ tandem indutus abeuntes benedixit: multis autem lacrymis utrimque diſceſſum eſt. Remanſerat Epiſcopus cum nepote & paucis ſuæ linguæ apparitoribus. traduntur poſt tempus Marcello ſcholæ Clauſtri cum Notkero, poſtea cognomine Balbulo, *&c. Demum verò Marcus à Carolo Rege cognomento Calvo invitatus ſeceſſit in ſancti Medardi Monaſterium Sueſſionenſe: ubi reliquum vitæ exegit miraculis illuſtratus, ut dictum eſt ſuprà in Obſerva-* Marcus & Marcellus.

Ann. Chr. DCCC LXXXIV Jan. XXXI. *tionibus ad Tranſlationem ſancti Sebaſtiani. An Marcellus ſeu Moengal cum avunculo ſuo diſceſſerit, incertum. De Marcello item agit Ekkehardus in cap. 3, atque cum præceptorem Notkeri, Ratperti & Tutilonis, quos* ſeptem liberales duxit ad artes, maximè autem ad Muſicam; *atque eximia caſtitate, ut qui feminis oculos clauſerit ſemper, præditum fuiſſe.*

Euſebius. *3. Eodem tempore degebat in eodem ſancti Galli Cœnobio Euſebius itidem Scottus, qui poſtea vitæ ſolitariæ ſtudio ſeceſſit in montem proximum ſancti Victoris; ubi reliquum vitæ Reclauſus (ita ſcribebant antiqui) ſanctiſſimè vixit. Eum non ſecus ac divinum quemdam hominem circumpoſiti incolæ conſulebant. Argumento eſt id quod Ekkehardus ſcribit in cap. 2 de parentibus Iſonis Monachi. qui cum eſſent ſanctiſſimi, in vitium tamen incontinentiæ Sabbato ſancto Paſchæ lapſi, à communione remoti ſunt. Gravida mulier ericium ſe parere ſomniata, evigilans* ſomnium viro narrat. qui in Deo confiſus ſomnium illud nihil mali portendere, ad incluſum in monte Victoris Euſebium pergens, conjectorem ejus fore rogavit. Filium, inquit, uxor tua pariet, quem ſancto Gallo votabis. Apud illum enim educatus, Doctor erit magnificus, & multos pueros, ipſe aſper diſciplinis, ſtilis armaturus. Factum eſt ut vir ille ſpiritu Dei plenus ſanctique Galli compatrianus prædixerat: per cujus præter hæc præſagia Dominus multis revelaverat multa. ſed & ipſi Karolo quidem, qui ejus petitione, ut & Ratpertus ſcribit, ipſum illum Victoris montem ſancto Gallo contradidit. *De hac donatione Ratpertus agit in cap. 10, ubi Euſebii mortem deſcribit, his verbis.* Quemdam etiam montem ſitum in Rætia Curienſi, in quo conſtructa eſt baſilica ſancti Victoris Martyris, cujus & nomine vocatur idem locus Mons-Victoris, ipſo tempore ad Monaſterium ſancti Galli contradidit *Carolus Calvus*, firmitatiſque cartam regia auctoritate exinde fieri juſſit rogante Euſebio Scotigena, qui ibidem per triginta annos ſpontaneè clauſus Domino ſerviebat: anno verò Incarnationis dominicæ DCCC LXXXIIII, pridie Kalendas Februarias de hac luce migravit ad lucem perennem. *Ex his colligitur, dubiæ fidei eſſe breve ſancti Euſebii elogium, quod Bollandus in Januarii tomo 2 refert, ubi Euſebius per annos quinquaginta in monte ſancti Victoris vixiſſe fertur; & cùm accolarum ſcelera verbis caſtigaret, quemdam illi caput præcidiſſe: quod ipſe manibus ſublatum ad cellam ſuam deportaverit. Ibi ejus reliquiæ adſervari dicuntur, & religioſo piorum hominum concurſu viſitari. De eo nulla mentio in Martyrologio Notkeri.*

Merolilanus. *4. Occaſione bonorum Scottorum memini me legiſſe apud Frodoardum in hiſtoriæ Remenſis lib. 4 c. p. 48, alium quemdam Scottum,* Merolilanum *nomine, ſuper Axonam fluvium, cùm Romam peteret, a latronibus occiſum, apud Remos in cœmeterio ſancti Hilarii ſepultum fuiſſe: cujus corpus repertum eſt cum indiciis, quæ viri ſanctitatem manifeſtabant.*

DE SANCTO BERTHARIO ABBATE CASINENSI ET MARTYRE,

ANN. CHR. DCCC LXXXIV OCTOB. XXII.

Ubi de ſanctis APOLLINARI & DEUSDEDIT Abbatibus ejuſdem loci.

1. INTER *Caſinenſes ſæculi* IX *Abbates, tres invenio quos in Cælitum numerum referunt, nimirum* APOLLINAREM, DEUSDEDIT *&* BERTHARIUM. *Hos uno contextu, tametſi diſpari tempore vitâ functos, paucis hîc repræſentare viſum eſt, propterea quòd pauca admodum de eorum factis, quæ quidem ad pietatem pertinent, ad nos pervenerunt.*

2. *Primus inter eos occurrit* APOLLINARIS, *qui poſt Giſulfum Theodema-* Apollinaris facta.
ri ſucceſſorem quarto-decimo loco in Abbatiam prælatus ſedit annis XI, *inquit*
Leo Marſicanus in Chron. Caſin. lib. 1. cap. 18. Fuit autem temporibus Romanorum Pontificum Paſchalis & Eugenii, & Siconis, qui eodem anno Bene- Regiminis
venti Princeps effectus eſt. *Ejus regiminis initium ſtatuit Laureti anno* DCCC initium.
XIII. *ſed hunc calculum rejicit Angelus de Nuce, quoniam nec Principum Beneventi, nec Abbatum Caſinenſium ſeries ducta per annos hunc annum admittunt. Et certè ad annum* DCCC XVII *removenda eſt Apollinaris inſtitutio, ſiquidem, conteſtante vel ipſo Laureto, obiit anno* DCCC XXVIII *poſt regiminis annos* XI, *quos ipſi tribuunt Leo Marſicanus & indices Abbatum mſſ.*

3. De hoc ſanctiſſimo viro, *inquit Leo in lib. 1 cap. 19*, celebris fama eſt Miraculum.
& ſeniorum noſtrorum atteſtatione firmata, quia cùm quadam die neceſſitate cogente ad Monaſterii poſſeſſiones viſendas eſſet ingreſſus, neceſſe illi fuit Lirim fluvium tranſvadare: ſed cum navis deeſſet quâ tranſire potuiſſet, vir Dei fide repletus, ſalutiferæ crucis ſe ſigno munivit, & ad fluminis oram accedens, ita ut erat indutus & calceatus in eum intravit. ſicque ad ulteriorem ripam miro modo Apoſtoli Petri exemplo ſiccis pedibus eſt advectus, ut non ſuper aquas ambulaſſe, ſed ſuper aridam terram crederetur. *Hujus mi-*
raculi meminit Victor Papa III in lib. 1 Dialogorum, ubi Apollinaris Abbatis ſan- Sanctitas.
ctitatem, benignitatem, largitatem, omnibus pæne in hac provincia commorantibus lucidiſſime patuiſſe *teſtatur. Addit idem Auctor, reverendiſſimum virum Apollinarem jam vitâ functum Baſſatio Caſinenſi Abbati oſtento prænuntiaſſe, Agarenos, qui tunc temporis Italiam latè vaſtabant, Caſinenſique Monaſterio inhiabant, ab ejus clade temperaturos ob merita & virtutem ſanctiſſimi Patris Benedicti. Idem aſſerit Leo Marſicanus in lib. 1 cap. 27. at ſuppreſſo nomine Apollinaris apud Angelum de Nuce. Cetera ejus facta, quæ res temporales ſpectant, refert idem Auctor in capp. 19 & 20.*

4. *Subdit in cap. 21 eum obiiſſe* V Kal. Decembris, *& ſepultum* prope eccle- Mors.
ſiam S. Benedicti juxta gradus porticûs, quâ tunc pergebatur ad eccleſiam S. Martini. *Id contigit anno* DCCC XXVIII. *Ejus acta deſcripſiſſe dicitur Petrus Diaconus in lib. mſ. de ortu & vita Juſtorum Caſinenſium cap. 26. Quo tempore in eccleſiaſticis officiis apud Caſinates celebrata ſit Apollinaris memoria, mihi incom-*

Ann. Chr. DCCC LXXXIV Octob. XXII.

pertum. Sanè in veteri Breviario Caſinenſi, quod exeunte ſæculo XI *Oderiſio Abbate ſcriptum eſt, nulla ejus mentio exſtat. Sacrum ejus corpus, teſtante Angelo de Nuce, ad lævam ſacelli S. Martyris Berthari olim reconditum eſt Abbate Ignatio, ſub annum* M D XIV. *quod ad novum ejuſdem Martyris ſacellum brevì reponendum eſſe dicit.*

Deuſdedit obit in carcere.

5. *Apollinarem excepit* DEUSDEDIT *Abbas quintus-decimus, ſeditque annis ſex. Eum Sicardus Beneventanus Princeps, rebus Monaſterii inhians, duriſſimè tractavit.* Hic *quippe* prædictum venerabilem Abbatem, virum omni ſanctitate conſpicuum, cauſa pecuniæ cepit, atque cuſtodiæ mancipavit. Qui ſanctus vir cùm depoſitus fuiſſet VII Idus Octobris, in loco ubi reconditus eſt, multos ſebre detentos, diverſiſque languoribus oppreſſos, ex fide poſcentes ad cineres ſuos priſtinæ ſaluti reſtituit. *Ejus mentionem eo die facit Martyrologium Romanum, traditque virum ſanctum in carcere ærumnis confectum exſpiraſſe. Ejus memoria ſub ritu duplici colitur apud Caſinates: mors contigit anno* DCCC XXXIV. *Silet de eo Oderiſii Breviarium mſ.*

Berthari genus.

6. *Poſt Deuſdedit Caſino præfuere Hildericus, Authpertus, & Baſſatius, cui ſuffectus eſt ejus diſcipulus S.* BERTHARIUS, *de quo hîc agendum,* Sacerdos moribus & vitâ ſtrenuus, & in omni bonitate conſpicuus, *teſte Ignoto Caſinenſi; ſeu* genere & litteris nobilis, honeſtatis, religionis, ac martyrii coronâ perſpicuus, *inquit Petrus Diaconus. Hunc ex regio Francorum genere procreatum ferunt, ſed nullis adductis quæ id probent argumentis. Sanè eum illuſtris fuiſſe originis colligimus tum ex ſuperiori Petri Diaconi teſtimonio, tum ex Leone Marſicano, qui Hiſembardum* Gaſtaldionem *Berthari* conſanguineum *appellat. Gaſtaldionis nomine intellige urbis Præfectum. nam Hiſembardus* Teleſiam civitatem, quæ nominatur S. Agathæ, *tum* obtinebat, *cùm eam obſedit Ludovicus Imperator. Si nominis rationem habere licet, Langobardum fuiſſe puto Hiſembardum, ac proinde Bertharium, qui Francorum Reges ſanguine idcirco attinuiſſe creditus ſit, quòd Ludovico Imperatori fuerit acceptiſſimus.*

electio & geſta.

7. *Baſſatio ſuffectus eſt Bertharius anno* DCCC LVI *vel inſequenti. Ejus geſta deſcripſit Ignotus Monachus Caſinenſis, ejus diſcipulus, Erkempertus, & ex eis Leo Marſicanus in Chronici Caſinenſis lib. 1 cap. 33 & ſequentibus. Apud Leonem, Baſſatii deceſſoris ſui* in omnibus, & præcipuè in eccleſiaſticis ſtudiis, induſtriam imitatus *dicitur.* Codicem namque Evangeliorum auro & gemmis optimis adornavit, & aureum calicem non parvæ quantitatis effecit, aliaque perplura ornamenta eccleſiaſtica tàm ſurſum, quàm deorſum, *id eſt tam in ſuperiori quàm in inferiori Monaſterio,* patravit. Hic reminiſcens periculi, quod nuper à Saracenis ſub ſuo prædeceſſore, niſi Deus miſericorditer avertiſſet, eidem loco acciderat; totum undique Monaſterium quod ſurſum erat, muris ac turribus firmiſſimis in modum caſtelli munivit. Civitatem quoque ad radicem hujus montis circa Monaſterium Domini Salvatoris conſtruere inchoavit. *quæ civitas* Eulogimenopolis, *id eſt Benedicti civitas appellata, poſtea S. Germani in memoriam Capuani eo nomine Epiſcopi. Eo tempore vir quidam linguæ impeditioris uſum loquelæ meritis beati Benedicti recepit, & defuncto Lupo Teanenſis eccleſiæ Præſule* HILARIUS *Diaconus & Monachus Caſinenſis Monaſterii in eadem civitate Epiſcopus ordinatur. Hæc Leo in cap. 33.*

8. *Prætereo varias diverſorum donationes atque precarias Berthario Abbate factas, quas idem Auctor commemorat in cap. 34. mitto etiam commutationes quaſdam, quas annò* DCCC LXXVIII *cum Romano Piſcarienſi Abbate feciſſe memoratur in Spicilegii tomo 5 pag. 393 & 394. ut veniam ad impreſſionem Saracenorum Seodano Rege factam in agrum Neapolitanum alioſque circumpoſitos. Quocirca operæ pretium eſt obſervare, moris tum fuiſſe Monachis Caſinatibus & S. Vincentii ad Vulturnum* caritatis gratiâ diebus ſanctæ Quadrageſimæ ſe invicem viſitare. *Nam* tantâ tunc temporis dilectionis copulâ nectebantur, *ut cùm quoſdam de ſervis S. Vincentii Caſinenſes poſſiderent, itemque illi quoſdam de Caſinenſibus;*

placuit

Ann. Chr. DCCC LXXXIV Octob. XXII.

placuit utrinſque Monaſterii Patribus, Berthario ſcilicet atque Maioni, ut id ſemper intemeratum maneret. Cumque die quadam apud S. Vincentium de more quidam à Caſinenſi Monaſterio Fratres veniſſent, & de ſuo invicem Ordine loquerentur, repentè illuc Seodan nequiſſimus cum ſuis ſatellitibus ſupervenit. cujus Monachi rumore comperto, mox ad caſtellum ſuum, quod Monaſterio erat proximum, maturato curſu, mulrum licèt pavidi, incolumes tamen confugiunt. Saraceni verò Monaſterium ingreſſi, cuncta quæ invenerant, vaſtaverunt, plurima confregerunt, frumenta verò & legumina in fluvium, qui ſecus effluit, projecerunt; fodienteſque hic atque illic, univerſum eccleſiæ theſaurum, quem illorum pavore Monachi jam pridem abſconderant, repererunt. Bibebatque ille nefandiſſimus Seodan in ſacris calicibus, & cum thuribulis aureis ſibi thurificari jubebat. Ita prô dolor! incenſum à fulminandis illis præfatum S. Vincentii Monaſterium, Monachis partim occiſis, partim in diverſa diſperſis, ad triginta uſque & tres annos ita deſolatum permanſit. Peſſimus verò Seodan poſt diem tertium uſque ad portas Capuanæ civitatis accẹdens, plauſtra onuſta, & animalia diverſa cum multis hominibus cœpit, Venienſque juxta Teanum caſtra metatus eſt. quo venerabilis Abbas Bertharius agnito, verens nimiùm tam loco quàm populo nequam illius adventum, per Ragenaldum Diaconum ſuum aureos illi tria millia miſit. *Tradit Erkempertus Monaſterium S. Vincentii hanc cladem tunc evaſiſſe, & Seodanum pro ædificiis non combuſtis totidem aureos accepiſſe. quod etiam in Chronico S. Vincentii apud Cheſnium legitur, ubi Bertharius* S. Benedicti Vicarius *appellatur. Utris adhibenda ſit fides, judicet Lector.* Inde Seodan Venaſrum contendens, eamque poſt paullulum capiens, ac viciniam cunctam devaſtans, per aliquot dies ibi moratus eſt. Erat tunc initium Quadrageſimalium dierum: timenteſque Monachi nefandiſſimi ac peſſimi illius propinquitatem, omnes ſurſum ad beatum Benedictum ſe contulerunt. *Et quidem poſt paucos dies acceſſit ad Monaſterium inferius, ſed ductoris errore. nam direptis quæ ſibi occurrerunt omnibus, Venafrum, ac non multo pòſt Barium reverſus eſt.*

Saraceni cœnobium S. Vincentii diripiũt.

Placati à Berthario.

Ludovicus Imp. ab eodem Caſini exceptus.

9. *Id contigiſſe anno* DCCC LXVI *colligimus ex Leonis cap. 36, ubi* LUDOVICUS II *Imperator audita Saracenorum infeſtatione, expeditionem adverſus eos, rogantibus Beneventanis, eo anno aggreſſus perhibetur, ſimulque cum* Domna ANGELBERGA Auguſta conjuge ſua *Beneventi fines ingreſſus, menſe Junio perveniſſe ad* Monaſterium ſanctiſſimi Patris, quod deorſum eſt: ubi à venerabili Abbate Berthario, univerſis Monachis obviàm illi procedentibus, maximo cum honore ſuſceptus eſt. Die altera montem adoraturus adſcendit, *pari honorificentia à Fratribus ſuſceptus. Cumque univerſum Cœnobium perluſtraſſet, atque ædificiorum ſtatum laudaſſet;* præceptum confirmationis totius Abbatiæ *juxta morem prædeceſſorum ſuorum beato Benedicto fecit, & regalia inibi munera contulit: dein* Fratribus ſe multum commendans, *ad civitates è Saracenorum manibus eripiendas profectus eſt. Bari obſeſſa redit Beneventum, ubi* cum in ejus obſequio Abbas Bertharius moraretur, oratorium parvum, quod intra Monaſterium ſanctæ Sophiæ prædeceſſor ſuus Abbas Baſſatius inchoaverat, omni diligentia ſtudioque complevit, & in honorem ſancti Patris Benedicti à Stephano Teanenſis eccleſiæ Præſule conſecrari fecit. *Ad hæc cùm Ludovicus Auguſtus Teleſiam civitatem obſediſſet, Bertharius Abbas,* quoniam Hiſembardus Gaſtaldio, qui ipſam civitatem obtinebat, ejus conſanguineus erat; apud Imperatorem pro illo interveniens, & illi gratiam, & civitati veniam impetravit. *Ex dictis corrigendus Chronographus S. Vincentii ad Vulturnum, qui Maionis Abbatis, de quo ſuprà, regiminis initium revocat ad annum* DCCC LXXII.

S. Sophiæ oratorium dedicatum.

Hiſembardus Imperatori reconciliatus.

Bertharii legationes.

10. *Berthario varias tribuunt legationes. Petrus Diaconus Saracenos, qui ei necem intulerunt, improperantes inducit, quòd pro illorum liberatione ad Imperatorem* bis ultra montes *perrexerit. quod vereor ut Berthario aptari poſſit, cùm eas legationes reticeant Ignotus Caſinenſis & Leo. Erkempertus quidem vulgatus ha-*

Ann. Chr. DCCCLXXXIV. Octob. XXII.

bet, Bertharium B. Benedicti Vicarium, *& Jacobum S. Vincentii Abbatem ad Ludevicum Auguſtum miſſos fuiſſe. Sed Berthariì loco reponendum eſſe Baſſatium patet ex Leonis cap. 30. Forſan Petrus memoriâ lapſus, quod Baſſatio conveniebat, Berthario ejus ſucceſſori tribuit. Nam Baſſatium ad Imperatorem Ludovicum, ut auxilium adverſus Saracenos poſtularet, bis profectum lego apud Leonem in lib. I cap. 29 & 30. Certior eſt Berthariì legatio ad Johannem Papam VIII in cauſa Landulfi Capuani Epiſcopi. Quippe* Capuani expulſo Landulfo canonicè in epiſcopatum electo, Landenulfum quemdam de ſuis nobilibus conjugatum atque neophytum ſibi Epiſcopum elegerunt, multiſque precibus Papam decipiunt, ut illis Epiſcopus ſacraretur. *Rem indignè tulerunt Bertharius & Leo Epiſcopus Teanenſis, qui ea de cauſa* Romam profecti, cœperunt obſecrare ſummum Pontificem, ut hac in re nullomodo flecteretur, unde gravis in populo Capuano ruina, & multa ſanguinis *effuſio fieri deberet. Aliàs* maximum profectò ignem, ô vir apoſtolice, *inquit Abbas*, & ad te uſque pertingentem accendis. Et primo quidem Apoſtolicus tanti viri conſtantiâ territus eſt, poſtremò tamen prævaluit iniquitas, & prædictus neophytus eſt in Epiſcopum conſecratus. Hac civili diſcordia Saraceni opportunitatem nacti, rurſus univerſa diripiunt, iterum cuncta devaſtant, propter quod idem Apoſtolicus bis Capuam eſt venire coactus. Videns igitur palam ſibi contigiſſe, quæ noſter illi Abbas prædixerat; valde pænituit, ac demum habito conſilio Landulſum, quem ſuprà expulſum retulimus; in eccleſia beati Petri Apoſtoli in Capua vetere Epiſcopum conſecravit: Landenulfum verò eccleſiæ Capuanæ præeſſe conſtituit, cunctumque epiſcopatum inter utrumque dividi æqua lance mandavit. *Hac Leo in cap. 41. Erkempertus ſcribit, prædictum Johannem Pontificem ideo faviſſe Landenolfo, quòd is* ſe ſubdiderat dicto Papæ, in cujus nomine & chartæ exaratæ, & nummi figurati ſunt, juxta præſcientiam dicti Abbatis.

Gafferius Monachus.

11. *Ad Bertharii elogium pertinet, quòd ſub ejus regimine* Guaiferius Princeps Salernitanus languore correptus, Monachus factus eſt, rogans ſe ad hoc Monaſterium ferri, *inquit Leo in cap. 42.* Sed quoniam propter Saracenorum incurſionem huc deferri non potuit, cùm fuiſſet defunctus in Monaſterio noſtro, apud Teanum corpus ejus humatum eſt, donec requie cælitus præſtita, *addit Erkempertus*, ad ſanctum deferretur locum. *Plura ejuſmodi illuſtrium virorum exempla, qui in extremis morbis monaſticum habitum ſuſcepère, paſſim occurrunt apud Auctores. qua de re fuſiùs aliàs.*

Berthari martyrium.

12. *Tandem Bertharius rebus geſtis illuſtris, martyrio illuſtrior evaſit, quod Leo ita commemorat in cap. 44.* Per idem tempus Monaſterium beati Patris Benedicti, ubi ſacratiſſimum ejus corpus humatum eſt, à prædictis Saracenis invaſum, deſtructum, atque incenſum eſt, pridie Nonas Septembris anno Incarnationis dominicæ octingenteſimo octogeſimo quarto, Indictione ſecunda. Nec multò pòſt, XI videlicet Kal. Novembris, Monaſterium majus, quod deorſum erat, ſimiliter occupavere, devaſtavere & incendêre, multoſque inibi perimentes, ipſum etiam ſanctum ac venerabilem Abbatem Bertharium juxta altarium B. Martini gladio trucidavere. Cumque eamdem Domini Salvatoris eccleſiam, diverſis in locis igne ſummiſſo exurere molirentur; Dei judicio id perficere nequivere: ſicque ea tantùm de toto hoc Monaſterio Saracenorum flammis erepta, illi Monaſterii ſpoliis onuſtati, lætantes, triumphanteſque Garilianum reverſi ſunt. Monachi verò quidquid ſupellectilis vel theſauri ſeu & muniminum hujus Monaſterii ſurripere potuerant aſſumentes, unà cum domno Angelario tunc temporis eorum Præpoſito, Teanum habitaturi proficiſcuntur: eumdemque Angelarium ſibi conſtituentes Abbatem in Cella quæ ad beati Patris Benedicti honorem dudum ibi conſtructa fuerat, manere cœpere anno & Indictione ſuprà ſcripta, completis à Petronace Abbate uſque ad iſtum, annis centum ſexaginta & ſex. Sepultus verò eſt ſupradi-

Sepultura,

ctus ſanctus Martyr Chriſti Bertharius ſurſum juxta eccleſiam ſancti Benedicti in Capitulo Fratrum. ANN. CHR. DCCC LXXXIV. OCTOB. XXII.

13. *In ſuperiori Leonis narratione corrigendum putat Angelus aut annum Incarnationis aut Indictionem; & in notis ad caput 51 ſubdubitat an reponendus ſit annus* DCCC LXXXIII. *At rectè convenit Indictio ſecunda cum anno* DCCC LXXXIV, *quem retinendum puto. Deinde obſervandum eſt, Angelarium qui Berthario ſucceſſit, præfuitque apud Teanum, poſtea ejuſdem loci Epiſcopum fuiſſe ex cap. 46. Præterea moris tum fuiſſe apud Caſinates, ut in Capitulo Fratrum ſepelirentur Abbates. quod non ſolùm de Berthario, ſed etiam de ejus deceſſore Baſſatio obſervat Leo. Denique Petrum Diaconum diſſidere à Leone, cùm ait Bertharii ſacratiſſimum corpus ſepultum fuiſſe* juxta eccleſiam S. Johannis Baptiſtæ in Capitulo Fratrum. & cultus. *Obſervat Angelus, ſacrum corpus inde ſub ara maxima baſilica poſtea Ignatio Abbate anno* M D XIII *tranſlatum ad ſacellum in ejuſdem honorem erectum; ac denique renovata veteri eccleſia ad novum ejuſdem Martyris ſacellum, ejuſque natalem coli Octobris die 22, quo tamen die nulla ejus memoria in Oderiſii Breviario mſ.*

14. *Bertharius non ſolùm rebus piè geſtis, ſed etiam litterarum ſtudiis illuſtratus eſt.* Hic apprime litteratus, *inquit Leo in cap. 33*, nonnullos tractatus atque ſermones, necnon & verſus in Sanctorum laude compoſuit, cujus & Anticimenon de plurimis tam veteris, quàm novi Teſtamenti quæſtionibus hîc habetur. Aliquot etiam de arte grammatica libri, necnon & duo codices medicinales ejus utique induſtria de innumeris remediorum utilitatibus hinc inde collecti: verſus quoque perplures ad Angelbergam Auguſtam, alioſque amicos ſuos mirâ conſcripſi facundiâ. *Hactenus Leo. Eadem commemorat Petrus Diaconus in lib. de Viris illuſtribus Caſinenſibus cap. 12, & ſignanter* ſermonem de S. Luca Evangeliſta, homiliam de B. Scholaſtica, & verſus de vita, obitu & miraculis S. Benedicti. *Poſtremum hoc opus exſtat in Sæculo I Benedictino: alia inedita latent in Bibliotheca Caſinenſi, præter verſus quoſdam ad Angilbergam Auguſtam, qui apud Martinengium exſtant. Sermonem de S. Luca præ manibus habemus.* Scripta.

DE SANCTO ANSBALDO

ABBATE PRUMIENSI QUINTO.

ANN. CHR. DCCC LXXXVI. JUL. XII.

1. PRUMIENSIS *Monaſterii originem & viros illuſtres ſuprà ob oculos poſui ad annum* DCCC XLIV, *ubi de tranſlatione reliquiarum ſanctorum Chryſanti & Dariæ dictum eſt. Inter eos viros eminuere in primis Marcuardus & Eigil Abbates ſuperiùs laudati, atque* ANSBALDUS *Eigilis ſucceſſor, Lupo Ferrarienſi Abbati maximè familiaris, ut ex pluribus ejus epiſtolis conſtat, in quibus* Anſboldus *vocatur, more Lupo familiari, qui litteram* a *in* o *commutare amat. ſic apud eum legitur* Rotrannus *pro* Ratrannus, Heriboldus *pro* Heribaldus.

2. *Ansbaldi patria atque parentes nobis latent. Scio quid hac de re tradant Prumienſes, eum nempe ex Lucemburgenſibus Comitibus, ſeu potiùs ex Guerrii toparchis procreatum eſſe. ſed hæc recentiorum figmenta ſunt. Ansbaldum Prumiæ Monachum fuiſſe ante initam Abbatis dignitatem, conſtat ex Lupi Abbatis epiſtolis 50 & 81 ad Marcwardum Abbatem Prumienſem, quibus ſalutat Fratres Prumienſes, quos inter* Anſboldum *nominat. Ejuſdem Lupi ad eum exſtant epiſtolæ* Anſbaldi patria. Monaſtica profeſſio.

ANN. CHR. DCCC LXXXVI. JUL. XII. *tres, nempe 69, 117 & 123. quæ omnes Ansbaldo jam Abbati ſcripta videntur. tametſi primam & tertiam* Cariſſimo ſuo Anſbaldo *inſcribit Lupus. In epiſtola 69 eum reprehendit, quòd data opportunitate nihil ſibi ſcripſerit.* Tullianas epiſtolas *ab eo miſſas addit ſe accepiſſe, petitque inſuper* Tullium in Arato.

Abbatialis dignitas. 3. Anno Dominicæ Incarnationis DCCC LX, *teſte Reginone*, Egil Abbatiam Prumienſem ſponte dimiſit, & Anſpaldus in regimine ſucceſſit, vir omni ſanctitate & bonitate conſpicuus. *Eumdem etiam Andaginenſi ſancti Huberti Monaſterio præfectum fuiſſe tradunt. Per eam tempeſtatem, ſævientibus ſeu Nortmannis ſeu aliis hoſtibus, loco cedere coactus eſt Ansbaldus cum ſuis: quibus poſtliminio reverſis Lupus gratulatur epiſtola 117 in hunc modum.*

REVERENTISSIMO Anſbaldo Abbati & univerſis Fratribus ejus LUPUS & omnis Ferrarienſis Cœnobii ſocietas, in Domino ſalutem. Aſperrimis difficultatibus evictis, gaudemus vos tandem aliquando gratiâ divinâ loco proprio reſtitutos: nec illud non libenter accipimus, quòd noſtram in vos pronam voluntatem pio affectu jucundiſque ſermonibus proſequimini. quamquam longè plura atque majora vobis præſtita cuperemus. Tribulationes noſtras partim dolenter audiſtis, partim anxii adſpexiſtis: ſed eas temperante vel penitus auferente Domino Deo noſtro, cum veſtro commodo vobis veſtriſque qui nos adierint, deſideramus uſui eſſe ac ſinceſſimæ voluptati. Ut igitur familiaritas olim inita, uberiori proficiat incremento; in occidua plaga recuperatæ facultates fuerint adjumento: dum excurſus & recurſus per nos, quæ utrimque gerantur, aperiet. Cupimus vos noſtri benignè memores ſemper valere feliciter.

Eòdem ſpectat etiam epiſtola 123, reſpondens Ansbaldi litteris, quæ exciderunt omnes. In ea quippe epiſtola Lupus mentionem facit generalis neceſſitatis, *id eſt Nortmannica aliuſve procella, quæ Prumienſes à propriis ſedibus exturbaverat.*

Traditio de Nitardo. 4. *Ansbaldo Abbate rem geſtam narrat Browerus in Annalium Trevirenſium libro nono, quam hîc ipſius verbis reddere præſtat.* Anno DCCCLXXXVII Anſbaldus Abbas Prumienſis vitâ migravit, qui ſummæ ſanctitatis ac religionis laude apud Treviros enituit, ob idque inter cælites à poſteris relatus. In vico Hinnapiæ non procul à Guiſia vir quidam prænobilis, NITTARDUS nomine, incertus cui potiſſimùm eccleſiæ res ſuas legaret in noxarum expiationem; conſilio habito cum ERCHANFRIDA uxore tortâ in incertum ſagittâ Prumiam attigit, quæ ad ipſam aram, in qua Anſbaldus rem ſacram agebat, procidit. Is myſteriis peractis, ſumtâ in manu ſchedâ quæ cum ſagitta involuta erat, Nittardo rem ſignificavit, & ab eo prædia multa rettulit. Cæſarius Abbas Prumienſis huic rei adſtipulator eſt in libro cenſuum his verbis: „Conſtat quondam in loco iſto ſanctiſſimos viros manſiſſe. ideo Dominus „eos mirificavit gloriâ & honore, quando ſagittam de Francia cum magno al„lodio & optimo miraculosè ſuper altare ſancti Salvatoris fecit tranſvolare. *Cæſarius porro Prumienſibus præfuit ab anno* MCCXII *in annos quatuor, ſi Bucelini tabulis credimus, poſtea Heiſterbacenſis Monachus Ordinis Ciſtertienſis. Ut hæc narratio vera ſit, certè conſtat id non accidiſſe Ansbaldo Abbate. nam Nitardus Prumiæ jam Monachus erat vivente Marcwardo, uti ex Lupi Abbatis epiſtolis 55 & 72 ad Marcwardum ſcriptis intelligitur. Niſi ſi alius fuit Nitardus his in litteris memoratus à Nitardo illo prænobili viro: qui an idem ſit cum Nitardo ſancti Angilberti Abbatis Centulenſis filio, adfirmare non auſim. Certè ut diverſus fuerit, inclinat animus. nam anno* DCCC XLIV, *quo Nithardus Angilberti filius hiſtoriam ſuam ſcribebat adhuc ſæcularis, Nithardus ille Prumienſis Monachus, de quo Lupus in epiſtolis ſuis, jam Monachus fuiſſe videtur: & Nithardus, ſi quis alius Ansbaldo Abbate, Prumiæ Monachum induit, eò ſe contulit poſt annum* DCCC LX, *qui Ansbaldi Abbatis primus fuit. quo anno Nithardus Abbas Centulenſis jam mortuus erat.*

5. Anno Dominicæ Incarnationis DCCC LXXXII, *inquit Regino*, Normanni Arduennam percurrentes, Prumiam Monaſterium ingrediuntur ipſo die Epiphaniæ Domini: ubi triduo commorantes, omnem in circuitu regionem depopulati ſunt. in quo loco innumera multitudine peditum ex agris & villis in unum agmen conglobata, eos expugnatura aggreditur. ſed Normanni cernentes ignobile vulgus non tantum innorme *, quantum * diſciplina militari nudatum, ſuper eos cum clamore inruunt, tantaque cæde proſternunt, ut bruta animalia, non homines mactari viderentur. His itaque patratis, onerati prædâ ad caſtra redeunt. Illis diſcedentibus, ignis qui in diverſis habitaculis accenſus remanſerat, cùm nullus eſſet qui eum exſtingueret, Monaſterium conſumſit. *Locum poſtea inſtauravit Ansbaldus, uti credere par eſt.*

ANN. CHR. DCCC LXXXVI. JUL. XII.

Prumiæ vaſtatio & incendium.

* *ſic mſ. in editis* inerma

6. *Anno* DCCC LXXXVI, Anſbaldus Abbas Prumienſis Cœnobii, ſummæ ſanctitatis ac religionis vir, ad cæleſtem patriam tranſit IIII Idus Julii. cui ſucceſſit in regiminis loco FARABERTUS venerabilis Pater VIII Idus Auguſti. *Ita Regino Faraberti ſucceſſor. Prædicto die Prumiæ colitur ſanctus Anſbaldus, de quo Bartholomæus Fiſenus in Floribus eccleſiæ Leodienſis agit Martii die 10, qui forſan dies ejus elevationis eſt.*

Anſbaldi obitus.

DE TRANSLATIONE
SANCTI MARTINI
EPISCOPI TURONENSIS
IN BURGUNDIAM,
Deque ejus relatione Turonos.

ANN. CHR. DCCC LXXXVII.

1. ODo *Cluniacenſis Abbas ſanctus, hortante* FULCONE *Bono Comite Andegavorum, quem ſuum ipſius* collactaneum *vocat, procedente ſæculo X hiſtoriam ſcripſit de corporis S. Martini Turonenſis Epiſcopi delatione in Burgundiam, ejuſdemque in urbem Turonicam revectione, quam* in quibuſdam veteribus ſchedulis impolito exaratam ſermone *repererat. Hanc hiſtoriam* antiquam *vocat Fulco, tametſi vix annos quadraginta Odonis ſcriptionem præceſſerat. Ut verò eam ab Odone expoliri poſtularet Fulco, impulſus eſt tum ſua in Martinum pietate, tum proprii generis gloriâ, propterea quòd* INGELGARIUS *ipſius avus revectionis S. Martini corporis auctor exſtiterat. Porro Odonis hiſtoria tria complectitur. Primum ſubventionem S. Martini adverſus Haſtingum Normannorum Ducem, qui Turonos obſidione cinxerat. Alterum tranſlationem S. Martini in Burgundiam, factam ob metum Rollonis Normannorum itidem Ducis, qui Turonorum civitati imminebat. Tertium relationem S. Martini in urbem Turonicam. Hæc Odonis lucubratio cùm apud Surium & in Bibliotheca Cluniacenſi reperiatur, non viſa eſt hic recudenda, ſed tantùm quædam ex ea carpim delibanda.*

Odonis hiſtoria de hoc argumento,

Tria continet.

Hic omiſſa.

2. *Prætermiſſa Turonorum obſidione per Haſtingum, in qua nihil quod ad hiſtoriam noſtram illuſtrandam pertineat, obſervandum occurrit, venio ad Rollonem Ducem, qui tranſlationi S. Martini occaſionem præbuit. Is namque obſeſſa Cenomannorum urbe, cuneum armatorum* Turonum uſque *tranſmiſit*, ut urbe peſſumdata auri & argenti affluentem copiam & cetera ejus bona diriperent, *ac cives* vinculatos ſecum adducerent. *Sed cùm Cari & Ligeris excreſcente alveo à civitatis acceſſu prohibiti eſſent, Majus-monaſterium aggreſſi ſunt; eoque funditus everſo* centum & ſexdecim Monachos gladio ibidem percuſſerunt *præter Abbatem Herbernum & viginti quatuor alios*, qui in cavernis terræ latitantes evaſerant. Abbate tamen à latebris abſtracto, tormentis & cruciatibus ab eo exigunt; *ut theſauros eccle-*

Tranſlationis occaſio.

Majoris-monaſterii direptio.

Monachi cæſi.

ANN. CHR. DCCC LXXXVII. *ſiu & Monachos occultatos prodat. quod nequaquam ab eo extorquere potuerunt. Sub hæc diſcedentibus hoſtibus Turonici cives & Canonici S. Martini Majoris-monaſterii cuſum miſerati, viginti-quatuor Monachos, quos in cavernis delituiſſe diximus, è latebris extrahunt, & Abbatem unà cum ipſis ad ſuam ſecum deducunt eccleſiam, aſſignatâ eis congruâ annonâ ac domo* eccleſiæ valvis inhærente, à qua in eccleſiam reciprocus ingreſſus & regreſſus ſecretior haberetur. Sex verò menſibus emenſis *comperto Canonici, quòd Rollo Cenomannicu urbe capta Turonicu inhiaret;* communicato cum civibus conſilio, *corpus S. Martini Aurelianos transferunt, comitantibus Herberno Majoris-monaſterii Abbate cum viginti-quatuor Monachis ſuis & duodecim Canonicis, qui Deo & S. Martino die ac nocte devotè deſervirent. Deinde comperto Danos ad Gallia ſuperiora procedere, cum ſacro corpore* ad ſanctum tranſmeant Benedictum, *id eſt Floriacenſe Monaſterium: ac demum cùm jam Rollo Aurelianis immineret, Cabloiam* *[Chabley], *& poſtremò Antiſiodorum* *[Auxerre] *perveniunt, & ſacrum beati Martini corpus* in eccleſia beati Germani, ſecus ejuſdem Præſulis feretrum reponunt, *ubi innumeris miraculis claruit. Hanc tranſlatio non alia mihi videtur ab ea, quam anno* DCCC LIII *factam tradunt Annales Bertiniani, ubi incenſa per Normannos Turonorum urbe, atque adeo S. Martini baſilica, ſanctiſſimi Pontificis* corpus ad Cormaricum Monaſterium ejus eccleſiæ, ac inde ad civitatem Aurelianorum tranſportatum *fuiſſe memoratur.*

S. Martini corporis revectio. 3. *Denique rebus ſerenatis, Turonici Patroni ſui corpus ab Aunaro Antiſiodorenſi Epiſcopo repetunt. Eo præfractè denegante Regem hac de re conveniunt, qui nihilo ipſis ſuventior fuit. Quod reſciens* INGELGERIUS Gaſtinenſis Comes, Hugonis Burgundiæ Ducis nepos, Lochiæ & Ambaziæ dominus, qui Conſulatum Andegavenſem ex regio munere procurabat, *& qui in* Autiſiodorenſi urbe aulam propriam & prædia ſuburbana poſſidebat, *coacta equitum peditumque ſex millium coharte Antiſiodorum ingreditur, S. Germani eccleſiam adit, & S. Martini corpus ab Epiſcopo repetit. Aſſenſit tandem Epiſcopus vel invitus, conſulentibus* SYAGRIO *Æduenſi ac* DOMNOLO *Trecaſſenſi (qui tum fortè aderant) Epiſcopis. Mox Ingelgerius ad revehendum corpus ſacrum accingitur. Adfuit etiam* divæ memoriæ Herbernus Abbas jam ſine ſociis. Divina ſiquidem providentia jam promoti erant per univerſam Burgundiæ provinciam omnes & ſinguli in Epiſcopatibus & Abbatiis: ut qui cum exſulato exſules advenerant, ab ipſo exſulato in ipſo exilii ſolo divitiis & honoribus ſublimarentur. *Itaque celebratâ Miſſâ Ingelgerius Andegavenſis & Aunarius Comes Antiſiodorenſis ſacrum onus humeris imponunt; tunc aliis alii ſuccedunt: ac demum cùm ſacrum corpus Turonos perveniſſet, univerſæ arbores & frutecta tempore brumali, repugnante licèt natura, in folia floreſque eruperunt. Ruit obviàm Patrono ſuo tota civitas, &* ab Adalaudo Archipræſule, & fratre ejus RAINONE Aurelianenſi, & MAINOLDO Cenomannenſi, & S. Lupo Andegavenſi & ab Suffraganeis totius provinciæ Epiſcopis occurritur. Hoc exceptionis feſtum celebre anno ab Incarnatione Domini DCCC LXXXVII, à tranſvectione XXXI, Idibus Decembris celebriter agi *ab Adalaudo Archiepiſcopo & Suffraganeis ſynodali auctoritate ſancitum eſt. Odo ait id factum* reſtituto Fidei Rollone. *quod nequaquam cohærere poteſt cum præcedenti epocha. ſiquidem Rollo nonniſi anno* DCCCC XII *Fidei Chriſtianæ acceſſit. Eſt & aliud Odonis erratum in aſſignando tum Epiſcopi Antiſiodorenſis nomine, (quem non Aunarum, ſed Wibaldum fuiſſe puto) cum tempore tranſvectionis, quam anno trigeſimo primo ante annum Chriſti* DCCC LXXXVII *factam dicit. cùm eo tempore nondum Normannis præeſſet Rollo, qui huic tranſvectioni occaſionem præbuiſſe dicitur. His accedit & aliud ejuſdem Auctoris mendum, qui S. Lupum prædicto revectionis anno ſedi Andegavenſi Epiſcopum præfuiſſe ſcribit. tametſi Raino, Lupi deceſſor, non ſucceſſor, tum eam ſedem obtinebat. Unde videas, quantâ cautelâ Auctores etiam ferè æquales, nec ſanè infimi, in rebus hiſtoricis legendi ſunt. Quamquam hi qualeſcumque lapſus, non S. Odoni, ſed ejus quo uſus eſt libelli primo ſcriptori tribuendi ſunt. Quod ſupereſt, Herbernus Majoris-monaſterii Abbas poſt Adalaudum promotus eſt in Sedem Turonenſem, ubi eamdem vitam, quàm in Monaſterio, pietatem exhibere perſeveravit. Fabuloſa ſunt quæ de tranſlatione corporis S. Martini Saltzburgum Ottone Imperatore procurante (ſic aiunt) facta leguntur apud Caniſium in tomo 6 pag. 1221 & 1255.*

VITA SANCTI REMBERTI ARCHIEPISCOPI HAMMABURGENSIS IN SAXONIA,

Ann. Chr. DCCC LXXXVIII. Junii XI.

Auctore gravi anonymo, ejus æquali,

Ex Philippo Cæſare & Februario Bollandiano.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. SEQUENTIS *Vitæ Scriptor anonymus, at certè gravis, (ſi tamen unicus fuit) hunc libellum condidit ſuperſtite Adalgario, Remberti ſocio ac ſucceſſore, ex cap. 12. Adamus Bremenſis Canonicus in hiſtoria cap. 28,* Ceterùm, *inquit,* Vita ejus (*Remberti*) à Fratribus ejuſdem Cœnobii ad noſtros data, quis fuerit, & qualis vixerit, breviter & dilucidè comprehendit. *Hinc colligit Henſchenius, Auctores eſſe Corbeienſes Monachos. quod veri ſimilius eſt, quàm id quod ſcribit Philippus Cæſar,* ADALGARIUM, *Remberti diſcipulum & ſucceſſorem, videri hujus Vitæ conditorem. Cui ſententiæ refutandæ ſufficit caput 12. in quo Adalgarius laudatur, & ab iſtius Vitæ Scriptore manifeſtè diſtinguitur. Primus eam mutato ſtilo vulgavit Surius; tum primigenia phraſi retenta Philippus Cæſar in Triapoſtolatu ſeptemtrionalium regionum; poſt eos Godefridus Henſchenius in Februario ſuo, ubi ſancti Antiſtitis res geſtas accuratè explicavit. Hanc autem Vitam in capitula diſtinctam fuiſſe conſtat ex Adamo, qui verba ex ea capitulatim refert, ad eum ferè modum, quo Philippus Cæſar capitula diſtinxit, præmiſſis in limine capitulationibus, & in textu repetitis. At lemmata capitum videntur eſſe Auctoris recentioris: & capitulum quod Philippo eſt* XVII, *Adamo eſt* XVI. *Adamum ſequi ab hoc loco par viſum eſt: cetera cum Philippo concordat hæc editio.* REMBERTUS *iſte, ſeu* Reimbertus, Rimbertuſve, *diſtinguendus eſt à* RAMBERTO *Presbytero, qui ſancti Anſcharii itidem comes ac diſcipulus fuit, ut ſuperiùs in ejus Vita dictum eſt. Lege Trithemium in lib. 3 de viris illuſtribus cap. 210, & lib. 3. cap. 89.* — Vitæ ſcriptor.

2. *Martyrologia variant in die adſignando, qui ſancto Remberto ſacer eſt. Trithemius ait ejus* feſtum agi pridie Nonas Februarii. *quo die Martyrologia Romanum, Benedictinum, Galeſinus, Dorgunus, Maurus, & Sanderi eum locant. At ex verbis Trithemii, qui ceteris hujus ſententiæ auctor eſſe videtur, non conſtat, ſitne feſtum depoſitionis ea dies, an tranſlationis. Adami Bremenſis ſententia ceteris præferenda videtur, cujus hæc verba de Remberto in cap. 37.* Obiit autem anno Domini DCCC LXXXVIII, Indictione VI. cujus depoſitio III Idus Junii celebratur. *Eumdem ſtatuunt diem Albertus Abbas Stadenſis, Krantzius Hammaburgi Theologiæ profeſſor ac Decanus, Martyrologium Germanicum anno* MDXCIX *editum, Breviaria Hammaburgenſe, Bremenſe, & Raceburgenſe: in quo hæc Oratio de ſancto Remberto ab Henſchenio relata.* — Remberti dies feſtus.

Deus qui beatum Reimbertum, Confeſſorem tuum atque Pontificem, Doctorem præcipuum, catholicæque Fidei prædicatorem, eligere dignatus es; præſta quæſumus, ut ipſo pro nobis interveniente, peccatorum noſtrorum exui malis, & tibi, Domine, ſinceris mentibus deſervire valeamus.

3. *In hac Vita omiſſa ſunt quædam Remberti facta, quæ ab aliis repetenda ſunt. Anno* DCCC LXXII *interfuit dedicationi eccleſiæ ſanctæ Mariæ apud Hildinesheim factæ per Altfridum ejuſdem eccleſiæ Epiſcopum aliosque, ut ſuperiùs in ſancti Altfridi Elogio dictum eſt. Præter hæc, Adamo teſtante in cap. 36. Remberti deceſſor Anſgarius* quatuor Cœnobia fundavit: hiis ille quintum addidit in ſolitudine Bukkin. Conventualis eccleſia *dicitur in hiſtoria Epiſcoporum Bremenſium,* cum Præpoſitura & Canonicis ſæcularibus, quos ibi regulariter vivere præceperit Rembertus, ad honorem Dei & ſancti Materniani Confeſſoris. *Adamus ipſe in cap. 33.* Nec incongruum videtur, quoniam de perſecutione dixi- — Omiſſa de S. Remberto

Ann. Chr. DCCCLXXXVIII Junii XI.

mus, quæ tunc latè efferbuit in eccleſias, grande miraculum per merita ſancti Rimberti Freſonibus oſtentum tangere: quod ſcriptor geſtorum ejus neſcio cur prætcrierit. Sed Bovo Corbienſis Abbas de ſui temporis actis ſcribens non reticuit, dicens: „Cùm modernis temporibus gravis barbarorum irruptio in omni pæne Francorum Regno immaniter debaccharetur; contigit eos divino judicio ad quemdam Freſiæ pagum devolvi, qui in remotis ac „ mari magno vicinis locis ſitus eſt, (Norwide hunc appellant) quem ſubvertere aggreſſi „ ſunt. Erat enim illic eo tempore venerabilis Epiſcopus Rimbertus: cujus adhortationibus „ & doctrinis conſortati & inſtructi Chriſtiani, cum hoſtibus ſunt congreſſi, & proſtrave„ runt ex eis C milia CCCLXXVII, pluribus inſuper, dum fugâ præſidium quærunt, in „ tranſitu fluviorum necatis. Hæc ille ſcripta reliquit. Cujus rei miraculo uſque hodie merita ſancti Rimberti penes Friſones egregia, & nomen ejus ſingulari quodam gentis colitur deſiderio: adeo ut collis, in quo Sanctus oravit dum pugna fieret, perpetua cæſpitis viriditate notetur. *Additur in hiſtoria Epiſcoporum Bremenſium, lapidem*, in quo *Rembertus* genua flectens brachia poſuit, juxta Oſlinge veſtigium oſtendere. *De hac victoria Friſonum agunt Annales Fuldenſes ad annum* DCCCLXXVI, *quo* Friſiones, qui dicuntur Occidentales, cum Normannis dimicantes, victores extiterunt. *In Friſia occidentali, quæ modò Hollandia, viſitur Nordvicum, circiter quinque millia paſſuum diſſitum à Lugduno * Batavorum: quod opidum ſuperiùs Nordwide appellari Henſchenius opinatur. Nec eſt quòd quis de iſtius facti veritate ſuſpicetur: quandoquidem Bovo Corbeienſis Abbas, hujus rei relator, annis dumtaxat octo poſt mortuum Rembertum vivere deſiit.*

* Leiden

PROLOGUS AUCTORIS.

SCRIPTURI Vitam cum omni ſemper veneratione memorandi RIMBERTI Pontificis, & quæ officii ejus primitus occaſio fuerit, aut quem ad hoc inſtitutorem vel converſationis profectum habuerit, ſeu qualiter ad hoc electus deinceps vixerit, in quantum hæc comperimus, fideliter enarramus.

CAPUT I. Ludovici Pii zelus in converſione ſeptemtrionaliũ.

Cùm Imperator HLUDOWICUS Regni Francorum monarchiam teneret, auctori ſublimationis ſuæ Deo talem devotè vicem reddere curavit, ut eccleſiæ Dei in regno ejus conſtitutæ decenti vigore proficerent, ſervorum quoque & ancillarum Dei ſtatus cum honoris incremento latiùs excreſceret. His ejus aſſiduis meditationibus ex divina inſpiratione ſubintravit etiam memoriam, qualiter ſereniſſimus pater ſuus KAROLUS, cognomento Magnus, gentem Saxonum eotenus infidelem ad Fidem Chriſti converterit, uſque adhuc ordinatis per ipſam provinciam ſufficienti numero Epiſcopis, & ſedibus eorum providè diſtributis, extremum ad plagam aquilonarem ejuſdem provinciæ partem ad hoc reſervaverit, ut ibidem Archiepiſcopalis conſtitueretur ſedes, unde prædicatio verbi Dei finitimis fieret populis, Sueonum, Danorum, [* Norveorum, Farriæ, Gronlandan, Iſlandan, Scridwndan,] Slavorum, necnon omnium ſeptemtrionalium & orientalium nationum quocumque modo nominatarum, qui paganicis adhuc erroribus involvuntur.

II. Anſchariũ curat ordinari Archiepiſcopum.

Sed ad hoc opus conſtructa eſt tantùm & dedicata Hammaburgenſis eccleſia in confinio Danorum & Slavorum, in extremis videlicet partibus Saxonum inter eos qui dicuntur Nordalbingi: & unà cum incolis locorum eadem eccleſia juſſu ejuſdem glorioſi Imperatoris Karoli ad gubernandum eſt Preſbyteris commiſſa, donec opportuno tempore, deputatis priùs ad locum epiſcopalibus ſufficientiis, Archiepiſcopum faceret ibidem conſecrari. Ipſo autem ante hujus effectum voti ex hac vita ſublato, piiſſimus filius ejus jam dictus HLudowicus cum fidelibus ſuis hanc ejus intentionem retractans, ANSGARIUM ſummæ ſanctitatis virum, ut pater decreverat, privilegii Archiepiſcopalis & ordine & nomine ſublimari, & jam dictæ novellæ eccleſiæ rudibuſque adhuc in fide populis Rectorem, ac gentibus, ut dictum eſt, necdum fidelibus erogatorem verbi divini fecerat ordinari. Cujus à pueritia

* Incluſa parentheſi inſerta videntur à poſterioribus, ut notatum eſt in Vita ſancti Anſcharii.

in

Ann. Chr. DCCCLXXXVIII Junii XI.

in Dei timore converſationem, vel cum ætatis proceſſu virtutum incrementa, aut quantis indiciis divinitus præmonſtratum ſit Pontificatus & prædicationis ejus officium, & quomodo per Sedis apoſtolicæ privilegia ejus ſit omnis cauſa munita, ſtudiumque ejus & profectum in lucrandis Deo animabus, quas vel in fide roborare, vel de paganiſmo ad Chriſtianitatem producere cotidie ſatagebat, quiſquis ſcire cupit, legat libellum vitæ ejus, & quantæ ſanctitatis vir ipſe fuerit perpendet. Nos nunc de ejus ſanctitatis imitatore ſimul & dignitatis ſucceſſore RIMBERTO ſcripturi, qualiter primò ei cognitus ſit & conſequenter adſcitus, hinc jam ſequi incipiamus.

III. Rembertus ab Anſgario tonſus.

Cùm jam dictæ noviter inſtitutæ Hammaburgenſis eccleſiæ termini eſſent anguſti, & ad tantum officium quod Epiſcopo ejus injunctum diximus, ſumtus ex illius pertinentiis collecti non ſufficerent, ipſoſque etiam qui provenire poſſent reditus, frequens hoſtilis irruptio diriperet; ne per hoc vir Dei impediretur à prædicationis officio, quod in geſtis ejus Legatio ad gentes vocari ſolet, memoratus Imperator HLudowicus quamdam in Gallia cellam, *Turholt* [a] vocatam, eidem legationi tradidit perpetuò ſervituram. Quodam autem tempore domnus Pontifex ibidem degens, adſpexit quoſdam pueros ad eccleſiam cum joco & inanibus feſtinare diſcurſibus: quorum quidam inter ceteros pæne minimus graviter incedens, & pueriles levitates ſollicitè devitans, orationem cum reverentia & timore peregit, ſurgenſque ſigno crucis frontem munivit, & quaſi maturioris eſſet ætatis, ſuam per omnia continentiam exhibuit. Animadvertit ergo vir Dei ſacram religioſi pueri infantiam divinæ jam ſervitutis amore flagraſſe; accitiſque ad ſe parentibus ejus, & nomen pueri quod Rimbertus vocaretur, edidicit, & conſenſu eorum accepto, tonſuram ei & eccleſiaſticum habitum impoſuit. Sicque eum ibidem paterna ſollicitudine commendans, ſtudioſè erudire præcepit: paucisque diebus ibi tranſactis inde diſceſſit, & ſuſcepti paſtoralis officii, ſuæque ad gentes legationis inſtanter operam egit.

IV. Mortis meditationi adſuetus.

Poſt hæc puer jam Deo dilectus magis magiſque in gravitate proficiens, & diſcendis liberalibus diſciplinis ardenter inſtabat, & inter hæc orationibus ceteriſque bonarum rerum occupationibus adſuetus, in paucis annis omni maturitate & ſcientiæ & virtutum perfectus enituit. Et jam tunc juxta Pſalmiſtam concaluit cor ejus intra ipſum, & in meditatione ejus exarſit ignis, invenire cupiens quid ei in hac vita conſiſtenti exſequi maximè prodeſſet. Cui talia meditanti occurrit juxta quemdam Sapientem, primam Philoſophiæ definitionem meditationem eſſe mortis, idque toto pectore hauſit, ut omni vitæ ſuæ tempore hanc ſummam ſapientiæ conſequi mereretur: quatinus tempore mortis ſuæ de neglectu præmeditationis ejus non contriſtari, ſed potiùs per obſervationem Scripturæ monentis ac dicentis, *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis*, quantum humanæ conditioni poſſibile eſſet, de peccatorum vel cautela vel remiſſione ſecurus lætificari mereretur.

Pſal. 38, 4. Eccleſ. 7, 40.

V. Anſgario familiaris.

Venerandus igitur Præſul, qui eum divino mancipavit ſervitio, ſicut in geſtis vitæ ejus legitur, quæ illi ventura vel ab ipſo gerenda erant, pæne omnia, vel per ſomnium, vel per intimam revelationem in mente prænoſcere & præordinare ſolebat. quæ autem ipſa fuerit intima in mente revelatio, ſcriptores vitæ ejus tale quid eſſe arbitrantur, quale in Actibus Apoſtolorum ſæpius replicatur: Dixit autem Spiritus illi, vel illi diſcipulo. Unde non eſt diffidendum, quòd vir Dei, non ex eventu, ſed divinæ admonitionis attractu, quem occultiori ſenſu, utpote vir ſpiritalis, in anima percipere ſolebat; hunc felicem de quo loquimur puerum cum tantæ paternitatis affectu divinis adſciverit miniſteriis. quin potiùs in tenore converſationis & modo, quo ſem-

Act. 8, 10 & 11.

[a] Turholtum in Flandria prope Brugas, Remberti natalis ſedes, ut conſtat ex hoc loco. Falluntur proinde qui eum ex Friſia natum eſſe dicunt.

Ann. Chr. DCCC LXXXVIII Junii XI.

per deinceps apud illum tractatus & habitus eſt, veri ſimile videtur, quòd evidenter à Deo illi ſit revelatum, quia ſucceſſor illi in Epiſcopatu futurus fuiſſet. Nam cùm primò in diſcendis artibus & diſciplinis ſcholaribus diſtrictio magiſtrorum ei remitteretur, quod uſitata locutione egreſſum de ſchola dicimus, mox cum domnus Epiſcopus indiviſibilem ſuæ legationis comitem eſſe conſtituit: venientemque de præfato in quo eum nutriendum commendavit Monaſteriolo cum gaudio ſuſcepit, conſciumque ſuorum in omnibus permiſerat eſſe geſtorum, quibus ipſe Deo cum omni pietate, ſive occultè, ſive manifeſtè famulabatur.

VI. Conſors ejus gloriæ futurus prævidetur.

Denique cùm quadam die juxta morem ſimul adſiſterent ad orationem, jamque ſupplicatione finita egredi de eccleſia pararent, quaſi ſecretioris gra-
» tiæ munus in diſcipulo Pontifex agnoſcens, eum his verbis alloquitur: Opor-
» tet te, inquit, ô fili Rimberte, ſemper illi gratias agere, qui de turbidis ſæ-
» culi fluctibus ad portum quietis te vocavit: ad quem quia video te indubitan-
» ter animum applicaſſe, fateor amoris tui me affectu flagrare, eamdemque
» dilectionem finetenus ex mea parte circa te durare non dubites. Cui ille re-
» ſpondens; Indignus ſum, inquit, domine, tanta gratia tua. quia tamen hanc
» in me oſtendis clementiam, meritis tuis apud Deum mihi obtineri depoſco,
» ut in futura vita præmiorum tuorum conſortium adipiſcar. Tunc ſanctus Epi-
ſcopus, cujus mentem gratiâ Dei ſæpius illuſtrari diximus, ad prænoſcenda quæ illi futura eſſent, his verbis digniſſimi Rimberti nullum quidem ad præſens dedit reſponſum: tertia verò die tranſacta, ipſo jam ſollicitudine cogitationum fatigato, quare ſcilicet ad hanc petitionem ſuam reticuerit Epiſco-
» pus, talem ei reddidit conſolationem: Jam, inquit, obtinui à Domino, ut in
» futuro ſæculo, ſicut petiſti, ab invicem non ſeparemur: ubi ita beatitudinis
» æternæ participes erimus, ne noſtra nos virtute ad hanc pertingere poſſe præ-
» ſumamus, quod eſt reatus ſuperbiæ, per quam ceciderunt qui operantur ini-
Pſal 59, 14. » quitatem: nec rurſum deſidiâ torpentes obliviſcamur quod dicitur, *In Deo*
» *faciemus virtutem:* ſed cotidie ſtudeamus, ut bonum opus, ſicut admonet bea-
» tus Gregorius, habeatur nobis in voluntate; ac ſic conſequenter confidamus,
» quia juxta eumdem Doctorem ex adjutorio divino erit in perfectione. Si quem
autem movet hanc trium dierum dilationem ad hoc reſponſum feciſſe Epiſcopum; meminerit nos prædixiſſe, mentem ejus à gratia Dei ad prænoſcenda futura ſæpius illuminari, de quo tamen his ipſis quæ ſubjecta ſunt verbis in
» Vita ejus ita ſcriptum habetur [a]. Ad omnia ergo quæ fortè præcipua definire
» debebat, ſpatium cogitandi habere voluit, nec quidquam temere diſponebat,
» antequam gratiâ Dei illuſtratus, ipſe in mente ſua ſentiret quid melius eſſet.
» ſicque ſuperna viſitatione certificatus in mente, ſine cunctatione quæ agenda
» erant, diſponebat. Hæc de Vita ejus idoneus inſeruiſſe Lector intelligat, ut ex
hoc teſtimonio comprobaretur, nihil eum ad petitionem hujus ſanctiſſimi diſcipuli ſui Rimberti reſpondiſſe, niſi quod in hoc tridui ſpatio menti ejus Spiritus-ſanctus infudit, juxta ſententiam, quam etiam ſuperiùs de Actibus Apoſtolorum protulimus.

VII. Etiam dignitas futura.

Accedit etiam ad præſagium virtutum beati viri viſio quædam de ipſo revelato Procuratori Antiſtitis prima mox nocte adventus ejus Hammaburgum, cùm ipſe adhuc in prima ætate adoleſcentiæ fuiſſet. Videbatur enim eidem Procuratori conſpexiſſe ſe, ipſum Rimbertum ſediſſe in faſtigio oratorii, ſignumque eccleſiæ unum, quod nos cloccam vocamus, in cælo apparuiſſe, à quo ligamen lineum, ut adſolet, in modum ſunis demiſſum uſque ad ipſum dependeret Rimbertum, per quod ipſe idem ſignum hilariter traxiſſe, & ſono ejus dulciter delectatus eſſe videbatur. Cui ſomnio congruam ex divi-
Exod. 28. nis Scripturis interpretationem reperimus. Præcipitur Moſi à Domino, ut in-

[a] Quæ ſequuntur, exſtant ſuprà in Vita ſancti Anſcharii num. 62. Superiora verò quæ ad Remberti laudem ſpectant, ipſe modeſtiæ causâ ibi reticuit.

Ann. Chr. DCCCLXXXVIII Junii XI.

ter alia veſtis ſacerdotalis myſtica indumenta hæc etiam fiant: *Deorſum*, inquit, *ad pedes ejuſdem tupica per circuitum quaſi mala punica facies ex hyacintho & purpura & cocco bis tincto, &*, ut in ſequentibus invenitur, *ex byſſo retorta, mixtis in medio tintinnabulis*. Quare autem hic tintinnabula adjungi præcepta ſint, inferiùs oſtenditur: *ut audiatur*, inquit, *ſonitus quando ingreditur Pontifex Sanctuarium in conſpectu Domini, & non moriatur*. Sacerdos namque ingrediens vel egrediens moritur, ſi de eo ſonitus non audiatur: quia iram contra ſe occulti Judicis exigit, ſi ſine prædicationis ſonitu incedit. (Greg. in Paſt. lib. 3 cap. 4.) Quia igitur futurum erat, ut ſummo Eccleſiæ gradu conſcenſo, vir Domini ornamentis ſpiritualibus eniteret; ut etiam prædicationis officium inſigniter egiſſe probaretur, rectè in faſtigio templi, quod ſignificat apicem pontificalem, cum doctrinæ ſuaviſſimo & cælitus attracto ſonitu ad convocandam ſervitio divino ſacram Chriſti plebem ſediſſe videbatur. Hoc enim in hujus oſtenſione viſionis perſonans attractu ejus ſignum cæleſte ſignificare poteſt, quod in veſte Pontificis tintinnabula monſtrare probantur. Qualiter etiam cetera, quæ de Scriptura ſacra propoſuimus, ſacerdotalis habitus ornamenta ſpiritualiter in ſeſe ſemper exhibuerit, ad profectum ſimul & imitationem legentibus exponere judicavimus. Malis utique punicis utebatur, in quibus multa interiùs grana uno foris cortice teguntur: quia ipſe ſemper multiſariam virtutum operationem uno caritatis munimine undiqueverſum tectam geſtabat. Hæc autem mala punica ex purpura & hyacintho & cocco bis tincto & byſſo retorta erant, quæ cuncta illi aptiſſimè conveniunt. Omni enim deſiderio ſemper quærebat cæleſtia, quæ per hyacinthum ſignificantur; pro Chriſti nomine uſque ad martyrium paratus, quod intelligitur in purpura; amore Dei & proximi flagrans, quod per coccum bis tinctum exprimitur. Et ſicut byſſus de terra eruta longo exercitio, ſiccandi, tundendi, purgandi, coquendi, & nendi, gramineum ſolet perdere, & candidum in ſe recipere colorem: ita ipſe cum magno continentiæ labore quaſi nativum exſudans humorem, ad decorem dignæ Deo puritatis ſollerti jejuniorum & vigiliarum & orationum & lectionis; patientiæ & humilitatis inſtantia pervenit. Quibus omnibus tintinnabula habuit permixta: quia rarò aliud ab illo quàm prædictarum virtutum ſuaviſſimus ſonitus audiebatur, qui rurſum operum ejus ſublimitare audientium mentibus commendabatur, ſicut & ſequens de illo hujus opuſculi textus maniſeſtiùs oſtendet.

VIII. Arnulfi animam è Purgatorio liberat.

Cùm adhuc eſſet in obſequio deceſſoris ſui domni Anſgarii, apparuit ei Preſbyter Arnulfus jam diu defunctus, & percontanti de ejus cauſa in alterius ſæculi vita dolenter reſpondit: Ego, inquiens, dum adhuc in carne eſſem, negligenter de animæ meæ agebam ſalute, gravitatem perſonæ meæ competentem non ſervans, otio ſæpius vacans, & aliquando etiam in indicto jejunio carnem manducans, aliaque ſimiliter interdicta in eſca & potu frequenter uſurpans. Pro talibus commiſſis indignus ſui hactenus ad præſentiam Dei venire: ſed ſi tua, ait, fraternitas pane & ſale & aqua contenta, à ceteris victualibus abſtinentiam quadraginta diebus pro me facere vellet, crederem me per Dei miſericordiam ab hujus repulſionis meæ ſententia ſeu pœna liberari. Cui cùm ipſe, ut ei videbatur, ita ſe facturum eſſe polliceretur, expergefactus de ſomno, mox ut Epiſcopum alloqui potuit, viſionem ei omnem expoſuit: acceptoque ab eo conſilio, toto quadraginta dierum ſpatio nullo alio cibo vel potu eſt uſus, niſi pane tantùm & aqua. Eodem tempore tanto dentium dolore vexabatur, ut ipſis ſibi panem ad reficiendum commoli ſuſtinere non poſſet. Quamobrem ipſum panem comminutatim terendo, ſeu manibus confricando in ipſam aquam commiſcebat, & ad levamen dentium quodammodo inſtar pultis emolliebat. In quo etiam ad augmentum abſtinentiæ, ea quæ in ſimplici decoctione panis eſſe poſſent, plurimùm defecerunt, & vis ſcilicet alimenti, & ſuavitas ac delectatio ſaporis. Expletis autem diebus

ANN. CHR. DCCCLXXXVIII JUNII XI.

iſtius abſtinentiæ, ipſe Presbyter pro quo hæc agebantur, per viſum apparuit cuidam feminæ, quæ multis diebus paralytica jacebat, nomine Helahwih, cui longa quidem infirmitas membra gravavit; ſed tamen, ut de quodam beatus Gregorius [a] dicit, ipſa infirmitas eadem membra à bono opere non ligavit. Cotidie enim ſe ad eccleſiam deportari faciens, verbum vitæ ibidem delectabatur audire, hymniſque & laudibus, prout potuit, die noctuque vacare. Huic, ut dictum eſt, per viſum apparens Presbyter memoratus, famulo Dei Rimberto gratias referri petivit de parſimonia pro ejus ſalvatione exacta, quam & in tantum ſibi profeciſſe mandavit, ut abnegatum ſibi priùs ad conſpectum Dei acceſſum & aulæ cæleſtis introitum per hanc condonatum conſtaret. Ipſe verò Rimbertus inter eos, inquit, adſcribetur, de quibus dicitur: *Fulgebunt juſti, & tamquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent.* (Sap. 3. 7.) & de quibus Pſalmiſta ait: *Ibunt de virtute in virtutem.* (Pſal. 83. 8.) Iſtiuſmodi viſionibus vir Dei nil umquam anima extolli ſolebat: ſed per humilitatis tutiſſimam ſemper viam incedens, ita quodammodo cotidie virtutum gradus adſcendit, ut ſæpe dictum ſemper attendere videretur beatum Gregorium, dicentem: (Hom. 7 in Evang.) » Unuſquiſque veſtrûm, Fratres, magnus eſſe ſtudeat, ſed tamen magnum ſe eſſe quodammodo neſciat: ne dum ſibi magnitudinem arroganter attribuit, amittat. »

IX. Anſgario in omnibus familiaris.

Quamdiu ergo fuit in corpore vir Domini Anſgarius, iſte ſervus Dei Rimbertus præ cunctis familiariùs illi in omnibus adeſſe ſolebat, de quo aliquotiens nobis in hoc opuſculo mentio incidit, & libellus geſtorum præfati Pontificis ab ipſo Rimberto alioque condiſcipulo ejus editus teſtatur. In quo videlicet libro ubicumque commemoratio fit cujuſdam fidiſſimi diſcipuli ejus, quod frequenter ibi Lector inveniet, ipſum ſciat fuiſſe Rimbertum. Sed quia, ut diximus, ipſe cum alio quodam editor eorumdem exſtitit geſtorum, idcirco veritatem rei, ſuppreſſo nomine ſuo, exprimere voluit, ne de ſe familiariorem gratiam jactanter proferre videretur. Sic enim & beatus Evangeliſta Johannes in Evangelio ſuo fecit, ubi ſuam ſemper perſonam maluit indiciis rerum accidentium, quàm proprio deſignare vocabulo. Quatenus autem in hoc devotionis loco cum Epiſcopo familiariter ſanctus vir Rimbertus perſeveratit, ex verbis præfati libelli cognoſcitur, quibus de tranſitu domni Epiſcopi ita commemoratur: (morienti adeſt.) » Percepta, inquit, dominici corporis & ſanguinis » communione, ſanctus Pontifex Dominum deprecabatur, ut quicumque in » eum quoquomodo peccaſſet, divina hoc ei pietas remitteret. deinde verſiculos iſtos cœpit frequentiùs repetere: *Secundùm miſericordiam tuam memento mei tu propter bonitatem tuam, Domine.* &, *Deus propitius eſto mihi peccatori.* &, *In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum.* Cumque hæc ſæpius repeteret, & » frequenti anhelitu jam ea frequentare non poſſet, cuidam Fratri præcepit, » ut hæc vice illius frequentando caneret. ſicque oculis in cælum intentis Domini gratiæ commendatum ſpiritum exhalavit. Hic ergo quem vice ſua verba orationis pro ſe frequentare præcepit, Rimbertus fuit: cui in loquelæ ſuæ defectu voti ſui verba commendans Epiſcopus, per eum ſe compenſare credidit, quidquid ipſe minus orationum jam moriens peragere poſſet. quoniam & propter vitæ ejus meritum pro ſe illum exaudiri non dubitavit; & quod ille fecit, non diſcrevit ab eo quod à ſe ipſo factum fuiſſet: quia cor unum & anima una, unus ſpiritus & una fides erat ſemper in eis.

X. Succeſſor ab eo deſignatur.

Denique cùm infirmitate ipſa, qua de hac vita migravit, conſilium quæreretur ab eodem domno Anſgario de ſucceſſore ejus eligendo, & quidam etiam de Rimberto quid ei videretur, inquirerent; reſpondiſſe fertur, quòd hoc ſui non fuerit miniſterii decernere, quia forſitan ipſe in Epiſcopatu multorum animos offenſos haberet, quod emendare magis debuiſſet, quàm per hoc motum ipſum animorum augere, quòd ipſe talem ad ſucceſſionem per-

[a] Scilicet de Servulo, in homilia 15 in Evangelia. & lib. 4 Dial. cap. 14.

ſonam denominaret, quæ fortaſſis incommoditate ſua gravaret ſubjectos, & Ann. Chr.
amaræ fierent propter hoc contra ipſum querimoniæ. De meritis tamen, in- „ DCCC LXXXVIII
quit, Rimberti ſciatur, quia dignior ipſe Archiepiſcopali, quàm ego Subdia- „ Junii XI.
conatus officio. Hæc de ſe magnæ humilitatis intentione ſanctus proſecutus „
eſt Epiſcopus, tamquam verus obſervator ejus, quam & ipſe olim in profe-
ctione habuit Monachorum Regulæ, dicentis: Septimus, inquit, humilita- „ Cap. 7.
tis gradus eſt, ſi non ſolum omnibus ſe inferiorem ſua lingua pronunciet „
Monachus, verùm etiam intimo cordis credat affectu, humilians ſe & dicens „
cum Propheta: Ego autem ſum vermis & non homo. Solent enim ſancti vi- „
ri cùm fortia agunt, de ſemetipſis vilia ſentire, juxta quod de ſemetipſo Da-
vid coram Arca Domini ſaltando Regni ſui potentiam deſpiciens dixit: *Lu-* 2 Reg. 6, 22.
dam & vilior fiam pluſquam factus ſum, & ero humilis in oculis meis. de quo &
Apoſtolus admonet, dicens: *Implete gaudium meum, ut idem ſapiatis, eamdem* Philip. 2, 2.
caritatem habentes, unanimes idipſum ſentientes, nihil per contentionem, neque per
inanem gloriam, ſed in humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes. Quorum
prius, hoc eſt Prophetæ teſtimonium, beatus vir Anſgarius ita in ſe cuſtodi-
re ſolebat, ut de ſemetipſo intus humilia ſentiens, honorem exteriùs non re-
quireret, quaſi dicens, Ludam & vilior fiam; nec rurſum per hoc quod vi-
lem ſe exteriùs præbuit, interiùs intumeſceret, implendo potiùs quod ſequitur:
& ero humilis in oculis meis, id eſt qualem me exteriùs deſpiciens exhibeo,
talem me interiùs attendo. Qua deſpectus ſui intentione implevit etiam quod
de Apoſtolo propoſuimus; ut omni contentione & inani gloria carens, per
humilitatem ſibi alios ſuperiores arbitraretur. unde & ſuperiùs eſt ſcriptum,
quòd potioris quàm ipſe eſſet meriti, beato viro Rimberto tantopere dedit te-
ſtimonium. Sed quamquam ipſe humilitatis cauſâ de ſeſe talia dixerit, no-
ſtrum tamen non eſt quemlibet eorum alteri præponere, ſed æquales fuiſſe
meritis credere, quos & unius fidei devotio, & ejuſdem officii licèt diverſis
temporibus adminiſtratio commendet æqualiter.

Quamquam igitur, ſicut nunc diximus, ſanctus Pontifex non libenter aliis, XI.
pro offenſa eorum vitanda, de ſucceſſuro ſibi aliquid referre voluiſſet; ne Archiepiſcopus ordinatur.
ſuam tamen pæne in omnibus conſcium hac gratia in fine defraudaret, triduo
ante obitus ſui diem aperuit ſecretum ſuum viro Dei Rimberto, quòd poſt
ſe deberet ad Pontificatus apicem promoveri. Tum ille reniti cœpit ad tan-
tum miniſterium, nec viribus nec meritis ſe idoneum eſſe proclamans. Cui
ſanctus Epiſcopus Dei diſpoſitionem eſſe commemorans quod ipſi prædixit,
competentes admonitiones adjunxit, quòd ſuam voluntatem ad divinæ diſpo-
ſitionis judicium inflectere deberet, juxta illud beati Thomæ Domino dicen-
tis: Dominus meus es tu, & ego ſervus tuus, fiat voluntas tua. Ad hæc glo-
rioſo Rimberto reniti vel contraire conſtantia defecit, quando Epiſcopum
divinitus hæc accepiſſe ſciebat. Nec ulla ambiguitas fuit Clero vel populo in-
ter plures de electione: ſed ipſo mox die depoſitionis Domni Anſgarii Rim-
bertum omnes concorditer elegerunt. Cum cujus concordiæ pacto, ad glorio- „
ſum tunc temporis Regem HLUDOWICUM adduxerunt eum viri venera-
biles, THIAORICUS Mindenſis eccleſiæ Epiſcopus, & ADALGARIUS
Abbas Monaſterii novæ Corbeiæ: ſuſceptuſque ab eo honorificè, cum ponti-
ficalis baculi juxta morem [a] commendatione Epiſcopatus eſt ſortitus domi-
nium. In chartis autem apoſtolicorum Romanæ ſedis Pontificum, à quibus
privilegium archiepiſcopale ſancitur ſedi quam tunc ipſe ſuſcepit, etiam hoc

a Hæc verba in gratiam imperialis inveſtituræ intruſa fuiſſe tempore Henrici quarti cenſet Henſchenius, hac maximè ratione ductus, quòd in primariis eccleſiæ Hamburgenſis & Bremenſis privilegiis nullum hujus rei veſtigium apparet. Et tamen Adamus, Henrici æqualis, hæc privilegia pro inveſtitura imperiali laudat his verbis capitis 58. *Pallium Rembertus pontificale ſuſcepit à Papa Nicolao, ferulam paſtoralem à Cæſare* (ſcribendum Rege) *Ludowico, ſicut in privilegiis dignoſci poteſt.*

Ann. Chr. DCCCLXXXVIII Junii xi. continetur [a], ut quia propter novellam ejuſdem ſedis inſtitutionem, & necdum converſos ad Fidem populos Suffraganei non habentur Epiſcopi, à quibus decedente uno alter Archiepiſcopus conſecraretur; palatinæ interim providentiæ ſuccedentium per tempora Pontificum conſecratio ſit commiſſa, donec numerus Suffraganeorum Epiſcoporum canonicè eum conſecrare debentium ex gentibus ſuppleatur. Cùm hujus ergo ad ordinandum eum tenoris inſinuatione venerabilem Rimbertum glorioſus Rex direxit ad Liudbertum Mogontienſem Archiepiſcopum, à quo juſſu ejus ita eſt conſecratus, ut provide actum ſit, quatinus in adjutorium conſecrationis, non unius metropolis, ſed duarum convenirent Suffraganei, Liudhardus videlicet Paderbrunnenſis Epiſcopus, pertinens ad Maguntiam; & præfatus Thiadricus Suffraganeus Archiepiſcopi Colonienſis. quos ita permixtim adeſſe idcirco placuit, ut tam hujus conſecrationis actio, quàm etiam domni Anſgarii primitus ad ſedem ipſam ſimili modo facta ordinatio, in ſignum eſſent futuris temporibus, quod ad nullam nominatim condiœceſitatem quorumcumque Epiſcoporum pertineat ad hanc ſedem conſecrare Epiſcopum, ſed tantùm, ut diximus, palatinæ hoc commiſſum ſit prudentiæ, donec conſecrantium numerus ex gentibus ſuppleatur.

XII. ſit Monachus Corbeiæ, Habuit autem hic ſanctiſſimus vir olim hoc votum de ſe factum, ut poſt diſceſſum domni Anſgarii monachicum mox & propoſitum acciperet & habitum. Unde cum conſilio conſecrantium ſe Pontificum, mox poſt ordinationem ad Monaſterium novæ Corbeiæ properans, veſtem quidem illius promiſſionis ex integro ſuſcepit, converſationis autem illius promiſſionem ita fecit, ut converſationem [b] ſuam, & ſtabilitatem morum ſuorum, & obedientiam ſecundùm Regulam ſancti Benedicti exhiberet, in quantum labor & occupatio ſuſcepti Pontificatus permitterent. Et ut in hujus promiſſionis effectu veraciùs adſueſceret, aliquem de Fratribus ejuſdem Monaſterii ſibi præſtari rogabat, cum quo, quia ipſi in Monaſterio eſſe non licuit, ſolatium haberet aſſiduæ inde meditationis & uſum continendi ſe juxta moderamen regulare quod promiſit. Ad quod ei deputari placuit inſignem converſatione virum, Adalgario ſocio inde adſumto. gradu Diaconum, nomine Adalgarium [c], germanum videlicet & æquivocum Abbatis ejuſdem Monaſterii, de quo ſuprà diximus. Hic vir venerabilis in converſationis ejus imitatione ſimul & ſucceſſionis dignitate adhuc hodie ſupereſt, cum multis aliis atteſtans, quia ſanctus Pontifex, cujus vitam ſcribimus, nihil ex occaſione curæ paſtoralis de monachica perfectione perdiderit, adeo ut nullus etiam intra ipſa Monaſteria viventium, inſtrumenta bonorum operum, quæ eorum Regula commemorat, æquè ut ipſe obſervaverit. cap. 4. Cujus facta quidem vix à nobis explicari poſſunt: ſed cotidianam ejus cum Deo converſationem, & animum cælo ſemper intentum, noſtræ tenuitas ſcientiæ nequaquam edicere vel ſaltem perpendere valet. Grave ducebat ullum tempus vacuum abſque opere Dei tranſigere: ſed orationi lectio, lectioni ſemper apud illum ſucceſſit oratio. & ſi aliquid acceſſiſſet, quod eum ab oratione impedire videretur, ſemper tamen quæ juſta ſunt agens, ſine intermiſſione

[a] Nempe in privilegio Gregorii Papæ IV, in quo habentur ea quæ ſequuntur in hunc modum: *Conſecrat enim verò ſuccedentium Sacerdotum, donec conſecrantium numerus augeatur ex gentibus, ſacra palatina providentia interim committimus.*

[b] Sic libri editi apud Philippum Cæſarem & Bollandum. Erit forſan qui legendum putet, *ut ſtabilitatem, & converſionem morum ſuorum.* &c. conveniens ad Regulæ noſtræ caput 58, ubi hæc verba: *Suſcipiendus autem in oratorio coram omnibus promittat de ſtabilitate ſua, & converſione morum ſuorum, & obedientia coram Deo & Sanctis ejus.* Et hanc quidem profeſſionis formam hactenus ſequimur Benedictini omnes. Verùm alio modo editam à Remberto fuiſſe profeſſionem puto. Quia enim ejus dignitas non ſinebat ipſum in Monaſterio perſiſtere, tantùm *ſtabilitatem morum ſecundum Regulam ſancti Benedicti*, non ſtabilitatem in Monaſterio, Deo vovit. Quo fit, ut rectam hujus loci lectionem exiſtimem. Porro in hoc facto illud obſervatu dignum eſt, Rembertum nulla probatione facta ad profeſſionem vitæ monaſticæ admiſſum fuiſſe. Lege ſuperioris tomi Præfationem.

[c] Hinc patet Adalgarium qui Remberto ſucceſſit, non fuiſſe Corbeiæ Abbatem, ut rectè contra Letznerum notavit Henſchenius.

ſentiendus eſt oraſſe, ut beatus docet Auguſtinus: Illi, inquit, qui in divino verſatur officio, omnia geſta ejus dictaque pro oratione reputantur. Ann. Ch. DCCCLXXXVIII Junii 11.

XIII. Vigiliis & jejuniis addictus. Vigiliarum uſum moderanter agebat: abſtinentiæ modum ita exercuit, ut ſemper illi eſſent cotidiana jejunia, & refectio ſatietatem fugiens. In quo videlicet hoc attendebat, ut juxta beatum Hieronymum ita corporis frangeret appetitum, ut tamen ad lectiones & pſalmodiam atque ad altaris ac Pontificatus ſui officium vires ei non deficerent. Nihil enim prodeſt, ut ait idem Hieronymus, biduo triduoque vacuum portare ventrem, ſi pariter obruatur, ſi compenſetur ſaturitate jejunium. Ilico enim mens repleta torpeſcit, & irrigata humus ſpinas libidinum generat. (Epiſt. 22 ad Euſtoch.) Quod vir Dei, ut diximus, in ſe cavere volens, moderamen jejunii ita cuſtodivit, ut Dominus in Evangelio Judæos arguens, quòd nec Johannem jejunantem, nec ipſum manducantem & bibentem ſuſciperent, ſubjecit dicens: *Et juſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis.* (Matth. 11, 19.) oſtendens per hoc filios ſapientiæ intelligere, nec in abſtinendo, nec in manducando eſſe juſtitiam, ſed in æquanimitate tolerandi inopiam, & temperantiam per abundantiam non ſe corrumpendi, atque opportunè ſumendi vel non ſumendi ea, quorum non uſus, ſed concupiſcentia reprehendenda eſt. (*Hæc ex Aug. in lib. 2 q. evang. cap. 11.*)

XIV. Pauperibus quàm intentus. Quidquid vero etiam ad uſus & ſuſtentationes pauperum beatæ memoriæ deceſſor ſuus inſtitutum habebat, in nullo hoc ipſe disjecit: ſed omnem curam & diligentiam adhibebat, ut omnia ad id ſtatuta nullum ſuis temporibus caperent detrimentum, ſed pòtiùs ſuo cotidie ſtudio his aliquid adderetur. Erat enim pro indigentium levamine hoſpitale conſtitutum in Epiſcopatu ejus, ad quod tanta ſubſidiorum ſufficientia deputata eſt, ut nuſquam copioſiùs vel ſapientiùs hoc ipſum procuratum eſſe ſciamus. Sed & extra Epiſcopatum, ubicumque fuiſſet, ſemper conſtitutos habebat, qui pecuniam in ſaccellis ad dandum pauperibus geſtarent: ipſeque ad hoc ipſum in zona ſua marſupio cum nummis ſemper utebatur, ut ſi quando diſpenſator eleemoſynæ ſuæ in adventu egentis deeſſet, ipſe ſine mora haberet quod daret. Inerat enim ei ſollicitudo, ne quis talium à ſe ſine levamine abſcederet; ſuiſque ſimilia jugiter adhortationem faciens, dicere ſolebat: Non tardandum eſt ut cunctis pauperibus ſuccurramus, quia quis ſit Chriſtus, vel quando ad nos venit, ignoramus.

XV. Item prædicationi. Interea juxta admonitionem beati Gregorii, etiam eleemoſynam verbi inceſſanter agens, doctrinæ ſalutaris ſtudio jugiter inſtabat, recolens quod idem ait Doctor: Plus eſſe ut verbi pabulo victura in perpetuum mens reficiatur, quàm venter moritura carnis pane terreno ſatietur. (Hom. 6.) Hujus rei gratiâ excerptum legentibus utile de libris ſancti Gregorii fecit, & propria manu conſcripſit, epiſtolaſque nonnullas ædificationis plenas ad diverſos compoſuit, quarum una eſt ad quamdam Dei ancillam in Monaſterio quod dicitur Hereſi[a] conſtitutum, ceteraſque Sorores ibidem in Dei famulatu conſiſtentes. Hæc autem famula Dei, de qua loquimur, neptis erat venerabilis Epiſcopi Liuthardi, cujus ſuprà mentionem fecimus, qui ſe ſancto viro cum omni devotionis affectu ita devinxerat, ut non ſolùm ipſe ſanctitatis ejus amator exſiſtere, verùm etiam omnes ad ſe quoquo modo pertinentes illi commendare ſtuduerit, præcipuè iſtam de qua loquimur ab infantia Deo oblatam, & in virginitate permanentem neptem ſuam, quæ & propria devotione promeruit, ut unicam dilectionis ſuæ filiam vir ſanctus eam nominare ſolitus ſit. Quæ licèt nomen ſuum vitandæ jactantiæ cauſâ palam nolit edici, ipſam tamen ad ædificationem ſacris virginibus, quamvis tacito nomine ejus ad quam ſpecialiter ſcripta eſt, hîc ponere decrevimus epiſtolam, ita ſe habentem[b].

a Modò Nova Heriſia, vulgò *Nienherſe*, collegium Canonicarum, trium horarum itinere ab urbe Paterbrunna, ex Henſchenio.

b Abhinc capitulum XVI orditur Philippus Cæſar. at ſequens epiſtola pertinet ad capitulum XV, ut patet ex Adamo, cui capitulum XVI eſt id quod poſt epiſtolam ſequitur, integrum ab ipſo relatum in cap. 29.

ANN. CHR. DCCC LXXXVIII Junii XI Epiſtola ejus ad Monachas.

„ CARISSIMÆ *filiæ ceteriſque virginibus & ſponſis Chriſti* RIMBERTUS,
„ *gregis Dei vilis ſervulus, in Domino ſalutem.* Frater ADALGARIUS nu-
„ per à vobis rediens, dixit mihi graviter vos ferre, quòd parvitatis meæ litte-
„ ras raro ſuſcipiatis. Quod modò mihi emendare cupienti, quid ſcribere de-
„ beam, nihil convenientius occurrit, quàm ut vos de veſtræ ſanctitatis com-
„ moveam propoſito. Si igitur ad ſublimiſſimam gloriam vultis pervenire, omni
„ virtute incorruptionem corporis ac ſpiritus excolere debetis. Interioris enim
„ fotu ac pabulo puritatis, ſubminiſtrari neceſſe eſt etiam exterioris hominis
„ caſtitatem, eamque jugiter ad perſeverantiam perpetuæ incorruptionis ani-
„ mari. Illæ namque ſunt veræ atque incorruptæ virgines Chriſti, non quæ me-
„ tuunt, ſed quibus non libet fornicari. Quod donum, ſi per Dei gratiam ad-
„ eptas vos ſenſeritis, quanto magnæ eſtis, ut ſacra monet Scriptura, humi-
Eccli. 3, 20. „ liate vos in omnibus, & coram Deo invenietis gratiam. Eâ enim viâ perve-
„ nire debetis ad Chriſtum Dominum & ſponſum veſtrum, quia ipſe dixit:
Matth. 11, 29. „ *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* Curandum itaque eſt, ut omni
„ cuſtodia mens ſervetur à ſuperbiæ tumore. Non enim ante oculos Dei vacuæ
„ tranſvolant cogitationes veſtræ. Intus ergo videt Deus quod mentem elevat:
„ & idcirco foris permittit invaleſcere quod deponat. Hinc quippe per Oſee
Oſee 5, 4 „ contra Iſraëlitas dicitur: *Spiritus fornicationis in medio eorum, & Dominum non*
Greg. lib. 26 in Iob cap. 26. „ *cognoverunt.* Qui ut oſtenderet, ſicut dicit beatus Gregorius, quòd cauſa libi-
„ dinis ex culpa prorumpat elationis, mox ſubdidit dicens: *Et reſpondebit arro-*
„ *gantia Iſrael in faciem ejus.* ac ſi diceret: Culpa quæ per elationem mentis in
„ occulto latuit, per carnis luxuriam in aperto reſpondebit. Proinde per humi-
„ litatis cuſtodiam ſervanda eſt munditia caſtitatis. Si enim ſpiritus ſub Deo
„ premitur, caro illicitè ſuper ſpiritum non levatur. Habet quippe ſpiritus com-
„ miſſum ſibi dominium carnis, ſi tamen ſub Domino recognoſcit jura legitimæ
„ ſervitutis. Nam ſi auctorem ſuum ſuperbiendo contemnit, jure & à ſubjecta
„ carne prœlium ſuſcipit. Hinc eſt enim quòd longa continentia repentè ſolvi-
„ tur, hinc quòd plerumque & uſque ad ſenium virginitas ſervata vitiatur.
„ Quia enim negligitur humilitas cordis, rectus judex reſpicit etiam integrita-
„ tem corporis. Et quandoque per apertum malum reprobos adnunciat, quos
„ dudum reprobos in occulto tolerabat. Nam qui diu ſervatum bonum ſubitò
„ perdidit, apud ſemetipſum intus aliud malum tenuit, ex quo aliud ſubitò
„ erupit. ac per hoc omnipotenti Deo etiam tunc alienus exſtitit, quando ſe ei
„ per munditiam corporis inhærere monſtravit. Hæc ergo, filiæ, non ideo ſcri-
„ bo, quod in vobis quidquam de qualitate ſuperbiæ vel vanæ gloriæ cognove-
Apoc. 14, 4. „ rim: ſed quia vos opto in illarum conſortio eſſe, de quibus legitur, quoniam
„ ſequuntur Agnum quocumque ierit. Ubi multos cecidiſſe doleo, vos cautè
„ ambulare deſidero, optoque ut dicat vobis Dominus & ſponſus veſter: Tota
Cant. 4, 7. „ pulcra es amica mea, & macula non eſt in te. Itaque ſequimini hic Agnum
„ in præceptis ſuis, ut ipſo auxiliante illum ſequi valeatis in æterna vita, can-
„ tando canticum, quod nemo poteſt dicere niſi chorus virgineus. Hæc pulcrè
Aug. de ſancta virg. cap. 27. „ beatus Auguſtinus virgines admonendo expoſuit. Pergite, inquit, ſancti Dei
„ pueri & puellæ, mares ac feminæ, cælibes & innuptæ, pergite perſeveranter
„ in finem. Laudate Dominum dulciùs, quem cogitaſtis uberiùs: ſperate feli-
„ ciùs, cui ſervitis inſtantiùs: amate ardentiùs, cui placetis attentiùs. Lumbis
„ accinctis & lucernis ardentibus exſpectate Dominum, quando veniat à nuptiis.
„ vos afferetis ad Agni nuptias canticum novum, quod cantabitis in citharis ve-
„ ſtris, utique tale, quale nemo poterit dicere niſi vos. Sic enim vos vidit in
„ Apocalypſi quidam præ ceteris dilectus Agno, qui diſcumbere ſuper pectus
„ ejus ſolitus erat. Ipſe vos vidit duodecies duodena milia Sanctorum citharœ-
„ dorum illibatæ virginitatis in corpore, inviolatæ veritatis in corde. Sequimini
„ Agnum, quia & Agni caro utique virgo. Sequimini eum virginitate cordis &
carnis,

carnis, quocumque ierit. Quid eſt eum ſequi, niſi imitari? de quo beatus Petrus: *Chriſtus*, inquit, JESUS *paſſus eſt pro vobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.* Ann. Ch. DCCCLXXXVIII. Junii XI. 1. Petr. 2, 21.

Hanc epiſtolam ideo hic poſuimus, ut legentibus appareat, quantum, ſicut admonet Apoſtolus, ſtudium habuerit ejus quæ ſecundùm pietatem eſt doctrinæ, & quàm potens fuerit in ipſa doctrina etiam alios exhortari.

XVI. Legationem ſuam ut explevetit.

Præterea legationis ſuæ officium, quod ad prædicandum gentibus verbum Dei primitus à deceſſore ſuo ſuſceptum eſt, & poſtmodum ſibi ſucceſſionis jure quaſi hereditarium provenit, impigrè exſecutus eſt, ipſe quidem per ſe quoties occupationes aliæ ſinerent, eidem legationi inſiſtens; ſemper autem conſtitutos habens Preſbyteros, per quos & verbum Dei gentiles audirent, & ſolatium captivi Chriſtiani haberent, ad eccleſias inter ipſos paganos conſtitutas longè ab eccleſia ſedis ſuæ, quódque graviſſimum erat, marinis diſcriminibus adeundas. Quæ diſcrimina ipſe frequentiùs & abundantiùs ſuſtinens, ſæpe, tamquam de ſe teſtabatur Apoſtolus, naufragium pertulit, ſæpe in proximo erat, ut cum eodem dicere poſſet: *Nocte & die in profundo maris fui.* (2. Cor. 11, 25.) Sed profectò aderat ei Spiritus-ſanctus, qui in exterioris hominis corruptione interiorem renovaret de die in diem, & ſpe futuræ beatitudinis omnia præſentis vitæ aſpera deliniret, & gravia relevaret. Conſolabatur enim continua meditatione ſermonis apoſtolici: *Quia non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in vobis,* (Rom. 8, 18.) ac ſic quæcumque fierent dura laboranti, miteſcere ſolebant eadem propter Chriſtum ſuſtinenti [a].

XVII. Vaſa ſacra inſumit ad redemtionem captivorum.

Ad redemtionem captivorum cunctis pæne quæ habebat expenſis, cùm multorum adhuc apud paganos detentorum miſeriam cernere cogeretur, etiam altaris vaſa ad redemtionem eorum impendere non dubitavit [b]. In quo dum quibuſdam minùs ſublimiter intelligentibus non rectè videretur feciſſe, quaſi ad alios uſus redigeret quæ ſacris erant deputata myſteriis; & à quodam interrogatus fuiſſet, quare ita faceret; juſta ratione ſciſcitanti ſatisfaciens, Non ignoro, inquit, res eccleſiaſtici officii dignè eſſe tractandas, & ſub magna fore obligatione ad hoc opus depoſitas. Verumtamen plus eſt apud Deum per hæc ſubveniri captivis Chriſtianis in anguſtia conſtitutis, quàm eſſe poſſit depoſitum iſta cuſtodiendi. Et ſi neceſſitas incubuerit duorum bonorum unum eligere & alio carere, oportet adſumere quod eſt melius, & relinquere quod habetur inferius. Unde & ego, ait, cùm nullum aliud habeo conſilium, non impiè ago, ſi Chriſtianum, qui filius Dei eſt, cum theſauris eccleſiæ redimo: cùm & ſemper invenire poſſimus, quod ad uſum ſacri ſufficiat miniſterii: irrecuperabile autem ſit, ſi Chriſtianus in captivitatis afflictione deficiat.

XVIII. Sanctimonialem captivam liberat.

Exempli autem causâ unum de hujuſcemodi factis commemoramus; in quo non minùs in potentia miraculi, quàm in opere miſericordiæ refulſit. Cùm veniſſet quadam vice ad partes Danorum, ubi eccleſiam novellæ Chriſtianitati conſtructam habebat, in loco qui dicitur Sliaſwich, vidit multitudinem Chriſtianorum catenatam trahi captivam: inter quas una Sanctimonialis, ut eminus illum conſpexit, cum genuflexione & crebra capitis inclinatione tam illum venerari, quàm ejus miſericordiam pro ſua redemtione precari videbatur. Et ut eam intelligeret fuiſſe Chriſtianam, elevata altiùs voce cœpit cantare pſalmos. Epiſcopus autem miſeratione commotus, divinitus eam adjuvari cum lacrymis orabat. Ad cujus preces mox diſrupta eſt catena de collo ejus, qua vincta tenebatur. Ne tamen ipſa aufugeret, eam inter manus habentes pagani facilè obtinebant. Tum ſanctus Epiſcopus anxio de illa motus affectu, tenen-

a Omiſit hoc loco Auctor factum quoddam inſigne ſancti Remberti, in Obſervationibus præviis relatum, de victoria Friſonum in Normannos reportata meritis ſancti Remberti.

b Hæc verba ex hac Vita refert Adamus in cap. 32, capite vigeſimo mendosè citato: & poſt hæc verba addit, Rembertum dixiſſe cum beato Ambroſio: *Melius eſt animas Domino, quàm aurum ſervare. Pretioſa ſunt ergo illa vaſa, quæ animas de morte redimunt.* Lege librum 1 de Vita ſancti Cæſarii Epiſcopi Arelatenſis num. 17 & ſequentibus.

ANN. CHR. DCCCLXXXVIII Junii XI. * al. desiluit

tibus eam paganis plura diverſi generis pretia pro ipſa cœpit offerre. Sed illi nullam conditionem ſuſcipere volebant, niſi ſuum eis daret equum, quo ad propriam ſellam uti ſolebat. Quod ille facete non detrectans, repentè diſilivit * de equo, & cum omni quam ipſe ad eum habuit paratura pro eadem dedit captiva, redemtamque libertate donavit, & quo vellet abire permiſit. Duplex, ut diximus, per hoc factum de ſe memoriale laudis relinquens, quòd & virtute orationis ſuæ catenam fregerit, & ſimul hoc inſigne opus miſericordiæ demonſtraverit.

XIX. Manſuetus & ſeverus. 2 Tim. 2, 24. Num. 12, 3.

Proinde juxta præceptum Apoſtoli, quo ſervum Domini jubet manſuetum eſſe ad omnes, ita vixit, ut ſuis temporibus nullus, ſicut ipſe, Moſaïcum illud adſimilaverit, quo vir mitiſſimus ſuper omnes homines fuiſſe deſcribitur. Aliquoties tamen ſine ullo ejuſdem manſuetudinis detrimento ita inquirendis vel diſcutiendis cauſis conſtans ac fixus in ſua ſententia manſit, ut à nemine poſſet in aliud deflecti. Quod autem diximus abſque manſuetudinis detrimento hoc fieri, tam veraciter in illo adimpletum eſt, ut nil umquam iracundiæ vel commotionis contradicentibus oſtenderit, vel verbis aſperis contra eos egerit: ſed familiaribus colloquiis & delectabili continentiæ geſtu, cunctis ſit amabiliter exſecutus quidquid intendebat. de ea tamen quæ illi inerat inflexibilitate animi, à quodam familiariùs interrogatus, quæ infrà habentur expoſuit. Quæcumque, inquit, agere debeo vel omittere, ſeu de omnibus futuris » mihi eventibus, præſagium ſemper capio ex viſionibus Domini ac deceſſoris » mei Anſgarii. Solet enim mihi ipſe apparens in qualitate vultus ſui oſtendere, » qualiter me immiſcere debeam rebus agendis: & quidquid de illo ſentio, » nullam ad hoc exſequendum diſſimulationem facere poſſum.

XX. Miracula patravit.

Fertur etiam antiquorum more Sanctorum quædam feciſſe miracula, frequenter videlicet dum iret ad Sueoniam, tempeſtatem maris orationibus ſuis ſedaſſe, cæci cujuſdam oculos illuminaſſe per Confirmationem, quam epiſcopali more cum chriſmate ſacro in eodem faciebat. Sed & filium quemdam Regis dicitur à dæmonio liberaſſe: cui etiam affirmationi hoc adſtipulari videtur, quòd multis adſtantibus Epiſcopis clamor ab ore vexati ſæpius ſonabat, Rimbertum ſolum inter eos dignè commiſſum egiſſe officium, ipſumque ſibi eſſe cruciatui auctor vocis teſtabatur [a]. Sed quia noſtris temporibus, ut dicit Pſalmiſta, defecit Sanctus, & diminutæ ſunt veritates à filiis hominum, nec facilè accipitur quemque ex modernis viris talia feciſſe, ſufficiat nos hactenus comprobaſſe, quòd hic vir Domini ſanctitatis apicem conſcendit per eas virtutum ſpecies, quas in Evangelio Dominus ad beatitudinem properandam

Matth. 5, 3.

proponit. *Beati*, inquiens, *pauperes ſpiritu*, &c. de octonatio virtutum catalogo, quò ſignificatur per reſurrectionis gratiam ſpei noſtræ implenda perfectio. Nec miracula illi defuerunt ſpiritualia, quæ etiam nunc in Eccleſia à Fidelibus

Greg. hom. 29 in Evang.

fieri teſtatur beatus Gregorius exponens verba Domini dicentis: *Signa autem eos qui crediderint, hæc ſequentur: in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, ſerpentes tollent; & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit: ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt.* Sed de his ſingulis expoſitionem præfati Doctoris percurrere longum eſt & non neceſſarium, cùm homilia hæc continens in promtu habeatur, ad quam nos lectorem mittentes cœptum opus de vita domni Rimberti conſummare debemus.

XXI. Adalgarium deſignat ſucceſſorem.

Cui, cùm jam ſenio gravari cœpiſſet, etiam continuus pedum dolor ad moleſtiam ei acceſſit: unde apud glorioſum primò Regem HLUDOWICUM, quo commendante Epiſcopatum accepit, & poſtea apud filios ejus HLUDOWICUM & KAROLUM hoc obtinuit, ut inſignis vir ADALGARIUS, Mo-

a Adamus in cap. 34. *Hunc Regis Ludovici filium Carolum eſſe arbitramur, qui noviſſimus Archiepiſcopi temporibus à Regno depoſitus. Arnulfum germani ſui filium a ſepis ſucceſſorem.* Sanè in Annalibus Fuldenſibus & Bertinianis anno DCCCLXXIII malignus ſpiritus Carolum invaſiſſe & graviter vexaſſe fertur, ob id ſcilicet quòd contra patrem Ludovicum conſpiraſſet.

nachus videlicet de Monaſterio novæ Corbeiæ, ut ſuprà retulimus, illi præſtitus, ita in adjutorium illi confirmaretur, quatinus dum ſe ſe quælibet infirmitas præpediret, in ipſo haberet ſolatium circandi Epiſcopatum, placita adeundi, & quando exigeretur, in expeditionem, vel ad palatium cum comitatu ſuo proficiſcendi. Nec [a] multò poſt, electionem ſuccedendi ſibi in ipſo confirmari, & per manus acceptionem hominem Regis illum fieri, & inter Conſiliarios ejus collocari obtinuit, adſentientibus Abbâte & Fratribus Monaſterii ejus, ac ſancta Synodo hæc omnia roborante. Poſt hæc etiam, velut expeditior à negotiis ſæcularibus, omni inſtantia cotidie ampliare ſatagebat quidquid boni priùs exercuit. Nec diu poſtea in hac vita duravit, cujus tranſitus ad Dominum, ſubjuncto ordine factus eſſe perhibetur.

Ann. Chr. DCCC LXXXVIII Junii XI.

XXII. Mortem ſuam prædicit.

Anno pæne integro ante obitus ſui diem, quibuſdam fidelibus ſuis ſecretiùs intimavit, multa ſibi oſtenſa fuiſſe ſigna, quibus præſciret ſe in hac vita non diu manſurum, & quòd eos quibus hæc loquebatur, in hac vita ultrà non eſſet viſurus. Quædam, inquit, hujus rei præſagia mihi venerunt, quæ mihi non licet aliis indicare. viſionem tamen hac nocte mihi oſtenſam vobis refero, quâ evidentiſſimè diſceſſum meum præfiguratum eſſe intelligo. Videbatur enim mihi, quòd in eccleſia quadam, muro firmiſſimo per medium interſæpta, ego ex una parte muri fuiſſem; ex altera verò teneretur dominus & deceſſor meus Anſgarius: conſpexique innumerabilem turbam utriuſque ſexus, more quærentium aliquid, hac illacque converti, nec quidquam ex eo quod quærebant, potuiſſe invenire. Quibus dominus Anſgarius, Quid, inquit, quæritis? At illi ſe anulum meum quæſiſſe reſpondentes, audierunt rurſum ab Epiſcopo, ut ceſſarent eum quærere, quando ipſe ſecum eſſet illum habiturus. Hæc dum quibuſdam, ut diximus, narraret domnus Rimbertus, ex hoc multiſque aliis indiciis adſeruit ſe eſſe certificatum, quòd eodem anno de hac vita foret exiturus. Et ut memoria ejus audientium animis per verba quæ recedens diceret, artiùs imprimeretur, hoc quod etiam ab eis amari noverat, admonitiones eis ſalutares fecit, non mediocriter verbis ejus in gratiam ædificationis profluentibus. Poſt hæc valedicens illis diſceſſit ab eis, nec ulteriùs, ut ipſe prædixit, eum viderunt. Qualiter autem ſomnium hoc, quod modò protulimus, evidenti effectu in obitu ac diſpoſitione ejus, ut ipſe intellexerat, completum ſit, congruè eo loco enarrabimus, quo commemorandum erit, qualiter anima ejus ad cælos ſublevata ſit, & quomodo corpus ejus ſepulturæ traditum habeatur.

XXIII. Quàm piè ad mortem ſe aptaverit.

Duodecim igitur diebus ante tranſitum ſuum perveniens ad eccleſiam Bremenſem, ipſo mox die infirmitate correptus eſt. Cùmque per omnes horas infirmitas graviter creſceret, ipſe ſemper pſalmodiis & lectionibus ſacris intentus, ſe ſe ad futurum de hac vita tranſitum ſollicitè præparabat. Et quamquam languoris immanitas corporeis viribus defectum ingereret, animo tamen ſemper invictus apoſtolicam prætendebat fortitudinem, de qua dicit: *Quando enim infirmor, tunc potens ſum.* (2 Cor. 12, 10.) Septimo ante obitum die miniſterium ſacræ unctionis cum oleo ſancto ei fieri cœpit, & unà cum communione corporis & ſanguinis Domini uſque in diem animæ exeuntis de corpore hoc ſalutare remedium omni die [b] percepit. Et cùm jam migraturus eſſet de mundo, convocatis Preſbyteris & univerſis Fratribus, veniam petivit de omnibus quæcumque fortaſſis in aliquem illorum peccaſſet. Et cùm ipſe viciſſim reconciliationem feciſſet omnibus Chriſtianis, à quocumque in eum aliquid commiſſum fuiſſet, veniamque eis à Domino popoſciſſet; percepto corpore & ſanguine

a Aliter legit Adamus in cap. 38. *Impetravit etiam, ut ipſe illi in electione ſucceſſor confirmaretur, & inter Conſiliarios Regis locaretur, adſentientibus Fratribus & Abbate Monaſterii ejus, &c.*

b Nempe mos in Eccleſia olim vigebat, ut unctio infirmorum, quæ viatico præmittebatur, per plures dies à pluribus Preſbyteris repeteretur. Lege Notas Menardi in librum Sacramentorum.

Ann. Chr. DCCC LXXXVIII Junii XI. [a]

Domini ſacram animam [a] emiſit. Tum verò incredibilis gemitus omnium ſubſecutus eſt, maximè pauperum, has inter fletus voces emittentium: Væ nobis, Pater ſancte, quomodo jam poſt te vivemus, tuis eleemoſynis in victu & veſtitu hactenus ſuſtentati? à quo deinceps hæc merebimur? Sed tibi, inquiunt, Chriſte, ſupplicamus, ut anima ſervi tui ſentiat te nunc memorem dictorum tuorum, quibus promittere dignatus es à te eſſe remunerandum, quicumque uni ex minimis tuis aliquid ſolatii in nomine tuo feciſſet.

XXIV. Sepelitur extra eccleſiam. [b]

Ipſe autem vir Dei, cùm adhuc viveret, humilitatis intuitu, præcepit ne in eccleſia ſepeliretur: quod præceptum tranſgredi non audentes Fratres eccleſiæ illius, ſepelierunt eum foris baſilicam prope tumbam [b] ſancti Willehadi, extra murum eccleſiæ orientalem: ipſumque ſepulcrum poſtea ſuper exſtructo; & in honorem ſancti Michaëlis ſanctorumque Martyrum Stephani atque Viti dedicato oratoriolo, adornavit vir Adalgarius, de quo ſuprà diximus, qui & ſancto viro ſucceſſit in Pontificatum. Sicque completa eſt viſio ſuprà memorata, de ſuâ & domni Anſgarii in una eccleſia detentione, ſed muri medii interpoſitione ipſis ab invicem ſejunctis. Eſt enim præfatum oratoriolum contiguum antiquæ eccleſiæ, muro tantùm ejus orientali ex uno in aliud aditum intercludente; & in ipſo, ut diximus, novo oratoriolo domnus Rimbertus ſepultus eſt: in antiqua verò eccleſia domnus Anſgarius requieſcit. Et hoc eſt quod ipſe in viſione ipſa dixiſſe videbatur, quòd anulum domni Rimberti ſecum habiturus eſſet, ipſo videlicet domno Rimberto per fidem & operationem bonam perfecto, non longè poſt cum ipſo conjungi debente, tam in vicinitate ſepulcri, quàm beatæ requiei perceptione, ſicut olim ipſe divino ſpiritu revelante prædixit. Per anulum quippe fides ſignificatur, qua nobis imago Dei exprimitur: & quia ipſo manus ornari ſolent, quibus operatio deſignatur; rectè per hoc oſtenditur, ornamento fidei bonum opus ſemper ineſſe debere. Quod quia domnus Rimbertus in ſua converſatione commiſtis ſibi ſemper exhibuit, rectè in præſagio mortis ejus multitudo plebis anulum ejus quæſiſſe oſtenſa eſt: per quod ſignificatum eſt, tempore mortis ejus eos qui illi fuere commiſſi, anxiè deſiderare, ut adhuc exemplis in illo perſpectis perfrui mererentur. Sed hoc jam fieri non poſſe tempus expetebat requiei ejus, quam Epiſcopus Anſgarius plebem à quærendo anulo compeſcens ſignificavit, dum eum diceret ſecum eſſe habendum.

XXV. Miraculum ad ejus ſepulcrum.

Suſpenſa eſt etiam ſuper ſepulcrum ejus lampas lignea, ut lumen continuum in ea ibidem haberetur: ſubtus ipſam verò in ſuperficie ſepulcri velamen jacebat expanſum, in quo fertur præclarum contigiſſe miraculum; quod in quantum ex relatione narrantium, vel memoria vel intellectu retinemus, ita geſtum eſſe conſtat. Contigit quadam nocte conflagraſſe eamdem lampadem, ac primò crebros carbones decidiſſe ex illa ſuper velum memoratum, atque ilico ſubſequi etiam caſum totius lampadis, ipſamque ſupra idem velum totam comburi, abſque ulla læſione ipſius veli. Quod nulli dubium eſſe debet ad declaranda merita ſervi ſui Chriſtum feciſſe, qui cum Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat in æternum.

[a] Adamus in cap. 37. *Obiit autem anno Domini DCCC LXXXVIII, Indictione VI. cujus depoſitio III Idus Junii celebratur.* qui annus & dies certi eſſe videntur. Fallitur proinde Trithemius, qui Remberto annos duntaxat novem regiminis tribuit, cui annos tres & viginti cum menſibus quinque tribuere debuiſſet.

[b] Interjecto tamen muro ſeu pariete eccleſiæ. Nam ſanctus Vvillehadus Bremenſis Epiſcopus primus, intra Bremenſem baſilicam ſepultus, & in aliam à Vvillerico ſucceſſore ſuo tranſlatus eſt, ut patet ex Vita relata in Sæculi III parte 2.

Episcopi, quorum nomina approbandæ vitæ cauſa hic ſubduntur in mſ. codice, quo uſus eſt Philippus Cæſar, florebant poſt medium ſæculum XI, quo tempore ab Adalberto Hammaburgenſi Archiepiſcopo conſtituti ſunt in Dania & Suecia, teſte Adamo in cap. 206. Philippus Cæſar putat, horum Epiſcoporum auctoritatem valere non tantùm ad probanda ſancti Remberti, ſed etiam ſanctorum Willehadi & Anſgarii Acta, quæ in eodem exemplari continenter exhibentur. ANN. CHR. DCCC LXXXVIII. JUNII XI.

SLEPN. Epiſcopus Scaltenoldenſis.
SIMON Epiſcopus Halſinodenſis.
TOROLFUS Epiſcopus Blaſconenſis.
EILBERTUS Epiſcopus Farrienſis.
HERIBERTUS Epiſcopus Wibergenſis.
RATOLFUS Epiſcopus Scleſwicenſis.
CRISTIAN Epiſcopus Aruſenſis.
OTTO Epiſcopus Ripenſis.
MAGNUS Epiſcopus Wendilenſis.
ADALVARDUS Epiſcopus Scarenſis.
ALBERICUS Epiſcopus Wendilenſis.
WILLIHELMUS Epiſcopus Selandenſis.
EZZO Epiſcopus Aldenburgenſis.
ECILINUS Epiſcopus Scarenſis.
SIVARDUS Epiſcopus Norwegenſis.
EGINO Epiſcopus Dolboigenſis.
ADALBARDUS Epiſcopus Sictunenſis.
JOHANNES Epiſcopus Bircacenſis.
THIEDOLFUS Epiſcopus Sictunenſis.

DE VENERABILI EVRARDO ARCHIEPISCO SENONENSI.

CIRC. ANN. DCCC LXXXVIII FEBR. 1.

1. NON prætercam hoc loco EVRARDUM Senonenſem Antiſtitem, quem, etſi ſollemni more in cælitum numerum relatus non ſit, inter eos tamen additum non dubitem. Quartus is eſt ex Monachis noſtris, qui ſæculo IX Senonicam ſedem egregiè illuſtrarunt. De ALDRICO & EGILE ſuperiùs actum eſt: his tertius accedit ANSEGISUS ex Cœnobio S. Michaëlis apud Bellovacos, rebus geſtis ac legationibus inſignis, cui Primatis dignitatem Senonenſes Pontifices acceptam referunt. Obiit eodem anno, quo Ludovicus Caroli Calvi filius, teſte Clario, id eſt anno DCCC.LXXXII, & quidem VII Kal. Decembris triſtante mundo, lætante cælo, ſepultuſque eſt in Cœnobio S. Petri, in oratorio S. Bartholomæi. *Ejus mentionem facit apud Perardum Eccardus Comes in Teſtamento ſuo, in quo* ENSCHISÆ Archiepiſcopo *legat* tapetem meliorem unum, Geſta Longobardorum libro uno, & Chronica quæ Gregorius Turonenſis fecit libris duobus, & phialas argenteas duas. Anſegiſus Archiepiſc. Senonenſis.

2. *Huic* ſucceſſit nutu divino domnus EVRARDUS, Monachus & Præpoſitus ſanctæ Columbæ, IV Kal. Maii, doctrinâ & virtutibus mirabilis, *inquit Clarius Monachus in Chronico S. Petri Vivi.* Cujus tempore, *eodem Auctore referente*, gens Normannorum incredula per Gallias ſe ſe diffudit, totius crudelitatis genere debacchata. Quinto igitur anno ordinationis ſuæ venerunt Senonas vaſtantes omnia. ſiquidem ſubverſa ſunt caſtra, deſolatæ urbes, deſtructæ eccleſiæ, ſuccenſa Monaſteria .·.·. Interea hoſtilis exercitus Senonem oppugnabat civitatem, eamque omni arte quæſitis machinis capere niteba- Evrardus ſucceſſor.

Ann. Chr. DCCC LXXXVIII tur, obſidens eam menſibus quinque. *Id contigit anno* DCCC LXXXVIII.

Febr. 1. 3. In illis diebus, *ſubdit Clarius*, Evrardus Archiepiſcopus languore correptus obiit Kal. Februarii, ſepultuſque eſt in baſilica ſanctæ Columbæ in oratorio S. Martini: cui ſucceſſit ſequenti menſe domnus Walterius nobilitate & ſcientiâ clariſſimus. *Paullo aliter de Walterio ſentit Regino Abbas Prumienſis in Chronico ad annum* DCCC LXXXVIII, *quo obſidionem Senonenſem & Evrardi obitum conſignat.* Inter ipſas verò obſidionum anguſtiâs Ewerhardus ejuſdem loci Metropolita, vir totius ſanctitatis & ſapientiæ nitore fulgidus, corporeis vinculis abſolutus ad cæleſtem patriam tranſiit: in cujus cathedram ſublimatus eſt Waltharius nepos Waltharii Aurelianenſis urbis Epiſcopi, longè inferior prædeceſſore moribus, religione & philoſophiæ ſtudio. *Nihil pro Evrardo illuſtrius ſcribi poteſt elogio Reginonis, cujus ſanè auctoritas eò me movit, ut Evrardi in his Actis mentionem facerem. Hujus obitum refero cum Reginone ad ineuntem annum* DCCC LXXXVIII, *& quidem Kal. Februarii, ut habet non ſolùm Clarius, ſed etiam veterrimum Cœnobii S. Germani à Pratis Necrologium, cujus hæc verba ſunt ad eum diem.* Depoſitio EVRARDI Epiſcopi. *Is eſt (ni fallor) Ebrardus Monachus, Lupi Abbatis Ferrarienſis propinquus, cui ipſe direxit epiſtolam 35. in qua eum monet, ut in conſectandis ſtudiis non tantùm quærat* cultum *ſermonis, ſed etiam* morum probitatem: *tum ut facto ſectæ philoſophicæ delectu alias ne ſpernat: ac demum ut quicumque religionis Chriſtianæ gradus præ ceteris ipſius animo ſederit,* ſervatâ cæterorum reverentiâ *in eo de die in diem proficere contendat. quæ tria monita obſervatione digna ſunt. De Evrardo Abbo Monachus in libro de obſidione Pariſiaca ita canit.*

Obit anno 888. Laudatus à Reginone.

Tempeſtate ſub hac Hugo Princeps obit Abba:
EVRARDO Senones viduantur Præſule docto.

Betto Epiſc. ejus conſanguineus. 4. *Evrardi conſanguineus & ferè æqualis fuit* BETTO, *Epiſcopus Autiſiodorenſis, de quo infrà.*

TRANSLATIO RELIQUIARUM SANCTI GENTIANI MARTYRIS IN MONASTERIUM CORBEIENSE,

Circa ann. DCCC XC Maii VIII.

Auctore Monacho Corbeienſi anonymo.

Ex mſ. codice ejuſdem Cœnobii annorum 700.

OBSERVATIO PRÆVIA.

1. CUM *Gentianus, Fuſcianus, & Victoricus Martyres ex villa Sanctis**, *ubi ab ipſo martyrii tempore ſepulti jacuerant, ad majorem eccleſiam Ambianorum tranſlati eſſent Childeberto Rege Clodovei Magni filio, Honorato Ambianenſi Antiſtite; ibidem eorum corpora ſervata ſunt ad finem uſque ſæculi IX. quo tempore Otgerus ejus urbis Epiſcopus Victoricum eccleſiæ Veromandenſi ſeu S. Quintini, Gentianum Corbeienſi conceſſit, ut ſequens narratio commemorat. Id factum Odone Rege, id eſt ſub annum* DCCC XC. *Dum Nevelo, Corbeienſis ante annos quingentos Monachus, in ſuo Martyrologio notavit his verbis.* VIII Id. Maii exceptio corporis S. GENTIANI Martyris, quod divina diſpoſitione à venerabili OGERO

* Sainſis

Ambianenſium Præſule piæ memoriæ Abbati FRANCONI donatum, & evidentibus miraculorum ſignis glorioſè tranſlatum, cum ceteris Patronis digne collocatum veneratur, & ſemper venerabitur.

CIRC. ANN. DCCC XC. MAII VIII.

INCIPIT TRANSLATIO

ſanctiſſimi Gentiani Martyris.

1. ELEGANS eſt ſententia filiorum Eccleſiæ, matrem ſcilicet quibus quiſque valet ornamentis decorare. Nihil enim bona voluntate ditius apud Deum: apud quem quanti habes, tanti eſt comparatio regni cælorum. Hinc adſtat regina à dextris Dei varietate circumdata: cujus varietatem ornant mores, non aurum, argentum, &c. licèt ſint ornatus, mores & talia. Eccleſialis quippe acquiſitio cæleſtis eſt utique theſaurizatio, ubi tineæ aut æruginis nulla eſt corruptio. Qua in re non obſcuri Corbeienſium Patres, qui ſibi ſucceſſerunt per tempora & vices, magis ſtudebant anteceſſores felicitatis ſucceſſu præcedere, quàm in ipſius honoris gradu ſuccedere. Malebant quippe prodeſſe, quàm præeſſe: & injuria cuilibet eorum videbatur minorari in qualibet utilitate. Inde, licèt reciſa ſit, maxima quæ fuit amplitudo terrarum, & ea quæ adhuc indicio eſt ædificatio eccleſiarum, omniumque (ſicut antiquitas teſtatur) honeſtas rerum. Inde eſt etiam illa tantarum reliquiarum collectio, quarum ſuper omnia viguit, viget, & vigebit Corbeia privilegio, cum reliquorum tamen, maximè ſancti Martyris GENTIANI fulta patrocinio. cujus quia cauſâ hæc cœpta eſt deſcriptio, ſubſequendum quàm glorioſè ejus glorioſa celebrata ſit tranſlatio.

Corbeienſium ſtudium in reliquias.

Poſſeſſiones imminutæ.

2. Tempore quo Rex ODO Francorum agebat in ſceptris, præerat Corbeiæ Abbas FRANCO ſummæ liberalitatis; OTGARUS verò beatæ memoriæ Pontifex Ambianenſium feliciter clarebat in infulis: qui ab eccleſia Virmandenſi aſſumtus, & pro ſui merito Ambianenſi deſponſatus, cujus primo lacte dulciter fuit lactatus, ut talem decuit filium, ſemper permanſit memorioſus. Coluit enim eam qua potuit veneratione, fovit & exaltavit qua debuit filiatione, Virmandenſes & Ambianenſes in Chriſto unum voluit eſſe. Voluit & fecit theſauris, quibus maximum pretium fuit, ex his nutricem ſuam ampliavit. Sejungens enim à ſanctis Gentiano & Fuſciano Martyribus Martyrem VICTORICUM, Virmandenſibus cum grandi honore deſtinavit habendum. Quæ res fuit quidem his honori & lætitiæ; illis autem oneri & triſtitiæ: ſed reverentia Epiſcopi modum poſuit utriſque.

Otgerus Virmandenſibus dat S. Victricum.

3. Hac ergo ſpe ſimiliter illectus Franco Abbas Corbeienſis (cujus ſuprà fecimus mentionem liberalitatis) omni arte & opera cœpit ſatagere, quatinus ſimile quid ab Epiſcopo poſſet extrudere. Et quia labor omnia vincit, labori ingenium addidit; ingenio ſtudium appoſuit. Nec erat difficilis exitus, quia plures ſuppetebant res ad petendos aditus. Primò quia Abbas erat Corbeiæ, quæ dignitas erat prægrandis eo tempore. Deinde quia nobiliſſimus erat provincialium. Poſtremò quia frater ejus, nomine HARMENFRIDUS, Conſul erat Ambianenſium. Cui cùm tot opportunitates adeſſent; addidit etiam alia quæ hæc omnia ſuperarent, amicitiam ſcilicet apud Epiſcopum, & (quod amicos ſemper parere ſolet) joge obſequium. Non deeſt ſibi muneribus, omnibus inſtat quibus tanti viri credit inclinandos affectus. Quibus rebus ita ſibi devinxit eum, ut jam idem velle & idem nolle inciperet eſſe amborum, anima una & cor unum. Cùm ergo amicitia in tantum profeciſſet, ut Epiſcopus ſine ejus conſilio nihil feciſſet, videns Abbas ſibi ex omni parte aditum patêre, quia locus, perſona & tempus competit in omni negotio & arte, competentem locum petendi cœpit opportunius circumvenire, & adeptus opportunitatem: Domine, inquit, Præſul, ſi valerent preces meæ apud tuam ſublimitatem, vellem impetrare à te noſtræ aliquam dilectionis conſtitutivam benedictionem. Erit autem talis benedictio, ut adimpleta tuo beneficio, gratia te donet in præmio. Quicquid, ait Epiſcopus, illud eſt, pete. non enim æquum eſt me tibi quicquam negare, etiamſi aliquid injuſtum peteres aut difficile. Obtinet quippe inter amicos amicitia, ut quæque quantumcumque difficilia, etiam inter caſus compenſet facilia. Tu tantùm edicito, meum erit ſupplere; ſi quid quivero, ut in ceteris rebus, ita in hoc quoque tuo comitante conſilio.

Corbeiæ Gentianū. Fulcone Abbate agente.

4. Eccleſiaſticum eſt, inquit Abbas, quod petere volo: nec omnino extraneum ab Epiſcopo: ſed quod tibi adjacet, providere in tuo Epiſcopio. Eccleſia denique cui præſum, cùm multæ ſit auctoritatis, non quot & quantis & quibus vellem illuſtratur reliquiis. Et quia plateæ Ambianenſium non tot ſternuntur pæne lapidibus, quot corporibus Sanctorum; vellem à tua paternitate, ſi promeruiſſet amicitia noſtra, petere ſanctum Martyrem Gentianum. Cur enim obſcurat duos concluſio unius loci, cùm ex altero eorum poſſet integrum

Circ. ann. DCCC XC. Maii VIII.

regnum illuſtrari? Si ergo eum nobis promittis habere, tunc quidem incipies ſecuriùs poſſidere, quia & habebis, & habentibus poteris imperare. Hæc eſt mea petitio, quam ſi adimpleveris aliquo modo, quamdiu ſubſiſtet Corbeia, ſubſiſtet ſimul & tui memoria. Non ignoras, ait Epiſcopus, ô Abba, ea quæ petis, quàm ſunt difficilia; ſed apud amicum tuta ſunt omnia, & majora his novit præſtare amicitia. Tu interim quieſce paullulum: ego cùm vacuum mihi fuerit, cum quibus conſuevi habebo conſilium, & pro hac re conciliabo mihi voluntates cuſtodum. Hac enim in re & ſimilibus magis eſt utendum ingenio, quàm viribus.

Epiſcopus pollicetur.

Abbas Epiſcopum ruſus convenit.

5. Ad hæc Abbas diſceſſit, & parens Epiſcopo ad tempus quievit; quievit quidem, ſed non animo. animus quippe perſiſtebat non deſiſtere ab incœpto. Tanta erat voluntas perficiendi quæ divinitus acceperat deſiderium volendi. Sed & angebant eum mordaces curæ. Cùm enim conſilium commiſiſſet extraneis, non ignorabat, quia quot homines, tot ſententiæ. Præterea metuebat ne terreret conſultores novitas rei tantæ. Unde quia ſemper nocuit differre paratis; paucis paullo pòſt diebus interpoſitis, quaſi ſub alio negotio, non ob aliud tamen, remigrat Ambianis. Providente itaque Dei clementia, omnia ſibi invenit proceſſiſſe ex ſententia, ſuique amicitiam ab Epiſcopi non exceſſiſſe memoria. Habuerat denique conſilium cum ipſius theſauri cuſtodibus, quorum ſibi obſequio comparatis voluntatibus, integram ab eis ſacramento acceperat fidem ſuam, & Abbatis in omnibus exſequendi juſſionem. Cumque Abbas veniſſet ante eum: Ecce, inquit, domine, adſum, reſcire volens ſi noſtræ petitioni arridet tuæ paternitatis conſilium. cui congaudens Epiſcopus, & clam vocatis amborum fautoribus; Iſti, inquit, erunt tui adjutores & ſecretorum fideliſſimi ſervatores. Modò inter vos tractate, & qualiter res agatur, prudenter decernite. Ego enim abſcedam, quia non requirunt talia mei præſentiam. Vos videritis me tantum negotium commiſiſſe prudentibus viris.

Epiſcopo diſcedente rem exſequitur,

6. Dixit, & ab urbe diſceſſit. timebat quippe ne aliqua turba ſe præſente fieret: quod etiam abſente contigit. Siquidem ex una parte urbis diſcedente Epiſcopo, ex altera diſſimulando regreditur Franco, deſignato tamen conſecretalibus ſuis tempore veniendi & conveniendi loco. Sicque rediens Corbeiam, aſſumtis dilectis Monachis, quos dignatus eſt ferre Martyris thecam, aſſumſit ſecum etiam armatorum multitudinem copioſam: & noctu tendens Ambianis, conductam aciem, ut ſe opperiretur jubens, conſtituit locis opportunis: ipſe verò cum paucis urbem ingreſſus, divertit ubi edixerat cooperatoribus ſuis. quibus repertis cùm omnia ſomnus & tenebræ tenerent, eccleſiam petit cum ſilentio; & admiſſus intra eccleſiam, deinde intra Sanctorum cuſtodiam, ejus quem tanto amore, labore & deſiderio quæſierat, amplexus glebam Martyris, cum ſumma reverentia impoſuit Monachis ſuis. ſicque voluntatem ſuam ex integro adeptus, valedicendo ſecretorum ſuorum conſcius, iterum eccleſiam egreſſus, ſocios extra urbem repetit feſtinus: quos ſtatim ex tantæ rei efficientia rei tantæ competenti exhilaravit lætitia.

Ambianis inſequentibus,

7. Et aggreſſi iter properant quidem gaudenter, ſed tamen veneranter. Jamque cedebant aſtra paullatim rutilante aurora. Cumque ſol matutinus illuxiſſet, & fama hæc ſubitò in urbe percrebuiſſet, fit turba populorum, & clamor ad excutiendum. Armantur, inſequuntur, vociferantur, injuſtè ſibi tolli Martyrem conqueruntur. Hortantur ſe invicem ad pugnam, juſtam ſibi eſſe cauſam; urbem, ſi neceſſe ſit, refugio vicinam. Quibus viſis Corbeienſes non minùs Deo & Sancto & per eos ſuis armis confidentes, nulli verò rei Deo auxiliante præter fugam diffidentes, procedunt ut cœperant alacres: poſteriores armati; qui autem Sanctum geſtabant, anteriores. Jamque utraque acies in armis conveniſſet, niſi Deus qui rem diſponebat, ipſe quoque bellum compoſuiſſet, & utriſque obſtaculum ne concurrerent, mirabiliter oppoſuiſſet. Pruina ſiquidem tanta ſubitò circumdedit oculos Ambianenſium, ut nedum Corbeienſes neque ſuorum videre poſſent ſummitates telorum: ut nulli quoque eorum dubium foret, quòd hæc fuerit diſpoſitio Dei & Sancti, non alicujus mortalium. Sicque juniores à ſenioribus, quibus altior ſenſus erat, reducti, quia taliter ſe res haberet, omnia committunt ſummæ voluntati; ſapientiores utique Ægyptiis, dum maluerunt redire, quàm inconceſſa ſequi.

ſed impeditis.

Sacra pignora Corbeiæ accepta.

Corbeienſes igitur à tergo liberi ab hoſtibus, facies autem illuſtrati venuſto lumine cælitus, ſpatiatis, ut cœperant, incedunt paſſibus: quibus concurrens omnis vicinia, eorum, ſcilicet quos fama præcurrens exciverat ad tantæ exſultationis gaudia, inſtant laudibus, precibus & votis; nullumque vacat iter, accurrentibus multis. Omnes ambiunt ſubſequi aut ire, grandiſque levatio peccatorum ſperatur vehiculum Sancti contingere. Cumque perveniſſent Corbeiam, qui relicti fuerant utriuſque ſexus, exeunt eis obviàm, & ordita decenti proceſſione decenter ſuccedunt, in tanti Martyris tranſlatione. Gaudent, immo certant mutare onus, & pene ſunt tot portitores, quot hominum paſſus. Tali cum reverentia in Principis Apoſtolorum locatur eccleſia, ubi ſedem ſibi placuiſſe multarum ejus virtutum indicio ſunt inſignia. Niſi enim voluiſſet, tenebris oculos Ambianenſium tenentibus

ſe

ſe transferri non permiſiſſet : & ſi ſe invito fuiſſet tranſlatus, locum tranſlationis non tot ſignis totiens fuiſſet dignatus. Sed abſque dubio integra fuit in corde Epiſcopi divina diſpo- Circ. ann. DCCCXC. Mai VIII. ſitio, per quem ne triplex lucerna lateret ſub uno modio, per ampla diffunditur lumine trino. Hinc habet Ambianis Fuſcianum, Corbeia Gentianum, Vernianda Victoricum, quod Deo & ſibi placuiſſe in inventione eorum ſatis conſtitit futurum.

9. Denique cùm per Angelum corpora eorum revelata fuiſſent LUPICINO cuidam ve- Pariſiis olim negata. nerabili Preſbytero, & per eum beatæ memoriæ HONORATO tunc Ambianenſium Epiſcopo, fama quoque volante notificata Regi Francorum CHILDEBERTO; Rex miſſis Sacerdotibus, qui tunc fortè aderant palatio, jubebat Pariſius transferri cum honore ſummo. Itur, conatur : ſed conatus perit, quia non ita Deus diſpoſuit. Cùm enim voluiſſent eos attollere, non plus proficiunt quàm ſi vellent totius mundi machinam levare. Adhibetur multitudo hominum : ſed contra Deum non eſt ratio nec conſilium. Tanti ponderis voluerunt conſtare, terram quam ſanguine ſuo ſacraverant, non deſerere. Gratia illis & tibi, Chriſte, qui quos aliis negaſti, nobis dignatus es præſtare, qui vivis & regnas Deus cum Patre & Spiritu-ſancto ſine fine.

MONITUM.

HOC eodem aut inſequenti anno contigit tranſlatio corporis S. Viventii Confeſſoris in caſtrum Burgundiæ Vergiacum diœceſis Æduenſis : quod corpus ingruente Nortmannorum tempeſtate, nimirum anno DCCCLXVIII, *primùm ex Gravione caſtello veterrimo pagi Pictavenſis in Burgundiæ Comitatum Amauſum delatum eſt, repoſitumque in quadam poſſeſſione ſex millibus diſtante ab Arari * flumine, ubi Cœnobium condidit Agilmarus Præſul Arver-* * la Saone *nenſis, loci dominus : dein Cœnobiolo combuſto tranſlatum Vergiacum *, quo in loco Manaſ-* * Vergy *ſes Dux cum uxore ſua Hermengarde Monaſterium condidit*, in territorio Auguſtodunenſi. *Hæc fuſiùs apud Bollandum in Januarii tomo* 1. *Vergiaci nunc Prioratus eſt à Divionenſi S. Benigni Monaſterio dependens.*

DE
SUNZONE ſeu SUNDEROLDO ARCHIEPISCOPO MOGUNTINO.

Ann. Chr. DCCCXCI. Jun. XXVI.

1. QUI à *Reginone* SUNZO, *à Lamberto Scafnaburgenſi* Sunderoldt, Sunzonis geſta. *ab aliis pleriſque* Sunderoldus *dictus eſt, ex Monacho Fuldenſi raptus eſt ad ſedem Moguntiacenſem, poſt Rabanum, Carolumque (de quibus hoc in tomo) atque Liutpertum, cui Sunzo ſucceſſit, & quidem anno* DCCCLXXXIX. *Brevis fuit ejus epiſcopatus. ſiquidem biennio poſt à Nortmannis cæſus eſt. Cùm enim Arnolfus Rex in extremis Bajoariorum finibus moraretur, & duobus in Gallia præliis attriti eſſent Nortmanni, in Belgium ſe ſe infuderunt; Moſaque circa Leodium trajecto longè lateque populati ſunt omnia. Miſit Arnolfus, quæ ipſorum licentiam coercerent, copias, in quibus & Sunzo noſter. Sed* ingravato prœlio, *ait Regino*, Chriſtianorum exercitus, peccatis fa- Mors per Nortmannos. cientibus, heu prô dolor, terga vertit : in quo prœlio Epiſcopus urbis Sunzo & Arnoldus Comes occubuerunt. Fuit verò hæc cædes facta VI Kal. Julii. *id eſt die 26 Junii. non 16 ut apud Democharem. Prælium iſtud prope Moſam & locum qui* Giulid *vocatur, commiſſum eſt, non ad Rhenum ſeu Wormatiam, ut ſcribit Marianus, & ex eo Sigebertus, qui Sunderoldum* Wormatiæ martyrizatum *tradit. Hinc Sunderoldum Martyrem appellat Trithemius in hiſtoria Hirſaugienſi, & poſt eum noſtri. Id non ſine ſcrupulo admittit Serarius in rerum Moguntiacarum lib.* 4. Alioquin, *inquit*, omnes qui contra infideles arma gererent, & in bello

ANN CHR. DCCC XCI. JUNII XXVI.

caderent, Martyres dicendi forent. Nollem hac in re moroſior eſſe, ſi alia conſtarent, id eſt hominis mores, bellandi animus, mortis cauſa, & (quod nonnulli in argumentum trahunt) patientia in extremo agone. Sunzonis corpus honorificè Mogontiam relatum & apud S. Albanum ſepultum fuiſſe docet liber mſ. apud Serarium, qui ex eo codice refert Sunzonis epitaphium, nullius pæne momenti.

Succeſſores è noſtris.

Sunzoni in pontificia dignitate ſuffectus eſt HATTO ſeu OTTO, qui in Augia Monaſterio multorum Pater exſtiterat Monachorum, ex Reginone: Hattoni HERIGERUS, & ipſe Abbas Fuldenſis ex codice mſ. apud Serarium: Herigero HILTIBERTUS ſeu HILDEBERTUS Abbas ex Fuldenſi item aſceterio: ac demum FRIDERICUS hujus ſucceſſor, itidem Fuldenſis Cœnobita. Sic ferè hereditaria poſſeſſione à S. Bonifacio ad poſteros tranſiit dignitas Archiepiſcopatus Moguntini. Hic alios ſubſequentes omitto.

ANN. CHR. DCCC XCV. JUNII XV.

SANCTI AURELIANI
EPISCOPI LUGDUNENSIS
ELOGIUM HISTORICUM.

Aureliani memoria in Martyrologio.

1. FLORUIT ſæculo VI Aurelianus Arelatenſis Epiſcopus, ſedis Apoſtolicæ Vicarius à Vigilio Papa creatus, qui Concilio Aurelianenſi quinto ſubſcripſit ſecundo loco, obiitque Lugduni XVI Kal. julii, ut in Martyrologiis Uſuardi & Petri Equilini legitur. Tertio pòſt ſæculo Lugdunenſem eccleſiam rexit ejuſdem nominis Antiſtes, Remigii ſucceſſor: de quo Uſuardum & Petrum Equilinum in loco mox citato interpretandos eſſe contendit Jacobus Severtius in ſerie Archiepiſcoporum Lugdunenſium, ratus nullum Pontificem vocabulo Aurelianum Arelatenſibus præfuiſſe, ſed Aurelium. Severtium hac in parte refellit Theophilus Rainaldus Societ. JESU Theologus in Indiculo Sanctorum Lugdunenſium, ubi diem XVI Kal. Septembris, qui Aureliani Epiſcopi memoriæ conſecratus eſt, non Lugdunenſi, ſed Arelatenſi Epiſcopo tribuendum eſſe probat ex Martyrologiis Romano, Uſuardi & Adonis, quæ ea die Aureliani Arelatenſis Epiſcopi apud Lugdunum mortui meminerunt. Inſtar omnium erit Uſuardus, cujus hæc verba lego ad prædictum diem in autographo: Lugduni depoſitio beati AURELIANI Epiſcopi Arelatenſis. Idem Aurelianus, non Aurelius, appellatur tum in epiſtola Vigilii Papæ ad ipſum, tum in ſubſcriptionibus Concilii quinti Aurelianenſis apud Sirmondum. tametſi apud Democharem & Baronium, quorum auctoritas fefellit Severtium, Aurelius vocatur. Itaque Arelatenſi Aureliano dies XVI Kal. julii in Martyrologiis notatus convenit, non Lugdunenſi: qui an Sancti Beative nomine donandus ſit, dubitant nonnulli, propterea quòd nullum (ut putant) hujus rei fundamentum ſuppeditent ſive Lugdunenſis Eccleſia, quæ neutrum ipſi nomen tribuit; ſive priſci Auctores, aut vetera monumenta. Menardus noſter Benedictinis tabulis & Andreas Sauſſaius Gallicani Martyrologii ſupplemento Aurelianum Lugdunenſem addidit eodem die, quo Aurelianum Arelatenſem; uterque adductus (ut puto) Severtii auctoritate, qui Aurelianum Lugdunenſem Sancti prænomine donavit, contra veterum omnium indicum fidem, ait Rainaldus. At non placet hæc Rainaldi cenſura. Siquidem Aurelianus non ſolùm in libello de tranſlatione ſanctorum Florentini & Hilarii ſanctus Abba vocatur; ſed etiam in ſecundo indice Lugdunenſium Epiſcoporum apud Chiffletium edito in Paulino illuſtrato, qui index in Hugone deſinit exeunte ſæculo XI; & in brevi ejuſdem tempo-

ANN. CHR. DCCC XCV JULII IV.

ris Chronico Athanacenſi ſanctus Aurelianus *appellatur. Quo fit ut citra temeritatis notam hunc Aureliano titulum tribuendum exiſtimem; cumque mereri videntur ejus rectè facta, quæ ex ſubjecto Elogio elucéſcent.*

Aureliani patria & parentes.

2. Aurelianus in provincia Lugdunenſi nobili genere ortus eſt, Aureliano patre, matre Adalſona. Horum nomina diſcimus ex ipſius Aureliani teſtamento, in quo fratres alioſque conſanguineos ſuos bis commemorat, ac donationes variorum prædiorum, quæ cum in provincia Lugdunenſi ſita ſint, etiam donatoris patriam nobis indicant.

Clericatus & aliæ dignitates.

3. Juvenis in Clericalem ordinem adlectus, poſtea Auguſtodunenſi eccleſiæ Archidiaconus datus eſt, *ut legimus in Hiſtoria Tranſlationis SS. Florentini & Hilarii, de qua infrà. Haud ſcio an idem ſit Aurelianus Notarius, qui Præcepto Caroli Burgundiæ Regis ſubſcripſiſſe invenitur in Spicilegii tomo 12 pag. 123. Præterea Abbatiam Athanacenſem *, quæ Lugduni ſita eſt ad confluentes Araris & Rhodani, in beneficium accepit eo tempore, quo Monaſterium iſtud Monachis deſtitutum erat, ut mox patebit.*

* Aiſnay

Athanaci reformator

4. Incultum & deformem Cœnobii ſui ſtatum ingemiſcens pius Abbas, iſtud ad primarium ordinem revocare, & Monachorum cœtu denuo exornare ſategit, quos ex Monaſterio Bonævallis apud Carnutenſes tum florente advocavit. Hujus conſilii adjutores habuit Comitem quemdam, ejuſque conjugem: quorum nomina necdum reſciire potui. Rem totam ad poſteros tranſmiſit ejus temporis Auctor in libello de tranſlatione ſanctorum Florentini & Hilarii inferiùs edendo, ex quo nonnulla præmittere juvat hoc loco. Tunc temporis etiam Athanacenſe quondam Cœnobium Monachis derelictum erat, quod idem pius vir ad antiquitatem reformare deſiderans, annitentibus illuſtribus perſonis Comite & præclara conjuge ipſius ſollicitus huc illucque cœpit exquirere, qui ſervi Dei locum implerent, & hinc inde quos in monaſtico ordine fervere vidit colligere: ſed cùm totam inde ſpem ſuam Deo commendaſſet, ecce miſericordia omnipotentis Dei conſolationem in hac parte dedit. Eſt namque quoddam Monaſterium religioſis viris bene fundatum, religioſo Prælato cautè præmunitum, quod Vallem-bonam circummanentes dicunt. Inde Dei munere clarum numerum Monachorum à Patre loci expoſtulavit. Ille autem benignè poſtulata conceſſit, Monachos regulari ordine nutritos dedit: hic verò non ſegniùs recepit, & ut ſacrum locum religioni priſtinæ reformarent, viribus quibus valuit, juvando invitavit, & munus de quo ardebat ſe accepiſſe, incomparabiliter lætatus eſt.

Monachus.

5. Ordinato Athanacenſi Cœnobio Aurelianum monaſtica vitæ nomen dediſſe non dubitaverim. Illud enim eo tempore ferè in more poſitum erat, ut cùm Abbas aliquis ſæcularis Cœnobium ſuum Monachis, qui antea inibi deſiiſſent, reſtitueret, ipſe ad monaſticum accederet inſtitutum, ut Patris & Abbatis nomen & officium gerere poſſet. Exemplo eſt Othmarus Presbyter, qui cùm Cellam ſancti Galli Monachis denuo aptaſſet commendaſſetque, ipſe in primis clericalem vitam regulari commutavit. Idem etiam præſtitit Sigulfus Abbas Ferrarienſis, cùm Monachos Canonicorum loco ſubſtituit in Cœnobium Ferrarienſe. Huc plura alia ejuſmodi exempla congerere poſſem. Ut verò idem etiam ſentiamus de Aureliano, ſuadet in primis diploma Caroli Regis, conditionem Saxiacenſis Monaſterii confirmantis eo tenore, ut Remigius *Lugdunenſis Epiſcopus* viro venerabili Aureliano, qui loco Abbatis præeſſe ac prodeſſe debeat; Monachiſque inibi habitantibus *Saxiacum ejuſque appendices approbaret. Jam tum ergo Aurelianus novi Cœnobii Saxiacenſis Rector deſignatus erat*, qui loco Abbatis præeſſe & prodeſſe deberet. *quod ſanè munus non alteri, quàm Monacho convenire canones docent:* quoniam monachico Ordini præficere vel laïcum, vel canonicum, non eſt ſervare Ordinis profeſſionem, ſed evertere, *inquit Nicolaus Papa I in litteris ad Traſulfum Corbeienſem Abbatem. nec facilè in animum inducere poſſum, ſurgentis Monaſterii regimen homini ſæculari deſtinatum fuiſſe. Primus quidem ejus loci Abbas fuit Badilo, ut*

Acta SS. Ord. S. B. Sæculi IV. Pars I.

Ann. Chr. DCCCXCV Jul. IV.

inferiùs patebit, non Aurelianus: at probandæ rei quam intendo, ſufficit, ut Aurelianus deſignatus fuerit ad regendum Monaſterium novum, quod ipſe Badiloni committere ſatius duxit, Athanacenſi prælatura contentus. Accedit quod Aurelianus Saxiácenſe Monaſterium, non ex rebus propriis dotavit, ſed ex rebus, quas à parentibus pio ſtudio quæſivit, pieque impetravit, *teſtantibus litteris infrà ſcriptis: nimirum quòd ſeveriores Monachorum leges amplexus, omnem poſſeſſionem propriam abdicaſſet. Sunt qui Aurelianum Nantuaci Aſceterii Monachum & Abbatem faciunt. Ita Guicheno in Hiſtoria Sebuſiana, & ex eo Johannes Maria de Mura in Hiſtoria eccleſiæ Lugdunenſis. Aurelianum, antequam eſſet Abbas Athanacenſis, Archidiaconum lego apud veteres, Monachum non lego Nantuaci, Abbatemve.*

6. *Hæc dicta ſint de Aureliani monachatu, deque reſtitutione Athanacenſis Monaſterii, cujus origo & primordia mihi hactenus non ſatis explorata ſunt. Dictum eſt* Atanacum *ſeu* Athanaum, *recentiores legerunt* Atheneum, *hinc opinati eo in loco Græcæ Latinæque linguæ gymnaſium antiquitus exſtitiſſe. Iſtic martyrium paſſi ſunt quadraginta octo Martyres Lugdunenſes, quorum exuſta corpora, & cineres in Rhodanum conjecti, poſtea diligenter collecti ſunt à fidelibus Chriſtianis, qui ædi*ficaverunt baſilicam miræ magnitudinis in eorum honorem, & ſepelierunt beata pignora ſub ſancto altari, *inquit Gregorius Turonenſis Epiſcopus in lib. I de miraculis Martyrum cap. 49.* Locus autem ille in quo paſſi ſunt, Athanaco vocatur, ideoque & ipſi Martyres à quibuſdam vocantur Athanacenſes. *Ita ille. Baſilicæ adjunctum eſt Monaſterium etiam ante ipſius Gregorii ætatem, quod poſtea deſtructum, à Brunechilde Sigeberti Regis conjuge inſtauratum ferunt.*

Florentini & Hilarii reliquias transfert.

7. *Præter horum Martyrum reliquias Athanacum etiam poſſedit ſanctorum Martyrum Florentini & Hilarii corpora, quæ Aurelianus Pſeuduno, ubi tumulus eorum neglectus erat, Lugdunum illata, partim in Monaſterio ſuo retinuit, partim Bonavallenſibus Monachis conceſſit. Rem geſtam poſteris commendavit ejus temporis Auctor, Monachus (ut quidem mihi videtur) Bonavallenſis, qui libellos duos, unum de paſſione, alterum de tranſlatione & miraculis ſanctorum Martyrum ſcripſit. Utrumque libellum inveni in membraneo codice Remigiano, ſub initium ſæculi X exarato, ex quo hiſtoriam tranſlationis huc adducere viſum eſt, præmiſſis*

Eorum paſſionis tempus.

nonnullis verſibus ex libello paſſionis, ut tempus Martyrum & locus paſſionis (quod utrumque hactenus non ſatis compertum eſt) poſteris innoteſcant. Paſſionis tempus ita exprimit Auctor. Cum rabies Guandalicæ perſecutionis & inſania circumquaque populos diriſſimè premeret, & eadem gens ab ultimis finibus Galliæ egreſſa, ab ea parte ſcilicet qua Windelicus fluvius (unde & ipſis nomen) Galliis præterfluit, maximam partem orbis depopulando afflixiſſet; tunc temporis beatus Florentinus mundo adhuc militiam exercens, finibus Æduorum, non longè tractum [*ſeu*] pagum Duſmenſem inhabitabat. *Id contigit ineunte ſæculo V. Locus paſſionis quem Auctor ſuperiùs quadamtenus indicavit, ſignan-*

Locus Pſeudunum.

tiùs in conſequentibus declaratur his verbis. Gens barbara cùm hac illacque ferocitatis ſuæ vaginam extenderet, non civitati, non populo cuiquam parcens, ſed caſtra deiceret, habitatorum loca cremaret, habitatoreſque gladio perimeret, & terrorem ubique ſpargeret; tandem Pſeudunum caſtrum cum Croco Rege ſuo advexit, ubi tunc beatus Florentinus habens in collegio ſuo juſtitiæ virum Hilarium virtutibus operam dabat. *Ibi martyrio affecti Martyres tumulum habuere. Itaque locus ubi necem paſſi ſunt, erat* in finibus Æduorum *& quidem non longè à* pago Duſmenſi, *vulgò* le Dueſmois, *qui Aleſienſi conterminus eſt. Denique loco vocabulum erat* Pſeudunum, *non* Sedunum, *uti hactenus creditum eſt. Idem legitur in membraneo codice quondam Regalis-montis, nunc autem noſtro ex beneficentia viri numquam ſatis à litteratis viris prædicandi, Vionis Herovallii, qui codicem cum aliis in benevolentiæ ſuæ monumentum nobis conceſſit. Accedit Uſuardus in Martyrologio ad diem V Kal. Octob. ubi ſic lego in*

ipſius autographo. Caſtro Pſeuduno ſancti Florentini, qui unà cum beato Hilario poſt abſciſionem linguæ gladio juſſus eſt feriri. *Hinc corrigendi editi, in quibus legitur* caſtro Seduno, *quod hactenus viris litteratis errandi occaſionem dedit, ratis ſanctos Martyres Seduni ad Rhodanum occubuiſſe. Pſeudunum cum Uſuardo ſcripſit etiam Ado in Martyrologio, cujus verba quæ deſunt in editis ita exhibet veterrimus codex noſter Germanenſis.* In territorio Auguſtudunenſi paſſio ſanctorum Martyrum Florentini & Hilarii, qui cùm apud caſtrum Pſeudunum Chriſtianitati operam darent, & jejuniis & orationibus atque eleemoſynis inſervirent; tandem tempti ſunt præcipiente Croco Rege Wandalorum, qui Galliam vaſtabant, atque pro fide Chriſti per oris contuſionem, per dentium effractionem, atque linguarum eradicationem capitali ſententia puniuntur v Kal. Octobris. *Nevelo, Corbeienſis deſinente ſæculo* XI *Monachus, in Martyrologio ſuo mſ. quod eſt Adoniani ferè compendium, iiſdem verbis utitur, niſi quòd caſtrum* Seudunum *ſcribit, litterâ* P *detractâ: ſed illud caſtrum cum Adone ſtatuit* in territorio Auguſtidunenſi. *Eodem die Gellonenſe Martyrologium ab annis nongentis manu exaratum, recèns editum in Spicilegii tomo* 13, in Eduis *S. Florentini martyrium reponit. Hinc corrigenda Martyrologia vulgata Uſuardi, Petri de Natalibus, Romanum, Gallicanum, & alia; corrigendi Auctores recèntiores, qui locum paſſionis ſanctorum Martyrum ſtatuère Seduni, cujus loco veteres membranæ præferunt* Pſeudunum. *Hoc nomine opidum S. Florentini, quod vix quatuor ab Autiſiodoro civitate leucis diſtat, deſignari primùm exiſtimavi. At quoniam locus iſte, non ad Æduenſem, ſed ad Senonenſem diœceſim pertinet; aliò vertenda fuit inquiſitio.* — *non Sedunum.*

8. Multis hac de re litteris ultro citroque miſſis, tandem conſului venerabilem virum D. C. Broccotum, Queminiaci eccleſiæ in pago Duſmenſi Rectorem, ejuſdemque pagi Archipresbyterum: ex cujus litteris demum intellexi, in parœciali eccleſia vici, qui vernaculè Bremur *appellatur, adſervari caput S. Florentini Martyris: qui uno ferè abhinc lapide martyrio affectus fuiſſe traditur ab indigenis, eo ſcilicet in loco, ubi hodie quoque annoſa & arida quercus ſigni vice oſtenditur. Porro anguſta valle, quam Sequana irrigat, interjecta, ſitum eſſe vicum adverſo colli impoſitum, vocabulo* Semont. *quo nomine* Pſeudunum *ſignificari nullatenus dubito. Is enim locus, uti & vicus* Bremur, *exſtat in diœceſi Æduenſi, & quidem in Duſmenſi pago: & ex Pſeuduno factum primò vocabulum* Pſeumont, (*nam* Dunum *apud veteres Gallos montem ſignificabat*) *tum* Seumont, *ac tandem* Semont. *Hic locus,* caſtri *nomine (quod ſolis urbibus atque opidis munitis veteres tribuebant) aliquando inſignitus, nunc in exiguum viculum, qui bis duodena tuguria vix capit, redactus eſt; pendetque è vicinis parœcia opiduli S. Marci. In ſubjecta denique planitie, Sequanæ aquis irrigua, medio Pſeudunum inter ac* Bremur *intervallo, adhuc ſupereſt veternoſa illa quercus ſuperius memorata, quæ S. Florentini nomen retinet à loco paſſionis. Eò religionis causâ caput S. Florentini deferre ſolent Brevis-muri incolæ ad pluviam impetrandam.*

9. Hæc poſtquam de Pſeuduno obſervaveram, incidit in manus meas hiſtoriola duplex mſ. de tranſlatione S. Florentini, quarum una ſæculo IX *facta eſt in caſtrum S. Florentini ad fluvium Armentionem*: alia in Latiniacenſe Monaſterium anno* M XCIV, *procurante Arnulfo Abbate. Prior illa, cujus copiam ex mſ. codice Autiſiodorenſi mihi ſubmiſit noſter Hugo Lanthenas, commemorat,* duas ſorores genere nobiles, Godelinam *&* Lemissam, *alteram Carnotenſem, alteram Perticenſem Comitiſſas,* ultroneam ſibi peregrinationem indixiſſe *Romam: atque in ipſo itinere diverſiſſe ad dominum caſtri, quod poſtea S. Florentini vocabulum accepit,* generis affinitate ſibi conjunctum. *Cùm autem ibidem humaniter acceptæ fuiſſent, curaſſentque ut ædicula quæ ibi B. Mariæ ſacrata erat, ſumtibus ſuis amplificaretur, Romam tandem perrexiſſe; & in reditu ad caſtrum quod dicitur* Bremur, id eſt Brevis-murus, *hoſpitandi gratiâ declinaſſe: tum impetraſſe à domino caſtri illius* caput S. Florentini cum maxima parte reliquiarum corporis illius, — Id probat translatio duplex. — * l. Armenſon

ANN. CHR. DCCC XCV JULII IV. *quas cum capite in caſtro S. Florentini repoſuerint* prid. Non. Julii, *nempe in eccleſia ita, ut præmiſſum eſt, ab ipſis amplificata, quam per* dominum ALDRICUM, virum induſtrium honeſtæ vitæ & multæ religionis Senonenſem Archiepiſcopum *dedicari curarint* Nonis Maii. *Dominas autem illas diu in eccleſia illa* perendinaſſe; *& tandem repentina infirmitate tactas, in die Circumciſionis Domini lecto decubuiſſe, & in Epiphania deceſſiſſe. Hæc narrationis ſumma, ex qua intelligimus, reliquias S. Florentini apud Bremurum ſæculo IX exſtitiſſe. Idem ampliùs declarat tranſlatio Latiniacenſis per Arnulfum Abbatem. Is cùm in Senonenſi S. Columbæ Cœnobio reſideret, relatu didicit*, in quodam caſtello Burgundiæ, nomine Bleſmodo, tria Martyrum corpora, *ſcilicet Florentini, Hilarii, & Aphrodiſii, adhuc* in terræ pulvere jacere ab omni ſervitio Fidelium prorſus aliena, *unimirum* in quadam eccleſia cujuſdam tyranni, nomine Haymonis. Caſtellum verò in quadam montis præcelſi planitie conſtitutum, ab antiquis Seudunum vocatum, à modernis Bleſmoth. *quo ex loco S. Florentini reliquiæ, excepto capite,* * Potieres *Guidonis Pultarienſis * Abbatis operâ impetratæ, demum Latiniacum * tranſlata* * Lagny *ſint. Quæ ſanè narratio manifeſtè confirmat Pſeuduni ſitum à me conſtitutum, hoc uno excepto, quòd ad Bleſmodum ſeu Bremurum detorquet Pſeuduni vocabulum, quod vico* Semont *tribuendum exiſtimo. Itaque nemo in poſterum ambigere debet, quin locus, ubi ſancti Florentinus & Hilarius paſſi ſunt, Pſeuduni in pago Duſmenſi apud Æduenſes ſtatuendus ſit; non Seduni, uti hactenus ab aliquot ſæculis creditum eſt. Habebunt, opinor, aliquam mihi gratiam Æduenſes, quòd ſanctos Martyres iſtos eis vindicaverim primus, illuſtrato Pſeuduni ſitu & loco, qui cùm Seduno à recentioribus permiſtus erat, unius aut alterius litteræ detractione. Hinc videas, quanta religione tractari debeant vetera monumenta, quibus vim ſæpiſſime intulit librariorum editorumque temeritas & ignorantia. Ex hoc ergo loco, ſcilicet Pſeuduno, Aurelianus ſanctorum Martyrum corpora extulit, atque Athanacum invexit, ut ſubjecta docet narratio.*

INCIPIT QUALITER BEATORUM MARTYRUM FLORENTINI ET HILARII CORPORA TRANSLATA SUNT.

CAPUT I. Martyrum tumulo neglecto, SANCTORUM Martyrum Florentini atque Hilarii corpora venerabiliter quidem ab antiquis curata & condecenti loco ſepulta ſunt: ſed emergentibus annis quorumdam incuria ipſum locum eorum venerationi ornatum ad ruinam deduxit. Proceſſit ita non parvum temporis ſpatium, & magis magiſque ſtructura corporibus Sanctorum ſuppoſita infirmior [facta eſt,] ita ut vetuſtate nimia ſoluta pæne deliteſceret, & pluviis ac ventis tumuli beatorum Martyrum paterent: ac per hoc veneratio circa locum illum frigidior, concurſus populi fieret tepidior.

Aurelianus eorum corpora transfert Athanacum, Hoc cùm quidam venerabilis Abba, nomine AURELIANUS, qui tunc temporis Auguſtudunenſi eccleſiæ Archidiaconus datus fuerat, cùm diligenter ſollicitudine eccleſiaſtica ſingula luſtraret, pervidiſſet; inſuper & meritum ſanctorum Martyrum tam obſcuris & ruinoſis parietibus ſepultorum, perdidiciſſet; anxia ſecum conſideratione volutare cœpit, quomodo inde beata Martyrum oſſa ad decentiora loca transferret. Cúmque tam pium animum ſuum non modò Clericis, verùm & Epiſcopo diœceſis ipſius aperuiſſet; tandem quod ardenter cupiebat, Deo auxilium ferente, perfecit, & Sanctos Dei aliò quò placuit tranſpoſuit. Namque iſdem venerabilis Abba poſtmodum Lugdunenſe civitate habitaturus, in Monaſterio S. Martini Confeſſoris Athanao, tam carum theſaurum non contulit alíubi recondere; ſed ſecum ad prædictam civitatem deferre, ſuoque loco venerabiliter patrocinium illorum habitum componere.

II. Tunc temporis etiam Athanacenſe quondam Cœnobium Monachis dere-

lictum erat, quod idem pius vir ad antiquitatem reformare deſiderans, annitentibus illuſtribus perſonis, Comite & præclara conjuge ipſius, ſollicitus huc illucque cœpit exquirere, qui ſervi Dei locum implerent, & hinc inde quos monaſtico Ordine fervere videt, colligere. ſed cùm totam inde ſpem ſuam Deo commendaſſet, ecce miſericordia omnipotentis Dei conſolationem in hac parte dedit. Eſt namque quoddam Monaſterium religioſis viris bene fundatum, religioſo Prælato cautè permunitum, quod Vallem-bonam circummanentes dicunt. inde Dei munere clarum numerum Monachorum a Patre loci expoſtulavit. Ille autem benignè poſtulata contulit, Monachos regulari ordine nutritos dedit: hic verò non ſegniùs recepit; & ut ſacrum locum religioni priſtinæ reformarent, viribus quibus valuit, juvando incitavit, & munus de quo ardebat ſe accepiſſe, incomparabiliter lætatus eſt: eſt quippe iſdem vir boni deſiderii. ANN. CHR. DCCC XLV Julii IV. quod reformaverat.

Igitur cùm eorumdem Monachorum provectu ac propoſito regulariter incedenti ultrà quàm dici poſſit delectaretur, & de eorum ſollicita in Dei vigilia nimiùm gratularetur; accidit ut iidem venerabiles Monachi amore Dei inflammati, humiliter prædictorum ſanctorum Martyrum Florentini & Hilarii reliquias expoſtularent, quatinus ad Monaſterium ſuum unde ipſi venerant, transferentes, eas pignus maximum Fratribus ſuis largiri poſſent. Sed quid ex caritate viri non obtinerent, in quorum caritate ipſe requieſcebat? Dedit eis partem ſanctorum corporum præcipuam, egitque pia caritate, ut & pars illi, immo totum maneret; & pars Fratribus, immo ſimiliter totum tribueretur. Factumque eſt, ut Fratres reverendi ſanctum Florentinum ſanctumque Hilarium ad Bonam-vallem totos ſecum ferrent: & ſanctus Abba qui dederat eoſdem beatum Florentinum ac beatum Hilarium, totos ſibi ſuoque Monaſterio retineret. III. Bonævallenſibus Monachis partem reliquiarum concedit.

Portitores igitur ſanctorum membrorum Florentini & Hilarii cùm aliquantulum ab Athanao & civitate proceſſiſſent; tandem ſecunda die cùm quieſcendi gratiâ in confinio eccleſiæ beatæ virginis Mariæ ſubſtitiſſent, Deo miracula in Martyribus ſuis operante, ut cujus meriti apud eum eſſent, foris hominibus monſtraretur, puella dæmonio vexata horrendis vocibus clamare cœpit: Florentine & Hilari, vos Lugduno egreſſa vix evaſi, quid me [illegible] ita perſequimini? Cúmque his vocibus frenderet, tandem die tertia Martyrum ope curata eſt: ac ſic pro ſalute ſua gaudens choris admixta *Kyrie eleiſon* concinebat. IV. Miracula in tranſlatione facta.

Proſpero itinere deinde Aurelianis pervenitur, & quia dominica dies inſtabat, ſabbato ad eccleſiam beati Anniani Confeſſoris declinatum eſt, ubi Chriſtus quid per Sanctos operatus ſit, breviter proſequendum credidi. Quidam omni corpore debilis, inſuper anno uno mutus, Salomon nomine, fide plenus opem Martyrum exquiſivit, oravit, mox ſanus receſſit. Huic ſimile factum eſt in Romano per aliquot annos membris contracto, qui ante fores baſilicæ ſancti Petri Apoſtoli ferè ſex annis jacuerat. Anſtrudem feminam dextero latere paralyticam memorabo. Hæc ut cum fiducia acceſſit, ilico ſana receſſit. Sed & puerulus nomine Rodulfus cùm haberet brachium dextrum debilitatum, à parentibus Martyribus exhibitus eſt; continuò quæſitam ſanitatem meruit. Illic Lupus puer à nativitate cæcus ætatis trium annorum lumen invenit. Sed & mulier quædam, nomine Romana, annis duodecim infirma, ut Martyrum meritum imploravit, valetudinem obtinuit. Cæcus Martinus puer à nativitate ſex annorum, & Balduina ab annis octo cæca, gratiam luminis ſortiti, Deo gratiam reddiderunt. Ecce quàm mira in Sanctis ſuis Deus operatur omnis creaturæ, ut viſibilibus miraculis mentes hominum ad inviſibilia quærenda & expetenda permoveat. Sed nec te, Oſanna puella, prætermiſerim: genu corporis debilis, genu cordis proſtrata, pietatem Martyrum implorasti, & mox ſanitatem ex meritis ipſorum reportaſti. Senex Eligius hic miniſterialis Aurelianis.

ANN. CHR. DCCC XCV. JULII IV. ex domo ſalutiferæ Crucis, in qua Chriſtus pro ſalute noſtra pependit, cùm teneretur membris contractus, auxilium Martyrum imploraturus ope ſuorum advenit, fidem ad Deum mulit, pro ſalute rogavit, incolumitatem de Martyrum virtute reportavit.

V. Hæc & his ſimilia ſtupenda populis cùm fierent, ad civitatem Martyrum venerabilia membra extolluntur. Concurſus populi fit innumerus, undique gloriam Chriſto prædicantes concurrunt plebes. Cujus hæc, Domine, niſi tua ſunt, qui pro te mortificatis gloriam cum nomine æterno rependis?

Uno die pedeſtris itineris perlatæ ſunt reliquiæ Sanctorum ad eccleſiam, beati Sebaſtiani Martyris memoriam geſtantes *. Hic advenit mulier debilis, & altera ſimiliter mulier, quæ per annum in lecto dolore renum decubuerat: ambo ſanatæ, alacres repedant. Jam & hic occurſus fuit venerabilis Abbatis Monaſterii Bonæ-vallis, qui audiens tanta beneficia & miracula munere omnipotentis Dei per Martyres fieri, proceſſit cum agmine ſancto Monachorum, ipſas Sanctorum reliquias recepturus, venerari. Jam ferebantur concinentibus choris, & laudes Chriſto perſonantibus, antecedentibus crucibus & luminibus prænitentibus, & ſubitò in foribus beati Andreæ Apoſtoli Berta nomine, cæcitate per duodecim annos miſera, his qui præſentes erant, videntibus inluminata eſt. Deinde ſummo tripudio & cœtu pſallentium devecta ſunt Martyrum venerabilia oſſa ad baſilicam nondum dicatam, quæ duobus milibus à Monaſterio diſtabat: ubi quid operatus ſit per Sanctos ſuos ille qui dixit, *Sine me nihil poteſtis facere*, ut faſtidium legenti auferam, breviter comprehendam.

* f. geſtantem

apud Bonã vallem.

Cæcus Leutfridus, cæca & quædam mulier à tribus annis calamitatem infelicitatis evaſerunt. Juxta hanc eccleſiam cùm quidam orbus jaceret, eique pertranſeuntes dicerent, ut Sanctorum obſequiis celerrimè ſe offerret; in puncto inluminatus, credo quia illuc fide acceſſerat, ſubitò exclamavit: Deo gratias, ecce jam video. Sequebatur prætera dies venerabilis dominica, quando celebrior concurſus in toto orbe, & ſollemnior ad ſacramenta Chriſti conficienda populi in eccleſiam fit: qua die ſacra egit venerabilis Abba prædicti Monaſterii Bonæ-vallis, ut Sanctorum reliquiæ ad Monaſterium idem deferrentur. Factum eſt conſequente innumera populi multitudine. Ut autem primùm ab eccleſia eadem ſublatæ ſunt, mox puer quidam lumen recepit. Cùmque jam reboantibus choris procul à domo eſſent, Anaſtaſia, dextra manu imbecillis, ſanitatem vidente populo ſubitò ſibi veniſſe mirata eſt. Adalbertus oculis infeliciter captus, ſed & Odolindis eadem paſſione miſerabilis, necnon & Amalberga, Bernegildis quoque ſimili paſſione deformes, Sanctorum obſequiis dum fida mente inſiſtunt, cæcitatis tenebras ſe evaſiſſe gratulantur; ac benedictum Deum in Sanctis ſuis vocibus & nutibus quibus valent extollunt.

VI. Inde beati Sabini meritis dicatam eccleſiam Sanctorum oſſa inferuntur, ac in altario, ut decuit, Martyres reponuntur. Adfuit mulier luminibus à quinque annis capta, adfuerunt Baltarius cæcus, & Chriſtina conſimili paſſione turpis, ſed & Wimerna trium annorum membris contracta, quibus virtus omnipotentis Dei ad merita Martyrum prædicanda vim ſuam potentialiter exhibuit. Multa alia quæ per ſervos ſuos operatur & operata eſt virtus divina, prætereo, ne nauſeam legenti potiùs, quàm jucunditatis fructus pariam. Credo enim quia boni viri animum & pietatis æmulatorem hæc pauca de pluribus in laudem omnipotentis Dei ampliùs accendent, & ut meritis ipſorum quorum mira audit, & gloriæ ſempiternæ particeps fiat, ferventiùs & perſeverantiùs inflammabunt, & quouſque convallem lacrymarum & plorationis evadat, adſcenſiones in corde ſuo diſponat, & imitatione Sanctorum de virtute in virtutem tranſiet, donec pro factis ſuis coronatus mereatur videre Deum deorum in Sion.

VII. Precibus Sanctorum ſupervictus ad laudem omnipotentis Dei, poſtquam

priùs

priùs facta miracula dictaveram, hæc compendiatim ſubjunxi. Gaudius quidam ætate decem annorum, ab ventre matris curvus, totuſque contractus, ope Martyrum valitudinem recepit. Puer nomine Hildradus VII annis natus, cùm eſſet æger membris, ad ambulandum cruribus impeditus, monitus in ſomnis, quatinus mater ejus candelas ad memoriam Martyrum ſimul cum eodem nato deportaret; factum eſt: læta mater cum ſanato puero ſuo rediit. Nec præteribo te, infans Amalgari. hunc pater à tribus annis cùm cæcum detuliſſet, mox quod optaverat in filii luminibus Martyrum precibus inſpexit. Puella ex utero matris muta pariterque ſurda, vigiliis noctis cum matre ſua recipiendæ valetudini inſiſtens, ut vocem cantantis galli virtute Martyrum exaudivit; Deo gratias, inquit, quod ſperavi adepta, gaudeo. Bertohildis cæca & ſurda per XVI annos de memoriis Martyrum ſanata & inluminata rediit. Conſimile Dei munere cuidam ab annis cæcæ provenit. Quidam infantulus, ut putabatur, annorum V, cui adhærebant calcanei in natibus conligati, pæne ut ad fores oratorii perlatus eſt; interceſſione Sanctorum, pedum membrorumque uſum expertus incolumis degit. Sed & Martinus nomine, annorum X, à cunabulis contractus, virtutem Sanctorum in inceſſu ſuo ubique divulgat. Nec prætererim duas feminas ſimili ſorte debiles, dum diu, credo minoris fidei, ad memoriam Martyrum decumberent, tandem ſanari & uſum membrorum invenire meruerunt. Multa ſunt quæ cotidie per ſervos ſuos Chriſtus Dominus noſter operatur, ad quorum gloriam quicumque pervenire deſiderat; ſic miracula viſibiliter facta miretur, ut vitam illorum potiùs imitari ad retributionem ſempiternam non deſiſtat.

10. *Hactenus hiſtoria tranſlationis, in qua quædam obſervanda, quædam illuſtranda ſunt. Primum eſt, factæ tranſlationis tempus, quod circiter annum Domini* DCCC LV *contigiſſe puto. Deinde obſervatu dignum eſt id, quod de Bonævallis ſtatu, qualis eo tempore erat, in præmiſſa narratione legitur. nimirum Bonævallenſe Monaſterium* religioſis viris *tum floruiſſe, à* religioſo Prælaro *adminiſtratum; indeque eductam Monachorum coloniam, qui Athanacum* religioni priſtinæ reformarent. *Id enim hactenus (ni fallor) ignoratum eſt noſtro ævo, nul umque ſuppetebat monumentum de antiquo Bonævallis ſtatu ante Fulberti Carnutenſis Epiſcopi ætatem, in cujus epiſtola 39* TEDFRIDUS Monachorum Bonævallis Abbas *memoratur. Hujuſce tranſlationis meminit vetus Auctor qui breve Chronicon de Bonævallenſis Monaſterii origine & incremento edidit ſæculo* X. *Ex hoc Auctore diſcimus, primò quinam fuerint iſtius Cœnobii conditores, nimirum* FULCO Miles *unà cum Carolo Calvo. Deinde tempus conditi Monaſterii, quod anno* DCCC XLI *reponit Chronographus. Præterea primum ejus loci Abbatem, nempe* GAUSMARUM, *cui ſucceſſit* INGELARDUS, *ſub quo hæc tranſlatio facta eſt. Sed huic loco ſcrupulus occurrit, quo pacto fieri poſſit, ut corpora ſanctorum Florentini & Hilarii Athanacum tranſlata ſint, Florentini verò pars Bonævallenſibus conceſſa: cùm legamus in alia tranſlationis ejus hiſtoria, totas ejus reliquias, demto capite, quod in vico* Bremur *hactenus adſervatur, Latiniacum fuiſſe tranſlatas: aut quo pacto S. Florentini caput relictum eſt Bremuri, ſi tranſlatum eſt in caſtrum S. Florentini, ut habes alia hiſtoria compendio ſuperiùs relata. An S. Aphrodiſii corpus pro eo ſumtum, an relictum ab Aureliano? Quidquid ſit, Cœnobium Bonævallenſe quod principio ſanctorum Petri & Marcellini vocabulo inſignitum eſt, ſubinde S. Florentini obtinuit nomen, quod modò ſolum retinet. Situm eſt Monaſterium iſtud (ut jam dixi) in diœceſi Carnutenſi & pago Dunenſi*, ad fluvium Ledum*: cujus loci præclarum fuit ornamentum Ernaldus, vulgò Arnaldus, Bonævallis Abbas, Bernardi Abbatis Claravallenſis amicus præcipuus, ab Arnulfo Lexovienſi Epiſcopo commendatus maximè ob* ſcribendi gratiam, *qua Ernaldus præditus erat, idemque cui Lucius Papa II litteras direxit ad confirmanda bona Monaſterii. Perſtat etiamnunc iſtud Monaſterium ſub Congregatione ſancti Mauri. Ad Aurelianum revertor.*

ANN. CHR. DCCC XCV. JULII IV.

* Châteaudun
* le Loir

ANN. CHR. DCCC XCV Julii IV. Saxiacum condit.

11. Aureliani ſtudium in monaſticum Ordinem non ſtetit in inſtaurando & reformando Athanaco: quin etiam ad novum condendum Cœnobium, Saxiacum ſcilicet, convertit animum. Cumque ad id conſilii non ſatis facultatum ipſi ſuppeteret, fundum loci à parentibus obtinuit: atque ut res firmior ac ſanctior eſſet, Saxiacum aliaque prædia Remigio Lugdunenſi Epiſcopo tradidit in vice Chriſti *eo pacto, ut Remigius ſibi tradita in jus Monachorum transferret. Exſtant hac de re litteræ apud Samuelem Guichenonem in probationibus Hiſtoriæ Sebuſianæ pag. 225 & ſeq. nimirum ipſius Aureliani teſtamentum de conditione Monaſterii Saxiacenſis; tum Remigii Epiſcopi ea de re privilegium, dein præceptum Caroli Regis, ad hæc privilegium Epiſcoporum decem, qui apud Seguſteronem ſeu Siſtericum * convenerant. Eaſdem litteras ex antiquis membranis Acherio noſtro tranſmiſit Petrus Louvetus Medicinæ Doctor & Hiſtoriographus: ex quibus litteris unum Aureliani teſtamentum huc refero cum privilegio Epiſcoporum, quod longè prolixius quàm in editis à Louveto accepimus. Aureliani teſtamentum ſic habes, longè emendatius quàm apud Guichenonem, ubi Aureliani parentum nomina expuncta ſunt.*

* Siſteron

Teſtamentum hac de re.

MUNDI ſenio impellente ad occaſum, jubemur præceptis Domini cibum operari qui perire non noverit, fructúmque ferre virtutis, qui permaneat in futuro. Decet enim, ut qui ſuper fundamentum Chriſti ſtabiliti, fundatique, ac radicati ſumus, ædificia ex auro & argento, lapidibuſque pretioſis, bonorum ſcilicet proventibus operum conſtruamus, quod examine divini judicii urgente probabile inveniatur; & non fragilibus materiis, ligno ſcilicet, feno, ſtipula, mortalium videlicet detrimentum operum conſtructum in modico comburatur. Simul etiam perpendentes, cùm nos divina adminiſtrante providentia in hujus lucis exſilium nudos natura profuderit, quot & quantis emolumentis, immo innumerabilibus divinæ pietatis bonitas [nos cumulaverit,] pro nihilo ducens, niſi etiam comparticipes ac coheredes ſibi æternæ beatitudinis faciat; dignum ac juſtiſſimum omnimodis judicavimus, ut coheredem atque participem facultatis ac muneris à ſe collati ipſum præcipuè eligeremus, qui non caducæ nec tranſitoriæ, ſed æternæ ac ſemper manſuræ poſſeſſionis nos voluit eligere heredes.

Idcirco ego in Dei nomine AURELIANUS, exiguus Abbas, quæſivi piè & poſtulavi à fratribus videlicet qui fructu carnis & ſpiritu fratres ſunt, RATBERTO piæ recordationis, AIGLARDO, AMBLARDO quoque & SIGIBERTO, ſeu & SILVIO conſobrino noſtro, INGELBOTONO quoque, WITBALDO, & Arda ſua ſorore, & ceteris qui nobis affinitate propinquitatis juncti ſunt, locellum, quo ædificaretur fieretque Cœnobium Monachorum viventium ſub Regula pii Patris BENEDICTI: ideoque & quod humanè poſtulavi, Domini favente gratia, devotè & ab iis impetravi, facta ſollemniter donatione cartarum. Proinde nobis juſtiſſimum viſum eſt, ut parentum noſtrorum amore incitati, locellum jam dictum pro poſſe fundatemus, ubi pro gratis muneribus eorum eſſet in orationibus ſollemnis & jugis ſupplicatio, & apud Dominum continua pro ſalute eorum exoratio. Non immemores etenim ſumus circa nos benivolentiam ipſorum & beatæ recordationis fratris noſtri RATBERTI, patris quoque noſtri AURELIANI, & matris ADALSONÆ, & SIGEBURG; ſed & dignam rependentes parentibus honorificentiam vel dulciſſimæ recordationis fratris noſtri SILVII, ICTORIS quoque & ARNULFI, ſeu & ABONIS & LIUBOINI Abbatis, ſive qui jam dormierunt in Domino, ſive qui adhuc vivunt, affinitate & propinquitate etiam nobis junctis, id eſt dilectiſſimi fratris AIGLARDI, AMBLARDI quoque & SIGIBERTI, SILVII & WITBALDI, necnon & INGELBOTONI, ut pro eis & pro nobis interceſſio & deprecatio fiat, & peccatorum noſtrorum acquiratur propitiatio, & in loco ipſo, qui juvante

Chriſto jam cœptus eſt, ſuccedentibus temporibus fit eorum permanens recordatio. Ann. Chr. DCCC LIX Julii IV.

Eſt autem locus ipſe, videlicet Saxiacus, cum rebus ſuis ad eum pertinentibus, ſitus in pago Lugdunenſe, non longè à Rhodano fluvio, in agro Saxiacenſe; adſpiciunt quoque ad eum in jam dicto pago Lugdunenſe ea, quæ habemus & poſſidemus in has villulas, Neriaco, Veſciaco*, Auguliaco cum ecclesia ſanctæ Teclæ, Montilio, Cotios*, Vograbio, Balatiaco, ſive Liago, Cameriaco, ſive etiam Miliaco, & Vilicia, Cretto, Martannaco, Cattoleno. In pago quoque Belicenſe Caſtiniacus & Damaſcione: in pago Viennenſe Caſdurnano; & in pago Dienſe Carrobolis villa cum eccleſia ſancti Marcelli, quam dedit nobis L EUBOINUS Abbas; in pago etiam Maurinenſium in diverſis locis omnia iſta cum caſis, domibus, ædificiis, pratis, ſilvis, campis, vineis, pomis, paſcuis, aquis aquarumve decurſibus, farinariis, mobilibus & immobilibus, & omnibus adjacentiis, exitibus & ingreſſibus, vel quantumcumque in præſcripto loco præſenti tempore noſtra cernitur poſſeſſio, aut à parentibus data aut amicis, ſeu dato precio comparata, cum ſervis & ancillis, omnia & ex omnibus, quidquid ad jam dictum adſpicit aut adſpicere videtur, totum & ad integrum vel inexquiſitum à die præſenti hilari mente promtaque voluntate Deo Salvatori omnium devotè offero, & in vice Chriſti REMIGIO venerabili & religioſiſſimo Archiepiſcopo trado, ita dumtaxat, ut idem venerabilis Archiepiſcopus jam à nobis cœptum Monaſterium perficiat in honore Dei & ſancti BENEDICTI, & beatiſſimorum Martyrum Florentini & Hilarii; & voti noſtri deſiderium Domino adjuvante per eum perficiatur, & ipſe pius pater & proviſor eſſe debeat. Et quid plura? fidei omnipotentis Dei & ſuæ prædictum locum committens, ut ibi ſub vera religione degentes ſervi Dei in monaſtico Ordine venerabile propoſitum pro noſtris parentúmque noſtrorum erratibus, necnon pro catholicæ ac univerſalis Eccleſiæ ſtatu ſedulis precibus divinam miſericordiam implorare decertent.

* Guichenoni Creſciaci

* G. Lolios, Rogerii, Balliciaci, Suneliergii, Cameriaci, Milliaci & Villacio, Crepti, Marchantiaci, Cacobelii,

Volumus etiam ut noſtris ſucceſſorúmque temporibus, prout opportunitas atque poſſibilitas ejuſdem loci ſe ſe dederit, quotidie miſericordiæ opera pauperibus indigentibus & advenis ſumma intentione ibidem exhiberi. quin etiam huic teſtamento inſeri placuit, ut ab hac die nec meo, nec parentum meorum, nec faſtibus regiæ magnitudinis, nec cujuſlibet terrenæ poteſtatis jugo ſubjaceant jam dicti ſervi Dei inibi congregati: ſed quemcumque prædicti Monachi ex ſemetipſis Abbatem ac Paſtorem ſuique Rectorem ſecundùm placitum Dei & Regulam ſancti BENEDICTI eligere voluerint, libero in omnibus eligendi abſque ullius poteſtatis inquietudine potiantur arbitrio. Pro infeſtatione verò peſſimorum iniquorumque hominum nihilo minus inſeri placuit, ut pro voto arbitrii ſui, quem tutorem ac defenſorem ac mundiburdum habere voluerint, abſque ullius refragatione liberrima eis attribuatur facultas eligendi.

Si quis verò contra hoc teſtamentum quod ego pro amore Dei omnipotentis ac veneratione beatiſſimi Benedicti Confeſſoris Chriſti, Martyrumque Florentini & Hilarii fieri ſancivi, aut regiæ poteſtatis, aut dignitatis, aut quorumlibet regalium procerum ſublimitas, ſive etiam propinquorum heredum meorum calliditas venire aut callidè infringere tentaverit, ejus doli fraudeſque penitus irritæ fiant, & inſuper iram Dei omnipotentis incurrat, & ab Eccleſia Dei extraneus, & à communione Chriſtianorum alienus, & cum Dathan & Abiron tremendis gehennæ ignibus concremetur: & inſuper, ut priùs temporalia experiatur, cogente fiſco auri libras XL, argenti pondo XX coactus exſolvat.

Factum hoc teſtamentum anno Incarnationis dominicæ DCCCLVIIII, Indictione VII, regnante Karolo Rege, filio quondam Lotharii Imperatoris anno III. Actum Lugduno publicè.

Ann. Chr. DCCC XCV Julii IV.

Monaſterii ſitus & patroni.

* le Bugey.

Abbas primus Badilo.

*12. Ex his litteris intelligimus tum ſitum Monaſterii, quod in pago Lugdunenſi apud Sebuſianos * ad Rhodanum poſitum eſt, tum ejus eccleſia patronos, nempe S. Patrem Benedictam, & ſanctos Martyres Florentinum & Hilarium. Primus loco præfectus eſt* Badilo *Abbas, ut patet ex litteris Remigii Epiſcopi, qui ratam habens Aureliani traditionem ſibi* in vice Chriſti *factam, Saxiacum aliaque prædia* Deo ſalvatori omnium *devotè obtulit, &* in vice Chriſti Fratri Badiloni tradidit, qui loco Abbatis præeſſe & prodeſſe debeat; necnon & Fratribus inibi Domino militaturis ſub Regula pii Patris Benedicti; ita duntaxat, ut corde & animo pleno iſdem Abbas unà cum Fratribus jam cœptum Monaſterium perficiat in honore Dei & ſupraſcripti Confeſſoris Chriſti Benedicti, & ſanctorum Martyrum Florentini & Hilarii, & voti noſtri deſiderium Domino adjuvante per eos perficiatur; & præfatus Abbas pius pater & proviſor eſſe debeat, &c. Factum hoc privilegium anno Incarnationis dominicæ DCCC LVIIII, Indict. VII, regnante Karolo Rege, filio quondam Lotharii Imperatoris. Actum Siſterico. *quæ clauſula deeſt apud Guichenonem.*

13. Quis fuerit, quove ex loco eductus ſit Badilo Abbas, non conſtat. Monachum Athanacenſis Cœnobii fuiſſe veri ſimile eſt. niſi ſi is fuit Badilo, qui ex Comite Monachus factus eſt in Æduenſi S. Martini aſceterio, aut ipſius nepos cognominis, de quibus in vita S. Hugonis Monachi Æduenſis; aut certè Badilo Monachus (ut videtur) Vezelіacenſis, qui corpus beata Magdalena Vezeliacum tranſtuliſſe dicitur, de quo agit Baldericus Epiſcopus in Chronici Cameracenſis lib. 2 cap. 43, ſcribens de Abbatia Lutoſa, ubi, *inquit,* vir Dei venerabilis Baidilo requieſcit, qui corpus S. Mariæ Magdalenæ de Hieruſalem in Burgundiam in loco Verecillіaco (*legendum* Vezeliaco) attuliſſe fertur.

14. Aureliani teſtamentum, itemque Remigii privilegium confirmavit Carolus Burgundiæ Rex, cujus diploma mutilum Guicheno refert, quod integrum habemus. At ſatis fuerit hoc loco integras referre litteras decem Epiſcoporum, qui totum hoc negotium apud Siſtericum calculo ſuo approbaverunt in hunc modum.

Privilegiũ Epiſcoporum.

Anno dominicæ Incarnationis DCCC LVIIII, Indictione VII, regnante piiſſimo ac mitiſſimo Rege Carolo, filio quondam Lotharii Auguſti, pace jam & diviſione regni cum fratribus ſuis, Hludovico videlicet & Lothario Regibus, miſerante Domino, celebrata, factus erat conventus populorum, qui ſub ejus regno erant per regiam evocationem, ubi etiam nos, qui ſuperna largiente gratia, etſi indigni Epiſcopi dicimur, convenimus, ut ſcilicet per ſacrorum conſtitutum maximè concilium qui de diverſis partibus aderant, ea quæ in quibuſlibet ordinibus Eccleſiæ minùs conſtare utiliter videbantur ob incuriam negligentium, aut propter civilis belli tranſactam violentiam, juvante Chriſto in melius reformare ſategerit, & quæ hactenus benè conſtituerant, regali providentia amplecteretur, ac firmiùs roborare ſtuderet.

Dum ergo talibus invigilat præfati Regis glorioſa nobilitas, & ſancti genitoris ſui ſtudia diligit, pietatis quoque illius opere perſeverare deſiderat; juſſi ſumus communi tractatu perquirere, qualiter omnis Ordo eccleſiaſticus congruè ac decenter adminiſtretur. Hoc itaque dum perficere optaremus, inter cetera viſum eſt nobis ad ejus Ordinis recuperationem atque ſublimationem, qui apoſtolicæ perfectioni viciniùs adhæret, hoc eſt Monachorum, qui relictis omnibus Chriſtum ſequuntur, ſacratiſſimi Regis curam inflectere. Congruebat enim, ut quem propter curam gregis dominici ſibimet commiſſam de ſpiritalibus damnis fidelium contigerat contriſtari, de præfati etiam Ordinis correctione atque exaltatione lætificare cuperemus. In plurimis namque locis regni ejus prædicti Ordinis fervor tepuerat, violentia quoque temporum in eodem; ſicut in cunctis ordinibus, plurimum juris infregerat: quia

bona, quæ acquiſita cum labore providentur & ſervantur; per inquietudinis aſſiduum impedimentum ſolent minui vel penitus aboleri. Ann. Chr. DCCCXCV Julii IV.

Itaque placuit nobis propter curæ paſtoralis obſequium intendere, ut eos quos in monaſticæ ſanctitatis vigore bene perdurantes agnoveramus, ampliùs diligeremus, atque in cunctis neceſſitatibus eis libenter opem ferre procuraremus, ut per illorum exaltationem ſanctitatis eorum exempla clareſcerent ac dilatarentur.

Igitur cùm quorumdam in præfato ordine accendendis ſtudiis inſiſteremus, & perſeverantium religioni non mediocriter congratularemur, pervenit ad conventus noſtri notitiam, qualiter venerandus vir AURELIANUS Abbas Athanacenſis, ſupernæ hereditatis amore ſuccenſus, ex rebus quas à parentibus pio affectu petiit, & piè impetravit, omnipotentem Deum elegerit; eas denique res pro rei firmitate vice Chriſti reverentiſſimo atque ſanctiſſimo REMIGIO Archiepiſcopo tradiderit, & præfatus Archiepiſcopus rogatu ipſius Aureliani Abbatis iterum vice Chriſti BADILONI, qui loco Abbatis prodeſſe & præeſſe debeat, & Monachis ibidem ſervientibus ſub Regulà pii Patris BENEDICTI per teſtamentum firmiſſimum promtiſſima ac devotiſſima voluntate tradiderit, ea ſcilicet ratione, ut idem Badilo Abbas & Monachi in prædictis rebus in pago Lugdunenſe, in loco qui vocatur Saxiacus, non longè à Rhodano fluvio, Monaſterium Monachorum in honore omnipotentis Dei, & veneratione egregii Confeſſoris BENEDICTI & Martyrum Florentini & Hilarii ædificarent: ut & divinam in jam dicto loco exercerent militiam, & pro totius Eccleſiæ ſtatu ſupernam implorare clementiam decertarent. Utrorumque ergo tam ſanctis ſtudiis piiſque deſideriis plurimum congaudentes, ſumma cum reverentia Chriſtianiſſimi Regis adivimus clementiam, ut jam dicto Cœnobio in honore Salvatoris, & veneratione beatiſſimi Confeſſoris Benedicti, & ſanctorum Martyrum Florentini & Hilarii conſecrato privilegium quoddam de rebus neceſſariis concedere dignaretur ſecundum regalem magnificentiam, atque nobis aſſenſum præberet, ut noſtra illud ſubſcriptione roboraremus: quatenus hinc inde & regali magnificentia, & auctoritate epiſcopali convenienter munitum, præſentibus futuriſque temporibus idem Cœnobium valeret permanere. Itaque Deo amicus ſæpe dictus KAROLUS Rex hujus rei nobis aſſenſum præbuit, ut hujuſcemodi privilegium propria ſinguli ſubſcriptione roboraremus, addens inſuper, ut ſpecialiùs Dei ſuoſque fideles præſentes pariter futuroſque obteſtaremur, ut poſſeſſiones quas prædictus Aurelianus Abbas Remigio Archiepiſcopo, & idem Archiepiſcopus Deo, & beatiſſimo Benedicto, & ſanctis Martyribus jam dictis obtulit, aut quas in futuro ex fidelium donatione divina pietas in eodem loco contulerit, ad ſolius Dei ſervitium ejus loci Monachi; ſicut in eodem teſtamento inſertum eſt, firmiſſimam teneant libertatem.

Et nos igitur, licet indigni, tamen ſacratum atque venerandum pontificatus gerentes officium, ea quæ ſuprà memorata ſunt, in venturis generationibus ſtabilia ſemper atque inconcuſſa perſeverare, voluntatem Dei conſiderantes decrevimus, & propria ſinguli ſubſcriptione roboramus. Si quis verò, quod abſit, hujus privilegii deſtructor, aut in ejus deſtructione fraudulentus machinator in poſterum emerſerit, ſalutem propriam negligens, aliorumque ſalutem perſequens, ſecundùm poteſtatem ligandi atque ſolvendi ab ipſo Domino JESU-CHRISTO nobis traditam, æterno vinculo perpetuæ damnationis extra beatorum requiem alligamus, cum omnibus, qui in tam nequiſſimam voluntatem conſentiunt, niſi hoc correxerint, qui quod ad multarum ſalutem animarum piè proviſum eſt, impiè non timent infringere.

Placuit etiam domino ac piiſſimo Regi, rectumque nobis videtur, atque obſecramus Coepiſcopos noſtros, qui præſentes conventui non adfuerunt, ſed & religioſos Abbates, dum noſtræ conſtitutionis paginam legerint, unam

Ann. Chr. DCCCXCV Julii IV.

nobiſcum ineant voluntatem ac ſubſcriptione ſententiam.

Placuit etiam huic privilegio inſeri, pio tamen Principe aſſenſum præbente & conſentiente, ut ipſius BADILONIS tempore ſub ejus diſpoſitione atque poteſtate inibi Domino famulantes conſiſtant. Quod ſi evenerit, ut ipſe poſt multum laborem à tam graviſſima prælationis ſarcina humiliter declinare voluerit; quem in prædicto Cœnobio ſuæ vitæ melioris parciorisve inveneiit, unà cum conſenſu Fratrum ſuorum eligat & ſubroget in loco ſuo. Poſt ipſius quoque Abbatis ab hac vita diſceſſum, nec largitoris, nec parentum ipſius, nec faſtibus regiæ magnitudinis, nec cujuſlibet poteſtatis jugo ſubjaceant: ſed quemcumque prædicti Monachi ex ſemetipſis Abbatem ac Paſtorem ſuique Rectorem ſecundùm beneplacitum Dei & Regulam ſancti Benedicti eligere voluerint, libero in omnibus eligendi abſque ullius poteſtatis inquietudine potiantur arbitrio.

Factum hoc privilegium anno Incarnationis dominicæ DCCC LVIIII, Indictione VII, regnante KAROLO Rege, filio quondam Lotharii Imperaris. Actum Siſterico.

55. *Inſignes ſunt hæ litteræ tum ad illuſtrandas donationes Monachis* in vice Chriſti *olim factas, quas ad alium uſum, quàm* ad ſolius Dei ſervitium, *& Monachorum utilitatem detorquere nefas eſſe ducebant pientiſſimi Epiſcopi; tum ad monaſticum Ordinem commendandum, quem* apoſtolicæ perfectioni viciniùs adhærere *conteſtantur; tum ad demonſtrandum ejus temporis Epiſcoporum in Monachos ſtudium & paternam ſollicitudinem; tum denique ad confirmandum id, quod aliàs oſtendi in veterum Analectorum tomo 3 pag. 58, nimirum id in more quondam poſitum fuiſſe, ut in gravioribus Eccleſiæ negotiis Conciliorum decreta ſignis ſuis confirmarent non ſolùm præſentes, ſed etiam abſentes Epiſcopi; immo etiam ipſorum ſucceſſores. quandoquidem hujus Siſtericenſis Synodi Patres obſecrant* Coepiſcopos *ſuos*, qui præſentes conventui non adfuerunt; ſed & religioſos Abbates, dum ſuæ conſtitutionis *ad ſe perlata* paginam legerint, unam *ſecum* ineant voluntatem ſententiam*que ſuam ſua* ſubſcriptione *roborent. Idem etiam præſtant Patres Concilii Germiniacenſis ſuprà, & Duziacenſis in litteris pro Sueſſionenſi S. Medardi Monaſterio, quas in probationibus Hiſtoriæ beatæ Mariæ Sueſſionenſis legere licet. Jam verò quot prædicta Siſtericenſi Synodo interfuerint Epiſcopi, mihi non liquet, niſi quòd decem adfuiſſe lego apud Guichenonem in Hiſtoria Sebuſiana: ex qua diſcimus Saxiacenſem Abbatiam redactam eſſe in ſimplicem (ut vocant) Prioratum, qui unà cum circumpoſito opidulo ſancti Benedicti de Saxiaco, vulgò* Saint Benoiſt de Seyſſieu, *appellatur.*

Aurelianus Epiſcopus.

56. *His ita geſtis Aurelianus in ſedem Lugdunenſem ſuffectus eſt poſt Remigii Epiſcopi obitum anno* DCCCLXXIV, *aut inſequenti. Is cùm Monachos Foſſatenſes metu Nortmannorum, qui agrum Pariſienſem diris cladibus ſæpe repetitis infeſtabant, hinc inde jactatos cerneret ac palabundos; in Monaſterium Saxiacenſe eos excepit ſub annum* DCCC LXXVIII, *ibique* perpetualiter manere *juſſit, probantibus Suffraganeis Epiſcopis. tametſi Foſſatenſes in proprium locum revertiſſe obſervo in libro de miraculis S. Berchari Abbatis Dervenſis: ubi* grex eccleſiæ Dervenſis, juncto ſibi cœtu Fratrum Foſſatenſis Cœnobii, qui metu ſuprà memoratæ internecionis fugientes ſecum oſſa beati Mauri devexerant, pari conſilio repatriaſſe *memoratur. Juvat hoc loco referre litteras hactenus ineditas, quas Aurelianus in gratiam Foſſatenſium Monachorum de Saxiaco edidit ſub hac forma.*

Foſſatenſes excipit Saxiaci.

SANCTÆ matris Eccleſiæ Lugdunenſis Archiepiſcopus AURELIANUS, omnibus per futura tempora nobis ſucceſſuris, pacem & ſanitatem à CHRISTO JESU Domino noſtro. Precibus pauperum Chriſti aſſenſum præbere, eorumque neceſſitatem pro viribus ſupplere ſacra Scripturarum auctoritate ammonemur. *Beatus*, inquit Pſalmiſta, *qui intelligit ſuper egenum & pau-*

Ann. Chr. DCCC XCV Julii XV.

perem, in die mala liberabit eum Dominus. & Chriſtus in Evangelio : *Date, & dabitur vobis.* Item : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Hæc ego ſanctæ Lugdunenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus Aurelianus conſiderans, Fratres Monaſterii Foſſatenſis, quos inſectatio paganorum à proprio ſolo pepulit, gratanter exſules recepi, atque in Monaſterio meæ hereditatis, nomine Saxiaco, pro Dei amore collocavi. Ne verò quiſquam ex ſucceſſoribus ſive propinquis noſtris eoſdem Fratres à memorato loco noſtro quandoque, inſtigante maligno ſpiritu, poſſit ejicere, has litteras teſtamenti ſeu firmitatis vel ſecuritatis indulgentiæ noſtræ eis fieri juxta poſtulationem eorum præcepimus. Volumus itaque prædictos Fratres in ſupradicto loco noſtro perpetualiter manere, ibique quiete & regulariter vivere ; ac proinde pro nobis & pro eccleſiæ nobis commiſſa cunctaque noſtra proſapia Domino Chriſto preces offerre, reſque ibidem delegatas ordinare, tenere atque poſſidere ſine contradictione vel inquietudine cujuſcumque perſonæ. Decedente verò Abbate eorum à ſæculo, liberam & abſolutam habeant facultatem eligendi ſecundùm Dei voluntatem & Regulam ſancti Benedicti, quemcumque decreverint ex Fratribus ſuis, qui eis regulariter præeſſe & prodeſſe valeat. Et ſi in Monaſterio jam dicto Saxiaco talis repetiri nequiverit, in quocumque loco noverint ſuorum quempiam hoc officio dignum, poteſtatem habeant advocandi eum, & eligendi cum conſilio & voluntate Abbatis Foſſatenſis. Porro ſucceſſores noſtros per viſcera miſericordiæ Dei noſtri ſuppliciter precor & obteſtor, ut hos exſules dulci ſavore amplectantur, ſereno pietatis intuitu reſpiciant, familiare affatu conſolentur : quatinus & ipſi participes ſint eleemoſynæ noſtræ, & his famulis Chriſti amor ſit habitandi in diœceſi parochiæ noſtræ. Igitur ſi quiſquam exſtiterit umquam qui res Monaſterii prædicti invaſerit, aut præſcriptos Fratres à loco ſibi à nobis conceſſo injuſtè exturbaverit ; judicio Spiritus-ſancti verbere æterni feriatur anathematis, & cum Juda peſſimo traditore perpetuas luat tenebras, niſi reſipuerit. Sed & illud concedimus, & conceſſum perpetuò eſſe ſancimus, ut ingruente Nortmannica perſecutione, quotquot ex Fratribus Foſſatenſibus Abbas Saxienſis recipere potuerit, per ſuggeſtionem Abbatis Foſſatenſis recipiat ; tueatur, & alat ; & ſit pura familiaritas & ſancta dilectio caritatis inter hos duos locos ejuſdem inſtitutionis & ordinis. Ita ergo ut hæc ſeries teſtamenti firmitatis jugiter poſſideat vigorem ; manu noſtra de more ſubſcripſimus, reverendoſque Coepiſcopos noſtros pariter ſubſcribere rogavimus.

17. Ex his litteris perſpicuum eſt, Aurelianum Lugdunenſem Archiepiſcopum, contra quàm cenſet Johannes de Mura, non alium eſſe ab Aureliano Abbate Athanacenſi & Saxiacenſis Cœnobii conditore. ſiquidem Aurelianus Archiepiſcopus Saxiacum vocat Monaſterium hereditatis meæ. *quod argumento eſt, Aurelianum Archiepiſcopum, qui Athanacenſis procuidubio Abbas fuit, eſſe etiam Saxiacenſis Monaſterii auctorem. Idem etiam mihi videtur eſſe Antiſtes ille Lugdunenſis, qui reliquias ſanctorum Eucherii, Verani, Cypriani, Sperati & Pantaleonis cuidam Monacho Floriacenſi contulit* remunerandæ ſedulitatis gratiâ, quia liberalibus eum inſtruxiſſet litterarum ſtudiis, *teſte Aimoino in lib. 2 de miraculis S. Benedicti cap. 15.*

Conciliis intereſt.

18. Quæ hactenus dixi de Aureliano, ejus maximè ſtudium in rem monaſticam demonſtrant : ſupereſt ut de rebus pro eccleſia ſibi commiſſa geſtis pauca (quæ rerum veterum penuria eſt) his ſubjungam. Variis eum Conciliis ſubſcripſiſſe invenimus, Pontigonenſi anno DCCC LXXVI, *Tricaſſino anno* DCCC LXXVIII *præſente Johanne Papa VIII ; conventui Mantalenſi pro electione Boſonis anno inſequenti ; Synodo Cabilonenſi, cui præfuit, anno* DCCC LXXXVII ; *Valentinæ triennio poſt, & alteri Cabilonenſi anno* DCCC XCIV. *Frodoardus in Hiſtoria Remenſis lib. 4 cap. 1, tres Fulconis Remenſis Pontificis ad Aurelianum epiſto-*

ANN. CHR. DCCC XCV JULII IV.

las memorat, unam pro querimonia Bituricenſis eccleſiæ ſuper invaſione Frotarii Burdegalenſis Epiſcopi; *duas pro* Teutboldo Lingonenſi, quòd obeunte Iſaac Epiſcopo, inconſulto Clero & populo, Egilonem quemdam Monachum, nuper de ſæculo venientem, in Epiſcopum Aurelianus ordinaſſet, *poſtpoſita Lingonenſis Cleri & populi electione, qui in Teutboldum ipſius eccleſiæ Diaconum communibus votis conſpiraverant. Is de quo hic agitur Monachus, erat Geilo tum Abbas Trenorchienſis, cujus in Epiſcopum Æduenſem ordinatio anno* DCCC LXXX *per Aurelianum facta obtinuit. Huic mortuo ſuffectus eſt à Clero Lingonenſi Teutboldus antea electus: qui cùm Aureliani in ſe animum probè noſſet, adiit Stephanum Papam V, ut ab eo conſecraretur: ſed ille* uniuſcujuſque eccleſiæ privilegium inconcuſſum ſervare volens, *cum prædicto Aureliano conſecrandum remiſit. Is diem ex die ducere, ac tergiverſari cœpit: ob idque increpitus eſt ab Stephano Papa iteratis epiſtolis reſcribente, ut* quia concordi voto & Clerus & populus jam dictum Diaconem expetebat; aut ipſum conſecraret; aut quid in eo reprehenſibile judicaret, reſcribere maturaret. *Verùm cùm neutrum præſtaret Aurelianus, immo* quemdam extraneum *&* eidem eccleſiæ ignotum, in angulo ordinatum, *nomine Argrimum, illi ingerere niteretur; tandem Stephanus, Lingonenſis Eccleſiæ precibus victus, Teutboldum conſecravit, ut fuſiùs narrat Frodoardus in Hiſtoria lib. 4 cap. 1. ubi addit, Stephanum Papam Fulconi Remenſi Pontifici litteras direxiſſe, quatenus Teutboldum ab ſe conſecratum in eccleſia Lingonica poſſeſſionem induceret. Fulconem verò Odonis Regis conſultu id exſequi diſtuliſſe,* dum Rex idem ſuos Legatos ad eumdem Papam dirigeret *ad iſtius rei pleniorem informationem. Ex quibus intelligitur, Aurelianum hac in re ad Regis voluntatem ſe geſſiſſe. Quamquam quid juris in Lingonenſis Epiſcopi nominationem haberet, aut intenderet, non capio.*

Litteras accipit à Ludovico Rege.

19. Severtius in paragrapho 9 fragmentum refert diplomatis, quod Ludovicus Provinciæ Rex, Boſonis filius, Aureliano conceſſit, in hac verba. Conſilio glorioſiſſimæ genitricis noſtræ Hirmingardis, & pro ſinceriſſimo Aureliani didaſcali obſequio conceſſimus eccleſiæ beatiſſimi Protomartyris Stephani Lugdunenſi, cui idem venerabilis Aurelianus Archiepiſcopus præeſt, eccleſias villaſque in pago Lugdunenſi ſitas, Abbatiam S. Martini, quæ Athanacus vocatur, &c. Lugduni XV Kalend. April. anno DCCC XCII, & anno I regni Burgundiæ ſeu Provinciæ.

Moritur.

20. Non diu poſt alteram Synodum Cabilonenſem, quæ anno DCCC XCIV *celebrata eſt, ſuperfuit Aurelianus, cujus obitus anno ſequenti contigiſſe videtur, quo anno ſucceſſor ipſius Alwalo in litteris Ludovici Regis jam dicti apud Severtium notatur. Quo verò die obierit Aurelianus, mihi non ſatis liquet: nam in priore obituum libro, quem in eccleſia Lugdunenſi idem Severtius legit,* Aurelianus Epiſcopus VIII *Id. Februarii; & in altero* Aurelianus Archiepiſcopus Lugdunenſis IV *Non. Julii obiiſſe memoratur. Uter verò Aureliani mortalis dies fuerit, definire nolim. certè* XVI *Kal. Julii Aurelianum Arelatenſem, non Lugdunenſem, deceſſiſſe, initio hujus Elogii demonſtratum eſt.*

21. His de Aureliano obſervatis, nunc (quod ſuperiùs pollicitus ſum) exhibendum eſt Chronicon Bonævallenſe, quod ex ſchedis V. C. Wionis Herovallii excepimus in hunc modum.

BREVE CHRONICON

Monaſterii Bonævallenſis apud Carnutes.

1. ANNO ab Incarnatione Domini DCCC XLI regnante Karolo Chlotharii fratre, filio autem Ludovici, III * anno regni ipſius Caroli conſtructum Cœnobium Bonævallenſe per ipſum Imperatorem KAROLUM & quemdam Militem FULCONEM nomine in honore ſanctorum Martyrum Marcellini & Petri, quos EINARDUS à partibus Romaniæ in Gallias tranſtulit. Tunc prædictus Miles bonæ memoriæ FULCO videns locum

* II

cum habilem & ad ædificationem Monachorum adortum, ſicut ordo Regulæ commodat, ſtruxit de ſuo fiſco per licentiam Regis, & de ſuis hereditariis ad Cœnobium monachile inſtruendum, quantum placuit. Deinde miſit Monachos quantos voluit. Tradidit itaque prædictis Sanctis & Monachis totam villam Bonamvallem cum omnibus quæ ad ſe pertinere videbantur, id eſt terris cultis & incultis, pratis, molendinis, piſcariis, aquis aquarumque decurſibus, inſuper & appendiciis quæ ad prædictam villam reſpiciunt, eccleſiam S. Mauricii cum parrochia quæ ad eam pertinet, id eſt villa quæ vocatur Vouredus, *Delſinet*, Vallaſeglanda, & Merdolum; ultra fluvium Letum villas, quarum hæc ſunt nomina: villa Navuncula, *Moncions Vender*, cum terris cultis & incultis, ſilvis, Poyros & Pulſultus, cum terris cultis & incultis. Item Miliciacum, & Merdelonem, & Oſannum, & Siriniacum, & Montem-Falconem cum pratis, molendinis, aquis, aquarumque decurſibus, ſilvis, terris cultis & incultis. Item eccleſiam S. Mariæ quæ vocatur Meterias, cum omnibus appendiciis ſuis quorum hæc ſunt nomina: Vallis Petroſa, *Pulnat*, * Nocumentum Villare, Villamorin, Villatignea, Villatenera; & omnia quæ in circuitu poſſidebat. Ann. Chr. DCCCXCV. Julii IV. *f. Noſy

2. His denique terris dotatâ eccleſiâ Dei & ſanctorum Martyrum Marcellini & Petri à Rege Carolo & ſuo fideli Fulcone, necnon dedicatâ ab Epiſcopo Carnotenſi nomine Gilrarico*, miſerunt etiam, quantum ſibi placuit, Monachos, & elegerunt venerabilem Abbatem Gausmarum nomine, qui ſemper familiaris extitit Karolo Imperatori. Abhinc & deinceps crevit eccleſia Dei, & ſublimata eſt à cunctis bonis circumadjacentibus viciniis. *l. Valentino

3. Jam verò defuncto Rege Karolo & filio ejus Ludovico ſuccedente, anno primo regni ejus, fuit quidam Comes Caſtri-Dunenſis Lambertus nomine, qui ob amorem Dei & Sanctorum ejus dedit ſanctis Martyribus Marcellino & Petro & domno Abbati Gauſmaro ad refugium infra Caſtidunum de terra agripennos duos & dimidium, in proprium perpetualiter habendos, & cryptas de ſubtus uſque in aquis. Ablato denique bonæ memoriæ Abbate Gauſmaro ab hac luce, venerabilis Ingelarius ſubrogatur ejus regimini ab omni Congregatione.

4. Igitur Deo diſponente, cui omnia ſunt poſſibilia, divulgatur fama religionis longè lateque Monaſterii hujus. Cumque nutu divino quidam Archidiaconus Auguſtudunenſis eccleſiæ, Aurelianus nomine, circumiret eccleſias illius provinciæ, ut Sanctorum corpora non bene adornata ipſe bene adornaret; contigit ut ſanctorum corpora Martyrum Florentini & Hilarii reperiſſet, & inde ſecum tranſtulit Lugduno in eccleſia S. Martini, quæ vocatur Athanao, valde diruta, ſed antiquitus dedicata, in qua & ipſe Abbas factus eſt. Cumque animus ejus defluerет perquirendi Monachos regulari ordine inſtructos, & non inveniret; audivit famam celeberrimam, quòd Bonævallis degerent Monachi regulari ordine approbati. Qui concitè dirigens Miſſos ad præfatum Monaſterium, obnixè deprecans, ut venerabilis Ingelarius, ſæpe dicti Monaſterii Abbas, numerum Monachorum ei mittere non denegaret, ſicut penes nos ſcriptum eſt. Itaque vir Domini, cùm eſſet plenus caritate, deſiderans augeri famulorum Chriſti numerum, ſciens quia qui plus laborat, plus mercedis accipiet; elegit ex ſuo grege Monachos duodecim, quos illic miſit bene inſtructos, & regulari ordine approbatos: monens & exhortans, ut de die in diem melius proficiant. Ab hinc Athanacenſes normam noſtræ auctoritatis, exordium ſumſerunt & mores.

5. Cùm autem ad nos redire propoſuiſſent Fratres, poſtulaverunt ſibi à Patre jam dicti loci, ut aliquod munus eis concederetur, quod utile Patri, loco eorum, & Fratribus eſſet. Dedit itaque eis venerabilis Abbas Aurelianus partem corporum præcipuam electorum Chriſti Martyrum Florentini & Hilarii, quæ nunc uſque ſervatur à nobis, ſicut ſcriptum habetur in codicibus noſtris. In adventu quorum ipſorum Martyrum multa miracula facta ſunt quæ penes nos ſcripta habentur. Quanta etenim per illorum merita huic loco ſalus venit, non eſt ſilendum. Cùm autem moviſſent ab Athanao, & properaſſent Aurelianenſi civitati, declinaverunt ad eccleſiam ſancti Anniani ſabbato. Deinde pervenerunt ad eccleſiam ſancti Sebaſtiani, in villa cui nomen eſt Balniolus: quo tempore villa illa eis data eſt tota cum eccleſia. Jam & in occurſum venerunt venerabilis Abbatis Monaſterii Bonævallenſis cum agmine ſancto Monachorum reliquias recepturi. Inde venerunt ab eccleſia S. Andreæ Apoſtoli in villa Danciaco, quæ eis data eſt cum alia villa, quæ vocatur Matguenas. & . . . . devenerunt ad eccleſiam nondum dedicatam, quæ duobus miliaribus à Monaſterio diſtat in villa Givarienſi . . . . in illo honore eſt dedicata, & per miracula quæ illic facta ſunt, tota villa eſt eis data. Deinde verò venerunt ad prædeſtinatum locum dedicatum in honore Chriſti Martyrum Marcellini & Petri, ubi deponendi erant Sancti.

6. Tunc temporis erat quidam Vicecomes Caſtrodunenſis nomine Rampo, qui Dei timore & Sanctorum dilectione inflammatus dedit prænominatis Sanctis Urſum . . . . cum mancipiis & appendiciis, id eſt *Villers* & *Labans*, cum terris cultis & incultis, & omnibus

ANN CHR. DCCC XCV. JULII IV.

quæ habebat. Item fuit quidam Miles nomine MENELAUS, qui pro Dei amore & vita æterna acquirenda dedit ſanctis Martyribus alodum in Laveroico villa, ſibi á parentibus hereditario jure derelictum tempore INGELRAMNI Abbatis. Item dedit alium alodum, ubi ipſe manebat, ejus nomine dictum Manſum Menelaus. In pago Bleſenſi dedit Comes THEOBALDUS primus inter Jergerolas & Cambum IIII aripennos de terra arabili & IX de vinea inſtructa, & terminatur una parte terra ſanctæ Mariæ, altera S. Leobini. Item ipſe dedit in fiſco Bleſenſi IIII aripennos vineæ inſtructæ, & octo denarios, cum alia terra arabili, & ad Cloſellos quatuor arpennos vineæ inſtructæ, & in alto loco unam ſaleſgiam, ubi navis quædam recepetabat, in alodum perpetualiter habendum.

7. Inde verò extitit Comes inclytus, nomine ODO a, filius ejus, loci hujus apuſſimus reparator, qui Abbatem WALDRICUM ad inſtruendum & reformandum in hoc loco poſuit, & dedit in augmentationem hujus loci quemdam locum hereditarium in Longore ſancti Salvatoris dicatum Braico ſitum, à quodam hereditabili viro ſibi derelictum, nomine BORCARDO: ita ut abſque ulla diviſione eſſet ſub hujus poteſtate, cum omnibus appendiciis quæ illic adjacent, ſicut in privilegiis noſtris ſcriptum habetur. Item ipſe dedit nobis Groleſias cum decimis & vicaria, & cum omnibus conſuetudinibus quæ ad eam pertinent. Item dedit & aliam villam juxta Silvam-longam, quæ vocatur Naſcellas, & illam quæ vocatur *Villerval*, cum omnibus conſuetudinibus & mancipiis, terris cultis & incultis. Dedit & molendinos, qui ſunt Marbrico, & vineas, terras & omnia quæ illic habebat, in alodum perpetualiter habenda. Deinde extitit quidam Vicecomes Caſtriduneuſis, GAUFRIDUS nomine, qui pro redemtione animæ ſuæ & uxoris HARMENCARDIS nomine dedit ad locum ſanctorum Martyrum ſuum alodum, qui appellatur Villa ſituata, cum omnibus conſuetudinibus & ſervis & ancillis quæ illic manebant. Similiter filius ſuus nomine HUGO dedit aliam villam juxta ſitam, nomine Buxeriam.

a Hac de re ſignat charta CLOTARII ſeu Lotharii Regis, qua ad petitionem Odonis clariſſimi Comitis, necnon Hugonis glorioſiſſimi Ducis, ſub ſua defenſione Monaſterium Bonævallenſe ſuſcepit, *in quo candidatus grex Monachorum degebat*. Subſcribunt CLOTARIUS REX. GERO *notarius ejus ad vicem Odelrici Archiepiſcopi & ſummi Cancellarii*. GOTTFRIDUS *Vicecomes*. HERBERTUS *Comes*. HAIDUINUS. ROTROCUS. ODO *Comes*. ODO *filius ejus. Datum Nonis Julii regnante domno Clotario anno IIII, Indict. X. Actum Verberiaco Palatio*. Porro Odo Comes *hoc præceptum fieri rogavit pro remedio animæ ſuæ, uxoris, & filiorum, necnon & Vicecomitis Gaufredi fidelis ſui*.

CIRC. ANN. DCCCXCV.

VENERABILIS JOHANNIS ABBATIS ÆTHELINGIENSIS ELOGIUM HISTORICUM,

Ubi de JOHANNE Scotto ſeu Erigena, deque JOHANNE Sophiſta ſeu Malmeſburienſi.

Ælfredo invitante Johannes in Angliam venit.

1. INTER *Reges, qui Britanniæ majoris ſceptrum ſæculo* IX *tenuerunt, facilè principem obtinet locum Ælfredus Angloſaxonum Rex, cujus ſtudio ac diligentia, non ſolùm pietas ac religio, ſed etiam litterarum ſtudia, quæ pæne ea in inſula tum obſoleverant, in priſtinum ſplendorem reſtituta ſunt. Hujus operis adjutorem habuit Aſſerum, Monachum primùm atque Abbatem Bancorenſem apud Britannos, tum Schireburnenſem Epiſcopum, qui piiſſimi Regis geſta poſteris commendavit. Ex eo Auctore diſcimus, Ælfredum viros undequaque doctos ac pios conquiſiſſe: in his Grimbaldum &* JOHANNEM *Sacerdotes ac Monachos ad ſe accerſiſſe. Aſſerus rem commemorat his verbis.* Sed cùm

adhuc nec in hoc quoque regalis avaritia, ſed tamen laudabilis grata eſſet; legatos ultra mare ad Galliam Magiſtros acquirere direxit, indeque advocavit GRIMBALDUM Sacerdotem & Monachum, venerabilem videlicet virum, cantatorem optimum, & omnimodo eccleſiaſticis diſciplinis, & in divina Scriptura eruditiſſimum, & omnibus bonis moribus ornatum; JOHANNEM quoque æque Preſbyterum & Monachum, acerrimi ingenii virum, & in omnibus diſciplinis litteratoriæ artis eruditiſſimum & in multis aliis artibus artificioſum: quorum doctrinâ Regis ingenium multùm dilatatum eſt, & eos magna poteſtate ditavit & honoravit. *Hinc intelligimus, Iohannem, uti & Grimbaldum, ex Gallia in Britanniam acceſſiſſe: & Grimbaldum quidem ex Sithienſi ſancti Bertini, Iohannem ex Corbeienſi (ut puto) Monaſterio, quod poſtea expendendum. Ad hæc Ælfredus ipſe in præfatione ad verſionem Angloſaxonicam Paſtoralis Gregoriani, ait, id operis ſe perfeciſſe, ſicuti didicerat à Pleimundo Archiepiſcopo, Aſſero Antiſtite, necnon Grimbaldo* & JOHANNE ſibi à ſacris. Circ. ann. DCCCXCV.

2. *Cujas fuerit Iohannes iſte, aperit Aſſerus in conſequentibus, ubi Iohannis pietatem ac cædem commemorat in hunc modum.* Nam cùm de neceſſitate animæ ſuæ ſolitò cogitaret, inter cetera diurna & nocturna bona, quibus aſſiduè & maximè ſtudebat, duo Monaſteria conſtruere imperavit; unum Monachorum in loco, qui dicitur *Æthelingaeg*, quod permaxima gronnia paludoſiſſima & intranſmeabili, & aquis undique circumcingitur; ad quod nullo modo aliquis accedere poteſt, niſi cauticis, aut etiam per unum pontem, qui inter duas alias arces operoſa protelatione conſtructus eſt: in cujus pontis occidentali limite arx munitiſſima præfati Regis imperio pulcherrima operatione conſita eſt. in quo Monaſterio diverſi generis Monachos undique congregavit, & in eodem collocavit. Nam primitus, quia nullum de ſua propria gente nobilem ac liberum hominem, niſi infantes, qui nihil boni eligere, nec mali reſpuere pro teneritudine invalidæ ætatis adhuc poſſunt, qui monaſticam voluntariè vellet ſubire vitam, habebat; nimirum, quia per multa retro acta annorum curricula monaſticæ vitæ deſiderium ab illa tota gente, necnon & à multis aliis gentibus funditus deſierat; quamvis perplurima adhuc Monaſteria in illa regione conſtructa permaneant; nullo tamen Regulam illius vitæ ordinabiliter tenente, (neſcio quare) aut pro alienigenarum infeſtationibus, quæ ſæpiſſime terra marique hoſtiliter irrumpunt; aut etiam pro nimia illius gentis in omni genere divitiarum abundantia, propter quam multo magis id genus deſpectum monaſticæ vitæ fieri exiſtimo. ideo diverſi generis Monachos in eodem Monaſterio congregare ſtuduit; primitus JOHANNEM Preſbyterum Monachum, ſcilicet Ealdſaxonum genere, Abbatem conſtituit. deinde ultramarinos Preſbyteros quoſdam & Diaconos: ex quibus cùm nec adhuc tantum numerum, quantum vellet, haberet; comparavit etiam quamplurimos ejuſdem gentis Gallicæ, ex quibus quoſdam infantes in eodem Monaſterio edoceri imperavit, & ſubſequenti tempore ad monachicum habitum ſublevari. In quo etiam Monaſterio unum paganicæ gentis edoctum in monachico habitu degentem, juvenem admodum, vidimus, non ultimum ſcilicet eorum. Facinus quoque in eodem Monaſterio quodam tempore perpetratum muti taciturnitate ſilentii oblivioni traderem. quamvis indignum facinus eſt; quia per totam Scripturam impiorum turpia facta, inter venerabiliora Juſtorum, ſicut zizania & lolium in tritici ſegetibus interſeminantur: bona ſcilicet ut laudentur, ſequantur, æquiparentur; ſectatores quoque eorum omni honore venerabili digni habeantur: mala verò vituperentur, exſecrentur, & ut omnino effugiantur; imitatores quoque eorum omni odio, & deſpectione, ac vindicta corripiantur. Nam quodam tempore, cum inſtinctu diabolico quidam Sacerdos & Diaconus, Gallici genere, ex præfatis Monachis invidia quadam latenti excitati, contra ſuum Abbatem præfatum Johannem nimiùm latenter in tantum amaricati ſunt, ut Judaïco more

Æthelingienſi Monaſterio præficitur.

Ibique dirtiſſimè necatur.

CIRC. ANN. DCCCXCV.

dominum ſuum dolo circumvenirent, & proderent. Nam duos ejuſdem gentis Gallicæ ſervulos præmio conductos ita fraudulenter docuerunt, ut nocturno tempore, cùm omnes delectabili corporis quiete graviter dormirent, patefactam armati intrarent eccleſiam, quam poſt ſe iterum ſolito more claudebant, & unicum Abbatis adventum in ea abſconditi præſtolarentur. Cumque ſolus ſolitò orandi causâ eccleſiam latenter intraret, & ante ſanctum altare flexis ad terram genubus ſe inclinaret; hoſtiliter irruentes in eum, tunc eum ibidem occidere conabantur: cujus corpus exanime inde trahentes ante oſtium cujuſdam meretricis, quaſi ilico occiſus eſſet in meretricando, jactarent. quod etiam machinaverunt, crimen crimini addentes, ſicut dictum eſt: *Et erit noviſſimus error pejor priore*. Sed divina miſericordia, quæ ſemper innocentibus ſolet ſubvenire, impiam impiorum meditationem maxima ex parte fruſtrata eſt, quo non per omnia eveniret, ſicut propoſuerant. Omni itaque mala doctrina à malis doctoribus, malis auditoribus elucubratim expoſita, & condicta nocte adveniente atque ſuppetenti, & impunitate promiſſa, latrunculos duos armatos in eccleſia concluſerunt, adventum Abbatis præſtolantes. Cumque media nocte Johannes ſolitò ſurtim, nemine ſciente, orandi gratiâ eccleſiam intraſſet, & flexis genubus ante altare incurvaret; tunc duo illi latrunculi ex improviſo evaginatis gladiis in eum irrumpunt, & crudelibus afficiunt vulneribus. Sed ille, ut ſolitò ac ſemper acris ingenio, & (ut audivimus de eo à quibuſdam referentibus) bellicoſæ artis non expers, ſi in meliori diſciplina non ſtuderet; ſtatim ut ſonitus latronum audivit, priuſquam videret, inſurgens acriter in eos, antequam vulneratur; & vociferans quantum poterat, reluctabatur, inclamitans dæmones eſſe, & non homines. Non enim aliter ſciebat: quia nec hoc homines auſos eſſe exiſtimabat. Vulneratus eſt tamen, antequam ſui advenirent. Sui ergo hoc rumore expergefacti, & etiam audito dæmonum nomine perterriti utrique, & inexpertes; & etiam illi Judaïco more domini ſui proditores hinc inde ad eccleſiæ oſtia concurrunt. Sed antequam advenirent, latrunculi præcipiti curſu ad proximantia ſibi gronnæ latibula, ſemivivum Abbatem relinquentes, confugiunt. Monachi verò ſeniorem ſuum ſemivivum colligentes, cum gemitu & mærore domum reportaverunt. Sed nec etiam illi doloſi minùs lacrymabantur innocentibus. Sed Dei miſericordia tantum facinus impunitum fieri non permittente, latrunculi qui hoc perpetraverunt, omnes tanti ſceleris perſuaſores capti, ligatique per varia tormenta morte turpiſſima periere.

Saxoniæ veteris alumnus, alius à Johanne Scotto.

3. *In his verbis cùm multa veniant obſervanda, illud in primis occurrit, quòd Iohannes hic de quo agimus*, genere Eald-Saxo *fuiſſe perhibetur. Alius proinde fuit à Iohanne Scotto ſeu Erigena, Caroli Calvi familiari, quem genere Scottum ſeu Hibernum fuiſſe conſtat: Iohannes verò Ealdſaxo, id eſt è Saxonia veteri ſeu Germanica oriundus, non Eaſtſaxo ex Eaſtſaxonia ſeu Angloſaxonibus orientalibus, vulgò* le pays d'Eſſeix, *ut quibuſdam non rectè viſum eſt. Hujus ſententiæ certum habeo interpretem Aſſerum ipſum, qui* Ealdſaxonum *nomine* antiquos Germaniæ Saxones *intelligit, uti probant ſequentia ejus verba ad annum 884*. Eodem quoque anno magnus paganorum exercitus de Germania in regionem antiquorum Saxonum, quod Saxonicè dicitur EALDSAXUM, ſupervenit. contra quos, adunatis viribus, iidem Saxones & Friſones ibidem in uno illo anno viriliter pugnavere, in quibus duobus bellis Chriſtiani divina opitulante miſericordia victoriam habuere. *Erant ergo* Eald-Saxones *iſti veteres Saxones, & quidem Friſonibus finitimi. quod non tranſmarinis Britanniæ Saxonibus, qui è veteri Saxonia eo commigravere ſæculo quinto, ſed Germanicis competere manifeſtum eſt. Certè vox* Eald *apud Angloſaxones perinde ſonat, atque* Alt *apud Teutones ſeu Germanos. Porro* Alt *Germanis vetus ſignificat, probante Smaragdi Abbatis Commentario mſ. in Donatum. Is enim Auctor in lib. 2 cap. 50 de Patronomicis agens*, Altmir vetulus mihi, *interpretatur, ut conſtat ex fragmento à me*

relato in Veterum Analectorum tomo 2. Smaragdo praivit Gregorius Papa II, in epiſtola univerſo populo provinciæ Altſaxonum *directa, qua eis commendat Bonifacium Epiſcopum, Germaniæ Apoſtolum, ad ipſos a ſe miſſum. quod de Germanicis Saxonibus intelligendum eſſe, nemo eſt qui infitiari poſſit. Accedit Ingulfi Abbatis Crulandenſis auctoritas, qui Aſſeri locum explicans in hiſtoria ſua, hæc habet:* Similiter de veteri Saxonia Johannem cognomine Scottum ad ſe alliciens; *&c. Ubi vides, Ingulfum pro eo quod habet Aſſerus* Johannem Ealdſaxonum genere, *reddidiſſe* e veteri Saxonia Johannem. *quamquam ejus loci ſenſum non bene reddidit. Non enim eò ſpectat Aſſeri ſententia, ut Johannem è veteri Saxonia allectum dicat, ſed è veteri Saxonum genere ortum. Ex his manifeſtum eſt, Johannem Æthelingiæ Abbatem, genere non Scottum, ſed Germano-Saxonem fuiſſe.* CIRC. ANN. DCCCXCV.

4. *Atqui Johannes Caroli Calvi familiaris, genere Scottus erat, teſtante in primis Nicolao Papa I, in epiſtola* Carolo Regi majori *inſcripta, in qua hæc verba.* Relatum eſt apoſtolatui noſtro, quòd opus beati Dionyſii Areopagytæ . . . . quidam vir Johannes GENERE SCOTUS, nuper in Latinum tranſtulerit, *&c. Dicat fortaſſe quiſpiam, Nicolaum audito Scotti cognomine, quod vulgo Johanni iſti tribuebatur, falsò exiſtimaſſe eum genere Scottum fuiſſe: tametſi ideo Scottus dictus ſit, quod apud Scottos ſeu Hibernos educatus. Verùm cavillatio hæc diſertè refellitur auctoritate Hincmari Remorum Pontificis, cui Johannes Scottus notiſſimus ac familiaris erat. Hincmarus quippe in poſterioris operis de prædeſtinatione cap. 31, Johannem* Scottigenam, *id eſt Scottum genere, Scottis genitum, è Scotia ſeu Hibernia ortum appellat.* Scottigenam *etiam dicit Anaſtaſius Bibliothecarius in epiſtola ad Carolum Calvum de Areopagiticis, eorumque verſione: qua in epiſtola Iohannes Scottigena, iſtius verſionis auctor laudatur, diciturque* barbarus; in finibus mundi poſitus. *quod homini Hiberno ſignanter convenit. Hinc eſt, quòd apud ætatis illius Auctores, Remigium Lugdunenſem, Prudentium Tricaſſinum, & Pardulum Laudunenſem Epiſcopos, ipſamque Lugdunenſem eccleſiam, in ſcriptis Gotheſcalci cauſa editis, eum paſſim* Johannem Scotum, *immo ſuppreſſo Iohannis nomine,* Scotum, Scotum illum, quemdam Scotum *perſæpe cognominant. Itaque Scottus dictus eſt, non ſolùm quòd apud Scottos educatus & inſtructus, ut quidam perperam fingunt: ſed quòd Scottus genere ac patria fuerit. Diverſus ergo à Iohanne Æthelingiæ Abbate, quem è veteri Germaniæ Saxonia ortum fuiſſe jam demonſtravi.*

5. *At Iohannes, inquis, Abbas, non è veteri Saxonia accitus eſt ab Ælfredo; ſed ex Gallia, ubi tum Iohannes Scottus morabatur. Quid tum? Degebat quidem apud Gallos Johannes Scottus: at degebat etiam Johannes Altſaxo. Ubinam, inquis? Non prodit Aſſerus. Ego verò exiſtimo ipſum Johannem degiſſe in Monaſterio Corbeienſi, ubi multi veterum Saxonum recèns ad Fidem converſorum liberi in Fide Chriſtiana, litteris, ac monaſticis inſtitutis erudiebantur. Teſtis hujus rei in primis anonymus, ejus temporis Auctor in libello de tranſlatione S. Viti, à me ſuperiùs edito, ubi iſte Auctor agens de Saxonum expugnatione per Carolum Magnum facta, ait Imperatorem ſtudioſiſſimè in id incubuiſſe*, quo modo veram Fidem, veramque religionem apud Saxones firmaret. Sed cùm omnem ordinem eccleſiaſticum in illa regione tradidiſſet, qualiter ibidem monaſticam religionem inſtituere potuiſſet, invenire nequivit, in tantùm quòd illius gentis homines, quos obſides & captivos tempore conflictionis adduxerat, per Monaſteria Francorum diſtribuit, legem quoque ſanctam atque monaſticam inſtitui præcepit. Denique quia in Corbeio Monaſterio laudabilis tempore religio Monachorum habebatur; multos inibi ejuſmodi viros fore conſtituit. *Hinc Adalhardus, ejus loci Abbas ſanctus*, ab eis qui ibidem erant ex gente Saxonica, ſciſcitari cœpit, ſi poſſit in illa patria inveniri locus, ubi Monachorum Monaſterium conſtrui rationabiliter poſſet. *Tum Adalhardus junior, exſulante Adalhardo ſeniore Abbas Corbeienſis*, de conſtructione Monaſterii in

Circa ann. DCCC XCV.

Saxoniæ partibus *itidem cogitans*, conſilium *ea de re* cum ſenioribus Fratribus, & cum his qui ab illis partibus venerant, habuiſſe *perhibetur in dicto libello. Paſchaſius Radbertus, qui rem accuratiùs diſtinguit, agens de Wala Adalhardi ſenioris fratre*, quem feritas gentium barbararum, *ſcilicet Saxonum*, ſuis edomita beneficiis nimiùm diligebat; ad eum demum jam cùm Monachus foret *Corbeia in Gallia, Saxones* quantotiens devotos confluxiſſe *memorat, in epitaphio Walæ cap. 6. quin etiam addit in cap. ſequenti, Walam eaſdem gentes ſic dilexiſſe, ut ſæpe* omiſſis prioribus noſtri, *inquit Paſchaſius*, Ordinis, ad eos alacrius ſe conferret, & totum ſe illis infatigabiliter præſtaret. *nempe* ut eos ſuis provocaret exemplis, & ad morum inſtrueret honeſtatem, qui nuper ad Fidem Chriſti venerant. *Denique in eorum gratiam, ipſi* primum divinitus inſpiratum eſt, *quod juniori Adalhardo intimavit, conſtruendæ novæ Corbeiæ conſilium*, occaſione accepta prò quibuſdam ſui generis *nempe Saxonibus*, qui ad nos, *inquit Paſchaſius cap. 13*, converſionis gratiâ venerant, & de rebus ſuis nobis tradiderant, quò locus ædificaretur Cœnobii. *Conſtructâ novâ Corbeiâ, perſeveravit mutuus inter utramque Corbeiam, veterem ſcilicet ac novam, commeatus Monachorum. Itaque veri ſimile eſt, Johannem ex his unum fuiſſe, qui cùm in pietatis officiis adultus, litteriſque in celebri hac academia excultus, aut certè è nova Corbeia in veterem tranſlatus, Ælfredo innotuiſſet, in Britanniam arceſſitus ab eo eſt.*

Presbyter ac Monachus, non alter.

6. *Alterum Johannis Scotti à Johanne Æthelingia Abbate diſcrimen ex eo petitur, quòd hic ab Aſſero* Presbyter ac Monachus, *Ælfredo ipſi* à ſacris; *ille nuſquam (quod ſciam) ſeu Presbyter, ſeu Monachus apud Auctores ejus ætatis æquales appellatur, etiam iis in locis, ubi deſignandi hominis occaſio opportuna erat. Cùm enim de Johanne Scotto agunt Auctores iſti, eum vocant aliquando (ut dixi)* Johannem Scotum, *aliquando* Scotum quemdam, *aliquando* vaniſſimum & ineptiſſimum Scottum; *dicturi haud dubiè Presbyterum aut Monachum, (ut de Gotheſcalco paſſim) ſiquidem Presbyter aut Monachus exſtitiſſet. Deinde Johannes Scottus ipſe in ſuorum operum inſcriptione, (ubi officia ſeu dignitates ſuas exprimere ſolent Auctores) nuſquam Presbyteri aut Monachi nomen uſurpat, ut patet ex præfatione ad librum de divina prædeſtinatione, cujus hoc exordium:* Dominis illuſtribus . . . Hingmaro & Parthulo . . . Johannes ſervus veſter devotus in Domino ſalutem. *Idem probat ejuſdem Præfatio in Areopagitica:*Glorioſiſſimo catholicorum Regum Carolo Johannes extremus ſophiæ ſtudentium. *itemque Præfatio mſ. in verſionem Scholiorum ſancti Maximi ad quædam Gregorii Theologi loca his verbis concepta:* Domino glorioſiſſimo piiſſimoque divina providente atque adjuvante gratia Regi Karolo Johannes extremus ſervorum veſtrorum perpetuam in Chriſto ſalutem. *Denique verſibus Græco-Latinis, quos pervetuſto Gloſſario Græco-Latino idem appoſuit, hunc titulum præfixit:* VERSUS JOHANNIS. *Editi ſunt partim illi verſus ab eruditiſſimo Cangio in Præfatione ad Labbæi Gloſſarium. Ad hæc, ſi is fuiſſet Monachus, aliquando in Monaſterium quoddam ſe recepiſſet: cùm è contrario ſemper* in palatio *Caroli Calvi verſatus ſit, ut ex Parduli Laudunenſis Antiſtitis epiſtola intelligitur; ſatiſque innuit Johannes ipſe in præfatione ad librum de Prædeſtinatione, his verbis.* Nos verò è diverſo inter undoſum velivolumque pelagus Imperii ſenioris noſtri domni videlicet glorioſiſſimi Karoli, quaſi quædam navicula, diverſis fluctibus agitati, quandoque tamen in portu ſerenitatis ejus ſtabilitando occupati, vix aliquando ad veſtigia ſapientiæ intuenda breviſſimo temporis ſinimur intervallo. *Quibus verbis ſatis declarat ſe palatii negotiis maximè implicitum fuiſſe, ſic ut vix tempus otiumque ad ſtudia ſibi competeret. Accedit, quòd Johannes Saxonicus poſt annum* DCCC LXXXVI *in Britanniam trajecit: quòd ſub annum* DCCC XCV *necatus eſt, homo adhuc vegetæ ac validæ ætatis; quòd* bellicoſæ artis non expers *erat ex Aſſero. Neque enim hæc omnia, ne ſingula quidem, Johanni Scotto convenire poſſunt, qui cùm ſub initia regni Caroli Calvi in Galliam acceſſerit ex Hi-*

bernia, haud dubiè jam vir factus ac litteris inſtructus, uſque ad annum DCCC XCV *pervenire non potuit, multo minus cum duobus ſicariis luctari. Hæc argumenta omnia, maximè ſuperiora duo ex patria & officiis petita, Johannem Scottum à Johanne Abbate manifeſte dirimunt.* Circ. ann. DCCC XCV.

7. *Nec me ab ea ſententia movet ſæculi* XII *Scriptorum auctoritas, qui aut unam è duobus conflavere; aut quod Johanni Scotto conveniebat, ad Johannem Abbatem traduxere: cùm ea, quæ hactenus expoſui, momenta, ab Auctoribus æqualibus petita, exigant integram fidem. Verùm ab iſta veritate ad fabulas quibuſdam quaſi gradibus pedetentim ventum eſt. Cùm enim Aſſerus Johannem* Ealdſaxonum genere, Preſbyterum & Monachum *è Gallia in Britanniam ab Ælfredo Rege accitum ſcripſiſſet; Ingulfus Abbas, quaſi Aſſeri locum explicans, Johannem Scottum è veteri Saxonia ab Ælfredo allectum dixit. Poſtea Johannes Abbas, idem atque Johannes Scottus credi cœpit: aut ſi quis alterum ab altero diſtinguendum eſſe ratus eſt; utrumque ab Aſſero accitum exiſtimavit. In ea ſententia ſine dubio fuit Willelmus Malmesburienſis Monachus in lib. 2 de geſtis Regum Anglorum cap. 4, ubi Johannem, quem Adelingiæ Abbatem conſtituit Ælfredus,* ex antiqua Saxonia oriundum *aſſertè diſtinguit à Johanne Scotto, quem etiam* munificentiâ Ælfredi in Angliam allectum *ſcribit, &* apud Monaſterium, *inquit,* noſtrum *ſcilicet Malmesburienſe,* à pueris quos docebat, *(ut fertur)* perforatum, etiam Martyrem æſtimatum *fuiſſe. Atqui non ignorabat Willelmus, Iohannem Æthelingiæ Abbatem non alibi, quàm in Æthelingienſi eccleſia, fuiſſe trucidatum. Iam expendendum foret, verene Iohannes Scottus ab Ælfredo in Angliam accitus ſit: tum an idem cenſendas, qui Mailduni ſeu Malmesburia colebatur. Sed hæ duæ res inferiùs tractanda erunt, cùm Iohannem Abbatem ſeu Altſaxonem expediverimus.*

8. *Quo tempore is in Britanniam acceſſerit, ex tempore, quo Grimbaldus eo pervenit, colligere poſſamus. Eadem quippe legatione uterque ab Ælfredo invitatus eſt, teſte Aſſero. Nunc verò Grimbaldus adhuc in Sithienſi Monaſterio degebat anno primo Caroli Imperatoris cognomento Craſſi, quo anno litteris Rodini cujuſdam, Rodulfo Sithienſi Abbati conceſſis, ſubſcripſiſſe invenitur in Folquini chartario, ſcripto ante annos* DCC. *ſic enim Rodini charta deſinit.* Actum in Monaſterio Sithiu, in eccleſia ſancti Petri, anno I Caroli Magni Imperatoris, VI Id. Septemb. GRIMBALDUS Sacerdos & Monachus ſcripſit. *Non ergo ante annum* DCCC LXXXI, *qui anno Caroli Craſſi primo reſpondet, in Angliam profectus eſt Grimbaldus. Certè apud Willelmum dicitur eo miſſus à Fulcone Remenſi Archiepiſcopo, qui anno* DCCC LXXXII *Hincmaro ſucceſſit. Denique Aſſerus ejus adventum refert ad annum* DCCC LXXXIV, *quo anno, tametſi multa recapitulando ſeu anticipando commemorat; Grimbaldi, ac proinde Iohannis Altſaxonis, acceſſum in Angliam contigiſſe facilè crediderim.* Quando in Angliam acceſſerit.

9. *Quamdiu Iohannes iſte, cùm in Ælfredi palatio, tum Æthelingia verſatus ſit, non conſtat. Eum tamen non exiguo temporis intervallo apud Britannos egiſſe neceſſe eſt. quippe qui multum ad Regis Ælfredi eruditionem, & ad proprii informationem Monaſterii collaboravit. Quapropter mihi facile perveniſſe videtur ad annum* DCCC XCV, *immo forſitan ad* DCCCC. *tametſi neque annum, neque diem obitus ejus certò definire auſim.* Quo tempore obierit.

10. *Supereſt, ut quæ duo huc examinanda mox rejeci, paucis expediam. Unum eſt, an præter Iohannem Altſaxonem, etiam Iohannes Scottus Caroli Calvi familiaris in Angliam accitus ſit, ut ſenſit Willelmus Malmesburienſis Monachus cum aliis nonnullis, & Chronographus anonymus, qui in anno* M C XXXVII *deſinit apud Cheſnium tomo 3, ubi hæc verba pag. 359.* Rogatu Ælfredi Johannes Scottus rediit à Francia, ubi erat cum Carolo Calvo. *Id verò negare nos cogit Aſſeri ſilentium, qui viros doctos ab Ælfredo adhibitos accuratè commemorans, unum ex nomine Iohannem, genere Ealdſaxonum, Presbyterum ac Monachum adducit. Neque enim veri ſimile eſt, hominem Ælfredi æqualem ac familiarem, qui & ipſe* Johannes Scottus an ad Ælfredū venerit.

Circ. ann. DCCC XCV. *unus ex invitatis erat, Johannem Scottum prætermiſiſſe, qui alios tam diſertè diſtinguit. Ubi mirari ſubit, Harpsfeldio, homini ceteroquin diligenti, irrepſiſſe, ut Iohannes duos, ſcilicet Saxonicum, & Scottum ſeu Erigenam, ab Aſſero memoratos dixerit. Nec minus Sigeberti erratum, Iohannem Scottum ab Iohanne Erigena diſtinguentis. Ergo ut dicere inceperam, nequaquam vero proximum eſt, Iohannem Scottum, ſiquidem ab Ælfredo invitatus fuiſſet, ab Aſſero prætermiſſum iri. an verò Iohannes Scottus ad Ælfredum, quem litterarum amantem noverat, mortuo Carolo Calvo ultro ipſe acceſſerit, mihi non liquet. Sanè apud Carolum Calvum reſidebat ſaltem uſque ad annum* DCCC LXXII, *ut colligo ex ejuſdem Iohannis verſibus Græcis ac Latinis, quos pervetuſto Gloſſario Græco-Latino ab eo appoſitos ſuperſus notabam. Latini verſus ſic habent.*

Prælucens præco, ſplendens præfamine ſummo,
HINCMARUS vivat, ſapiens, & commemorandus.
Verbi tela Dei viventis in ore tenendo
Romani populi JOHANNES gloria conſtat.
Græcorum Græcus fulget nunc LIUDDO colendus.

Hîc laudatur Iohannes Pontifex, qui Romanam ſedem iniit deſinente anno DCCC LXXII. *quo proinde anno, immo poſt alios aliquot, Iohannes Scottus apud Carolum Francorum Regem adhuc morabatur. qui neſcio an mortuo Carolo ad Ælfredum ſe contulerit, mæcenate deſtitutus, atque ob errorum, quibus ejus libri reſperſi erant, infamiam, inglorius deinceps apud Gallos futurus.*

An idem qui Johannes Sophiſta, *II. Ex hujuſce ignoratione etiam aliud innaſcitur dubium, an Iohannes Scotus idem ſit, ac Iohannes Sophiſta ſeu Sapiens, quem veluti Martyrem ſæculo* XII *colebant Malmesburienſes, teſtante Willelmo. Et quidem ſi in Iohannis Sophiſtæ epitaphio, quale à Willelmo refertur, ſiſtimus; nihil inde exploratum pro Iohanne Scotto colligimus. Epitaphium ſic habet.*

Clauditur hoc tumulo ſanctus Sophiſta JOHANNES,
Qui dotatus erat jam vivens dogmate miro;
Martyrio tandem Chriſti conſcendere regnum,
Quo meruit, Sancti regnant per ſæcula cuncti.

Quæ ex majorum traditione ſuperaddit Willelmus, ſubleſtæ fidei ſunt, nec tanti ſanè, ut ex his rem definire poſſimus. Verumtamen hoc Iohannis Scotti martyrium, quale Willelmus Malmesburienſis Monachus dubitanter primus evulgavit, operosè tuentur Calviniſtæ, qui hominem faſtis ſuis adſcripſerunt, tamquam dogmatis ſui non infimum defenſorem. Danda venia eſt hominibus ope deſtitutis, ut quemcumque poſſunt auxilio ſuo conquirant & conducant, quantumvis alienum. At certè qualis cauſa, talis patronus; falſæ, dubius, ne dicam ficticius. In primis enim non conſtat qualis Iohannis Scotti ſententia de Euchariſtia fuerit, amiſſo libro quem ea de re edidit. Quid enim ſi realem præſentiam admiſit, negata ſolùm tranſſubſtantiatione? ut ex Berengarii & Aſcelini ſcriptis colligi poteſt. Atque ut de præſentia reali dubitaverit; quid ſi ſententiam ſuam correxit ante mortem? quid ſi pro alia cauſa necatus eſt? nimirum quòd diſcipulos ſuos duriùs tractaret. quid ſi martyrium hoc non honoris, ſed meri infortunii eſt? quid denique ſi martyrium ipſum incertum, ne dicam ficticium eſt? Atqui, ut cetera diſſimulem; non quiſquis Martyr apud veteres dicitur, continuò in ſanctorum Martyrum album referendus eſt. Martyr olim dicebatur, quiſquis violenta morte alterius manu occumbebat. Unde Martyr perinde erat, acſi diceretur occiſus. Infinita huc exempla referre poſſem, ſi locus pateretur. Nec forſan hoc eſſet otioſum, propterea quòd nominis ambiguitas multos fefellit. Sed hoc aliàs: interim unum aut alterum exemplum hîc ſufficiat. Theganus in lib. de geſtis Ludovici Pii cap. 52 agens de Lotharii facinoribus Cabillone perpetratis, fideles patris ſui, *inquit*, ubicumque comprehendere potuerat, præter Legatos tantùm, Martyres exhibuit. *Non ſolùm qui vitam nece finiebant, ſed & qui aliqua membrorum mutilatione afficiebantur*, Martyres *ſeu* martyrizati *dicebantur. Sic Erluinus Gemblacenſis Monachus, cui oculi evulſi & lingua amputata*, martyrizatus *dicitur*

Circ. ann. dccc. xcv.

dicitur in Chronico Gemblacenſi. Hunc verò morem tenebat illorum temporum Eccleſia, ut ſi quis vita aliàs innocentu ab aliquo injuſtè necatus fuiſſet, Martyr demum coleretur. Huc ſpectat quod Vvillelmus ſupradictus ſcribit in lib. 2 de geſtis Regum Anglorum, ubi de Oſvvaldo Rege. Pleroſque innocenter cæſos, non humana conjectura, ſed divina ratio Martyres conſecravit. *Qui vero temere, lecto vel audito Martyris nomine, hominem ut ſanctum colunt, graviter falluntur. Huic loco rectè quadrat quod habet Optatus Milevitanus Epiſcopus in lib. 3, cujus tempore neſcio an hujuſmodi error jam invaluerat.* Quare deberis intendere, ne temerarium ſit eos Martyres appellare, qui Chriſtianorum nullum ſenſerint bellum. *Hinc tritum illud:* Martyrem facit non pœna, ſed cauſa. *At qua cauſa necis Iohannis? nimirum* puerorum graphiis, ut fertur, perforatus, etiam Martyr æſtimatus eſt, *inquit Vvillelmus in libro jam citato. His nequaquam Iohannis iſtius ſanctitati detractum velim: qui in epitaphio quod Vvillelmus refert,* ſanctus Sophiſta Johannes *appellatur, &* martyrio Chriſti regnum conſcendiſſe *dicitur. An verò is fuerit, qui in Caroli Calvi aula verſatus eſt, incertum. Nam præterquam quòd Vvillelmus ejus ſententiæ auctor dubitanter admodum ex traditione Monaſterii ſui hæc refert; illud movet, quòd nullus ante eum Iohannis Scotti martyrium jactavit, ne Berengariani quidem, quorum maximè intererat, ut ſcitè vir doctus Pariſius obſervavit.*

Johannes Scottus Epiſcopus & Martyr.

12. Invenio alium Iohannem Scottum Martyrem, apud Adamum Bremenſem Canonicum in hiſtoria ſua tribus locis laudatum, nempe in Capp. 139, 206, & 167. qui *Iohannes factus Epiſcopus Magnopolitanus, poſtea* in Slavoniam miſſus, *ibidem* cum Principe Gotheſcalco interfectus eſt. *& quidem* truncatis manibus ac pedibus in platea corpus ejus projectum eſt: caput verò deſectum. Hæc in metropoli Slavorum Rethre geſta ſunt IV Idus Novemb. *Eodem ipſo die Iohannes ille Malmesburienſis in Anglicanis, & in Gregorii Papæ XIII Martyrologio Antuerpiæ excuſo anno 1586 conſignatur; neſcio an errore nominis. Nam apud Vvillelmum Iohanni Malmesburienſi dies certa non adſcribitur. Hinc ſubdubitabam aliquando, forſan Iohannis illius Scotti Magnopolitani corpus Malmesburiam fuiſſe tranſlatum; indeque fabulam de eo confictam, qualem Vvillelmus retulit. Verùm ab hac ſuſpicione me revocat tempus, quo Iohannes ille Scottus Epiſcopus martyrium ſubiit. quod quidem accidit anno* MLX: *quo ex tempore hanc fabulam tam ſubitò apud Malmesburienſes obtinuiſſe veri ſimile non eſt. Ergo alius fuit Iohannes Sophiſta ſeu Malmesburienſis, qui teſtante Symeone Dunelmenſi Monacho,* jacuit aliquamdiu inhonora ſepultura in beati Laurentii eccleſia, quæ fuerat nefandæ necis conſcia. Sed ubi divinus favor multis noctibus ſuper eum lucem indulſit igneam; ammoniti Monachi in majorem tranſtulerunt eccleſiam, & ad ſiniſtram altaris poſuerunt.

Alius à Sophiſta.

13. Hoſce Iohannes omnes mihi animo reputanti ſuſpicio injicitur, num ex illis Iohannis Malmesburienſis hiſtoriola, qualem refert Vvillelmus, conficta ſit. adeo ut Iohannis Scotti vulgatam eruditionem, Iohannis Æthelingiæ Abbatis mortis genus, ac demum diem obitus Iohannis Scotti Epiſcopi aptaverint poſteri Iohanni illi Sophiſtæ, qui apud Malmesburienſes ſepultus erat. Nec ſanè mirum ſi id contigiſſe dicam: cùm plerumque in rebus antiquis acciderit, ut ex nominum affinitate vel communione multa permiſta ſint à poſteris. Sic ex magno illo Cypriano Carthaginenſi Antiſtite & ex Cypriano mago unicus Cyprianus Epiſcopus conflatus eſt, à præſtantibus viris, etiam ſupparibus, Gregorio Nazianzeno & Prudentio. Quid mirum, ſi id contigerit Iohanni illi Sophiſtæ Malmesburienſi? quod aliis dijudicandum permitto. De Iohanne Scotto lege Præfationem huic tomo præfixam.

DE TRANSLATIONE SANCTI MARCULFI ABBATIS NANTENSIS CORBINIACUM.

Circ. ann. DCCC XCVIII.

* le Constantin

1. ACTUM eſt in Sæculo I de rebus geſtis S. MARCULFI *Abbatis Nantenſis in Neuſtria pago Conſtantinenſi*, remiſſaque hanc in locum tranſlationis commemoratio: propterea quòd ſub finem ſæculi ſacra ejus reliquiæ Corbiniacum tranſlata ſunt, ingruente clade Normannorum.*

Corbiniaci ſitus & ſtatus.
* Corbeny

2. *Eſt autem Corbiniacum, ſeu Corbanacum, aliis Corbenacum, villa quondam regia, in pago Laudunenſi, ab Axona portu unâ leucâ diſparata: in qua Carolus Magnus mortuo Carolomanno fratre ab Auſtraſiis Francis agnitus eſt anno* DCC LXXI. *Hanc villam Carolus, cognomento Simplex, Frederunnæ uxori ſuæ in dotem conceſſit; eamque poſtea tradidit Monachis Remigianis, ſuadente uxore ſua Frederunna, quæ quod in Remenſi beati Remigii baſilica in Reginam conſecrata fuiſſet, ſollemne hoc grati animi monumentum ſancto Remigio poſuit. Ludovicus Transmarinus* Corbanacum caſtrum, quod pater ejus S. Remigio tradiderat, quodque ſibi Monachi iſtius Monaſterii commiſerant, ab Heriberti ſubjectis bellando recepit. *Frodoardus auctor tum in Hiſtoria Remenſis lib. 4 cap. 26. tum in Chronico. Iſtuc metu Normannorum ex Nantenſi Monaſterio tranſlatum eſt corpus S. Marculfi, ibidemque hactenus pia Fidelium undequaque confluentium religione colitur.*

S. Marculfi tranſlatio cô facta.

A Meduntenſibus impugnata.
* de Mante

3. *Hanc tranſlationem impugnant Meduntenſes* oppidani ad Sequanam; contenduntque ſancti Marculfi, ejuſque diſcipulorum Domardi & Carinlfi corpora jam inde à tempore Normannorum in eccleſia B. Mariæ de Medunta fuiſſe adſervata. Id Simon Faralfus Decanus & Officialis Meduntenſis propugnare conatus eſt libello de vita S. Marculfi Pariſiis edito anno* M DC XXXIII. *atque in Meduntenſium gratiam profert primò litteras Petri Carnutenſis Epiſcopi, anno* MCCCCLI *datas, quibus atteſtatur Antiſtes, ſe* reliquias & oſſa glorioſi ſancti Marculfi, exiſtentes in veteri & antiqua capſa, in unam argento circumdatam & noviter fabricatam tranſtuliſſe; *atque ſanctorum Domardi & Carinlfi ex alia item in aliam. Deinde idem Auctor alias litteras recitat Philippi Huraldi Carnutenſis Epiſcopi, à quo earumdem reliquiarum viſitatio facta eſt anno* M DC XIII. quas quidem reliquias cùm præfatus reverendus Pater pannis linteis involutas aptè & decenter compoſitas inveniſſet, eas intactas reliquit, *&c. conteſtatus, ait Farulfus, Meduntenſes poſſe gloriari poſſeſſione capitis & multorum oſſium S. Marculfi. Hæc tota Farulfi argumentorum vis, longa verborum ambage involuta.*

Aſſerta diplomate Caroli Simplicis,

4. *Apologiam pro Corbiniacenſibus quinquennio pòſt repoſuit Oudardus* Bourgeois *ejus loci Prior, eamque firmavit variis inſtrumentis, quæ omnem dubitationem evincant. Primum eſt Caroli cognomento Simplicis diploma, cujus autographum ego ipſe inſpexi ac legi: in quo Carolus fidem facit, quo pacto* ob nimiam atque diutinam paganorum infeſtationem, quæ peccatis exigentibus per univerſam debacchando graſſabatur Eccleſiam, ſanctiſſimum, vereque beatiſſimum Marculfum proprio loco, eadem peſte cum Clericis profugis pulſum pro Dei amore ſuſceperit, atque in fiſco ſuo Corbiniaco, prout tempus dictavit, repoſuerit. Et quoniam, *inquit*, incertum manebat, utrum divina diſpoſitio tantum pignus nobiſcum manere, an iterum vellet ad proprium deportari Monaſterium; à noſtris tam Epiſcopis, quàm & laicis fidelibus reſponſa accepimus, ne ſine proprii licentia Epiſcopi pretioſum corpus detineretur. Salubri itaque uſi conſilio, & licentiam ab Epiſcopo ERLEBOLDO retinendi nobiſcum, eo quòd maneret regreſſus difficilis, impetravimus; & epiſtolam ab eodem Præſule, & ab Archiepiſcopo GUIDONE ac reliquis ſubſcriptam Coëpiſcopis de eadem re ſuſcepimus. *Erleboldus Epiſcopus erat Conſtantienſis, ſub cujus ditione ſitum erat Nantenſe Monaſterium: Guido ſeu Wito Metropolita Rotomagenſis ab anno* DCCC LXXXVIII *ad* DCCCC X. *Pergit Carolus dicere.* Hac igitur de re divino inſpirati amore,

noſtrorumque prædeceſſorum, non ſolum in humanis, ſed etiam in divinis imitatores eſſe cupientes, ob animæ noſtræ remedium, in [illegible] Corbiniaco, in honore beati Petri Apoſtolorum principis, eo quod in [illegible] ipſius nomine de[illegible], jam diſtum corpus pretioſum foret locatum, M[illegible] dignum [illegible] facere, & de rebus propriis ditare, Clericoſque [illegible] miniſtros ad [illegible] Deo perſolvendas, qui [illegible] pro ſtatu Eccleſiæ noſtraque incolumitate [illegible] inceſſanter exorent, [illegible] tuere curavimus, *&c.* Datum VIII Kal. Maii, Indict. VIII, anno XIIII regnante Domno Karolo glorioſiſſimo Rege, redintegrante VIIII. Actum Corbiniaco palatio. *Nihil hoc diplomate illuſtrius, aut validius afferri poteſt. En Carolus Rex diſerte atteſtatur, S. Marculfi corpus* ob paganorum infeſtationem proprio loco pulſum ſuſceptum *ab ſe, atque* in fiſco Corbiniaco repoſitum. *Et ne libera nobis relinqueretur facultas id de quovis Marculfo interpretari, [illegible] ad hoc requiſitum fuiſſe conſenſum, cùm Erleboldi Epiſcopi, ſcilicet Conſtantienſis, tum Guidonis Archiepiſcopi Rotomagenſis. Ergo illud S. Marculfi corpus appulerat Corbiniacum ex Neuſtria, & quidem ex diœceſi Conſtantienſi: in qua ſitum fuiſſe Nantenſe beati Marculfi Cœnobium conſtat ex prima [illegible] ejus Actis.* anno 906.

5. Probata hoc modo S. Marculfi corporis tranſlatione Corbiniacum, facili negotio etiam continua ab eo tempore poſſeſſio vindicari poteſt. Quippe Frederunna Regina annuente Carolo conjuge ſuo dedit S. Remigii Monachis quidquid viſa fuit [illegible] in ſuæ ditionis dominio, ex dote ſcilicet regalis connubii, hoc eſt Corbiniacum in Comitatu Laudunenſi, exceptâ cellulâ, quæ eſt in beati Petri Principis Apoſtolorum honore dicata, *ubi* etiam CORPUS CONFESSORIS CHRISTI MARCULFI QUIESCIT, quámque Cœnobitæ *Carolo Regi* in vita ſua ſub cenſu decem ſolidorum conceſſerat. *Teſtis hæc de re litera Caroli Regis data* XVI Kal. Martii, Indict. V, anno XXV regnante Karolo glorioſiſſimo Rege, redintegrante XX, largiore verò hereditate indepta VI. *id eſt anno* DCCCC XVII. Actum Monaſterio S. Remigii. *Hanc vero donationem ideo Frederunna fecit S. Remigio, quod ante ejus* ſacratiſſimum pignus benedictione olei & conſecratione in Reginam fuiſſet delibuta. *Eamdem porro donationem confirmat Lotharius Rex Caroli nepos, cujus diploma autographum, uti & ſuperius Caroli, hactenus in archivo Remigiano adſervantur [illegible] extantque cum aliis tum apud prædictum Oudardum, tum apud Marlotum in Metropoli Remenſi tomo 1.* Poſſeſſio probatur.

6. Iidem Auctores referunt privilegium Leonis Papæ IX, cujus autographum iidem vidimus, Herimaro Abbati ſancti Remigii conceſſum in gratiam Monaſterii *Corbiniacenſis,* quod corpore beati Marculfi nobilitatur. *Datum* II Non. Octobr. anno Leonis IX Papæ primo, Indict. III, *hoc eſt anno* M L. *Sub hæc anno* M C I *ſancti Marculfi [illegible] per varias Galliæ provincias delatum eſt corrogendi cauſa ſubſidii ad relevandum [illegible] Monaſterii ſtatum: qua de re hiſtoriola [illegible] exhibenda eſt. Deinde* anno Domini M CC XXIX Dominicâ ante Aſcenſionem Domini tranſlatum [illegible] corpus ſancti Marculfi Confeſſoris Abbatis à venerabili Patre Anſelmo Laudunenſi Epiſcopo, & repoſitum in cap[illegible] argentea, præſentibus Petro ſancti Remigii Remenſis, Guilelmo ſancti Michaëlis in Taraſcha, Adam ſancti Baſoli Abbatibus, Thoma exſiſtente Priore Corbiniaci. *Caput ſacrum ſcrinio peculiari tum incluſum eſt. [illegible] alias invenio ejuſdem corporis in alias thecas tranſlationes: unam à Roberto Laudunenſi Antiſtite factam* anno M [illegible] X[illegible]V *Dominica poſt feſtum S. Remigii in men[illegible]bri: [illegible]* anno M [illegible] C [illegible] I *feria tertia poſt feſtum Aſcenſionis: tertiam anno* M [illegible] C [illegible] I mo[illegible] Gallicano *die Dominica menſis Januarii 17 per Dominicum [illegible] Epiſcopum Dionyſienſem. Alia præterea ejuſdem poſſeſſionis monumenta, quæ apud Oudardum [illegible]. [illegible] ſancti Marculfi corpus hactenus poſſident Corbiniacenſes noſtri [illegible] quod [illegible] ſublatum eſt patrum noſtrorum memoriâ.*

7. Jam expendendum eſt, quo tempore ſancti Marculfi corpus primo Corbiniacum tranſlatum ſit. Id accidiſſe regnante Carolo Simplice conſtat ex ejus diplomate ſuperius [illegible] num. 4. quod datum eſt anno D[illegible]CCCV[illegible]. *Ex eo diplomate [illegible] aliquot pr[illegible] hanc tranſlationem. [illegible] Carolus [illegible] ſacras reliquias prim[illegible] ut tempus [illegible] Corbiniacum [illegible] ſancti Petri repoſitas, [illegible] Metropolitani & Diœceſani Epiſcopi conſenſum [illegible] acceſſiſſe, quò in eodem loco [illegible] poſterum [illegible] ſervarentur. Quod quidem ne [illegible] exigui temporis intervallum [illegible] exinde inferre licet, eam tranſlationem ſub annum* DCCCC XCVIII *contigiſſe.* Tranſlationis tempus.

8. Ab eo tempore [illegible] Corbiniaci [illegible] cum [illegible] ſtrumis ſeu ſcrophulis, [illegible] quem morbum [illegible] appellant, tractu forſan inde [illegible], quod à Regibus Francorum [illegible] curari conſuevit ſancti Marculfi [illegible]. Hujus [illegible] Gaibertus [illegible] Novigento [illegible] lib. I de pignoribus Sanctorum cap. [illegible] dominum noſtrum Ludovicum Regem S. M[illegible] p[illegible] R[illegible] Fra[illegible] mu[illegible]

Circ. ann. DCCC XCVIII.

conſuetudinario uti videmus prodigio. Hos planè qui ſcrophas circa [illegible] ulum aut uſpiam in corpore patiuntur, ad tactum ejus ſu[illegible] taddito crucis ligno vidi catervatim me[illegible] cohærente & etiam prohibente concurrere. [illegible] tamen ille ingenita liberalitate, [illegible] na ad ſe manu obuncans, humillimè conſignabat. Cujus gloriam miraculi cùm Philippus pater ejus alacriter exerceret, n[illegible] quibu[illegible] incidentibus [illegible] ulpis amiſit. *Philippus eo nomine primus, [illegible], pater Ludov[illegible], de quo mox [illegible] nibertus, qui hæc ſubdit.* Super aliis Regibus qualiter ſe gerant in [illegible], ſuperſedeo. Regem tamen Anglicum neutiquam in talibus audere ſcio. *Huc pertinet quod de S. Eduardo Anglorum Rege & Confeſſore tradit Willelmus Malmeſburienſis in lib. 2 de ge[illegible] Regum Anglorum, nempe adoleſcentulam quamdam feminam fructu conjugii carentem,* luxuriantibus circa collum humoribus turpem valetudinem contraxiſſe, glandulis protuberantibus horrendam. *Hanc ia ſomnis admonitam, ut collum ejus ab ipſo Rege ablueretur, eaſdem ea re pra[illegible] convaluiſſe. Willelmus addit.* Multoties eum in Normannia hanc peſtem ſedaſſe ferunt; qui interiùs vitam ejus noverunt. Unde in noſtro tempore quidam falſam inſumunt operam, qui aſſeverant iſtius morbi curationem, non ex ſanctitate, ſed ex regalis proſapiæ hereditate fluxiſſe. *Hinc confutatur Johannis Bromtonis, & Polydori Virgilii, aliorumque Angliæ Scriptorum ſententia, qui eam curationem hereditario jure derivant in ſubſequentes Angliæ Reges.*

An etiam Regibus Anglorum.

Regum Franc. ritus in eo præſtando.

9. *Quo ritu Francorum Reges ſæculo XV ad ejuſmodi curationes ſe ſe accingerent, docet nos Stephanus de Conti[illegible] Corbei[illegible] nſis Monachus in libello mſ. quem de Regibus Francorum ſcripſit ineunte ſæculo [illegible] v.* Poſtquam Rex audivit Miſſam, affertur ante eum vas aquæ plenum. Statim [illegible] facit orationem ſuam ante altare; & poſtea manu dextra tangit infirmitatem, & lavat in dicta aqua. Infirmi verò accipientes de dicta aqua, & potantes per novem dies [illegible] jejuni cum devotione, ſine alià medicina omninò ſanantur. Et eſt rei veritas, quòd innumerabiles ſic de dicta infirmitate fuerunt ſanati per plures Reges Franciæ. *Nunc ſolo regia [illegible] xtera contactu, adhibitis ſollemnibus verbis, poſt communionem ſacram præſtari ſolet à Francorum Regibus: qui ejus rei cauſâ ſtatim ab ſua quiſque inauguratione Corbiniacum adire ſolent ad corpus S. Marculfi, quem hujus gratiæ [illegible] eum habent ac ſuſpiciunt. Rem deſcribit Oudardus in ſuo libello, ubi hunc morem [illegible] Ludovico ad Ludovicum Juſtum continua ferè ſerie deducit. Teſtes ſum ego in multis, anno MDCLIV Chriſtianiſſimum Regem noſtrum Ludovicum Magnum poſtridie ſacræ inunctionis ſuæ acceſſiſſe ad templum S. Remigii, in quo tunc ob bellorum tempeſtates corpus S. Marculfi repoſitum erat: ibi lemque auditâ Miſſâ (quæ per novenos dies continuata eſt) & Euchariſtiâ perceptâ morbo ſcropharum affectos contigiſſe. Plura qui hac de re voles, adeat Oudardum, Guillelmum du Peyrat Hiſtoria eccleſiaſtica lib. 2 cap. 56 & ſeq. Hubertum Morum de ſacris Unctionibus lib. 3 cap. 5 & Marlotum de ſacra Regum Francorum inunctione.*

10. *S. Marculfum curandis ſtrumis ante annos [illegible] celebrem fuiſſe docet nos ſermo ſequens, in quo hæc leguntur.* Nam illius infirmitatis ſanandæ (quam regium morbum vocant) tanta ei gratia cæleſti dono acceſſit, ut non [illegible] ex remotis [illegible] barbaris, quàm ex vicinis nationibus ad eum ægrotantium catervæ pe[illegible] *non impar noſtris hiſce diebus Fidelium in ſanctum Marcul[illegible] comparet [illegible] ctaſunt curationes ſiunt in dies.*

S. Marculfi miraculorum liber.

11. *Hæc ſunt quæ de ſancti Marculfi tran[illegible] tione Corbiniacum obſervanda [illegible]. Nunc locus perſuadet, ut libellum de miraculis quæ [illegible] corpori ſui per varias Galliæ provincias pat[illegible] ſcripta [illegible] Marcul[illegible]. [illegible] codice mſ. [illegible] fuit Monaſterii S. Vincentii Laudunenſis [illegible] poſt [illegible] eum [illegible] imo vul[illegible] eſt. Codex [illegible] Ex quo [illegible] perſuaſionem, ſacrum corpus Corbiniaci adſervatum [illegible] S. Marculfi Abba[illegible] ante [illegible] alterius.*

CIRC. ANN. DCCCXCVIII.

SERMO

DE SANCTO MARCULFO

CONFESSORE,

Ex mſ. codice Cœnobii S. Vincentii apud Laudunum.

1\. VENERANDI Patres ac dilecti Fratres, quos in domo ſua Deus habitare facit unanimes, exhortatorius noſtræ alloquia, imò divinæ virtutis inſignia beati MARCULFI meritis oſtenſa veſtrorum benignè percipiant aures: Salomone teſtante, immo Spiritu ſancto Salomonis ore loquente, didicimus, quia *gloria Regum celare verbum, gloria verò Dei inveſtigare ſermonem* [a]. Quapropter, dilectiſſimi, veſtra dilectio noverit nos inveſtigaſſe quædam operum Salvatoris noſtri Dei, quæ Pater ejus per naturam, noſter verò per gratiam, uſque modò operatur, & idem Filius operari cum Patre non deſinit. Igitur fidelis ac boni teſtimonii viri relatu comperimus quod ad gloriam Dei Sanctorumque ejus honorem litteris tradere ſtuduimus. *Prov. 25, 2.*

2\. Nocte [illegible] ente diem Annuntiationis dominicæ, in eccleſia in qua beatus Marculfus requieſcit corpore, talem virtutem Deum credimus operatum eſſe. Eadem namque nocte jam mediante, exſtincto in eccleſia lucernæ lumine, ſolitæ noctis redierunt tenebræ. Æditus denique à ſomno excitatus, ut circumſpexit ac ſenſit luce viſibili baſilicam carere, relicto ſtratu dormitorium & coquinam Fratrum non timuit adire, quatinus ibi candela ſuccenſa lucem redderet domui ſanctæ. Sed & in dormitorio lucernam, & in ipſa etiam coquina prunas reperit exſtinctas, non fortuitu, ſed, ut remur, ut manifeſtarentur Dei opera. Quid ergo idem æditus ageret ignorabat. Tandem nimiâ mæſtitiâ attonitus oratorium redit, ibique proſtratus coram altari diutinæ orationi incubuit, ſupplicans divinæ maieſtati, ut meritis Sancti ſui ibidem quieſcentis in hac opportunitate ſuccurreret ei, ne ſcilicet lumen deeſſet Fratribus matutinalem ſynaxim proximè cantaturis. Nec diſtulit Omnipotens exaudire & auribus percipere lacrymas pauperis ad ſe in afflictione clamitantis. Nam affectus triſtitiâ, feſſus etiam oratione ipſa, dum Elbertus (ſic enim vocatur præfatus æditus) dum, inquam, ſtratus ſui repetiiſſet ſpatiola, tunc quoque lacrymatur, & ſibi omnino reputans quaſi ſui negligentiâ luce careret eccleſia, Dei nutu reſpectus circumſpexit, totamque baſilicam cæleſti luce clareſcere vidit. Repentè gaudio gaviſus magno, lucernam paullo antè extinctam adiit, eamque clariſſimè ardentem reperit. Mox etiam lacrymis triſtitiæ gaudii lacrymas ſuperfundens, Deo & beato Marculfo præconiorum jubilos retulit, ſicque ſecurior dormitum init. Mane autem diſcuſſo noctis peplo, dieque radiante ſereno, Fratres loci, Monachos videlicet beatiſſimi Remigii, acerſivit, eiſque (me præſente qui hæc ſcripſi) rem geſtam pandit, conteſtans Dei virtutem Sanctorumque ejus auctoritatem omnia, quæ aiebat, quæque huic pitaciolo decrevimus inſerenda, ſic haberi.

Lampas exſtincta reaccenditur.

Auctor teſtis.

3\. Adhuc autem ſub hac noſtra ærumnoſa ætate non diſpar omnipotens Deus miraculum in eadem eccleſia oſtendit: ut quoniam electum ſuum ineffabiliter glorificatum habebat in cælis, non minùs ad capacitatem mortalium mirificare dignaretur in terris. Nam illius infirmitatis ſanandæ (quam regium morbum [b] vocant) tanta ei gratia cæleſti dono ac eſſic, ut non minùs ex remotis ac barbaris quàm ex vicinis nationibus ad eum ægrotantium catervæ perpetuò confluant. Quodam itaque die hujuſce gratia quidam homo ad eccleſiam devenit, ſuæ devotionis munus obtulit, eique, cujus id erat officii, ſui adventus cauſam patefecit. Is autem qui ſuper ſacra eccleſiæ miniſteria cuſtodiam habebat, vir magnæ in Chriſto reverentiæ erat, qui ex ſæculi fluctibus ad Monaſterii portum convolaverat, ibique per aliquot annos miniſtraverat. Cumque ab eodem Domno ROBERTO (ſic enim vocabatur) omnia quæ ei ad ſalutem provenirent, ex more percepiſſet, ægrotus adjecit. Ego quidem, mi Pater, quoniam de longinquo ſum, in præſenti repatriare diſpono: ſed hoc ob devotionem peto, ut hæc quam obtuli candelam, ante hoc ſacratiſſimum ſepulcrum quamdiu durare poterit, uſque ad conſummationem ardeat: quoniam [illegible] um in pa-

Re[illegible] [illegible] d S[illegible] um conf[illegible] uno. b

a H[illegible] hodie in vulgata noſtra contrario [illegible] *ia Dei eſt celare verbum, & [illegible] Re[illegible] re ſermonem.*

b Vides ſtrumarum morbum [illegible] h[illegible] nim medendo præſidio S. Marcu[illegible] ppe la um. nam aliqui lepram hoc nomine ve[illegible] ap[illegible] lant.

CIRC ANN DCCCXCIII. tria mea eſſem, ſi non ex actione, certe ex deſiderio [illegible] b[illegible] Marculfo ſæpiſſime [illegible] bam. Erat autem non modicæ quantitatis ut infinite [illegible] s dare lumen in eccl[illegible] ſufficeret, jamque ante altare, quod [illegible] in honore e[illegible]m Chriſti Confeſſoris, revoluta ſuper pavimentum ardebat: acceptaque ſponſione à Monacho quòd quæ petiverat adim[illegible]e- ret, peregrinus recedebat, cùm Elbertus, de quo ſuperius meminimus, quaſi aliud q[illegible] agere vellet pede ſuperpoſito candelam extinxit, juxta arcam ſeorſum extinctam d[illegible], poſt peregrinum valvas eccleſiæ obſeraturus abiit. Nec m[illegible]ra, firmat[illegible]s oſtiis, [illegible] [illegible]le red[illegible] candela divinitus accenſa eſt, tantuſque ex ea ignis exſ[illegible]vit, ut & arcam & veſtes arcæ ſuperpoſitas ſubitò in favillam redegerit; ipſaque candela (ſicut [illegible] ſuper Sancti petierat) ilico conſummata eſt. Res mirabilis quòd quaſi duobus mom[illegible]tis & flam[illegible] mul[illegible]plex excreverit, & quæ arripuerat omnino conſumſerit. Sed ſi con[illegible]mus unius devotionem & alterius negligentiam; liquet profectò pro irrogata fraude juſ[illegible] divinitus vindictam ſubſequutam eſſe. Vidiſſes, fateor, miraculum de rebus inſen[illegible]libus ad red- arguendam rerum ſenſibilium, id eſt hominum avaritiam. Accurrêre fr[illegible] tres qui in vicino aderant, nam crepitum ignis audierant cuſtodemque ſubclamantem. Q[illegible]d dic[illegible]rent [illegible]e- rentve non habebant. quoniam nihil jam remanſerat quod igni ſubſtraher[illegible]nt. Ille aut[illegible] ſe reum, ſe huic diſcrimini obnoxium totis ſingultibus fatebatur, acceptaque pœnitent[illegible]a à Fratribus, in communi ſtatutum atque anathematis vinculo confirmatum eſt ut oblata a f[illegible] delibus luminaria numquam hactenus aliàs niſi in uſibus ejuſdem eccleſiæ F[illegible]umque [illegible] ſervientium expenderentur.

4. Neceſſarium eſt, cariſſimi Fratres, in laude hujus ſan[illegible]iſſimi patroni ac prot[illegible]ct[illegible]is noſtri Marculfi quod Deo donante noſtris oculis præſentatum [illegible]ſt, memor[illegible] [illegible]dere, [illegible]m omnipotens Deus apud ſe dignatus eſt ſpecialem dare pro nobis int[illegible]ſſ[illegible]m. [illegible] ſt enim qui aſſidue orat pro populo ſuo, & pro habitatoribus hujus ſancti Monaſt[illegible].

Peronæ in Picardia. S. Marculfus Peronæ claret miraculis.

Tempore igitur quo eumdem beatum virum apud caſtrum Peronam * miraculis [illegible] hi qui interfuerunt & viderunt, & manibus tractaverunt; nobis, qui in ejus gl[illegible] remanſimus, quanti eam haberet mirabili operatione patefecit. Erat enim ante altare, ubi ipſe pretioſo requieſcit corpore, lampas ardens, quæ nullo modo die noctuque extinguebatur; quia quamvis modicum abeſſet corporaliter, non tamen deerat ſpiritualiter. Is itaque qui eccleſiæ officio præerat, cœpit ſecum cogitando dicere, quoniam idem luminare in vanum ardebat, eo quòd corpus beati Marculfi in præſenti non eſſet, non conſiderans ibi-

NOTA a. dem Dominicum corpus [a] (quod majus & præcipuum erat) cum Angelorum adeſſe cuſtodia. Quod cùm pravè & inaniter cogitaſſet, extinctâ lucernâ abiit: ſed poſt tranſactum horæ ſpatium, cauſa cogente aliqua reverſus, dictu mirabile! ilico oculis ejus apparuit. Vidit namque eamdem lampadem angelica claritate fulgentem, ita ineffabili modo pendere, ut nec fune deſuper teneretur, nec terræ deorſum incumberet. Erat autem magnæ viſionis miraculum quod inter funem & lampadem habebat cubiti ſpatium, & inter lampadem & terram cubiti ſimiliter ſpatium; & (ut dixi) lumine cæleſti accenſa mirabi[illegible] ardebat. Non tibi forſitan ad credendum animus ſuffeciſſet, niſi Fratrum populiqu[illegible] [illegible]us teſtimonium effeciſſet. Nam ille timore pariter & admiratione co[illegible]ptus [illegible] vi[illegible]o[illegible]dere mirabilem maximam concionem plebis evocavit. Multi denique e[illegible]ob[illegible]ravere lac[illegible] dicentes: quoniam piiſſimus Chriſti Confeſſor Marculfus, ipſorum poſt Deum cu[illegible] [illegible]v[illegible]lantiſſimus, & apud Deum multiplex advocatus, quamvis modico tempore eſſet al[illegible]m, ſuos tamen filios per oſtenſionem miraculi conſolari ac viſitare eſt dignatus. Actum eſt

anno 1085. Corbiniaci milleſimo octogeſimo-quinto anno incarnati Verbi.

5. Igitur dilectiſſimi qui hoc audire, & [illegible]ut remor[illegible] credere non renuiſti[illegible], f[illegible]te quia hoc tam evidens miraculum ad honorem Sancti ſui, ad utilitatem quoqu[illegible] [illegible]ſtri Deus dignatus ſit operari. Nec immeritò. quia enim beatus Marculfus, dum in con[illegible]rymarum carne moraretur, opera tenebrarum abjecit, & indutus armis lucis viri[illegible]ter ejuſdem luci[illegible] principi militavit; meritò carnis onere leviatus, & ad ſuperna polorum (ut credimus) vectus, auctori claritatis inhærere promeruit. Ergo non dubitandum eſt qui[illegible] extinctam lucem reparaverit, qui tenebras noctis in baſilica ſua eſſe abhorruit. Ve[illegible]mtamen quoniam nihil fit in terra ſine cauſa, & beato Gregorio dictante compe[illegible]imus, quia Deu[illegible] & Dominus noſter ad bene agendum aliquando verbis, aliquando nos ammonet i[illegible]is miracu-

a In archivo Cœnobii Remi[illegible]ani legi litteras Si[illegible] Al[illegible] atteſta[illegible], O[illegible] Mo[illegible] d[illegible] conn[illegible]ia ſua [illegible] ſe, & [illegible]plis [illegible] in eccleſi[illegible] S. Remigii *ante majus alt*[illegible] [illegible]D[illegible] *perpet*[illegible] Ar- chi[illegible] [illegible]veras uno [illegible]o Paulus Abbas S. Albani in Anglia, [illegible] referente Matthæo Pariſio, *pelvim* [illegible] *de* [illegible] *conſtituendo, ut cereum contineret* [illegible] *ma* [illegible] *altare* Lege Ann[illegible] [illegible] pa[illegible] 366 [illegible] obſervat, Flor[illegible] *more* [illegible] *tibus, ut tam* [illegible] *quam noct*[illegible] *lumine* [illegible] [illegible] [illegible]nter adhi[illegible]bantur olim, ra[illegible] continuum in baſilicis lumen.

ſorum exemplis; curemus hujus ſancti ac beati patroni noſtri Marculfi, ante cujos ſacros cineres excubamus, cujus etiam memoriam hodie ſollemuiter celebramus; curemus, inquam, hujus patrociuium quęrere, obſecrantes, ut ſuis piis precibus ſuget tenebras cæcitatis & ignorantiæ noſtræ, impetret nubis lucem cęleſtis gratiæ: qua illuminati opera tenebrarum abjiciamus, piiſque intenti actibus armis lucis induamur; his quoque muniti principem tenebrarum proteramus; ſic etiam victoria potiti, conditori lucis adhęrere mereamur, qui vivit & regnat trinus & unus Deus. Circ. ann. DCCCXCVIII.

INCIPIUNT MIRACULA

BEATI MARCULFI CONFESSORIS, modernis temporibus facta.

SEU

DELATIO CORPORIS EJUS PER VARIA LOCA in ſubventionem ejus eccleſiæ.

1. SICUT aqna frigida animæ ſitienti, ita nuntius bonus de regione longinqua. De regione ergo longinqua, in quam abiit omnipotens Dei & hominum Mediator accipere ſibi regnum & reverti ad judicium, glorioſom Confeſſorem ſuum Marculſum nuntium ſalutis & gaudii ad nos tranſmiſit, cùm per ejus venerabile corpus ſigna & prodigia quæ oculis noſtris vidimus, ad annuntiandam virtutem operum ſuorum populo ſuo paternæ pietatis reſpecto eshibuit.

2. Eſt cella Monachorum in villa Corbiniaco, conſtituta io Laudunenſi territorio, beatiſſimi Remigii Francorum Apoſtoli ſubjacens Archimonaſterio [a], in qua videlicet villa habetur baſilica pręfati Confeſſoris Chriſti Marculfi ſacratiſſimo corpore inſignita: ubi ad commendanda ſanctitatis ejus pręconia multa ſanitatum comprobantur fieri opera, quæ nobis tamquam convicaneis & alumnis ſuis oſteodęre dignatur ſępeuumero. Sed nos in hac ſchedula ea ſolummodo quæ apud Perooam nuperrimè geſta ſunt, (quia Fratrum ejoſdem loci ita expetit dilectio) amore tanti patroni devicti non patiemur premi ſub ſilentio. Et quia Chriſtianis omnibus fraternæ dilectionis debitores esſiſtimus, plurima es his quæ nobis certiſſimè comparata ſunt, ſubtrahentes æmulis & incredulis, ne propter multiplicitatem in blaſphemias erumpant, caritativè parcimus, devotis & benevolis ad laudem & gloriam & honorem nominis Chriſti carmen exſultationis & gratiarum actionum materiam contexìmus. Tnne enim fructuosè & utiliter magnalia Sanctorum ſuſcepimus, ſi ea quæ ægrotis impendnntur ad ſanitatem corporum, in medelam nobis vertamus animarum, ut Deum in electis ſnis mirabilem homiliter glorificemus, & ad imitanda eorum veſtigia, quorum miramur opera, ſocordiam noſtram viriliter excitemus. Auctor Peronenſibus petentibus hæc ſcribit.

3. Anno igitur incarnati Verbi milleſimo centeſimo-primo, eadem quam prædiximus, villa, promerente incolarum malitia, multis eſt cladibus crudeliter devaſtata, & tam peſte aoimalium varia, quàm prędonum direptione aſſidua à priſtino decore miſerabiliter immutata: inſuper à quodam nefandæ iniquitatis tyranno, nomine THOMA, Montis-acuti * opidaneo, qui conſobrinam ſuam in matrimonium duxerat, poſt diverſas hominum cędes & rapinas maxima ex parte concremata. Unde Fratres ibidem degentes mente conſternati, utpote pecudum ſuarum ceterarumque rerum poſſeſſione privati, pæne ad extremæ ioopiæ ſunt indigentiam redacti; nonnulli etiam crebreſcentibus malis ad Monaſterium * redire coacti. Demum ipſe Prępoſitus Cellæ in Domni Abbatis ſancti Remigii veniens pręſentiam, ſua conqueri cœpit inſortunia, & in capitulo Fratrum libenti aoimo ab eadem ſe abſolvit obedientia. Quam omiſſionem cùm nullus ei diſſuaderet, ANDREAS, qui & SIGEBERTUS eligitur [b]: & ſtatim communi conſilio Fratrum Deo (ut credimus) diſponente Corbiniacum dirigitur. Qui & ipſe quamvis ſagaciter & irreprehenſibiliter ſtudia ſua inſtituerit, & magno dilectionis fervore erga beatum Marculſum ſemper æſtuaverit; tamen non multo poſt tot inquietudioum procellis eliſus, tot perſecutionum preſſuris affectus, tam dira familiæ ſuæ vexatione ſatigatus, pręſertim cùm locum ipſum in magna egeſtate inveniſſet, nulliuſque auxilii levamen à quocumque hominum percepiſſet, tanti pon-

Anno 1101 Corbiniacū peſte & præda devaſtatur.

* *Montaigu* diœc. Laudun.

* *nempe* S. Remigii.

Corbiniaci Præpoſitus Andreas. [b]

[a] Archimonaſterium itidem vocat in bulla ſua Johannes Papa XIII, & Adelbertus Archiepiſcopus Moguntinus in litteris ſuis anni MCSXIV. Vide infrà num. 9. tametſi *Monaſterii* nomine utitur Auctor infrà num. 3. & alii paſſim.

[b] Nota electionem Præpoſitorum per Capitulum.

Circ. ann. DCCCXCVIII. inopia pressus

dus oneris non ſuſtinens, licèt inops ſubſtantiæ, tamen compos, quam mente conceperat, ſanæ ſententiæ, poſt tres ferme menſes ad Monaſterium regreſſus, quanta ſe perurgeret calamitas, coram omnibus expoſuit, dicens, ſe & ſibi commiſſos permanere non poſſe, ubi quotidiani victus defeciſſent neceſſaria: multos ſibi imminere creditores qui inſtantiſſimè ſua exigerent debita; ſe omnino carere unde eorum extingueretur querimonia; tecta etiam Monaſterii & aliarum officinarum attrita eſſe vetuſtate nimia, quæ cujoſquam prædeceſſorum ſuorum numquam reſarciſſet incuria; expedire itaque ut alimenta Fratribus ibi ſervituris tribuerent, aut corpus beati Marculfi inde efferri præciperent, aut certè negotium, quod ſibi intolerabile erat, alteri potiùs injungerent.

4. Ad hæc cunctis reticentibus & competentem definire hæſitantibus ſententiam, quoniam & ipſa beati Remigii eccleſia multimoda tunc temporis patiebatur impedimenta, nec ex facili conſtabat competens tantis adverſitatibus adhibere remedium; præfatus Præpoſitus animadvertens aliunde ſibi non patêre levaminis aditum, ſtatim ſui cordis aperuit conſilium, dicens ſæpius accidiſſe ſua ætate in regno Francorum, ut quoties tam ſæviſſima tribulatione aliqua prægravabatur eccleſia, ibidem commorantes ſuarum circumferrent lipſana Reliquiarum: quatenus ex donariis & oblationibus fidelium ſuæ repararent neceſſitatis incommodum. Nam eodem tempore nobiles Clericos ſancti Quintini Martyris id actitare conſtabat; & ante ſex annos conflagratâ glorioſi Martini Turonenſis baſilicâ corpus beati Brictii (ſicut ipſi perſpexerant) procul à ſuis finibus pro hoc ipſo negotio delatum extiterat. Quapropter nihil ſibi competentius videri adſtruebat, quàm ut ſimiliter de corpore ſancti Marculfi fieret, ſi Domnus Abbas & ceteri non obſiſterent: confidere ſe per Dei miſericordiam non defuturos, qui tam pretioſi theſauri portantibus gemmam officioſa liberalitate manum auxilii porrigerent.

S. Marculfi corpus oppidatim deferri ſuadet exemplis.

5. His auditis, qui ſanioris erant conſilii, cauſâ fraternæ compaſſionis petitioni ejus adquieverunt, & ut in proxima ſollemnitate ſanctæ Pentecoſtes cum pigneribus Sanctorum, quæ ex antiqua conſuetudine remiſerant deferenda, ipſe quoque cum corpore ſancti Marculfi adeſſet, ſicut optabat, annuerunt. Qui acceptâ hac licentiâ in craſtinum Corbiniacum celeriter redequitavit, & quæcumque huic expeditioni convenire eſt arbitratus, exſecutor idoneus ſollerti cura præparavit.

Corpus S. Marculfi Remos defertur.

6. Inſtante denique præfatæ celebritatis die, cum timore & reverentia de loco, in quo jacebat, à Fratribus expoſitum, in geſtatorio manu artificis his uſibus eleganter aptatum ſacri corporis feretrum componitur, atque proſequente utriuſque ſexus numeroſa populi multitudine ad Remenſium urbem devehitur, ubi eos Canonici ſanctæ Dei genitricis MARIÆ proceſſione diligenter ordinata in Metropolitanæ ſedis eccleſia cum gaudio ſuſceperunt; ſicque cum pſalmis & hymnis & canticis ſpiritualibus excubantes ibidem pernoctaverunt. Altera die decurrente hora prima accepto nuntio Monachi ſancti Remigii ferventiſſimis ſtudiis dilectiſſimo ſibi patrono occurrerunt, ſatis dolenti animo peccatis ſuis imputantes, quòd cum honore condigno & lætitiæ apparatu, ut deſiderabant, eum ſuſcipere non meruerunt. Nam quia dies pluvialis erat, cum pretioſis cappis egredi non valuerunt. Cum crucibus tamen aureis ac turibulis præeuntibus aquam benedictam ceroferariis pæne uſque ad urbis mœnia a procedentes debitæ venerationis obſequium ſuppliciter exſolverunt, nec minùs devotis animis quàm vocibus conſonis, *Sancte Marculfe Confeſſor Christi, audi rogantes ſervulos*, ex integro concinentes, ſic deducendo ſuis eum ſedibus intulerunt. Deinde ut magis confluentium turbarum pateret ſpectaculo, in medio Oratorio ante altare ſanctæ Crucis eum depoſuerunt.

in majori eccleſia excipitur.

tum in eccleſia ſancti Remigii.

7. Jam quia longum eſt, & fortè aliquibus tædioſum, iter eorum per ſingulas diætas retexere; nos qui ad potiora tendimus, quæ ſuperſunt, donec Peronam perventum eſt, compendioſa proſequemur relatione. Poſt biduum ſæpedictus ANDREAS Præpoſitus à beato Remigio humi proſtratus petita benedictione, ut intentionem ſuam paterna dirigeret conſolatione, qui præſtantiores erant, ſummiſſis humeris ſacrum efferentes feretrum, egreſſi ſunt proſequente diligenter inſtructa proceſſione; poſtque reſponſorium beato Marculfo decantatum, in quadam planitie aliquantiſper ſubſiſtentes, habito ad populum ejus, cujus id officii erat, exhortationis ſermone, dimiſſi à Fratribus in nomine Domini per Cœnobium ſancti Baſoli acceſſere Catalaunis: ubi ſibi obviàm exeunte Clero cum civibus honorificè ſuſcepti ſunt in templo victorioſiſſimi Stephani Protomartyris. Illuceſcente verò craſtino inde digreſſi ad villam, quæ quondam beati Remigii propria fuiſſe dinoſcitur, Sparnacum * nomine, devenerunt: quorum adventu comperto Canonici ſancti Martini cum plebis cohorte occurrentes, *Summe Dei Confeſſor Marculfe, te venerantes protege*, fide promtiſſima cecinerunt. Tranſeuntes autem per Caſtellionem * & Brainam *, Sueſſionis *

* *S. Baſle*

Catalaunis excipitur.

* *Eſpernay*

Inde ad varia loca defertur.

* *Chaſtillon ſur Marne*

* *Braine*

* *Soiſſons*

a Nempe eo tempore extra muros urbis erat S. Remigii eccleſia, poſtea auctis urbis ædificiis mœniorum ambitu incluſa.

metatum

metatum acceperunt, & ex non inutili conſilio fratris Johannis, qui uſque Sparnacum in Circ. ann.
commeatu eorum fuerat, in veneratione Spiritus-ſancti, ut ejus omnipotentiæ benedictio- DCCC
nem & auxilium obtinerent, quotidie Miſſam reverentiſſimè celebraverunt. At ubi Sueſſo- XCVIII.
nica orbe relicta Noviomo * ſui præſentiam exhibuere, per confinium quod eſt inter Ham * Noyon
& Nigellam * divertentes, Peronam appropinquavere, opidum ſitu quidem loci munitiſſi- * Neſle
mum, incolarum numeroſitate populoſum, præeminenti ædificiorum magnitudine celeberri-
mum, opulentia variæ ſupellectilis & antiquæ dignitatis gloriâ ceteris * Viromandenſis pro- Peronæ
vinciæ caſtris præcellens, habens in ſe non modicæ quantitatis & operoſæ compoſitionis commendatio.
templum, meritis & corpore beati Furſei ampliſſimè decoratum, & ad ſuæ magnificentiæ * in Vermandois
cumulum honeſtiſſimi Cleri ibi ſervientis, quaſi cujuſdam egregii Senatus, nobilitate ve-
nuſtum.

8. Præcedente ergo qui adventum Confeſſoris Chriſti Marculfi ipſis Clericis nuntiaret, ubi corpus
abſque dilatione cum proceribus & opidaneorum plurimis exeuntes, quantacumque po- ſacrum ho-
tuerunt reverentiâ, eis obſequelæ ſuæ miniſterium impenderunt, ac feretro honorabili in norificè
medio eccleſiæ locato, ſecus eccleſiam ipſa nocte eos manere fecerunt. Et quia eo loci mol- ſuſceptum
tus occurrerat populi conventus, facto ad eos ſermone qui ad hoc ipſum fuerat electus, in eccleſia
tandem tragœdiam, quæ eos perurgebat, calamitatis expoſuit, deſolationem Cellæ ſancti S. Furſei,
Marculfi aperuit, adjiciens quòd nullum ex circumſtantibus credebat ignorare, ad hoc ele-
cti Dei corpus illic advectum, ut à fidelibus Dei loco ſuo impetraret auxilium. Ad hæc
primus ejuſdem caſtri dominus, vir admodum fidelis & ſtrenuus, & poſt eum plures,
prout cuique viſum eſt, largiri cœpere: nonnulli verò juvenum, filii Belial, levitatis tur-
bine & vecordiæ ſcurrilitate agitati, garrulis vocibus inſultando ac rugoſis naribus alter-
utrum irridendo ſubſannabant, quiſnam fuerit iſte Marculfus ludibrio inquirentes; non au-
diſſe ſe hactenus quemlibet hominum hujus nominis extitiſſe, non ſine ridiculo & inſania à quibuſdam
perhibentes. Quorum deteſtanda irriſio non multo pòſt apparuit quantum fuerit reprobata irreveren-
in oculis majeſtatis divinæ, cùm ſubſequentibus prodigiis qualis eſſet Marculfus nullus ter habetur.
poterat neſcire. Quapropter quia horrendum eſt incidere in manus Dei viventis, (ſicut ipſe
electis ſuis ait. *Qui vos ſpernit, me ſpernit*) caveat omnis Chriſtianus alicujus Sancti meri- Luc. 10, 16.
tum vel ex elegantia, vel ex deformitate nominis ponderare aut vituperare, cùm extremæ
ſit dementiæ qualecumque nomen quod in libro vitæ ſcriptum eſſe conſtat, non amplecti
ſemper & honorare.

9. Ceterùm cùm beati Marculfi vectores voto haberent à Perona proficiſci, mane facto
egreſſi ſunt ab eccleſia beati Furſei, deducente ſe Clero cum maxima multitudine populi.
Ut autem more ſuo reſponſorium, *Sancte Marculfe Confeſſor Chriſti*, concinentes in foro
venere; plerique ex circumſtantibus, quòd maturius æquo abirent, cœperunt ſuccenſere,
aſſerentes magno eis fore diſpendio, quòd tam celeriter diſcederent, cùm multus in eodem
caſtro hominum ſupereſſet numerus, qui eos ibi adhuc eſſe neſcirent. quod cùm recipro- Servatur in
ca voce alii atque alii adſtipularentur, retractantes in cordibus ſuis interdum utilius eſſe alie- eccleſia S.
no parêre conſilio, quàm ſuo ſemper uti arbitrio; ex voluntate Canonicorum, à quibus jam Johannis
acceperant licentiam, diverterunt in proximam eccleſiolam Præcurſoris Domini, uſque in Baptiſtæ.
diem alteram ibidem demoraturi.

At Præpoſitus, cujus erat omnia illa diſponere, recordatus ante quindecim annos
pro reparatione ſuæ eccleſiæ feretrum beati Vedaſti * cum reliquiis Remis uſque delatum, * S. Vaſt.
ac in beati Remigii Archimonaſterio ſedula liberalitate ſuſceptum; civitatem Atrebaten- * Arras
ſium * adiit, Epiſcopum convenit; quia cum ejus favore corpus beati Marculfi poſt bi-
duum illuc afferre cuperet, intimavit. Cui ipſe Antiſtes & quicquid petierat annuit, & apud
ſe, quia jam ſolis occaſus imminebat, eadem nocte detinuit.

10. Apud Peronam verò in eccleſia ſancti Baptiſtæ Johannis, in qua feretrum glorioſi Miracula
Marculfi depoſitum fuerat, plurimæ cæcorum, claudorum vel quibuſcumque infirmitatum ibi patrata.
debilitatibus oppreſſorum catervæ confluxerant; Fratres quoque qui diſcedente Præpoſito re-
manſerant, poſt refectionem cibi feretrum circumſtabant: cùm unus ex languentibus qui
omni vitæ ſuæ tempore curvus & numquam ſine duobus baculis ſe ſuſtentantibus ire con-
ſueverat, hac & illac deambulans, repentè ſancti Marculfi auxilium ſe ſentire perhibuit;
abjectiſque baculis quibus utebatur, ſanus ex integro coram cunctis ſine ulla difficultate
pergere cœpit. Noſtrates quidem qui nihil tale tunc ſuſpicabantur, non temere credere vo- 11.
luerunt ejus ſermonibus; ſed ab his quibus ab infantia notiſſimus erat, re diligenter inqui-
ſita, cùm veritatem agnoviſſent, laudes Deo & gratias devotiſſimis rependerunt vocibus.
Cumque clamore ingenti plebs univerſa perſtreperet, ac velut ſeditione oborta in tam po-
puloſa villa utriuſque ſexus concurſus fieret; qui in ſuperiori parte opidi erant, quod eve-
nerat neſcientes, tantis vocibus attoniti, ſenes cum junioribus, proceres cum ruſticis, ma-
tronæ cum puellis, per ſpatioſa loca platearum properantes, quidnam novi accidiſſet, alii
ab aliis requiſierunt; & ab his qui pro foribus eccleſiæ ſtabant, nec præ turba ingredi vale-

Circ. ann. DCCCXCVIII.

bant, id reſponſi acceperunt: Balduinus, Balduinus impos ille infirmus, qui retortus atque recurvus (ut vos ſcitis, & nos ſcimus) habitabat, hic mendicus ope beati Marculfi modò eſt ſanitati reſtitutus. Nec erat omnino qui contradiceret, cùm ad omnem ambiguitatem excludendam oculis omnium ſe ille ultro ingereret. Eâdem ergo horâ diei per hunc patronum noſtrum iſte incolumis eſt effectus, quâ ad ſpecioſam portam templi, qui ex utero matris claudus erat, per cæli Clavigerum exſtitit erectus. Ex hoc cuncti Peronenſes magis ac magis in ejus amore ſunt ſuccenſi, ac majori devotione quàm pridie fecerant, cum cereis & luminaribus frequentes affuerunt nocte ſubſequenti.

12. Pervigilabat etiam multiplex energumenorum aut debilium numerus: inter quos aderat quædam puella, cui prima dies exordia vitæ dederat abſque linguæ atque aurium uſibus: necnon in eleemoſyna nobiliſſimæ matronæ, uxoris ſcilicet Principis [a] ipſius caſtri, per multa annorum curricula fuerat educata, & ex ejus imperio comite quadam pediſſequa quam cuſtodem habuerat, ad confugium ſancti Marculfi ut ei ſubveniret deducta, ſub feretro illius nocte jacuit tota. Verùm illuceſcente crepuſculo, cùm dormire putaretur, ſubitò vocem emiſit, dehinc loqui enixa, primo verbo quod protulit, Domina ADELIDIS inclamavit. Ad hæc quæ ei ad cuſtodiam deputata fuerat, concitè ſurrexit, & quam nunquam audientem vel loquentem viderat, quid pateretur, quid ſibi vellet interrogavit. Ita duplici miraculo verba ejus audivit, & interroganti reſpondit, ſe ſancti Marculfi auxilium ſentire, dominamque ſuam, quam prìus nominaverat, velle videre ſe dixit. Nuntius tanti gaudii ad dominam Adelidem in arcem cucurrit: quæ de ſtratu ſuo exſiliens, magis virili animo quàm inceſſu femineo ad locum in quo cuncti adventum ejus opperiebantur, feſtinavit. Tunc accerſitâ illâ quondam mutâ ſua præbendariâ, cùm probaſſet factum, eadem congruè reſpondente per ſingula, præ magnitudine exſultationis compuncta in lacrymas oblationem ſuam ſancto Marculfo plena quidem contulit manu, ſed preces & gratias pleniori effudit affectu. Ea res in brevi univerſis circumquaque innotuit, neque deinceps quiſquam Viromandenſium quis eſſet Marculfus ignorare potuit.

* Laon 13. Poſt triduum quippe quidam ex Monachis ſancti Remigii Laudunum clavatum * à domino Abbate directus adiit, qui in clauſtro ſancti Vincentii, quia per ſanctum Marculfum multa ſigna Peronæ fierent, gratulabundus audivit. Non multo pòſt, id eſt horâ diei primâ, revertenti à Præſule Atrebatenſi ſuo Præpoſito Fratres ſeriatim retulere conceſſa ſibi divinæ pietatis opera. qui quoniam abſens hæc videre non meruerat, ingenti perturbatus eſt mæſtitia. Solus nimirum haberi indignus tantis intereſſe virtutibus vehementer expavit: ſed exaudibilis Marculfus ſine mora fideles ejus lacrymas perfecto gaudio exhilaravit. Cumque nomen ejus quæ primo diluculo ante ejus reditum ſanata fuerat, inquireret, nullo eam hactenus nomine nuncupatam, utpote quæ nihil unquam intellexiſſet, accepit; populoque ſuggerente ut ei nomen darent hi qui cauſa ſalutis exſtitiſſent, quidam ex noſtris Sacerdos Maria nomen illi impoſuit, recordatione utique illius Mariæ il-

14. lectus. quæ huic mundo generale gaudium protulit. Inſtante autem meridie cauſâ reficiendi receſſerunt: ſed lotis manibus priuſquam panem frangerent, omnia campanarum ſigna in eccleſia ſancti Johannis inſonuerunt. Percunctantibus, cur id fieri videretur, quidam ex ſuis curſu velociſſimo affuit, quamdam veniſſe ad feretrum genibus & manibus reptando, quæ præ languore diutino officium pedum amiſerat, nuntiavit, & quia poſt orationem beato Marculfo effuſam ſoſpitati ad unguem reddita cunctis apparuit. Sic exſultantibus animis ad eccleſiam regreſſi hymnum *Te Deum laudamus* præcordialiter, ut decebat, concinebant; & quia notiſſima erat univerſis mulier cui ſanitas impenſa erat, irruente multitudine omnium bonorum datori Deo æquipollentibus ſtudiis omnes affatim gratiarum actiones rependebant.

15. Præ tumultu verò ac preſſura turbarum longa mora interveniente egredi nequiverunt, donec horâ nonâ vix adepti facultatem ad hoſpitium eundi, cùm ad menſam reſidere cœpiſſent, nondum appoſito cibo, rurſus campanas in eccleſia ſubito fragore concrepantes audierunt. Unde non ignari virtutem illic exhibitam divinitus, relictis quæ præ manibus erant, impigris ante ſanctum Marculfum acceſſere greſſibus. Profectò reverentiſſima matrona ejuſdem caſtri domina, quam præmiſimus, multis ſibi cohærentibus aderat: ſed & multitudo languentium è contiguis villis fama vulgante res geſtas tamquam ad opinatiſſimi medici ſubſidia obtinenda concurrerat. Ex numero quorum contracti duo ſanitatem fuerant conſecuti, quos revera longo tempore contractos fuiſſe conſtiterat atteſtatione totius præſentis populi. Cumque Deo laudes pro tam evidentiſſimis pietatis ejus operibus omnium referret vox conſona, necdum finitis laudibus duæ ſimiliter ex debilibus receperunt optatæ ſanitatis remedia: una videlicet anus viſum quæ quamdiu vixerat, utriſque fuerat luminibus orbata: altera paralytica dum omnium membrorum reſoluta compagibus in vi-

a Princeps item vocatur infrà num. 25.

mineo vanno ante ſanctum Marculfum portaretur, priuſquam limina eccleſiæ attingeret, aliquid intra ſe muneris divini ſentiens, ad terram ſe deponi præcepit: ſicque conamine non lento, acſi nihil umquam mali perpeſſa fuiſſet, ambulare cœpit. Quis fuerit ſenſus populi tam magna videntis, quis ſtupor & clamor, quæ ſanæ gaudia mentis, nullius exprimere valet ingenium ſapientis. Habuit ea die Perona novæ glorificationis lætitiam, cùm Chriſto faciente memoriam mirabilium ſuorum, primitivæ Eccleſiæ experiretur gratiam in ſe, illiuſque temporis felicitatem maxima ex parte tunc meruit accipere, quo per manus Apoſtolorum fiebant ſigna & prodigia multa in plebe.

Ciac. ANN. DCCCXCVIII.

16. His auditis Domnus Montis ſancti Quintini Abbas HENRICUS, vir magnæ in Chriſto reverentiæ, quod Cœnobium à Perona duobus circiter diſtare videtur miliariis, fraternis congratulans provectibus, utpote ſocietatis eorum particeps, & eccleſiæ beati Remigii juſtis de cauſis amiciſſimus, ante hujus pretioſi & dilecti ſibi Confeſſoris veniens præſentiam, quia impediente turba humi proſterni non poterat, quod potuit fecit, ſtans quidem corpore, ſed flexis cordis genibus oravit: ſtatimque eo præſente duobus curatis languidis quod auditu acceperat, ſe intu[illegible]xultavit; & tam admirabilis amici Dei ſuffragiis enixiùs ſe commendans, inclinato c[illegible]enedictione petita, paulo pòſt cum omni conventu Fratrum ſibi commiſſorum in [illegible]um reverſurus abſceſſit. Sancti quoque Furſei principalis Clerus, licèt non perfunctoriè circa affectum beati Marculfi ſuæ dediſſet bonitatis experientiam, poſt ea tamen quæ præmiſimus, potiori caritatis fervore inſtigatus, cum corpore ejuſdem patroni ſui ſancti Furſei multitudine comitante adfuit, ac in introitu eccleſiæ non ſine religioſiſſimæ deliberationis conſilio pſallentes *Veni creator ſpiritus*, & finito ſubjunxerunt hymnum *Te Deum laudamus*. Deinde à Præpoſit[illegible] & ſibi cohærentibus humillima ſupplicatione, quatenus ad eccleſiam ſancti Furſei, ub[illegible]iò fuerant, ſanctum Marculfum referrent, cœperunt depoſcere, perhibentes non c[illegible] eos in arto poſitos loci difficultate prægravari, immo debere compati imbecillibus, [illegible]uos quotidiè videbant conſtipatæ multitudinis impreſſione periclitari, magnæ capacitatis eccleſiam talibus cauſis congruere; ſancti Marculfi vicinitate & eorum conſcientia ſe plurimùm delectari, quorum ſtudiis & utilitatibus videbant Dei pietatem tanta ſignorum prærogatione cooperari. Econtra noſtri benevolentiæ quidem eorum maximas gratias agere, ſed quod poſtulabant reſponderunt nullatenus ſe poſſe perficere: locum, quem Deus beato Marculfo elegerat ad operanda tanta ſignorum magnalia ſe relinquere non præſumere, ne contra Dei nutum aliquid tentantes incurrerent pœnas temeritatis illicitæ. Ita fraudati à deſiderio ſuo Canonici reverſi ſunt ad propria, inefficacis petitionis ſuæ repulſam ut eruditi viri diſciplinatæ mentis perferentes modeſtia. Credo ego in conſpectu Dei, qui pia vota ſemper dignatur intueri, devotionem illorum ſuffragante ſancto Furſeo locum inveniſſe, quia quod illa die conſequi nequiverunt, non multo pòſt meruerunt impetrare.

Abbas Cœnobii Montis S. Quintini ſacrum corpus adit.

Canonicorum Clerus S. Furſei.

17. Pari modo Monachi Montis ſancti Quintini relatione Paſtoris ſui incitati, eodem nihilo minus comitante nudis pedibus cum obſecratione letaniæ venientes, proſtrati ſolo coram ſancti Marculfi feretro orationem fuderunt, ac plurimùm lætati in domino xenia noſtris ex caritatis debito & intimæ dilectionis munificentia obtulerunt; dehinc ſancti Marculfi gratiam, fructum laboris ſui ſibi fieri deprecantes abſceſſerunt.

Demum Monachi Montis S. Quintini.

18. Iiſdem diebus puer quidam, cui auditus officium natura negaverat, diu inibi ante ſancti Marculfi feretrum in orationibus & vigiliis pernoctaverat: qui cùm laſſitudine ac fragilitate carnis compellente, quarta vix demum nocte pro foribus eccleſiæ paullulum membra ſopori dediſſet, & cùm jam elapſo quietis ſilentio varios uſus laborum optatis operum ſtudiis lux alma reduceret; ſubitò (mirabile dictu!) idem qui ſuæ adhuc ſurditatis gemens incommoda prope limen eccleſiæ imperfectæ ſoliditatis corpus ſalutiferæ quieti commiſerat, expergefactus aſſurgit, & incolumem ſe repentè miratus, ubinam ſe inveniat, defixis obtutibus inhiando circumſpicit; & quod ſtupori ejus vehementius accedebat, qui extra eccleſiam calceatus obdormierat, nudum ſe pedibus infra eccleſiam ante ſancti Marculfi feretrum ſomno ſolutum videbat. Cujus rei ſeriem, cùm non ſine ingenti gaudio & admiratione circumſtantium multitudini redintegratis & ſæpe repetitis vocibus præconatur; ſubitò tanta divinæ largitatis fama per totum oppidum divulgatur, & quanta per ſervum ſuum Dominus ſit dignatus operari miracula, crebris affluentium populorum præconiis celebratur. Mira res! ſotulares quibus calceatus videntibus qui aderant ſopore gravis abſceſſerat, nec ſibi detractos ab aliquo omnimoda aſſertione obnixè & viriliter adſtruebat, ubi ſomno ſepultus jacuerat, inveniuntur, & ad tam plenariæ congratulationis augmentum, eidem inter tantam conſtipatæ multitudinis affluentiam referuntur.

Alia miracula.

19. Illud etiam nullatenus pigro taciturnæ oblivionis ſilentio occultandum cenſuimus, quòd ante ejuſdem beatiſſimi Marculfi feretrum matrem & filium priſtinæ jam ſanitati reſtitutum gratulabunda ſententia promulgantes audivimus. Cùm enim hujus tam inæſtimabilis gemma theſauri & ſiderei inſtar luminis diverſorum odorem aromatum longè latéque

CIRC ANN. DCCCXCVIII. diffunderet, & miraculorum ejus celebris & magnifica gloria circumquaque crebreſceret: Matth. 5, 15. quia, ſicut Salvator ait, *Nemo lucernam accendit, neque ſub modio ponit, ſed ſuper candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant*; non ſolùm contigua & collateralis hominum affinitas, verùm etiam remota aliquorum & ſollers univerſitas ad tam inopinata ſalutiferæ reſtaurationis fluenta infirmorum atque debilium protrahebat catervulas. Inter quas mu- * *d'Aroiſe* liercula quædam in ſilva, quæ vulgo Arcuvaſia* nuncupatur, filium ſuum miræ ægritudinis debilitate in gutture tenens infirmitas multarum tædioſam humeris ſarcinulam ſubvehebat, & ut beati Marculfi ſubſidia ſine intermiſſione efflagitaret, improbis admonitinnibus ſtimulabat. cujus ſano puer parens conſilio, alta voce ſanctum Dei Confeſſorem Marculfum, ut ſui miſereretur orabat, & circum ſe catervatim ruentium populorum aures tædioſis clamoribus obtundebat. Sed divina miſeratio diu imperfectam ſui juris fabricam eſſe non patiens, laboranti miſero ſolitam miſericordiæ manum porrexit, & ſolidum perfecti decoris ſupplementum proprio operi reparavit. Cùm ergo præfatus puer divinæ ſibi miſerationis auxilia jam adeſſe ſentiret, ſe deponi celeriter exoravit, & qui hærentibus ad nates pedibus & pectori manibus, necdum etiam reptanti greſſu terram pulſaverat; ſubitò per divinam gratiam ſoſpes & hilaris ambula[...] tanta verò comitantium populorum fuerit exſultatio, quàm magnifica & ſpecialis l[...]o, magis ſanè videtur prætereundum ſilentio, quàm imbecillis ingenii committendum naufragio.

20. Dæmoniſcus unus ante ſancti Marculfi feretrum adductus, in craſtino eſt ſanatus. In illo autem tantæ admirationis concurſu multi qui diverſis de cauſis invicem inimicabantur, advenerant: qui quamquam partim meritâ doloris irâ perſtreperent, partim majoris facultatis ſubnixi potentia omnimodo ſequeſtræ paci reſiſterent; tamen præſentiam Inimici reconciliantur. ſancti Marculfi reverentes [...]i gaudebant alterutrum condonantes. Ex quorum numero unus arrogantiæ & faſtus [...]lle ſuffuſus, & imminenti jàmque contiguo mortis exitio deſtinatus, in hanc diabolicæ [...]acitatis prorupit inſaniam, ut faciliùs poſſent ſaxa molliri, & adamantinæ ſoliditatis duritia in plumbi ſolubilitatem converti, quàm ejus pertinax animus ab illicitæ temeritatis auſibus immutari. Cùm enim ut cuidam inimico ſuo quod erga eum commiſerat, condonaret, ab omni Clero & affluenti populo rogaretur, & cùm idem ſanctus Dei Confeſſor contra eum quaſi itidem rogaturus elevaretur, nullatenus acquieſcens abſceſſit. Verùm divina ſubſequente vindicta, dum Monaſterii valvas exire contendit, ſubitò inenarrabili & acerbo interaneorum dolore concuſſus, reſupinus infra eccleſiam corruit, & tantis anxietatum auſteritatibus cœpit urgeri, ut vix in eo halitus remaneret. Ad manus autem illum trahentes, ante ſancti viri feretrum ſtatuerunt, &, ut poſtea rei exitus approbavit, quod rogabatur, non ſponte conceſſit. Eductus autem ab eccleſia & moribundus & gemens in lectulo reclinatus, divino ſubſequente flagello viam eſt univerſæ carnis ingreſſus.

Reliquiæ S. Quintini deferuntur Peronam. 21. Per idem tempus cùm Canonici ſancti Quintini in Atrebatenſium partibus ad reparanda intolerabilis ſuæ combuſtionis incommoda, Fidelium munificentiam cum reliquiis & feretro ſollicitarent; acceptâ tanti famâ patroni & miraculorum ejus opinione gaviſi, non multo pòſt cum eodem feretro & ſanctarum reliquiarum inſignibus ad præfatam eccleſiam, in qua ſanctum ſervabatur corpus, venerunt, & feretrum ſuum juxta beati Marculfi feretrum deponentes, facta oratione votiſque ſolutis, conſono cordis & oris officio Dominum qui in Sanctis ſuis ſemper eſt mirabilis, venerantes, ad propria rediere gaudentes.

S. Marculfi corpus refertur in baſilicam S. Furſei. 22. In vigilia autem beati Johannis Baptiſtæ cùm innumerabilis utriuſque ſexus multitudo conflueret, & tum propter ſolitam & vulgarem Præcurſoris Chriſti ſollemnitatem, tum propter tam famoſiſſimi & egregii hoſpitis venerationem plebs copioſa concurreret; præfatus Clerus ſancti Furſei diu deſideratæ petitionis tempus idoneum nacti advenerunt, & ut corpus ſanctum ad principalem deportaretur eccleſiam ſuaſerunt, manifeſtis & probabilibus indiciis aſſerentes, locum vix unius huc uſque venerationi hoſpitis aptum, nunc apparatui geminæ exſultationis artiſſimum. Et quia hujus ſuggeſtionis ſanum viſum eſt eſſe conſilium, quod non ex cujuſlibet ambitus vel elationis zelo, ſed ex opimo puri cordis theſauro iterata petitione quæſierant, invenerunt. Sic ergo hujus ſacratiſſimi reliquiæ corporis cum crucibus & candelabris, cum incenſo & ſuavi odore thymiamatis, magno præcedentium ſubſequentiumque populorum tripudio ad præfatam eccleſiam deportantur, & in medio eccleſiæ cum ingenti honore atque lætitia collocantur. Poſt triduum autem ad cumulandam tam fidelis & honeſtiſſimi Cleri lætitiam, mulier quædam videntibus qui aderant, coram ſancti viri feretro ſe contracta projecit; nec mora, cæleſti præeunte clementia priſtinæ ſanitati reſtituta ſurrexit. Dæmoniacus quidam qui nuper adductus fuerat, ſed necdum ſanitatis dona receperat ad evidentioris miraculi præconia reſervatus, antiquæ eſt ſoſpitatis uſui reſtauratus.

23. His ita peractis cùm ad propriæ manſionis opidum redire diſponerent, nec jam

amplius peregrinandi tempus idoneum judicarent; pręfatus Prępoſitus & qui cum eo erant, ad Principem opidi & ad univerſum Clerum accedentes, Patrono ſuo & ſibi revertendi licentiam petierunt, magnas illis gratias referentes, quòd Prophetam in Prophetæ nomine recepiſſent, ipſiſque totius benevolentiæ & humanitatis obſequio nullatenus defuiſſent. Honeſtiſſimi autem Clerici & totius incolæ & proceres opidi miro admodum dolore concuſſi, quippe qui tam amantiſſimi hoſpitis numquam cupiebant pręſentiâ defraudari; quod juſtum erat petere, non ſunt auſi negare. Per totum ergo opidum juſſu Principis & Canonicorum magna voce pręconis edicitur, ut plebs univerſa ad deducendum patroni tam liberalis in craſtino reditum accingatur, & eum à quo tot gratuita pietatis dona ſuſceperat, devotiſſimæ ſervitutis obſequio comitetur. Facto autem mane adeo nubium denſitas & turbida ventorum auſteritas cœpit ingruere, ut nequaquam futuræ ſerenitatis ſignum mutata cęli facies daret, & plebs univerſa perſtreperet ad nutum amici Dei has aëris denſitates contingere, evidentibus indiciis edocentes, nulla eum penitus in pręſens velle ratione diſcedere. Prępoſitus autem convocatis itineris ſui comitibus, & apparatis hujus tam gratiſſimi oneris ſubvectoribus, diſpoſitum iter arripuit. Tunc ipſius Primores eccleſiæ colla ſancto ponderi ſupponentes, magna (ut dignum fuerat) populorum ſtipante caterva egredientes, Sanctum Dei deducebant divinæ laudis & hymnorum carmina concinentes.

Circ. ANN. DCCCXCVIII. dein Corbiniacum.

cum feſti[vo] apparatu.

24. Cùm ergo opidum egreſſi ad quamdam planitiem deveniſſent, religioſi & honeſtiſſimi Clerici omnes etiam ſanctum corpus ſequentes unanimiter petierunt ut feretrum humi paulliſper deponeretur, quatenus ad ejus venerationis memoriam crux affigeretur, quo diverſarum infirmitatum languoribus preſſi confluerent, & opitulatione beati Marculfi priſtinæ ſe ſanitati reddendos non dubitarent. Ubi etiam uſque in hodiernum diem ardore diverſarum febrium & varia peſte languentibus innumera pręſtantur beneficia Redemptoris, interventu ſui dilectiſſimi Confeſſoris. Accepta ergo benedictione & ſancti Marculfi ſe patrocinio commendantes pro tanti viri abſentia gemebundi & lugubres diſceſſerunt. Mulier autem quędam ſurda, quæ per omne tempus ſancti Dei viri pręſentiæ cum luminaribus ſuis ante ipſius feretrum vigilaverat, ad diſceſſum ſanctiſſimi Confeſſoris cœpit mæſtis ululare clamoribus, & nequaquam eum ſe dimiſſuram, niſi ſibi ſubveniret conteſtans, ſanctum ſequebatur corpus. Ecce autem ex improviſo repentino auditûs uſui reſtituta, glorioſum & admirabile nomen Domini collaudavit, & acceptâ licentiâ incolumis & lętabunda ſanctum deoſculans feretrum cum ceteris repedavit.

Crux ad ejus honorem erigitur.

25. Inde ergo diſcedentes ad villam, quæ Vermandis * vocatur, venerunt, ubi quidam ſervus ſancti Marculfi, Robertus nomine, eis occurrit, qui audita miraculorum opinione, baculo ſuſtentante laborioſo reptatu eo uſque vix venerat: quippe qui per duodecim jam annorum curricula nullo prorſus niſi uno pede terram attigerat. Cùm ergo ante ſancti viri feretrum lacrymoſis ululatibus inclamaret, ut quam alienis munificentiam exhibuerat, eamdem ſibi ſuo naturali ſervo & diu languenti impertiret; quaſi irâ turbatus, immo ſpe pietatis ejus animatus ducem itineris baculum procul abjecit, & ſic deinceps ſine ſuſtentaculo omni tempore vitæ redintegratis pedibus ambulavit.

Vermandū venit.

* *Vermand*

26. Interea dum in clauſtro ſancti Remigii de mora tanti patroni hęſitaret Fratrum curioſa devotio, & de reditu ipſius multa fieret deſperatio; præfatus Frater Johannes qui Corbiniacenſi eccleſiæ pro abſentia patroni ſui maximè condolebat, quippe qui inſtinctu ſuo & ſuggeſtione in illas partes delatum ſibi conſcius erat, Deo ſibi providente acceptis à Domino Abbate & ceteris Fratribus litteris equum adſcendit, & cùm Peronam verſus iter dirigeret, voti compos effectus in Abbatia, quæ Humolarias * dicitur, quod cupiebat invenit. Tunc Deo gratias agens, qui deſiderium ſuum properaviſſet; apertis ſigillo & litteris, quas à Domno Abbate & Fratribus acceperat, ſe ideo miſſum ad eos, ne diutiùs morarentur, edocuit. Inde ergo in craſtino egreſſi, per Ribodimontem * & munitionem, quæ Francorum-curtis dicitur, in ſuburbium Lauduneoſe in villam quæ Vallis vocatur, venerunt, & ibidem ea nocte manſerunt. Mane autem facto, & comperto quòd prænominatus tyrannus THOMAS eis inſidiaretur, quippe quos tantâ populorum munificentiâ, innumerabili nummorum copiâ redundantes arbitrabatur; pernicibus plantis iter aggreſſi feſtinare cœperunt, miro affectu occultari geſtientes. Sed quia urbs in monte ſedens numquam latere poteſt, multi eos populi ſequebantur gaudentes. Præco autem & tanti nuntius gaudii præcucurrit Præpoſitus, & ut deſiderato diu Patri de regione longinqua redeunti obviàm irent, Corbiniacenſes & finitimos admonebat. Sed quia cupienti animo nihil ſatis feſtinatur, non erat opus admonitione, quos jam videbat adventu ſancti Confeſſoris excitos affluere. Ut autem quod opinione didicerant, oculis inſpexerunt, & convicaneum ſuum Robertum utroque pede ſine ſuſtentaculo ſanctum corpus præcedentem viderunt; tunc verò ingens lætitiæ fervor exoritur, gaudium gaudio cumulatur, & ad laudem & gloriam Redemtoris ſubſequentium corda populorum ferventiùs animantur. Appropinquante autem ſancti viri corpore, & invicem ejus feretro ſuccedentes, cum ingenti congratulatio-

ſuprà num. 7.

* *Humblieres* Ord. S. Bened.

* *Ribemont*

Lauduno Corbiniacū defertur.

Circ. ann. DCCC XCVIII. anno 1102

nis tripudio uſque ad propriæ habitationis locum detulere gaudentes. Stantes ergo præ foribus, & ſanctum corpus humeris attollentes, omnes ſub eo tranſire fecerunt, & ſic in eccleſiam cum cum proceſſione & cantibus intulerunt anno incarnati Verbi milleſimo centeſimo ſecundo: ubi præſtantur innumera beneficia Redemtoris, cui eſt honor & gloria cum Patre & Spiritu-ſancto per omnia ſęcula ſęculorum. Amen. Cinctoria autem quibus religioſiſſimæ feminæ in eundo & redeundo ſanctum cinxerant feretrum, probabiliter computata inventa ſunt pluſquam ducenta.

In calce codicis ſcripta ſunt verba ſubſequentia.

Anno Domini 1384 domina Egila *de Berterée* quondam nata in villa ſancti Hilarii, ante fores iſtius eccleſiæ ſituata, dedit iſtum librum cum quadam agenda Conventui eccleſiæ beati Vincentii Laudunenſis: quæ quidem villa per guerras Anglicorum & Navarrorum deſtructa fuit, & totaliter ad ſolum coæquata anno Domini milleſimo trecenteſimo quinquageſimo-nono, quando Rex Angliæ poſuit ſedem coram civitate Remenſi.

DE TRANSLATIONE

Circ. ann. DCCC XCVIII.

SANCTÆ HONORINÆ

VIRGINIS ET MARTYRIS

CONFLUENTIUM IN PAGO PARISIENSI.

* Conflans

1. *EODEM tempore, quo S. Marculfi corpus Corbiniacum, reliquiæ S. Honorinæ Virginis & Martyris item ex Neuſtria Confluentium * advecta ſunt ob metum Normannorum. Confluentium oppidulum eſt ad confluentes (ut nomen ipſum ſonat) Iſaræ in Sequanam, ubi pridem exſtat Prioratus Beccenſi Monaſterio ſubjectus: in cujus eccleſia S. Honorinæ ſacræ exuviæ honoratæ ſunt*

Tranſlationis tempus.

poſt tranſlationem eo factam. Rem litteris conſignavit Monachus anonymus, idque retulit ad annum DCCC LXXVI, Karolo, cognomento Simplice, regni Francorum jura tenente. *Sed aut Regis nomen, aut potiùs retento Caroli Simplicis nomine annus corrigendus. Factum paucis accipe. nam totam hiſtoriolam referre non juvat.*

Narrationis ſumma. * Graville

2. *Cùm Normanni per Gallias, ac præcipuè per Neuſtriam impunè graſſarentur,* factum eſt, ut beatæ Honorinæ Virginis ac Martyris venerabile corpus à vico, cui Girardovilla * vocabulum eſt, in eo loco vicino mari, ubi Sequana finem facit, per honoratorum Clericorum manus, fracto à capite ſarcophago, de terra levatum, pago in Pariſienſi, caſtrum apud Confluentium, equo ſuſtentante deportaretur, & in beatæ Dei genitricis Mariæ eccleſia inibi ab antiquo tempore conſtructa, Domino ſibi annuente, hoſpitaretur.

Miracula.

3. *Inter alia prodigia, quæ eo in loco, maximè in catenatos, patraſſe dicitur Honorina, illud in primis inſigne, quod* vir quidam nobilis generis, & ſecundùm ſæculum non modicæ altitudinis, INGERRANDUS de Bova nomine, pater THOMÆ de Marla, ceteros inter adveniens, boïarum terna paria, & quamdam longiſſimam magnique ponderis catenam, quæ adhuc à nobis (*inquit Auctor*) peregrinis oſtenſura ſervatur, per miniſtrorum manus ſecum attulit. Cumque oblatione facta, & Deo ſuper mirabilibus quæ in Sanctis ſuis operatur, gratiarum actione reddita, Beccenſis Monaſterii Fratres, qui ex dono & permiſſu Comitis Bellimontenſis, IVONIS nomine, nuper illic advenerant, convocaſſet in unum, omnibus palam hoc narravit, *nempe, captum ſe ab hoſtibus, & hujuſmodi nexibus in dolio irretitum, oratione Deo facta per merita S. Honorinæ fuiſſe abſolutum. His expoſitis*, ad propria remeavit, dato eccleſiæ uno de ſervis ſuis toto cum generatione ſua, qui in loco ſui annis ſingulis locum dignis oblationibus viſitaret: quia præ multitudine hoſtium ſuorum ſæpius ſe Confluentium advenire non poſſe profitebatur.

Beccenſes ab Ivone Comite illic inſtituti.

4. Cùm autem poſt eccleſiæ veteris cremationem à domino de Monte-morenceio, BURCARDO nomine, factam tempore quo Comiti Matthæo de Bello-monte inimicaretur, quoniam in arctiori nimis loco, nec Ordini monaſtico congruo commanebant, in eam, quæ nunc præſens eſt, eccleſiam ab ipſis nuper ædificatam venire Monachi diſpoſuiſſent; viſumque eis fuiſſet, ut beatæ Honorinæ venerabile corpus tantam poſt longitudinem annorum videri debuiſſet, & de una vetere caſula, tantoque recondendo theſauro indigna, qua inerat, in aliam meliorem ac precioſiorem transferri; evocato Beccenſium patre, nomine ANSELMO, viro æquè fideli ac divina ſapientia imbuto; ſimulque Paritienſium Præſule JOUFREDO*, non minimam etiam multitudinem gentis vicinæ venire fecerunt. Cumque die ſtatuta acceptis à Patribus reliquiis & parata proceſſione cum pſallentium choris à loco ſæpe fato moventes, uſque ad novæ baſilicæ fores advenissent, ſtarentque ſimul Præſul & Abbas ſupra gradum ligneum quem ad loquendum fecerant; venientibus hinc inde de diverſis provinciis catervatim populis tanto deeſſe ſpectaculo & benedictioni nolentibus, propter ardoris nimietatem (erat enim æſtas) Miles quidam Patrum ſuper capita paulium* ſuum compoſuit. Et cùm fracta eſſet caſula, qua removendum erat ſacrum corpuſculum, & ad ejus remotionem memorati Patres manus appoſuiſſent; quod dictu mirabile eſt, quamdiu eos paulium Militis obumbravit, nullo modo illud foras extrahere potuerunt. Depoſito autem illo, tanta illud cum levitate à caſula extractum coram omnibus Dominum benedicendo & populum circumſtantem alloquendo extulerunt, acſi ponderis nihil habuiſſet. Illis ergo in Sanctorum oſſium deoſculatione & mundiſſimis cum linteis ab omni rubigine emundatione intendentibus, à pago Carnotenſi quædam copioſa hominum turba veniebat, ne à tanta benedictione fruſtraretur, feſtinans quæ repertâ ad portum carinâ ita ſe intus aliqua ſine diſcretione intulit, ut remota aliquantulum à litore navis tam magno ponderi non ſufficiens naufragaretur. Beatus autem Anſelmus periclitantium lacrymabili voce cum beatæ Honorinæ invocatione exceptus, & circumadſtantis plebis clamore lugubri ac ſuper eorum ſummerſione miſerabili multotiens invitatus, necnon & ab Epiſcopo adſtante ſemel & iterum inobedientiæ ammonitus, manibus ſurſum elevatis cum capite beatæ Martyris eos in nomine ſanctæ Crucis benedixit, & ne illorum aliquis periret, ſacratæ Martyri quaſi interminans dixit: Obſerva, beata Honorina, ne iſtorum aliquis ad te cum fide ac devotione feſtinantium mali aliquid patiatur. Hac autem largita benedictione omnes, tam viri, quàm mulieres cum infantibus & pueris, beatæ Virginis intervenientibus meritis glorioſis aliquo ſui ſine impedimento litori ſunt reſtituti, nec præter quadrupedem unum, qui cum ipſis erat, eorum aliquis remanſit, gaudentibus ac Deo grates referentibus turbis univerſis. His ita geſtis repoſito beatæ Honorinæ in nova caſula ſacro corpuſculo, cum hymnis & laudibus novam introeuntes eccleſiam, in loco ubi nunc adoratur Domino ſibi concedente perduxerunt. Statuerunt etiam ſæpedicti Patres eam diem annis ſingulis agere ſollemnem XI Kal. Julii non ſolùm in memoria illius tranſlationis, verùm etiam in recordatione prioris. *Id contigiſſe anno* M LXXXII *diſcimus ex Chronico Beccenſi adjecto ad calcem operum Lanfranci, his verbis.* Anno Domini M LXXXII tranſlatio Monachorum Becci apud Confluentium commorantium, à veteri eccleſia, quæ Capella dicitur, ad novam eccleſiam cum corpore S. Honorinæ: cùm IVO de Bello-monte Comes ſuper Iſaram, & ADELIDIS uxor ejus volentes in eccleſia B. Honorinæ de Confluentio à Monachis Deo deſerviri, dederunt eam & omnia ad eam pertinentia Monaſterio Beccenſi, *&c.*

Circ. ann. DCCCXCVIII. S. Honorinæ tranſlatio in aliam capſam.

* al. Gofrido

* an pallium

die 21 Junii.

5. In oppido, quod *Luſarce* dicitur, Miles quidam ELINANDUS nomine de vico qui *Berconcort* appellatur, non ſolùm vinculis addictus, verùm etiam multiplici vigilum cuſtodiæ deputatus erat. qui beatæ Honorinæ ſubventionem ſua pro liberatione ſæpius invocans taliter meruit liberari. Quædam ejus ſoror illius de captione mæſtiſſima, ad beatæ Honorinæ eccleſiam preces effuſura, dona datura, vigilias celebratura, Confluentium advenerat. dumque oraret, illa in Monaſterio, & ille in carcere, apparens ei beata Honorina uſque ad turris ſupercilium mancipatum compedibus duxit cum dormientibus ante turris oſtia cuſtodibus. qui reperto inibi mantili quodam perlongiſſimo uni de propugnaculis alligavit illud, & ſemetipſum beata ſuffragante Martyre ſine aliqua læſione ad inferiora depoſuit. Excuſſis autem à pedibus ſuis compedibus, humeris impoſuit eas; & noctu Confluentium adveniens, ſororem ſuam adhuc vigiliis intentam reperit. quæ de ejus viſione lætiſſima, exhibitis Deo laudibus cum eo remeavit ad propria.

6. Pago Vilcaſino villa quæ *Dangut* nominatur, juvenis quidam in vinculis erat. Dicebant autem ei quidam, quatinus beatæ Honorinæ crebrò invocaret clementiam. Credidit eis, &, ut ſæpe monuerant, beatæ Virginis fideliter invocato auxilio à ſuo tenore non multo pòſt vincula ferrea ſunt laxata. quibus aſſumtis, Confluentium concitò venit, & qualiter cum Dominus beata intercedente Honorina liberaſſet, ſua præſentans vincula Fratribus more ſolito his ſuper valde gratulantibus enarravit, *&c.*

7. Apud Girardi-villam* cùm quædam venerabilis ac illis in partibus prædives matrona

* *Graville ſuprà num.* 1

Circ. ann. DCCCXCVIII.

S. Honorinæ tumulus & reliquiæ.

beatæ Honorinæ ſepulcrum in eccleſiam Domino ejuſdem in honore Virginis conſecratam transferre voluiſſet à rupe, qua tumulata fuiſſe creditur, juſſit illud in gyrum ſecari. Cumque illo in opere miniſtri ejus occuparentur, miles quidam ſtans à capite per illud foramen ſepulcri, cujus ſuperiùs memoriam fecimus, quo videlicet extractum fuit ſanctum corpuſculum, cùm præ barbarorum timore his in partibus Domino donante afferretur; virgam quam manu tenebat, intus ad fundum uſque gyrando adduxit: & ecce repertum eſt ibi os quoddam de collo Martyris, ac ſanguis ejus ita recens inventus eſt, acſi eo die martyrizata fuiſſet.

Miracula.

8. Quidam juvenis de prædiolo, quod *Medan* vocitatur, ſito in pago Carnotenſi, graviſſima paralyſis ægritudine laborabat. Attulerunt autem eum pater & mater illius ad beatæ Virginis eccleſiam, feceruntque ibi duos dies, jejuniis, vigiliis & orationibus cum lacrymis & gemitu ex toto intendentes, quatinus illi miſero filio ſuo beata interveniente Martyre propitiaretur Deus. Primo quoque mane tertii diei reſpexit eum Dominus, & intercedente beata Honorina ita eum incolumitati reſtituit, ut nec ſignum aliquod illius infirmitatis in eo remaneret. Audito etenim quòd ſanus effectus fuiſſet, illuc omnes cucurrimus; & hoc quod dicimus, quàm verum fuiſſet videndo probavimus. Cucurrit & nobiſcum venerandus Abbas BERNARDUS ſancti Michaëlis de Monte-Tumba, Monachus noſter, qui nocte illa hac in domo hoſpitatus fuerat, Pariſienſi de civitate revertens. qui tanto de miraculo quod adſpexerat, hilarior redditus, flexo genu & humiliata cervice coram ſanctæ Martyris reliquiis Domino benedixit, ſeque tam glorioſæ Virginis precibus exinde commendavit. Erant ſiquidem inibi duo pueri fratres, quorum pedes ignis ardens atrociſſimè cruciabat. Meruerunt autem & ipſi cum iſto beata ſuffragante Honorina tanta de infirmitate ſalvari. De quorum omnium ſalute nos plurimùm lætificati, laudes Deo cecinimus in unum congregati.

9. A pago ſupradicto quædam femina Maria nomine ad beatæ Virginis eccleſiam vigilia nativitatis ſanctæ Mariæ cum aliis mulieribus advenit. Amiſerat autem ipſa loquelam annis ſeptem, & ut eam recuperaret, Sanctorum loca pluſima viſitarat. Dominus verò JESUS-CHRISTUS quaſi hanc beatæ Honorinæ victoriam reſervaſſet, illi ante altare ſtanti (poſtquam oblationem fecit, lacrymas fudit, & à cognoſcentibus eam quòd veraciter muta fuiſſet, Sacriſtæ notificatum fuit) ſubitò loquelam reddidit, mirantibus tam mulieribus viciniis, quàm nobis, & Deo gratias referentibus qui præſentes aderant univerſis, &c.

APPENDIX

APPENDIX II
SÆCULI IV BENEDICTINI
COMPLECTENS ACTA SANCTORUM

Quædam omiſſa ſuis locis, quædam incerti temporis;

AC VETERA QUÆDAM MONUMENTA.

VITA SANCTI RODINGI

Circ. ann. DC LXXX Sept. XVII.

ABBATIS BELLILOCENSIS IN ARGONNA,

Auctore B. RICHARDO Abbate ſæculo XI.

Ex mſ. codice Catalaunenſi & Menardo.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. DUAS *Menardus noſter* S. RODINGI * *ſeu* Chrodingi *Vitas edidit in Obſervationibus ad Martyrologium Benedictinum, unam in lib. 2 ex ſchedis Bellilocenſibus, alteram ad operis calcem ex mſ. codice Catalaunenſi. Cùm verò mihi Sæculum noſtrum ſecundum apparanti neutra ſatis aut ſibi invicem cohærere, aut accurata eſſe videretur; in aliud tempus S. Rodingi Acta rejeceram, dum aliunde ampliorem de eo lucem accipere mihi liceret. Ob id unum ex amicis meis doctiſſimum virum Bartholomæum Senocum, qui modò Bellilocenſi Cœnobio præeſt, interpellavi, ut ſi quid auxilii huc mihi conferre poſſet, id præſtare ne gravaretur. Fecit ille pro ſua humanitate & religione quod in ſe erat: & cùm nihil de S. Rodingo reperiſſet apud Bellilocenſes, quam in mſ. codice Cœnobii S. Petri apud Catalaunum invenit Vitam, mihi tranſmiſit, eamdem ſcilicet quam indidem Menardus noſter acceperat, abſque nomine Auctoris. Sed cùm libellum de geſtis beati Richardi Abbatis S. Vitoni itidem mihi communicaſſet idem vir religioſus, adverti ſcriptionem illam de S. Rodingo Richardo Abbati tribuendam eſſe. Sic enim de Richardo legebam in ejus Actis.* Ut autem venerabilium ſenium fideli narratione didicimus, viginti & unius Abbatiæ rector & inſtitutor hic beatus Pater exſtitit, inter quas Bellogienſis eccleſia meritis glorioſi Martyris Mauricii inſignis, & S. Rodingi Confeſſoris, cujus ipſe vitam honorifico ſermone compoſuit, & feretrum auro & argento decoravit, exſtat ejus ſacris ſtudiis nobilitata. *Nec dubito quin illa ipſa ſit, quam referimus ex mſ. codice Catalaunenſi, quem annorum ferè ſexcentorum eſſe dicunt. nam quæ apud Menardum alia legitur Vita, Auctoris eſt certè recentioris, qui ex Richardi libello & ex vulgi qualicumque traditione eam conſarcinavit, ut cuivis legenti facile erit judicare.*

Rodingi vitæ duæ.
* S. Rouyn
Prima auctore Richardo Abbate.

2. *S. Rodingi cultum ab antiquo receptum fuiſſe probat in primis Frodoardus, qui de S. Balderico ejuſque Abbatia, quæ Montis-falconis * dicitur, ſita in pago Verodunenſi, agens, ita ſcribit in lib. 4 cap. 41.* Cùm autem Domnus Dado Virdunenſis Epiſcopus hanc à Rege impetraſſet Abbatiam, & hæc mira cœpiſſet audire, conſtituit, ut omnibus annis trium Monaſteriorum ſacra pignera ſimul in quemdam medium deferrentur locum: de ſede videlicet urbis Virdunenſis ſanctus Vitonus & ſanctus Agericus: ſanctus verò Baldericus de Monaſterio ſuo, ſanctus RODINCUS * de Vaſlovio. *Dado autem ejus rei auctor eccleſiæ Virdunenſi præerat deſinente ſæculo nono, & decimo ineunte: quo proinde tempore, S. Rodingi memoria in rebus ſacris jam celebris erat, immò longè ante id tempus. In tabulis Benedictinis celebratur* XV *Kal. Octobris, & in Supplemento Martyrologii Gallicani, ubi perperam S. Pauli in Epiſcopatu Virdunenſi ſucceſſor dicitur.*

Rodingi cultus.
* Montfaulcon
* al. malè Rodricus

3. *S. Rodingus ex Hibernia Scottorum oriundus fuiſſe dicitur, & cum S. Columbano & S. Gallo in Galliam acceſſiſſe,* officio pontificali inſignitus, *ut ſcribit Richardus in ejus Vita, cujus etiam hic titulus eſt in mſ. codice:* VITA SANCTISSIMI AC BEATISSIMI CHRAUDINGI EPISCOPI ET ABBATIS. *Hoc titulo donantur plerique, qui ex Anglia vel Hibernia in has regiones commigrarunt, ut S. Furſeus, S. Foillanus, & alii, quos*

An Epiſcopus, & comes S. Columbani.

Circ. ann. DC LXXX. Sept. XVII.

nunquam fuiſſe Epiſcopos exiſtimo. Sed quidquid ſit de S. Rodingo, quem Scottum negare nolim; vix concedere poſſum ipſum cum S. Columbano in Galliam acceſſiſſe. Cùm enim ad principatum Childerici Chlodovei junioris filii pervenerit, immo eum exceſſerit; qui fieri poteſt, ut comes fuerit S. Columbani, quem anno DXC in Gallia jam verſatum fuiſſe conſtat? Quanquam ſi conſtaret, Rodingum (ut in recentiori apud Menardum Vita legitur) obiiſſe anno ætatis centeſimo decimo-ſeptimo, facilè admitti poſſet ipſum Columbani ſocium fuiſſe. Sed illud inſuper movet, cur relicto Columbano, ſiquidem res ita haberet, aliò conceſſiſſet? aut quo modo tandem ſe in Tabuleienſe contuliſſet Aſceterium, quod conditum non videtur ante Dagoberti principatum?

Bellilocenſis Monaſterii initia.

4. *Certiora, immo certiſſima ſunt quæ de Cœnobio Bellilocenſi* * *per ipſum ædificato leguntur. Sed ut auctoris nomen variè ſcribunt, aliis* Rodingum, *aliis* Roduncum, Chraudingumve (*ut habet codex Catalaunenſis*) *pingentibus; ita &* Bellilocenſis *Monaſterii vocabulum variat, quod Richardus* Bellogienſe, *plerique* Vaſlogienſe *appellant, modò* Bellilocenſe * *omnes. Berthárius Presbyter in libello de Epiſcopis Virdunenſibus, quem Dadoni Epiſcopo ſub annum nongenteſimum dedicavit, ejus Cœnobii initia refert ad pontificatum Agreberti Epiſcopi. ita enim habet in Spicilegii tomo 12.* Poſt hunc, *ſcilicet Paulum,* exſtitit Giſloaldus Epiſcopus, Gerebertus, Armorius, Agrebertus. Epiſcopi hujus tempore ſanctus Grodingus (*lege* Crodingus) Warlogium (*forſan* Waſlogium) Monaſterium conſtruxit, & ſub ditione noſtræ eccleſiæ poſuit. *Hæc neſcio an penitus conveniant cum iis, quæ infrà ſcribit Richardus num. 11. ubi Childericus Rex Rodingi rogatu tale Bellilocenſi Cœnobio dicitur conceſſiſſe privilegium,* ut ipſam Abbatiam ſua regia defenſione munitam, ab omni prorſus externo ſervitio liberam & immunem eſſe conſtitueret, reſervato Virdunenſium Pontifici, cujus diœceſi continetur, reſpectu ſacrorum Ordinum & benedictionis. *Hodie quoque perſiſtit Bellilocenſe Monaſterium ſub religioſiſſima Congregatione S. Vitoni, ſitum in Argonna* *, *trium leucarum intervallo ab oppido ſanctæ Manechildis* * *duarum à Claromonte* *. *Belliloci corpus ſancti Rodingi hactenus religiosè colitur, honoſque habetur illi tugurio, quod in ſeceſſu incoluiſſe perhibetur num. 22 & ſequentibus.*

* Beaulieu
* l'Argonne
* Sainte Menehould
* Clermont en Argonne

Rodingus Scottus venit in Galliam.

1. BEATUS CHRAUDINGUS Scotorum proſapiâ exortus, cùm jam eſſet catholicæ Fidei inſtitutionibus edoctus, & officio pontificali inſignitus, patriam parenteſque relinquens, tranſmiſſis proſpera navigatione tribus (ut aiunt) maribus, Christo præduce fines ingreditur Belgicæ regionis. Comites autem itineris ejus fuiſſe traduntur beati COLUMBANUS & GALLUS: quorum alter Italiam, alter Galliam meritis tuetur & precibus. Vir autem Domini Chraudingus cùm ſolitariæ vitæ flagraret deſiderio, pervenit ad Monaſterium ſancti Mauricii ſitum in ſaltu Voſago, quod Tabuleium [a] antiquitus vocabatur: eo quòd ſectis in modum tabularum lapidibus fuerit ædificatum: nunc appellatur Theologium, quòd theoricæ vitæ ſit aptum, vel quòd de Deo inibi frequens habeatur colloquium. ubi cùm à Patre loci & Fratribus benignè fuiſſet ſuſceptus, magnis in brevi cœpit publicari virtutibus. Erat enim obedientiâ præclarus, ſcientiâ præditus, orationi deditus, caritate diffuſus, Deo devotus, patientiâ mirabilis, morum benignitate perdulcis, agilis in opere, ſedulus in taciturnitate, juſtitiâ inſignis, humilitate incomparabilis.

Theologium ſe recepit.

ubi fit Abbas.

2. His virtutum indiciis cùm ſancti viri fama jam jamque plurimis notificaretur, defuncto Abbate Fratrum electione & Treverenſis Metropolitani auctoritate dominici gregis paſtor inſtituitur: cujus nimirum induſtria idem Cœnobium temporalium quoque rerum locupletatum eſt opulentia, & ſuavi odore virtutum circummanentium reſperſit corda. Unde à multis vir Dei cœpit frequentari, qui ſe orationibus ejus commendare deſiderantes, & monitis ſalutaribus inſtrui cupientes, ad eum quaſi ad fontem vitæ curſitabant ſitientes. quorum frequentiam moleſtè ferens, & remotioris vitæ deſiderio fervens, ſubrogato ſibi in regimine ſuo nepote CHRODUINO, quem de natali ſolo ſecum adduxerat, ammonuit, ut gregem ſibi commiſſum benignè regeret, bonis exemplis informaret, paternam ſuper eos ſollicitudi-

Roduinum ſibi ſubſtituit.

[a] De Theologienſi ſeu Tabuleienſi Monaſterio, vulgo *Tholey*, dictum eſt in Sæculo 2 ad Vitam S. Pauli Epiſcopi Virdunenſis pag. 270.

Circ. ann. DCLXXX Sept. XVII.

nem gereret, & remigio piæ gubernationis ad portum ſalutis perducere ſatageret.

Paulo Virdunenſi Epiſcopo acceptus.

3. Tunc data & accepta benedictione vale dicens, Fratribus quibuſdam ſecum aſſumtis de Monaſterio egreditur, ab illis non ſine gravi mærore ſeparatur. Diſpoſitum iter arripiens proficiſcitur, Virdunenſem pagum ingreditur, à beato PAULO ejuſdem civitatis Epiſcopo cum digno honore ſuſcipitur. qui ideo beatum virum ea qua decebat venerabatur honorificentia, quia in ſuprà dicto Monaſterio Tabuleio, ubi ille Abbas exſtiterat, hic ante præſulatus officium plurimos annos ſub habitu monaſticæ religionis exegerat. Venerabilis ergo Pater Chraudingus obtentu familiaritatis paucis cum eo diebus exactis, rogatus ab eo ne longiùs diſcederet, ſed voti compos in proxima eremi vaſtitate locum ad habitandum eligeret; comitantibus ſecum duòbus tantùm (ut fertur) diſcipulis ſaltum ingreditur Argoennæ ſolitudinis: deſideranſque invenire locum ſuis votis commodum, & circuiens montes & colles & concava vallium, devenit ad locum cui antiquitas vocabulum indidit Waſlogium, præ nimia (ut reor) vaſtitate, quaſi vaſtus locus vocatum, quem moderni mutato nomine Bellum-locum ob pulcherrimum loci ſitum vocari maluerunt: cujus amœnitate Chriſti famulus admodum delectatus junctis ſibi in labore fidiſſimis ſodalibus, ſuccifis undique virgultis, & radicibus arborum erutis, diu quæſitum conſtruere cœpit habitationis locum.

Secedit Bellum-locū.

Cœnobium ibi inchoat.

4. Interea ubi erant luſtra ferarum, fit domus orationum: inter fructeta ſalvificæ crucis eminere conſpiceres vexilla: ibi chorus pſallentium hymnidicas Deo laudes perſonat, ubi lupus ululare, vulpes gannire, philomela dulciter garrire, omniumque genus beſtiarum ſeu volucrum diverſis vocibus perſtrepere conſueverat: locus ille ſolitudinis in cultum vertitur divinæ laudationis. Nec mora divulgatur horum geſtorum opinio per multos in populo, nuntiatur circumquaque ignotos adveniſſe peregrinos, qui non inter homines, ſed inter beſtias agreſtes ſibi conſtruere habitationes fama vulgante referuntur. Hæc ad notitiam cujuſdam divitis nomine AUSTRESII, qui in prædio ſuo quod ex nomine illius vocatur Auſtreſii-curtis*, per id tempus morabatur. Is denique cùm audiſſet homines barbaricæ gentis ſilvam, quæ jure hereditario à ſe poſſidebatur, introiſſe, ſibique in ea manſiunculas præciſis arboribus conſtruere, mandavit eis dicens, non eſſe æquum aliena invadere; eſſeque ſuperbæ temeritatis & audaciæ in non ſuo velle habitare: recederent potiùs velociter, ne ibi periculum incurrerent exitiale, ubi ſe putaverant habitationem tutiſſimam reperiſſe. Quæ cùm viro Dei nuntiata fuiſſent, parvi pendens minas hominum, opus noluit deſerere inchoatum. Cujus conſtantiam nuntiis domino ſuo referentibus Auſtreſius veſanæ mentis furiis exagitatus, miſſis ſatellitibus juſſit eos flagellis cædi, & cum magno dedecore de ſæpedicta ſilva expelli.

Ab Auſtreſio malè habitus.

* Autrecour

Romam pergit.

5. Quod cùm miniſtri diaboli perpetraſſent, & paupères Chriſti contumelioſis affectos injuriis extra limites ſilvæ illius expuliſſent; cernens vir Domini ſe ſuoſque ſodales omni humano ſolatio deſtitui, reperto ſalubri conſilio peregrinationis laborem denuo aggreſſus, ad limina Apoſtolorum pervenire cupiens, Romam pergit, ibi eorum obtentu imploraturus per divinæ voluntatis judicium, quonam in loco ſuæ peregrinationis aliqoando poſſet figere gradum. Poſt cujus diſceſſum impius Auſtreſius cæleſti plaga percutitur, liberis orbatus, animalibus cunctis ac pecudibus innumeris ſervorumque & ancillarum numeroſitate privatur; ſuper hæc quoque gravi corporis languore invaditur, cujus continuis doloribus noctes dieſque inſomnes ducere cogitur. Interea almus Dei Sacerdos Chraudingus Romam perveniens, ibi ante ſacratiſſimam Apoſtolorum præſentiam fuſis precibus ſpiritu Sancto revelante reſponſum accepit, ad Gallias iterum ſibi proficiſcendum fore, & ad locum dilectæ ſolitudinis, de qua expulſus fuerat, reverti debere. qua revelatione ani-

Auſtreſio cælitus caſtigato,

Bellumlocum redit.

CIRC. ANN. DCLXXX SEPT. XVII.

matus ad Gallias iterum reflexit, tandemque ad viculum qui Rieſſonis vocatur, diſtans à Monaſterio ſexdecim milibus, pervenit.

Fontem elicit.

6. Eo tempore ariditas magnæ ſiccitatis fines occupaverat illius regionis. Cumque vir ſanctus ſuper fontis cujuſdam marginem reſediſſet, & panis edulio hauſtuque aquæ corpuſculi laſſitudinem refocillare deſideraret; nulla aquarum copia inibi potuit reperiri, unde aviditas potandi in ſitiente valeret exſtingui. Tunc converſus ad Dominum, de fonte miſericordiæ ſuæ aquas ſibi perfundere oravit, & virgam quam manu geſtabat, ſolo fixit. Mira res! mox fons ab imo terræ ebulliens proſilivit, & aquas copioſiſſimas in amnem derivavit. Ad cujus facti ſpectaculum dum occurrerent univerſi, matrona cujus ditioni reditus famulabatur ipſius fundi, inter ceteros affuit: cum qua vir ſanctus conventione facta, cùm ſibi nihil adeſſet pretii, divinæ largitatis munificentia in prædicto fonte tantum reperit pondus auri, quanti animadverſum eſt per illud poſſe appretiari. & mox ab ea in conſpectu omnium ædificandæ eccleſiæ primordiale incrementum ſuſcepit poſſeſſionem ipſius fundi.

Fundum emit.

Ægrotam ſanat.

7. Talibus propalatus oſtentis, dum ubique vulgaretur, quædam vidua apud prædiolum ſuum, quod Argiſivilla dicitur, gravi ægritudine detenta, ſuppliciter mandavit, ut ſe viſitare dignaretur. Ad quam mox ut vir Dei ingreſſus orationem pro ea fudit, à lecto ægritudinis incolumem erexit. quæ collati non ingrata beneficii, confeſtim medico ſuo tradidit in hereditatem poſſeſſionem ipſius fundi.

Auſtreſius ab eo ſanatus, ipſi dat ſilvam.

8. Hæc & his ſimilia eo agente, non defuerunt qui Auſtreſio Principi diutino languore attrito ea ſtuduerunt narrare. Ille mente conſternatus, quòd ipſum eſſe didicerat, quem à ſaltu flagellatum præceperat expelli; inter ſpem tamen & metum poſitus, ut ſe inviſere dignaretur humiliter mandavit. Vir autem patientiſſimus immemor injuriarum ad eum properare non renuit, & confitenti crimen quod in ſe commiſerat, benignè indulſit: nec mora à Domino ut ſanaretur obtinuit. Ille ne curatori ſuo ingratus exſiſteret & immunis; ſilvam de qua eum indecenter expulerat, perpetuò poſſidendam contradidit. Non longè autem germana ejuſdem Auſtreſii, nomine BAVA, in prædio ſuo, quod Bonna dicitur, diſſolutione membrorum debilis tenebatur. ad quam rogatus mox ut vir ſanctus intravit, priſtinæ eam reſtituit ſanitati, & ipſum nihilo minus prædium ab ea perpetuò habendum ſuſcepit.

Bava prædium.

Bellilociſ Cœnobium perficit Rodingus.

9. His peractis ad dilectæ ſolitudinis locum cum gaudio repedat, & cum ſociis undique in adjutorium concurrentibus plurimis cœptum opus conſummare accelerat. Conſtruitur in honorem ſancti Salvatoris ſanctique Mauricii Martyris & ſociorum ejus Monaſterium, quod in brevi collatione Fidelium non parum eſt locupletatum. Et quia monaſticæ religionis nomen novum & quaſi ignotum adhuc in illis regionibus babebatur; multi non ſolùm mediocres & pauperes, ſed & nobiles & divites lucra ſpernentes ſæculi labentis, nudi evadentes naufragium mundanæ cupidinis, appulerunt portum Monaſterii & quietis.

Româ privilegium refert,

10. Cernens ergo vir Deo plenus idem Cœnobium neceſſariis rebus non mediocriter cumulatum, dignum duxit illud Sanctorum pignoribus inſigniri, & privilegio Romani Pontificis roborari. Quapropter longiſſimum, ſed feliciſſimum iter aggrediens Romam pervenit, cauſam propter quam ierat, Papæ innotuit, ſumtoque pro libitu ejus auctoritatis ſcripto ad Gallias velociùs greſſum reflectit. Tranſſcenſis igitur Alpibus pervenit ad locum cui antiquitas nomen indidit Agaunum; ardenſque deſiderio adipiſcendi reliquias Martyrum accerſiri fecit loci Præpoſitum, cui omne animi ſui ſecretum aperit, & ut ſuis votis faveat ſuaſibilibus verbis allicit, atque in recompenſatione pondus pecuniarum excedens numerum repromittit. Conventione igitur utrimque

Agauno reliquias.

Circ. an. DCLXX Sæc. XV.

firmiter habita, nocte ſequenti ad priùs notatum multa curioſitate glorioſiſſimi Martyris Mauricii accedit uterque ſepulcrum: ſumenſque de pera quod inæſtimalis theſauri venditor popoſcerat pretium, os brachii à cubito, quicquid uſquam eſt gemmarum vel auri pretioſius, recepit; moxque imperat ſuis fugam accelerare, & in eundo nullam moram facere. Cumque lætitiæ magnitudine infatigabiles acceleratione viæ jam Monaſterio propinquarent, undique confluentibus populorum catervis cum magno gaudio excipiuntur, & ſub oculis omnium vir beatus pretioſiſſimas reliquias egregii Martyris Mauricii in loco eodem collocat, patrocinioque ejus & nomini & priùs adquiſita, & pòſt adquirenda perpetuò tradidit & commendat.

Child. favente tinet privilegium villam.

11. Itaque Procerum larga liberalitate vel pecuniarum in coemtione poſſeſſionum profuſione uſque ad ſeptingentos ſeptuaginta manſos excreverat fundatæ noviter incœptio Abbatiæ: quas nimirum res, ne poſtmodum à miniſtris diriperentur iniquitatis, conſilio habito regalis Præcepti auctoritate confirmari conſtituit. Adito ergo glorioſo CHILDERICO, qui tunc temporis Francorum obtinebat regnum, ipſius clementiâ voluntati ſuæ implorat tribui effectum. Jungunt precibus ejus preces diverſæ Palatinorum poteſtates, quorum ſanctitatis ejus fama occupaverat aures. Favore ergo omnium uſus, non modò quod petebat obtinuit, verùm etiam largitione Principis villam quamdam Ermeriacam nuncupatam, accepit, quam ei Rex Præcepto delegavit, & ipſam Abbatiam ſua regia defenſione munitam, ab omni prorſus externo ſervitio liberam & immunem eſſe conſtituit, reſervato Virdunenſium Pontifici, cujus diœceſi continetur, reſpectu ſacrorum Ordinum & benedictionis. Compos igitur voti ad Monaſterium vir Dei venerabilis rediit, & de boni gregis augmento exſultans curam agebat filiorum, ſub tanti Patris vigilantia, partim ex circumjacentis regionis finibus, partim ex tranſmarinis confluentium, præſentiam ipſius deſiderantium patriæ ac generis ejuſdem Scotorum.

Seceſſum petit, & alium Abbatem ſubſtituit.

12. Compoſitis igitur quæ Fratrum neceſſaria videbantur utilitati, cernens ſibi quiddam ſubtrahi perfectionis, dum animo circa multa occupato & terrenis implicato negotiis, minùs theoricæ vitæ intenderet dulcedini; convocatis Fratribus ſui voti deliberationem aperuit, quòd ſcilicet vel in ultima ſenecta in ſolitudinem vellet ſecedere, ut ab humano conſortio remotus liberiùs poſſet in divina contemplatione oculum mentis figere. Erat autem ejuſdem congregationis Monachus quidam STEPHANUS nomine, plus ceteris religioſæ deditus vitæ, ac regularis diſciplinæ inſignitus vigore. Hunc itaque cum conſenſu Fratrum eis Patrem præfecit; & uno comite contentus egreſſus à Monaſterio, receſſit in locum horroris & vaſtæ ſolitudinis, & deinceps habitavit ſecum. Verùm longiùs à Monaſterio non receſſit: ſed inter opaca ſilvarum latitans, (incertum quippe eſt ubinam habitaverit) miliario ſolùm dimidio diſparatus manſit ab illo. Diebus etiam feſtis ad Monaſterium recurrere conſueverat: ibique Miſſarum ſollemnia peragens, ac Fratribus ſpiritualis alloquii pabulo refectis ad ſqualorem ſolitudinis remeabat. Noctibus inſuper locum reviſere ſolebat, ut ſi quid actitari negligentius inveniret, corrigeret. Cumque circa pullorum cantum vel ad intuitum Arcturi ſeu ortum Boſphori ſeu ceterorum ſiderum diem nuntiantium, (erat enim, ut ſunt plurimi nationis Scotorum, Aſtrologiæ peritus) auroram propinquare ſentiret, à nemine viſus in ſolitudinem redibat in pſalmis, hymnis, canticis ſpiritualibus perpetuans terris invitus, deſiderio cæli civibus jam admixtus.

Quid ibi egerit.

Morti proximus ſuos conſolatur.

13. Igitur cùm jam Dominus famulum ſuum à tam laborioſo certamine vellet quieſcere, & ad bravium ſupernæ vocationis admittere, viribus corporis cœpit deſtitui, & immanitate febrium graviter vexari. qui accerſito diſcipulo juſſit, ut dilecto filio ſuo Abbati STEPHANO id nuntiaret, & ipſe cum Fratribus ad exitum ſuum Domino commendandum properaret. quibus concurrentibus & in præſentia Patris ſuper humum cilicio tantùm ſub-

Circ. ann. DCLXXX Sept. XVII.

ſtrato jacentis, adſtantibus indicat ſe jam reſolvi, & à convalle peregrinationis ad patriæ cæleſtis gaudia à Domino invitari. Quibus auditis filii mæſtitia intolerabili flere cœperunt ſuper diſceſſum amantiſſimi Patris. Ille verò quantum poterat, ne pro ſe fletus emitterent inhibebat, quin potius ſibi ad patriam revertenti ut congratularentur admonebat: ſimul etiam docebat mortem iſtam corporis Sanctis non eſſe timendam, ſed magis appetendam, per quam Chriſto inbæſuri tranſitum faciunt de morte ad vitam. Diſſolvi enim & eſſe cum Chriſto multo, inquit, melius, quàm prolongati incolatus mei quotidie affici angoribus. Cúmque eum inter amariſſimas lacrymas Fratres rogarent, ut dum adhuc viveret, ad Monaſterium ſe ſineret referri, quò neceſſaria ejus funeri liberaliùs poſſent provideri; Domini, inquit, eſt terra & plenitudo ejus. nec enim locus juſtificat, quem conſcientia peccati condemnat. Hic ergo mihi erit terminus vitæ præſentis, hic ingreſſus, Domino reſerante, vitæ ſubſequentis. Vos autem obſecro, ut diligenti ſtudio corpus meum condatis in tumulo, ut & vos præceptorum Domini memores excipiat Sanctis in cælo promiſſa requies.

Viatico munitus obiit.

14. Inter hujuſcemodi verba deficiente virium valitudine intelligens, ſe mox receſſurum de corpore, Viaticum petiit: atque dominici corporis & ſanguinis patticipans communione, fixis in terram genibus, tenſis ad cælum manibus, piorum pro ſui exitus exſpectatione reſponſorium cœpit canere, pſalmorum concentus modulanter & inconfusè ceteros, quia voce non poterat, ſigno manus admonere. Hujus ultimi laboris intentionem perpetuans, decidentibus ab altitudine cæli manibus, cunctis artubus ad occaſum vergentibus, inter manus ſuſtentantium, inter lacrymoſa ſuſpiria filiorum, decimo quinto Kalendas Octobris animam vinclis carnei carceris exemtam, mercibus plenam felicibus, reddit Chriſto [a] bonis inhæſuram perennibus. Celebratis quas ordo eccleſiaſticus docet funeralibus exſequiis, arreptum cadaver exanime humeriſque ſuperpoſitum cum pſalmis, hymnis & canticis ſpiritualibus ad Monaſterium uſque deportant, & ante aram ſancti Johannis Evangeliſtæ, ut ipſe adhuc vivens mandando petierat, & petendo præceperat, cum debita veneratione in defoſſum ſepulcri deponunt locum: ubi præſentibus & futuris indubitata fide quærentibus ejus patrocinii beneficia præſtantur, largiente & cooperante Domino noſtro JESU-CHRISTO, qui cum Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat ante ſæcula & nunc & ſemper Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

[a] Quo anno, haud liquet. Cùm verò privilegium obtinuerit a Childerico Rege, qui anno DCLXXIII aut inſequenti regnare ac vivere deſiit, facilè ad annum DCLXXX pervenire potuit.

VITA SANCTI MADELGISILI CONFESSORIS ET EREMITÆ IN PONTIVO,

Circa ann. DCLXXXV Maii xxx.

Auctore HARIULFO Monacho Centulenſi ineunte ſæculo XII.

Ex mſ. codice Centulenſi.

OBSERVATIO PRÆVIA.

QUi *Chronicon Centulenſe quatuor libris digeſſit* HARIULFUS, *idem etiam libellum ſcripſit de geſtis S.* MADELGISILI * *Confeſſoris, qui primùm ſub S. Furſei diſciplina, dein Centula Monachus, inde ſeceſſum petiit Monaſterioli* * *ad Alteiam fluvium, ubi ſupremos vitæ dies abſolvit. Fuit verò Hariulfus & ipſe Monachus Centulenſis, pòſt Abbas Aldemborgenſis tertius, uti in ſuo ipſe epitaphio teſtatur, quod relatum eſt in tomo 1 veterum Analectorum. Monachum induit Centula ſub Gervino Abbate ejus nominis ſecundo, cui ſequentem libellum dedicavit. Gervinus porro ſecundus alterius erat nepos, ſed moribus longè diſſimilis, idemque Ambianenſis Epiſcopus: cui Urbanus ſecundus Abbatiam Centulenſem abſtulit in Concilio Claromontenſi. Hæc conſtant ex Chronico Hariulfi, qui ſub Anſchero Abbate nonnulla huic Vitæ addidit à capite 16. aut certè aliquis alius. Anſcheri elogium metricum præfixum erat initio ejus Vitæ, quam ex mſ. codice Centulenſi Chronicon Hariulfi continente eruimus. Plura de Centulenſi ſeu S. Richarii Cœnobio diximus in Sæculo ſecundo ad Vitam S. Richarii Abbatis, & in quarti tomo 1, ubi de S. Angilberto Abbate. S. Madelgiſili Vita hunc habet titulum in codice mſ.*

Hariulfus Auctor.
* S. Maguille.
* Monſtrelet

IN NOMINE CHRISTI SALVATORIS.

INCIPIT PRÆFATIO VITÆ SANCTI CONFESSORIS MADELGISILI.

DOMINO *dilectiſſimo Patrique ſpiritualí amore complectendo* GERVINO *ſanctæ Sedis Ambianicæ Epiſcopo, necnon almifici Centulenſis Cœnobii Rectori, veſtri gregis ovicula, utinam idonea,* HARIULFUS, *ſalutem & ſinceram obedientiam.* Seniorum qui de tempore venerandi Abbatis ANG[illegible]LRANNI [a] uſque ad noſtra tempora perſtiterunt, multimodo relatu didici quædam narratione digna, quæ ad poſterorum notitiam memoriæ ſtudioſe commendavi, ea ſcilicet, quæ de Sanctis apud nos quieſcentibus geſta ferebantur, quorum geſtorum ſeriem antiquorum nihilo minus ſtudioſa relatio not[illegible] poſterorum tradiderat. Inter quæ omnia Fratres dele[illegible] audite & no[illegible] de beato Confeſſore MADELGISILO ab antiquis temporibus apud nos qu[illegible], qu[illegible] fuerit, qualiter Domino omnipotenti deſervierit, & quomodo vel quando [illegible]um corpus ejus ad locum Centulenſem delatum ſit, & ibi collocatum, [illegible]t & quantis miraculorum ſignis à

Hariulfus audita narrat.

[a] Ingelramnus, cognoment[illegible] api[illegible], [illegible]entulenſi [illegible] regnante Roberto Rege, laudatus ab Hariulfo in Chron[illegible] p., & [illegible]

C. C. A. N. DC LXXXV MAII XXX. Domino ſit glorificatum [illegible] quorum deni[illegible] [illegible] elatu q[illegible] adſpectu notitiam certam [illegible] p[illegible] [illegible] ſæcula [illegible] quidò cognovimus, & innumera [illegible] les [illegible] mus, qui n[illegible] ditu, ſed ipſo viſu præſentialiter [illegible] percep[illegible] [illegible]. Igitur cari[illegible] rum Fratrum deſideriis ſatiſ[illegible] [illegible] att[illegible] [illegible] ere, ad hon[illegible] Dei & reverentiam ipſius San[illegible], necnon ad ut[illegible] po[illegible]m, ea [illegible] nobis frequens ſeniorum relat[illegible] de eodem Sancto [illegible] [illegible] ndi offi[illegible] annotamus, ne per noſtram inertiam ſollertia futur[illegible]um tantæ rei notitia de[illegible]fraudari videatur.

INCIPIT VITA
SANCTI MADELGISILI CONFESSORIS.

CAP. I. Furſeus ex Hibernia venit in Galliam. FRANCORUM regnum tenente LODOVEO filio DAGOBERTI, & Auſtraſiis regnante SIGIBERTO æquè filio Dagoberti, [illegible] Domini ſanctus Furſeus ab Hibernia ortus, & ibidem ſignis [illegible] tutum & notitia revelationum mirificatus, ex divina juſſione natale ſolum reliquit: Britanniam quæ Anglia nuncupatur, pertranſiens, in partibus Germaniæ appulit, ubi videlicet præfatus Rex Sigibertus [a] eumdem ſanctum virum magno cum honore & gaudio excepit, magnoque affectu cum retinere geſtiens, quæque loca monaſticæ vitæ congrua illi offerebat, quatinus eo modo in locis ſui regni delectaretur morari. Sanctus autem Furſeus per ſpiritum ſentiens nequaquam ſe in illis locis permanere debere, regiis tamen petitionibus vel ex aliquanto cupiens obedire; rura quæque ſibi oblata circumiens, & divini verbi prædicationibus ubique ferventer inſiſtens, locum tandem gratum reperit, ubi cum Dei gratia & prædicti Regis juvamine Cœnobium inſigne conſtituit, & ſervorum Dei multitudine ſufficienter implevit. Cœnobiũ condit. Nam ejuſdem ſancti viri prædicationibus multi ex eodem regno ad fidem & dignos pænitentiæ fructus propemodum accendebantur; ex quibus aliqui majori devotione ſubnixi, ad meliora divinæ ſervitutis ſtudia certatim properabant, ut cuncta mundi inpedimenta fugientes efficerentur Monachi.

II. Madelgiſilus ab eo inſtituitur. Inter quos fuit quidam nomine MADELGISILUS alti generis proſapia genitus, & quod majus eſt atque beatius, in divina præſcientia electionis gratia præſcriptus. Hic beati Furſei adhærens prædicamentis, & congaudens ſanctitatis ejus exemplis, decrevit comes fore indiſſociabilis operum & viarum ejus, ut mereretur eſſe particeps meritorum & præmiorum illius. Itaque, ſanctus Furſeus perfecta ædificatione atque inſtitutione prædicti Cœnobii & commiſſo regimine ipſius loci cariſſimo fratri ſuo beato Abbati ULTANO, necnon requiſita & accepta Sigiberti Regis licentia, aſſumtis etiam ſecum diſcipulis, occidentalem Galliam quæ poſt modum Francia dicta eſt, adire del[illegible]ravit, in qua jam cælitus erat præfixum, illum terreno corpore [illegible] que Franciam exempſis & meritis illius ex divino decret[illegible]. Hujus itineris comes individuus vir Domini Madelgiſilus [illegible] [illegible]to Furſeo civitates & regiones pertranſiit, famem, ſitim, vi[illegible] [illegible]e labores ſuſtinuit, orationes & pſalm[illegible] [illegible] pr[illegible] cum magiſtro, exercuit; prædica[illegible] etiam & abſtin[illegible]æ p[illegible] im[illegible]ator inolevit. Ejus itineris comes.

III. Eo mortuo Centulam ſe recipit. Poſtquam verò vir Domini [illegible] Furſeus [illegible] fue[illegible], terrena mole relicta in pago [illegible]ivo loco, voca[illegible] [illegible] ſi[illegible] [illegible]

[a] Falſus eſt Hariulfus, æquivocatione nominis. Neque enim Furſeus à Sigeberto Auſtraſiæ Rege acceptus eſt, ſed à Sigiberto Saxonum in Britannia inſula R[illegible] A[illegible] Saxonum [illegible] M[illegible]; à Furſeo co[illegible] op[illegible]

ri reddidit Spiritum, & ſacrum corpus ejus ab inclitis viris HAYMONE Duce & ARCHENOLDO Præfecto Perronam delatum eſt & ſepultum; beatus Madelgiſilus vehementi angore pro amiſſione cariſſimi magiſtri cœpit affligi, &, utpote advena atque locorum ignarus, cœpit æſtuanti ſtudio inquirere, ſicubi eſſet locus monaſticæ vitæ ſtudiis inſtitutus, ubi Domino adhærere poſſet, contemplativoſque carpere fructus. cui talia perquirenti continuò innotuit, celebre nomen Cœnobii Centulenſis à beato Patre Richerio jam olim tota ſanctitate & juſtitia collocati, & corporis ejus exuviis ſacroſanctis hactenus mirabiliter ac diviniſſimè exornati: in quo etiam Monachorum cœtus Deo acceptus regulari tramite ſtrenuè militabat, & divinæ juſſioni in ſpiritus paupertate totis niſibus parere inſiſtebat. Ad hunc ergo locum prædictus famulus Dei tota aviditate convolavit, & ſanctorum Fratrum beatæ concioni ſe admitti religiosè expetiit, religioſius impetravit. Invenit ſanè ibi veros Iſraëlitas, ſpiritualem Ægyptum toto animo fugientes, & cæleſte manna totis votis ambientes, puræ vitæ Monachos, totius abſtinentiæ & humilitatis virtute armatos. Horum beatiſſimæ ſocietati ſe ferventer connectens ſervus Dei Madelgiſilus, & de die in diem ad meliora ſe extendens in timore Dei valdè proficiebat, ac de virtute in virtutem ire aſſiduè contendebat.

Circ. ann. DCLXXXV Maii XXX.

Florebat per id temporis Francorum res publica ſub Rege LODOVEO IV.
Dagoberti filio & BALTILDE venerabili Regina, quæ poſt mortem viri ſui prælati Lodovei Monaſterium Corbeienſe conſtruxit. Cœnobium quoque Gemmeticum, inſtante beato Philiberto, in territorio Rotomagenſi conſtruxit, ac per alia loca ad conſtruenda Cœnobia regalem munificentiam profusè adhibuit. Monaſterium ergo Centulenſe antiquitate & religione ceteris ſacris locis præminebat, & miraculorum ſignis quotidie ad tumulum beati Richarii divinitus clareſcebat. quæ dum Fratres aſſiduè perſpicerent, quaſi radiis divini amoris medullitus inflammabantur. Sciebant enim quoniam artam & anguſtam viam viriliter ſectando, & contra hoſtem antiquum alacriter decertando, ad tantam meritorum gratiam beatus Confeſſor Richarius excreverat, ut ad ejus merita declaranda tot & tanta Chriſtus Dominus oſtenderet miracula, quæ dum fierent, multiplici laude pollebant: dum Chriſto Domino honorem & gloriam, Confeſſori ejus laudis reverentiam, cernentibus quoque imitandi deſiderium, & debilibus præſtarent ſoſpitatis gaudium.

Sub Chlodoveo & Balthilde,

miracula fiunt Centulæ.

Hæc, inquam, divina miracula multum beato Madelgiſilo circa Dei cultum V.
inſpiraverunt ardorem, multam in corde ejus divinæ dilectionis flammam ſuccenderunt, multam ad contemtum mundi in ejus præcordiis efficaciam genuerunt. qui cùm aliquanto tempore in divinis exercitiis ſpiritualem militiam in hoc Centulenſi Cœnobio peregiſſet, & à ceteris Fratribus pro honore ſanctitatis venerabilis haberetur; cernens ſibi officere impenſam à Fratribus reverentiam, & cupiens artiorem remotamque arripere vivendi formulam; cum magna humilitate expetiit, ut liceret ſibi remotum & quietum locum perquirere, quò divinis laudibus ſecuriùs atque profuſiùs quiviſſet incumbere; orationibus quoque & lacrymis ſine ſtrepitu valeret invigilare, ac divinis obtutibus ſe mortificando ſemper purgatiorem exhibere. quíque quod devotè expetiit, gratuita Fratrum benignitas ei cum magna dulcedine conceſſit, quippe qui fraternis provectibus neſcirent invidere, ſed potiùs congaudere. Adeptus etenim deſiderium, licentiam ſcilicet pergendi ad eremum, cœpit ſummis precibus ac lacrymis impenſiùs flagitare, ut immenſa Chriſti pietas ei locum talem dignaretur demonſtrare, ubi in ſpiritu humilitatis & in animo contrito divinis obtutibus valuiſſet aſſiduè laudis ſacrificium immolare.

Madelgiſilus ſecedit in eremum.

Ad quod impetrandum, aſſumſit laborem majoris jejunii, ſtudium prolixæ VI.

Circ. ann. DC LXXXV Maii XXX.

cælitus præmonſtratum.

orationis, pſalmorum diuturnam decantationem, ſeniorum quoque ſpiritualium expoſtulavit orationes: ut ſuperna gratia illi pandere dignaretur, quonam in loco ſortiretur dominici ſervitii ſolitariam ſtationem. Cui talibus inſiſtenti apparuit per ſoporem Angelus Domini, & educens eum dixit: Sequere me, & cautiùs attende quem tibi monſtravero locum, in quo tu deinceps dominicum expleas ſervitium. His dictis ante illum cœpit ire, & per diverſa loca illum circumducere, donec pervenit ad cælitus decretam ſtationem, ubi figens gradum ait famulo Dei: Hîc requies tua in tempus præfixum, hîc habitabis, & hîc debitum de corpore ages tranſitum. Poſt hæc dicta diſparuit, & famulus Dei ad ſe reverſus intellexit quid vidiſſet: & proſternens ſe cum lacrymis egit gratias Deo pro inenarrabili dono ejus.

VII. Sequenti diluculo expletis hymnorum obſequiis, convocat majores de Fratribus, & per ordinem refert viſionem. Illi ut verè ſine dolo ſervi Dei exſultant, & immenſas Creatori grates perſolvunt: ac deinde maturant opus perficere, quo nulla mora tantum divinæ bonitatis indicium potuiſſet intricare. Eliguntur Fratres ex præcepto Abbatis qui eum deducerent; apparantur utilia quæ Chriſti militi forent neceſſaria: quibus rite præparatis, procedit fortis athleta ad ſingulare certamen. Deductus autem per quæque loca, ubi ad oſtenſum locum pervenit, mox ex intimo ſapore quòd is eſſet ſibi divinitus prælectus locus, recognovit, adamavit, apprehendit: & primò omnium procidens in orationem, lacrymis madefactus ad quod venerat, mox inchoavit. Fratres verò qui eum conduxerant, tamdiu cum illo permanſerunt, quoúſque cellula erigeretur & oratorium, ubi Chriſti miles ſuo Regi debitum impenderet famulatum. Quibus ad legem eremi rite compoſitis reverſi ſunt ad caſtra cæleſtis exercitii.

VIII. Eremiticus

Servus itaque Chriſti Madelgiſilus ſolus remanens & remotus, ſtuduit omni fervore divinis laudibus & canticis inſiſtere, orationibus, & vigiliis attentiùs incumbere, mala mundi, tamquam ſua eſſent, aſſiduis fletibus expiare; optans omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire. Eſt autem locus ipſe in pago Pontivo * circa fluvium Alteiam * ſitus, aquæ prolapſu & ſilvarum opacitate circumdatus, & ad Deo ſerviendum liber valde & quietus, vocabulo Monſtroledus [a]. Aqua verò ejuſdem alvei interjacente paluſtri mollitie inacceſſibilis erat, unde & labor importabilis ad aquam hauriendam Dei famulo accidebat. Unde totis niſibus converſus ad Dominum, orabat ſupernam majeſtatem, ut illi auferret tantam hauriendæ aquæ difficultatem: & proſtratus humi lacrymas fudit cum precibus, ut aquæ ſubſidium conferret illi omnipotens Deus. Sentiens quoque in ſpiritu ſe à Domino velociter exaudiri, poſt orationem fuſam ſurrexit, & duriſſimo cæſpiti ſignum crucis appoſuit. Mox etenim vena aquæ lympidiſſimæ ibidem ſe aperiens clarum fontem evomuit, qui in devexi montis ſubjacente modica & pendula planitie ebulliens, ad alveum Alteiæ ſeu maternum ſinum recurrit, ſed in ſuo decurſu copiam hauriendi omnibus attribuit. Hic idem fonticulus cæleſti medicina refertus diverſos languores ſuo hauſtu expulit, quod & modò nullus fieri ambigat, niſi infidelitas id petentis impediat.

* le Ponthieu

* l'Authie

Ibi fontem impetrat.

IX Centulenſes ægrotanti ſubveniunt.

Igitur in omni ſanctitate & nimia ſimplicitate ſerviens Deo ſine interpolatione, & permanens in aſſumta tam ardui propoſiti auſteritate, poſt aliquot annorum curricula infirmatus eſt corpore languore valido, non tamen impeditus à divino ſervitio: & putans ſe jam reſolvi, cœpit in Dei opere eſſe tam ferventior, quàm exſpectata felicitas jam foret propinquior. Mox etenim Abbati Centulenſium apparens Dei Angelus, monet & imperat ut viſitetur in eremo Dei ſervus, & impendatur ei ſolatium, ne deficiat ad Chriſti ſervitium. Surgit Abbas feſtinanter, aſſumtiſque de Fratribus quos elegit, incumbit & accelerat Dei ſervum inviſere, quem compererat cæleſtibus excubiis

a Monaſteriolus dicitur in Hariulfi lib. 3 cap. 29. vulgo *Monſtrelet*

Circ. ann. DCLXXXV Maii XXXI

non carere. Venerunt itaque in eremum præſatam ad habitaculum viri: inveniunt ægrotum, orant, pſalmos canunt. Inde præmiſſa benedictione ſalutant illum in oſculo ſancto, ac deinde proferunt quæ ad uſum ejus detulerant ex cæleſti mandato. Præ gaudio autem de illorum adventu in tantum ſervus Dei exhilaratus fuit, ut totam languoris gravedinem protinus oblivioni dederit. Relinquentes ergo ei Fratrem qui ejus ſolitudini ac imbecillitati ſolamen præberet, redierunt ad clauſtra, extra quæ diutius commanere nullatenus proficeret.

X. S. Vulganius medetur.

Per idem ferme tempus fuit in Britannia majori vir Deo placitus genere & ſcientia inſignis WLGANIUS [a], qui dum eſſet ad arcem Epiſcopatus Dorovernenſium civitatis, quæ Cantuaria nuncupatur, prælectus, & ſentiret ſibi obeſſe tanti culmen honoris, utpote qui in paupertate & extremitate Deo ſervire maluerat; rogavit Dominum, ut tale ei conſilium præberet, quò de vinculis tantæ prælationis abſolvi, & divinæ ſervitutis officio quàm maximè valuiſſet implicari. Talia deprecantem, taliaque deprecando frequentantem, reſpexit qui humilibus dat gratiam, de quo ſcriptum eſt: *Deſiderium pauperum exaudivit Dominus*: nempe cæleſtis nuntius ei aſſiſtens, conſilium quod quærebat, eidem intimavit, dicens: Feſtinus tranſi mare verſus Galliam, & applicabis in Alteiam, ſupra quam quidam Dei ſervus habitat, ad quem tu velox abibis, & ex Dei mandato à ſua infirmitate illum ſanabis, ac deinceps in Dei ſervitio cum illo ſocialiter permanebis. Percepto hoc oraculo beatus Wlganius continuò exivit ad urbem, & arripuit iter ducens ad mare. Invenit autem nutu Dei naviculam, in quam mox intravit, Chriſtum invocans, & de Dei præſentia non diffidens. Statim navicula fluctibus elevata ſine humano remigio per maria in directum cucurrit, & angelico ductu ad portum Alteiæ velociter pervenit; indeque oram legens uſque ad habitaculum Dei ſervi contra impetum fluminis navigando pervenit.

XI.

Egreſſus de navicula & intrans ad famulum Dei æquè Dei ſervus Wlganius, mox orationi incubuit, qua completâ manus ſuas ægroto impoſuit; & continuò languore depulſo ſanitas redire incœpit. Beatus etiam Madelgiſilus lento conamine exſurgens in ejus complexum ruit, & ſic ſe invicem mutua dilectione complexi ſunt, acſi uterini fratres poſt longa terrarum vel locorum ſpatia in unum conveniſſent. Fuerunt ergo iſti duo venerabiles viri fide & devotione conjuncti, ſpirituali gratia confirmati, ad inſtantiam divinæ laudis unanimiter animati, ad vitia calcanda fortes, in contemtu ſæculi alacres, ad quæſtum virtutum avidi, ad impendenda beneficia promti. Et quoniam nec ſenſus excogitare, nec lingua valet eorum virtutes proferre; qualiter, auctore Deo, tanti pretii margaritæ in hujus mundi exſilio elimatæ ad cæleſte ſertum tranſmiſſæ ſint, jam nunc propalare aggrediamur.

Simul convivunt.

XII. Vulganius morbo correptus,

Conſequenti tempore ut placuit ſupernæ providentiæ, jam expleto curſu fragilis hujus vitæ, accidit corporalis ægritudo famulo Dei Wlganio. quo ægrotante beatus Madelgiſilus ſatis ægrè ferebat ſodalis moleſtiam: & aſſiſtens ei cum ſingultu querebatur ita dicens: Ergone, frater mi, ad hoc veniſti, ut me relicto in convalle lacrymarum, tu feſtines ad conſortium gaudentium animarum? ego certè ſperabam à te corpore humi, ſpiritu Chriſto commendari; & nunc affectas hinc velox recedere, ut ante me ſpiritu cælum, corpore terram debeas penetrare? Cui ſanctus Wlganius aiebat: Suſtine quæſo patienter, frater beatiſſime, & Dei voluntati in nobis libenter adquieſce. Nam quid proderit tota vita in obedientia præceptorum Dei ſudaſſe, ſi circa finem noſtrum is qui calcaneum obſervat, rebelles ac murmurantes valuerit invenire? Nec durum patiaris, quòd ad tempus te relinquo: quoniam mox ut faciem Dei videro, pro te ut hinc eximaris, ſupplicare non ceſſabo.

[a] Vulganium in catalogo Epiſcoporum Dorobernenſium fruſtra quæras. & tamen id etiam legi in S. Vulgani Actis mſſ.

Circ. ann. DCLXXXV Maii XXX.

His beatus Madelgiſilus ad modicum recreatus, miniſtrum ſuum dudum ſibi ab Abbate delegatum ad idem Monaſterium feſtinanter tranſmiſit, mandans Fratribus, ut infirmum cohabitatorem ſuum quantocius viſitarent; & quicquid ad viaticum decedentis pertinet, eidem miniſtrarent. Mox audito hoc mandato ad omnia bona efficaces & prompti Centulenſes Monachi, ſub omni celeritate venerunt, oleo ſacro ſervum Dei perunxerunt, communionem dominicorum myſteriorum tradiderunt, & ſic ſanctam illam animam IIII Non. Novembris de corpore egreſſam pſalmis ac lectionibus proſecuti, corpus demum condignæ ſepulturæ in oratorio [a] tradiderunt. Nec longo poſt temporis ſpatio ſanctus Madelgiſilus ſuperfuit, quin potius plenus dierum bonorumque operum ad gaudia Sanctorum tranſmigravit accipiens coronam de manu Domini, & reddens terræ corpuſculum juxta ſepulturam ſui quondam ſodalis Wlganii in eodem loculo oratorii ſui. Dies autem natalitius hujus viri Dei ab antiquis traditur III Kal. Junii ad laudem & gloriam nominis Chriſti.

Unctione & Viatico munitus obit.

Madelgiſilus item moritur.

XIII. Multis autem poſtea effluentibus annorum curriculis tranſlatum eſt corpus beati Madelgiſili ad Cœnobium Centulenſe in eccleſiam beati Richarii, & ibi requieſcit, ubi ſcilicet divinæ laudis ſonus [b] non deſiſtit, & ubi multa continentur corpora animarum quæ cælo vivunt. Inter quæ cum tempore Abbatis [c] INGELARDI idem Chriſti Confeſſor honorificè fuiſſet collocatus, cœperunt quidam ex Monachis quadam ſtoliditate permoti dicere, quòd indignum eſſet illius hominis venerari oſſilla, cujus ignorabant vitam vel geſta. necdum enim lucida ejus opera ſcripturæ tradita, necdum memoriæ Fidelium fuerant commendata. Hac de re dum jamdicti Fratres aliquotiens contenderent, erat antiquitus eccleſiola quædam in confinio ipſius Centulæ ex ejuſdem Sancti nomine appellata, ad quam decreverunt ipſum ferri debere, dummodo & ſuæ eccleſiæ domicilio potiretur & illum taliter remotum non cogerentur honorare. Cùm ergo illic eſſet poſitus, ille Deus qui humilia reſpicit, qui etiam Sanctos ſuos, quamvis occultos, exaltare non deſinit; decrevit eo loco plura patrare miracula, quatinus vel ſic cognoſcerentur præfati Sancti merita, & eorum qui illum abjecerant, domaretur ſtultitia. Denique cæcis viſum, ſurdis auditum, claudis greſſum, mutis loquelam, ceteriſque infirmitatibus tale ac tantum contulit ibidem remedium, ut nemo valuerit linguâ prædicare aut memoriâ retinere tantorum operum copioſam numeroſitatem. Cum ergo longiori tempore hæc Dei gratia ibidem clareſceret, & tam evidenter omnibus pateret eſſe hunc apud Deum pretioſi meriti; cœpit Abbas Ingelardus cum Monachis ſuis grandi pœnitentia moveri, quòd tanti pretii margaritam quaſi quoddam vile abjeciſſent; & quem priùs pro geſtorum ignorantia ſeu pro obſcuritate deſpexerant ſanctitatis, cum devota cordis humilitate & celebri honore diſpoſuit reportare, ad quem amandum & honorandum magnifica Dei virtute trahebatur. Tunc aggregatis Fratribus & populo convocato, præmiſſis crucibus & cereis ac thymiamateriis & omni decore eccleſiaſtico, cum honore & magna timoris Dei reverentia jam dictam eccleſiolam proceſſionaliter expetunt, præmiſſaque erroris veniâ cum hymnis ſanctum corpus acceperunt, & ad eccleſiam ſancti Richarii cum laudibus retulerunt, uti eum qui mentium duritiam meritorum virtute domaverat, quod etiam ibidem reconditum cum honore ſervatur, & cum amore veneratur.

Centulam corpus ejus transfertur.

Dubitatio de ejus cultu.

Miraculis ſublata.

a Sancti Vulganii corpus poſtea tranſlatum eſt in caſtrum Lenenſe, *Lens*, diœceſis Atrebatenſis. Baldricus in Chronici lib. 2 cap. 12. *Apud caſtrum Lenenſe habetur quoque Monaſterium Canonicorum, ubi ſanctus quieſcit Vulganius, qui Scotus traditur extitiſſe.*

b Nimirum Laus perennis olim à S. Angilberto (ut diximus) inſtituta: quæ haud ſcio an vigebat adhuc per id tempus.

c Ingelardus Abbas labente ſeculo decimo, ſucceſſorem habuit Ingelramnum, de quo ſuprà Lege Hariulfi Chronicon in lib. 3 cap. 29. ubi totidem verbis hæc referuntur.

[illegible] C[illegible] [illegible] [illegible] 1 1 I Kal. [illegible] [illegible] ad locum [illegible] [illegible] gens [illegible] Quidam e[illegible]o [illegible] [illegible] Sancti corpore [illegible] [illegible] pior [illegible] ut pro [illegible] corpus ſanctum [illegible] ven[illegible] pulſare[illegible]tur, & pl[illegible] [illegible] ſtingui potuerunt, quouſque [illegible] [illegible] Ita quaſi de[illegible]

XV Q[illegible] [illegible]us poſſe [illegible] [illegible] eccle-ſiæ beati Madelgiſili olim [illegible]ndonatam [illegible] Interea te[illegible]ente annua Sancti ſol[illegible]em[illegible] [illegible] ſibi ter[illegible] pe[illegible]near. At ubi qui p[illegible] [illegible] repente lectica ejus nimio pondere ag[illegible] [illegible] ac [illegible] mons moveri à loco non potuit. Tun[illegible] q[illegible] [illegible] pr[illegible]ar du-dum Sanct[illegible] injuſtè ablatam, conquere[illegible] [illegible] ſanct[illegible] Madel-gi[illegible]lus propter ſuam terram commotus ſe a[illegible], & ſe [illegible] [illegible] Convenimus [illegible] [illegible] & [illegible], [illegible] Sanct[illegible] r[illegible]ddat [illegible] temerator nimium pav[illegible] & [illegible], [illegible] tem deglutiret, tremulus acceſſit, & veniam humiliter petens agrum ſuum ſancto Madelgiſilo reſtituit, liberumque & quietum in perpetuum acclamavit. Hoc facto ad Sanctum reditur, lectica g[illegible]tur, ponderoſi[illegible]as nulla ſ[illegible]ntitur.

XVI. Sub ann[illegible] eti[illegible]m di[illegible]næ [illegible] apparitionis [illegible] c[illegible]ſimo & ter-tio-decimo, Indictione q[illegible], Regnu[illegible] [illegible] L[illegible]o[illegible]o filio Philippi anno quinto, cùm ſanctulum R[illegible] nob[illegible] quond[illegible]m Mo[illegible]ſterium detineret Abbas ANSCHERUS annis jam ſedecim, placuit ipſi Ab-bati ac [illegible]eteris Fratribus, ut amabile corpus ſancti Madel[illegible] revolverent & inſpicerent, atque in novam capſam, qu[illegible] antiqu[illegible]a v[illegible] [illegible] e[illegible]t, di[illegible]-genti ſtudio reconderent. Paratis itaque quæ ad [illegible] [illegible] comp[illegible] v[illegible]-debantur, ubi ventum eſt ad id quo ſacra membra re[illegible] [illegible] con[illegible] [illegible]llus quo recipienda erant, inven[illegible]tur brevior, nimiuſque capacior quam [illegible]ſotum oſſium magnitudo ac proceritas poſcebat. Id[illegible]oq[illegible]e pars quæ[illegible]m co-[illegible]dem oſſium remanſit in priſtino indu[illegible]to, quouſque tempor[illegible] liber[illegible] [illegible] melius aptaretur. attamen in no[illegible]am capſam [illegible] [illegible]ita ſunt cum p[illegible] & decenti honore. Non multi poſt hæc fluxerant di[illegible]s, & cuſtos ec-cleſiæ, qui eumdem Sanctum ferventi amore proſeq[illegible] [illegible] inſomnita[illegible] p[illegible]-ventus dormire non poterat, & tota [illegible] apud ſe tractav[illegible] [illegible] q[illegible] ſancti corporis tranſmutatio perfici poſſet. Jam v[illegible]o a[illegible]a [illegible] e[illegible] id[illegible] cuſtos laſſabundus modicè obdormivit, & in ipſo parviſſimo ſom[illegible] [illegible] ce[illegible] de Sancti reliquiis componendis cogitabat: & [illegible] ad[illegible] [illegible] [illegible] vi[illegible] [illegible] & de[illegible] in habitu glorioſo, & ait, H[illegible]c cau[illegible]ius p[illegible]ovide & [illegible] perage, ut omnia oſſa m[illegible] ſimul re[illegible]on[illegible]. At [illegible] qui pe[illegible]xiguo ſopor[illegible] tenebat[illegible], & quem ejuſdem Sancti f[illegible]ve[illegible] amor adſ[illegible]bat, mox ut audi[illegible] [illegible] omnia oſſa mea, ipſum eſſe beatum Madelgiſilum liquido intelle-[illegible] & [illegible]ta in cum o[illegible]rum ac[illegible] [illegible] & meritum inquirere concupivit. A[illegible] [illegible] magnus & g[illegible]oſ[illegible] an[illegible] [illegible] p[illegible], [illegible] ſed [illegible]rem nimis gr[illegible] [illegible] t[illegible] & v[illegible] [illegible]um ſuotu[illegible] tamqu[illegible] [illegible]. Idem autem de r[illegible]ceſſu ejus [illegible], ſed de odore ga[illegible]ens, & [illegible]us [illegible] aliquod [illegible] ſe[illegible] fata[illegible] ait, ut putabat intra ſe. Stat[illegible] [illegible] aurea [illegible]lius veſtigia app[illegible]endam, & hæc Fratr[illegible] [illegible] teſtimo[illegible] de-

Circ. ann. DC LXXXV Maii XXX.

portabo [illegible] evigilans ex[illegible] brachi[illegible] & [illegible] aurea vestigia quæ ſe [illegible]nere p[illegible], jam non [illegible] & totam quâ premebatur [illegible]tudi[illegible]em con[illegible] d[illegible], [illegible] Sancti per gratiam D[illegible] J E S U-C H R I[illegible], [illegible] & gloria in ſæcula. Amen.

E P I G R A M M A   L E C T I   E J U S.

Oſſa Madelgi[illegible] tenet hæc lec[illegible]ca beati,
Quem Confeſſorem ſibi Chriſtus rite beavit,
A N S C H E R U S Q U E *novam [illegible] capſam jure paravit.*

Circ. ann. DC Febr. V.

VITA SANCTI VODOALI,

COGNOMENTO BENEDICTI,

CONFESSORIS,

Auctore Sueſſionenſi anonymo, qui deſinente ſæculo IX, aut X incunte vixit.

Ex mſ. codice Sueſſionenſis B. Mariæ Parthenonis auctior quàm edita apud Bollandum.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Sueſſionenſe Parthenon.

1. ILLUSTRE *apud Sueſſionas B. Mariæ Cœnobium Leutrudis Ebroini Majoris-domus uxor ſub annum Chlotharii Regis tertii quartum, condidit in gratiam Benedictinarum [illegible], quibus religioſos aliquot Monachos adjunxit Drauſcio Sueſſionum Epiſcopus, ut eis peragenda rei ſacra adjutores eſſent. Inter illos inſigni pietate refulſit* VODOALUS* *ſeu* Vodalus [illegible] *mento* BENEDICTUS, *qui è Pictorum regione ſolvens in Galliam Sueſſione reſedit, [illegible] quo ſolitariam ducens vitam ſub Aldegarde, ſeu Hildegarde Abbatiſſa, id eſt ſæculo* VII [illegible] *mente, cælos petivit.*

* *ſ. Vonè*

Vodoali Acta.

2. *Vodoali geſta non longe ab ipſius obitu [illegible]ipſerat Auctor coætaneus: verùm hic* hiſtoriæ tomus in Lugduno Clavato *depoſitus* inter ceteras ſchedulas periiſſe *fertur ab Au[illegible]ore* [illegible] *quiori, qui ea quæ cùm* relatu fidelium antiquorum, *tum* in aliorum Patrum geſtis de qu[illegible]rum collegio iſte ſanctiſſimus vir fuit, didicit, hîc inſerere, quamvis impolito ſermone, ſtuduit. *Poſterioris hujus Auctoris qui ſub finem ſæculi noni, aut decimi initium Sueſſione [illegible]gebat, lucubrationem Johannes Bollandus ad diem V Februarii edidit ex codice mſ. N[illegible]colao Belfortii, Canonici Regularis quam, ubi communes in locos ſenſit diffluere, ſubinde decu[illegible]tavit. Nos integram hic damus, qualem exhibet [illegible]regius Parthenonis B. Mariæ cod[illegible] annorum circiter ſeptingentorum, quo uſus eſt noſter Michael Germanus in reddenda [illegible] mate S. Vodoali Vita quam ejuſdem loci hiſtoriæ inſeruit. Eamdem refert Compe[illegible] codex annorum minimum ſeptingent[illegible]rum.*

Cultus.

3. *Vodoali nomen ſanctorum Be[illegible] atque Columbani nominibus ſubjectum legitur [illegible] antiquis [illegible]itaniis ante ſæculi V[illegible]II finem exaratis in gratiam Sueſſionenſium [illegible] ut qui[illegible]em videtur [illegible]an[illegible]imonialium propterea quod ſan[illegible]orum Criſpini, Leodegarii, Drauſ[illegible] [illegible]an ſcionis Leudardi, aliorumque [illegible]Monaſterii urbiſve patronorum nomina contineant. S[illegible] memoriam faſtis ſuis conſignarunt prid. Non. Februarii Molanus, atque Ferrarius [illegible] Nonis ipſi Wion, Dorganius, & Andreas Sauſſaius cum [illegible] elogio.*

[illegible] Al

4. *Abhinc celebris apud Sueſſionenſes Vodoali fama, cujus nomine inſignita eſt porta illa, juxta quam energumenum ſanitati reſtituiſſe fertur in ſubjecta Vita. Id quippe docent non ſolùm eccleſiæ cathedralis ſanctorum Gervaſii & Protaſii vetera monumenta, ſed etiam Teulfi Criſpiniani Abbatis inſtrumentum, anno* MCXXXV *confectum, pro compoſitione inter ipſum Abbatem & Wilardum* de Porta ſancti Vodoali *Sueſſionenſem civem inita* de feudo Biſtiſiaci, præſidente Remis Rainaldo Archiepiſcopo, epiſcopante Sueſſionis bonæ memoriæ domno Goiſleno. *Ad hæc locus in quo recluſus erat Vodoalus*, turris S. Benedicti *poſtmodum dictus eſt, ex altero ſcilicet nomine, quod ipſe latendi gratiâ aſſumſerat.* — CIRC. ANN. DCC FEBR. V. S. Vodoali porta Sueſſione, & turris.

5. *Monaſticum Vodoali inſtitutum ut ex* cappæ *geſtatione aliiſque indiciis rectè ſubinfert Johannes Bollandus; ſic Benedictinum jure merito agnoſcas, ex aſſumto Benedicti nomine poſt adventum ejus in Gallias, & firmatam in Sueſſionenſi Parthenone ſtabilitatem, quem Benedictina Regula præceptis addictum principio fuiſſe multa probant.* — Monachatus.

INCIPIT PROLOGUS

1. EGIMUS namque in principio florentis Eccleſiæ catholicos apoſtolicoſque viros tam tenaciter Deo adhærere perpetuo amore, ut ejus excellentiam aut profiterentur jugiter aut meditarentur, ne ab officio tanti amoris, tantæ ſpei, tantæque jocunditatis nullatenus tepeſcerent, *&c.*

2. Nam quia de ſancto ac beatiſſimo noſtroque patrono VODOALO qualiter divinis ſanctionibus inhians ad noſtros devolutus fines fuit, & quàm ſtrenuè peregrinus & exſul curſum vitæ ſuæ arduum in hac peregrinatione peregerit, ut ſumtibus vitæ perfrui mereretur in cælis, relatu fidelium antiquorum didicimus; oportet ut pauca de pluribus quæ illorum relatione comperimus, & magna ex parte oculis noſtris perſpeximus luculentioribus præconiis ad laudem nominis Dei ſtudeamus attollere. De cujus quidem geſtis plura admiratione digna in medium proferri poterant, ſi libelli textus de catalogo virtutum ejus à prioribus digeſtus præ manibus haberetur. Nam & ejus hiſtoriæ tomus, ut à prioribus didicimus, in Lugduno Clavato * inter ceteras ſchedulas — * *Laon* negligentia periit. Nos verò virtutes ejus prout poſſumus ſuccinctè expediamus. In laude quoque illius Dominum JESUM-CHRISTUM nos non ambigimus laudare, ut Propheta dicit, *Laudate Dominum in Sanctis ejus.* Laudemus igitur virum glorioſum & Dei cultorem, hominem magna virtute & — *Pſal. 150, 1.* prudentia præditum: cujus nomen vivit in generationes generationum. Hujus ſapientiam populis narremus, & laudem ejus eccleſiis nuntiemus.

INCIPIT VITA.

3. QUIT namque iſte beatiſſimus Vodoalus (ut ferunt) ex ſagittifera Gelonum [a] ortus natione, qui originem generis de Scythiæ populis ducere perhibentur. De quibus & Poeta ait, — S. Vodoali patria.

Pictoſque Gelonos, — *Virgil. Georg. 2, 115.*

unde & nunc uſque Picti vulgò vocantur. Inde namque pro Chriſti nomine de tranſmarinis partibus claſſe vectus per æquora, atque multas peragrans regiones in Galliarum devenit partes, uno tantùm ſecum comite commeante, nomine MAGNEBERTO. Ipſe verò ubicumque divertebat, velut prudens — accesſus in Galliam. agricola, agriculturæ exercitiis inſudans, dumeta horrentia pravitatis ſulco humanis cordibus inolita verbi ſecure amputare ſtudens, divinæ fidei ſemina rudibus mentibus commendabat, vivificis eloquiis & divinis eas imbuens ſanctionibus, cæleſtis magiſtri ſpecimen ſectatus qui dixerat, *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos:* atque de diverſis urbibus Galliæ & provinciis unum ovile — prædicationis fructû. *Ioh. 20, 21.*

[a] Geloni ſeu Gelones populi Myſiæ inferioris in Scythia Europæa, ad Boriſthenem fluvium. Ex his eſſe Pictos qui Britanniam inſulam invaſere ſæculo v. exiſtimavit iſte Auctor cum Beda. Pictorum in Britannia ſedes nunc Scotia appellatur.

Circ. ann. DCC. Febr. v. Suessione commoratur sub Adalgarde Abbatissa.

Domino vero paſtori fideliſſimus Confeſſor & Sacerdos ſollemniter exhibuit. Cùm igitur devotus civitatem Sueſſionenſium adiſſet, ad Monaſterium puellarum inclita fama notiſſimum, ſitum in honorem almæ virginis Dei genitricis Mariæ, Domino ducente pervenit, cui tunc illuſtris præerat matrona nomine ADALGARDIS. Nam & ibi uſque hodie de diverſis undique nationibus magna Sanctimonialium congregata exſiſtit caterva. Cúmque ibidem perveniſſet, à venerabili Adalgarde Abbatiſſa cum omni alacritate eſt ſuſceptus. Illique ad plagam orientalem hoſpitiolum juxta murum ipſius civitatis ante portam Monaſterii dedit, quod uſquenunc Turris [a] ſancti Benedicti vocatur.

Vodoali virtutes.

4. Tantam denique ſanctus Vodoalus vultu ſerenitatem prætendebat, tantam lenitatem ſermone ferebat, ut viſu & auditu juſtitiam cunctis intimaret, atque hujuſmodi dulcedine pectora ſemet contemplantium vel audientium piè demulceret, & ad ſui familiaritatem quantociùs invitaret. Tanta quoque ſancti Spiritus gratia in ejus labiis diffuſa fulgebat; ut quos ſermone tangeret, ad ardorem cæleſtis deſiderii vehementer accenderet. Et quicumque ſe beato viro ſociaverat, exemplo actionis ac locutionis ejus, torporis & malitiæ frigus evitare & bonorum ſtudiorum ac fidei divinæ amore ſtudebat æſtuare. Ita namque vir prudentiſſimus ſanctis operum exercitiis in ſeipſo efflornit, ut ab omni iniquitate & immunditia carnis alienus proprias concupiſcentias cohiberet, & interimeret. Illicita vitæ mactans deſideria, non ſeminavit mala in ſulcis injuſtitiæ, nec meſſuit ſcandala. Omni namque cuſtodia ſervavit cor ſuum, faſtum tumoris edomuit, iracundiæ nævum exploſit, invidiæ peſtem ceu venena ſerpentis eliminavit, ingluviem ventris prorſus exhortuit, cenodoxiæ rubiginem per omnia vitavit, expers jactantiæ, gaudia labentis pompæ ruderibus æquiparavit, triſtitiam hujus ſæculi tamquam monſtrum à ſecreto cordis abegit; cùm nec pro adverſis ejus deflecti, nec pro felicibus noſſet efferri. Oris etiam ſæpta ab otioſo & vano eloquio compeſcuit, à derogationibuſque os ſuum perpetuo ſilentio oppilavit.

5. Greſſus ejus in vacuum non cucurrerunt, nec incaſſum proceſſerunt plantæ ejus. Vana & frivola viſus ejus non reſpexit, obturavit aures ne audiret ſanguinem, & obloquentium ſermonibus nullo modo adquievit. Manus nequaquam remiſſas habuit, ſed has ab omni avertit injuſtitia, & à torporis pinguedine exſertas reddidit. Ita itaque ab omni inquinamento carnis & ſpiritus vas ſuum incorruptum immaculatumque ſanctiſſimus cuſtodivit Vodoalus: decus verò humilitatis in cordis antro collocavit. Pauperum amator & pædagogus erat; cùm & ipſe pauper eſſet, impletum eſt in beato Vodoalo & in

Prov. 22, 2.

ſupradicta Adalgarde Abbatiſſa vaticinium illud: *Dives & pauper obviaverunt ſibi; utriuſque operator eſt Dominus.* Quia revera dum pauper ſpiritu Vodoalus & locuples Adalgardis in via hujus peregrinationis ſibimet obviantes concordarent, utriſque cooperatus eſt Dominus, illi aſtruendæ veritatis & fidei conſtantiam, huic credendi & obſequendi conferens efficaciam. Ex eorum quippe Sanctorum erat numero, quorum ſpecies ab Ezechiele depingitur dicente,

Ezech. 1, 13.

Aſpectus eorum quaſi carbonum ignis & quaſi aſpectus lampadarum. Cùm enim quilibet carbonem attigerit, exuritur; lampadis verò ſplendor tenebras loci in quo accenditur, effugare conſuevit.

6. Sanctus itaque Vodoalus aſpectum carbonis ac lampadis habebat, immo ipſe lampas ignis & flammarum erat; qui cùm in ſe perſpicuè arderet, alios etiam docendo & operando abundanter lumine ſeſpergebat, & exurebat humorem perfunctoriæ delectationis, compellebatque dæmoniaco carere conſortio, & angelico perfrui contubernio. Armis undique ſpiritualibus munitus, thorace juſtitiæ amictus, juba ſalutis protectus, clypeo fidei armatus ac val-

[a] Perſtat etiamnum hæc turris, aut ſaltem alia ejus in locum ſubſtituta, ad quam quotannis Sacerdos ſtolâ indutus cum aquâ luſtrali accedit, pravos dæmonis impetus oratione & aquæ benedictæ aſperſione amoliturus.

CIRC. ANN. DCC FEBR. VI.

latus, eloquii cuſpide coruſcus agonizabat pro anima ſua uſque ad mortem. Præclara igitur caritatis virtute timorem Domini ſtabilimentum ſuæ poſuit actionis, eo quòd initium ſapientiæ eſſet timor Domini. Erat namque illi timor Domini gloria & lætitia & corona exſultationis; jejunio duplici reliquorum chariſmatum diadema decoravit, dum ab actu & cogitatu nefario cohibuit mentem, & ab alimentorum appetitu compeſcuit carnem, ſincera contritione & caſtigatione corpus tabefaciens in ſervitutem ſpiritus redigebat. Nec demoliebatur vultum uſus abſtinentiæ rigor, hominibus ut clareſceret. Gazarum quoque & pecuniæ contemtor fuit, animadvertens ſententiam ſapientiæ: *Beatus vir qui inventus eſt ſine macula, & qui poſt aurum non abiit, nec ſperavit in pecunia theſauris.* De inſtantia autem orationis quid dicere poſſumus, cui cotidie ita incubuit, ut numquam ab ea ceſſaverit? Jugis more ejus laus & confeſſio Chriſti, jugis ſupplicatio pro minuendis ſuis populique piaculis. Nam quatuor virtutibus principalibus, veluti quatuor columnis ſpiritualibus ædificii fabricam continentibus immobiliter hæſit, prudentiæ videlicet, juſtitiæ, fortitudini & temperantiæ. Hac itaque virtutum quadriga ſe vir ſanctus conſtanter vehebat, & ad terram viventium properabat. His quatuor fluminibus tamquam de paradiſo emanantibus arva pectorum irrigabat, & vivificis eructationibus inpinguabat. In os ejus utpote vena vitæ omnis medullitus animare, & fonte æterno debriari ſatagebat. Congregationi namque egenorum affabilem ſe præbuit, mærentibus atque in amaritudine conſtitutis paterna compatiebatur lenitate: ſudabat in manu ejus eleemoſyna, ut inopes paſſim recrearet.

Eccl. 31, 8.

Cibum ſuũ dat pauperi.

7. Nec prætereundum qualiter inviſibilis anguis piæ æmulus actioni, quieti ſanctiſſimi invidens Vodoali, qui protoplaſtum de paradiſi projecit ſede, incentor atque reparator omnis malitiæ illum quem tot virtutum pennis ſuffultum vidit, à noſtris per dolos artis ſuæ expulit finibus. Quadam itaque die ſupradicta Abbatiſſa, ſicut facere ſolita erat, de dapibus illi menſæ ſuæ in argentea tranſmiſit ſartagine: ipſe verò per pediſequum ſuum Magnebertum ſtatim pauperi, qui agapem ad oſtium petebat, tranſmiſit; pauper verò dapibus refectus abiit vas ſecum portans. In craſtinum autem miniſtri requirentes vas, ut didicerunt quod factum fuerat, reverſi nuntiaverunt hoc dominæ ſuæ. Illa verò convocans eum ad ſe, vehementer cœpit increpare dicens: „Si tibi dapes ad prandendum miſi, non juſſi ut argentum diriperes, mihique meum auferres vas.“ Ille verò humanæ fragilitatis tactus nævo, graviter hoc ferens, valde exacerbatus atque ſatis contriſtatus, veniam pro exceſſibus proſtratus ſolo poſtulans receſſit inde, ignotas iterum adiens vias: peregréque profectus, per novem annos multas peragravit regiones & terras.

lancem ille furatur.

de amiſſa lance increpatur.

peregrinatur.

8. Factum eſt autem ut in itinere medio invaderet eum febris, quæ vulgò tertiana vel quartana dicitur. Indeque valde afflictus veniens ad ora maris, adſcendit navem cujuſdam divitis ad patriam cupiens remeare: ibique fame ac febre confectus, per octo manſit dies. Tum verò ſtridens aquilonis procella ſubitò tempeſtate exorta fluctus ad ſidera tollens, velum adverſa fert, illiditque navem. Recordatus verò illius eſt dominus navis, dixitque ad ſuos: „Ite, atque peregrinum illum qui huc nobiſcum introit, reficite. puto enim quòd propter negligentiam quam de illo habuimus, hoc patimur naufragium. eſt enim, ut mihi videtur, juſtus vir.“ Illi verò abeuntes invenerunt eum vix jam ultimo palpitantem ſpiritu. Statimque ut illum refecerunt, tumida quieverunt æquora, ſoleque deducto, mare à ſuo ſtetit fervore.

Reditum in patriam tentat.

à febre retardatus,

9. Eadem verò nocte apparuit ei Angelus Domini, dicens illi: Vodoale ſive Benedicte, quid huc agis, quove pergere vis? Dominus enim me miſit ad te, ut ab hac hora ſanus effectus omni careas febre. Inſuper & tantam tibi conferre dignatus eſt miſericordiæ ſuæ gratiam, ut quicumque hoc fuerint vexati incommodo, nomenque tuum in ſuis memoraverint orationibus, ſtatim inde medelam percipiant. Quod nos cotidie ad ejus videmus effici tumulum, cujus

cælitus ſanatur.

CIRC. ANN. DCC FABR. V. in febres potens & incendia. pulverem cooperante superna diſpenſatione miraculis coruſcare perſpicimus, ut cuicumque ex illa cum fide in potu ſumſerint, ſtatim percipiant ſanitatem. Et non ſolùm apud nos, ſed etiam in Italia & Aquitania multiſque aliis provinciis per hunc pulverem ſanitatem multi receperunt. deditque illi baculum
„ dicens: Surge, ne ſteteris, arripe iter, civitatemque Sueſſionenſium ſumma
„ cum feſtinatione repedare ſtude, atque ad Monaſterium puellarum in cellam
„ unde digreſſus es, revertere, quia ibi te oportet curſum vitæ præſentis ærum-
„ noſæ feliciter conſummare. Inſuper & hoc tibi à Domino conceſſum eſt, ut
„ in loco reliquiarum tuarum nullatenus prævaleat ignis. Statimque ut Angelus
Sueſſiones redit. receſſit ab eo, feſtinanter iter arripiens, poſt novem annorum curricula expleta ad civitatem Sueſſionenſium eſt reverſus.

Energumenū liberat. 10. Antè ergo quàm portæ appropinquaret civitatis, ecce unus ex famulis qui ibi Sanctimonialibus deſerviebant, nemine ſciente occultum in ſe dæmo-
„ nem habens, cœpit currere & clamans dicere: Surgite, quia jam Benedictus
„ Vodoalus venit ut me hinc ejiciat. Ite ergo illi obviàm. nullus namque de adventu ejus adhuc ibi aliquid ſciebat. Aliquantæ verò ex Sororibus ſequentes illum uſque ad Monaſterii portam, ſtatim ut oſtium aperuerunt, illum ſtantem repererunt. Ille verò eumdem famulum intuens, intellexit protinus inimicum in eo latentem. qui ſtatim alapâ faciem ejus percutiens, immundum ab eo ſpiritum ejecit. Cúmque hoc divulgatum in aula fuiſſet Monaſterii, Abbatiſſa cum omni Congregatione illi obviàm procedens cum magno eum recepit honore.

Incendia reſtinguit. 11. Non poſt longum quippe tempus reverſionis ſuæ, contigit ut cella in qua manebat, ſubito igne cremari videretur: ſtatimque Angelus Domini ap-
* l'Aiſne prehendit eum cincinno verticis ſui, & tranſportavit in inſulam Axonæ * fluminis, incendiumque reſtinxit. Quadam verò die cùm coquina muro adhærens Monaſterii, valido igne cremaretur, Sorores valde perterritæ neſciebant quid de ſe agere deberent. Tunc una ex illis quæ illi familiariùs ceteris adhærebat, quam à quartana curaverat febre, necnon & à dentium dolore
„ ſanaverat, veniens dixit illi: Benedicte Vodoale, veni, noſque de præſenti
„ incendio tua eripe piiſſima prece. Qui tollens pallium ſuum, qui vulgò cap-
a pa vocatur, ſuper eam projecit, & juſſit ut illam contra ignem poneret. Statim ut contra ignem poſita fuiſſet, flammarum globi in ſemet reflexi ſunt, incendiumque ſubitò exſtinctum eſt: quod & uſque hodie per baculum ejus qui apud nos habetur, frequenter effici conſpicimus. Si enim caſu in iſta civitate alicubi incendium contigerit, illeque baculus contra allatus fuerit, continuò ignis vim virtutis ſuæ exſtinctus amittit.

12. Quadam verò die Miſſarum ſollemnia venerabilis Sacerdos Benedictus
Sacerdos veſtem ſciſſam redintegrat ſigno crucis. Vodoalus celebrare volens, per clauſtra tranſiens Monaſterii, vidit duas Sorores valde mæſtas & anxias ſedere. quas interrogans dixit: Quid habetis, quòd tanto eſtis affectatæ mærore? Cui una ex illis reſpondens dixit ei: Quidam ex proceribus palatii hanc quam vides veſtem Adalgardi Abbatiſſæ ad conſuendum tranſmiſit, ipſaque nobis dedit, ut eam ſueremus; ego nempe arrepto forcipe, nodum fili abſcindere volens, particulam veſtis abſcidi, & ideo anguſtiamur. Ille quoque ſignum crucis ſuper veſtem faciens, ſtatim integra ut antea fuerat reperta eſt.

Angelorum audit concentum. 13. Ipſe namque ſemper fortis in ſe reminiſcens ultimo ut in die conſummationis benedictione percepta jocunditatem ſibi theſaurizaret; quanto illum Dominus propenſiùs exaltabat, tanto ſe ampliùs humilians dejiciebat. Nam & Angelos in cælo canentes ei frequenter conceſſum eſt audire.

14. Verum quia pondus virtutum ejus per ſingulas operum ſpecies propalare prolixum eſt, totius religionis ac munditiæ ejus ſummam brevi epilogo

a Cappa uſitatum maximè Monachis veſtimenti genus, quod modò cucullam dicimus. qua de re vide Præfationem primam hujus Sæculi num. 96.

Circ. ann. DCC. Febr. v.

colligemus, ſicut à majoribus & noſtris audivimus magiſtris. Teſtem Deum adhibemus, quia de noſtræ adulationis panegyricis nihil ibi inſertum habemus, ne fortè in aliquam temere mendacii notam incidentes, obtrectatorum laniemur morſibus, maximè quia (ut ſuprà meminimus) iſtorum apud nos geſtorum ſeries ſchedis minimè continentur; ſed ea quæ in aliorum Patrum geſtis, de quorum collegio iſte ſanctiſſimus vir fuit, didicimus, vel quæ relatu fidelium de eo agnovimus, huic inſerere, quamvis impolito ſermone, ſtuduimus.

15. Sæpe namque lectori ingenioſus neglegendo ſe privat ſapientia. Nam qui amorem habet verbi Dei, dabitur illi & ſenſus intelligendi quod amat. Sæcularis enim ſcientia quaſi coluber per humum ſerpit; divina autem de cæleſtibus intonat. Nemo namque humanæ rationis quadruvio ad plenum conquadratus ſufficere probatur, ad quem nullus eruditorum ſine ſancti Spiritus gratia pervenire dicitur, ut introducat auditores ſuos in omnem veritatem, quaſi ex diſciplina liberalium artium, quarum etſi multum juvamur quandoque regulis, non tamen eis tribuere debemus ſancti Spiritus donum, à quo omnis Scriptura ſancta divinitus eſt inſpirata, & ſanctis Dei hominibus à ſæculo reſerata.

ægrotat,

16. Cur hic diutiùs moras innectimus, & quaſi ejus differri poſſit occubitùs vertere ſtilum ad ejus obitum formidamus? Menſe verò Januario cùm terra nimio ſqualeret frigore, incidit in validiſſimam ægritudinem, immo tunc quod optabat invenit, ut mundum deſereret, ac Domino penitus jungeretur. Sentiens autem prudentiſſimus vir ſibi prope temporalem adeſſe mortem, clauſis oculis quaſi jam humana deſpiceret, digitumque ad os tenens crucis ſignum pingebat in labiis. Defecerat ſpiritus, & anhelabat in mortem, animaque erumpere geſtiens, ipſum ſtridorem, quo mortalium finitur vita, in laudem Domini convertebat. Solo animæ tepore in ſancto & ſacro pectore palpitante, nihilo minus quaſi ad ſuos pergeret, alioſque desereret, illum de pſalmo verſiculum ſuſurrabat: *Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis tuæ.* & *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Atque ita rebus exemtus humanis, primo ſurgente Eoo, humentem cùm jam aurora polo dimoverat umbram, croceum linquens cubile, Phœbéa luſtrans lampade terras, die Nonas Februarias angelicis ſociatus choris migravit ad æthera: corpus autem ejus ad Monaſterium puellarum eſt deportatum, ibique in baſilica almæ Crucis dedicata ad ſiniſtram partem à religioſis pollinctoribus in mauſoleo poſitum honorificè eſt humatum.

os cruce ſignat.

Pſal. 25, 8. & 26, 13.

Moritur, & in æde S. Crucis ſepelitur.

Magneberto diſcipulo apparet,

17. Factum eſt autem poſt obitum ejus, ut ſupradictum pediſequum ſuum Magnebertum cum aliis ſervitoribus, ut ligna de ſaltu præcideret, ire juberent. Ille verò flens & ejulans ante ſepulcrum beati viri ſe projiciens, dixit: „Domine Vodoale, ut quid me ſuperſtitem reliquiſti, qui ſine te vivere non „poſſum? Cur me dimiſiſti? aut quis mei miſerebitur? Ecce enim gravi afflictus „ſum ſervitutis jugo, quod omnino ferre non poſſum. Ipſa verò nocte vir Dei „illi viſione apparuit dicens: Noli timere, quia ulteriùs nemo te ullo gravabit „ſervitio. Apprehendenſque manum ejus ait, Veni mecum. Qui expergefactus, in craſtinum febre correptus emiſit ſpiritum, atque ante ſepulcrum domini Vodoali à fidelibus ac religioſis viris eſt ſepultus.

mortem ei prædicit.

Miracula ejus.

18. Hujus itaque cineres & oſſa cùm per multa annorum ſpatia in eodem quieviſſent loco, non talis ei, ut decebat, à nobis exhibebatur honor: ſed ut diligentior illi cultus & reverentia à populis exhiberetur, iterum ſe virtutibus publicare cœpit. Nam noſtris nuper temporibus quadam nocte matutinorum hymnis expletis, Sorores quibus hoc oratorium ad cuſtodiendum fuerat commiſſum, ſecundùm conſuetudinem venientes ut luminaria emendarent; totum pavimentum oleo madentem, quod ex cicendelo [a] qui ante ſepulcrum ejus

[a] Cicendelus hîc vitrea lampas. Alias ejus nominis ſignificationes vide apud V. C. Carolum Freſnium in Gloſſario.

Circ. ann. DCC Febr. v. pendebat, fundebatur, reppererunt. Nam & ipſum cicendelum ſponte ſua reaccenſum frequenter vidimus, illoque oleo perunctos cæcorum oculos depulſis tenebris perſpeximus illuminatos. Et à diverſis languoribus ac invalitudinibus quibus ærumnoſa plerumque affici ſolet humanitas, maximè à frigoribus, unde illi dum adhuc in corpore eſſet, ut ſuprà retulimus, ſpecialis à Domino virtus conceſſa eſt, cotidie ſoſpitatis levamine recreantur, ac recreatis viribus ſanitatem ejus meritis intervenientibus percipere merentur. Exinde verò popularis aula non ſolùm ex Sueſſionenſium civitate, ſed etiam ex villis & vicis quæ in illius ſunt circuitu, preces & vota reddentes, ad ejus confluunt tumbam.

Oleo cæcos illuminat.

Sanat febricitantes & alios.

19. Virtus hæc tua eſt, Chriſte, qui in ſanctis tuis mirabiliter operaris: quia cuncta quæ athletæ tui ſtupenda patrare videntur, tua ſunt. Imploramus igitur clementiam tuam, bone Redemtor, ut qui Benedictum Vodoalum per ſuæ vitæ meritum ſignorum & prodigiorum nitore decoratum, angelicis ſociaſti conſortiis, ejus intervenientibus meritis nobis in te confidentibus præceptis ejus obſecundandi præbeas efficaciam: quatinus exempla illius ſalutaria actuum paſſibus proſequentes, ſummæ perfectionis commercia adipiſci mereamur. Qui cum Deo Patre & cum Spiritu-ſancto vivis Deus unus & regnas per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

SUPPLEMENTUM TRIUM CAPITUM

IN VITA SANCTI VVILFRIDI ARCHIEPISCOPI EBORACENSIS

Auctore EDDIO STEPHANO.

Ex mſ. codice Sarenſi.

OBSERVATIO PRÆVIA.

IAm tandem reliquias Vitæ S. Wilfridi Magni per Eddium accepimus beneficio eruditiſſimi viri Edoardi Bernardi in Oxonienſi Academia Matheſeôn Profeſſoris, qui non ſolùm Cottoniani codicis exemplum à V. Cl. Thoma Gaelo nobis nuper impetravit: ſed etiam capita duo cum duobus dimidiis ex Cottoniano mſ. avulſa reſtituit ad mſ. codicem Sarenſem, & ex eodem variantes lectiones totius Vitæ mihi ſubmiſit. Sic integrum exhibemus opus tamdiu deſideratum omnibus litteratis, qui humaniſſimis & clariſſimis viris Bernardo & Gaelo gratias mecum habebunt immortales. Eddii lucubratio hæc à nobis vulgata eſt in ſuperiori tomo pag. 672. cum qua ſubſequentes variantes lectiones conferre non pigebit.

Ad partem primam Sæculi IV. *pag.* 686.

SCIEBAT ſub WLFARIO Rege Merciorum, fideliſſimo amico ſuo, locum donatum ſibi *Onlicitfelda, & ad epiſcopalem ſedem, aut ſibimet ipſi, aut alio, cuicumque voluiſſet dare paratum. Ideoque pacificè inito conſilio cum vero ſervo Dei CEADDAN, in omnibus rebus Epiſcopis obediens, per omnes gradus eccleſiaſticos ad ſedem prædictam plenè eum ordinaverunt, & honorificè Rege ſuſcipiente eum, in locum prædictum conſtituerunt: ibique benedictè in vita ſua multa bona

* *al.* in Licitfelda

perficiens tempore opportunò viam patrum exegit, exſpectans diem Domini in judicio venturo (ut credimus) ſibi mitiſſimum ſicut dignum eſt.

XV. *De renovatione baſilicæ in Evroïca civitate.*

IGITUR ſuprà dicto Rege regnante, beatæ memoriæ Wilfritho Epiſcopo metropolitano Eboracæ civitatis conſtituto, baſilicæ Oratorii Dei in ea civitate à ſancto PAULINO Epiſcopo, in diebus olim EADWINI Chriſtianiſſimi Regis primò fundatæ & dedicatæ Deo, officia ſemiruta lapidea eminebant. Nam culmina antiquata tecti diſtillantia feneſtræque apertæ avibus nidificantibus intro & foras volitantibus, & parietes inculti omni ſpurcitia imbrium & avium horribiles manebant. Videns itaque hæc omnia ſanctus Pontifex noſter, ſecundum Danielem, *horruit ſpiritus ejus* in eo, quòd domum Dei & orationis Prophetas * quaſi ſpeluncam latronum factam agnovit: & mox juxta voluntatem Dei emendare excogitavit. Primùm culmina corrupta tecti renovans, artificioſè plumbo puro detegens, per feneſtras introitum avium & imbrium vitro prohibuit; per quod tamen intro lumen radiabat. Parietes quoque lavans, ſecundum Prophetam ſuper nivem dealbavit. Jam enim non ſolum domum Dei & altare in varia ſupellectili vaſorum intus ornavit, verùm etiam deforis multa territoria pro Deo adeptus, terrenis opibus paupertatem auferens, copioſe ditavit. Tunc ſententia Dei de Samuele & omnibus Sanctis in eo implebatur: *Qui*, inquit, *me honorificat, honorificabo eum.* erat enim Deo & omni populo carus & honorabilis.

XVI. *De ædificatione baſilicæ in HRipis, & dedicatione ejus.*

CRESCEBAT ergo cum ſæculari fumtu, Deo donante, Pontifici noſtro, amico ſponſi æternalis, magis ac magis ardentiſſimus amor Sponſæ virgineæ uni viro deſponſatæ, de matre omnium bonorum progenitæ: quam diſciplinæ moribus, quaſi floribus virtutum, caſtam & pudicam, continentem & modeſtam, circumamictam varietate, ſubjectam pulcrè adornavit, ſecundùm Prophetam, *Omnis gloria filiæ Regis ab intus.* Sicut enim Moyſes tabernaculum ſæculare manu factum ad exemplar in monte monſtratum a Deo, ad concitandam Iſraëlitico populo culturæ Dei fidem, diſtinctis variis coloribus ædificavit: ita verò beatiſſimus Wilfrithus Epiſcopus thalamum veri Sponſi & ſponſæ in conſpectu populorum corde credentium & fide confitentium, auro & argento purpuraque varia mirificè decoravit. Nam in HRipis baſilicam polito lapide à fundamentis in terra uſque ad ſummum ædificatam variis columnis & porticibus ſuffultam in altum erexit & conſummavit. Jam poſtea perfecta domu, ad diem dicationis ejus invitatis Regibus Chriſtianiſſimis ECGFRIDO & ÆLWINO duobus fratribus, cum Abbatibus, Præfectiſque & Subregulis, totiuſque dignitatis perſonæ, ſimul in unum convenerunt, conſecrantes, ſecundùm ſapientiſſimum Salomonem, domum Domino in honorem ſancti Petri Apoſtolorum principis dicatam & precèſque in ea populorum ſuffragantem, altare quoque cum baſibus ſuis, Domino dedicantes, purpuraque auro texta induentes, populique communicantes, omnia canonicè compleverunt. Stans itaque ſanctus Wilfrithus Epiſcopus ante altare, converſus ad populum, coram Regibus enumerans regiones, quas ante Reges pro animabus ſuis, & tunc in illa die cum conſenſu & ſubſcriptione Epiſcoporum & omnium Principum, qui illi dederunt, lucidè enuntiavit; necnon & ea loca ſancta in diverſis regionibus, quæ Clerus Brittonum, aciem gladii hoſtilis manu gentis noſtræ fugiens, deſeruit. Erat quippe Deo placabile donum, quod religioſi Reges tam multas terras Deo ad ſerviendum Pontifici noſtro conſcripſerunt. Et hæc ſunt nomina regionum, juxta Rippel,

& in Gaëdyne, & in regione Dunutinga, & in Caëtlevum, in ceteriſque locis. Deinde conſummato ſermone, magnum convivium trium dierum & noctium Reges cum omni populo lætificantes, magnanimes in hoſtes, humiles cum ſervis Dei inierunt. Addens quoque ſanctus Pontifex noſter inter alia bona ad decorem domus Dei, inauditum antè ſæculis noſtris quoddam miraculum. Nam quatuor Evangelia, de auro puriſſimo in membranis depurpuratis coloratis, pro animæ ſuæ [remedio] ſcribere juſſit, necnon & bibliothecam [a] librorum eorum omnem de auro puriſſimo & gemmis pretioſiſſimis fabrefactam compaginare incluſores gemmarum præcepit. Quæ omnia, & alia nonnulla in teſtimonium beatæ memoriæ ejus, in eccleſia noſtra uſque hodie reconduntur; ubi reliquiæ illius requieſcunt, & ſine intermiſſione quotidie in orationibus nominis ejus recordantur.

XVII. *De eo quòd infantem reſuſcitavit.*

MIRABILIS eſt Dominus in Sanctis ſuis, & clarificatus in virtutibus eorum. Olim jam in veteri lege ſervos Dei varias virtutes per Deum feciſſe legimus. Sicut Helias & Heliſeus ſervi Dei ſuſcitaverunt; ita & Apoſtoli Chriſti magiſtri exemplum ſequentes, ſecundum promiſſum ejus, omnes varios languores in nomine ejus depulerunt. Et nunc eodem modo à ſubſecutoribus illorum, ex quibus unus eſt ſanctus Pontifex noſter, ad Dei gloriam infirmitate proſtrati ſanantur. Nam quadam die ſancto Wilſritho equitante & pergente ad varia officia Epiſcopatus ſui, baptizandi utique & cum manus impoſitione confirmandi populos; inter quos quædam mulier in villa, quæ dicitur Ontiddanufri inventa eſt amaro animo ſuſurrans, mœrore & onere ſatigata. Habens enim infantem primogenitum ſuum mortuum ſub ſinu pannis involutum, cujus cadaveris mortui faciem inter alios ad confirmandum Epiſcopo revolvit, volens ſic poſſe vivificare. Ille verò ſanctus Epiſcopus noſter ſtatim ut verè mortuum eſſe intellexit; aliquantulum tamen moratus quid de eo eſſet agendum. At illa mater coram facie agnoſcentis cecidit in terram, flens amarè, &c. *ut in editis legis.*

[a] Id eſt volumen ſeu librum quatuor Evangeliorum: quo ſenſu dixiſſe videtur Hieronymus de Nepotiano in ejus Epitaphio: *Pectus ſuum fecerit bibliothecam Chriſti.* Quamquam paſſim hæc vox apud Auctores libros veteris ac novi Teſtamenti complectitur. Lege Cangii Gloſſarium, & Vitam S. Aotcharii ſuprà p. 89 in medio.

VARIANTES LECTIONES EJUSDEM VITÆ.

Ex eodem codice Sarenſi.

IN *Præfat. lin.* 5 explorer *lege* expleret.

Cap. 2 *lin* 7 XIII, *l. al.* quarto-decimo. *lin.* 8 dona, *al.* jura. *ibid.* privigna enim ſibi matre. *lin.* 10 antè regalibus aptè conſpectibus. *lin.* 18 nomine Cudda, proponens ſæculum ia.

Cap. 3 *lin.* 8 Tunc autem cum conſenſu patris ſui Eanfled Regina.. commendatum honorificè miſit. *lin.* 14 Pſalmos namque quos priùs ſecundùm Hieronymi emendationem legerat.. memoraliter tranſmeruit. *lin.* 16 languenti tædio. *lin.* 20 Jacob benedictio, quæ ei demum peregrinanti. *lin.* 23 Lugdunæ, *ſic paſſim.*

Cap 4 *lin.* 4 *deſunt verba* cum ſociis ſuis. *lin.* 5 benedicta mente.

Cap. 5 *lin.* 8 adoravit *l.* adjuravit.

Cap. 6 *in tit.* accepit, & de martyrio Dalfini. *lin.* 2 gratulabundus filius ad. *lin.* 4 pergentem ut iterum. *lin.* 12 Bunechild. *reſtituendum ex codice Sarenſi* Balcthild, *ut in Notis oſtenderam. lin.* 23 olim peſſima Regina.

Cap. 7. *in tit.* Alhfritho. *in textu lin.* 5 Alchfrithus. *ita paſſim. lin.* 1 patre ſuo Epiſcopo. *lin.* 19 benedixit eum. *lin.* 21 eccleſiæ & inſtitutionis. *lin.* 24 ſe cancrete.

Cap. 8 *lin.* 7 eleemoſynarum.

Cap. 9 *lin.* Ægelberchtus. *lin* 9 Preſbyterii. *lin.* 22 dona propheticæ accipere. *lin. ult.* in anguſtiis ſuis.

Cap 10 *in tit.* Epiſcopum de ratione Paſchæ *lin.* 8 die veniente uſque in viceſima-prima Paſchalem diem Dominicam celebrandam. *lin.* 21 *lege* uſque XXI. *lin.* 27 ille XXIII luna.

Cap. 11 *lin.* 19 noluiſque. *lin.*

Cap. 12 *lin.* 6 quod quatuordecim. *lin.* 7 accipit.

Cap. 13. *lin.* exanimato.

Cap. 14 *lin.* 4 quartam-decimam. *lin.* 12 artis inſtitoribus. *lin.* 23 Regula ſancti Benedicti, inſtitutis eccleſiarum Dei bene meliorabat.

Cap. 15 *lin.* 2 Deyrorum & Berniciorum.

Cap.

Cap. 18 *lin.* 6 Joſias. *lin.* 11 ſopita. *lin.* 21 Beornhith.

Cap. 19 *lin.* 4 tum Merciorum *lege* tomentum.

Cap. 20 *lin.* 7 ſpiculares *lege* ſæculares. *lin* 8 cum unda.

Cap. 21 *lin.* 2 vota ſua difficillima. *lin.* 3 in Ægoſtaldeiæ.

Cap. 22 *lin.* 22 omnis boni. *lin.* 24 meliorarus adhuc vivit, nomenque ejus eſt Bothelm.

Cap. 23 *lin.* 6 Virmemburg.

Cap. 24 *lin.* 8 ad Badefyrvvine. *lin.* 11 Vvinfrithus.

Cap. 25 *lin.* 2 Zephyro vento. *lin.* 4. Aldgiſlo. *lin.* 6 gentilibus.

Cap. 26 *lin.* 1 Eferwine. *lin.* 2 Aldgiſlum Regem Freſis. *& in cap. ſeq.*

Cap 27 *lin* 7 perditionis. *lin.* 25 diebus juventutis *lin.* 31 vitam meam.

Cap. 28 *lin.* 3 ubi enocuit quòd eo tempore Ceonvvald. *pag.* 693 *lin.* 7 Eboracæ, *al.* Evoicæ. *lin.* 29 prævalutæ. *ibid.* quia unde. *lin.* 39. pro ejuſdem viri.

Cap. 31 *pag.* 695 *lin. ult.* populo Iſraëlitico.

Cap. 32 *lin.* 1 longa ſpatia.

Cap. 34 *lin.* 4 orbi Regis. *lin.* 11 intus lucentem.

Cap. 35 *pag* 698 *lin.* 9 oſcitante *pro* eructante.

Cap. 36 *lin.* 2 timorem Regis. *lin.* 9 Dynb-Er. *ibid.* Tydlio. *lin. penult.* contribulibus.

Cap. 41 *pag.* 702 *in epiſtola Theodori lin* 24 medicinam exſpectans

Cap. 42 *lin.* 7. Alhfrithus.

Cap. 44 *in tit.* de Concilio Ædſvvina-pathe. *lin.* 2 Aldfritho. *pag.* 705 *lin.* 5 damnando *pro* donando. *lin.* 24 converſanti. *lin.* 40 capitis parte. *lin. ult.* qua meum ſanctitatis.

Cap. 48 *pag.* 708 *lin.* 15. Monaſteria cum terris. *pag* 710 *lin.* 39 & Sirentius. *pag.* 711 *lin.* 2 pſeudographis. *lin.* 6 mortis maceratæ.

Cap. 52 *in tit. ſic.* Qualiter juſſus patriam redire, ſanctas reliquias ſecum portavit. *lin.* 4 in ſua ſenectute. *lin.* 8 remeare, judiciaque conſcripta Regibus & Archiepiſcopis portare.

Cap. 54 *lin.* 5 cœpto itinere. *pag.* 714 *lin.* 21 Apoſtolicæ ſedis litteris, proſternens ſe in terram obedienter ſpopondit, dicens: Hujus apoſtolicæ auctoritatis ſcriptis ne unius, *&c.*

Cap. 55 *lin.* 3 Alterum ad Aldfrithum.

Cap. 57 *lin.* 1 In primo anno. *lin.* 2 venientes habens. *lin.* 16 recitentur, humili prece depoſcimus. Quibus venerabiles Domini licentiam dederunt, & coram Synodo omnibus, *&c. pag.* 716 *lin.* 22 Hoſtesfeld. *lin.* 31 judicium de Vvilfritho Epiſcopo apoſtolicum repleat.

Cap. 59 *pag.* 718 *lin.* 8 Regum & Epiſcoporum.

Cap. 60 *lin.* 11 Ceolfredo.

Cap. 61 *lin.* 4 *&* 5 aliiſque petentibus

DE SANCTO SIMPERTO EPISCOPO AUGUSTANO.

ANN CHR. DCCCIX MAII I.

1. DE S. Simperto tractare diſtuleram in hunc locum, cùm propter alias cauſas, tum ob id quòd accuratum, ſi fieri poſſet, ejus Vitæ ſcriptorem exſpectarem. Nam quæ apud Gononem in lib. 4 de Vitis Patrum Occidentis, & quæ in Auguſtano Chronico Sigiſmundi Monachi de Simperto leguntur, leviſſimæ ſunt auctoritatis. Verùm cum nihil certius nanciſci potuerim, ſupereſt pauca huc conferre, quæ ad ejus geſta pertinere videbuntur. — Simperti Acta obſcura.

2. Simpertum ex Caroli Magni genere progenitum ferunt Sigiſmundus Monachus & Anonymus apud Gononem. Patrem ejus Ambertum, matrem Symphorianam Caroli Magni ſororem Bruſchius commemorat. Verùm, ut Simperti parentum hæc nomina fuerint, inter Pippini Regis filias Symphorianam deſideramus. Deinde Simpertus ab ineunte ætate ſe eremiticæ vitæ in loco qui Morbacum * dicitur, in partibus Suntgaïæ * tradidiſſe perhibetur apud ſuperiores duos Auctores, eidemque poſtmodum eremitorio ut Abbas præfuiſſe, quod ſpecialibus magniſque privilegiis auxerit, quæ ego, inquit Sigiſmundus, oculis his vidi, à Carolo Magno datis. Hoc Sigiſmundi teſtimonium præfero Bucelini ſilentio, qui in indice Murbacenſium Abbatum prætermiſit Simpertum: qua auctoritate nixus Carolus Cointius eum Murbaci Abbatem non fuiſſe dicit, ſed tantùm Monachum. Sigiſmundus quippe Cœnobii ſanctæ Afræ apud Auguſtam Windelicorum Chronicon ſuum ſcribebat anno gratiæ MCCCC LXXXIII, Bucelino proinde ætate atque auctoritate ſuperior. — Parentes. Seceſſus Murbacũ. * Murbac * Suntgovv Abbatis dignitas.

3. Sub hæc creſcentibus ejus meritis famaque, ad regendam Auguſtenſem * eccleſiam accitus, ſanctæ Afræ templum extra muros urbis inſtauravit: poſt regiminis annos triginta mortuus III Id. Octob. ſepultuſque in baſilica ſanctæ Afræ: — Epiſcopatus Auguſtanus. * al. Augſburg

Ann. Chr. DCCCIX Maii 1.

cujus tumulum divino monitu ſanctus Udalricus Epiſcopus tecto cooperuit ſæculo decimo. Simperti obitum ad annum DCCCIX *revocant Scriptores recentiores. Cave eum confundas cum Simberto Reginenſi ſeu Ratiſponenſi Epiſcopo, quem anno* DCCXCI *deceſſiſſe conſtat. Quæ de eodem Sancto dicenda ſuperſunt, ex Sigiſmundo ſic accipe.*

Canonizatio.

4. Noſtris etiam temporibus hæc quæ ſubjungimus, acta fuêre, prout tu, Pater optime, oculis tuis vidiſti, quæ ideireo hic adnectimus, ut volenti ſcire, ſeparatim dicenda hic occurrant. Circa igitur reformationem loci & Fratrum in ſacra obſervantia debita inſtitutione, de qua pòſt dicturi ſumus, cœperunt circa tumbam hujus Sancti coruſcare miranda miracula; de quibus olim aliqua pauca memoriæ tradidimus. Præerat tunc eccleſiæ Auguſtenſi Præſul inſignis PETRUS, notabile membrum Romanæ eccleſiæ. (nam & ad Cardinalatum vocatus fuit.) Sub eo Legenda ac hiſtoria metrica cum certis proſis à Patribus tranſſcripta Romam ad apoſtolicum FELICEM miſſa eſt, qui ea „ perſpecta apoſtolico oraculo pronunciavit: Nos dum in minoribus eſſemus, „ locum & Fratres ipſius vidimus, judicamuſque eſſe viros bonos, nec ſuſpi„ camur deceptionem aliquam. Quare ut ejuſdem beati Simperti obitum ſol„ lemni cum officio peragant, volumus, donec Legatus has ad partes tranſ„ miſſus fuerit à ſede: tunc fiant facienda. Elapſis verò paucis annis idem reverendus Pater PETRUS miſſus Legatus à latere per Germaniam contra ſævitiam Turcorum, Patres Monaſterii eidem ſuggerentes de S. Simperti meritis, & quod tunc maximè miraculis coruſcaret, ab eodem præfati facti ac ſancti Simperti impetrarunt confirmationem, prout decretum ejus videre licet. Paucis pòſt diebus cùm fundamenta eccleſiæ effoderentur, murique verſus clauſtrum ſpatio adjecto erigere ſtructores vellent, inventum fuit ſepulcrum ſanctiſſimi Simperti. Erat autem ſarcophagus lapideus fortis, moxque è converſo terra adjecta deſuper tabulato facto, ad latus ibidem altare erectum fuit ad tempus ligneum, capellaque incœpta, ad quam & ſubſidia mox porrecta fuerunt. Sanctus quoque Simpertus crebris miraculis laborantibus aſſiſtebat, de quibus duos libellos edidimus: hæc paſſim poſita in unum compegimus. *Hos Sigiſmundi libellos reperire non licuit. Ceterum Abbas iſte quem hujus narrationis initio alloquitur Sigiſmundus, eſt Iohannes de Giltlingen, qui tum ſanctæ Afræ Cœnobio præerat. Petrus verò Epiſcopus Auguſtanus, idemque poſtea Cardinalis, cujus operâ ſancti Simperti memoria in officiis divinis celebrari cœpit, cognominabatur* de Schaumberg, *de quo idem Sigiſmundus agit in Chronici ſui cap. 12. Porro Felix, hîc dictus Papa, erat Amedeus, qui viva voce officium de ſancto Simperto fieri permiſit, ſcilicet anno* MCCCCXXXV. *Hiſtoria Baſileenſium Epiſcoporum edita à Patribus Soc.* JESU *Bruntrutani Collegii, id factum ait auctoritate Nicolai V, qui anno* MCCCCL *Sancti honores Simperto indulſerit: tum ſubditur, Gregorium XV toti Clero Auguſtano conceſſiſſe, ut per totam diœceſin officium & Miſſa de ſancto hoc Antiſtite fieret.*

5. Occaſione Murbacenſis Cœnobii, cujus Abbatem fuiſſe Simpertum ſuperiùs diximus, huc revocare juvat ea quæ de iſto Monaſterio diximus ad Vitam ſancti Pirminii in Sæculi III parte 2, nimirum Pirminium, Eberardo Comite fundum ſuppeditante, iſtius Aſceterii fundamenta jeciſſe. Ejus rei certum habemus teſtimonium ex diplomate Theodorici Francorum Regis, quod ex ſchedis V. C. Antonii Herovallii deſcriptum hoc loco referre juvat.

Theoderici diploma pro Cœnobio Murbacenſi.

THEODORICUS Rex Francorum viris Apoſtolicis Patribus Epiſcopis, necnon & illuſtribus viris, Ducibus, Patriciis, Comitibus, vel omnibus Agentibus, tam præſentibus quàm futuris. Si petitionibus Sacerdotum quod ad profectum eccleſiarum pertinet, dêvota mente præſtamus, retributorem omnium bonorum Dominum JESUM-CHRISTUM ex hoc nos habere confidimus. Igitur dum & venerabilis vir PERMINIUS, gratiâ Dei Epiſcopus,

noſtris temporibus cum Monachis ſuis Deo inſpirante pro Evangelio Chriſti peregrinatione ſuſcepta Monaſterium virorum in heremo vaſta, quæ Voſagus appellatur, in pago Alſacenſi, in loco qui vocatur Vivarius peregrinorum, qui antè appellatur *Moarbach*, in allodio fidelis noſtri EBERHARDI Comitis, cum ipſius adjutorio, Deo donante, conatus eſt conſtruere Monaſterium, vel Cœnobium ſanctum ibidem inſtituere in honorem Dei & genitricis Domini noſtri JESU-CHRISTI ſemper Virginis MARIÆ, ſeu ſancti Michaëlis Archangeli, vel S. Petri & Pauli beatorum Apoſtolorum, S. Leudegarii Martyris cum ſociis eorum, ubi ipſi ſamuli Dei ſub ſancta Regula ſolitaria vita fruantur; petiit ipſe vir Dei Perminius Epiſcopus à ſerenitate noſtra, cum ipſo jam nominato fideli noſtro Eberhardo Comite, tale ob hoc noſtrum emanare præceptum de omni corpore poſſeſſionis ipſius Monaſterii, quicquid ad præſens tenere, vel quibus dominari videtur, aut quod inantea à quocumque, Deo inſpirante, ibidem rectè fuerit collatum, vel delegatum, per noſtrum præceptum deberemus in Dei nomine pleniùs confirmare. quod nos pro mercede noſtra in omnibus feciſſe cognoſcite. Et ut hæc præceptio erga ipſum Monaſterium firmius habeatur, manus noſtræ ſubſcriptionibus ſubter decrevimus roborari. THEODORICUS Rex Francorum. THEOBALDUS obtulit. Datum quod fecit menſe Julio die XII, anno III regni noſtri, Gundulfi villa in Dei nomine feliciter. Ann. Chr. DCCCIX Maii I.

6. Ex hoc diplomate intelligimus, Pirminio Epiſcopi nomen fuiſſe tributum. quamquam eum dumtaxat Chorepiſcopum fuiſſe exiſtimo, ut ſuo loco demonſtravi. Præter Theodericum HLOTHARIUS *Imperator filius HLudovici* ad petitionem SIGIMARI Abbatis ex Monaſterio, quod dicitur Vivarium peregrinorum, ſitumque eſt in Ducatu Alſacenſi ſuper fluvium *Morbach*, & conſtat eſſe conſtructum in honore ſancti Leodegarii & ſancti Petri Apoſtolorum Principis, confirmavit Monaſterio Luciaria & Monachis ibidem degentibus homines ingenuos quinque, quos pater ſuus ibidem dederat. RICARDUS ad vicem AGILMARI recognovit. Data VII Kal. Aug. anno Chriſto propitio imperii Domni HLotharii Pii Imperatoris XXI, Ind. III. Actum *Strazburg* civitate. *Hæc de Simperto, deque Cœnobio Murbacenſi.* Lotharii confirmatio.

LIBELLUS DE MIRACULIS

Circ. ann. DCCCXII Maii XXVIII.

SANCTI VUILLELMI DUCIS AC MONACHI GELLONENSIS.

Auctore Monacho Gellonenſi anonymo.

Ex mſ. codice Eixienſi.

OBSERVATIO PRÆVIA.

DE S. Willelmo Septimaniæ Duce, tum Gellonenſis Cœnobii conditore & Monacho, cujus Vitam in ſuperiori tomo retulimus, rurſus agere cogit nos libellus de ejus miraculis, quem ex mſ. codice Cœnobii Eixienſis * *nobis deſcribi curavit Stephanotius noſter. Accedit verò felici caſu, ut eodem tempore facta ſit detectio reliquiarum S. Guillelmi, quæ ſub ara majori Gellonenſi humo defoſſæ erant. Nempe die quinta Septembris hujus anni* MDCLXXIX, *cùm artifices principis altaris ad abſidam removendo incumberent, ſub primo ejuſdem aræ gradu ſepulcralem lapidem invenerunt, longum quatuor palmis, latum ſeſquipalmo: quo in lapide plumbea theca incluſa erat ſitu partem vitiatam, ſancti Guillelmi veneranda oſſa continens cum hoc titulo plumbeæ laminæ inſcripto:* Anno ab Incarnatione Domini MCXXXVIII, III Kal. Martii, feria ſecunda, levatum eſt corpus beatiſſimi Confeſſoris Chriſti GUILLELMI, & reconditum III Non. ejuſdem menſis per manus Domini UGONIS Albienſis Epiſcopi, RAYMUNDI Gellonenſis Abbatis, & RAYMUNDI Nantenſis Abbatis, temporibus INNOCENTII PP. II, & ARNALDI Narbonenſis Archiepiſcopi, & P. * Luteuenſis Epiſcopi, & Francorum Rege LUDOVICO. *Eadem ferè verba in Martyrologio Gellonenſi leguntur pridie Nonas Martii: quæ malè prid. Idus ejuſdem menſis retuleram in Appendice ad Vitam S. Willelmi. Has ſancti Willelmi reliquias, quas ab hæreticis violatas putabant Gellonenſes noſtri, (qui ſacros ejus cineres, quotquot ſcilicet in prima elevatione ex priori tumulo colligi potuerant, in parvo lapide ſubtus aram aſſervabant) ex prædicto loco reverenter extulerunt, dum locus loculuſque decentior ſacris oſſibus præparetur. Nunc de miraculis agendum.*

* d'Eyſſis

* Petri

Crucis miracula in

1. POST tranſitum ſanctiſſimi GUILLELMI placuit divinæ gratiæ ſuper Guillonenſe Monaſterium manifeſtiùs oſtendere ſui amoris reſpectum, tam propter B. Guillelmi merita, quàm propter lignum dominicum, quod vir Dei CAROLO donante illuc detulerat ſecum. Cœpit illud Chriſti vexillum in eodem loco miraculis coruſcare, locum irradiare, ægros ſanare, afflictos liberare; dæmones verò fortiter effugare: è quibus aliquod dignum ducimus ad ſanctæ Crucis gloriam breviter ſcribere, utcumque magnificè prædicare. Eſt namque non longè ab eodem Monaſterio fluvius, vocabulo Auraris * dictus, magno impetu de montibus deſcendens, ubi navis erat, cum qua Monaſterium expetentes, flumen tranſire volentes neceſſario tranſvehi oportebat. Hunc itaque fluvium dæmon Deo permittente poſſidebat, multos ibidem demergens, demerſos atque perdens, modò ſingulos, modò plures aquis imprimens & abſorbens. Sæpe enim ipſam navem rebus prædictis, hominibus ſuffocatis, repentè ſubmergebat. Homines autem loci illius hoc ſcandalum non ferentes, ſanctum Guillelmum expetunt, & ſpecialiter poſtulant ligni dominici ſingulare præſidium, per quod ſciunt dia-

* l'Erau

bolum eſſe victum. Orant cum lacrymis fortes in fide, fit petitio populi ut lignum deferatur, defertur ad amnem bajulante illud Abbate dicti Monaſterii, cum choris pſallentium Monachorum & Cleri. Conveniunt multi venerabiles viri, virtutem Domini contra fraudes diaboli videre cupientes. Mox namque ut lignum in litore apparuit, phantaſma diabolicum vim ſanctæ Crucis non ſuſtinens, relicto flumine ſicut fumus evanuit, nec ibidem ulteriùs draco ille viſus, nec inventus fuit.

Circ. ann. DCCC XII Maii XXVIII.

2. Monachi cujuſdam Monaſterii de Francia, zelo ducti & avaritia, propter dona & oblationes quæ fiebant in Monaſterio Guillonenſi ob reverentiam & devotionem illius pretioſiſſimi ligni: conſilium inierunt, ut, ſi aliter non poſſent, furto raperent, & ad ſuum Monaſterium transferrent, ſic quæſtus multiplicis oblationis ad eos conſequenter pervenirent. Eliguntur igitur duo de pluribus non Monachi, ſed dæmoniaci, non fratres, ſed fures, atque ad Guillonenſe Monaſterium diriguntur, dolis armati, compoſiti mendaciis multis. Juxta templi veſtibulum cujuſdam ſubintrant hoſpitium, peregrinos ſe dicunt, ægritudinem ſimulant, cauſâ recuperandæ ſalutis ac veniæ. Ad lignum dominicum, beatumque Guillelmum ſe veniſſe mentiuntur, tamdiu ſe velle in illo loco manere, & in eccleſia ante ſanctum altare excubare, quouſque miſericordiam promereantur, virtutem quoque Crucis per B. Guillelmi meritum in ſe ipſis expetiantur. Itaque Prior Monaſterii & Fratres verbis illorum nimiùm creduli circa eos exhibent humanitatem: concedunt clauſtrum, eccleſiam frequentare, vigilare & orare ad eorum voluntatem. Illi verò è contra iniqua cogitatione edocti, eccleſiam frequentant die, ſimulantes orationem ſine devotione: nocte verò vigilantes preceſque multiplicantes ſine compunctione, locum illum in quo dominicum lignum cuſtodiebatur, obſervant, notatoque loco ad artes diabolicas ſe committunt, præparant inſtrumenta ad invadendum ſanctum theſaurum. Sicque una nocte vigilias conſuetas ſimulantes, cùm cereis non paucis, eccleſiam ſancti Guillelmi intrant; venerabili altari Dei, timore poſtpoſito, appropinquant: arcam in qua theſaurum exiſtimant, irreverenter invadunt; & arte peſſima abſque clavibus reſerata, atque ſine ſonitu aperta, cum theſauro ſanctiſſimo, nullo ſentiente, templum ſubitò egrediuntur, & fugere cupiunt: ſed Dei virtute nullatenus effugere queunt. Nam de terminis Monaſterii nulla umquam parte, nulloque conamine exire poſſunt, circumeuntes ut ebrii, & in ſua eadem veſtigia redeuntes. Jam verò incipiente aurora diei cùm perveniſſent ad locum, qui dicitur Ad crucem; cognoſcunt ſe per virtutem glorioſæ Crucis ligni dominici fixos immobileſque teneri, & ab apparitoribus B. Guillelmi nihilo minus comprehendi, & ad ſuſpendium trahi, videntes etiam ſua veſtigia impreſſa nivi, quæ nocte illa miraculosè per limum per Dei providentiam ceciderat: nec locum habent fugiendi, nec conſilium evadendi. Perterriti atque deſperati & mirabiliter coacti lignum dominicum quod furati fuerant, de peta extrahunt, ſoloque depoſitum ſub condenſa nive altiùs abſcondunt: moxque virtutem ligni quam per vindictam inceſſerant, per Dei clementiam ſentiunt & recognoſcunt. Nam greſſu repentè recuperato vires reſumunt, Deo permittente liberi recedunt. Interea venit hora quando vigiles Oratores beati Guillelmi, expleta matutinali Miſſa, illo benedicto ligno populus more ſolito à Sacerdote peteret benedictionem. Cumque Sacerdos cum miniſtris ad venerabilem thecam proceſſiſſet, ut inde ipſum lignum afferrent, & ſeris reſeratis apertiſque illud non inveniſſent; quantus & quantus clamor, quantuſque dolor populum ac Monachos ſubitò invaſit, cogitari quidem poteſt, ſed exprimi ſufficienter non poteſt. Quæſitis igitur illis Monachis peregrinis & minimè inventis, curritur poſt eos inveſtigatione nivis cælitus emiſſæ, declarantis & veſtigia fugientium clariùs deſignantis. Nam cùm perveniſſent ad locum in quo fures turbati & ſubvernati ſubſtiterant, & lignum relique-

Crucis furtum cælitus impeditum.

Crucis benedictio quotidiana.

CIRC. ANN. DCCC XII MAII XXVIII

rant, videtur ſub nive quaſi columna fumi ſuaviter vaporantis conſurgere atque conſcendere in ſublime. Accedunt omnes pariter ad columnam, lignum quod quærunt, ſub nive inveniunt cum magno gaudio, pro Abbate mittunt, & inde ipſum reverenter tollunt, atque ad Monaſterium beati Guillelmi portare non differunt cum hymnis & canticis & gloria inenarrabili, ad honorem & gloriam nominis Chriſti, & laudem B. Guillelmi & devotionem populi Chriſtiani.

Dæmoniacus liberatus.

3. Quidam Deodatus nomine, Italicus natione, à dæmone per multum temporis debacchabatur, atque crudeliter vexabatur, cui parentes ejus nimiùm compatientes, eique remedium de cælo expetere cupientes, per multa illorum Sanctorum loca & multas provincias deduxerunt: ubi nimirum ſacras vigilias frequentantes, preces ſuas pro eo cum lacrymis obtulerunt; ſed exaudiri minimè potuerunt. Cumque jam viarum & laboris tædio deficientes ceſſare amodò, nec deinceps vagari deliberarent: audiunt de beati Guillelmi meritis & virtutibus, quod ſemper ſit miſerorum efficax exauditor & fugator ſpirituum immundorum. Exinde reſumentes ſpei fideique conſtantiam ad B. Guillelmi Monaſterium devenerunt; templumque ingreſſi accedunt ſupplices ad altare ſancti Salvatoris, ſuumque captivum præſentant ante corpus ſanctiſſimi Confeſſoris cum multis lacrymis & vocibus luctuoſis. Accedit Abbas cum omni congregatione, adjurant cum potentibus exorciſmis Chriſtique nominis invocatione, ut ceſſet ab illius vexatione, & exeat ſine dilatione. Ille verò coactus reſpondit: Exſpectate, inquit, paullisper, & nolite feſtinare: ſtare in eo vel exire non eſt in mea auctoritate, ſed in alterius virtute & poteſtate. Numquid non videtis Monachum Guillelmum contra me vehementer iratum & coram Deo proſtratum, quomodo me confundit, premit, & exire compellit? Ejus quippe violentiam quia ferre non valeo, velim nolim, nunc exeo. Vos verò ne curetis me deinceps adjuvare, neque ampliùs laborare. Servi verò Dei non acquieſcentes ei, ad terrorem dæmonis ſignum Domini deferunt, ut ſanctæ Crucis virtute & beati Guillelmi meritis & interceſſione dæmon abſcedat ſine dilatione. quod dæmon videns & invidens, & vehementer indignans, cœpit fremere, mugire, & cum multo ululatu clamare, dicens: O Monachi perverſi, ô ſuperſtitioſi, & in cunctis ſuperflui! numquid Monachus Guillelmus precum ſuarum ac meritorum virtute non poterat me ſolus expellere, niſi inſuper illud lignum terribile contra me deferretis? & nunc quoniam ex omni parte premor, abſque dubio recedam. Ob Guillelmum Monachum & lignum terribile ſignum, dimittam hereditatem meam, perdam poſſeſſionem meam. Verumtamen dico vobis, quòd recedens vobis damnum inferam; injuriam ſuſtinens, injuriam vobis reddam. His dictis conticuit, & ſtatim inviſibiliter abſceſſit ab homine, per feneſtram vitream exiens; eamque in momento confregit, & campanam argenteam ad templi laquearia ſuſpenſam, quam beatus Guillelmus attulerat, eodem impetu eodemque momento concuſſit & eliſit. Homo verò ille liber à dæmone gratias Deo & beato Guillelmo quas potuit reddidit: Abbati quoque & Fratribus valefaciens, ad Italiam terram ſuam ſanus & incolumis remeavit.

Item femina.

4. A finibus terræ Provinciæ, ſic dictæ, eo quòd mari magno Oceano terminata ſit, quædam dæmoniaca ad Guillonenſe Monaſterium adducta eſt, nomine Benedicta. Hæc itaque miſera ab amicis carnalibus ad B. Guillelmi clementiam eſt producta. Cúmque cœpiſſet ex more abripi à dæmone in eccleſia, & furere; adeſt vulgi frequentia, tota villa concurrit, totaque eccleſia completur. Temporibus autem illis ſanctus FULCRANDUS[a] Lutevenſis Epiſcopus illuc advenerat, qui gratiâ curationum & virtute miraculorum opinatiſſi-

[a] Fulchrannus infrà, Epiſcopus Luteventis, *de Lodeve*, in Septimania, in cujus diœceſi ſitum eſt Gellonenſe Monaſterium, ordinatus *eſt prid. Nonas Februarii, anno gratiæ Chriſti* DCCCC XLIX. obiit verò ſanctiſſimè anno M VI *Idib. Febr. quartâ feriâ*, de quo fuſiùs agemus ſuo loco.

mus erat. hic nimirum illa hora, qua iſta dæmoniaca eccleſiam eſt ingreſſa, coram ligno Domini prope tumulum B. Guillelmi ſolo in oratione proſtratus jacebat. Audito autem tumultu nequaquam ſurgit è terra: ſed oratione cui totus inhiabat, paullisper intermiſſa, orare ſpecialiter incœpit pro illa. Acceрſito præterea GERALDO Monaſterii Abbate, totaque pariter congregatione, oratum eſt cum omni devotione: ſed illa energumena non eſt curata, nec furor dæmonis conquievit eorum interceſſione: quin immo diabolus perditam illam ſolito ampliùs diverſis torquere modis eam diſcerpere atque vexare cœpit, in tantum ut ſanctus Pontifex præ nimia pietate mortem illius peccatricis jam videre ac tolerare non poſſet. Unde & præcepit eam foras ejici, dicens, illam fore meliùs extra eccleſiam concuti, vitamque finire, quàm ante ſanctum altare, eo quod ſanctus Guillelmus nollet eam adjuvare, nec à dæmone liberare. At vero venerabilis Abbas Geraldus humiliter contradicens, cœpit ſancto Epiſcopo perſuadere dicens: Nolite, Pater, nolite quæſo turbari. jam enim multos vidimus miſerabiliter torqueri, & ad mortem laniari; poſtea verò per miſericordiam Dei & per meritum B. Guillelmi citiùs ſanari. Non ergo expellatur; ſed magis appropinquet ad tumulum amici Dei, & Deus miſerebitur ei. His dictis Abbas venerabilis ſedato animo Pontificis feſtinat adjuvantibus ſociis dæmoniacam adducere ad ſepulcrum ſanctiſſimi Confeſſoris. Tum diabolus intelligens ſe jam teneri & trahi, tanto pondere greſſum feminæ fixit ac preſſit, ut quaſi truncus in radice immobilis permaneret. Abbas perditam illam tenebat & trahebat; dæmon eam retinebat, & retrahens atterebat, ille ad ereptionem, iſte ad perditionem. Denique quamvis multum renitens, multumque ſe trahens, cùm tandem ante B. Guillelmum perductus fuiſſet, non ſolùm ſubitò obmutuit, verùm etiam nimiùm diſſipato mulieris corpore ſtare nequivit. Porro ipſa poſt biduum ſana & incolumis, gaudentibus qui ſecum venerant amicis, B. FULCHRANNI Pontificis pedes tenuit, & ab illo benedici devotè poſtulavit. Pontifex annuit, illa votum vovit: ſicque cum benedictione pontificali benedicta, ad fines terræ unde venerat, remeavit. Si dicebatur Benedicta, Benedicta nominari promeruit.

5. Alia quoque furioſa, Gitburgis nomine, de valle quæ Solhas dicitur, quæ quidem vallis Guillonenſi Monaſterio, ubi corpus B. Guillelmi quieſcit, vicina habetur, per manus amicorum ad B. Guillelmi ſepulcrum adducta fuit: cujus dementia multas & varias in eccleſia voces cepit. Canes denique imitabatur latratu, leones fremitu, urſos rugitu, cunctis ſtridore dentium horrorem incutiebat. Quod Monachi B. Guillelmi videntes, magno pietatis affectu ad ipſum ſe convertunt, communi prece deprecantes, ut illi energumenæ ſubveniat, atque pro illa miſera apud Deum preces fundat. Quid plura? B. Guillelmus pro illa intercedit, & illa ſtatim B. Guillelmi precibus & meritis plenè ac perfectè ſanata fuit. Porro illa Dei virtute cognita, atque tam mentis, quàm corporis ſalute adepta, poſtulat citiùs abſolvi à copula maritali, & ancillam fieri in domo B. Guillelmi ad honorem Dei & ſub habitu ſanctimoniali. quod & factum eſt: & illa quamdiu vixit, humiliter in eccleſia ſervivit, ab omni maligno ſpiritu ſecura permanſit.

6. Vir quidam nobilis volens ſibi theſaurizare in cælis, quoddam prædium Deo & B. Guillelmo & Guillonenſi Monaſterio, quod Mala-Buxeria nuncupatur, cum tota familia quæ ad hoc pertinere videbatur, dedit. Hoc ergo prædium quidam ABOLENUS de ordine militari cœpit inquietare, opprimere, ac ſuæ ditioni violenter ſubjugare, nec Deum nec homines timens, neque reverentiam exhibens meritis B. Guillelmi; gravans locum & loci homines rapinis indebitis, violentus multis, & occaſionibus injuſtis. At illi miſeri qui ab illo tyranno ſine remedio ſic atrociter opprimebantur, ſibi mortem quotidie precabantur. Unde factum eſt ad B. Guillelmi gloriam & ad familiæ ſuæ liberationem plenam, ut malefactor ille quodam die dominico equo aſ-

Circa ann. DCCCXII Maii XXVIII.

Item alia.

ibidem poſtea Sanctimonialis.

Gellonenſium vexatores puniti.

CIRC ANN DCCC XII MAII XXVIII. ſcenſo ad prædictum pergeret vicum, ex more rapinam & violentiam facturus: ſed nemine invento quem poſſet interrogare, eo quòd omnes iviſſent ad eccleſiam audire divina; irâ nimiâ nimioque furore ſuccenſus, ignique ſuccenſo cœpit villam ſuccendere, portas domorum frangere, cuncta exterminare. At verò eadem hora illum malignus ſpiritus invaſit, & fortiter vexare cœpit: equus etiam quo advenerat, ad domum propriam eum reportare nequivit, ſed ad eccleſiam beati Mauricii, ubi homines illi cauſâ divini officii audiendi convenerant, illum dementem perduxit, ibique turpiter in terram & vehementer eliſit. Ille autem diabolico impulſu eccleſiam ingreſſus, cœpit coram omnibus fortiter furere, carnem ſuam mordere, alios quoque, ſicut canis, dentibus expetere, & morſibus lacerare. Recognoſcunt omnes divinum judicium, B. Guillelmi defenſionis expoſcunt auxilium, corripiunt & alligant furioſum, vinctum tenent, donec perficiatur ſacrum Dei myſterium. O quàm juſtum & quàm verum eſt, Domine, judicium tuum, quia qui homines S. Guillelmi ligare conſueverat, modò ligatus tenetur: qui ejus poſſeſſionem diſperdere venerat, modò ſenſu perdito à Satana poſſidetur: qui die dominico eccleſiæ ſe ſubtraxerat, modò in eccleſia catenatus debacchatur. Accedunt interim amici ſui & propinqui, cognoſcunt & ipſi judicium Dei, cauſamque delicti, videlicet invaſionem rerum & oppreſſionem hominum B. Guillelmi: & vinctum loris fortiter à tergo manibus perducunt eum ad tumulum B. Guillelmi Confeſſoris, poſtulantes veniam pro delictis ſui peccatoris: promittunt etiam & affirmant in manu Abbatis maximis juramentis, quòd quidquid ille commiſerat contra B. Guillelmum & ſuos, ſe emendaturos & plenariè ſatisfacturos. Factum eſt igitur ut Abbas ſponſionem ſuſcepit, Miles ille mentem ſanam & ſenſum integrè ſuſcepit; & quamdiu vixit, in ſervitio & fidelitate B. Guillelmi permanſit.

Item aliud. 7. Eodem ferè tempore Miles quidam de ordine militari militiæ ſæcularis dominus THEUTRANUS de Saltis, graviter devaſtabat quoddam prædium B. Guillelmi; armis ſtrenuus, rerum ſuarum prodigus, alienarum cupidus & avarus. Igitur fiſcum regium Caſtra-paſtura, dominium ſibi malè vicinum nimiſque ſibi contiguum, quod olim[a] Rex LODOVICUS Guillonenſi Monaſterio contulerat, Miles ille ad exterminium reducebat, & medullitus abſorbebat. Homines fiſci illius dominum invocabant, & tyrannus ille non curabat: clamabant ad ſanctum Guillelmum, & ille parvipendebat. Infelices autem illi triſtes & irati murmurabant, dicentes, quòd B. Guillelmus dormiret, eo quòd eis citiùs non ſubveniret. Beatus autem Guillelmus de ſomno excitatus ſubitò fecit de illo vindictam, & ex improviſo. En enim quadam die raptor ille cùm ad vicum illum perrexiſſet, & ingenti præda boves inde plurimos abduxiſſet, & domum rediiſſet; unum de bobus illis jubet ſtatim jugulari, & prandium magnum præparari: convivioque parato primus diſcubuit, & primus epulari cœpit. Et ecce judicium Dei, & virtus & meritum B. Guillelmi. Nam prima buccella quam ille carnifex de illa præda in os ſuum miſit, ſic faucibus adhæſit, ut eam rejicere, nec aliquo modo tranſglutire poſſet. Fit ſtupor in convivio, ſurgunt omnes mirantes pro miraculo: medici adducuntur, medicinæ apponuntur; ſed omnino nihil operantur. Tandem virtus divina manifeſtè cognoſcitur, & B. Guillelmi ſuffragium ab omnibus imploratur, ut eidem more ſolito quantociùs miſereatur. Igitur amici & parentes de Dei miſericordia & B. Guillelmi pietate confidentes illum equo imponunt, & ad tumulum B. Guillelmi adducentes pro eo veniam poſtulant, & indulgentiam quærunt. Spondent omnes coram Deo, & jurant pro eo, quòd ſi ſervus Dei Guillelmus dignetur eum exaudire, & hac vice à præſenti periculo liberare; ad arbitrium Abbatis quod malè abſtulit, illi reſtituet, vel quicquid

a Nempe Ludovicus Pius tum Aquitaniæ Rex, dein Imperator, ut patet ex ejus diplomate edito ad Acta S. Willelmi pag. 90.

in

in eum deliquit. Cùm verò ipſe loqui non poſſet, buccella gutturi & faucibus adhuc plurimùm inhærente annuit manu: & ſignum faciens, Monachum ſe fieri cum lacrymis poſtulavit humiliter. In eadem aut[em] hora in qua hæc promiſſio firmatur, buccella ex ore labitur, & conti[n]uò ſ[an]us efficitur, & B. Guillelmi meritis à mortis periculo liberatur. Ipſe ſe & ſua pro emendatione B. Guillelmo devotè detulit. Circ. ann. DCCC XII Maii XXVIII. Idem Monachus.

8. Vir quidam nobilis & Miles ſtrenuus cum uxore & filiis ac ſociis non paucis veniebat ad B. Guillelmi tumulum cauſâ devotionis. qui uſque ad Rhodanum veniens, navem ingreditur: & dum tranſiret, caſu contigit, ut unus de filiis ejuſdem Militis in aquam caderet nemine cognoſcente. Amne tranſmiſſo, cùm jam exire, lituſque tenere cœpiſſent, puer requiritur, qui minimè invenitur, & quòd in flumen ceciderit, & omnino ſuffocatus ſit, à nullo dubitatur. Cunctis autem amarè flentibus, ſola mater pueri ſtabat, nec flebat, ſed ſeipſum & alios confortans ita dicebat: Non eſt mortuus filius meus, ſed ubicumque ſit, cum illo eſt Deus & B. Guillelmus. Hæc matre dicente, ſubitò puer de aqua egreſſus, ſecus litus deambulare cœpit. Interrogatus puer, quomodo mortem evaſit, reſpondit ſciſcitantibus, B. Guillelmum mox ut in aquam cecidi, affuiſſe, & dextram mihi dediſſe, & manu ſiniſtra ori meo ac naribus appoſita aquas ne me læderent, prohibuiſſe. Puero igitur recepto & gaudio duplicato, pater & mater & alii qui cum eis erant, iter quod cœperant, exſultantes accelerant: & pervenientes ad Guillonenſe Monaſterium, accedunt ad B. Guillelmi tumulum, cum ſumma jocunditate ac multis lacrymis Deo & B. Guillelmo immenſas gratias agentes. Puer naufragio ereptus.

FRAGMENTA DUO

VITÆ SANCTI BARNARDI ARCHIEPISCOPI VIENNENSIS.

Ann. Chr. DCCC XLII Januarii XXIII.

Ex mſ. codice Ambroniacenſi.

OBSERVATIO PRÆVIA.

LIBELLUM de geſtis ſancti Barnardi Archiepiſcopi Viennenſis exhibuimus in ſuperiori tomo ad annum DCCC XLII, *unà cum fragmento ejus vita ex Breviario eccleſiæ Gratianopolitanæ. Sed quia neutra ſcriptio facta ſancti Pontificis explicat ſatis, viſum eſt hic in ſubſidium proferre fragmenta duo, quæ ex mſ. codice Ambroniacenſi mutila mihi ſubmiſit noſter Claudius Stephanotius: ut ex eorum cum jam editis collatione S. Barnardi Acta ampliùs illuſtrentur. Primum fragmentum, quod in mſ. ſecundo loco exſtat, ab exordio imperfectum eſt, reſpondetque libello, quem primo loco exhibui in tomo prædicto. Alterum in fine mutilum, de Carolo Magno quædam præmittit, aliunde ſatis nota, quæ tanti non ſunt, ut paginas onerent noſtras. Ob eamdem rationem nonnulla reſecui in hujus contextu (ſicut in priori) inutilia, aut ex jam editis repetita, quæ cum fragmento Breviarii Gratianopolitani conveniunt: cetera juvant ad illius ſupplementum.*

ANN. CHR. DCCC XLII JANUARII XXIII.

FRAGMENTUM PRIMUM.

Barnardus electus acquieſcere negat.

CUM ergo nullis precibus, nulla auctoritate ad paſtorale miniſterium compelli potuiſſet, magno Regi Francorum CAROLO, cui tam pater, quàm ipſe dum militiâ potiretur, familiare contubernium exhibuerant; multi Galliarum Epiſcopi ſuas direxerant epiſtolas, quatenus virum regia virtute compelleret, quem ipſi eccleſiaſtico rigore non poterant. qui gaviſus honore viri, cùm nec precibus, nec promiſſis, nec regia auctoritate conſtantiam ejus flectere potuiſſet; Romano Pontifici ſuos direxit legatos, qui commoditate beati viri ſeu ſanctitate declarata poſtularent, qua eum apoſtolica cenſura coërceret, quem ipſe poteſtate non valebat. Et quoniam prudentia vel ſanctitas religioſi viri Pontifici Romano ſuiſque aſſeſſoribus notiſſima fuerat; cognita electione canonica ad eum de ſuo latere quemdam direxit, qui & apoſtolica auctoritate cogeret, & quas dirigebat litteras traderet: quarum tenorem hìc inſerere placuit, quatenus per hoc legentibus manifeſtum ſit, quàm purè mundanam pompam abjecerit, qui eccleſiaſticæ dignitatis culmen tam rigida mente ſuſcipere renueret.

à Paſchali P. cogitur.

„ PASCHALIS[a] Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili Abbati Ambro-
„ niaci, in Domino ſalutem. Cùm militiam & ſæcularem depoſueris di-
„ gnitatem; cur Deo militare vel principari fugias admodum miramur. Neque
„ enim ſine reatu divino apparebit conſpectui, qui multorum ſalute neglecta ſibi
„ tantùm utilis eſſe quærit. Quocirca fraternitatem tuam commonemus, & com-
„ monentes obteſtamur, ne divinæ diſpoſitioni rebellis eſſe contendas. Nemo
„ enim ſecundùm Apoſtolum ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur à Deo tam-
„ quam Aaron. Cùm igitur vocatum Viennenſis eccleſia te in ſuum paſtorem
„ elegerit; apoſtolica vice, quam licèt indigni tenemus, præcipimus, ut opus bo-
„ num ſuſcipias, quia de gloria tua ante Chriſti tribunal erunt hi, qui per te
„ ſalvabuntur. Quòd ſi tenueris, quam ſententiam Notarius filius noſter GRE-
„ GORIUS, quem de latere noſtro miſimus, ſuper inobedientia tua dictaverit,
„ validam ratamque cenſemus.

Veniens itaque Gregorius cum hujuſmodi litteris Viennam, convocatis pluribus Epiſcopis cum LEIDRADO Lugdunenſi ſuiſque Suffraganeis ſeu Abbatibus, in Concilio Barnardum ſtatuunt: quid Apoſtolicus mandaverit, quidve Fratres * velint; quid Rex, quid Principes poſtulent, quid populus exoptet, multis ediſſerunt. Quid multa? invitus trahitur, ſede ſublimatur, multis ſuffuſus lacrymis conſecratur, &c.

* id eſt Cardinales

Romanenſe Cœnobiũ condit.

Interea defuncto nobiliſſimo Principe CAROLO, & filio ejus LUDOVICO archimoniam obtinente, cùm multa pace ubique terrarum eccleſiæ florerent, beatus Barnardus contemplationis litus, quod aliquando incumbentibus negotiis deſeruerat, æſtuanti animo reſpiciens, & multis ſuſpiriis ad id reverti concupiſcens, niſi divinæ majeſtatis offenſam incurrere metuiſſet, deſertum & eremiticam vitam fugibundus petiiſſet. Sed quoniam partim diligentia ſupradicti Principis, qui ejus prudentiâ nonnumquam utebatur, partim Clericorum ſuorum, immo populi ferventibus ſtudiis impediebatur; cœpit tamen ſtudioſus quærere, ſicubi remotiorem locum poſſet conſtituere, quo aliquando plebeios tumultus deſerens divinæ lectioni ſive orationi liberiùs vacaret. Ceterum Omnipotentis clementia qui ſuâ præſentiâ quæcumque futura,

a Epiſtola hæc, quæ in aliis Actis laudatur, nec uſpiam refertur, vix conciliari poteſt cum tempore initi à Barnardo pontificatus. Quippe vivente Carolo Magno promotus eſt in ſedem Viennenſem, eamque tenuit annos triginta duos ex ſuo ipſius epitaphio, mortuus anno DCCCXLII, ut in ejus Actis probatum eſt. Qui igitur fieri potuit, ut eum ad ſuſcipiendum pontificatum compulerit Paſchalis I, qui triennio à morte Caroli Magni erectus eſt ad ſedem Romanam?

qualia ſunt futura, prænoſcit, deſiderium ſancti viri præcurrendo adjuvans, & adjuvando præcurrens; quem ſibi præelegerat locum adquirendi occaſionem præbuit. Nam fortè quædam mulier patrimoniis locuples, filiis & viro viduata, quæ nullum penitus ſuæ hereditatis heredem jure conſanguinitatis habitura erat; conſiderans humanæ vitæ per eos qui deceſſerunt, velociſſimum curſum, quoniam quos obtinuerat habere heredes non potuit, Deum, cujus omnia ſunt, heredem facere inſtituit. Igitur velut ovis arguta ſuo paſtori, beato ſcilicet Barnardo deſiderii ſui votum denudans, ſub teſtamentaria donatione beato Petro & Romanæ eccleſiæ ad conſtruendum Monaſterium patrimonii ſui partem, parte quoad viveret retenta, per manus beati viri legavit. Erat ſiquidem tunc temporis in medio prædiorum illorum, quæ teſtabantur eccleſiam in ſancti Romani honore conſtructam, quam Monachorum cohabitationi deputandam illa volebat. Sed vir Dei Barnardus in eiſdem fundis, quoniam illa eccleſia longiùs ab Iſara * flumine diſtabat, aptiori opportunitate conſiderata, ſuper ripam ipſius fluvii Monaſterium conſtruendum deſtinavit, tum propter fontium irriguum curſum, tum quia ſecretiore receſſu locus ille aptior Monaſterio videbatur. Itaque ſpinis & nemoris umbroſa denſitate purgato loco, ſub honore beati Petri Apoſtolorum Principis, cujus viri locus ille propter ſolum cedebat, eccleſia conſtruitur, & ſub brevitate temporis conſtructa cum Abbate Monachos accepit. Loco verò *Romanis* nomen impoſuit, denominatum ab eo, cujus juris lege teſtamentaria eſſe cognoſcebatur.

Fundato denique venerabili templo, dedicationis dies ſtatuitur. Sed quia habilem locum quo aliquando orationi & divinæ contemplationi vacaret, elegerat, quanto ſacratius potuit facere ſtuduit: & quem præmeditabatur, ſi divinitus concederetur, ſepulturæ locum habere, ſupernæ habitationis conabatur efficere. Trium igitur Martyrum quos ſuæ fidei primitias Vienna primùm terræ, deinde cælis pepererat reliquias diligenter collectas cum multa Pontificum pompa, quos ad dedicandam eccleſiam convocaverat, aſportavit, & ad munimenta tam præſentium, quàm futurorum, ſub principali ara collocavit: quorum merita cùm geſtorum hiſtoria admodum commendaverit, præcipuè tamen quam meruerunt apud Dominum gratiam illud adſtruit, quòd cum memoria eorum partim vetuſtas, partim gentilitas quæ eos occultare ſtuduit, deleviſſet, ipſi ſæpius miſſi à Deo cuidam Subdiacono, nomine TERTIO, ordinem & tempóra ſuæ paſſionis & nomina, immo ipſas faces ſuppliciorum, quaſi qui præſens interfuit paſſioni, ediderunt. Horum itaque Martyrum cum multis aliorum Sanctorum reliquiis venerabiliter collocatis, cum decem & octo Pontificibus in honore ſanctorum Petri & Pauli & omnium Apoſtolorum & trium Martyrum ſuprà memoratorum, Severini ſcilicet, Exſuperii & Feliciani, eccleſiam conſecravit; eademque die Principes, quorum copioſa affuit multitudo, meritis & precibus beati viri excitati, tanta donaria, tantas poſſeſſiones obtulerunt, ut quaſi una de antiquitus fundatis eccleſiis crederetur, & magnæ Monachorum multitudini neceſſaria miniſtrare ſufficeret. Huc itaque beatiſſimus Barnardus omnem amorem tranſtulerat, huc omne ſtudium verterat; & quidquid vel de Regum largitione, vel de patrimonii opulentia conquiſierat, totum offerebat, ut cùm Pſalmiſta dicere videretur: *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo quoniam elegi eam.* Et cùm nonnumquam ſæcularis negotii tædio afficeretur, pauſaturus tamquam columba tempeſtatis tumultus fugiens nidum petit, *&c.*

Sacramentum itaque hujus panis mihi apportate, ut eo accepto Viatico viam univerſæ carnis aggreſſus in patria perfectus illo angelico pane potiar. quibus dictis pſalmodiam primus incipit, & cum Fratribus voce nullomodo debilitata decantat; ſicque in Domini laudibus pernoctantes, exitum beati viri præſtolabantur, cùm eſſe matutinalis hora quando Fratres ſurgere conſueverant, advenerat, nec à conſpectu ejus movebantur. Tunc vir Dei, Ite, in-

Ann Chr. DCCCXLII Januarii XXIII.

* Iſere

Martyrum reliquias eo transfert.

Viatico morti proximus munitur.

Ann. Chr. DCCC XLII Januarii XXIII.

quit, Fratres, debitas laudes perſolvere, quia non modò decedo, donec aurora ſurrexerit, ut ea ſurgente, vos æterna lux ſuſcipiat. Interea ipſe cum paucis quos remanere juſſit, eaſdem laudes perſolvere cœpit: cùm ecce tanta claritate illa cellula perfunditur, ut hi qui præſentes fuerant, terræ velut in ecſtaſi proſternerentur. Sed beato viro propriis illos nominibus excitante & paullatim lumine labeſcente quod laudibus defuerat, ſuppleverunt. Expletis igitur Matutinarum horis, iterum Fratres ante eum convenerant: cùm ecce repentè ſuaviſſimus odor cum claritate ſupervenit adluceſcente. Beatus iſte ſpiritus

Moritur.

carne ſolutus liber cum illa claritate ad Dominum migravit: ſolus odor remanſit, qui uſquedum corpus ſepulturæ traditur, nuſquam evanuit. Quanto mærore videres cum ſuo Abbate Fratres affici, qui ſe locumque quem fecerat ruiturum clamabant. niſi quia de virtute non ignota confiſi, apud ſupernum tutorem præcipiuntur ſperare patronum. Ruit undique univerſus populus ad exſequias: & licèt Fratres timentes ne ſancti corporis gleba violenter auferretur, eadem die humandum feſtinarent; tamen tanta Cleri & Monachorum cum ſua plebe advenit multitudo, ut nec baſilica Clerum nec locus in ſuis anguſtiis comprehenderet populum. Adfuit præterea Valentinenſis Epiſcopus, venerabilis ſcilicet DOGTRANNUS: qui licèt loco vicinus, vix tamen ſemiſepulto occurrit. qui cùm reprehenderet, quòd tanti viri meriti non intra ſancta Sanctorum (ut decuit) ſepeliretur; Abbas reſpondiſſe fertur: Præteriiſſe mandatum ejus nobis nefas viſum eſt, quem plenum omni humilitate nos ſæpius rogaſſe meminimus, ut ſi apud nos contingeret habere ſepulturam, hunc locum humiliorem ſibi elegerat, quem conſueta oratione dicavit, & multis lacrymis irrigavit, & multa benedictione conſecravit: nec de ejus meritis diffidimus, qui apud poſteros inde ſublatus honorificè in ſuo altari ſublimetur.

Dogtrannus Epiſcopus ſepulturæ adeſt.

Annorum vitæ ſumma.

Tranſiit autem B. Barnardus venerabilis Pater dominica die luceſcente, vitæ ſuæ anno LXIV, epiſcopatus verò XXXII. Nam decem & octo annorum Fratribus defunctis ab ſcholis abſtrahitur; & patre cogente uxori copulatus ſeptem annis conjugium ſuſtinuit; filiiſque procreatis & heredibus inſtitutis, quatuor annis ſub Abbate verè vitam Monachi duxit; tribus Abbas præfuit; deinde pontificali ſede ſublimatus Viennenſem eccleſiam XXXII annis rexit. Sepultus eſt autem octavo Kal. Februarii in baſilica Apoſtolorum, quam ipſe Romanis ædificavit in prædio mulieris viduæ B. Petro ſub teſtamento derelicto herede, ubi ſanctorum Martyrum corpora cum multis Martyrum & Confeſſorum & Virginum habentur reliquiis, ad laudem Domini noſtri JESU-CHRISTI, qui cum Deo Patre, Spiritu-ſancto in unitate vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum.

FRAGMENTUM ALTERUM.

REVERSIS verò domino Papa & ceteris Pontificibus in ſedibus ſuis, ſicut ſanxerunt, LEIDRADUS adiit Lugdunum, duos quos ſupervixit annos, ſtuduit bonis operibus. quo defuncto AGOBARDUS ſedem quam dudum perceperat, recepit. Electi autem Dei Pontifices eccleſiarum Chriſti, Barnardus Viennenſis & Agobardus Lugdunenſis, præcepta vitæ ab ipſo traditæ adimplentes, fidei documenta non ſolùm dictis, ſed etiam operum exhibitionibus præbentes, immenſa pollebant bonitate. Per idem verò tempus CAROLUS Auguſtus præfatis Sacerdotibus & ceteris Galliarum Præſulibus direxit capitula, admonens, ut ea quæ ſparſim erant in diverſis Conciliis à ſanctis Patribus edita de Fidei unitate ac ſtatu Eccleſiæ, & de adminiſtratione rei publicæ, excarptim colligere ſtuderent.

Concilia quinque anni 813.

inſpiratione (ut credimus) quadam divina tactus, ſcribendo Archiepiſcopis Galliarum præcipiens, ut per quinque loca cum Coëpiſcopis utriuſque partis ſibi convenientibus Concilium uno eodemque die tenerent, & de prælibatis capitulis omnes devotè tractarent; & quidquid aut illorum petitiâ, vel Spiritu-ſancto revelante aucta maturiúſque inventa fuiſſent, fideli cura examinata offerre ſtuderent. Gratias autem Deo reddiderunt omnes, quòd tam ſapientem, tamque prudentem Eccleſiæ ſuæ Chriſtus fecerit Regem, qui non ſolùm pacem cunctis mortalibus exoptatam ſuà induſtriâ tribueret, verùm etiam animarum curam non parum penderet, & omnes ſalvandos Chriſto gubernante ſua adhortatione vellet. Denique ſynodalem inſtitutionem ſecundùm Regis edictum cuſtodiunt: illuſtrante illos ſuperna clementia, quæ juſſerat, adimplentes, ac per quinque loca Concilia celebrantes, ſicut jam dictum eſt, Mugontiaco videlicet, Remis, Turonis, Cabilone, Arelate: quid ſtatutum fuerit cum ſummo ſtudio Auguſto dirigunt. quæ ille omni cum gaudio ſuſcipiens, accitis Notariis in tria volumina digerere præcepit, ſicque legenda eccleſiis tradidit. Quantæ autem ſanctitatis vigor, ſed & eruditione diſciplinæ ſanctus Agobardus exſtitit, epilogus Antiphonarii Lugdunenſis quem edidit, pleniſſimè edocet. qui etiam apud Sanctonas in expeditione regia diem clauſit extremum.

ANN. CHR. DCCCXLII. JANUARII XXIII.

Agobardi mors.

Multa quidem ſecundùm ſæculi dignitatem, & ad actualem vitam pertinentia legimus, quæ ſanctus Barnardus geſſit, quæ ne faſtidium lectori facerent, prætermiſimus. Fuit enim dilectus P I P I N O [a] Regi Francorum, filióque ejus magno C A R O L O Auguſto, ſicut jam dictum eſt, ac L U D O V I C O filio Caroli illuſtriſſimo Auguſtorum & affinitate conjunctus: à quibus honorificatus deſcribitur, & infula pontificalis gloriæ creditur ſublimatus. Hic nobilitatem quam duxit ex proſapia, divina favente nobilitavit gratia. Triceſimo-ſecundo ſui anno pontificalem adeptus eſt cathedram: gregem ſibi cælitus commiſſum ſancta ſollicitudine monitis & exemplis jugiter refovebat: eratque (ut in ejus epitaphio [b] exaratum reperitur)

Barnardi elogium.

Inclytus, egregius, largus, facundus, honeſtus,
Doctrina populo, religione Deo.

Inclitus ſcilicet nobilitate ac morum probitate; egregius verò quòd dignus fuerit patriarchii electione; largus autem in rerum ſuarum miſericordiſſima diſtributione; facundus autem elegantiâ ſermonis; honeſtus nempe caſtitate ac totius corporis integritate; doctrina (ut verè fertur) populo, religione (quod ſublimius eſt) Deo.

Cùm igitur ut bonus paſtor curam gregis ſui gerens per diœceſim ſuam iter faceret, quemdam locum in margine epiſcopii ſui ſuper flumen Iſaræ reperit, qui cujuſdam matrisfamiliæ prædium perhibetur fuiſſe. Videns verò quòd eſſet amœnus, & propter quaſdam adjacentes caſas ad conſtruendum Monaſterium aptus, eidem ad emendum petiit. quæ Pontificis precibus annuens, gratis dare voluit: ſed Sancto non conſentiente æſtimatum pretium tradidit, & locum ſuo juri adſcribi præcepit. De quo vepribus & quibuſdam arbuſtis, quibus pæne plenus & occupatus erat, abſciſis, templum admirandi operis in ipſo loco condere juſſit, cui ob ſublimitatem ædificii *Romanus* nomen tradidit. Templum autem decenter compoſitum cum octo ſuis quibus præerat Epiſcopis in honorem duodecim Apoſtolorum, ſive trium ſanctorum Martyrum Severini, Exſuperii & Feliciani ſexto Nonas Octobris dedicavit; & ut numquam laudibus Domini irritus fieret, Monachos cum Patre illic deputavit, & ex ſuo jure prædictam ædem locupletem fecit. Fuerunt autem prædicti ſancti

Romanenſis Monaſterii conditio.

Severini, &c. paſſio, reliquiæ.

[a] Immo natus eſt Barnardus poſt mortem Pippini, quæ accidit anno DCCLXVIII. Barnardus verò ſub annum DCCLXXVIII prodiit in lucem. ſiquidem obiit anno DCCCXLII, annos natus LXIV.

[b] Epitaphium iſtud habes poſt ejus Acta in tomo ſuperiore pag. 566

Ann. Chr. DCCC XLII Januarii XXIII.

Martyres paſſi tempore ſancti Juſti Viennenſis Epiſcopi, cujus depoſitio agitur pridie Nonas Maii. Hic floruit temporibus Antonini, cognomento Pii, & Antonini minoris. Quo tempore Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus adhuc Preſbyter habebatur hujus Juſti tempore, fertur perſecutio graviſſima Chriſtianorum: inter quos martyrio coronati ſunt Severinus, Exſuperius, & Felicianus, quorum corpora mira poſtmodum reperta ſunt paullo pòſt, & martyrium illud clariſſimum conſummatum eſt, quando ſanctiſſimus Diaconus, Sanctus nomine, Viennenſis cum aliis Viennenſibus eſt martyrio coronatus. Latuerunt autem ſanctorum Martyrum corpora loco Brenniaco multis temporibus: ſed poſt multa annorum curricula, ipſis ſe revelantibus, cuidam ſancto Diacono, nomine Tertio, ſub Pascasio Viennenſi Epiſcopo mira eorum corpora inventa, atque in baſilica ſancti Romani quæ jam dictæ civitatis parte orientali ſita eſt, à Clero & populo honorificè ſepulta: de qua videlicet (ut ſuperiùs dictum eſt) à ſancto Barnardo ſublata, atque in baſilica Apoſtolòrum Romanis reverenter in ſacrario atque decenter recondita, ſicut ſcriptura refert ſuprà Sanctorum arcis marmoribus inſerta.

Martyribus reverenda tribus hac fulgurat aula,
Quorum cæleſti ſervantur nomina libro.
Hi Domini ob nomen felici ſorte peremti,
Urbe Viennenſi æthereas ſumſere coronas.
Unde huc tranſlati poſt longi temporis annos,
Præſentem illuſtrant meritis vivacibus aram
Conſpicuo in templo, præfatæ quod pius urbis
Condidit Antiſtes, tantoque in honore beavit.
Seque pius ſupplex tradens in ſæcla patronis,
Hic vitâ exceſſit, hic ſacris conditur arvis.
Quem ſine fine tegens foveat miſeratio Chriſti.
Nomina Sanctorum cupiens cognoſcere lector
Scito Severinum, Exſuperinum & Felicianum.
Auctoris nomen commendant ſcripta ſepulcri.

Fuit etiam hic beatus Pontifex Romanis Pontificibus carus, ſicut & Regibus fuerat pretioſus. nam Paſchalis Papa pallium ei poſtulanti ita ſcribit.

Paſchalis P. epiſtola.

» Paschalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, reverentiſſimo & ſanctiſſi-
» mo fratri Barnardo ſanctæ eccleſiæ Viennenſis Archiepiſcopo. [a] Quia
» ſanctitatem tuam in eccleſia Viennenſi gubernationem ſuſcepiſſe cognovimus,
» in Domino Deo noſtro plurimùm inde gaudemus. Unde apoſtolica vice mo-
» nemus, ut in cuſtodia gregis Dei ſtudium tuæ dilectionis prudenter invigilet.
» Pallii uſum quem ad ſacerdotalis officii honorem & ad oſtendendam humani-
» tatem quam cum beato Apoſtolo Petro univerſus grex dominicarum ovium
» quæ ei commiſſæ ſunt, habere non dubium eſt, ab apoſtolica Sede, ſicut de-
» cuit, popoſciſti. Ipſum igitur tibi Viennenſique tuæ eccleſiæ, utpote ab eiſdem
» Apoſtolis fundatæ, majorum more libenter conceſſimus, ad oſtendendam in te
» tuamque eccleſiam ejuſdem Sedis apoſtolicæ caritatem, ut ſecundùm morem
» eccleſiæ tuæ eo utaris benignè deſignamus, fraternitatem tuam neceſſariò
» commonentes, ut creditæ tibi eccleſiæ opus ita Deo favente exſequi ſtudeas,
» & adeptam cujus ornaris officio, dignitatem & probitate morum & vivacitate
» ſollicitudinis & cuſtoditæ integritate fidei ampliùs ſtudeas adornari. Omnia et-
» iam privilegia quæ tuæ pridem conceſſa ſunt à prædeceſſoribus noſtris eccle-
» ſiæ, volumus inconvulſa tibi & ſucceſſoribus tuis permanere. Scriptum per
» manum Theophylacti Notarii & Scriniarii in menſe Decembris Indict.
» x. Bene valete. Data per manum Georgii Bibliothecarii ſanctæ Sedis apo-

[a] Mſ. codex hic interponit, *diebus vitæ tuæ tantummodo.* quæ deſunt apud Johannem à Boſco, qui has litteras cum ſequentibus refert.

ſtolicæ Nonis Decembris, imperante Domino noſtro piiſſimo Principe Auguſto Ludovico à Deo coronato magno & pio Imperatore anno quarto, & patriciatus ejus tertio.

Anno Chr. DCCC XLII Jan. XIII.

Eugenius etiam Papa de quibuſdam cauſis à beato Barnardo interrogatus & de privilegio antiquo eccleſiæ noſtræ confirmando, ita reſcripſit, dicens:

Eugenii litteræ.

EUGENIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei BARNARDO reverentiſſimo & ſanctiſſimo Archiepiſcopo. Congaudeo valde vobis, quoniam licèt in aliquibus detentus, tamen pro magno totius orbis Apoſtoli Petri amore noſtroque, litteræ veſtræ ſanctitatis nobis redditæ ſunt, per quas mirè cognovimus, qualem erga nos exercere caritatem deſideratis, unde immemor noſtri fore non debet. quia tuæ dilectionis affectus in viſceribus noſtris reſedit. Et ideo quocumque loco fueris profectus ad rem eccleſiæ tuæ peragendam, optamus ut clavigeri te Petri dextra circumtegat atque gubernet. De cauſa, Frater cariſſime, quam nobis per veſtras ſyllabas intimare curaſtis; hoc ex iis ſcire vos volumus, quia quantum potuimus, recurſu lectionis illam in ſcriniis noſtris inveſtigavimus, & quid poſt auctoritatem Romani in Juſtiniana lege etiam comperimus tuæ ſanctitati per noſtros apices intimamus in capitulo XI quingenteſimo ejuſdem legis ita invenimus. *Cetera deſunt in mſ.*

Tranſlatio facta eſt anno DCCCC XLI V: *ſic legendum in tomo ſuperiori pag. 587 in titulo & in Notatione prima. Vide Additiones infrà.*

VITA BREVIS

SANCTI PASCHASII RADBERTI

ABBATIS CORBEIENSIS,

Circ. ann. DCCC LXV Aprilis XXVI.

Auctore Monacho Corbeienſi anonymo, ſub finem ſæculi XI, aut initium XII.

Ex mſ. codice Corbeienſi.

OBSERVATIO PRÆVIA.

POSTEA quam S. Paſchaſii Radberti Elogium ſuperiùs ad annum DCCCLXV *à nobis editum eſt, venit in manus noſtras compendium ejus vitæ, ſcriptum à quodam Corbeienſi Monacho paullo poſt ejuſdem Sancti elevationem, ut patet ex characterum forma, qui codicem annorum ferè ſexcentorum eſſe probant. In ea ſcriptione etſi nulla ſunt, quæ in Paſchaſii Elogio non ſint illuſtrata; non viſum eſt tamen lectorem fraudare ejus lectione & adjumento. Codex mſ. hunc titulum præfert:* INCIPIT DE S. RATBERTO CORBEIENSI ABBATE.

I. RATBERTUS Corbeienſis Abbas, qui ad Imperatorem LUDOVICUM luculentum edidit librum de corpore & ſanguine Domini, beati Adalardi paternitatem promeruit digna filiatione ſui: qui etiam qualis fuerit ac quantus, in quadam epiſtola teſtatur Abbas Lobienſis HERIGERUS, qui eo tempore inter ſapientes habe-

Radberti eruditio & opera.

Circ. ann. DCCCLXI. Aprilis XXVI.

batur ſapientiſſimus [a]. Hic enim Ratbertus tanta erga ſanctum Adalardum fervebat dilectione, ut tantam compoſuerit prolixitatem ipſius vitæ tanta lamentationis plenam amplitudine, tanto cantici canticorum amatorio languore, ut magis epithalamium dici poſſit, quàm textus alicujus hiſtoriæ. Nihilo minus & WALÆ [b] Abbatis Vitam, ſancti ſcilicet Adalardi fratris & ſucceſſoris, idem Ratbertus edidit: ac poſt eum duobus aliis, HEDDONE ſcilicet & ISAAC intercedentibus, Corbeiam Abbatis loco tertius rexit, feliciterque gubernavit.

Abbatialis dignitas.

2. Sanè cùm in litteris tam ſæcularibus, quàm divinis foret eruditiſſimus, ſuſcepto regimine ſtudium Scripturarum non omiſit, licèt ejuſdem officii curâ ſeu aliorum occupationum obtentu maximè negotioſus. Scilicet ad venerabilem THEDRADAM apud ſanctam Mariam Sueſſionis Abbatiſſam, præfatorum Patrum Adalardi & Walæ ſororem, & ad Sanctimoniales ſub ea degentes, ſuper pſalmum quadrageſimum quartum, contexuit inſignem tractatum, & qualiter ipſi dilecto adhærere deberent, pro quo idem pſalmus Canticum prætitulatur, diligenter exponendo, tribus libris idem diviſit opuſculum. Porro Martyrum Rufini & Valerii paſſio, cùm ſeu propter antiquitatem, ſeu ob ſcriptoris imperitiam depravata eſſet, Ratbertus aliquando itinerans, cùm ad locum qui Baſilicas * dicitur, ad eorumdem videlicet Martyrum memoriam, ſupplicationis affectu divertiſſet; offerentibus ſibi Clericis libellum paſſionis eorum, confuſione offenſus, & de correctione admonitus, ad hoc provocatus eſt, ut eam quæ apud nos legitur, novam cuderet.

Alia ſcripta.

* Baſoches

3. Denique in conventu Fratrum de Scripturis eo creberrimè differente, cùm juxta illud quod ſcriptum eſt, *Favus diſtillans labia ejus, mel & lac ſub lingua ejus*, auditoribus ſuis videretur infundere; multâ ab ipſis evictus precum inſtantiâ Matthæum Evangeliſtam aggreſſus eſt exponere. Hujus operis duodecim compoſuit libros, nimirum adhuc Monachus, cuidam GUNTLANDO Monacho ſancti Richarii apud Centulam religioſo admodum viro, dirigens quatuor primos. Jam verò factus Abbas, ceteris in commune Fratribus ejuſdem loci utpote ſibi familiariſſimis, (quippe qui ei aliquando eo ſcilicet tempore, quando amicus & medicus probantur, affuerant) eis, inquam, dedicans reliquos. Illum autem de corpore & ſanguine Domini tunc temporis ſcripſiſſe animadvertitur; cùm beatus ADALARDUS [c] quem ipſe in præfatione ejuſdem libri ARSENIUM vocat, apud Herio inſulam exſul mundi & paradiſi civis haberetur.

4. Enimvero omnium operum ſuorum egregium illud noviſſimum fuiſſe reor ſuper lamentationes Jeremiæ, tractatoribus Latinis (ut ipſe meminit) eatenus intentatum: quod ſcilicet trimoda expoſitione diſtinctum, quinque autem voluminibus explicatum, jam ſenex edidit ad ſenem ODILMANNUM quemdam: primo videlicet enucleans, quomodo ad carnalem Iſrael pertinere intelligenda ſint in eiſdem threnis quæ dicuntur accepta ad litteram: deinde ſubnectens quomodo ad Eccleſiam in hac convalle plorationis peregrinantem inter hujus ſæculi turbines fluctuantem, in hujus mundi area quaſi grana inter paleas gementem, eadem transferantur interpretata per allegoriam: ad ultimum ediſſerens, quomodo ad eruditionem cujuſlibet fidelis animæ ſingula retorqueantur, conſiderata per tropologiam. Planè teſtari poſſunt pii lectores, quàm præcipuum & quàm provocatorium ad lacrymas & compunctionem ſit hoc opus: ideoque cùm (ut dictum eſt) quinque ſint libri per ſingulos in titulo præmiſſo Actoris nomine ſubinfertur, votorum li-

a Hæc ferè verba ſunt S. Gerardi in prologo ad Vitam S. Adalhardi Abbatis, qualis in hujus Sæculi priori parte edita eſt. An is hujus compendii auctor? Herigeri locus de Paſchaſii Radberti laudibus exſtat in ejuſdem Herigeri libello de corpore & ſanguine Domini, edito ab Cellotio abſque nomine Auctoris, ut oſtendi in hujuſce tomi Præfatione.

b Hinc confirmatur Walæ Abbatis Vitam a Paſchaſio ſcriptam fuiſſe.

c Immo Wala, quem Paſchaſius perpetuò Arſenium vocat in ejus Epitaphio.

ber

Circ. ann. DCCCLXV Aprilis XXVI.

ber fletibus explicandus; atque mox ſubditur, ſeni Odilmanno Severo operæ pretio conſecratus.

Humilitas. Patria.

5. Animadvertendum autem cenſeo, ſanctus iſte Ratbertus in ceteris actibus ſuis quàm perfectæ humilitatis inſigne prætulerit, qui tam ſedulò in titulo prædictorum operum ſuorum, MONACHORUM OMNIUM PERIPSEMA ET LEVITARUM ULTIMUS appellari meruerit. Unde nonnulli voluerunt eum natione Romanum, & in ordine Diaconorum ſeptimum[a] fuiſſe: ſed eo tempore quo à LEONE Papa beatus Adalardus Romæ cum tanta honorificentia ſuſceptus eſt, virtutem viri amplexatum, cum eo tranſiſſe ad has partes, & deinceps diſciplinatui ejus adhæſiſſe. Alii autem eum illum volunt eſſe Paſchaſium, cujus meminit beatus Gregorius in libris dialogorum. Sed fruſtra. repugnat enim cum tempore vitæ locus etiam ſepulturæ. Ceterum quacumque de cauſa contigerit; manifeſtum eſt, quòd binomius exſiſtens tam à ſe ipſo, quàm & ab aliis, modò RATBERTUS, modò PASCHASIUS, modò verò ſimul utrumque nominatus ſit. Suprà memoratæ verò humilitatis conſtat indicium, quod à majoribus noſtris accepimus, numquam eum fuiſſe Preſbyterum: & illud quòd cùm beatum Adalardum circa finem vitæ ſuæ de rebus neceſſariis Monaſterii cum nonnullis Fratrum introduceret ſecretiùs ordinantem, ejus conſcius humilitatis, *quorum*, ait, *etſi indignus unus eram*.

Nomen duplex. Preſbyter numquam fuit. *Vita S. Adalhardi num. 76.*

Vitam ſuã ſcribi vetat. Obit.

6. Inde eſt etiam quòd cùm preclara aliarum virtutum exercitia, poſt ſanctarum exhortationum multiplicia documenta jam ſenior obitum ſuum præſenſiſſet imminere; convocatis Fratribus inter valedicendum, ne quid de vita ſua ſcriberetur, dicitur interdixiſſe. Senex ergo & plenus dierum & ſanctitatis obdormivit in Domino ſexto Kalendas Maii in die ſollemnitatis illius, quem plurimum dilexerat; cujúſque Monachos; tunc multa religione præditos, maxima familiaritate coluerat, id eſt, ſancti RICHARII: ſepultuſque eſt cum luctu & dolore ſuorum in eccleſia S. Johannis Evangeliſtæ, medio loco ante introitum preſbyterii.

Corpus ejus levatũ.

7. Poſtea verò pluribus annorum circulis jam decurſis ſub FULCONE Abbate, qui octavus-decimus ab eo Corbeiæ præfuit, tanta per Dei gratiam ad ejus tumulum facta eſt multitudo ſignorum, tam evidentia ſuper his qui infirmabantur, per ipſius merita claruerunt prodigia ſanitatum, ut auctoritate ſedis Apoſtolicæ per manus WIDONIS Ambianenſis Præſulis ſanctiſſimum corpus illius quarto Idus Julii de ſepulcro levaretur, & ſpectantibus pariterque adorantibus populorum turbis innumeris ad majorem eccleſiam ſancti Petri decenter tranſlatum, cum aliis Sanctis, ADALARDO & PRÆCORDIO[b], deinceps dignè venerandum collocaretur, ad laudem & gloriam & honorem nominis Domini noſtri Jeſu-Chriſti, qui cum Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

[a] Hæc falſa eſſe patet ex ejus Elogio ſuprà.

[b] De S. Præcordio Eremita aliàs dicendum. Interim legeſis ejus Acta apud Bollandum ad diem 1 Februarii.

DE TRIBUS BENEDICTIS,

ANIANENSI, FOSSATENSI,

ET MEDIOLANENSI

ABBATIBUS,

Ubi de EUTICIO Abbate Gallo.

Benedictus Anianenſis idem cùm Euticio.

1. NE ex communione aut diverſitate nominum (ut ſit) in hiſtoria noſtra confuſionem oriri contingat, hic ſeorſim de tribus Benedictis agere conſtitui, deque Euticio Abbate, quem cum Benedicto Anianenſi unum & cumdem eſſe vehemens aliquando ſuſpicio mihi injecta eſt, nunc verò penitus perſpectum habeo.

2. *Benedicti Abbatis Anianenſis Acta retuli in hujus Sæculi priore tomo, ubi res ab eo geſtas accuratè deſcribit Ardo ejus diſcipulus, refertque Indenſium Monachorum epiſtolam de obitu magiſtri ſui. In his Actis & epiſtola quinque res in præſenti obſervandæ ſunt. 1. Benedictus* fecit librum ex Regulis diverſorum Patrum collectum, ita ut prior beati Benedicti Regula cunctis eſſet, *&c. 2. Cùm eſſet Ludovico Pio acceptiſſimus, in ejus gratiam* Imperator juſſit conſtruere miro opere Monaſterium *apud Indam*, quæ vallis à palatio *Aquiſgranenſi* ſex non ampliùs millibus diſtat. *3. Pridie quàm decederet Benedictus, cùm ſolus ab hora tertia ad ſextam manere voluiſſet, ait*, numquam ſe tam bene fuiſſe. adjunxitque: Uſque modò inter choros ſanctorum coram Domino adſtiti. *4. Ipſa obitus ſui die Fratribus ad ſe vocatis profeſſus eſt*, quia quadraginta octo anni eſſent, ex quo Monachus fuerat. *ubi mendosè quidam codices habent*, quadraginta anni. *5. adjecit, in his omnibus annis ſe* nullo die antea panem comediſſe, donec coram Deo lacrymas funderet. *Quæ tria poſtrema refert epiſtola Indenſium Monachorum.*

3. *Eadem omnino Euticio Abbati tribuit Johannes Monachus, qui unus è veteribus Euticii mentionem facit in lib. 1 de vita S. Odonis Abbatis Cluniacenſis. 1. Euticius* cùm eſſet laicus, & peregrinis ſtudiis eruditus, totum ſe dedit beatorum Patrum Regulis & inſtitutionibus: ex quibus auctoritatibus diverſas conſuetudines ſumſit, unoque volumine conligavit. *Hæc eſt* Concordia Regularum *Benedicti Abbatis Anianenſis; aut certè* Ordo monaſticæ converſationis *ejuſdem Auctoris; & fortè utrumque: quos tamen libros, non* laïcus, *(ut falſus eſt Johannes) ſed Monachus & Abbas collegit Benedictus.* 2. Fuit iſdem vir *Euticius* temporibus Ludovici Magni Imperatoris, carus videlicet Regi, omnibuſque amabilis. *Quippe* in tanto amore apud Regem eſt habitus, ut intra palatium ſuum illi conſtrueret Monaſterium. *ſcilicet Indenſe, quod intra fines villæ ſeu palatii Aquiſgranenſis conditum eſt: nec aliud in gratiam cujuſquam intra palatium ab Ludovico Auguſto conſtructum legimus.*

3. *Euticius* circumſtantibus undique Fratribus ſubitò emiſit ſpiritum; & dum à diſcipulis pii Patris pararentur obſequia, ecce rediit vivus, qui fuerat mortuus. Illis verò attonitis & mirantibus dixit: Deo gratias, ſcitis quia ex his quadraginta annis unum tantùm diem non memini me cibum ſumſiſſe, niſi priùs fleviſſem. Hodie namque ſublato mœrore conſolatus eſt me

Dominus, & inter choros Angelorum tribuit mihi requietionis locum. *Benedictus* inter choros Sanctorum Domino adſtitit: *Euticius* inter choros Angelorum. *Ardo raptum & orationis exceſſum Benedicto tribuit: Johannes rem auget, & pro raptu mortem, pro raptûs ſine reditum ad vitam Euticio affingit. Per quadraginta annos Euticius cibum non ſumſit*, niſi priùs flevilſet. *Idem totidem annos præſtitit Benedictus, niſi quòd* quadraginta octo annos *habent melioris notæ codices*, quadraginta *ſequiores, quos prætulit Johannes. Ex his Benedictum Anianenſem cum Euticio Abbate unum eumdemque eſſe aſſerere non dubitem. Nec quemquam movere debet nominis diverſitas. Nam præterquam quòd* Benedictus *&* Euticius *non ita ſignificatu differunt, certè illo ævo familiare erat uni eidemque homini duo habere nomina, unum proprium, alterum adſciticium, ut in Rabani Elogio ſuperiùs demonſtravi. Quòd ſi Benedictus ab Euticio diverſus non eſt, alii auctori tribuendi ſunt* Dialogus de ſtatu Eccleſiæ, *& liber de vita Ludovici Auguſti: quos poſt annum* DCCC XL, *hoc eſt anno ab obitu Benedicti minimùm novemdecim, editos fuiſſe conſtat. De aliis Benedicti Anianenſis operibus infrà.*

4. Sunt qui Benedictum Abbatem Foſſatenſem à Benedicto item Anianenſi non diſtinguendum eſſe opinantur: qua in ſententia eſt eruditiſſimus Carolus Cointius tomo 6. Mihi verò alium ab alio diverſum eſſe indubitatum videtur. Vixit quidem Alius à Benedicto Foſſatenſi, *uterque eodem tempore: & ſicut Benedictus Anianenſis omnia ferè Galliæ Monaſteria; ſic Benedictus Foſſatenſis Fontanellenſe ad Regulæ cultum revocaſſe perhibetur in Chronici Fontanellenſis cap. 16. ubi ejus loci Monachi* olim à viro juſto BENEDICTO Foſſatenſis Cœnobii Abbate eruditi in philoſophia *monaſtica dicuntur. At Benedictus Anianenſis nuſquam* Foſſatenſis *appellatur; ſed tantùm Anianenſis atque Indenſis Abbas fuit, dictuſque eſt: tametſi pleraque Galliæ Monaſteria, ſuo quæque Abbati ſingulari ſubjecta, ſub cura ſua haberet. Verùm unius ab altero diſtinctionem illud evincit, quod Benedictus Foſſatenſis diu ſuperſtes fuit Anianenſi, quem anno* DCCC XXI *deceſſiſſe conſtat. Quippe Foſſatenſis baſilica* elegantiori opere à religioſo Abbate BENEDICTO conſtructa, & à S. ALDRICO Senonenſium Archiepiſcopo, aliiſque Præſulibus dedicata eſt, *ut in libro de miraculis S. Baboleni ſæculo* XI *ſcripto legimus. Idem atteſtatur libellus de vita S. Aldrici, qui* prece Foſſatenſis Abbatis templum quod ipſe *Abbas* conſtruxerat, in honorem beatæ Mariæ dedicaſſe *memoratur. Atqui Aldricus non ante annum* DCCC XXIX *ſedem Epiſcopatus Senonenſis iniit. Itaque ad annum minimum* DCCC XXX *pervenit Benedictus Foſſatenſis, cujus* prece templum quod ipſe conſtruxerat, *Aldricus Archiepiſcopus dedicavit. Fuerit ergo alius neceſſe eſt Benedictus Anianenſis, qui anno* DCCC XXI *ineunte è vivis exceſſit, annis ampliùs novem ante Foſſatenſis baſilicæ perfectionem ac dedicationem, quæ Benedicto Foſſatenſi procurante peracta eſt.*

5. His tertium adjungo BENEDICTUM *Abbatem Italum, ambobus æqualem:* & à Benedicto Mediolanenſi. *quem Petrus Mediolanenſis Antiſtes Cœnobio anno* DCC LXXXIV *in honorem ſanctorum Ambroſii, Gervaſii, atque Protaſii ab ſe conſtructo præpoſuit, confirmante Carolo Magno. Petri Archiepiſcopi & Caroli Magni hac de re litteras refert Ughellus in Italiæ tomo 4. Petrus litteris ſuis Abbatem inſtituit Benedictum Presbyterum*, ita ut Abbas cum Fratribus omnia ſecundùm inſtituta venerabilis Patris BENEDICTI ejuſque Regulam diſponat & ordinet. Sed neque Abbas ibidem ordinetur extraneus, nec ullo umquam tempore, niſi aut eodem in Monaſterio priùs monaſticum ſumſerit habitum ex ipſa jam congregatione, aut quem Fratres eligant, qui eos ſecundùm divinas leges & Patrum Regulas valeant gubernare; *ſeu, ut Carolus Magnus in diplomate ſuo loquitur*, ſecundùm divinas leges, & Regulam S. BENEDICTI.

6. Tres ergo habemus Benedictos Abbates eodem tempore clariſſimos, qui rem monaſticam mirificè illuſtrarunt auxeruntque: tametſi potiorem locum obtinere debet Benedictus Anianenſis, à quo Cluniacenſes Congregationis ſuæ formam, rituumque ſuorum modum ac ſpecimen accepere. quandoquidem ipſe eſt Euticius, qui, re-

ferente Johanne Monacho jam laudato, fuit auctor earum conſuetudinum, quæ hactenus in noſtris, *inquit*, Monaſteriis habentur. *De alio S. Benedicto, cui alterum nomen Vodoalo, ſuperius actum eſt in hac Appendice.*

Benedicti Anianenſis opera.

7. *His ita expoſitis de pluribus Benedictis, hic ex occaſione quædam de Benedicti Anianenſis operibus retractare juvat. ſiquidem præter Concordiam Regularum, earumque Codicem, de quibus actum eſt in ejus Actis, nonnulla eum compoſuiſſe poſtea comperimus. Nam in mſ. codice Colbertino n°. 1310, ut mihi indicavit vir de litteris optimè meritus Stephanus Baluzius, invenitur primò* Benedicti Abbatis Anianenſis forma Fidei tomorum XV, *quæ veluti ſummula Theologica eſt. deinde* Confeſſio Fidei Benedicti Levitæ. *tum* Benedicti Levitæ teſtimoniorum nubecula de incarnatione Dominica, & ſancta & individua Trinitate, & iterationis baptiſmatis devitanda pernicie. *Ad hæc* ejuſdem Diſputatio adverſus Felicianam impietatem. *Denique* ejuſdem epiſtola ad Guarnarium filium. *Primum ex illis opuſculis eſſe Benedicti Anianenſis ex titulo manifeſtum eſt, probaturque ex ejus Actis, ubi Benedictus* perverſum Felicianum dogma, *quod* pæne provinciam illam invaſerat, illæſus ope divina *non modò* evaſiſſe *perhibetur, ſed &* multos, non ſolum infimos, verùm etiam Præſules Eccleſiæ ſuo eripuiſſe ſtudio; & adverſus nefandum dogma veris diſputationum jaculis armatus ſæpe congreſſus fuiſſe. *Hac de cauſa in Hiſpaniam profectus eſt non ſemel, ut teſtatur Alcuinus in epiſtola præfixa libris quatuor adverſus Elipandum, inſcripta Leidrado Epiſcopo Lugdunenſi, Nefridio Narbonenſi, &* Benedicto Abbati, *cùm* eſſent in procinctu itineris. *Quin etiam interfuit Synodo Urgellenſi anno* DCC XCIX *ea de re habita, uti obſervavit eruditiſſimus Baluzius in calce Notarum ad Agobardum. Hinc etiam valida conjectura eruitur, ejuſdem eſſe auctoris opuſcula illa contra Felicem, quæ ex codice Colbertino mox commemoravimus. Sed illud obſtat, quòd Benedicto* Levitæ *tribuuntur: cùm Benedictum Anianenſem Sacerdotii honore præditum fuiſſe indubium videntur. Is quippe, teſte Ardone,* vaſa ad Chriſti conficiendum corpus nolebat ſibi eſſe argentea. ſiquidem primùm ei fuerunt lignea, deinceps vitrea; ſic tandem conſcendit ad ſtannea. *Quod ait* ſibi *&* ei, *vix poteſt de alio, quàm de Benedicto ipſo explicari, ſicuti & ſubſequentia.* Planetam verò refutabat habere ſericeam: & ſi aliquis illi dediſſet; mox aliis ad utendum præſtabat. Aliis, *inquit, id eſt Monachis ſuis Presbyteris, quibus ejuſmodi planetam ad uſum præſtabat, cùm ille ad ſuum ipſius adhibere nollet. nam ſi de Presbyteris extraneis hìc ſermo eſſet, non* ad utendum præſtari *planeta diceretur, ſed in donum tradi & concedi. Itaque prædicta opuſcula, quæ quidem Benedicti Anianenſis eſſe videntur, ab eo nondum Presbytero, ſed Levita ſcripta ſunt, ſi non fallit codicis inſcriptio in titulo* Levitæ. *Certè Benedictum illum, quiſquis tandem ſit, Abbatem extitiſſe inde colligitur, quòd Guarnarium* filium *ſuum nominat.*

* de Caunes

8. *Præter hæc in codice Caunenſis * Monaſterii diœceſis Narbonenſis habetur ejuſdem Benedicti* libellus ex diverſis Patrum ſententiis *collectus de Confeſſione, cum epiſtola nuncupatoria ad Ludovicum (ut puto) Auguſtum, quam hìc referre viſum eſt.*

SERENISSIMO *atque invictiſſimo ſemperque triumphatori .·.·. exiguus* BENEDICTUS *Abbas, ſervus ſervorum Dei.* Vereor nimis, ô glorioſiſſime, ne improbitas meæ temeritatis gignat faſtidium magnitudini veſtræ. Quapropter oro magnificentiſſimam veſtram, mihi quoque avidiſſimè deſiderabilem pietatem, ut libenter modica à modico ſuſcipiat oblata munuſcula; recordanſque ſimul geſta quæ ſunt priſco tempore, quatenus æmulatores divinitus inſpirati legis ſub auctore Moyſen, immo Dei, alacri intentoque devotionis ſtudio nitebantur proferre ad conſtructionem tabernaculi, non ſolùm aurum, argentum, gemmaſque & lapides pretioſos, verùm etiam pelles rubricatas & hyacintinas, piloſque caprarum. Nam veſtræ ſerenitati in

quibus copia rerum temporalium ineſt, ſerica bis tincta bomboſo gemmarum quodammodo redundantia murmure, aut immane auri argentive pondus geſtantia ſtudent offerre. At ego exiguum ut olus intimis ferens ulnis, conor ante almificum veſtrum vultum adire, flagitans omnipotentis Domini ſuffragium, voſque prolixo in ævo protelare dignetur tempore, libentique præſtet vobis exigua à me oblata ſuſcipere. Solatur etiam me & illud, quod veſtræ ſagacitatis induſtria, quæ bene novit multa in modicis comprehendere, & nec deſpicere infima, in qua norit inveſtigare ſublimia. Sufficiat hactenus ſuperfluis aërem percutere verbis, & inexcuſandam temeritatem diutius laborare, ſciens ſcriptum, Sapienti pauca ſufficiunt. Indagemus potiùs quid in hoc tantillulo contineatur codice, in quo nulla mea reſonant verba, ſed ſanctorum Patrum plenus eſt dictis, ſcilicet beati Gregorii & beati Benedicti, necnon & beati Baſilii, ſeu ceterorum priſcorum Patrum. Narratur in eo namque origo noxioſarum cogitationum ſeu bonarum, argumentumque excerptum ex Patribus, qualiter pravæ vitentur, & nutriantur electæ, auxiliante Domino, qui vos muniat atque regat hìc & in perpetuum. Amen.

8. *Hactenus epiſtola, quam ſequuntur nudæ Patrum ſententiæ de revelandis cogitationibus. Patres illi ſunt Gregorius Magnus, ſanctus Pater Benedictus, Baſilius, Macarius Abbas, Paulus Ægyptius, Antonius Abbas, Vita Patrum, Caſſianus, Auguſtinus de perjurio, & Iſidorus. Ipſa eſt ſine dubio Benedicti collectio ex homiliis Patrum, quam Menardus noſter quondam legerat in codice Floriacenſi. Illam porro ex codice ſancti Petri de Caunis Congregationis noſtræ eruit, mihique cum aliis fragmentis bene multis tranſmiſit noſter Claudius Stephanotius, cujus indefeſſum in litteris ſtudium numquam ſatis prædicare poſſim. Titulus & exordium libri ſic habent.* IN CHRISTI NOMINE INCIPIT LIBELLUS EX DIVERSIS PATRUM SENTENTIIS. Sententiæ ſancti Gregorii de lib. Moral. in Job Pars I. Et fuit poſſeſſio ejus ſeptem millia ovium, *&c. Hactenus de Benedicto Anianenſi & aliis.*

DE HERIBALDO, ABBONE, CHRISTIANO, ET BETTONE,

EPISCOPIS AUTISIODORENSIBUS PIISSIMIS.

1. D*E Monaſterio ſancti Germani apud Autiſiodorum percelebri egimus in tomo I Sæculi tertii, ubi Tetrici ejus urbis Epiſcopi Acta relata ſunt. Iis præmiſſæ ſunt Obſervationes maximè tres, prima de officio divino in ſancti Stephani majori baſilica per Tetricum ſic inſtituto, ut Abbates & Monachi iſtius diœceſis unà cum Canonicis, & Archipresbyteris, ſtatis quique diebus, horas ſacras perſolverent. Exſtat apud Labbeum in tomo 2 Bibliotheca nova hæc inſtitutio per menſes aſſignata, excepto menſe Septembri: quod accidiſſe propter ferias vindemiales exiſtimaveram. At noſter Hugo Lanthenas litteris me monuit, in ſchedis mſſ. ſancti Tetrici Vita hæc legi de menſe Septembri.*

Kalend. Septemb. 1 hebdomada Interannus*. * Inter-amnis

2 hebdomada Odone-vicus.

3 hedomada Pulverenus & Totiacus.
4 hebdomada Epponiacus & Carbaugiacus.

Idem ritus vigebat medio ſæculo ſeptimo in Eccleſia Virdunenſi, quæ illis temporibus ita rebus deſtituta erat, ut nemo Clericorum eſſet, qui aſſiduè (ut ſic præcipit eccleſiaſticus ordo) Miſſarum ſollemnia vel conſuetum pſalmorum inibi compleret curſum: ſed præ inopia vix & cum magno labore per ſingulos dies adveniebat aliquis forenſis Preſbyter; & citiſſimè ſatiſque indecenter Horarum & Miſſæ ſimul complens officia, mercede accepta revertebatur ad propria. *Hac ex Vita ſancti Pauli Epiſcopi Virdunenſis. Obſervatio ſecunda eſt de ritu obſervato in inſtitutione Epiſcopi. Tertia de Epiſcopis Monachis, qui Autiſiodorenſem eccleſiam rexerunt: de quibus hic rurſus agendum eſt. Ego quidem omnes numero duodecim numeraveram: ſed plures numerant vulgati indices, nempe* AUNARIUM, WINEBAUDUM, PALLADIUM, TETRICUM, QUINTILIANUM, HERIBALDUM, ABBONEM, CHRISTIANUM, BETTONEM, GUALDRICUM, RICHARDUM, HUGONEM *eo nomine primum, Lamberti Comitis Cabilonenſis filium, qui in extremis Monachi habitum ſuſcepit apud S. Germanum;* HUGONEM de Monte-acuto, HUGONEM *item* Pontiniacenſem, & ALANUM *ex Ordine Ciſtertienſi; item* HERIBERTUM *ſecundum &* ROBERTUM *Monachos factos in extremis, &c. De his omnibus accuratè diſſerere non eſt noſtri inſtituti, ſed tantùm de iis, qui ſæculo* IX *in ſanctitatis opinione floruerunt.*

Heribaldus 2. *Primus accurrit* HERIBALDUS, *paſſim* Heriboldus, *quem Cœnobii S. Germani Abbatem fuiſſe probant ex veteri inſcriptione ad ejus tumulum in cryptis baſilicæ S. Germani appoſita, ex Demochare, & aliis recentioribus. His adverſantur ipſius*
Hiſt. Epiſc. Autiſſiodor. cap. 36. *Pontificis Acta apud Labbeum, ab annis octingentis deſcripta: in quibus Heribaldus* ab ineunte ætate in palatio educatus, *dein* Archicapellanus effectus, poſt deceſſum avunculi ſui Angelelmi *in ſedem Autiſiodorenſem ſuffectus perhibetur. Certè non video, quo pacto ſtatui poſſit Heribaldus in numero Abbatum ſancti Germani. quandoquidem Chriſtianus, qui hunc locum Abbatis jure tenuit Heribaldo Epiſcopo, deceſſorem habuit Deuſdedit Abbatem, ut poſtea videbimus. Ceterum inſcriptio illa, cui Heribaldi abbatialis dignitas nititur, an fuerit magnæ admodum auctoritatis & vetuſtatis, (nam nuper deleta eſt) affirmare non poſſum: quandoquidem mihi eam videre non licuit. Quidquid ſit de Heribaldi abbatiali titulo, certum eſt ex Necrologio ipſum ordinatum* Nonis Aprilis, *& ex Actis Epiſcoporum auctorem fuiſſe tranſlationis S. Germani, de qua ejus Acta ita ſcribunt.* Hic idem Pontifex ſecundo anno belli civilis, qui eſt annus Dei hominis facti DCCCXLI, corpus beatiſſimi Germani præcepto Regum Caroli & Ludovici ex loco, in quo primùm tumulatum fuerat, venerabiliter Kalendis Septembris tranſmutavit. quod ita & ſoliditate integrum, & veſtibus reperit incorruptum, ut quondam fuerat à venerabili Auguſta Placidia decentiſſimè compoſitum. *Lege hac de re Heiricum in lib. 2 de miraculis ſancti Germani cap. 7. Idem Antiſtes privilegium obtinuit à Carolo Calvo, qui donationem Condita villa ſuper fluvium Ligerim, ab ipſo factam* ad ſupplementum veſtimentorum Cano-
* l. XIII nicorum *eccleſiæ Autiſiodorenſis, ratam habuit* XIII Kal. Febr. Indict. XII *, anno X *regni ſui, id eſt anno* DCCCL. Sedit annos XXXIII, *mortuus* VII *Kal. Maias, atque*, ut ipſe petierat, in baſilica ſancti Germani in crypta ſancti Stephani nobilem ſepulturam accepit. *Annus ejus obitus contigiſſe mihi videtur anno* DCCCLVII. *ſiquidem Abbo ejus ſucceſſor poſt annos regiminis duos & menſes decem vivere deſiit anno* DCCCLX. *quo manu ſua firmavit Nonis Junii concordiam, quam H Ludovicus, Carolus, atque H Lotharius in Monaſterio ſancti Ca-*
* Coblentz *ſtoris apud Confluentes* * *fecerant. Itaque Heribaldus ſedem Autiſiodorenſem videtur iniiſſe anno* DCCCXXIV. *Angelelmus ejus deceſſor à Ludovico Pio litteras ad confirmandam villæ Pulvereni donationem ab ſe factam (de qua ejus Acta) obtinuit* anno VI imperii domni Ludovici piiſſimi Auguſti, Indict. XIII. *qua nota anno*

Chriſti DCCC XX *reſpondent. Ergo poſt annos quatuor ſucceſſor ei datus eſt Heribaldus, qui unus fuit ex illis Ebonis Archiepiſcopi Remenſis fautoribus fugâ elapſis anno* DCCC XXXIV, *ex Frodoardo in Hiſtoriæ lib. 2 cap. 20. Celebris eſt inter eruditos Rabani epiſtola ſeu pænitentialis liber ad Heribaldum noſtrum, quam epiſtolam ad annum* DCCC LIII *apprimè revocat jam laudatus Baluzius. Heribaldus diem ſupremum abſolvit anno inſequenti. Abboni ejus fratri ac ſucceſſori ſcripſit Hincmarus* pro Heribaldo Præſule defuncto: qui cuidam Fratri apparens, admonuit de eleemoſyna & orationibus atque oblationibus pro ſe offerendis, *teſte Frodoardo in lib. 3 cap. 21. Idem Hincmarus in poſteriori opere contra Gotheſcalcum, quod anno* DCCC LIX *aut inſequente ſcriptum eſt*, Heriboldum venerandæ memoriæ *appellat cap. 6. De eo ſic lego in vetuſto Necrologio eccleſiæ Autiſiodorenſis:* VII Kal. Maii obiit Domnus ERIBALDUS Epiſcopus, qui dedit ad veſtimenta Fratrum emenda Condidam villam cum ſuis appendiciis, & abbatiolam S. Remigii cum vineis, corticano videlicet & plantis, & ad ſtipendia ipſorum dimidium Maximiacum, hoc eſt manſos XXI. *Nihil de eo in Martyrologio ab annis ſexcentis ſcripto, cui per ſingulos dies Necrologium adjunctum eſt. Ejus corpus jacuit in primario ſepulcro uſque ad annum* M DC XXXVI, *quo illuſtriſſimus Dominicus Seguierius Autiſiodorenſis Epiſcopus cryptas baſilicæ ſancti Germani luſtravit, invenitque inter alia* ſepulcrum ſancti Heribaldi Autiſiodorenſis Epiſcopi, cujus corpus in ſarcophago lapideo, omnium qui in ipſis cryptis habentur (ſi ſarcophagum ſancti Germani excipias) pulcherrimo, caſulâ eâ formâ indutum videbatur, qua in pariete ejus imago depicta. Hujus autem ſepulcri duplex erat elogium: unum Latino idiomate, necnon vetuſtiori charactere: alterum vulgari ſermone, verbis ſcilicet quæ ſequuntur: HIC REQUIESCIT SANCTÆ RECORDATIONIS HERIBALDUS, QUI FUIT ABBAS ISTIUS MONASTERII. *Hæc ex proceſſu (ut vocant) verbali. Heribaldum porro cum aliis Sanctis ibidem ſepultis feſtivo (ut audio) ac ſollemni cultu quotannis venerantur in die octava Sanctorum omnium noſtri Germanenſes apud Autiſiodorum: ubi & aram quondam ipſius nomini ſacram habuiſſe dicitur: hactenus illius tumulus jam dicta die honoratur.*

Abbo.

3. *Heribaldum excepit ejus frater* ABBO, *quem Monachum fuiſſe conſtat, & Cœnobii ſancti Germani Autiſiodorenſis Abbatem.* Sedit annos duos, menſes X, *mortuus* III Non. Decembris, atque in eccleſia ſancti Germani honorificè tumulatus. *Necrologium ea die nudum ejus nomen habet. Illuſtriſſimus Dominicus Seguierius in viſitatione cryptæ, in qua ſepultus eſt Abbo, inter alia teſtatur ſe vidiſſe* tria ſepulcra, in quorum uno, quod medium eſt, corpus cilicio indutum, ſuperpoſito habitu monachali, quem nunc floccum vocant, eadem omnino forma, qua noſtro (*inquit*) tempore Patres reformatos ejuſdem Cœnobii indutos videmus. Præfatis autem tribus ſepulcris contiguas fuiſſe quatuor imagines totidem Epiſcoporum in pariete depictas cum hiſce inſcriptionibus: HÎC REQUIESCIT SANCTÆ RECORDATIONIS ABBO, QUI PRIUS ABBAS ISTIUS ECCLESIÆ, *&c.*

Chriſtianus.

4. *Huic ſucceſſit* CHRISTIANUS, natione Alemannus, ex patre Ercamberto, & matre Amelinde. Sedit annos XIII. Fuit autem vir ſimplex, & tamquam naturali quadam animi vultuſque hilaritate perfuſus, humilitate præcipuus, & familiæ eccleſiaſticæ amator ardentiſſimus. Hic cochleam ab occidentali parte à prædeceſſore ſuo inchoatam ad perfectum uſque perduxit. Hic ipſe Pontifex beatiſſimi Amatoris corporis membra à primæ ſepulturæ loco, unà cum Archiepiſcopo Burdegalenſi, FROTARIO nomine, feſtivè in cryptam ipſius domus tranſvexit. Dedit Canonicis Albaris-villam, quatenus ex ejus redditibus illius memoriale omnibus agatur annis. Deceſſit X Kal. Decembris, atque juxta prædeceſſores ſuos ſepultus eſt in eccleſia ſancti Germani. *Hactenus vetera ejus Acta, quibus concordat Necrologium de donatione Albaris-villæ pro ipſius anniverſario. Beatum eum vocant Litaniæ quadam recentiores eccleſiæ S.*

Germani, cujus loci eum Abbatem fuiſſe tradunt, idque probant diplomate Ludovici Auguſti, quod hic apponere viſum eſt ex chartulario.

Ludovici Pii diploma ad eum.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri JESU-CHRISTI, LUDOVICUS divina repropitiante clemenria Imperatot Auguſtus. Si petitionibus ſervorum Dei juſtis & rationabilibus, quas majeſtatis noſtræ auribus inſinuaverint, divini cultus amore favemus, illius miſericordiam nobis propenſiùs conciliandam omnino confidimus. Quapropter notum eſſe volumus cunctis Fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris, præſentibus ſcilicet & futuris, quia CHRISTIANUS venerabilis Abbas Monaſterii ſancti Germani Confeſſoris Chriſti, quod eſt ſitum in ſuburbio Autiſiodorenſium, adiens ſerenitatem culminis noſtri ſuggeſſit manſuetudini noſtræ, anteceſſorem ſuum Abbarem, DEUS-DEDIT vocabulo, noſtram jamdudum petiviſſe clementiam, ur noſtræ auctoritatis præcepro licentiam ſibi Monachiſque in eodem Monaſterio ſub ſuo regimine degentibus daremus, Abbatibus more humanæ fragilitatis decedentibus ex ſemetipſis SECUNDÙM S. BENEDICTI REGULAM eligendi Abbarem. Noſque ejus rarionabilibus precibus annuenres, non ſolùm eamdem licentiam ob divinum amorem tribuiſſe, ſed noſtro imperiali præcepto eam denuo confirmaſſe. Sed quoniam quibuſdam emergentibus adverſæ partis rurbinibus idem noſtræ confirmationis ſcriptum nobis fideliter obediendo exciдiſſe, ſeque amiſiſſe profeſſus eſt; humillimis precibus noſtræ ſupplicavir clementiæ, ut memoratam auctoriratem noſtri favoris benignitariſque abundantiâ reſcriptam recipere mereretur. Cujus ſupplicationes dignas ac rationabiles judicantes, aurem illi accommodate libuir; & idcirco hos noſtræ auctoritatis apices circa memorarum Chriſtianum Abbatem ac Monachos in ſæpedicto Monaſterio S. Germani Confeſſoris Domini per tempora labentia ſub regulari habitu degenribus fieri darique decrevimus: per quos præcipimus atque jubemus, ur quandocumque quiſpiam Abbatum ejuſdem Monaſterii divina vocatione rebus humanis exceſſerit, licentiam habeant ex ſemetipſis, ſi talis inter eos inveniri porerir, qui eis ſecundùm regularem Ordinem præeſſe valeat & prodeſſe, Abbatem eligere: quatenus regularis Ordinis normam ejus ſanctiſſima adminiſtratione inregerrimè conſervantes, immo adimplere ſtudenres, pro nobis, conjuge, proleque noſtra, ac ſtabilitate & pace totius Imperii à Deo nobis commiſſi attenriùs eos quietiuſque Domini miſericordiam indeſeſſis precibus exorare delecter. Et ur hæc noſtræ præceptionis auctoritas noſtris & ſucceſſorum noſtrorum temporibus inviolabilem & inconvulſam obtineat firmitarem, manu propria noſtra ſubter eam firmavimus, & anuli noſtri impreſſione aſſignari juſſimus. Data quarto Kalendas Auguſti, anno Chriſto propitio vigeſimo-ſecundo imperii Domni Ludovici piiſſimi Auguſti, Indictione decima-tertia. Actum Luco villa in Dei nomine felicirer. Amen.

4. Ex hoc diplomate colligitur primò, Chriſtianum quemdam Cœnobii S. Germani (ut dixi) apud Antiſiodarum Abbatem fuiſſe. Deinde Deuſdedit ejus prædeceſſorem in eo munere exſtitiſſe, Ludovico Pio imperante, ac proinde proximum anteceſſorem. Tertià Chriſtianum id muneris geſſiſſe anno DCCC XXXV, *quo ſuperiùs diploma datum eſt; neque tamen in eo perſeveraſſe ad annum uſque* DCCC LX, *qua Epiſcopus Antiſiadorenſis renuntiatus eſt, intelligitur ex vulgato indice Abbatum: in quo poſt Chriſtianum Carolus Calvus anno* DCCC XXXVIII, *Conradus Comes anno* DCCC XLVI, *deinde Hugo, & Lotharius Caroli Calvi filius Abbates recenſentur. Unde nonnihil ſcrupuli naſcitur, an idem ſit Chriſtianus Abbas, qui Epiſcopus Antiſiadorenſis: maximè cùm Acta Epiſcoporum ejus abbatialis tituli non meminerint.*

an idem qui Chriſtianus Drutmarus.

*5. Sunt qui putent, hunc Chriſtianum Epiſcopum eumdem eſſe cum Chriſtiano Drutmaro, cujus commentarii in Matthæum exſtant, Monachis Stabulenſibus * in Arduenna nuncupati. Verùm alium ab eo eſſe perſuaſum habeo, propterea quòd caput*

* à Stavelo

37 *hiſtoria Epiſcoporum Autiſiodorenſium eum* virum ſimplicem *fuiſſe, non eruditum dicunt, neque illi cognomentum tribuunt Drummaro. Ego verò potiùs accederem illi conjecturæ, quæ Chriſtianum baſilicæ Floriacenſis cuſtodem, quem egregiè laudat Adrevaldus in lib. de miraculis S. Benedicti cap. 26, eſſe ipſummet eccleſiæ Antiſiodorenſis Antiſtitem. Is enim* naturâ Germanus erat, *teſte Adrevaldo, &* ſimplicitate nimia *præditus. quod utrumque in Chriſtiano Epiſcopo agnoſcit Auctor, qui de geſtis Epiſcoporum Autiſiodorenſium ſcripſit, eum* natione Alemannum, *atque* virum ſimplicem *appellans. Et tempus apprimè convenit. nam hunc ad tempus Ludovici Auguſti revocat Adrevaldus: qui tamen nuſquam eum Epiſcopum fuiſſe dicit, ſed tantùm laudat his verbis:* Omni religione atque honeſtate præſtantem, CHRISTIANUM nomine, Monachum cuſtodem ſortitur, *ſcilicet Floriacenſis beatæ Mariæ baſilica.* qui cujus meriti, cujuſque ſanctitatis exſtiterit, luce his clariùs eminet, qui ejus vitam ſinceramque novêre innocentiam.

6. *Chriſtiano ſucceſſit ſub annum* DCCC LXXIII WALA *in* annos VII & dies XLVIII. *Wala* WIBALDUS, *in Necrologio* Wigbaldus (*quem Acta Epiſcoporum perperam* Uribaldum *ſcribunt*) *anno* DCCC LXXX *aut inſequenti, poſt regiminis annos ſeptem, menſem unum & dies octo, & vacationis menſes tres, & dies* XVIII, *ſucceſſorem ſortitus* HERIFRIDUM, *qui* vixit glorioſè in epiſcopatu XXII annos, menſem unum, dies XVI. *Gerannus eum ſequutus eſt,* rexitque epiſcopatus cathedram quatuor annos, menſes VI, dies XI. Succeſſores.

7. *Hunc è veſtigio preſſit* BETTO, *qui ad eam ſedem videtur evectus anno* DCCCC XIV, *ſi præſtitutum à nobis calculum accuratè expendas. De eo hîc ex occaſione agendum: tametſi ad ſæculum* X *pertineat.* Is natione Burgundio, Senonicæ urbis indigena, patre Alberico atque Burgundione editus, matre verò vocabulo Angela Francigena felici eſt procreatus auſpicio. Qui à puero Monachus *in Cœnobio S. Columbæ apud Senonas*, & liberalibus artibus non mediocriter imbutus, tempore Evrardi *Senonenſis Pontificis ſuperiùs laudati*, cujus erat conſanguineus, Abbas exſtitit Cœnobii S. Heraclii *apud Autiſiodorum:* poſtea loci ſui, id eſt Monaſterii S. Columbæ, Fratrum Prælatus efficitur, *hoc eſt Præpoſitus ſub Richardo Abbate. Tum Cœnobium operoſis ædificiis excolere, eccleſiæ turrim erigere, excdras beati Lupi & ſanctæ Columbæ virginis aureis argenteiſque bracteis ornare, locum validis adverſus Nortmannos mœnibus ac turribus munire,* acceptâ Richardi magni Principis & ejuſdem loci Abbatis licentiâ. *Deinde in Geranni locum* Autricæ *ſeu Autiſiodorenſi eccleſiæ præfectus,* ſanctimoniæ candore, *prudentia, gravitate, frugalitate & liberalitate excelluit. Huic mos erat tempore convivii prima menſa fercula* duodecim egenis in ſuo conſpectu reſidentibus, aliiſque alicubi poſitis pæne omnia dirigere, *uti & ſubſequentia. Inter epulandum, lectione divina recumbentium animos recreabat, neque poſtea cuiquam* quicquam indecens aut ſcurrile *loqui licebat. Demum pleuritide correptus,* in confeſſione catholicæ Fidei ſpiritum reddidit VI Kal. Martii, ſepultuſque in crypta eccleſiæ S. Germani. Sedit annos II, menſes XI, dies XIV. *Clarius Monachus annos ei regiminis tribuit* quatuor. *Vacavit ſedes ad* V *Kal. Aprilis: quo die electus eſt* GUALDRICUS *ex Monacho & Abbate Cœnobii S. Germani apud Autiſiodorum: quem multis prædicat hiſtoria ejus eccleſiæ Epiſcoporum cap. 44.* Betto. Gualdricus.

Betsonem ſic laudat Necrologium mſ. VI Kal. Martii obiit Domnus BETTO Epiſcopus, qui dedit Fratribus, *id eſt Canonicis*, Vendoſam eccleſiam & Rontonnacum villam, & in Carboiaco manſum unum ad exhibendam refectionem & commune obſequium. *Ejus obitus contigit anno* DCCCC XVIII. *ſiquidem ipſius ſucceſſor Gualdricus, qui teſtante Frodoardi Chronico deceſſit anno* DCCCC XXXIII, *dignitate potitus eſt annis quindecim, ex hiſtoria Autiſiodorenſi. Anno* M DC XXXVI *illuſtriſſimus Dominicus Seguierius Epiſcopus, cùm eccleſiæ beati Germani cryptas (ut præmiſſum eſt) & ſepulta in eis Sanctorum corpora luſtraret; prope Abbonis tumulum invenit* proximiori loco juxta parietem

ſepulcrum ſancti BETHONIS, (*verba ſunt publici ejus inſtrumenti*) cujus corpus hujuſcemodi erat indutum cucullâ ſive flocco, quo S. Abbonis corpus, cilicio aſpero ſubtus adhærente. Inſcriptio autem ſepulcri hæc erat. HIC REQUIESCIT SANCTÆ RECORDATIONIS EPISCOPUS BETHO, *&c. Hæc de Bettone Antiſtite piiſſimo, cujus feſtum non celebratur in eccleſia S. Germani. Quæ ſequuntur, ex occaſione hic adjecimus.*

DE TRANSLATIONE
SANCTI POTENTIANI
IN COENOBIUM JOTRENSE.

ANNO DCCCXLVII, *apud Senonas revelaverunt ſe* ſancti Chriſti Martyres Savinianus, Potentianus, Altinus, Eodaldus, & Serotinus Weniloni Archiepiſcopo & Anaſtaſio Abbati, *nempe Monaſterii S. Petri.* qui levantes eos cum magno honore de eccleſia, ubi ſepulti erant, tranſtulerunt eos in baſilicam B. Petri VIII Kal. Septembris. *Hæc apud Clarium Monachum in Chronico S. Petri Vivi. Tunc contigit, quod in quibuſdam ſchedulis legi de tranſlatione S. Potentiani in Parthenona Jotrenſem*.* Famâ *quippe* miraculorum illius huc illucque pervolante, tandem ad aures Sanctimonialium ipſius Cœnobii pervenit, quæ diuturnâ inter alias diverſarum afflictionum ærumnas tempeſtatum & famis procellâ attritæ, humano deficiente, divinum ſolummodo exſpectabant auxilium. Erat eo tempore in prædicta Senonenſi urbe WENILO ſummæ ſanctitatis & religionis Epiſcopus: in memorato verò Monaſterio HERMENTRUDIS moribus & nomine Abbatiſſa præerat, eidem Epiſcopo proxima affinitate conjuncta. Hæc partim neceſſitate coacta, partim propinquitatis fiduciâ incitata, ipſum Epiſcopum adiit, precatura, ut ſibi & congregationi in maxima anguſtia conſtitutis, ſuo & celeberrimo ſancti Potentiani ſuffragio, *id eſt reliquiarum conceſſione,* ſuccurrere non differret. *Repugnavit primùm Epiſcopus: ſed tandem* Abbatiſſa quod petiit, Deo miſerante, & ſua nimia importunitate obtinuit. Datum & perlatum eſt celeriter ſanctum & incomparabile decus ad locum, quem prædiximus, pondere miſeriarum preſſum, & omni ſolamine deſtitutum: eòque à congregatione cum multa exſultatione ſuſcepto, & ea qua decebat veneratione & devotione in ipſo Monaſterio collocato, poſtea ipſe locus nec famis penuriam, nec ullam tempeſtatis pertulit procellam. *Lege quæ de Jotrenſi Parthenone diximus in Sæculo 2. ad Elogium S. Thedechildis Abbatiſſæ.*

* Ioüarre

DE VIRIS PIIS
EADFRIDO ET ULSINO
ABBATIBUS,
ATQUE ULFO PRÆPOSITO
S. ALBANI APUD ANGLOS.

S. Albani Cœnobii initia,

1\. PAGUS Bedefordenſis *in diœceſi Lincolnienſi* continet Abbatiam S. Albani, *cujus* corpus ſanctiſſimum, quod diu in terræ pulvere jacuerat, Rex Offa in ſcrinio collocatum erexit in lumen; baſilicâ pulcherrimi operis & Monachorum numeroſitate honoravit. *Hæc ex Willelmo Malmesburienſi Monacho, qui & addit, iſtud* Cœnobium numquam omnino ruinæ patuiſſe, *ſed ejus* ætate per Paulum Abbatem, agente Lanfranco Archiepiſcopo, in ſummum auſpicium religionis evaſiſſe. *Vitas viginti-trium ejus loci Abbatum, adeoque ipſius Pauli expoſuit ſingulari opere Matthæus Pariſius, & ipſe Monachus Albanenſis. Is de* WILLEGODO *primo Abbate agens, tradit, Offam Merciorum Regem, loci conditorem fautoremque eximium,* chartas donationis ſuæ ſuper majus altare beati Albani in conſpectu Willegodi Abbatis & totius Conventus & multorum Magnatum obtuliſſe anno gratiæ DCC XCV. *& non diu poſtea migraſſe ad Dominum; Willegodum autem Abbatem anno* DCC XCVI infra duos menſes poſt Regis obitum. *Willegodo ſucceſſit* EADRICUS Abbas eximius: *Eadrico* WLSIGUS. Iſte regali ſtemmate procreatus, erectus eſt citò in ſuperbiam, mutans habitum tam formâ, quàm colore, ſericis utens veſtimentis, *&c.* WLNOTHUS *Abbas quartus* duobus vel tribus annis errores prædeceſſoris diligenter correxit. Poſtea verò pejor priore effectus, tam formam cuculli & frocci, quàm colorem tranſmutavit primitivum.

& primi Abbates.

Eadfridus.

2\. *Huic ſucceſſit quinto loco* EADFRIDUS *ſeu* Eadfrithus, *& ipſe anteceſſoris ſui veſtigiis primùm incedens, dein Ulfi Præpoſiti ſeu Prioris popularis ac conſanguinei ſui, cujus exemplo in meliorem frugem converſus eſt. Sic continuis vicibus hoc in ſæculo virtutes ac vitia fluunt ac refluunt. Tantum valet pii hominis exemplum, ut Eadfridi etiam imitatione Ulſinus ejus ſucceſſor animatus ſit ad ſanctitatem. Sed ut de Eadfrido primùm dicamus*, iſte ex Saxonum Magnatibus originem ducens, tantummodo corpore exſpectabilis elegantiæ & magnitudinis fuit: operibus verò vanus & deſpicabilis. Ex Priore electus & creatus in Abbatem, rigore clauſtri poſtpoſito, in comeſſationibus & otiis ætatis ſuæ tempora inutiliter protelavit. In camera aſſiduus, in clauſtro rarus, in choro numquam apparere dignabatur. In tuendis verò eccleſiæ ſuæ poſſeſſionibus tepidus, in acquirendis puſillanimus, exemplum paſtor ovibus dabat perniciofum. *Illud unum laude dignum inter hæc feciſſe memoratur, quòd* ſcyphum quemdam, tam artificio, quàm materiâ admirabilem acquiſivit, & beato Albano obtulit ad corpus dominicum reponendum. *Mortuo Ulfo Priore, de quo mox agendum.* Abbas ad ſe reverſus, & fortè precibus ſancti viri à Deo reſpectus, depoſito omni faſtu cum faſtigio, vitæ paſtoralis onus & honorem

Abbatiâ cedens fit Eremita.

cum baculo reſignavit: & conſtructis quibuſdam ædificiis juxta oratorium, in loco, ubi prædictus Eremita, habitavit, errata priſtina deflendo, vitam ducens ſolitariam.

Ulfus Prior.

3. Hujus tempore, ex permiſſione ejuſdem, non auxilio, fabricata fuit baſilica in honorem ſancti Germani Autiſſiodorenſis Epiſcopi ab venerabilis memoriæ Ulfo Priore ſancti Albani, miræ ſanctitatis viro. Habitaculum enim illud, in quo idem ſanctus Germanus poſtquam veneranter corpus ſancti Martyris de terra levaverat, moram fecit aliquando, ſcilicet in convalle pomœrii, ubi paludes & arundines capacia loca reddunt inhabitabilia, inhabitabiliter jacuit derelictum; & ædificia diruta vix veſtigia memoriæ prædicti Sancti reliquerant. Conſtructâ igitur, ut prædictum eſt, baſilicâ, ex licentia Abbatis quidam ibidem Monachus clauſtralis, eximiæ ſanctitatis vir, vitam longo tempore duxit eremiticam, hortos coluit, herbis & leguminibus & aquâ in abſtinentia mirabili, & orationibus infatigabilibus deduxit. Meruit igitur pro ſanctitate præclara qua floruit, virtutibus multis inſigniri. Venerunt etiam Epiſcopi & graves viri, tam laïci quàm ſæculares, ad eum: ut per confeſſionem mererentur à peccatis variis expiari, & orationibus ipſius commendari. Iſte Ulfa nomine, Dacus natione, Abbati conſanguineus, poſtquam tempora vitæ ſuæ laudabiliter conſummaverat, ob reverentiam virtutum ſuarum cum Abbatibus meruit habere veneranter ſepulturam. *Qua anno ejus obitus contigerit, certò definiri non poteſt. Eum ſub finem ſæculi IX, adeoque Eadfridi Abbatis, accidiſſe ex ſuperioribus colligere licet.*

Eremita. Confeſſiones excipit etiam Epiſcoporum.

Ulſinus Abbas pius.

4. *Eadfridi pios mores æmulatus eſt ejus ſucceſſor* Ulsinus *ſeu* Ulſigus *Abbas, qui* ita honoravit Eremitam Eadfrithum, quondam Abbatem, deferens ei ob vitæ ſanctæ merita reverentiam magnam; ut & mortuum, ſollemniter faciens exſequias, inter Abbates ſepelierit; & oratorium in quo vixit & mortuus eſt, nimis ob reverentiam S. Germani & ſervi Dei dilexerit; adeoque ſæpe ibidem Miſſam celebraret. Poſtea non procul à loco illo oratorium in honore ſanctæ Mariæ Magdalenæ conſtruxit. Iſte ſanctus & plenus dierum feliciter migravit ad Dominum. *Hucuſque ex Matthæo, qui etſi prædictis viris ſanctitatis nomen tribuit, nullum tamen habuit Martyrologum (quem certè ſciam) adſtipulatorem. Ejus tamen auctoritas id mereri videtur, ut Eadfrido, Ulſino & Ulfo locum inter pios Ordinis noſtri viros concedamus. De Paulo, Johanne & aliis piis ejuſdem loci Abbatibus aliàs agendum.*

DE MONACHIS
qui inter Martyres hoc ſæculo referuntur.

1. *IAm multoties obſervaſſe me memini, hunc morem apud veteres fuiſſe, ut Martyrum in numero haberent, qui violenta morte innocentes occubuiſſent. Multos ejus claſſis tulit ſæculum nonum, quos Danorum ac Nortmannorum procella ſuſtulit è medio, apud Gallos, Italos, Anglos. Apud Hiſpanos Mauri ingentem Monachorum aliorumque ſtragem fecerunt; ſed ex odio nominis Chriſtiani, quæ una cauſa verè Martyres facit. Quamquam eadem quoque ratio aliquando potuit movere Nortmannos, quos prædandi ac ſæviendi cupiditas maximè tenuit.*

Antrenſes.

2. *In Gallia primi occurrunt Antrenſes Monachi, qui ex inſula Antro, in qua ſitum fuiſſe Antrenſe Monaſterium diximus ad Vitam ſancti Hermenlandi* Abba-*

*Sæcul. 3, p. 1.

*tis, Namnetum * ingreſſi perfugii causâ, ibidem à Nortmannis caſi ſunt cum aliis infinitis promiſcuæ multitudinis perſonis. Hanc cædem alii ad annum* DCCC XLIII *referunt, alii ad* DCCC LIII. Tunc civitatis Epiſcopus, vocabulo GUIHARDUS, vir innocens & pietate repletus, Clerus omnis cum Monachis, qui ex vicino Cœnobio, cui vocabulum eſt Antrum, ad urbem copioſum eccleſiæ theſaurum habentes confugerunt, *ut Menardus noſter in lib: 2 ad Martyrologium Benedictinum, die Iunii 24 obſervavit ex Chronico Andegavenſi, in quo hæc ad annum* DCCC XLIII *revocantur. Regino & Sigebertus variant non ſolùm in anno, (nam decennio ſeriùs hæc referunt) ſed etiam in die, aſſerentes id factum* ipſo die ſabbato ſancto Paſchæ: *ſed præferenda videtur Chronicorum domeſticorum auctoritas, nempe S. Sergii Andegavenſis, Turonenſis, & alterius, quorum teſtimonia Menardus adducit.*

* Nannetum

3. *Eadem tempeſtate in Gemeticenſi * Neuſtriæ Aſceterio nongentos Monachos anno* DCCC LI *interiiſſe ferunt. Factum rectè expendit Menardus in lib. 1 Obſervationum ad Martyrologium Ordinis noſtri: ubi advertit hanc cædem refelli teſtimonio Willelmi Gemeticenſis Monachi, qui illam Gemeticenſis Monaſterii vaſtationem ab Haſtingo Nortmannorum duce factam deſcribens, nullam ejuſmodi Martyrum mentionem facit; immo ait, Monachos audito Nortmannorum adventu aufugiſſe, & Haſtingum locum vacuum repertum incendiſſe. Hanc verò de nongentorum Monachorum cæde opinionem natam videri ex his verbis Matthæi Weſtmonaſterienſis oſcitanter lectis:* Exinde apud Gemmeticum claſſem dirigentes, Cœnobium nongentorum adurunt Monachorum. *Ex quibus quidam malè concluſerint, nongentos Monachos à Danis cum Cœnobio Gemeticenſi fuiſſe combuſtos. Hæc ſtrictim refero ex Menardo, apud quem cetera leges in Notis ad Appendicem Wionis, ad verba* Monachi nongenti. *Per eam Gemeticenſium Cœnobitarum fugam contigit, ut quidam ex eis adierit Cœnobium S. Galli apud Helvetios, uti colligo ex epiſtola Notkeri Balbuli ad Liutwordum Vercellenſem Epiſcopum, quam ex veteri mſ. codice mihi ſubmiſit noſter Claudius Stephanotius.* Cùm adhuc, *inquit*, juvenculus eſſem, & melodiæ longiſſimæ ſæpius memoriæ commendatæ inſtabile corculum aufugerent; cœpi tacitus mecum volvere, quonam modo eas potuerim colligare. Interim verò contigit, ut Preſbyter quidam de Gimedia, nuper à Nordmannis vaſtata, veniret ad nos, Antiphonarium ſuum ad nos deferens ſecum, in quo aliqui verſus ad ſequentias erant modulati, ſed jam tunc nimiùm vitiati: quorum ut viſu delectatus, ita ſum guſtu amaricatus. *Ex hac epiſtola, quam integram ad Acta ipſius Notkeri in Sæculo ſequenti daturi ſumus, manifeſtè colligitur, cladem illam Gemeticenſem accidiſſe, non anno* DCCC LXXXVII, *ut ſcribit Matthæus Weſtmonaſterienſis, ſed* DCCC LI, *auctore Willelmo Gemeticenſi. Quippe hæc epiſtola inſcripta eſt* Liutwardo incomparabilis viri Euſebii Vercellenſis Epiſcopi digniſſimo ſucceſſori, .·. necnon & Archicapellano glorioſiſſimi Imperatoris Karoli, *nimirum Groſſi, quem anno* DCCC LXXXVII *extinctum docent veteres Annales. Longè verò ante id tempus contigerat,* Preſbyterum illum de Gimedia (*id eſt Monachum Sacerdotem de Gemetico, aliis Gimedico & Gimedia*) *ad Cœnobium S. Galli confugiſſe, ſcilicet* juvenculo *adhuc Notkero, qui anno* DCCCC XII *grandævus exceſſit è vivis. Plura de Gemetico lege in Sæculo 2 ad Acta ſanctorum Filiberti & Aicadri Abbatum: quibus adde quæ ſuperiùs obſervata ſunt pag. 25.*

Gemeticenſes.
* Iumieges
Willelm. Gemetic. lib 1 c. Hiſt. Norm.

4. *Certiora, & quidem vera ſunt quæ de Beſuenſium cæde per Nortmannos commemorat Chronicon Beſuenſe, editum in Spicilegii tomo 1. Iohannes Monachus ejus auctor, qui non longè ab operis initio Monaſterii Beſuenſis ſitum ita deſcribit.* Eſt locus inter fluvium Araris * ſeu Saugunnæ *, & fluvium quem Tila * vocant, ab emergente ibidem fonte non modico, qui Beſuus * dicitur, dictus & ipſe Beſua. Fons eſt ipſe limpidiſſimus, ad potandum habilis, ac multimodâ piſcium copiâ fertiliſſimus: nec ſicut alii fontes, plurimùm decurrendo & augmentando nomen accepit fluvii: ſed ibidem, ubi oritur, præ magnitudine

Beſuenſes.
* in edit. & Sanguinnæ
* la Saone
* la Tille
* Beze

flumen dicitur. Talem igitur locum AMALGARIUS Dux Deo & ſanctis ejus Apoſtolis Petro & Paulo dignum duxit offerre, & ſub manu filii ſui WALDALENI Monachos, qui ibidem Deo & Sanctis ejus deſervirent, ſub Regula B. Columbani ſtuduit aggregare. *Id factum principatu Chlotharii ſecundi. Chlotharius tertius in Præcepto ſuo memorat Regulam* beati Columbani ſeu beati Benedicti. *Sex omnino ejus loci deſolationes commemorat Iohannes Monachus, quarum poſtrema eſt ea, quæ per Nortmannos facta eſt anno* DCCC LXXXVIII, *& Monachorum aliquot cædi occaſionem dedit. Cùm enim Nortmanni ubique Galliarum, atque adeo in Burgundia graſſarentur*, audientes *Beſuenſes* Monachi Nortmannorum adventum, quidam timore pœnæ ac mortis ſe occultaverunt, quidam ad alia Monaſteria demigraverunt. Nec mirum, quoniam qui hic remanſerunt, gladio interfecti ſunt. quorum nomina hæc ſunt: AYRMANNUS Monachus, GENESIUS Monachus, BERALDUS Monachus, SIFARDUS Monachus, RODCO Monachus, ANSUINUS Preſbyter, ADALRICUS puerulus. Hi omnes pro Chriſto piè jugulati, talionem Deo reddentes, ſacrificium Deo effecti ſunt anno ab Incarnatione Domini DCCC LXXXVIII.

Floriacenſes.

Paullo ante id tempus in Floriacenſi Cœnobio à Nortmannis necati dicuntur Monachi ſexaginta, de quibus ſuprà, ubi de Illatione ſancti P. Benedicti.

Belgici.

* Utrech

4. His adjungunt nonnullos ex Gallia Belgica ſeu ex Germania inferiori, FRIDERICUM *Trajecti * ad Rhenum Epiſcopum, quem quòd Ludovici Pii cum Iuditha conjugium ob conſanguinitatem (ut putant) illicitum redargueret, ob idque excommunicationem minitaretur, Iuditha juſſu occiſum ferunt anno* DCCC XXXVIII. *Ita ex Surio Molanus rem pluribus exponit ad Iulii diem 18. Menardus Indithiam ſuperductam legit ab Ludovico Pio, repudiata legitima uxore. Falſa hac cauſa, dubia altera, ne quid dicam de Friderici monachatu. Friderico item adjungunt* LIBERTUM, cœnobiticæ vitæ cœtui (*ut habet Molanus*) Præpoſitum *in ſuburbano Mechlinia loco: quem Libertum ad altare S. Trudonis in Hasbania à Nortmannis occiſum tradit Molanus Iulii die 24. Quidam id contigiſſe ſcribunt anno* DCCC LI, *alii cum Molano ſub annum* DCCC LXXXIV. *Eodem ferè tempore, hoc eſt anno* DCCC LXXXI, *nonnulli martyrium* EGILHARDI *Abbatis Indenſis referunt ad 25 Maii. Sed nihil de eo comperio, neque apud Molanum & Menardum, neque apud Bartholomæum Fiſſenum.*

Apud Anglos Lindiſfarnenſes.

5. Idem infortunium per Danos experta eſt Britannia inſula, in qua Lindiſfarnenſes Monachi quidam ab ipſis necati ſunt anno DCC XCIII, *referente Turgoto in lib. 2 de hiſtoria Dunelmenſi cap. 5, ubi commemorat, Danos* VII Iduum Juniarum *ad Lindiſfarnenſem eccleſiam veniſſe, cunctiſque vaſtatis ac ſacris pollutis,* quoſdam è Fratribus interfeciſſe, nonnullos ſecum vinctos aſſumſiſſe, nonnullos opprobriis vexatos nudos projeciſſe, aliquos in mare demerſiſſe. *Nec minorem inſulæ cladem iidem intulerunt ſæculo inſequenti. nam anno* DCCC LXXV *in provincia Northumbrorum Monaſteria* paſſim & eccleſias ignibus contradiderunt, ſervos ancillaſque Dei ludibriis affectos interfecerunt, *denique* ab orientali mare uſque ad occidentale cædem & incendium continuarunt. *Tunc temporis contigit, ut in Berkingenſi Parthenone, haud procul à Londino,* tota ſanctarum virginum congregatio cum ſua Matre *à paganis concremaretur, ut legitur apud Capgravium, & in Martii Bollandiani tomo 3 pag. 486.*

Berkingenſes.

S. Fremundus.

Menard. lib. 2 Obſervat. Maii 11.

6. Non præteream hoc loco FROTMUNDUM *ſeu* Fremundum, *quem Anglicanis Martyribus pro vago illo more adnumerant. Hunc alii Offa Merciorum Regis, alii Algari orientalium Saxonum Ducis filium dicunt. Priores Auctores refellit Menardus ex Harpsfeldio, qui Fremundum anno* DCCC LXVI *caſum tradit* V *Idus Maii. Anglicani quippe Scriptores omnes unicum Offæ filium tribuunt Egfertum regni ſucceſſorem, virum pium, Alcuino aliiſque laudatum, cui Fremundi fratris cædem adſcribere nefas abſque auctore: maximè cùm Fremundus poſt ejus mortem caſus dicatur, aliis anno* DCCC LXVI, *Gononi anno* DCCC LXXX. *Maii die un-*

decima ejus obitum reponunt recentiores omnes, elevationem Martii die 28. quo die hac habent Socii Bollandiani. S. Fremundi Monachi & Martyris in Anglia elevatio facta à S. Birino Epiſcopo, celebratur in Martyrologio Anglicano & monaſtico Wionis, Dorganii, Menardi & Bucelini, uti etiam in catalogo generali Ferrarii. *At quo pacto elevatio hominis ſæculo* IX *caſi fieri potuit à S. Birino Dorcaceſtrenſi apud Vveſtſaxones Epiſcopo, quem ſæculo* VII *floruiſſe conſtat? Hæc ſanè perquam obſcura. & tamen S. Frotmundi cultus receptus eſt non ſolùm apud Anglos, ſed etiam apud Neuſtraſios Francos, ut colligitur ex Orderici Vitalis lib.* II *pag. 832. quo in loco Guillelmus* de Ros, *Fiſcamnenſis tertius Abbas, inter cetera* navem baſilicæ, ubi oratorium ſancti Frodmundi habebatur, eleganter auxiſſe *dicitur. Quin etiam apud Caletos exſtat S. Fremundi parœcialis eccleſia, immo & Prioratus prope Conſtantiam in Neuſtria. Mihi aliquando injecta eſt ſuſpicio, num is ſit* FROTMUNDUS pænitens, *de quo multa ſuperiùs relata ſunt in lib. 3 de geſtis ſancti Convvoionis Abbatis cap. 8 pag. 219. Sanè non malè convenit tempus: at Frotmundus iſte Francus erat, qui patrui cædis conſcius, non ipſe cæſus fuiſſe perhibetur. Sed apud Anglos per id tempus nullum ejus nominis invenio præter* FREOTHMUNDUM *Abbatem, qui Concilio Cloveshovienſi anni* DCCC III *ſubſcripſiſſe invenitur apud Spelmanum tomo 1 pag. 325.*

7. Venio ad Italos, apud quos non minima cædes Monachorum Caſinenſium ac Italici.
ſancti Vincentii ad Vulturnum fluvium facta eſt per Saracenos: de quibus fusè actum eſt ſuperiùs ad annum DCCC LXXXIV, *ubi de Berthario Abbate Caſinenſi.*

8. Verùm nuſpiam magis eo tempore graſſata eſt tyrannorum procella, quàm in Hiſpanici.
Hiſpania, ubi Chriſtianorum, ac præcipuè Monachorum maxima ſtrages facta eſt. Eorum defenſionem Eulogius Presbyter Cordubenſis, & ipſe poſtea Martyr, ſcriptis Eulogius.
aggreſſus eſt adverſus nonnullos, etiam Chriſtianos, qui Martyres illos agnoſcere non ferebant, propterea quòd ſe ſe ultro martyrio objicerent. Coactum hac de re Corduba conciliabulum jubente Abdarachmanno Maurorum Rege, procurante Recaffredo Epiſcopo. In eum inſurrexit Eulogius; ob idque ab eodem in vincula cum aliis conjectus anno DCCC LI, Documentum martyriale uno libro compoſuit, *cum epiſtola ad Vvilleſindum, de qua infrà. Quin etiam in Memoriali Sanctorum apologiam Martyrum ſcripſit tum in libro primo, tum in tertio, & ipſe tandem morte pro Chriſto affectus anno* DCCC LIX, *Martii die* II. *Hunc Benedictinis adnumerant Scriptores noſtri Vvion & Menardus in Martyrologio cum aliis. Et quidem Monachus ſtudio fuit, ſed non profeſſione. Id conſtat ex Alvario ipſius Eulogii fratre in ejus Vita. Quippe in S. Zoili apud Cordubam* eccleſiæ deſerviſſe, & in ejuſdem collegio Clericorum vitam perduxiſſe *traditur. Et ne quid ſcrupuli remaneat,* Monaſteria frequentaſſe, Cœnobia inviſiſſe, Regulas Fratrum compoſuiſſe *dicitur, & cuncta eo modo curaſſe*, quo, ſi fieri poſſet, utrobique adeſſet; ita clericatum agens proprium, ut regularem Ordinem non dimitteret alienum; ita Monachis adhærens, ut Clericus probaretur; ita in Clero degens, ut Monachus videretur. Utrorumque profeſſiones unus ſufficientiſſimè complens, currebat ſæpius ad Cœnobiorum ſacratiſſimos greges: ſed ne proprium Ordinem contemnere putaretur, ad Clerum iterum remeabat. *Hæc clericalem ejus profeſſionem adſtruunt palam, non monaſticam. Sed tamen de Eulogio intereſt ut ſcribamus, vel hoc ſolo nomine quòd Monachos amavit plurimùm, & frequentavit. Teſtis ejus epiſtola ad Vvilleſindum Epiſcopum Pampilonenſem, lectu ſanè digniſſima, in qua Seraſcenſium & Legerenſium Monachorum mores egregiè commendat. Illa etiam mihi cauſa ſuccurrit, quòd in rem litterariam probè affectus ſit, præſertim in antiquis codicibus perquirendis, eruendis & emendandis.* Quotidie enim, *teſte Alvaro*, nova & egregiè admiranda quaſi à ruderibus & foſſis effodiens, theſauros elucidabat inviſos, vitiata corrigens, fracta conſolidans, inuſitata reſtaurans, antiqua reparans, neglecta renovans. *Sanè amorem in Monachos ſuum (ut jam dixi) teſtatus eſt in illa ad Vvilleſindum epiſtola, cùm Recaffredi*

Epiſcopi juſſu in carcerem retruſus anno DCCC LI, *non ſolùm Monachos laudat, ſed etiam Vvilleſindum obſecrat, ut ſuum* carcerem omnibus Monaſteriis innoteſcere faciat, & ut proni pia exoratione invigilent, jubeat. *Et quidem in tribus libris de Memoriali Sanctorum Monachos data quaque occaſione commendat, Martyres ſcilicet, de quibus ſtrictim hoc loco agendum eſt.*

Martyres Cordubenſes, &c. 9. *Occurrit primo loco in lib. 2 cap. 1* PERFECTUS *Presbyter Cordubenſis, qui Cordubæ* totam pæne juventutem *in S. Aciſcli* tranſegit Cœnobio, *conſummavitque martyrium* XIV Kal. Maias, ſexta feria, anno Incarnationis DCCC L, æra DCCC LXXXVIII. *Deinde cap. 2.* ISAAC *Monachus Tabanenſis æra ſequenti*, III Nonas Junias, feria quarta. *Erat autem Tabanos viculus* in partibus Aquilonis, inter prærupta montium & condenſa ſilvarum, ſeptenis ab urbe *Corduba* milliaribus diſtans: *ubi duplex Monaſterium*, exercitatione vitæ monaſticæ virorum atque ancillarum Dei *celebre. Ibi tum habitabat Hieremias Iſaaci patruelis, ſumma timoris Dei reverentia præditus, qui cum uxore ſua Elizabeth eò ſeceſſerat cum liberis ac tota pæne cognatione, ibidemque* ſumtu proprio fundamenta ipſius Cœnobii jecerant. Ibi per triennium beatus Iſaac ſub regularibus diſciplinis, ſeu ſub reverendiſſimo Abbate MARTINO, prædictæ feminæ fratre, in ſancto propoſito militavit. *His addit Eulogius cap. 4 ſenos Martyres, nempe* PETRUM *Sacerdotem &* WALABONSUM *Diaconum, qui Cordubam* ſtudio meditandi, *id eſt litteris incumbendi, adeuntes, ſub* FRUGELLO *Abbate Monaſterio ſanctæ &glorioſæ virginis Mariæ præfecti ſunt*, quod in vico Cuteclara non longè ab urbe in parte occidentali, præclaro ancillarum Dei propoſito eniteſcebat. *Addit, inquam,* SABINIANUM & WISTREMUNDUM *Monachos in Armilatenſi S. Zoili Cœnobio:* qui locus pæne à Corduba in partem Septemtrionis triginta & ampliùs milliaribus diſtans, vaſtiſſimam horret inter deſerta montium ſolitudinem: ad cujus collis radices,
* Almellato quo idem ſitum eſt, flumen Armilata * diſcurrens, magno piſciculorum ſolatio inediam refovet Monachorum, ex quo etiam Armilatenſe Cœnobium appellatur. *Ita Eulogius.* HABENTIUS *quintus eſt ab eo laudatus in hoc capite 4, ex S. Chriſtophori Monaſterio*, quod ſitum erat in ſpectaculum urbis in parte auſtrali, ſuper crepidinem ulterioris Bætis: *ubi* ſub artiſſima regula degens, ſpontaneo carceri ſe tradidit, ferreis laminis ad carnem obſæpitus, per feneſtras ſe adventantibus exhibens videndum. *Is cum* HIEREMIA *Tabanenſi ſuperiùs laudato pro Chriſto occubuit, Hieremias quidem flagellatione, Habentius capite amputato. Horum ſex Martyrum cædes accidit eadem æra* DCCC LXXXIX, *Chriſti* DCCC LI, VII Idus Junias. *Eadem æra Theodemirus Carmonenſis Monachus cæſus eſt* VIII Kal. Auguſti, feria ſeptima. *Hunc laudat Eulogius cap. 6. at fuſiùs in cap. 8 commemorat martyrium* MARIÆ *Sanctimonialis Cuteclarenſis, quod accidit eadem æra*, VIII Kal. Decembris. *Strictim* SERVUM DEI *Monachum prædicat cap. 9.* qui Idibus Januarii *ejuſdem æræ occubuit cum Gumeſindo Presbytero, quem Monachum fuiſſe non puto, uti neque Emilum & Hieremiam, de quibus Eulogius cap. 12. De Georgio Bethleemitico Monacho agit capite 10. & capite ſequenti de* CHRISTOPHORO & LEWIGILDO, *altero* Cœnobii S. Martini in montana Cordubenſi, loco qui appellatur Roiana, *Monacho; altero* Cœnobii ſanctorum Juſti & Paſtoris, quod eſt in interiori montana Cordubenſi. *qui ambo occiſi ſunt eadem æra* DCCC XC, *Chriſti anno* DCCC LII, XIII Kal. Septembris. *Menſe ſequenti, id eſt* XVI Kal. Octobris *obtruncatur cum Servo-Deo* ROGELLIUS *Monachus, cujus mentio in capite 12. In libri 2 cap. 7 laudatur* FANDILA *Monachus primùm Tabanenſis ſub Martino Abbate: dein in Cœnobio S. Salvatoris Pinna-Mellarenſi*, quod haud procul à civitate Cordubæ in parte Septemtrionis ad radicem Mellaris pinnaculi ſitum erat, ad officium ſacerdotale prælectus invitè, præconio eorumdem Fratrum ac Sororum, quibus præerat, *approbatus eſt. Caput octavum geſta* ANASTASII *ex baſilica ſancti Aciſcli Cordubenſis*, FELICIS *Monachi ex opido Complutenſi*, & DIGNÆ *Sanctimonialis*

…timonialis ex collegio venerabilis Elizabeth Tabanenſis, de qua ſuprà. Hi tres eodem die ceciderunt, XVIII Kal. Julii æra DCCC XCI. Ex eodem Parthenone prodiit ad martyrium COLUMBA ſoror Martini Abbatis Tabanenſis & ejuſdem Elizabethæ, & quidem XV Kal. Octobris eadem æra. POMPOSA item Monacha ex Cœnobio S. Salvatoris, quod ad radicem Pinnæ-mellariæ conſtitutum eſt, qui locus ſic dictus eſt ob congeſtos in illa celſiori rupe apum induſtriâ favos, XIII Kal. Octobris ejuſdem æræ. PETRUS Monachus prid. Kal. Maias æra DCCC XCIII caſus laudatur in cap. 13. PAULUS & ISIDORUS V Kal. Maii æra ſequenti in cap. 5. ARGIMIRUS in cap. 14 enſe transfoſſus IV Kal. Julias eadem æra. Denique AUREA Monacha Cuteclarienſis, Sanctorum Adulſi & Johannis Martyrum ſoror, eadem æra martyrio coronata eſt XIV Kal. Auguſti. His addunt Caradignenſes Monachos ducentos anno DCCC XXXIV die 6 Auguſti martyrio affectos.

Regula S. Benedicti in Hiſpania.

20. De recepta per Hiſpaniam ſancti Benedicti Regula nihil attinet dicere præter ea, quæ jam alibi expoſuimus, præſertim in Obſervationibus ad Acta ſancti Beati Abbatis in tomo ſuperiori. Neque adverſus ea quidquam efficit Sancii Navarræ Regis diploma, à Morale relatum ad librum Eulogii ſecundum: quo in diplomate ait Sancius, audito beati Benedicti doctrinam ubique rutilare, cogitaſſe ſe, qualiter in regionibus ſuis eam poſſet tranſplantare. Ubi ad marginem Morales apponit hæc verba: D. Benedicti Ordo quando primùm in Hiſpania. Datum verò eſt diploma æra M LX, quæ anno Christi M XXII reſpondet. Fallit Moralis obſervatio. Ibi enim non agitur ſimpliciter de Ordine S. Benedicti, ſed de Ordine ſeu reformatione (quam vocant) Cluniacenſi: eum ad modum, quo interpretandus eſt Adſonis Abbatis locus in libro de miraculis ſancti Berchari Abbatis Dervenſis, ubi B. Odo Abbas Cluniacenſis Floriacenſibus libellum Regulæ primus intuliſſe dicitur. Itaque regnante Sancio in Hiſpania magna facta eſt Regula noſtra celebritas, cùm Cluniacenſium ritibus eò invectis nova rerum facies in Monaſteriis viſa eſt. Tunc quippe contigit id quod ſuperiùs legimus pag. 423 ſub Gauzlino Floriacenſi Abbate, ineunte ſæculo XI contigiſſe, multos ab extimis Hiſpaniæ ſeceſſibus, alios à puero in divina obſervatione enutritos, alios apice paſtoralis curæ ſublimatos, patria rebuſque abdicatis Floriacum petiiſſe, ad præſentiam ſcilicet corporis S. Benedicti: magni exiſtimantes, ſi liceret ejus conſpectibus perfrui, cujus erant doctrina & magiſterio informati. Denique Morales ipſe in Notis ad epiſtolam ad Villeſindum fatetur Hardaſpalenſe Monaſterium, quod nunc de Urdax dicitur, eſtque Ordinis Præmonſtratenſis, non admodum longè ab urbe Vayona, Eulogii tempore Ordinis S. Benedicti fuiſſe.

Monaſteria duplicia.

21. Illud porro in his, de quibus agit Eulogius, Hiſpanicis Monaſteriis obſervandum occurrit, Virginum Cœnobia paſſim (ut in Gallia & Anglia) duplicia fuiſſe; & Virginum quidem Conventui Abbatiſſam, virorum cœtui Abbatem præfuiſſe, qui utriſque ſuperior erat. An idem in Anglia factum, conſule Bedam in Hiſtoria lib. 4 cap. 23. Duplicia ſunt apud Eulogium Tabanenſe, Cuteclarienſe, Pinnamellarenſe. Tabanenſis conditio refertur ab eo in Memorialis lib. 2 cap. 2, ubi de Martino Abbate fit mentio. Frugellus Abbas Cuteclarienſis laudatur in cap. 4. Felix Pinnamellarenſis in lib. 3 cap. 11. De Tabanenſi inſigne illud memoria prodidit Eulogius in lib. 3 cap. 10 Quia clauſtra feminarum à cellulis Monachorum altis interjectis diſparata maceriis, licèt UNIUS PATRIS gubernaculo regerentur; hæ tamen ſequeſtratis ſe manſiunculis retrudentes, nulli omnino contuendi ſe facultatem concedebant: ſed ſi ſubinde aut Fratribus congrua inſtaret neceſſitas, aut hoſpitum pia impetraret humanitas, ſola venerabilis ELIZABETH per feneſtram ſe exhibebat cernendam, quæ Prior & totius erat Mater vera Monaſterii. Sed de his & de noſtris ſæculi IX Martyribus ſatis.

DE REGIIS PERSONIS

Quæ Ordini ſancti Benedicti acceſſerunt ævo Carolino apud Francos.

1. *AD Ordinis noſtri decus pertinet, quòd regii viri, regiæque puellæ
complures ad eum ſæculo IX commigrarunt. Etſi enim nonnulli non
ſuapte primùm voluntate, ſed alieno adacti imperio hoc inſtitutum
ſubierint; illud tamen adeo non cedit in Ordinis probrum, ut contra
omnibus teſtatum faciat, id unum fuiſſe tunc ſummorum virorum perfugium à ſæcu-
li procellis.*

An aliqui Francorum Reges ſponte ſua Monachi.

2. *Atque ut à Francis exordium ſumam, Philippus Rex, eo nomine primus,
cùm anteacta vitæ errata diluere in animum induxiſſet, ac de monaſtico ſtatu cogi-
taret; Hugonem Cluniacenſem Abbatem aliquando interrogavit*, an aliquis um-
quam de Regibus tactus fuiſſet Monachus. *Aſſeveranter reſpondit piiſſimus Ab-
bas, & in exemplum protulit Guntramnum Francorum Regem, quem relictis ſæcu-
li pompis Monachum factum fuiſſe affirmavit. Tum Philippum hortatur ad arri-
piendam pænitentiam perfectamque converſionem, quæ nec faciliori, nec certiori via
apprehendi poſſit*, quam monachica profeſſione. *Exſtat hac de re Hugonis ad
Philippum epiſtola in Spicilegii tomo 2, ex qua id conſecutum, ut Philippus* ad fi-

An Guntramnus.

nem vitæ monachatus *ſit, teſte Henrico Huntindonienſi, ſepultuſque in Floria-
cenſi ſancti Benedicti Monaſterio. An re vera Guntramnus in monaſtica vita ge-
nus conceſſerit, meritò dubitari poteſt. Eum enim ad extremam uſque periodum re-
gno potitum fuiſſe conſtat ex Gregorio Turonenſi & Fredegario. Sed neque in ex-
tremis id exſecutus eſt, uti colligitur ex Fredegarii cap. 14. ubi ait Guntramnum*
„ *regni ſui anno* XXXIII, Regem *mortuum fuiſſe* V *Kal. Aprilis, ſepultumque in*
„ *Monaſterio ſancti Marcelli, quod ipſe conſtruxerat; tumque Childebertum regnum*
„ *ejus aſſumſiſſe. Accedit, quòd cùm S. Columbanus Theodeberto Regi perſuadere
vellet, ut depoſito arrogantiæ ſupercilio* ſe Clericum, *id eſt Monachum, faceret,
& ſacræ ſubderet religioni; Rex & Optimates ejus dictum cachinnis excipientes re-
ſponderunt*, numquam ſe audiiſſe Merovingum in regno ſublimatum, volun-
tarium Clericum fuiſſe. *qui ſanè Guntramni factum non ignoraturi fuiſſent, ſi
quid tale ipſi accidiſſet.*

3. *Omiſſis verò Merovingicæ ſtirpis Regibus liberiſque, qui ſeu ſuopte nutu, ſeu
alieno coactu monaſticam vitam capeſſerunt, nimirum Chlodoaldo Chlodomiri Re-
gis, Meroveo Chilperici filiis, atque adeo Chilperico ſeu Daniele & Childerico po-
ſtremis (uno Theoderico intermedio) illius ſtirpis Regibus; venio ad Carolovingos,*

Carolomannus Monachus & Pippinus Gibboſus.

ex quibus primus occurrit CARLOMANNUS *Pippini Regis frater, de quo ſuo
loco actum eſt. Secundùm hunc* PIPPINUS *Caroli Magni ex Hilmedrade concubi-
na filius, quem Gibboſum cognominant, propterea quòd in patrem conſpiraſſet, ton-
ſus retruſuſque in Monaſterium eſt. Rem commemorant veteres Francorum Annales
à Caniſio primùm editi, ad annum* DCCXCII. Et in ipſo anno inventum eſt
conſilium paſſionum, (*legendum* peſſimum) quod Pippinus filius Regis ex
concubina Hilmedrade nomine genitus, contra Regis vitam ſeu filiorum
ejus, qui ex legitimo matrimonio nati ſunt, (*ſupple* conceperunt.) Rex Ca-
rolus cum cognoviſſet conſilium Pippini & conſentaneorum ſuorum, coadju-
vit adventum (*lege* coadunavit conventum) Francorum & aliorum fidelium
ſuorum ad Reganeſpurg: ubi univerſus populus Chriſtianus qui cum Rege

aderat, judicavit Pippinum & conſentaneos ſuos in ipſo nefando conſilio, ut hereditate & vita privarentur; & ita de aliquibus impletum eſt. Nam de Pippino filio ſuo, quia voluit Rex ut occideretur, judicaverunt Franci, ut ad ſervitutem ei inclinare debuiſſet. Et ita factum eſt, & miſit jam Clericum in Monaſterium. *Quæ poſtrema verba ita reſtituenda cenſet vir accurati judicii Hadrianus Valeſius.* Nam de Pippino filio ſuo, quia noluit Rex ut occideretur, judicaverunt Franci, ut ad ſervitutem Dei inclinare debuiſſet, *&c. Hanc reſtitutionem ſimulque Monaſterii nomen ſuggerit Eginhardi liber de vita Caroli Magni, ubi factum his verbis narratur.* Erat ei filius, nomine Pippinus, ex concubina editus, facie quidem pulcher, ſed gibbo deformis. Is cùm pater bello contra Hunnos ſuſcepto in Bajoaria hiemaret; ægritudine ſimulata cum quibuſdam è primoribus Francorum, qui ſibi nova promiſſione Regni illuſerant adverſus patrem conjuravit. quem poſt fraudem detectam & damnationem conjuratorum detonſum, in Cœnobio Prumia religioſæ vitæ jamque volentem vacare permiſit. *Anno* DCCC XI *mortuus eſt* Pippinus Monachus. *ſic enim eum appellat Chronicon Hildenesheimenſe.*

Quo pacto.

Pippinus Rex Aquitaniæ.

4. *Qui ſic retrudebantur in Monaſteria, non ſtatim Monachorum albo accenſebantur, ſed poſt annuam probationem. Id patet exemplo Pippini ſecundi Aquitaniæ Regis, qui anno* DCCC LII *in Monaſterio ſancti Medardi juſſu Caroli patrui ſui attonſus, anno inſequente* habitum Monachi ſuſcepit, Regulæque obſervationem more Monachis ſolito promiſit. *Res altiùs repetenda ex Annalibus Bertinianis. Cùm Pippinus iſte, alterius Pippini Aquitaniæ Regis filius, adverſus Ludovicum Auguſtum avum ſuum anno* DCCC XXXIX *rebellaſſet; ad Lotharii patrui ſui partes conceſſit anno* DCCC XLI *ante pugnam Fontaneticam, in qua Lotharius victus, profligatuſque eſt. Tum anno* DCCC XLIV *Carolo ad Toloſæ obſidionem properanti* in pago Ecoleſimo *occurrens, ejus copias ita fudit, ut primoribus interfectis, ceteros fugientes, vix paucis evadentibus, aut caperet, aut ſpoliatos ad propria redire permitteret. Anno proximo Carolus* agrum Floriacum in quo S. Benedicti Monaſterium conſiſtit, veniens, Pippinum ſuſcipit, & receptis ab eo ſacramentis fidelitatis, totius Aquitaniæ dominatum ipſi permiſit, præter Pictavos, Santonas & Ecoliſmenſes. Unde & omnes Aquitanici, qui eatenus cum Carolo fuerant, ad eumdem Pippinum converſi ſunt. *Aſt anno* DCCC XLVIII *Aquitani* deſidia inertiaque Pippini coacti, Carolum petunt, atque in urbe Aurelianorum pæne omnes nobiliores cum Epiſcopis & Abbatibus in Regem eligunt, ſacroque chriſmate delibutum & benedictione epiſcopali ſollemniter conſecrant. *Sub hæc anno* DCCC LII Sancius Comes Vaſconiæ Pippinum capit, & uſque ad præſentiam Caroli ſervat: quem Carolus captum in Franciam ducit, ac poſt conloquium Lotharii, in Monaſterio ſancti Medardi apud Sueſſiones tonderi jubet. *Anno ſubſequente* Carolus menſe Aprili Synodum Epiſcoporum juxta urbem Sueſſionum in Monaſterium ſancti Medardi adgregans, duos Preſbyteros Monachos ejuſdem Monaſterii ipſe Synodo præſidens, Epiſcopis judicantibus, degradari fecit, eo quòd Pippinum furari, & cum eo in Aquitaniam fugere diſpoſuiſſent. *Tum* Pippinus Carolo ſacramentum fidelitatis jurat, & inſuper habitum Monachi ſuſcipit, Regulæque obſervationem more Monachis ſolito promittit. *Rem tamen paullo aliter narrant acta Synodi Sueſſionenſis anni* DCCC LIII *in cap. 5. ubi* Pippinus conſilio reverentiſſimorum Pontificum & procerum attonſus, & in habitu monachico ad Monaſterium ſancti Medardi cuſtodiendus & docendus deductus *perhibetur: quem poſtea duo Monachi exinde abducere conati ſint. niſi dicas Pippinum quidem monaſticum habitum novitiis concedi ſolitum cum tonſura ſuſcepiſſe anno* DCCC LII, *atque inſequente habitum profeſſorum, (ut vocant) cùm videlicet ſollemnem ſervandæ Regulæ promiſſionem emiſit. Quidquid ſit, inde egreſſus Pippinus quantas ſubinde turbas excitarit, teſtantur Annales Bertiniani anno* DCCC LIV *& ſequentibus.*

Carolus ejus frater. *5. Quod Pippino, idem etiam Carolo ejus fratri accidit. Is quippe unà cum fra-*
tre ad Lotharium cùm ſe recepiſſet, poſteu relicto Lothario fratrem ſuum Pippi-
num in Aquitania vagantem adire cupiens, à fidelibus Caroli Regis com-
prehenſus eſt, & ad ejus præſentiam perductus *anno* DCCC XLIX. *qui à patruo*
ſuo & patre ex fonte ſacro clementiæ reſpectu ſervatus, menſe Junio apud
urbem Carnutum Carolo Rege conventum habente poſt Miſſarum ſollem-
nia ambonem eccleſiæ conſcendens, innotuit omnibus voce propria ſe ob
divinæ ſervitutis amorem Clericum nullo cogente velle fieri: ibique ab Epi-
ſcopis qui præſentes aderant, benedictus & in Clericum tonſus eſt. *Inde in*
Monaſterium Corbeienſe continuò ſecedere juſſus, ut habet Chronicon Fontanellenſe
apud Cheſnium, anno DCCC LIV *jam* Diaconus ordinatus à Corbeienſi Mona-
ſterio recedit *in Germaniam, ex Annalibus Bertinianis. Poſtea anno* DCCC LVI
mortuo Rabano Archiepiſcopo Moguntiacenſi Karlum magis ex voluntate Re-
gis & conſiliariorum ejus, quàm ex conſenſu & electione Cleri & populi ſuc-
ceſſiſſe *tradunt Annales Fuldenſes. Eum Corbeiæ antiquæ in Francia* Mona-
chum, virum quidem carne nobilem, ſed omnium virtutum genere nobilio-
rem, ſcientia legis divinæ & humanæ optimè pollentem *laudat mſ. codex Mo-*
guntinus à Serario relatus; additque ſummum Pontificem ad eum ſæpe litteras deſti-
naſſe, eumdemque Carolum à patruo ſuo Ludovico Germaniæ Rege è Monaſterio vo-
catum, in Moguntiacenſis eccleſiæ Archipræſulem ſeptimum fuiſſe ſublimatum, ei-
que præfuiſſe annis octo. Hujus pietatis argumentum illud inſigne adducit Cocleus,
Lotharius. *quòd ejus conſilio & hortatu* LOTHARIUS *Imperator imperii faſces ac pompam*
pro nihilo duxerit, ſeſeque in Prumienſe Cœnobium contulerit. Utrumque beatum
vocant nonnulli recentiores. tametſi hunc titulum Carolo tribuere non audet Sera-
rius. Lege quæ de Lothario Imperatore dicta ſunt in Elogio Marcwardi Abbatis in
tomo ſuperiori, & quæ apud Serarium referuntur de Carolo, pridie Nonas Junii de-
functo, & ſepulto in eccleſia ſancti Albani.

6. His præmittendi erant HUGO *Caroli Magni filius naturalis, &* LUDO-
Hugo & Ludovicus. VICUS *ejuſdem ex Rotrude filia nepos, qui tonſura clericali, aut monaſtica donati,*
multis Cœnobiis præfuerunt. De Hugone actum in prima parte Sæculi tertii ad an-
num DCC XXX. *nunc paucis de Ludovico dicendum. Fuit is patre Roricone Comi-*
te & Rotrude Caroli Magni filia genitus, cui S. Dionyſii Abbatia commiſſa eſt,
itemque Centulenſis. Harinlfus in hujus Monaſterii Chronico tradit eum anno
Richodo. DCCC XLIV *in ejus loci regimen* RICBODONI *Abbati, (quem Caroli M. ex filia ne-*
potem Annales Bertiniani, atque eo anno cæſum tradunt) ſucceſſiſſe, virum tam divi-
na, quàm ſæculari prudentia ornatum. Iſte ex regali, inquit, proſapia oriundus
fuit, & nobilitatem præclari generis in nobilitatem tranſtulit religionis. *Anno*
DCCC LVIII *Nortmanni* Ludoicum Abbatem Monaſterii ſancti Dionyſii cum fra-
tre ipſius Guazleno capiunt, eiſque redemtionis ſuæ graviſſimam multam impo-
nunt: ob quam multi theſaurorum eccleſiarum Dei ex Regno Karli ipſo jubente
exhauſti ſunt, ſed his minimè ſufficientibus, ab eodem Rege & omnibus Epi-
ſcopis, Abbatibus, Comitibus, ceteriſque viris potentibus multa ad ſupple-
tionem prædictæ ſummæ certatim conlata ſunt. *Hæc ex Annalibus Bertinia-*
nis, in quibus idem HLudowicus Abbas Monaſterii ſancti Dionyſii & nepos
Caroli Imperatoris ex filia majore natu Rotrude v Id. Januarii anni DCCC
LXVII obiiſſe *memoratur. Fuit & Caroli Cancellarius, cui in utroque munere ſuc-*
Gauzlenus. *ceſſit* GAUZLENUS *ejus frater, poſt Epiſcopus Pariſienſis.*

Caroli Calvi quatuor filii. *7. Inter Caroli Calvi filios duos invenio,* DROGONEM *ſcilicet ac* PIPPI-
NUM *in Elnonenſi Aſceterio educatos, atque in teneris mortuos ſepultoſque, ut ex-*
poſui in tomo præcedente ad annum DCCC IX, *ubi de elevatione S. Amandi:*
duos item in Monaſteriis tonſos, LOTHARIUM *nempe &* CARLOMANNUM.
De Lothario hæc ſcribunt Annales Bertiniani ad annum DCCC LXI. Karolus Rex
filium ſuum Lotharium claudum in Monaſterio S. Johannis Clericum (*id*
eſt Monachum) fieri jubet. *Id de Reomaenſi S. Johannis Cœnobio interpretor. Lo-*

tharia iſti poſten conceſſa eſt ſancti Germani apud Autiſiodorum Abbatia. Anno DCCC LXV cùm Carolus Silvanectis Nativitatis dominicæ ſollemnia celebraturus moraretur, ei Lotharius filius ſuus & Abbas Monaſterii S. Germani mortuus nuntiatur. Præceptore uſus eſt Herico ejus loci Monacho, qui præproperam ipſius mortem luget in epiſtola ad Carolum Calvum. Lotharii frater exſtitit Carolomannus, quem jam Monaſterii ſancti Medardi Abbatem pater ejus Carolus ad conſignandam Wlfado metropolim Bituricenſem tranſmiſit anno DCCC LXV, ex Annalibus Bertinianis. Sed cùm res novas in regno moliretur, anno DCCC LXXIII in Synodo Silvanectis habita ab omni gradu eccleſiaſtico (nam Diaconus erat) dejectus, etiam tonſura eccleſiaſtica privatus, luminibus tandem orbatus eſt, ut fuſiùs docent Annales Bertiniani. Addit Regino ad annum DCCC LXX Carolomannum ſic orbatum miſeriarum & calamitatum ſuarum pondus deplorantem confugiſſe ad Ludovicum Germaniæ Regem patruum ſuum, qui miſeratione motus, Aſternacum * Monaſterium S. Willibrordi ei ad ſubſidium vitæ præſentis conceſſerit, ubi non multo pòſt tempore mortuus & ſepultus ſit. Quinam ex prædictis Monachi fuerint, quive Clerici ſæculares, facilè ex ſuperioribus colligi poteſt. * Epternach

8. Venio ad regias feminas, quæ ſpretis ſæculi illecebris religioſum inſtitutum amplexæ ſunt eodem ævo. In his eminet GISLA Pippini Regis filia, quam Carolus Magnus ejus frater ut matrem venerabatur, teſte Eginhardo. Calenſis Parthenonis Sanctimonialem fuiſſe inde patet, quod Carolus Magnus anno DCCCIV ad colloquium germanæ ſuæ Giſlæ, quæ in his diebus ægrotabat, ad Calam Monaſterium pervenit. Hæc eſt domina Giſla, quæ Calenſem eccleſiam ſanctæ Mariæ à fundamentis ſtruxiſſe perhibetur in hiſtoria tranſlationis S. Balthildis. Giſla. Annal. Metenſ. V. Eginhard. in Vita Caroli M.

9. Huic Giſlæ adjungo THEODRADAM, & GISLAM, Caroli Magni filias, quarum illa Argentogili prope Pariſios Sanctimonialis vixit; hæc neſcio an etiam in eadem loco: quæ ſi eadem eſt cum Giſla, cui uti & Rictrudi Alcuinus commentarios in Johannem nuncupavit, etiam RICTRUDEM ejus ſororem ac Caroli Magni filiam fuiſſe veri ſimile crediderim. Theodrada & Giſla.

10. His adnumerandæ ſunt, ROTHILDIS Abbatiſſa * & Monacha, filia Regis Magni Karoli, id eſt Caroli Calvi, uti legitur in noſtro Pratenſi Necrologio XI Kal. Aprilis: ROTRUDIS ejuſdem filia, Cœnobii S. Crucis apud Pictavos Abbatiſſa: ENGILBERGA Ludovici II Imperatoris conjunx, Brixiæ Sanctimonialis in Parthenone ſancti Salvatoris & ſanctæ Juliæ, apud Baronium ad annum DCCC LXXV. ubi & GISLA Lotharii Imperatoris filia tum Abbatiſſa erat, ex tomo I Bullarii Caſinenſis pag. 24 & 33. IRMINGARDA Ludovici Germaniæ Regis filia & Sanctimonialis in ſancti Galli Necrologio XVII Kal. Auguſti; itemque HILDEGARDIS filia Ludovici Regis in Monaſterio Chemiſſen, tomo 3 Cheſnii pag. 329. nempe in Monaſterio Tigurino, ut lego in libello precum Caroli Calvi edito Ingolſtadii anno 1585. cujus Cœnobii Ludovicus conditor, & Hildegardis prima fuiſſe Abbatiſſa dicitur: denique RICHARDA uxor Caroli Craſſi Imperatoris, quæ marito ſuo de violata fide conjugali ſuſpecta, in Andlaw Aleſatiæ Cœnobium ab ſe conſtructum ſe recepit, teſtantibus Reginone & Hermanno Contracto. De ea hæc leguntur in Chronico Saxonico mſ. ad annum M XLVIII. Idem Papa, ſcilicet Leo IX, in Cœnobio Virginum quod nominatur Andela * in Alſatia, corpus ſanctæ Richardæ Imperatricis de tumulo honorificè elevavit, & in eccleſia recondidit. Hoc Cœnobium nonnulli perperam confundunt cum Andilego ad Sequanam ſex leucis ſupra Rotomagum, quo de Cœnobio agit Beda in Hiſtoria lib. 3 cap 8. Lege Notitiam Galliarum V. Cl. Hadriani Valeſii. Aliæ. * Kalenſis * Andlaw

11. Mitto EADBURGAM, malè ſanam Weſt-Saxonum in majori Britannia Reginam, quæ Beortrico marito ſuo letifera potione ſublato venit in Franciam ad Carolum Magnum, qui dedit illi unum magnum Sanctimonialium Monaſterium, nempe S. Faræ in Briegio, in quo depoſito ſæculari habitu, & Sanctimonialium habitu aſſumto, perpaucis annis Abbatiſſæ functa eſt officio. Nam ob

ſtuprum inde à Carolo ejecta, Ticini miſerè vitam finivit, ut legimus in libro de vita Ælfredi Angliæ Regis per Aſſerum. Ælfredus porro, ut id in tranſcurſu obſervem, cùm Sanctimonialium Monaſterium juxta orientalem portam Sceſteſburg *ædificaſſet*, propriam filiam ſuam Æthelgeoſu devotam Deo virginem Abbatiſſam conſtituit.

12. *Senſim ad exteros excurrit oratio, tametſi apud Francos gradum figere decrevi. Sed tamen præterire non poſſum id, quod de Bulgarorum Rege legere memini in Chronico Saxonico mſ. ad annum* DCCC XLI. Rex Bulgarorum ad Chriſtianiſmum cum ſua gente converſus, miſſis ad eum à Sede apoſtolica miniſtris ſacri ordinis, acceptis etiam à Rege Lodowico ſubſidiis, adeo in Fide ſolidatur, ut non multo pòſt filio majore in regnum ordinato ipſe abrenuntians ſæculo Monachus factus ſit. Sed cùm filius ejus juveniliter agens, ad gentilitatis cultum vellet redire; militiæ cingulo & regio cultu reſumto filium perſecutus cepit; & oculis ejus effoſſis eum in carcerem truſit: & filio minore in regnum locato, ſacrum habitum recepit, & in eo uſque ad finem vitæ perſeveravit. *Trebellius is vocabatur. Hæc ſatis.*

DE TRANSLATIONE RELIQUIARUM

SANCTI MAJANI

CONFESSORIS,

IN COENOBIUM COGNENSE

DIOECESIS BITERRENSIS.

NOSTER *Claudius Stephanotius, qui rebus antiquis eruendis ſedulò incumbit, mihi ſubmiſit hiſtoriolam de translatione corporis S. Majani Confeſſoris ex Vaſconia in Monaſterium Cognenſe diœceſis Biterrenſis*, quam hiſtoriam ex mſ. codice Exeiſienſi* excepit. In eo codice legitur, Majanum Antiochiâ ſub habitu monaſtico veniſſe primùm Romam, deinde in Galliam, atque adito S. Jacobi templo,* ad locum qui dicitur Longuierris *apud Vaſcones conſediſſe procul à tumultu* in quadam beatæ Mariæ eccleſia, *prope fluvium Montiſſanam: ubi mortuus ſepultuſque eſt.*

* de Beziers

* Eyſſés

Translationis tempus & ſumma.

2. *Labentibus annis, ejus* translatio Karoli junioris, nepotis Magni Ludovici Karoli Imperatoris filii, ac THEODARDI eccleſiæ Narbonenſis Archiepiſcopi, necnon & GILBERTI Biterrenſis Epiſcopi temporibus facta *fuiſſe perhibetur. Eo quippe tempore* duo Monachi Cognenſis Monaſterii, quod in Biterrenſi tellure ſitum eſt, quorum unus Subanis, alter verò Centullus vocabatur, *de transferendo ſancti Majani corpore conſilium inierunt. Eo clanculum aſportato* dum finibus appropinquant Cognenſis Monaſterii, mandant per nuntios Abbati, ut ſe præparare non differat ad recipiendum corporis reliquias beati Majani. *Ibi* uſque hodie, *inquit Auctor*, ab omnibus veneratur, licèt Rojani, à quodam caſtro Biterrenſis diœceſis ſic dicti, falsò ſe habere aſſerant dictum corpus. *Cognenſe Monaſterium hinc dictum* Villæ-magnæ, id eſt villæ Majani. *Translatio hæc* celebratur VII Kal. Octobris. *Miracula inde conſecuta* VENERANDO *Abbate & aliis. In Synodo ſancti Tiberii, cùm eo delatum fuiſſet ſacrum corpus,* quidam Vicecomes Biterrenſis, nomine Guillelmus, quemdam attulit puerum, cæcum, claudum, mutum, *cui omnia vitæ officia reſtituta ſunt. Quidam pœnitens dum pro quodam reatu ſui pœna per ventrem medium ferri circulo circumligatus eſſet; ſicque per diverſa Sanctorum loca incedens, Deum mirabiliter pro commiſſi parricidii exoraret culpa; quadam die venit ante beati Majani thecam: ubi dum oraret, circulus ferreus, quo erat cinctus, ſubitò fractus fuit. Item* ad Concilium Agathen-

ſe cùm idem ſacrum corpus delatum fuiſſet, mulier manca & arida manu recepit ſoſpitatem. Hæc carpimus ex illa tranſlationis hiſtoria. Notat verò noſter Stephanotius, eam tranſlationem fuiſſe poſteris ignoratam, nec ſancti Majani reliquias ſupereſſe penes noſtros Villamagnæ Cœnobitas.

3. Quod ſcribit Auctor, Cognenſi Monaſterio ex hac tranſlatione nomen acceſſiſſe Villæmagnæ, falſum eſſe conſtat ex enumeratione Monaſteriorum, quæ Ludovico Pio imperante facta eſt anno DCCCXVII. in qua Monaſterium Villa-magna numeratur inter Cœnobia Septimaniæ. Non ergo à tempore Caroli Calvi, quo regnante tranſlatio hæc facta dicitur, ſed ante illud Villæ-magnæ vocabulum uſu venit. Eruditiſſimus Baluzius in Notis ad hunc locum memorat epiſtolam Monachorum Villamagnenſium ad Canigonenſes, de morte Wifredi Comitis Cerritaniæ & Monachi Canigonenſis, ſcriptam anno MXXV, in qua hæc verba: Venit gerulus veſtri diplomatis ad limina beati Martini Præſulis Villæ-magnenſis & beati Majani Confeſſoris, nobis obitum Patris veſtri & reliquorum Fratrum denuntians, &c. Ex quo intelligitur, Cœnobium illud ſæculo XI dictum eſſe Villa-magna ſimul & B. Majani diſtinctis vocabulis.

An Villa-magna hinc dicta.

Baluz. tom. 2 Capitul. col. 1099.

4. Præterea in hoc tomo tranſlationem S. Mariæ Magdalenæ in Cœnobium Vezeliacenſe, factam à Badilone Monacho, de quo ſuprà in Aureliano Epiſcopo Lugdunenſi actum eſt. Prætereo item tranſlationem capitis S. Johannis Baptiſtæ in Cœnobium Angeriacenſe * diœceſis Santonenſis. Utramque Pippino Aquitaniæ Rege contigiſſe ferunt. De hac poſteriori vide Johannem Beſlium in Hiſtoria Comitum Pictavenſium pag. 63, & ſeqq. eruditiſſimum Cangium in libello ſingulari de tranſlatione capitis S. Johannis Baptiſtæ, & Chronicon Ademari Monachi in tomo 2 Bibliothecæ Labbeanæ pag. 178. & 179. ubi hiſtoria tranſlationis Angeriacenſis futilis ab eruditis dijudicari dicitur, ea ſcilicet, quæ in editis S. Cypriani operibus invenitur.

Tranſlationes hîc omiſſæ.

* S. Jean d'Angely

ADMONITIO

In ſequens opuſculum.

1. QUÆ ſequitur ſcriptio de Euchariſtia, eruta eſt ex mſ. codice Gemblacenſi, in quo cum aliis ejuſdem generis continetur. Occurrit primo loco Ambroſius de myſteriis & de ſacramentis: tum poſt aliqua alia Paſchaſius Radbertus de corpore & ſanguine Domini: dein libellus ſeu epiſtola cujuſdam ejuſdem tituli & argumenti, incipiens ab his verbis, Intuentes ſententiam Apoſtoli, &c. editus in Spicilegii tomo 12. poſtea Dicta cujuſdam Sapientis de corpore & ſanguine Domini adverſus Ratbertum: Fragmentum item de corpore & ſanguine Domini. quod utrumque mox exhibituri ſumus. His ſubjecta ſunt in eodem codice Dicta Domni Abbatis HERIGARI de corpore & ſanguine Domini, cum hoc exordio: Sicut ante nos dixit quidam Sapiens, &c. qui libellus eſt ſub titulo Anonymi à Cellotio editus. Prior Anonymus, quem Acherianum voco, in eo verſatur, ut probet corpus Domini in Euchariſtia egeſtioni & corruptioni non eſſe obnoxium. Alter Anonymus, ſcilicet noſter, duo intendit adverſus Paſchaſium: unum, corpus euchariſticum non eſſe prorſus idem quàm quod natum ex Virgine: alterum, Chriſtum non toties pati, quoties Miſſarum ſollemnia celebrantur. Horum alterum pugnat quidem contra Paſchaſium: alterum Paſchaſio perperam impoſitum eſt, uti agnoſcit Herigerus ſeu Anonymus Cellotianus in cap. 6 his verbis. Quod autem iterum objiciunt eum dixiſſe, totiens Chriſtum pati, quotiens contingat quotidie ubique celebrari, ego certè in libro ejus non reperi, &c. Nec dubium quin hanc accuſationem Herigerus rejiciat in Anonymum noſtrum. nam nihil ſimile apud Ratramnum legere memini. Certè hunc Anonymum viderat Herigerus, qui ex eo verba non pauca & ſententias aliquas tranſtulit in libellum ſuum.

2. Hinc facilè adducor, ut ſequentis Anonymi ſcriptionem non aliam eſſe putem, quàm epiſtolam Rabani ad Egilem ſeu Egilonem Prumienſem Abbatem, cujus in epiſtola ad Heribaldum Rabanus ipſe meminit: ubi arguens eos qui dixerant, corpus Chriſti euchariſticum hoc ipſum eſſe quod natum eſt ex Maria virgine, ſubdit: Cui errori, quantum potuimus, ad Egilum Abbatem ſcribentes, de corpore ipſo quid verè credendum ſit, aperuimus. Et quidem illud maximè me movet, quòd Herigerus, cui Anonymum noſtrum non incognitum

eſſe dixi, hac de quæſtione loquens, duos tantùm Paſchaſio adverſarios, ſcilicet Rabanum & Ratramnum, opponat Paſchaſio: contra quem, *inquit*, ſatis argumentantur Rabanus in epiſtola ad Egilonem Abbatem, & Ratramnus quidam libro compoſito ad Karolum Regem. *Cùm enim Anonymum noſtrum legerit Herigerus, hac in re Paſchaſio datâ operâ repugnantem; cum certè non prætermiſſurus eſſet hoc loco, ſi alius à Rabano & Ratramno fuiſſet. Ad hæc, Anonymi noſtri ætas apprimè convenit cum ætate Rabani. Scribebat quippe Auctor eo tempore, quo controverſia de triplici Christi corpore nova erat. Nam relatâ Paſchaſii de unico corpore ſententiâ hæc ſubdit:* Iſtud planè fateor numquam me priùs audiſſe, vidiſſe, legiſſe. *Hæc verò ſive novitas, ſive ignoratio in illum Auctorem cadere non potuit, niſi vel quia is Paſchaſio æqualis primam vidit iſtius quæſtionis originem: vel quia longiori poſt Paſchaſium tempore natus, ejus rei memoriam, utpote jam obliteratam, à majoribus haud accepit. Atqui vixit ante Herigerum, qui ejus ſcriptione uſus eſt; nec toto ſeſquiſæculo abfuit à Paſchaſio. Nova ergo & inuſitata illi Anonymo hæc contentio viſa eſt, propterea quòd Paſchaſio compar, eam hauſit ab ipſo auctore Paſchaſio. Denique ſcribebat Anonymus noſter tum, cùm Bulgari (quos Nicolao primo Pontifice ad Fidem acceſſiſſe conſtat)* adhuc pars gentilium *erant, id eſt paganorum erroribus tenebantur. Quippe catholicam de Euchariſtia Fidem probaturus, ait eam ita cuivis eſſe manifeſtam, ut* pars etiam gentilium ſciat. Nam quondam in terra Wlgarorum, *inquit*, quidam nobilis potenſque paganus bibere me ſuppliciter petivit in illius Dei amore, qui de vino ſanguinem ſuum facit. *Quòd ſanè in argumentum trahi non poſſet, ſi ceteris converſis nunc aliquis id reſciſſet paganus poſt prædicationem myſteriorum noſtrorum apud Bulgaros: qui* pars gentilium *non rectè dicerentur, niſi omnes in infidelium tenebris tum perſeveraſſent. Porro hæc omnia rectè conveniunt in Rabani ætatem, qui Paſchaſii æqualis, biennio deceſſit ante Nicolai primi pontificatum, ad quem Bulgarorum converſionem referendam eſſe diximus. Non ergo temere cenſeri poteſt hujus ſcriptiunculæ auctor. Quod ſi ita eſt, non dubito quin ipſa ſit Rabani epiſtola ad Egilem Abbatem, quæ ad nos pervenerit vulgaribus epiſtolarum formulis deſtituta: uti contigit Herigeri ſcriptioni, quam Gerardus Abbas in prologo ad Vitam ſancti Adalhardi* epiſtolam *appellat. Neque illud extra conjecturam, quòd Anonymi noſtri lucubratio non ſolùm in Gemblacenſi codice reperitur, ſed etiam (ut ex amicorum relatu intellexi) in membraneo libro Cœnobii ſancti Huberti in Arduenna: qui locus non ita procul abeſt à Monaſterio Prumienſi, cui præfuit Egil Abbas, ad quem Rabanus epiſtolam ſcripſit. Hæc affero pro conjecturis, quas eruditorum judicio libens ſubjicio.*

3. *Ceterum quòd Auctor iſte objicit Paſchaſio quaſi dixerit, Chriſtum toties pati, quoties contingit Miſſarum ſollemnia celebrari, id ex conſequenti tantùm ſine dubio, non ex diſertis verbis deducit. ſic enim invidioſe, ut Paſchaſius ipſe lib. 12 in Matthæum conqueritur, dicta ejus interpretabantur nonnulli, quaſi in libro de corpore & ſanguine Domini, Chriſti* dictis plus tribuere voluerit, quàm ipſa repromittit Veritas: timentes fortè, *inquit*, quod ipſi tunc timuerunt, quibus loquebatur, ne partes facere voluerim, & ejus per ſingulos membra dividere conciſa vel diſpertita, *&c. Ad eumdem modum Paſchaſii adverſarii ex ejus ſententia de uno & eodem Chriſti in Euchariſtia corpore inferebant, fore ut toties Chriſtus pateretur, quoties Miſſa celebraretur.*

DICTA CUJUSDAM SAPIENTIS

DE CORPORE ET SANGUINE DOMINI

Adverſus RATBERTUM.

Ad Præfat. num. 57 & ſeqq. 1. QUòD corpus & ſanguis Domini vera ſit caro, veruſque ſit ſanguis; unuſquiſque debet credere, noſſe, tenere, confiteri pariter & incunctanter aſſerere Fidelis. Prorſus quiſquis hoc negat, eſſe cognoſcitur & convincitur infidelis, quippe qui non credit ipſi Domino dicenti: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* *Ioan. 6, 54.* & , *Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo.* *Ibid. 57.* & , *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus.* *56.* Quod explicans beatus Auguſtinus ait: Ergo ſi verè eſt cibus, & vera caro: & ſi verè eſt potus, utique & verus ſanguis. alioquin, quomodo verum erit quod dicit: *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*, niſi vera ſit caro? Hoc ergo profectò fideliſſimè confirmo, & addo: quòd ſicut veritas eſt Chriſtus, & verus agnus Dei qui quotidie pro vita mundi myſticè immolatur: ita procul dubio ex pane vera caro, & ex vino verus ſanguis ejus conſecratione Spiritus

ritus-ſancti potentialiter creatur. Quia revera quemadmodum S. Auguſtinus veriſſimè teſtatur, ſicut de Virgine per Spiritum-ſanctum vera caro ſine coitu creatur; ita per eumdem ex ſubſtantia panis ac vini myſtice idem Chriſti corpus & ſanguis conſecratur. Quæ cùm certiſſimè omnia ſint, nec ullus hinc Chriſtianus Chriſto credens ambigere poſſit, quod & ipſum eſſe verum pars etiam gentilium ſcit. Nam quondam in terra Wigarorum quidam nobilis potenſque paganus bibere me ſuppliciter petivit in illius Dei amore, qui de vino ſanguinem ſuum facit.

2. Illud in hoc libro * mihi priùs penitus fateor inauditum reperiri ſub nomine ſancti Ambroſii, quòd non ſit hæc alia caro Chriſti, quàm quæ nata eſt de MARIA, & paſſa in cruce, & reſurrexit de ſepulcro. Hæc, inquit, ipſa eſt, & ideo Chriſti eſt caro, quæ pro mundi vita adhuc hodie offertur. Hoc in capitulo poſitum eſt ſecundo *. Similiter dicitur & in octavo: Verè crede, & hoc quod conficitur in verbo Chriſti per Spiritum-ſanctum, corpus ipſius eſſe ex Virgine. Iſtud planè fateor numquam me priùs audiſſe, vidiſſe, legiſſe; multùmque miratus ſum hoc S. Ambroſium dixiſſe: & inſuper etiam multo magis miror auctorem hujus voluminis * illud ibi poſuiſſe. Quippe cùm in ſeptimo capitulo beatus Auguſtinus aliquanto ſuperiùs dicat: Quia Chriſtum vorari fas dentibus non eſt, voluit in myſterio hunc panem & vinum verè carnem ſuam & ſanguinem conſecratione Spiritus ſancti potentialiter creari, creando verò quotidie pro mundi vita myſticè immolari; ut ſicut de Virgine per Spiritum vera caro ſine coïtu creatur; ita per eumdem ex ſubſtantia panis ac vini myſticè idem Chriſti corpus & ſanguis conſecretur. Si enim verum, immo quia procul dubio verum eſt, quod tantus auctor faſſus eſt, quia Chriſtum vorari fas dentibus non eſt; quomodo hanc carnem Chriſti vorari fas eſt, ſi de MARIA nata, & in cruce paſſa, & de ſepulcro reſuſcitata eſt? præſertim cùm illa Chriſti caro reſurgens de ſepulcro ita glorificata ſit, ut jam vorari nullo modo poſſit? Proſus ergò tam contraria, ſicut iſta videntur inter ſe dicta, numquam in ullo ſcripto meo de cetero voluiſſem ponere, niſi conſequenter ea noſſem ſimul, & poſſem, Deo donante, protinus evidenter exponere.

Marginal notes: * interlin. ſcilicet Paſchaſii — * adde cap. 1. & 4. — * ſcil. Paſchaſium

3. Huc accedit & multo aliud moleſtius, & omnino difficilius, illud videlicet quod in duodecimo * capitolo, ubi ſcilicet tribus modis dicitur corpus Chriſti, id eſt Eccleſia, & illud myſticum, & illud quod ſedet ad dexteram Dei; ita diſputat beatus Auguſtinus, quaſi non ei placuerit illud quod ſanctus dixit Ambroſius. Ait enim: Illud corpus quod natum eſt de MARIA, in quod iſtud transfertur quod pependit in cruce, ſepultum eſt in ſepulcro, reſurrexit à mortuis, penetravit cælos, & Pontifex factus in æternum quotidie interpellat pro nobis. Ad quem, ſi rectè communicamus, mentem dirigimus, ut ex ipſo & ab ipſo nos corpus ejus carnem ipſius, illo manente integro, ſumamus. Quæ nimirum caro ipſa eſt, & fructus ipſius carnis, ut idem ſemper maneat, & univerſos qui ſunt in corpore, paſcat. Hæc poſt Apoſtolos omnium eccleſiarum, ſicut ante nos dictum eſt, Magiſtri * dicta, ſi, velut nimis neceſſe, fideliter, ferventer, diligenter, intelligenter & frequenter legeritis, maniſeſtiſſimè cognoſcetis, non quidem (quod abſit) NATURALITER, ſed SPECIALITER aliud eſſe corpus Domini, quod ex ſubſtantia panis ac vini pro mundi vita quotidie per Spiritum-ſanctum conſecratur, quod à Sacerdote poſtmodum Deo Patri ſuppliciter offertur: & aliud SPECIALITER corpus Chriſti, quod natum eſt de MARIA Virgine, in quod iſtud transfertur: & aliud SPECIALITER corpus Chriſti, ſanctam ſcilicet Eccleſiam, qui corpus Chriſti ſumus, dum ab ipſo ſummo Chriſto Pontifice porrigente tribuitur & confertur. Quod revera ſatis liquidò patefecit, cùm de ipſo pio Pontifice noſtro dicit, ut ex ipſo & ab ipſo nos corpus ejus, carnem illius, illo manente integro ſumamus. Quod quid eſt aliud, quàm ut nos, qui ſumus corpus Chriſti, ſumamus corpus Chriſti, quod datur nobis ab ipſo Chriſto, non aliunde quàm à ſemetipſo, quia tranſlatum eſt in ipſum, ut quod eſt in ipſo, nobis qui ex ipſo ſumus, detur ab ipſo, ſed tamen integro manente ipſo, quia ſcilicet integrum corpus Chriſti de MARIA natum, in quod iſtud eſt tranſlatum quod in altari divinitus conſecratur, Deo poſtmodum conſtat oblatum ſimul & immolatum.

Marginal notes: * id. cap. 7. — * Auguſtini — Herig. cap. 4.

4. Ad illa ſiquidem verba Domini, *Hoc eſt corpus meum*, fit corpus Domini; & ſupplicante Sacerdote, corpus Domini ſumtibile transfertur in corpus Domini natum de Virgine, quod eſt penitus inconſumtibile, ut videlicet verè nobis detur ab ipſo Chriſto Pontifice: quia nimirum ſicut ipſe eſt qui baptizat, ſic ipſe eſt qui nobis corpori ſuo corpus ſuum de corpore ſuo ſalubriter ſumendum dat, id eſt ad remedium, non (ſicut reprobi illud accipiunt) ad judicium. Ipſe, inquam, eſt qui dat, quemadmodum ipſe dicit: *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*, non pro duorum mundorum vita. Ipſe planè Pontifex noſter, ipſe verè beatus vir, qui eſt tamquam lignum plantatum ſecus decurſus aquarum, dat Electis tantummodo ſuis fructum ſuum. Ipſe namque eſt & ſapientia propter unitatem perſonæ, in cujus laude lignum vitæ eſt his qui apprehenderint eam. Proinde veraciter ait ipſe, qui eſt utique arbor ligni vitæ: *Qui vicerit, dabo ei edere de ligno vitæ, quod*

Marginal notes: Joan. 6. 52. — Pſal. 1. 3. — Apoc. 2. 7.

eſt in paradiſo Dei mei. Quia profectò, ſicut à beato Auguſtino conſequenter explanatur
in eodem capitulo, non aliis largitur etiam in myſterio, quàm vincentibus. Ipſe namque
granum frumenti, quod cadens in terra fuit mortuum, & affert fructum multum; non
aliis inde dat edere, quàm vincentibus electis ſuis, quos reperit quidem fenum, ſed ipſe
factus homo fenum noſtrum vertit in frumentum; & ipſe hoc ſolummodo frumentum ſuum,
electos videlicet ſuos, cibavit, cibat, & cibabit ex adipe frumenti. Unde dicitur & in alio
Pſal. 147, 14. pſalmo ad Jeruſalem & Sion: *Et adipe frumenti ſatiat te.* Unde dicit & Zacharias Pro-
pheta loquens de Eccleſia: *Et quid bonum ejus eſt, & quid pulcrum ejus, niſi frumentum*
Zach. 9, 17. *electorum, & vinum germinans virgines?*

5. Ecce claret ad liquidum, quòd non niſi ſolorum eſt cibus electorum. Ponamus igitur
ante oculos fidei ipſum beatum Pontificem noſtrum, beatum filium, & ſapientiam; & ſuſ-
cipiamus gaudenter, pariter & tremendo, qualiter ipſe, qui eſt utique lignum vitæ, ve-
lut decerpendo decedat electis ſuis timoratè & humiliter accedentibus ad ſe communican-
dum fructum vitæ; ſicque perfacile & conſequenter poterimus credere vero lumine fidei
noſtræ gratis oculos illuſtrante, quòd Dominus pridie quàm pateretur, verum corpus & ſan-
guinem ſuum dedit diſcipulis ſuis, manente integro corpore ſuo, quod à die reſurrectionis
reſumtum gerit immortale. Unde re vera ſatis congruenter divinitus diſpoſitum ſimul &
factum eſt, quòd ante paſſionem Domini celebratum eſt hoc ſacramentum: quatenus cor-
pus Domini quod ſeminatum eſt, reſurgens integrum maneat ſemper & incorruptum; &
tamen hunc quem ejus inſtante morte percepimus, uſque ad finem ſæculi de ipſo ligno vi-
tæ ſumamus quotidie fructum: quia profectò de ipſo ligno vitæ pullulat, manat ſemper,
» exuberat iſte fructus vitæ. Unde S. Auguſtinus cùm dixiſſet, Ut ex ipſo & ab ipſo nos
» corpus ejus carnem ipſius illo manente integro ſumamus: protinus adjecit & ait: Quæ ni-
» mirum caro ipſa eſt, & fructus ipſius carnis, ut idem ſemper maneat, & univerſos qui ſunt
» in corpore, paſcat. Quod ob id eum credo dixiſſe, ut ipſius Domini humanum corpus quod
ſeminatum eſt in morte, fuerit quaſi granum ſemenque vitæ, atque poſtmodum de ipſo
reſurgente, tamquam de ligno vitæ, pullularet ſemper, & pullulet ſumendum nobis, unde
vitam æternam in nobis manentem habemus. Unde prorſus reprobis non licet ſumere,
» beato rurſus Auguſtino ſic in eodem capitulo ſuperiùs teſtante: quod ſanè corpus Chriſti
» ut vera caro ſit Chriſti pro mundi vita quotidie per Spiritum-ſanctum conſecratur, ex qua
» non habeant poteſtatem edere qui ex adverſo ſunt. Veſcuntur autem ea condignè qui ſunt
in corpore illius, ut ſolum corpus Chriſti dum eſt in via, ipſius carne reficiatur, & diſ-
cat nihil aliud eſurire quàm Chriſtum, nihil ſentire niſi Chriſtum, nihil aliud ſapere, non
aliunde vivere, non aliud eſſe quàm corpus Chriſti. Hinc ipſe ſponſus Eccleſiæ Dominus,
à quo panis datus, datur, & dabitur, id eſt caro ſua, non pro reprobis & immundis, ſed
Cant. 5, 1. pro mundatis, & magis magiſque mundandis; mundis vità ſolis dicit electis ſuis: *Comedite,*
amici; bibite & inebriamini, cariſſimi. Quia re vera lignum vitæ ſolis membris ſuis, id eſt cor-
pori ſuo, dat corpus ſuum de corpore. Et ipſe qui ſimiliter eſt vitis vera, palmitibus in ea
Joan. 6, 57. manentibus dat bibendum ſanguinem ſuum, ſicut ipſe dicit: *Qui manducat carnem meam,*
& bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Reprobus verò mundus manducans
& bibens indignè, judicium ſibi manducat & bibit. Non enim paſcitur frumento electo-
rum, quia non eſt triticum, ſed palea, licèt præſentialiter ſit in area; neque potatur ſan-
guine Domini, quia ſarmentum ſterile non manet in vite, licèt eſſe videatur in vinea.

6. Hic, ſi poteſt, oculos & aures aperiat, & hæc videat, & audiat, qui quoties toto ter-
rarum orbe Miſſarum ſollemnia celebrantur, toties Dominum Chriſtum pati prædicat, ob
Herigerus cap. 4. nihil videlicet aliud, niſi propter hoc ſolummodo, ut omnes reprobos quos à Domino ſcit
in cruce redemtos, ipſa communione corporis & ſanguinis Chriſti redemtos, redimi &
redimendos dicat: cùm potiùs omnis reprobus indignè ſacramentum ipſum percipiens, ju-
dicium ſibi manducat & bibit. Velim tamen nobis reſpondeat & dicat qui hoc ad ſuam
(prô nefas!) & edentium perniciem prædicat, quiſnam Domino paſſionem toties intule-
rit, inferat, & inferre deinceps habeat, utrum videlicet Sacerdos qui ſacrificat; an Pater
qui ſacrificata ſanctificat, an Filius qui communicantes vivificat; an Spiritus-ſanctus per
quem ea creat & conſecrat, & in quo Sacerdos iſta fieri ſupplicat; an populus, id eſt Ec-
cleſia & ſponſa Chriſti, quæ communicat? Quorum quia nihil niſi nimis mendaciter & per-
nicioſiſſimè poteſt dici, patet profectò Dominum ſemel paſſum & mortuum, nullatenus
Petr. 1, 3, 18. poſtmodum potuiſſe, vel poſſe (quod abſit) pati, dicente B. Petro Apoſtolo: *Chriſtus ſe-*
Hebr. 9, 28. *mel pro peccatis noſtris paſſus eſt.* Hinc dicat & Apoſtolus Paulus: *Chriſtus ſemel oblatus*
eſt ad multorum exhaurienda peccata. Verumtamen ne reprobi electis dicant: Semel paſſus
pro peccatis veſtris, frequenter patitur pro noſtris; tunc ad exhaurienda ſpecialiter pec-
cata multorum, nunc generaliter ad cunctorum. Nam ipſi ſolummodo reprobi confingere
poſſunt intra ſe deliramenta hujuſcemodi, ſecundùm illud Apoſtoli: *Rurſum crucifigentes*
ibid. 6, 6. *ſibimetipſis Filium Dei.* Abſit enim ut ejus Eccleſia & ſponſa paſſionem inferat ei, ne, im-

quam, deinceps hæc reprobi dicant, quid hinc nobis Apoſtolus dicat audiant. *Non*, inquit, *in manufacta ſancta* J s s u s *introivit exempla verorum, ſed in ipſum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis; neque ut ſæpe offerat ſemetipſum, quemadmodum Pontifex intrat in ſancta per ſingulos annos in ſanguine alieno: alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi. Nunc autem ſemel in conſummatione ſæculorum ad deſtructionem peccati per hoſtiam ſuam apparuit.* Hinc prorſus evidenter apparet, & ſatis liquidò claret, non oportuiſſe, nedum oportere, Dominum J a s u m frequenter pati ab origine mundi. ibid. 9. 24.
Nam ſi quando Cain occidit fratrem ſuum Abel, tunc paſſus fuiſſet Chriſtus, & tertia die reſurgens rurſum potuiſſet crucifigi & occidi, & ita ſemper tertia die crucem pateretur uſque in finem ſæculi; nullatenus tunc toties potuiſſet nec poſſet pati, quoties paſſus fuiſſet & pateretur, ſi ex quo cœpta ſunt Miſſarum ſollemnia celebrari, voluiſſet (quod abſit) toto terrarum orbe & vellet uſque in finem mundi ad ſingulas Miſſas, quæ quotidie millibus & innumeris [in locis] celebrantur, pati. Sed revera quemadmodum nequaquam tunc in Cœna ſus paſſus eſt, quando primitus ex pane & vino dignatus eſt verum corpus & ſanguinem ſuum creare, conſecrare, & diſcipulis ſuis dare, manente integro humano corpore ſuo: ita nullatenus poſtmodum paſſus eſt, patitur vel patietur, quoties corpus & ſanguinem ſuum ex pane creat & vino. Quod apertiſſimè probans Apoſtolus, cùm dixiſſet illud quod poſitum ſuperiùs, nunc autem ſemel apparuit, illico ſubinferens ait: *Et quemadmodum ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem judicium: ſic & Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata; ſecundò ſine peccato apparebit exſpectantibus ſe in ſalutem.* Deo gratias, patet, placet, libet veritas; proſtrata, perempta jacet falſitas: ibid. 27.
quia nimirum cùm Dominus in Cœna ſus dedit mandocandum corpus, & bibendum ſanguinem ſuum, nihil mali fuerit paſſus, cùm tamen adhuc eſſet paſſibilis & mortalis: multo minus reſurgens à mortuis poſtmodum paſſus eſt, patitur, vel patietur manens impaſſibilis & immortalis, dicente Apoſtolo: *Chriſtus reſurgens à mortuis jam non moritur; mors illi ultrà non dominabitur.* Ecce qualia Miſſarum ſollemnia celebrantur ab illo nimis longè lateque laudato Pontifice*, qui pro ſolis reprobis vult & prædicat Dominum Deum noſtrum toties paſſionem perferre, quoties ad altare ſacramentum corporis & ſanguinis Domini ſatagit Sacerdos offerre; cùm rurſus dicit Apoſtolus: *In voluntate Dei ſanctificati ſumus per oblationem corporis* J s s u C h r i s t i *ſemel.* Item, *Hic autem unam pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternum ſedet ad dexteram Dei, de cetero exſpectans donec ponantur inimici ejus ſcabellum pedum ejus. Unam enim oblationem conſummavit in ſempiternum ſanctificatis.* Rom. 9. * ſcil. Paſchaſio, quē ironice Pōtificem vocat. Hebr. 10, 10.

7. Sed ut tandem aliquando hanc adverſus inimicum veritatis diſputatiunculam Deo donante claudam, noverit qui hoc dicit, quòd Dominus J s s u s nullatenus illuc rurſum pati venit, quod non poteſt eſſe: ſed panem & vinum in corpus & ſanguinem ſuum conſecrando venit vertere, quod nobis nimis eſt neceſſe. Mundus igitur electus, Eccleſia Dei, ſponſa Chriſti, nullatenus debet, nec utique poteſt ibi Dominum rurſus mori deſiderare, ubi novo corpore & ſanguine ſuo venit eum vivificare, paſcere, potare, & per ſingulos dies vere ᵇ ſimul ac renovare. Sanè ſciendum eſt nobis omnimodo, quòd licet aliud ſpecialiter corpus Chriſti, unde ſuperiùs dixi, quòd ſedet ad dexteram Dei; & aliud ſpecialiter iſtud quod divinitus creatur & conſecratur quotidie novum: ſimul tamen non duo ſunt (quod abſit) corpora, ſed unum: ſiquidem ſicut corpus & carnatus, ſic etiam homo. Iſtud autem non eſt homo, licèt vera ſit caro: verumtamen & illud corpus & iſtud, quod ſicut ait S. Auguſtinus, transfertur in illud. Ob id non duo ſunt corpora, ſed unum, licèt aliud ſit ſpecialiter illud, aliud iſtud: quia prorſus adeps ille frumenti, id eſt divinitas Verbi, facit ut unum ſit corpus unius Agni: & hoc idcirco, quia & illud & iſtud verum eſt corpus, & vera pariliter caro. Quod ut manifeſtius fiat, exemplis evidentibus probabo. Ipſius Domini Chriſti eſt alius, non (quod abſit) perſonaliter, ſed naturaliter ſpiritus juxta divinitatem, alius naturaliter ſpiritus juxta humanitatem: ſimul tamen non duo, ſed unus eſt perſonaliter ſpiritus propter unitatem perſonæ. Nam ſpiritus Deus Dei filius, ſpiritus ubique totus, nuſquam remotus: & ſpiritus hominis creatus, ac per hoc localis atque circumſcriptus, de quo dicit Evangelium: *Et inclinato capite emiſit ſpiritum.* Uniuſcujuſque noſtrûm alius eſt naturaliter homo exterior, alius interior, dicente Apoſtolo: *Et ſi exterior homo noſter corrumpitur, tamen is qui intus eſt, renovatur de die in diem.* Simul autem non homines duo, ſed unus eſt homo, teſte ipſo Chriſto qui totum hominem fecit ſanum in ſabbato. Alius eſt ſpiritus Dei, & alius eſt hominis ſpiritus: & tamen *qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt.* Alia eſt perſonaliter caro viri, alia uxoris: ſimul autem una eſt caro, dicente Scriptura: *Et erunt duo in carne una.* Quod exponens Dominus ait in Evangelio: *Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro.* Quod hiſtorialiter quidem factum ſciens Apoſtolus in Adam & in Eva, ſacramentum tamen magnum ſpiritualiter interpretatur in Chriſto & in Eccleſia. Ergo jam modò pateat, placeat, libeat, rogo, quòd Deus homo, Ver- Joan. 19, 30. 2 Cor. 4, 16. 1 Cor. 6, 17. ibid. 16. Matt. 19, 6.

bum caro dat Eccleſiæ ſuæ, ſponſæ ſuæ, carni ſcilicet ſuæ, manducandam carnem ſuam de ſemetipſo Dei Agno, ſemper tamen manente vivo, ſemper integro. Igitur ſuam. Lucet, placet, libet, quòd alia ſpecialiter eſt caro inconſumtibilis, & alia ſumtibilis, & alia ſpecialiter corruptibilis: tamen à dante carne datam carnem accipiens caro ſalubriter ſumendo, futura incorruptibilis; nihilominus quoque debet lucere, placere, libere, quòd ſimul una eſt naturaliter caro dans, data, accipiens; videlicet inviſibilis, veſcenda, veſcens; inconſumtibilis, ſumenda, ſumens: quoadusque ſcilicet inconſumtibilis per ſumendam ſic ſumentem reficiendo perficiat, ut exhibeat ſibi glorioſam, non habentem maculam aut rugam, aut aliud ejuſmodi, & unam ſecum (ſicut eſt) carnem gratis ad gloriam perducat. Amen.

Marg. cap. 5.

ITEM DE CORPORE ET SANGUINE DOMINI.

ALIUD ſpecialiter corpus Domini, quod glorificatum ſedet ad dexteram Dei, & tamen naturaliter unum eſt, ipſo Domino dicente: *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis & pro multis tradetur.* quod ſimiliter etiam de ſanguine dicit: *Hic eſt ſanguis meus*, &c. Unde veraciter Auguſtinus de Judæis ait: Sanguinem quem fuderunt ſævientes, biberunt credentes. Et Apoſtolus dicit. . . . Unde ſi eadem eſca & idem potus dictus eſt in ſignificatione, non in legis impletione; nec in re, ſed adhuc in ſpe; nec in natura, ſed in figura; multo magis prorſus unius Agni unum corpus & unus etiam ſanguis qui effuſus eſt ab infidelibus, & nunc potatur à Fidelibus, quem Chriſtus vitis impertit electis, & infundit palmitibus ſuis. de quo ſcilicet ſanguine ſpiritualiter illud eſt dictum: *Ut ſanguinem uvæ biberet meraciſſimum.* Et hîc quoque claret perſpicuè, quòd ſi una naturaliter eſt caro mulieris, quæ, ſicut Scriptura dicit, filium ſuum tempore famis comedit, & alia perſonaliter ejuſdem filii caro comeſa: ſimiliter alia fratrum quæ vendidit, alia fratris qui venit; alia Hiſmahelitarum quæ emit: multo magis & incomparabiliter utique decentius & honeſtius id debet ab omnibus Chriſtianis dici de corpore & ſanguine Domini. Præterea Sacerdos dicit vicarius: *Hic eſt calix.* Certè necdum vinum verſum eſt: & tamen veriſſimum eſt quod dicit. Si de omni vino quod ex illo tempore Sacerdotes toto orbe offerunt, poteſt dici: multo magis omnino credendum eſt unum eſſe Domini ſanguinem, qui Domino pendente fuſus eſt in cruce, & eo poſtmodum benedicente creatur conſecratus in calice. Quia profectò ſi vinum ſit unum quod profluit ex innumeris totius mundi non ſolùm vitibus, ſed vineis; multo magis unus eſt ſanguis unius Agni & unius Domini, quem non annuè profert una & vera Vitis. Deniquè cùm Veritas ipſa vera dixerit pro omnimoda divinitatis æqualitate, ut evidenter ait ipſe Filius, *Ego & Pater unum ſumus*; patet profectò unum eſſe naturaliter corpus & ſanguinem Domini. Certè nec duo ſunt corpora, nec duo ſanguines, (quod abſit) ut veraciter, ut regulariter dici debeant. Illa verò ſententia ſancti Ambroſii qui dixit, quòd iſta caro Chriſti non eſt alia, quàm quæ de Maria nata eſt; ſolummodo & valet & debet intelligi, ut ſubaudiatur, naturaliter non eſt alia, quia non ſunt carnes duæ. Ipſa eſt caro, quæ pro mundi vita offertur: ipſa, inquam, eſt naturaliter, non * ut ſit tamen alia ſpecialiter. Patet ergo aliud eſſe ſpecialiter, quod ſepultum tertia die ſurrexit; & aliud ſpecialiter longè latéque ſepultum more * peſſimo, quod numquam eſt reſurrecturum. Quippe * fuit animatum, ſicut eſt illud quod Dei Filium humanum * eſſe conſtat ſimul & natum. Et hæc nimirum cauſa, quòd in colorem carneum ſeu ſanguinem non revertitur iſtud corpus & ſanguis Domini: quia prorſus in eo non eſt anima Chriſti, ſed tantummodo ſola divinitas, quæ de vino & pane creavit & conſecravit verum corpus & ſanguinem Domini.

* *non redundat, aut legendum* una,
* *ſ.* in ore
* *addendum videtur* non
* *ſ.* humanorum

EXCERPTA

ex epiſtola Rabani ad Heribaldum Epiſcopum.

MONITIUNCULA.

NE pagella hæc vacua remaneret, viſum eſt hic ſubjicere excerpta duo, unum ex vulgata epiſtola Rabani ad Heribaldum de Euchariſtia, cujus epiſtolæ ſæpius occurrit mentio in Præfatione maximè à num. 71. alterum ex tractatu Haimonis Epiſcopi Halberſtadenſis, de quo in eadem Præfatione num. 35 & 93. ut Lector ad manum habens integra utriuſque Auctoris teſtimonia, faciliùs de hac controverſia judicare poſſit. Incipit verò tractatus Haimonis à conjunctione Sed, propterea quòd in mſ. codice noſtro Germanenſi, ex quo prodiit Acheriana Editio in Spicilegii tomo 12, Haimonis commentario in epiſtolam primam ad Corinthios continuatus eſt.

QUÒD autem interrogaſtis, utrum Euchariſtia, poſtquam conſumitur, & in ſeceſſum emittitur more aliorum ciborum, iterum redeat in naturam priſtinam, quam habuerat, antequam in altari conſecraretur; ſuperflua eſt hujuſcemodi quæſtio, cùm ipſe Salvator dixerit in Evangelio: *Omne quod intrat in os, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur.* Sacramentum corporis & ſanguinis id eſt, ex rebus viſibilibus & corporalibus conficitur; ſed inviſibilem tam corporis quàm animæ efficit ſanctificationem. Quæ eſt enim ratio, ut hoc quod ſtomacho digeritur, & in ſeceſſum emittitur; iterum in ſtatum priſtinum redeat, cùm nullus hoc umquam fieri aſſeruerit? Nam quidam nuper de ipſo Sacramento corporis & ſanguinis Domini non rite ſentientes dixerunt, hoc ipſum corpus & ſanguinem Domini quod de Maria virgine natum eſt, & in quo ipſe Dominus paſſus eſt in cruce, & reſurrexit de ſepulcro, [idem eſſe quod ſumitur de altari.] Cui errori, quantum potuimus, ad EGILUM Abbatem ſcribentes, de corpore ipſo quid verè credendum ſit aperuimus. Dicit enim de corpore & ſanguine ſuo Dominus in Evangelio: *Ego ſum panis vivus qui de cælo deſcendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.* Hanc ergo vitam non habet, qui illum panem non manducat, nec iſtum ſanguinem bibit. Nam illam temporalem vitam ſine illo homines utcumque in hoc ſeculo habere poſſunt, qui non ſunt per fidem in corpore ejus: æternam verò numquam, quæ Sanctis promittitur. Ne autem putarent ſic in iſto cibo & potu, quem carnaliter ſumunt, & ſpiritaliter non intelligunt, in fide promitti vitam æternam, ut qui * eam ſumerent, nec anima, nec corpore morerentur; huic cogitationi dignatus eſt occurrere. Nam cùm dixiſſet, *Qui manducat carnem meam, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*, continuò ſubjecit & dixit: *Ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die*, ut habeat interim ſecundùm ſpiritum vitam æternam. In noviſſimo ergo die, quando anima incorruptum corpus ſuſcipiet; tunc anima & corpus cujuſcumque Sancti in unum ſociata habebunt vitam æternam, quia adunantur ſimul caput & membra: & ſic totum corpus Chriſti gaudebit in perpetuum. *Caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Cùm enim cibo & potu id appetant homines, ut non eſuriant, neque ſitiant; hoc veraciter non præſtat niſi iſte cibus & potus, qui eos à quibus ſumitur, immortales & incorruptibiles facit, id eſt, ſocietas ipſa Sanctorum, ubi pax erit & unitas plena atque perfecta.

Illa ſententia contraria eſt ſententiis Clementis Papæ & aliorum multorum ſanctorum Patrū, qui dicunt corpus Domini non cum ceteris communibus cibis per aqualiculos in ſeceſſum mitti.

* cum

EX TRACTATU

Haimonis Epiſcopi Halberſtadenſis.

SED quoniam hujus epiſtolæ opportunitas affert, ut aliquid de tanto Sacramento latiùs dicatur, proferatur in medium quod gratia illius contulit, qui hoc Sacramentum corporis ſui & ſanguinis ad ſalutem fidelium animarum in terris relinquere voluit, ut fidei integritas propensiùs roboretur, & credentium merita cumulatiùs augeantur. Subſtantiam ergo panis & vini, quæ ſuper altare ponuntur, fieri corpus Chriſti & ſanguinem per miniſterium Sacerdotis & gratiarum actionem, Deo hoc operante, divinâ gratiâ, ſecretâ poteſtate, neſandiſſimæ dementiæ eſt fidelibus mentibus dubitare. Credimus itaque & fideliter confitemur & tenemus, quòd ſubſtantia illa, panis ſcilicet & vini, per operationem divinæ virtutis, ut jam dictum eſt, id eſt, natura panis & vini ſubſtantialiter convertatur in aliam ſubſtantiam, id eſt, in carnem & ſanguinem. Non enim impoſſibile eſt, &c.

ADDITIONES ET CORRECTIONES

AD SÆCULUM PRIMUM.

IN *Indice prætermiſſorum in S. Leonardo Conf. lin.* 7 *l.* Canonicis regularibus ceſſit. *& in S. Peruſano lin.* 5 *l.* Sivolim, *la Sioule.*

Pag. 217 *Notam* b *ſic reſtitue* Brendanos duos, & quidem æquales, diſtinguit Uſſerius in Antiquitatibus Hibernicis, unum Loaignei filium, Monaſterii Birranni fundatorem, cujus obitum reponit anno D LXXI. alterum Findlogæ filium, de quo prodigioſæ feruntur fabulæ, cui Regulam monaſticam tribuit Uſſerius, referens ejus obitum anno D LXXVII. De poſteriori hunc locum interpretatur Uſſerius: de priori alium locum in Vita S. Columbæ Abbatis Hienſis infrà.

In S. DROCTOVEI *Vita titulo pag.* 252 *l.* Auctore GISLEMARO Monacho S. Germani, qui ſeculo IX vixit. OBSERVATIO PRÆVIA. Quis ſit hujus Vitæ Scriptor, diſcimus ex verbus prologo ſubjectis, quorum poſtremus, *Pars horum prima deſignat vatis onoma*, auctorem indicat Giſlemarum, qui initialibus verſuum litteris deſignatur. Sic enim acroſticè leges: GISLEMARUS SCRIPSIT HAEC. Vivebat Auctor iſte poſt ſecundum incendium Cœnobii S. Germani, ut patet ex num. II, quorum alterum contigit anno DCCCLIII, alterum anno DCCCLXXXVI. poſt quod tempus ſcripſit hunc libellum. In indice Monachorum Cœnobii S. Germani, qui ſeculo nono ſocietatem inierunt cum Dionyſianis, notatur Giſlemarus.

In S. ARNDII *pag.* 349 *in Nota lin.* 5 *poſt cap.* 39 *l.* pater ejus Riunſciudus ab eodem appellatur. Verùm non *pater*, ſed *frater* legitur in mſ. De eodem agit Gregorius in lib. 10 cap. 29. *De his,* &c.

Pag. 574 *in Nota lin.* 2 *l.* qui Sequanos ad Heracleenſes inſulas, vulgò *les Iſles d'Hieres* prope Maſſiliam, adire non ſinebant.

Pag. 578 *Notationem transfer ad num.* 2 *lin.* 3 *ad verbum* Monaſterio.

Pag. 580 *dele notam marginalem* nunc Sivolis, *la Sioule.*

IN SÆCULO SECUNDO.

IN *Præfat. pag.* XVIII *num.* 24 *lin.* 12 *pro* Normannorum *l.* Romanorum.

In S. EUSTASII *Vita pag.* 116 *in Nota* a *lin.* 5 *poſt* potuimus, — Rectiùs alii. Pipimiſium interpretantur *Poiſſy* ad Matronam una leucâ ſupra Meldas, paullo infra Vulciacum, *Ușy*, ubi Autharius Audoëni pater à S. Columbano conventus eſt.

In S. RUSTICULÆ *pag.* 140 *Notam* ſic *reſtitue.* Romani ſunt Galli, qui omnes erant cives Romani, ob idque *Romani* dicti: quibus opponebantur *Barbari*, id eſt Franci, Burgundiones, Gothi in provinciis Galliarum conſidentes. Lege V. Cl. Hadriani Valeſii tomum I rerum Franc. pag. 289 & 290.

In S. ARNULFI *pag.* 151 *in Nota* b *adde.* Eadem de Polycrate Samio aculo refert Cicero in lib. 5 de finibus num. 92.

In S. SULPICII *pag.* 173 *in Nota* a *poſt* enituiſſe, *cætera dele.*

In S. RICHARII *pag* 191 *in Nota* b *adde*, aut potiùs, tres annos dierum: eo modo, quo in Geneſeos cap. 29 v. 14 pro eo quod eſt in Vulgata, *dies menſis unius*, legitur apud LXX μῆνα ἡμερῶν. & *menſem dierum* habes Numerorum cap. 11 v. 20.

Pag 392 *in Nota* d *l.* Theodbertum Abbatem.

Pag. 395 *in S.* BAVONIS *in fine num.* 3 *adde.* Hæc Vita reperitur in vetuſtiſſimo codice eccleſiæ Noviomenſis: in cujus codicis initio hæc leguntur: ISTE LIBER CONTINET PASSIONES AC VITAS SANCTORUM, ET EST UNUS ANTIQUORUM NOVIOMENSIS ECCLESIÆ LIBRORUM.

In S. SALABERGÆ *pag.* 423 *in Nota* a *lin.* 20 *ſic lege.* Uternenſem terram intellige *le pays d'Ornois*, qui tractus inter Moſam & Matronam à Septentrione ad Auſtrum protenditur ad leucas circiter decem, amne Orna (à quo nomen accipit) irrigatus. Opidum habet vocabulo *Gondrecourt*, quod S. Salabergæ natale videtur. *Urnenſem terram* in bulla ſua pro Cœnobio Laudunenſi S. Johannis vocat Innocentius II, & Ludovicus VI in diplomate, & in ea ſtatuunt villas *Melet*, *Mandres*, Limarivillam, Buxetum, Dohodivillam, Regiſcurtem, Baldinicicurtem, & Ulmenciom. Uternenſis ſeu Uroenſis tractus idem eſt cum Odornenſi, de quo in Annalibus Bertinianis pag. 140 apud Cheſnium, & in Hiſtoria Trenorcienſi pag. 812 & ſequentibus. Gundoinus in Vita S. Agili Abbatis cap. 11 ipſius S. Agili conſanguinitatis nexu propinquus fuiſſe dicitur. Is mihi videtur eſſe Gundoinus, de quo in Spicilegii tomo 12 pag. 109. *Ibidem in Nota* c *poſt* ſcribit *l.* Vir Cl. Hadrianus Valeſius in lib. 14 rerum Franc. Bajoarios à Boiis toto cælo differre probat, eoſque Germanos eſſe, & multo poſt Boios in Norico conſediſſe. *In Nota* d *ſic leg.* Extat egregia S. Columbani epiſtola ad Gregorium Magnum apud Patricium Flemingum, qui S. Columbani Opera Lovanii recenſuit anno 1667.

Pag. 426 *in Nota* h *adde.* Quidam hunc locum explicant de celebri Parthenone S. Petri de Polengiaco, *de Poulangey*, diœceſis Lingonenſis.

In S. WALDEBERTI *præter ea quæ addita ſunt in Additionibus Sæculi tertii, hæc adde pag.* 504 *num.* 3 *poſt verbum* celebratur. Ad hæc in Vita S. Bathildis, Theodefredus Luxovio miſſus dicitur Corbeiam *à reverentiſſimo viro domno Gualberto quondam Abbate.* Ubi ſine dubio appellandus erat Epiſcopus, ſi umquam fuiſſet.

In S. GERMANI *Abb. pag.* 511 *in Nota* a *adde.* Attamen in Bibliothecæ Sebuſianæ cap. 97 legimus, eccleſiam Grandivallis, quæ olim Abbatia fuerat, & tunc Abundantiæ eccleſiæ ſubjacebat, Monaſterio S. Augendi facta commutatione ſubjectam fuiſſe anno M CC XLIV.

In S. WANDREGISILI *pag.* 529 *in Nota* b *lin.* 3 *poſt* ædificatum, *adde*, in pago Lauſanenſi, ut ex mſ. Chronico rythmico Cœnobii Jurenſis ſeu S. Claudii mihi ſuggeſſit noſter Claudius Stephanotius. En Chronici verba de ſanctis Romano & Lupicino: *Quartum quoque Cœnobium Sancti leguntur fundaſſe, Romanum Monaſterium infra pagum Lauſanenſe, & Monachos in numero magno ibi ordinaſſe, magnumque patrimonium illis ibi adquiſiſſe.* Hoc eſt Romanum Monaſterium, vulgò *Romain-monſtier*, ſitum in Comitatu Valdenſe, *le pays de Vaux*, quod Adeleydis à Rodulfo Rege fratre ſuo obtinuit anno DCCCLXXXVIII. idque poſtea conceſſit S. Odoni Abbati Cluniacenſi, & S. Odilo

reſtituit. Vide Miſcellanea Labbeana pag. 450.

In S. BABOLENI *pag.* 593 *lin.* 11 poſt cernitur, *adde.* Is mihi videtur ſanctus Babolenus, qui in Alcuini Litaniis appellatur.

In S. PRAJECTI *pag.* 647 in *Nota* c *lin.* 3 poſtea Abbatia Ordinis S. Auguſtini. Johannes Savaro, &c.

In S. MUMMOLENI *num.* 4 *lin.* 11 *poſt* adſervantur *adde.* Quidam tamen mihi aſſeruere S. Mummoli reliquias Calviniani anno MDLXVII fuiſſe combuſtas præter caput, quod in eccleſia parochiali ejus nominis haberi dicitur.

In S. AMANDI *pag.* 717 *in Nota* c *lin.* 2. *l.* Vabrenſi, cujus loci eccleſia cathedralis ante Johannem XXII Monachorum erat, ad quam S. Geraldus Aureliacenſis Comes quoſdam pueros direxiſſe perhibetur, ſub norma regulari imbuendos. Ab ea civitate ferè quatuor leucis diſtat Monaſterium Nantenſe, vulgò *Nant*, hactenus Ordinis S. Benedicti, quod perperam confunditur, *&c.* *&* *lin.* *penult.* *&* *ult.* *l.* ſub metropoli Toloſana, ad Agrum fluvium.

Pag. 726 *Notam* a *ſic reſtitue.* Lege *Silveſtri coma haud indigum*, id eſt ſilvis abundantem. quo ſenſu *nemorum coma* apud Horatium. nam locus olim ſilvis conſitus erat, exſtantque adhuc circa Monaſterium omnia.

Pag. 822. *in Nota* a *lin.* 2 *l.* *le Romois*, quæ pars eſt pagi Rotomagenſis trans Sequanam, de qua vide Notitiam Galliarum V. C. Hadriani Valeſii.

Pag. 877 *in* S. CUTHBERTI *num.* 1 *lin.* 2 *l.* Binas.·. Vitas. *&* *lin.* 8 *poſt* referemus, *adde.* Amalarius Anonymi ſcriptionem laudat ſub nomine Bedæ. Præter hos, &c.

Pag. 883 *num.* 9 *lin.* 8 *l.* juſumque trahentem, *& ad marginem*, *id eſt* deorſom.

Pag. 938 *lin.* 4 *l.* inter Duacum & Tornacum, diœceſis Tornacenſis.

Pag. 1091 *col.* 1 *lin.* 6 Gerardus *l.* Gualterius.

IN SÆCULO TERTIO

Parte I.

IN *Præfat.* *pag.* x *lin.* 2, *poſt* adornatus *adde.* Illuſtrius ejus rei exemplum habemus in lib. 1 de miraculis S. Richarii cap. 14, ubi puerum quemdam nobilem paralyſi detentum parentes ejus ad S. Richarii tumulum deportaſſe dicuntur, voto facto, ut, ſi convaleſceret, Domino *ſub monaſtica norma mancipraretur. In cujus devotionis titulo, juncta forcipe capitis inſtar coronæ totonderunt ea conditione vel tenore, ne in reliquo ab hac profeſſione retro pedem vertere valuiſſet.* Qui locus etſi de monaſtica tonſura intelligi poſſit, ad clericalem etiam referri debet propter *coronæ* vocabulum, quod ſignanter competit clericali.

In S. BERTINI *pag.* 118 *lin.* 5 *ante ultimam textus* in Nervium, *l.* in nervum. *& corrige Notam hoc modo.* Ita legendum *in nervum*, id eſt in carcerem, & quidem in caſtello Menapiorum, quod *Caſſel* vulgò appellatur.

Pag. 357 *cap.* 2 *lin.* 1 *l.* ſub tempore Theoderici Regis. *& pone ad marg.* [a] *al.* ſub horum tempore Regum.

Pag. 473 *num.* 9 *lin. ult. l.* Canonicorum regularium S. Auguſtini ſub nomine, *&c.*

In S. THEODFRIDI *pag.* 476 *& ſeqq. in margine l.* XVIII Novemb. *& in Nota ult. l.* & quidem XIV Kal. Decemb.

In BEDA *pag.* 549 *num.* 17 *lin.* 16 *poſt* dominicæ, *adde.* Certè in mſ. Hagiologio quod Arnulfus Monachus anno MXXVI compilavit, eodem die reponitur obitus S. Auguſtini & Bedæ his verbis. VII *Kl.* *Junii in Britannia depoſitio S. Auguſtini primi Anglorum Epiſcopi. Et Beda migravit.* At quo anno? Audi Turgotum, &c.

Pag. 559 *num.* 13 *ſic lege.* De Bedæ commentario in epiſtolas Pauli quis ſit (nam talem ab eo compoſitum fuiſſe conſtat ex ejus epitome) lis eſt inter eruditos. Qui enim in vulgatis Bedæ operibus invenitur, à nonnullis tribuitur Floro Lugdunenſi Diacono. Et rectè quidem, ut ſingulari Diſquiſitione oſtendi in tomo 1 Analectorum, ubi genuinum Bedæ commentarium à me in duobus mſſ. codicibus repertum deſignavi, & alium Floro aſſerui. quem Florum *Presbyterum* vocat Ratpertus in lib. de caſibus Monaſterii S. Galli cap. 10, ubi memorat *Collectanea Flori Presbyteri de voluminibus S. Auguſtini in epiſtolam ad Romanos*, & paullo pòſt *Collectanea Flori in epiſtolam ad Corinthios ſecundam & ad Hebræos.*

Pag. 581 *in Nota* b *adde* : vulgo *Suſteren* in Juliaco.

Pag. 683 *lin. penult. l.* lino.

Pag. 721 *num.* 3 *lin.* 2 *l.* Cariſiaco ad Iſeram eo tempore, *&c.*

In Indice hiſtorico l. Monaſt. Orbacenſe conditur à S. Regulo.

In Parte II.

IN *Præfat.* *pag.* XXIV *lin.* 3 *l.* Indubitanter, inquit, credo, nomen Benedicti. Et ego nomen Benedicti indubitanter reſtituo. Quis noſtrûm vincet? Vincat æquitas, ceſſat nimia illa confidentia, quæ ſententiis non addit pondus, &c.

In Indice prætermiſſorum l. Giſla & Rictrudis virgines, non Angliæ, ſed Galliæ, an publica, *&c.*

In S. BONIFACII *pag.* 80 *in fine Notæ adde.* Huic difficultati & altera ſolutio addi poteſt, nempe epiſcopalem dignitatem per octoginta ferè annos à Francis fuiſſe conculcatam, civitates laïcis hominibus traditas, ac demum metropolitanas eccleſias honore ſpoliatas, ut tradit Hadrianus Papa I in epiſtola ad Bertherium Epiſcopum Viennenſem apud Hugonem Flaviniacenſem. Quapropter Moguntinæ dignitatem ſuam reſtituit Zacharias, alias Hadrianus per Carolum Magnum, ut patet ex hac epiſtola ad Bertherium Viennenſem: cujus uni anteceſſorum Auſtroberto Zacharias Bonifacium commendat apud Johannem à Boſco.

In S. GERMANI *pag.* 93 *num.* 4 *quæ de Authario Abbate dicuntur, transfer in pag. ſeq. poſt Babonem, & in ultima linea ſic lege:* de Theoderico Kalenſi interpretandum eſt.

In S. CAROLOMANNI *pag.* 124 *num.* 7 *adde.* Hunc Carolomannus receſſum meditatus eſt indubiè hortatu S. Bonifacii, qui eum ad Chriſtianæ religionis culturam ſtudiosè excitavit, ex dictis ſuprà pag. 48 & 50.

In S. GREGORII *Abb.* *pag.* 319 *pone ejus Vitam ad annum* DCCLXXVI. *& pag.* 333 *Notam* b *ſic reſtitue.* Septuaginta annos vixit Gregorius ex ſuperiori num. 20. quo in numero cenſendi ſunt anni tres, quibus paralyſi laboravit. Annum agens vitæ decimum-quintum S. Bonifacio adhærere cœpit ex num. 4, nec vitam produxit ſeniis anno DCCLXXV aut inſequente. tum quia Carolus Magnus Alberico Abbati ejus ſucceſſori privilegium conceſſit VIII Id. Junii anno regni nono, id eſt Chriſti DCCLXXVII. tum quia Liudgerus, qui teſte Altfrido nonniſi poſt mortem Gregorii Presbyter ordinatus eſt, miſſuſque in Oſtiskam, jam annos ſeptem in doctrinæ ſtudio inſumſerat, cùm Vvitichindus in iis locis *eccleſias combuſſit, & expulit ſa-*

mulos Dei. quod contigit anno DCCLXXXIV. Hinc Gregorii mortalis annus ſtatuitur DCCLXXVI, aut proximè ſequens. Diem ſignat, &c.

Pag. 204 *in epiſtola Melonis lin.* 1 *poſt* Abbati, *adde* Immonſi, *ex codice Mortonſi S. Arnulfi.*

Pag 270 *in Nota a lin. penult. l.* DCCXXXVIII.

In S. VVALDEBERTI *pag.* 452 *in Nota a adde.* Certè Adio legitur in mſ. codice Altimonteoſis Cœnobii prope Melbodium: ubi hic liber reperitur.

Et pag. 457 *in Nota c lege.* Hunc puto eſſe locum *Vinant*, quaſi *Vicus Nanti*, qui una aut alterâ leucâ diſtat à Matrona infra Meldas.

Pag. 468 *& ſeqq. ad marg. l.* DCLXXV.

In S. OTHILIÆ *pag.* 487 *num.* 5 *lin. antepenult. poſt* Germaniæ *adde.*

His poſtea ſucceſſerunt Canoniſſæ, Canoniſſis Præmonſtratenſes, qui ſacro monti modò præſunt. Ibidem viget S. Odilæ, *&c.*

In S. ALBERTI *pag.* 526 *in fine Obſervationis prævia, adde.* Sanè hæc Vita levis eſt auctoritatis, ut quæ eadem ferè continet, quæ in Actis ſancti Ebrulfi Abbatis Uticenſis leguntur, præter nomina propria. Monaſterium *de Gambron* legitur in Spicilegii tomo 9 pag. 252, neſcio an ab iſto diverſum, cui Jacobus Aragoniæ Rex ducentos morabitinos legat anno MCCLXXII.

Pag. 560 *in Nota adde.* De eo hæc leguntur in metrico Bedæ Martyrologio XII Kal. Maii.

Vus fidus ternas ſuperam penetravit in aulam,
Tempore poſterior, non meritis ſtore ſecundus.

Pag. 564 *Notam a ſic reſtitue.* Hujus ECHÆ obitum anno DCCLXXVII reponit Rogerius Hovedenus in parte priori his verbis: *Ipſo quoque anno Echa * Anachorita feliciter in Cric obiit, qui locus diſtat ab Eboraca civitate decem milliariis.* ubi pro *Echa* legitur *Etha.*

Pag. 617 *in charta* V *lin.* 5 Turnoaldo *l.* Ercoaldo. *Pag.* 618 *in charta* VII *lin.* 3 Abbas Ilecca *l.* ad baſileca. *& pag.* 622 *in charta* XI *eadem correctio adhibenda & in Indice hiſtorico.*

Pag. 629 *col.* 2 *dele quæ habentur de S. Amando.*

IN SÆCULO QUARTO

Parte I.

IN *Præfat. pag.* X *lin.* 14 *&* 15 *l.* Is quippe eo tempore Jeroſolymis controverſiam, *&c. Pag.* XCI *num.* 128 *lin.* 1 *l.* conjectabam. *Pag.* CXI *lin.* 16 ſolidos *l.* denarios

Pag. 16 *num.* 5 *lin.* 3 Romani, *l.* Conſtantinopolitani. *Pag.* 257 *in Nota lin.* 2 *l.* qui deceſſorem habuit Adalbertum, *&c.*

In BENEDICTI *Anian. pag.* 194 *in fine Notæ adde* Benedictum patrem habuiſſe Aigulfum dicitur in Serie Magalonenſium Præſulum pag. 46. *Pag.* 217 *lin.* 59 *l.* uſque ad perſeverantiam. *Pag.* 220 *lin.* 2 *poſt verſus Theodulfi l.* apud Ardonem ſuprà. Stephanotius noſter, qui res provinciæ Narbonenſis accuratè indagavit, exiſtimat, Attalam hic laudatum eſſe conditorem Cœnobii S. Polycarpi Narbonenſis, Nebridium Craſſæ, Anianum Celtonii, dein Cannas tranſlati, Olemondum S. Johannis de caſtro Malaſti ſeu Montis-olivi, Attalonem Celſationis ſeu S. Tiberii Abbates fuiſſe.

Pag. 321 *in Nota lin.* 7 *l.* DCCLXV.

In S. BALTHILDIS *pag.* 449 *lin.* 22 *l.* quod Antonius de Caoliocurte ejus loci, *&c.*

In VVALA *pag.* 453 *num.* 2 *lin.* 6 *l.* conjectabam, *ibid. lin. penult. l.* nobis. *Pag.* 454 *num.* 3 *lin.* 7 *poſt* Amiſſarius *adde*, ſic dictus, quaſi admiſſarius equos, qui ammiſſarius dicitur in legum Alamannicarum cap. 68. *ibid. num.* 5 *lin.* 5 *l.* viderat Antonius de Caoliocorte. *Pag.* 471 *lin.* 22 *pone à linea*, PASCASIUS. O Domine, &c.

In S. BERNARDI *pag.* 580 *num.* 3 *lin.* 18 *poſt* extitiſſe, *deletis quæ ſequuntur uſque ad lineam* 9 *paginæ ſequentis, ſic repone.* Aliud fuit Monaſterium Romanum, *Romanis* etiam dictum, in pago Lauſanenſi, quod S. Vvandegiſilus in reditu ex Italia adiiſſe memoratur. An verò ſit illud ipſum Romanum, cujus meminit Abbas Theodatus in epiſtola 5 ad Nicetium Treverenſem Epiſcopum, apud Cheſnium tomo 1 pag. 852. & Monachus Florianus ejus epiſtolæ ſcriptor, ac ſequentis, definire non auſim: propterea quòd Datium Epiſcopum, utique Mediolanenſem, dominum ſuum vocat: & quod Monaſterium in inſula Larienſi ſeu Cherſopoli, de qua in epiſtola 6, ſitum fuiſſe videtur. Quidquid ſit, Romanenſe à S. Bernardo ædificatum, jam inde à ſæculo X ad Canonicos ſæculares vertit, &c.

In MAGENVVARDI *pag.* 607 *lin.* 6 *l.* anno XL, *& lin.* 8 *l.* DCCLXII.

In S. ANSEGISI *pag.* 643 *lin.* 2 *l.* S. Martini dicitur à nonnullis ob proximum vicum S. Martini, tametſi eccleſiam S. Petro ſacram eſſe conſtat. De hoc Monaſterio interpretandus eſt catalogus Fratrum, *&c. ut linea* 4. *& dele totas lineas* 6, 7 *&* 8 *uſque ad* Melundenſis.

In S. EUTICII *pag.* 654 *num.* 1 *lin.* 5 *poſt* Appendice. *l.* Hoc videtur eſſe Balmenſe Virginum Monaſterium, quod à ſanctis Romano & Lupicino ædificatum legitur in eorum Actis apud Bollandum tomo 3 Februarii pag. 743 num. 9 & 746 23, & tomo 3 Martii pag. 267 num. 12. Alterum virorum, *&c.*

In OTHERII *pag.* 666 *lin. penult. adde.* De hac ſpata ejuſque inſcriptione ita habet fabuloſa narratio de Roncevalle.

Tint Durandart, dont li brans fu letrés.

Pag. 760 *lin. ult.* Rem concludo Gregorii Turonenſis teſtimonio, qui Vellavam civitatem ab Anicio diſtinguit in lib. 10 cap. 25, ubi in *Vellava urbis termino* ſeu agro Anicium locat. quod ſententiæ noſtræ aptiſſimè convenit.

Parte II.

PAG. 47 *in marg. l.* Suniſridus poſt Comitem primus. *Pag.* 55 *cap.* 29 *lin.* 13 *l.* hanc. *Pag* 57 *cap.* 28 *lin.* 5 *l.* noctis. *Pag.* 96 *lin. penult. textus l.* tentamenta. *Pag.* 107. *lin.* 14. *l.* fuerit. *Pag.* 116 *lin.* 41 *l.* hanc. *Pag.* 121 *lin.* 51 *l.* vobiſcum. *Pag.* 149 *lin.* 11 *l.* Solmonem. *Pag.* 186 *in marg. dele* * al. S. Malo. *Pag.* 187 *num.* 8. *lin.* 7 Trecorenſem *l.* Coriſopitenſem. *Pag.* 199 *lin.* 28 *l.* arca. *Pag.* 239 *lin.* 27 de *l.* Dei. *Pag.* 243 *in fine num.* 10 *adde.* Hic obſervare convenit, Saloconem hoc loco dici Doleoſem Epiſcopum, qui Aletenſis dicitur in Indiculo Epiſcoporum Britanniæ ſuprà pag. 186, ubi erectio Dolenſis Epiſcopatus poſt Salaconis dejectionem facta dicitur. *Pag.* 249 *lin.* 50 quia *l.* qui. *Pag.* 252 *lin.* 10 *l.* Germiniacus. *Pag.* 277 *lin.* 28 *l.* latitabat. *Pag.* 334 *lin.* 8 *l.* quòd qui occidit, ſtabili, &c. *Pag.* 335 *lin.* 23 *l.* cladem atque cædem. *Pag.* 358 *num.* 8 *lin.* 17 *l.* arceri. *Pag.* 390 *in Nota* a *lin.* 3 *&* 4 *l.* De Theotberto Abbate actum ſuprà, &c. *Pag.* 417 *lin.* 42 *l.* qui. *Pag.* 451 *in Nota* a *lin.* 6 *l.* furentes. *Pag.* 477 *cap.* 11 *lin.* 3 *l.* ſuum. *Pag.* 479 *cap.* 25 *lin.* 8 *l.* conſtitutam. *Pag.* 480 *lin.* 6 *l.* commoneam. *Pag.* 504 *lin.* 7 Æduenſem *l.* Lingonenſem. *Pag.* 522 *num.* 21 *lin.* 2 *l.* hujuſce rei. *Pag.* 525 *num.* 5 *lin.* 7 *l.* conceſſerunt.

INDEX HISTORICUS
PARTIS SECUNDÆ
SÆCULI QUARTI BENEDICTINI.

Littera (a) *initium paginæ uſque ad medium;* (m) *medium uſque ad finem;* (n) *notulas marginis inferioris deſignat.*

* *Monaſteriorum nomina & ſeries habentur ſub voce* Monaſterium.
* *Topographica vocabula Italicis typis diſtinguuntur.*

A

ABBO Epiſcopus Autiſiodorenſis, 573 & *ſeqq.*
Abbo Abbas Maſciaci, 562 m, 563 a
Abbo Pariſienſis Epiſcopus, 567 a
Abbo Abbas Floriacenſis in Vaſconia trucidatus, 378 m, 382 m, 388 a, m
Abbo Abbas ſancti Germani apud Autiſiodorum, 575 m
Abbo. *V.* Abo.
Abdiluvar Princeps Cæſarauguſtanus, 48 a, 50 m
Abdirama Rex Cordubæ, 57 a
Abnarius Comes Autiſiodorenſis, 470 m
Abo Princeps Bituricenſium, Dolenſis Monaſterii conditor, 230 m
Abo propinquus Aureliani Lugdunenſis Epiſcopi, 498 m
Abolenos Miles punitur, 559 m, 560 m
Abrincatenſis Epiſcopus Robertus, 247 m
Accæ & Alemundi oſſa è tumulo levata, 286 m
Acundia Sanctimonialis Recluſa, 440 a
Adalardus Abbas Turonenſis, 251 a
Adalaudus Epiſcopus Turonenſis, 470 m
Adalbardus Epiſcopus Sictunenſis, 485 a
Adalbero Monachus ſcholaſticus in Cœnobio S. Albani, 60 a
Adalbertus Comes, 68 m, n
Adalbertus Bremenſis Epiſcopus, 75 m. Ejus ad Fulconem Corbeiæ Abbatem litteræ,* 124 m, 485 a
Adalbertus Clericus Bremenſis Concionator, 154 a
Adalbertus Trecenſis Epiſcopus, 252 a
Adalbertus Floriacenſis Monachus, ſcriptor hiſtoriæ Tranſlationis S. P. Benedicti, 347 a
Adalgardis ſeu Hildegardis Parthenonis S. Mariæ apud Sueſſiones Abbatiſſa, 544 & *ſeqq.*
Adalgarius Epiſcopus Hammaburgenſis, 478 a, 482 m
Adalgarius Abbas Corbeiæ Saxonicæ, 163 a, 262 a, 478 a, 477 a
Adalhardus Incluſus, 28 a
Adalhardus Abbas Corbeiæ Gallicæ, 99 m, 124 m, 567 m, 569 a
Adalgiſus Comes, Legatus ad Lotharium, 61 m
Adalgiſus Abbas Belliloci, 163 m
Adalſona mater Aureliani Lugdunenſis Epiſcopi, 498 m
Adalvvardus Scarenſis Epiſcopus, 485 a
Adalvvinus Prior Dunelmenſis, 276 a
Adam Abbas S. Baſoli, 515 m
Adam Monachus cuſtos Eccleſiæ Caſinenſis, 450 a
Adana ſoror Eccardi Comitis, Monacha Farenſis, 349 a
Addo Abbas, 562 m
Addo Preſbyter Abbatis Fuldenſis, 8 m
Adelaidis Comitiſſa Palatina, filia Guillelmi Anglorum Regis, 555 m, 556 a
Adelais uxor Vvillelmi Tyernenſis Principis, 257 m
Adelardus Advocatus Alſoniæ, 400 a
Adelardus Advocatus Arvvini-curtis cellæ, 592 m
Adelcidis ſoror Rodolfi Regis, 598 m
Adeletius Floriaci Monachus, ſcriptor miraculorum S. P. Benedicti, 347 a
Adelidis uxor Principis Peronæ, 521 a
Adelidis uxor Ivonis Comitis Bellimontis, 527 m
Adelmodus Archidiaconus Cenomannenſis, 167 m
Adeltrudis mater Rotgonis Comitis, 165 m
Adelvvoldus Vvintonienſis Epiſcopus, 393 m
Ademarus filius Vvidonis Vicecomitis Lemovicenſis, 375 a, 377
Adhelbertus Bituricenſis Archipreſbyter, 153 m
Ado Viennenſis Epiſcopus. Elogium ejus hiſtoricum, 262 & *ſeqq.*
Adrevaldus Floriaci Monachus, ſcriptor miraculorum S. P. Benedicti, 347 a
Adſo Dervenſis Abbas, 357 a
Adſo S. Baſoli Abbas, 137 a
Adolfus Egberti Anglorum Regis filius, 69 m
Adulfi & Johannis Martyrum corpora Cordubæ in eccleſia S. Cypriani, 48 a
Adumarus Comes in Italia, 4 a
Ægidius Chezari miles, 558 a
Ælfredus Anglorum Rex egregius, 586 & *ſeqq.* *V.* Aluredus.
Ælvvinus Anglorum Rex, 551 m
Æneas Pariſienſis Epiſcopus, 168 m, 248 m, n
Æricus Abbas Stradenſis, 231 m
Æthelgeofu filia Ælfredi Regis Anglorum, Abbatiſſa, 590
Agana uxor Rotberti Principis, 251 a, 552 a. b.

lia Vvifredi Comitis, 226 m
Agelvvinus Abbas Glannafolienſis, 279 m
Agilmarus Viennenſis Epiſcopus, 251 a, 268 a, 275 a
Agilmarus Arvernenſis Epiſcopus, 489 a
Agilmarus Lotharii Imperatoris Cancellarius, 555 m
Agius vel Avinus Aurelianenſis Epiſcopus, 251 a
Agaer fluvius ſeu Anger & Andria in Biturigum finibus, *l'Indre*. 257 m, n, 232 a, 269 a
Agobardus Lugdunenſis Epiſcopus, 564. Opera ejus, 565 a
Agrebertus Virdunenſis Epiſcopus, 532 a
Aidanus Epiſcopus Lindisfarnenſis, 286 a, 296 a
Aiga ſeu Aigua uxor Rodulfi Comitis Cadurcorum,
Aiglardus frater Aureliani Epiſcopi Lugdunenſis, 498 m
Aigulfus pater Benedicti Anianenſis, 600 m
Aileranus ſcriptor, 504 a
Aimericus Abbas Doverenſis, 258 m
Aimo Abbas Stadenſis, 238 m
Aimoinus Monachus Floriacenſis. Scripta ejus, 347 a. Liber miraculorum S. P. Benedicti, 356 & ſeqq.
Ainardus Præpoſitus S. Stephani Lemovicenſis, 375 m
Ainfredus ex Clerico Monachus à S. Benedicto ſanatus, 385 a
Alabingus vir potens in Italia, 4 a
Alamarius Abbas, 462 m
Alanus ex Duce Britanniæ Rotomi Converſus, 188 m
Alanus ex Monacho Epiſcopus Autiſiodorenſis, 574 a
Albanenſis Epiſcopus Petrus *Igneus*, 457 m, n
Albegundis uxor Eccardi Comitis, 348 m, 349 a
Albericus Lingonenſis Epiſcopus, 539
Albericus Epiſcopus Vvendelenſis, 485 a
Albericus ex primoribus Caſtellionis ſuper Lupam, 598 a
Albericus Burgundio, pater Bettonis Epiſcopi Autiſiodorenſis, 577 m
Albericus Abbas S. Benigni, 542 m
Albericus Conſul ſeu Comes Tuſculanus, 451 m, a
Albienſis Epiſcopus Ugo, 556 a
Aldanus Cunchaceſtrenſis Epiſcopus, 285 m
Aldegundis an Rabani mater, 21 a
Aldehingus Abbas Cellenſis, 244 a
Aldemburg civitas magna Slavorum qui Vvaigri dicuntur, 77 a. Epiſcopus Ezzo, 485 a
Aldricus Epiſcopus Cenomannenſis, 575 a
Alduinus Epiſcopus, 276 a
Alduinus Abbas Lindisfarnenſis, 383 m
Aleramus Comes, 244 m
Aletenſes Epiſcopi, Salaco ſeu Saloco, 186 m, 187 m. cur dictus Dolenſis Epiſcopus, 259, 243, 600 m. Vvernarius, 187 m Rivalinus, 592 a
S. Alexandri reliquiæ tranſlatæ in Germaniam, 4 & ſeqq.
Alexander II. ex Epiſcopo Lucenſi Romanus Pontifex, 429 a
Alexander frater Eadgari Scottorum Regis, 399 m
Alferius Abbas ſanctæ Trinitatis de Cava, 458 m, n
Alfridus ſeu Altfridus nothus Rex Anglorum, 305 m, a
Alfvvoldus ex Monacho Vvintonienſi Vviltunenſis Epiſcopus, 71 m
Alinardus ex Monacho Benigniano Lugdunenſis Archiepiſcopus, 299 m
Alips Comitiſſa Bleſenſis, uxor Theobaldi, 249 a
Alix Epiſcopus Beneventanus, 436 a, n, 437 a
Alpais filia Ludovici Pii, uxor Begonis Comitis, 166 a
Alſoma, *Auſſon*. locus in diœceſi Senonica, 400 a, n
Alticus Æduenſis Epiſcopus, 250 m
Altfridus Epiſcopus Hildineshei menſis, 159 & ſeqq.
Altina fluvius in Pontivo, 540 a
Alrvvinus Monachus, an ſcholis S. Albani præfectus, 60 a
Alvarius Eulogii Martyris frater, Vitæ ejus ſcriptor, 583 m
Alvredus, melius Alvredus & Alfredus Anglorum Rex Neoti monitis melior factus, 330 m, n, 338 m. Fugit in Ethelingiam, 333 m. Ibi panes coquit, 334 a. Barbaris reſiſtit, *ibid.* Gytronem eorum Regem baptizari curat, 336 a. reſtituitur, 337 m, 506 & ſeqq.
Alvvalo Lugdunenſis Epiſcopus, 504 m
Amalbertus Floriaci Abbas, 368 m
Amalgarius Dux Beiuenſis Monaſterii auctor, 581 a
Amalharius Gallicanus Epiſcopus, 87 m
Amalricus Abbas Stradenſis, 231 m
Amarius Epiſcopus, 251 a
S. Amatoris corpus tranſlatum ab Abbone Epiſcopo Autiſiodorenſi, 575 m
Ambertus an pater Simperti Epiſcopi Auguſtani, 553 m
Ambianenſes Epiſcopi, Hilmeradus, 126 a. Vvido, 233 a. Gervvinus, 354 m. Raginarius. 250 m, Otgerus, 486 & ſeqq Honoratus, 489 a
Amblardus frater Aureliani Epiſcopi Lugdunenſis, 498 m
Amelinda mater Abbonis Epiſcopi Autiſiodorenſis, 575 m
Amiſarius cur dictus Bernardus, 600 m
Amolo Lugdunenſis Epiſcopus, 39 m, 539 m
Anaſtaſiæ Martyris reliquiæ in Gandersheimenſe Cœnobium tranſlatæ, 261 a
Anaſtaſius Abbas ſancti Petri Vivi Senonenſis, 578 a
Anaſtaſius Martyr Cordubæ, 584 m
Andegavenſes Epiſcopi, Dodo, 265 m. Hypotemius, 231 & ſeqq. Lupus, 470 m
Andreas Floriacenſis Monachus, miraculorum S. P. Benedicti ſcriptor, 347 a, 348 a
Andreas Præpoſitus Capuanæ Cellæ, 44 m
Andreas qui & Sigebertus, Prior Corbiniaci, 519 m, 520 m
Angelarius Abbas Caſinenſis, 466 m. Epiſcopus Teanus, 467 a
Anfridus Presbyter ad converſionem paganorum miſſus, 505 a
Angela mater Bettonis Epiſcopi Autiſiodorenſis, 577 m
Angelberga uxor Ludovici II Imperatoris, 465 m
Angelelmus Epiſcopus Autiſiodorenſis, 574 m
Angelus Monachus Caſinenſis, 499 a, n
Angilmodus ſeu Engelmodus Epiſcopus Sueſſionenſis, *122 a, 132 m
Angilramnus ſeu Ingelramnus Abbas Centulenſis, 537 m
Anglorum ſchola Romæ Marino Pontifice, 338 m, a
Anglorum Reges an ſtrumoſos ſanant, 516 a. Chriſtianiſſimi, 551 a, m
Anianus Abbas Celtonis, tum Canenſis Monaſterii, 600 m
Anicium. *V.* Vellava.
Anna filia Ladiſlai Regis Ruſſorum, uxor Henrici Francorum Regis, 405 m
Annales Francorum editi emendantur, 587 a
Annus Incarnationis cum anno Regis in charta privata, 499 m. initio & in fine privilegii epiſcopalis uterque poſitus, 520 m, 521 a
Anovareth nobilis Brito Glannafolii benefactor, 175 & ſeqq.
Anſbaldus ſeu Anſboldus & Anſpaldus Prumienſis Abbas, 358 a, 467 & ſeqq.
Anſcharii Hammaburgenſis Epiſcopi Vita, 75 & ſeqq. 472 m

Anſcherius Præpoſitus Andegavenſis, 169 m
Anſegiſus Epiſcopus Senonenſis, 485 m
Anſelmus Epiſcopus Landunenſis, 515 m
Anſelmus Abbas Beccenſis, 537 a
Antonius Monachus Caſinenſis, 440 m
Autrenſes Monachi à Danis cæſi, 580 m, 581 a
Aovvious Dacorum Rex, 555 a
Aphrondiſius Martyr, 497 m
Apothemius. *V.* Hypothemius.
Apollinaris Abbas Caſinenſis, 461 a, 463 & *ſeqq.*
Appula aa *Pila* urbs in confiniis Curlandiæ & Samogitiæ, 105 a, n
Aquila Abbas S. Petri Vivi Senonenſis, 543 a
Archembaldus de Buciaco miles, 577 a
Archembaldus Turonenſis Epiſcopus, Soliacenſis Domnioi frater, 563 a
Archembaldus ſeu Erc[illegible]mboldus Abbas Floriacenſis, 360 m, n, 362 a
Archembaldus Albus vir potens, 422 a
Archenoldos Majordomus, 539 a
Ada ſoror Vvicbaldi affinis Aureliani Lugdunenſis Archiepiſcopi, 498 m
Ardegarius Eremita & Sacerdos ad Suecones miſſus, 91 a, 93 m, 94 m
Ardegrimus ex Epiſcopo Lingonenſi Benignianus Monachus, 345 m, 504 a
Arduicus ſeu Ardvicus Veſontionenſis Epiſcopus, 532 a
Arelatenſis Epiſcopus ſedis apoſtolicæ Vicarius, 490 m
Arrovaſia ſilva, *Arouaiſe*, ubi Monaſterium Canonicorum Peronam inter & Bapalmam, 524 a
Argentomagum, *Argenton*, in pago Bituricenſi, infra Confluentes Croſæ minoris in majorem, 567 m, o
Argimirus Monachus Hiſpanus Martyr, 585 a
Arbuſan urbs epiſcopalis, 77 a
Aridius Abbas S. Bealgni, 539 m
Armilata, *Armelatto*, fluvius non longè à Corduba, 584 a
Armorius Virdunenſis Epiſcopus, 532 a
Arnaldus Gaſconum Dux, 73 a
Arnaldus ſeu Ernaldus Abbas Bonævallis prope Carnates, 497 m
Arnaldus Narbonenſis Archiepiſcopus, 556 m
Arnoldus Comes à Normannis occiſus, 489 m
Arnolfus Rex Germaniæ, 489 m
Arnulfus Epiſcopus Aurelianenſis, 564 a, 369 m, n
Arnulfus Epiſcopus Teatinus, 438 m
Arnulfus purgatorio liberatus, 475 m
Arnulfus Abbas Latiniacenſis, 494 a
Arnulfus propinquus Aureliani Epiſcopi Lugdunenſis, 498 m
Arnulfus Monachus Hagiologii compilator, 599 m
Arnuſtus miles, 561 a
Arſcanus Archiepiſcopus, 213 a
Artharius Preſbyter & Monachus Fuldenſis, 6 m
Arvernenſes Epiſcopi. *V.* Claromontenſes. Agilmarus, 489 a
Aruſenſis Epiſcopus, Chriſtian, 487 a
Aſſerus ex Monacho Bancorenſi Epiſcopus Schireburnenſis, 506 m
As[illegible]*acum*, unde Athanacenſes Martyres ſeu Lugdunenſes, 491 & *ſeqq.*
Athanaſii fides, ſeu vulgatum Symbolum ipſi tributum, 182 o
Athaulfus Epiſcopus Barcinonenſis, 47 m, 48 m, 50 m
Athenulfus Abbas Caſinenſis, 448 a, o
Attala Abbas & auctor Cœnobii ſancti Polycarpi, 600 m
Attilo Abbas Cæſarionis, ſeu S. Tyberii, 600 m
Atto Epiſcopus Teatinus, 438 n
Atto Comes Italus, 449 m
Atto Comes Attonis Itali Comitis filius, 449 m
Ava Comitiſſa, 425 m
Audacar Lemovicenſis Epiſcopus, 551 a
Audo Comes, 166 m, 182 m
Auguſtani Epiſcopi, Simpertus, 555 & *ſeqq.* Udalricus, 554 a, Petrus de *Schaumberg*, 514 a, m
Auguſtodunenſes Epiſcopi, Jonas, 539 a. Jattæus ſeu Alteas 250 m Syagrius, 470 a
Auliceenſis ſeu Hildinesheimenſis epiſcopatus origo & mutatio, 260 a
Aumarus ſeu Aunarius Autiſiodorenſis Epiſcopus, 470, 574
Avoundus Rex Sueonum, 91 a, n
Auraris fluvius in Septimania, *l'Eraut*, 556 m
Aurea Monacha Cutectaricenſis, ſanctorum Adulfi & Johannis ſoror, Martyr, 585 a
Aurelianus pater Aureliani Epiſcopi Lugdunenſis, 491 a, 498 m
Aurelianus Lugdunenſis Epiſcopus, 166 m. Elogium ejus Hiſtoricum, 490 & *ſeqq.*
Aurelianus Notarius, 491 a
Aurelianenſes Epiſcopi, Noto, 250 m. Agius, 551 a. Arnulfus, 564 a, 369 m, n Raino, 470 m
Aurelii Martyris Tranſlatio Pariſios, 45 & *ſeqq.*
Auſtreſius Princeps, 533 m. A quo Auſtreſii-curtis, *Autrecourt*, in Argonna, 534
Auſtrobertus Epiſcopus Viennenſis, 599 m
Autbertus Monachus Corbeienſis, Anſcharii coapoſtolus, 84 m
Authadus Monachus & Preſbyter, Præpoſitus Cellarum Fuldenſium, 7 a
Autiſiodorenſes Epiſcopi, Heribaldus, 250 m, 573 & *ſeqq.* Vvillelmus, 550 a. Aunarius ſeu Aumarius, 470 a, 574 a. Uuibaldus, meliùs Vvigbaldus, 470 m. Tetricus, 573 m. Abbo, 573 m & *ſeqq.* Chriſtianus & Betto, 575 & *ſeqq.* Vvinebaudus, Palladius, Quintilianus, Gualtricus, Richardus, Hugo I, Hugo de Monte-acuto, Hugo III, Alanus, Robertus, Herbertus, & Dominicus Seguierius, 574 & *ſeqq.* Heriſridus, 577 a Gerannus *ibid.*
Aytmannus Monachus Beſuenſis à Danis cæſus cum ſociis, 582 a
Azarias inſigni pietate Curbionenſis Monachus, 547 m, n
Azzo Monachus Caſinenſis, 439 a

B

BABILA Leovigildi nobilis Hiſpani ſoror, Deo ſacrata, 50 a
Badilo Abbas Saxiaci ad Rhodanum, 166 m, 491 m, 500 a
Badilo Comes, tum Monachus Æduenſis, 500 a
Badilo Monachus Vezeliaci, qui B. Magdalenæ reliquias tranſtulit, 500 a, 591 a
Bajocenſes Epiſcopi, Galfridus, 551 m
Balduinus Flandrenſium Comes, Philippi Regis tutor, 405 m
Balthildis Francorum Reginæ pietas, 539 a
Balticum mare Barbarum dictum, 77 a
Barcino caſtrum, 47 m
Barcinonenſis Epiſcopus, Athaulfus, 47, 48 m, 50 m
Barcinonenſis cella S. P. Benedicto ſacra, 549 m
Barnardus Epiſcopus Viennenſis, 274 m. Vitæ ejus fragmenta duo, 561 & *ſeqq.*
Barnoinus Epiſcopus Viennenſis, 275 a
Baſilica, *Biſches*, in Sueſſionenſi pago, 568 a
Baſilienſis Epiſcopus, Hatto, 65 a
Baſo miles, caſtri Catalaunici expugnator, 141 m
Baſoli Abbatis Tranſlatio & miracula, 137 & *ſeqq.*
Baſſatius Abbas Caſinenſis, 427 a, n. Legatus ad Ludovicum Auguſtum, 466 a
Batheum Ratiſbonenſis Epiſcopus, 250 m
Bava ſoror Auſtreſii Principis, 534 m
Bavonis antiquiſſima Vita, 598 m
Bedæ Venerabilis oſſa in tumulo S. Cuthberti depoſita, 587 a, 596 m. Commentarius ejus in

epiſtolas Pauli, 599 m
Bego Comes Pariſienſis, Foſſatenſis Monaſterii inſtaurator, 166 a
Bella nobilis virgo ſanctimonialis Beneventana, 459 m
Bellovacenſes Epiſcopi, Odo, 227 m. Hildemannus, 250 m
S. P. Beinsoreti reliquiarum illatio ſeu tumulatio, & miraculorum libri, 345 & *ſeqq.* Feſta ejus, *ibid.* 432 a
Benedictus Abbas Foſſatenſis alius ab Anianenſi, 366 a, 370 & *ſeqq.*
Benedictus Abbas S. Baſoli, 335 a
Benedictus Abbas Anianenſis, 570 & *ſeqq.* Epiſtola ejus ad Ludovicum Pium, 572
Benedictus Abbas Mediolanenſis, 570 & *ſeqq.*
Benedictus Salenſis Monaſterii Præpoſitus, 367 m
Benedictus Venetius an auctos Patriarchis Brixicenſis, 143 a
Benedicti Papæ I X mores, 411 a, n
Beneventanus Epiſcopus Alix, 436 a, n, 437 a
Bertholdus Alamannorum Dux, 64 m
Berilo Vicecomes, 271 a
Bern ſeu Biorn Rex Sueonum, 86 m, n
Bernardus Abbas S. Launomari, 236 m
Bernardus Abbas Belliloci. 163 m
Bernardus ex Monacho Beccenſi Abbas S. Michaëlis in Monte Tumba, 528 a
Bernardus vir illuſtris, caſtri *Vxon* ſeu *Viſon* dominus, 386 m
Bernardus miles punitus, 455 m, 456 a
Bernardus nobilis Monachus Floriaci, 423 a
Bernarius Comes tractus Hammaburgici, 89 m
Bernegarius inſignis pietate Monachus Glannafolii, 168 a
Bernerius Epiſcopus Gratianopolitanus, 175 a
Berno Abbas Augienſis, 63 m, 64 a
Bernoldus Epiſcopus, & Miſſus Ludovici Auguſti, 88 a, *181 a
Berta uxor Gerardi Provinciæ Ducis, 165 m
Berta uxor Philippi Francorum Regis ab eo repudiata, 406 a
Berta ſeu Bertana uxor Unfridi Comitis, 341 a
Bertharius Abbas Caſinenſis & Martyr, 463 & *ſeqq.*
Bertherius Epiſcopus Viennenſis, 599 m
Bertilo Chorepiſcopus & Abbas Benignianus, 338 & *ſeqq.*
Bertingus Abbas ſecularis S. Mauri, 272 m
Bertulfus Trevirenſis Archiepiſcopus, 169 a
Beſuenſes Monachi à Danis cæſi, 382 a
Betta inſula, *l'iſle de Bierre*, prope Namnetas, 221 m, n
Betto Epiſcopus Autiſiodorenſis, 373 & *ſeqq.* Antea Abbas S. Heraclii Autiſiodorenſis, & Præpoſitus S. Columbæ, 378 a
Bilechildis uxor Gaoſlini Comitis, 163 m
Bilechildis Abbatiſſa vidua Rorigonis Comitis, 168 a
Bilhildis ſeu Bilhilta an virgo aut vidua? condit Altum Monaſterium apud Maguntiam, 63 a
Biterrenſis Epiſcopus Gilbertus, 590 m
Bituricenſes Epiſcopi *prima ſedes Epiſcopi*, 158 a, Rodulfus, 152 m, 156 & *ſeqq.* 150 m. Geronrius, 160 m. Simon, 148 m, 238 & *ſeqq.* Gauzlinus, 423 a
Blaſenſis Epiſcopus Torolfus, 483 a
Bocardo vir hereditabilis, 306 a
Boii diſtincti à Bajoariis, 598 m
Boiſilus Monachus S. Cuthberti magiſter, 286 m, 296 m
Bonodus, fluviolus in Ligerim non longè à Floriaco influens, 381 m
Bonoſus Abbas, 202
Borde'ton, caſtrum in pago Vvaſtinenſi cur dictum Malum-talentum, 398 m, n
Boto Marchæ Lemovicenſis poſſeſſor, 367 m
Boſo Abbas Belliloci, 163 m
Boſo Comes, 470 m
Boſo Comes Petragoricenſis, 373 a
Bothmamel, aula Ducum Aremoricæ, 193 m
Bovo Abbas Corbeiæ Saxonicæ, 472 a
Bremenſes Epiſcopi, Rembertus, 75 m. Adalbertus, *ibid.* 485 a, Vvillericus 77 m 88 a, 122 m. Leudericus, *ibid.* Rembertus, 261 a, 471 & *ſeqq.* Adalgarius, *ibid.* 482 m. Monachi in Bremenſi Ecclesia cathedrali. 71 m, 778 a
Bremontis ſeu Breviſmurus in Burgundia, 479 m
Brendani duo æquales, 598 a
Brioceuſis Epiſcopus Garurbrius, 187 m
Britanniæ minoris Epiſcopi an ſimoniaci, 186 & *ſeqq.* 211, 212. Eorum diſcidia, 187 & *ſeqq.*
Brithnodus Abbas Elienſis, 523 m
Brioc nobilis Brito, Monachus Leonenſis, 216 m
Bruccia, *Braſſo*, caſtrum in Aquitania, 367 m, 373 a, n
Brun Abbas, 27 m
Burchardus illoſtriſſimus Comes, 205 a
Burchardus Abbas S. Baſoli, 335 m
Burcardus de Montemorencio, 527 a
Burdigalenſis Epiſcopus Frotarius, 504 a
Byrca, portus Sueciæ, 86 m, 92 a, 100 a. Epiſcopus Johannes, 485 a

C

CABILONENSIS Epiſcopus Gandelaldus, 231 m
Cadalous Parmenſis Epiſcopus Antipapa, 455 m
Cadilo Comes, 182 m
Cadrum mons, in quo Jucundiacum palatium, 200 m
Cæſarauguſtanus Epiſcopus Senior, 47 a, 50 a
Cæſarius Abbas Piumicoſis, 468 m
Calſeus vir clariſſimus, 214 m
Cambliciacus vicus, *Comfee*, in Aremorica, 188 m
Cameracenſis Epiſcopus Theodericus, 251 a
Canci, Cancelliani & Cancellianæ reliquiæ Jacobo Eremitæ conceſſæ à Sergio Papa, 149 a
Cantuariorum Epiſcopi Radulfus, 298 m. Vvillelmus, 299 m
Capuani Epiſcopi, Landenulfus & Landulfus, 466 a
Capucerovium, *Saverge*, caſtrum, 367 a, 373 m
Caradignenſes Monachi ducenti Martyres, 583 a
Cariſiacum villa S. Salvatoris, 25 a
Caſiſiacenſis Synodus, 25 a
Carnotenſes Epiſcopi, Helias, 251 a. Vulfaldus, 361 a, n. Gelericus, 525 a
Carolomannus Caroli Calvi filius excæcatur, 60 m. Corbeiæ retruditur, 126 m. Reomaenſis Monachus, 586 m, 588 m, 589 a. Epternaci recipitur, 589 m
Carolus Calvus Ludovicum Germanorum Regem vincit, 39 a. Normannos in Sequana fluvio oppugnat, *ibid.* Auguſtus dicitur, quamquam dumtaxat Rex, 133 m. ſacras reliquias as veneratur, 37 a, 183 a. Cum Nominoïo Duce Britanniæ bellum gerit, 218 a. Optimates vocat Principes, 232 a. *ſigilli noſtri* vocem adhibet, 182 a. Abbas ſancti Germani apud Autiſiodorum, 576 m.
Carolus Craſſus Rex an a dæmonio liberatus, 481 m, n
Carolus Magnus *orthodoxus* Imperator, 58 m. de Septentrionalium populorum converſione ſollicitus, 87 m, 259 m. Nordalbingorum nuper converſorum curam non vicino Epiſcopo, ſed aliunde acceſſito committit, unde loco erigendo Epiſcopatui deſtinato privilegia exemtionis, 222 a, 472 a, 514 a. Capitola Epiſcopis ab eo directa, 364
Carolus Burgundiæ Rex, 491 a, m. diſtinctus à Calvo per commemorationem Lotharii parentis, 499 m, 500 m
Carolus minor, id eſt Simplex, 230 a. Floriacum inviſit, 346 m. Peronæ incarceratur, 359 m. obiit, 361 m. Varia ejus diplomata, 524 & *ſeqq.*

Carolus Princeps Pippini Aquitaniæ Regis filius Corbeiæ retruſus, 126 a. fit Archiepiſcopus Moguntinus, *ibid.* 489 m, 588 m
Carolus Princeps Lotharingus à Francis repudiatus, 371 a
Caſſinogilum, palatium à Nortmannis everſum, 358 m
Caſtellio ſuper Lupam, ubi S. Poſenni corpus, 413 a, n, 414 m
Catalaunenſes Epiſcopi, Philippus Stephani Palatini ſeu Trecenſium Comitis frater, 154 m, 155. Lupus, 251 m
Carvvoret ſeu Carvvoretus Ratvvili Britonis nobilis filius, 185 a, 196 a
Ceadda Epiſcopus, 550 m
Cenomannenſes Epiſcopi, Aldricus, 175 a. Mainoldus, 470 m
Centulfus vir præpotens, 160 a
Childebertus I. Rex Francorum, 489 a
Childebrannus pater Eccardi Comitis, 348 m, 349 a
Childerici Francorum Regis diploma, 535 a
Chilienus Vitæ S. Brigidæ metricus ſcriptor, 304 m
Clodoveus II Rex Francorum, 538 a, 539 a
Chlotharii III edictum ſeu diploma, 554 m
Chorepiſcopus facultas Sacerdotes ordinandi, 34 m, 35 a
Chori, nunc Crulandenſes, 205 a, a
Chriſtian Aruſenſis Epiſcopus, 485 a
Chriſtianus Epiſcopus Autiſſiodorenſis, 573 & *ſeqq.*
Chriſtianus Abbas S. Germani apud Autiſſiodorum, 576 a
Chriſtianus Drutmarus an Epiſcopus Autiſſiodorenſis, 576 m
Chriſtianus baſilicæ Floriacenſis cuſtos, 577 a
Chriſtina Abbatiſſa Gandershemenſis, 261 a
Chriſtophorus Monachus S. Martini de Rniana, Martyr, 584 m
Chroduinus. *V.* Roduinus
Chronmal Scotus, vir doctus, 39 m
Ciza, *la Ciſſe*. fluvius Bleſis in Ligerim influens, 246 a
Claromontani Epiſcopi, Fredegiſus, 190 a. Durandus, 256 m. Vvillelmus, 257 a
Claromontana Synodus, 155 a
Clemens Papa II, antea Suidgerus Bambergenſis Epiſcopus, 452 m, n
Cloveshovienſe Concilium, 583 a
Cluniacenſium veteres ritus à Benedicto Anianenſi ſeu Euticio derivati, 571 m
Cogitoſus ſcriptor, 504 a
Coleu Lector, id eſt Doctor, 320 n
Colonienſes Epiſcopi, Haldeboldus, 84 m. Guntharius, 96 a
Columba ſoror Martini Abbatis Tabanenſis, Martyr, 585 a
Comitiſſæ nomen ſeculo VIII, 304 m
CONCILIA, Agathenſe, 590 m. Arelatenſe, 565 a. Aurelianenſe, 565 a. Cabilonenſe, 565 a. Cariſiacenſe, 125 a. Claromontanum, 155 a. Cloveshovienſe, 583 a. Germanica duo, 95 m. Germuniacenſe, 249 m. Moguntinum, 31 a, 32 a, n, 565 a. In monte S. Mariæ prope Baſilicas, 154 a. Pariſienſe, 125 a. Piſtenſe, 125 a. Remenſe, 565 a. Siſtericenſe, 500 m. Sueſſionenſe, 587 m. Sutrinum, 452 m, n. Turonenſe plenarium, 167 a. Apud S. Tiberium, 590 m, 565 a. Venetenſe generale Armoricorum Epiſcoporum & Principum, 190 a, n. Viennenſe ſub Adone, 269
Condelogetus piiſſimus Rotonenſis Monachus, 194 m, 205 m.
Condita ſeu Condida, villa ſuper Ligerim, 574 m, 575 a
Conhoiarnus Rotonenſis Monachus piiſſimus, 194 m, 296 m
Cononus nobilis Brito, pater S. Convvoionis, 194 m
Conradus Imperator Caſinum, deinde Capuam accedit, 432 a
Conradus Comes Abbas S. Germani apud Autiſſiodorum, 576 m
Conſtantia filia Philippi Francorum Regis, uxor Hugonis Comitis Trecenſis, 155 m, 156 a
Conſtantienſis in Alamannia Epiſcopus Salomon, 96 m, 97 a
Conſtantienſes in Neuſtria Epiſcopi, Erloinus, 251 a. Erleboldus, 524 m
Conſtantinus ſcholaſticus, 373 m, n
Conſtantius Coepiſcopus ſeu Chorepiſcopus Viennenſis, 270 m
Convvoionis Abbatis Vita, ubi de ſanctis Rotonenſibus, 184 & *ſeqq.*
Corbeiæ Gallicæ ſchola, 81 m, 85 a, 86 a, 124 a
Corbeienſes Monachi rem ſacram in Dania promovent, 89 a
Corbeia nova unde dicta, 82 m. *V.* Monaſt.
Corbo vir inclitus unde Corbioiacum, 241 a
Cordubæ Reges, Abdirama, 57 a. Mahomath, 48, 49 a. Martyres, 583 & *ſeqq.*
Coriſopitenſis Epiſcopus Felix, 168 m, 202, 212
Corona aurea Papæ oblata, 191 a, 212 m
Corſicanus Epiſcopus Pantaleo, 148 m
Coſla, *Coſle*, fluvius in Maternam influens, 238 m, n
Coſmarus, melius Urſmarus, Epiſcopus Turonenſis, 175 a
Crocus Rex Vvandalorum, 491 m
Cucuphas & Eulalia Barcinone Martyres, 50 m
Cumdeluc Monachus Rotonenſis piiſſimus, 200 m
Cuneceaſtrenſes ſive Cunchaeſtrenſes & Dunelmenſes Epiſcopi, Cuthardus, 281 m. Aldanus, 285 m
Curienſis Epiſcopus Diethmarus 455 a, n
Cuthardus Epiſcopus Cuneceaſtrenſis ſive Dunelmenſis, 281 m
Cuthberti Epiſcopi Lindisfarnenſis tranſlatio & miracula, 273 & *ſeqq.*

D

DADO Virdunenſis Epiſcopus, 331 m
Dalmatius Vicecomes, 256 m
Damaſus II, antea Poppo Brixinenſis Epiſcopus, 452 m, n
David Abbas ſancti Sabæ, 45 m
Deſiderii Viennenſis Epiſcopi Acta ab Adone politiori ſtilo donata, 271 a
Deſiderius Abbas Caſinenſis, ſeu Victor Papa III, S. P. Benedicti miracula edidit, 348 a, m, 425 & *ſeqq.*
Deuſdedit Abbas Caſinenſis, 461 & *ſeqq.*
Deuſdona Diaconus Romanus, reliquiarum nundinator, 4, 6, 7
Dodo Abbas S. Petri Vivi Senonenſis medicus periti ſſimus, 166 m
Diedericus Monachus Herſfeldenſis, auctor Hiſtoriæ illationis reliquiarum S. P. Benedicti examinator, 343 & *ſeqq.*
Diethmarus Curienſis Epiſcopus, 455 a, n
Digna Sanctimonialis Tabanenſis, Martyr, 584 m, 585 a
S. Dionyſii ſepulcrum Pariſiis qui exſtat, 389 a, n
Dirvvoenta, fluvius in Cambria Scotiæ regione, 282 m, o
Doctrannus Valentinenſis Epiſcopus, 564 a
Dodo ſive Odo Abbas S. Martialis, 162 m
Dodo Epiſcopus Andegavenſis, 165 m
Dodo Abbas Stradenſis ſeu S. Genulfi, 227, 228 m, 451 m
Dodo an Abbas S. Savini Pictavenſis, 251 m
Doetgen ſcriptor devota ſtabilitate & converſione morum nondum Monachis, 207 a
Dolboigenſis Epiſcopus Egran, 285 a
Dolenſis Archiepiſcopatus erectio, 168 m. Epiſco-

pi, Faſtrarius, 187 m. Salaco ſeu Saloco, 238 a, 239, 243 a. is ipſe qui Alcrenſis dicitur in indiculo Britannorum Epiſcoporum, 186 m
Dorardi & Carulfi ſanctorum corpora Medunti, 514 m
Dominicus Tuſſanus Epiſcopus Dionyſienſis, 515 m
Dominicus Seguierius Epiſcopus Autiſiodorenſis, 575 & ſeqq.
Domnolus Trecenſis Epiſcopus, 470 m
Donnana mater Eccardi Comitis, 348 m, 349 a
Drogo Caroli Calvi filius, 588 m
Drogo ſeu Drugo Epiſcopus Metenſis, quare dictus Archiepiſcopus, 19 m, ii. *ſumma ſanctaque Palatina dignitatis Archicapellanus*, 87 m, 155 a, m
Diogonis nobilis monaſticum ambientis ſtupenda probatio, 360 m. ſeceſſus in eremum & tentatio, 361 a, m
Dudo Vicecomes Morogienſis, 155 m
Dunelmenſis Epiſcopatus erectio, 286 a. Epiſcopi, Cuthardus, 281 m. Eadmundus, 286 a. Egelricus, 287 a. Egelvvinus, 287 m, 290 m, 292 m. Vvalcherus, 295 m, 293 m, ii. Vvillelmus, 294 m
Dunſtanus Eadmundo Rege Glaſtoniæ Abbas, 325 a
Dunatinga Britanniæ majoris regio, 552 a
Durandus Epiſcopus Arvernenſis, 256 m
Duſmerſis pagus, ubi Pteudunum SS. Florentini & Hilarii martyrio decoratum, 492 & ſeqq.
Duulus an Armoricæ fluvius, 390 a

E

EADBERTUS Lindisfarnenſis Epiſcopus, 295 m
Eadburga uxor Beortrici Regis Vveſtſaxonum, ſanctæ Faræ Abbatiſſa, 589 m
Eadfridus ſeu Eadſinchus Abbas S. Albani apud Anglos, 579 & ſeqq.
Eadfridus Lindisfarnenſis Epiſcopus, 296 m
Eadgari Regis lex ſevera in latrones, 72 a
Eadgiva ſeu Heargiva Caroli Simplicis uxor, Sueſſione ſepulta, 301 m, n
Eadmundus Epiſcopus Dunelmenſis, 286 a
Eadredus Abbas Lindisfarnenſis, 279 m, a
Eadricus Abbas S. Albani apud Anglos, 579 m
Eadvvaldus Rex, 277 m
Eadvvardus Rex piiſſimus, 287 m
Eadvvinus Rex Britannorum, 558 a
Ealdſaxones, Saxones antiqui ſeu Germani, 508 & ſeqq.
Eandmundus Dux, auctor Monaſterii S. Petri in Lindisfarne, itemque Abbas, 303 a, 306 a, m, & ſeqq.
Eardulfus Epiſcopus Lindisfarnenſis, 279 m, 281 a
Eaſtſaxones, *le pais d'Eſſex*, 528 m
Eata Mailroſenſis Abbas, 303 a
Ebbæ & Ethelgithæ Abbatiſſarum oſſa è tumulo levata, 286 m
Eberhardus Comes in Aleſatia, 555 a
Eberhardus Einſidlenſis Abbas primus, 64 a
Ebbo Rorigonis Comitis conſanguineus, 17 m
Ebo Remenſis Epiſcopus, 87 m, 88 m, 105 m, 111 m, 112 m. tum Hildinsheimenſis, 160 m
Eboracenſes Epiſcopi. Vvilfridus, 550 & ſeqq. Paulinus, 551 a
Ebroinus. *V.* Hebroinus.
Ecbertus ſeu Ecgbertus Comes Nordalbingorum, 254 m
Eccardus ſeu Heccardus Comes Burgundio, 348 m, 385 m
Ecfridus Rex Anglorum, 305 m, 551 m
Ecgbertus Scottorum Pontifex, 367 m, a
Ecgfridus Epiſcopus Lindisfarnenſis, 307 n, a
Ecilanus Epiſcopus Scarenſis, 485 a
Eddius Stephanus Vitæ ſancti Vvilfridi ſcriptor, 550 m
Eddo Comes, 57 m
Edilvaldus S. Cuthberti Miniſter, tum Abbas Mailroſenſis, 352 m
Edilvvaldus ſeu Æthelvvaldus Preſbyter Lindisfarnenſis & Anachoreta pietate inſignis, 352
Eduardus Anglorum Rex ſtrumoſum ſanat, 516 a
Egbertus Lindisfarnenſis Epiſcopus, 302 m
Egbertus Archiepiſcopus Northanimbrorum, 355 m
Egelricus Dunelmenſis Epiſcopus, 287 a
Egelvvinus Dunelmenſis Epiſcopus, 287 m, 290 m, 292 m
Egil ſeu Eigil & Egilo, ex Abbate Prumienſi & Ferrarienſi Senonenſis Archiepiſcopus. Elogium ejus hiſtoricum, 237 & ſeqq. 468 a
Egila de *Bertende* nobilis, 516 a
Egilhardus Abbas Indenſis, Martyr, 585 m
Egilo ſeu Geilo Monachus, tum Abbas Trenorchienſis, poſtea Lingonenſis Epiſcopus, 504 a
Egino Dolborgenſis Epiſcopus, 485 a
Eilbertus Farrienſis Epiſcopus, 485 a
Eilvviga Abbatiſſa, 66 a
Einhardus Abbas, 3 a, 6 a. SS. Marcellini & Petri corpora defert in Galliam, 504 m, 505 a
Elbertus æditus Corbinia cenſis, 517 m
Electramnus Redonenſis Epiſcopus, 550 m
Elfredus Rex, 277 m. paganos vincit, 279 a
Elias Abbas Stradenſis, 223 m, 231 m, 233
Elinandus miles de Beicocurtio, 527 m
Elizabetha uxor Hieremiæ nobilis Hiſpani, 584 a
Elizabeta Monacha Tabanenſis ſoror Martini Abbatis, Martyr, 185 a
Emeno Vicecomes, 254 m
Emilius Martyr Cordubæ, 584 m
Emmæ Reginæ innocentia probata per ferrum candens, 71 m
Engelmodus Sueſſionenſis Epiſcopus, 122 & ſeqq.
Engilberga Ludovici II uxor, Sanctimonialis Brixiæ, 589 m
Engoliſmenſis Epiſcopus Vvillelmus, 255 m
Enneco Abbas Rivipollenſis, 423 a
Eorpuinus Abbas Lindisfarnenſis, 303 a, 313 m
Ercambertus Alemannus, pater Abbonis Epiſcopi Autiſiodorenſis, 575 m
Erchanfrida Nitardi nobilis viri uxor, 468 m
Erchenradus Pariſienſis Epiſcopus, 231 a
Ericus Rex Danorum pro Deo cæſus à paganis, 100 m
Ericus ſeu Erificus & Henricus Abbas Mitiacenſis, 247 m
Erimbertus Sacerdos, nepos Gauzberti Epiſcopi, 102 m, 104 m, 105 a
Eriſpous Dux Brittonum, 188 a Rex dictus, 199 m
Erlafridus Comes Hirſaugienſis Monaſterii conditor, 28 m
Erlebaldus Augienſis Abbas, 65 a
Erleboldus Epiſcopus Conſtantienſis in Neuſtria, 514 m
Eriuinus Conſtantienſis Epiſcopus, 251 a
Erlulfus Vicecomes, Miſſus Boſonis Comitis, 270 m
Ermenfredus Abbas, 251 m
Ermengardis ſoror Vvillelmi Tyrenenſis Principis, 217 m
Ermenoldus Comes Autiſiodorenſis, 352 a
Ermentrudis filia Unfridi Comitis, 541 a
Ernaldus ſeu Arnaldus Abbas Bonævallis, 497 m
Eretvvoldus Lindisfarnenſis Epiſcopus, 296 m
Ethelingia, Latinè regalis inſula, 313 m
Ethelredus Rex Anglorum, 285 a
Ethelvvolfi Monachi carmen de Abbatibus & viris piis Cœnobii S. Petri in inſula Lindisfarnenſi, 308 & ſeqq.
Euchariſticus Sapientis tractatus adverſus Ratbertum, 595 & ſeqq.
Eucherii, Verani, Cypriani, Sperati & Pantaleonis reliquiæ Monacho Floriacenſi conceſſæ, 523 a

Evora, *Tevre le Château*, cella Floriaco ſubjecta, 306 a, n
Eugenii Papæ III epiſtola ad Barnardum Vienenſem Epiſcopum, 567 a
Eregimmopoſit S. Benedicti civitas, nunc S. Germani, infra Caſinum, 464 m
Eulogius Martyr Cordubæ, 48 m
Eulogius Preſbyter & Martyr, 385 & ſeqq.
Evrardus Epiſcopus Senonenſis, 481 & ſeqq. 577 m
Euſebius Recloſus apud ſanctum Gallum, 461 & ſeqq.
Euſebius Epiſcopus Vercellenſis, Archicapellanus Caroli Craſſi, 581 m
Euſtadius Abbas S. Benigni, 338 m
Euſtorgius Lemovicenſis Epiſcopus, 164 m
Euticius Abbas Gallus, 570
Exonienſis Epiſcopus Guillelmus Vvarvveſt, 338 m
Ezzo Aldemburgenſis Epiſcopus, 485 a

F

FALCO miles, 257 m
Fandila Monachus Tabanenſis, tum Pinnamellarenſis, Martyr, 584 m
Farabertus Abbas Prumienſis, 469 m
Farnienſis Epiſcopus Ethbertus, 485 a
Faſtrada Caroli Magni uxor ad S. Albanum ſepulta, 58 m
Faſtarius Dolenſis Epiſcopus, 187 m
Fauſtæ Virginis & Martyris tranſlatio in Cellam Aſnenſem ſeu Brivaciacum, 72 & ſeqq.
Felgildus Anachoreta Lindisfarnenſis, 322 m
Felix Papa Amedeus, 354 a
Felix pater S. Jacobi Eremitæ, 144 m
Felix Epiſcopus Coriſopitenſis, 168 m, 202 a, n, 213 m
Felix Martyr Complutenſis, 584 m
Felix Abbas Pinnamellarenſis, 385 m
Felix Anachoreta naufragio liberatus, 383 m, 384 a
Felix Monachus Caſinenſis Teani ſultus, 438 a, n
Ferdentes ſeu Verdenſes Epiſcopi, Helingaudus, 88 a, 222 n. Vvaidegarius, 95 m
Ferri Spanici ſeu Hiſpanici pondus, 170 m
Fidulfus Occidentalium Anglorum & Cantiæ Rex, 384 m
Fidvverennus Rotonenſis Monachus piiſſimus, 195 a, 207 m
Firmus Monachus S. Pauli Romæ, 450 m
Firmus rivulus Curbionenſe Monaſterium alluens, 138 m
Flavardus nobilis Remus, 140 m, n
Florentinus Epiſcopus Petrus an Simoniacus, 456. pœnitentiâ ductus fit Monachus, 457 m, n
S. Florentini caſtrum, 493 a, m
SS. Florentini & Hilarii Martyrum reliquiæ Athanacum, apud Bonamvallem, Latiniacum & Pultarias delatæ, 494 & ſeqq. 505 & ſeqq.
Florus Lugdunenſis Diaconus, an Preſbyter, 599 m
Francia tempore Caroli Calvi ab Aquitania & Neuſtria diſtincta, 253 m. Francorum Reges Chriſtianiſſimi, 505 m. Eorum in ſanandis ſtrumoſis prærogativa, 515 m, 516 a
Franco Abbas Corbeiæ Gallicæ, 487 a, 488
Freculfus Lexovienſis Epiſcopus, 253 a
Fredegiſus Epiſcopus Claromontenſis, 150 a
Frederunna uxor Caroli Simplicis, 514 & ſeqq.
Freothmundus Abbas Anglus, 583 a
Frideburg matrona chriſtiana in fide conſtantiſſima, 93 m
Fridericus ex Monacho Fuldenſi Moguntinus Epiſcopus, 490 a
Fridehilfus Sacerdos & Monachus Lindisfarnenſis piiſſimus, 310 m
Fridericus Trajecti ad Rhenum Epiſcopus, 41 a, 581 a
Fritigilenſis Epiſcopus, 149 a
Frodoberti Abbatis Cellenſis reliquiarum tranſlatio, 243 & ſeqq.
Frodoinus Abbas Curbionenſis, 246 a, 252 m
Frongentii ſeu Frotgenſii & Mauri corpora Floriaco, 378 m, n
Frotarius Burdigalenſis Epiſcopus, 304 a, 375 m
Frotmundus nobiliſſimus pœnitens, 219 & ſeqq. 385 a
Frotmundus ſeu Fremundus ut Martyr cultus ab Anglis, 385 a
Frugellus Abbas S. Mariæ Cuteclarienſis, 384 a
Fulbertus puer in ſchola Corbeienſi occiſus, 81 a
Fulco Abbas Corbeienſis, 569 m
Fulco Abbas Remenſis, 258 a
Fulco Comes Andegavenſis, 382 a, n, 469 m
Fulco miles Bonævallenſis Monaſterii conditor, 497 m, 504 m
Folco Epiſcopus Remenſis, 518 m
Fulcrandus ſeu Fulcrannus Lutevenſis Epiſcopus, 518 m, n, 559 m
Fune inſula Sueciæ, 77 a
Furicus in Galliam gratiâ prædicationis accedit, 538 m
Fuſcianus Martyr Ambiani, 489 a

G

GARNULFUS Ravennas Glannafolienſis Monaſterii everſor, 169 a, m. punitur, 178 a
Gattidus Epiſcopus Bajocenſis, 258 m
Galliæ facies miſerabilis, 139 m, 358 m, 357, & ſeqq. V. Normanni. Gallia Sanctorum ferax, 351 m
Garlochus Abbas Quimperlegienſis, 188 m
Garulfus ſeu Guairultus & Gerulfus Abbas Belliloci in Lemovicibus, 161 a, 162 m, 165 m
Garubius Briocenſis Epiſcopus, 187 m
Gaubertus Abbas Magentiaci, 254 a
Gandelaldus Cabilonenſis Epiſcopus, 231 m
Gaufredus Epiſcopus Autiſſiodorenſis, Guillelmi Nivernenſis Comitis filius, 486 a, n
Gaufredus Sinemuri dominus, 418 m, n
Gaufredus ſeu Gausfredus ob corporis vires *Aſinus* dictus, 376 a, m
Gaufredus Bituricenſis Eccleſiæ Præcentor, 160 a
Gaufridus ſeu Goffredus Vicecomes Caſtridunenſis, 506 a
Gauſlinus Hervinicurtis Cellæ præpoſitus, 368 m
Gauzbertus nepos Ebonis Epiſcopus ad Sueones directus, 88 m. Simon vocatus, 89 a, 90 a, 99 a, 103 a
Gauzbertus Abbas Ferrarienſis, 398 a, n
Gauzbertus ſeu Guazbertus Glannafolienſis nobiliſſimus, 165 m
Gauzbertus frater Comitis Rorigonis, 173 a
Gauzfredus villæ Tauriaci Advocatus, 384 a, n
Gauzlenus Abbas S. Dionyſii, tum Epiſcopus Pariſienſis, 588 m
Gauzlinus pater Rorigonis Comitis, 165 m
Gauzlinus Abbas Glannafolienſis, 168 m, 174 a, 177 a, 179 a, 188 m, n
Gauzlinus Archiepiſcopus Bituricenſis, 423 a
Gauzlinus Abbas Floriacenſis, 356 a, 409 a, 56
Gauzmarus Abbas Bonævallis, 497 m, 505 a
Gelonum unde origo, 541 m, o
Gemeticum, dictum Gimedia & Gimedica, 581 m
Genitus Genulfi Epiſcopi pater, 125 & ſeqq.
Gentiani Martyris tranſlatio in Corbeienſe Monaſterium, 486 & ſeqq.
Genuenſes Epiſcopi, Maſſirus, 149 a. Nazareus, 149 m
Genulfi ſeu Gundulfi Epiſcopi & Confeſſoris tranſlatio & miracula, 125 & ſeqq.
Georgii Monachi & Martyris tranſlatio Pariſios, 45 & ſeqq. 384 m
Georgius Bibliothecarius ſanctæ Sedis apoſtolicæ, 366 m
Geraldus de Buxiolo, vir potens, 255 m

Geraldus Auriliaci Comes, 599 a
Geraldus Comes in Germania, unde Geraldi Comitatus, 5 m
Geraldus Abbas, 163 a, m
Geraldus Abbas Gellonenſis, 559 a
Geranus Epiſcopus Autiſſiodorenſis, 577 m
Gerardus Provinciæ Dux, 265 m
Gerberga Francorum Regina, 362 a
Gerberga uxor Comitis Godafredi, 157 a
Gerberga filia Liudolfi Ducis Saxoniæ Abbatiſſa Gandersheimenſis, 261 a
Gerberga II Abbatiſſa Gandersheimenſis, 261 a
Gerbergana neptis Eccardi Comitis, 349 m
Gerdruda ſancta Carleburgi, 25 m, n
Gereberteus Virdunenſis Epiſcopus, 538 a
Gerfridus Monachus Glannafolienſis & Eremita pietate inſignis, 179 a, 194 *& ſeqq.*
Gerlinus Biterrenſis Primas ſeu Vicecomes, 51 a
Germanica lingua ſæculo IX Francos edocta, 27 m
Germanicæ Synodi duæ, 95 m
Germani Epiſcopi Autiſſiodorenſis tranſlatio, 574 m. Eccleſia in Anglia, 580 a
Germiniacus prope Floriacum in pago Aurelianenſi, ubi habita Synodus, 248, 249
Geroldus Archidiaconus, 19 m
Geroldus Comes Pannonico limiti præfectus, 88 a, n, 151 a
Geronrius Bituricenſis Archiepiſcopus, 260 m
Gervinus II Abbas Centulenſis, 537 m
Gervvinus Ambianenſis Epiſcopus, 254 m, 557 m
Geturnicenſis urbs an Caturcenſis, 429 m, n
Geve Abbas Crecæ in Scotia, 281 a
Gilbertus Biterrenſis Epiſcopus, 590 m
Gildas Hibernus ſcriptor an idem cum Macario, 20 a, 22 m
Gilericus Epiſcopus Carnotenſis, 505 a
Giraldus Salenſis Monaſterii Advocatus, Vicecomes Lemovicenſis, 367 m
Giraldus Fluriacenſis Monachus Poeta, 347 m
Giraldus Ciuenſis caſtri Dominus, 576 m
Giraldus Tirinenſis miles, 577 a
Giraldus frater Vvidonis Vicecomitis Lemovicenſis, 377 m
Gravilouilla, *Gravilla* in Neuſtria, 526 m
Girardus Morinorum Epiſcopus, 254 m
Gibertus Decanus Bituricenſis, 260 a
Gibertus Abbas Floriacenſis, 529 a
Girbertus Presbyter falſarum bullarum poſtulator, 434 a, n
Girboldus Antiſiodorenſis Comes Nortmannos vincit, 345 a
Giſla Pipini Regis filia, Sanctimonialis, 589 m
Giſla Caroli Magni filia, 589 m
Giſla Lotharii Imperatoris filia, Abbatiſſa Brixienſis, 589 m
Giſlardus ſedis Namneticæ invaſor, 269 a
Giſlemarus Monachus S. Germani à Pratis, 598 a
Giſlemarus Monachus Corbeienſis Auſcharii Coapoſtolus, 86 a
Giſlibertus Comes Anglus, 345 m
Giſloaldus Epiſcopus Virdunenſis, 532 a
Giſlolfus Comes, an idem cum Girboldo, 345 a, 351 m, 353 m
Giulus locus prope Moſam non longè à Trajectu, ubi Nortmanni Germanos ſudêre, 489 m
Godafredus Comes, filius Rodulfi Comitis Caturcorum, 156 m, 264 a
Godafredus ſuperioris filius, 157 a
Godefredus Abbas Foſſatenſis, 267 a, 277 m, n
Godelina Comitiſſa Carnutenſis, 493 m
Godfridus Monachus Lindisfarnenſis Doctor, 320 m
Gonfredus Comes, 202 m
Gordonicum caſtrum in Bituricenſi pago, 408 m
Gotafridus nepos Arnaldi Ducis Gaſconum, 71 m
Gotheſcalchus damnatus, 91 m
Gotheſcalchus Princeps à Sclavis interemptus, 513 m
Gotſelinus Lingonenſis Epiſcopus, 342 m
Goulteberrus Epiſcopus, 251 m
Gozbertus Oſnabrugenſis Epiſcopus, 82 m
Gratianopolitani Epiſcopi, Hebo, 266 a. Bernerius, 275 a
Gregorius Magnus Regulæ S. Benedicti addictus, 557 a
Gregorius Einſidlenſis Abbas, 64 a
Gregorius Abbas Trajectenſis, 599 m
Gregorii Papæ IV diploma S. Anſchario directum, 222 m
Gregorius Abbas, 451 m
Gregorius ſummæ religionis Monachus Caſinenſis, 458 m
Gregorius Papa VII, 453 a, n, 454 a, 458 a
Gregorius Notarius à Paſchali Papa miſſus à latere, 562 m
Grimaldus Abbas S. Galli, 473 m, 461 m
Grimbaldus Sithienſis Monachus litteras docet in Anglia, 324 a, 306 *& ſeqq.*
Guaifarius Princeps Salernitanus, Monachus in extremis, 466 m
Guaiferius Dux Aquitaniæ, 266 a
Gualdo Corbeiæ Galliæ Monachus, metricæ S. Anſcharii Vitæ ſcriptor, 75 m
Gualdricus Epiſcopus Antiſiodorenſis, 574 a, 577 m
Guarinus Redonenſis Epiſcopus, 202 a
Guarnarius Monachus ſub Benedicto Anianenſi, 572 m
Gudarno Curbionenſis Abbas, 146 a, n, 147 m
Guenilo. *V.* Vvenilo.
Guerno Abbas Belliloci, 169 m
S. Guevori eccleſia in Cornubia, 337 m
Guideradus. *V.* Vvideradus.
Guido Giraldi Vicecomitis Lemovicenſis filius, 368 a
Guido ſeu Guigo Abbas Virzionenſis, frater Simonis Epiſcopi Bituricenſis, 259 a
Guido ſeu Vvico Epiſcopus Rotomagenſis, 314 m
Guido Abbas S. Laudomari, 457 a
Guido Abbas Pultarienſis, 494 a
Guido *V.* Vvido.
Guihardus Epiſcopus Namnetenſis, 581 a
Guillelmus Comes Mageneiacenſis Cœnobii conditor, 248 m, 254 a, m
Guillelmus Vvarvveſt Epiſcopus Exonienſis, 138 m
Guillelmus Abbas Floriacenſis, 395 a, 407 a
Guillelmus Comes Pictavenſis tendit Jeroſolymam, 404 m, n
Guillelmus Vicecomes Biterrenſis, 590 m
Guillelmus Nivernenſis Comes, 406 m, n
Guillelmus Beleſmenſis dominus, 380 m
Gillelmus Abbas S. Michaëlis in Taraſcha, 525 m
Guillelmus. *V.* Vvillelmus.
Guineret uxor Salomonis Ducis Britannorum, 192 m
Guiniterius ſeu Vvinitetius nepos Eccardi Comitis, 349 a
Guinizo Monachus & Eremita Caſini, 419 a, n, 480 m
Gumeldus ſeu Gumbaldus Rotomagenſis Epiſcopus, 250 m
Gumeſindus Presbyter Hiſpanus Martyr, 584 m
Gundoinus ſeu Gunduinus S. Agili propinquus, 598 m
Gundramnus Rabani nepos, Regis Capellanus, 21 m, 192 m
Guntarius Epiſcopus Hildineshemenſis, 460 a
Guntardus Namnetenſis Epiſcopus, 208 m
Guntarius Colonienſis Epiſcopus, 96 a
Gunterius filius Hugonis caſtri *Huben* domini, 423 m, 4 4 a
Guntlandus Monachus Centulenſis, 568 m
Guntramnus Rex an Monachus, 586 m

Gurhamius

Gurhemius Princeps ſeu nobilis Brito, 247 a
Gerorus Bodeminæ Solitarius, 338 a
Guthricus Abbas Lindisfarnenſis, 303 a
Guthredus Rex Northumbrorum, 282 m
Gytro ſeu Gutrum Danorum Tyrannus Angliam infeſtat, 531 a, o, 355 a. Vincitur ab Alfredo, 356. Cum optimatibus baptizatur, ibid.

H

Habentsus Monachus S. Chriſtophori in Hiſpania Bettica Martyr, 584 m
Hadelboldus Epiſcopus Colonienſis, 84 m
Haelvvoion præpotens Brito, nomine Largus, 219 n
Hagano Comes, 167 a
Hagionoros ſeu Mons Athos in Græcia, ubi celebre Monaſterium, 437 a, o
Harduinus Comes, 506 m
Halfdene Danorum Rex, 277 a, 279 n
Halmardus Abbas S. Beatgni, 341 a
Halfnodenſis Epiſcopus Simon, 485 a
Hamelunburg opidum ad Salam, olim fiſcus regius, 55 a
Hammaburgenſes Epiſcopi V. Bremenſes.
Harmotus ſeu Harmutus Decanus S. Galli, 44 m.
Proabbas Grimaldi, 461 m
Hariulfus Monachus Centulenſis, 517 a
Haſtingus Normannorum Dux Turonos obſidet, 469 m
Hatmoda Liudolfi Saxoniæ Ducis filia, Abbatiſſa Gandershemenſis, 263 a
Hatto ex Abbate Augienſi Baſileenſis Epiſcopus, 65 a
Hatto ſeu Otto ex Abbate Fuldenſi Epiſcopus Moguntinus, 492 a
Haymo Dux, 539 a
Hebo Gratianopolitanus Epiſcopus, 265 m, 266 a
Hebroinus Epiſcopus Pictavenſis, 165 m, 273, 250 m
Heidibo alio nomine Sliaſvvig in Dania, 77 a
Heriolfus Archiepiſcopus Moguntinus, 19 a
Helenæ Imperatricis Tranſlatio in Altvillarenſe Monaſterium, 153 & ſeqq.
Helias Carnotenſis Epiſcopus, 251 a
Helias Boſonis Marchionis filius, 367 m
Heringaudus Frdenſis Epiſcopus, 88 a, 122 m
Helmſtanus Epiſcopus Vvintonienſis, 69 m
Helogen Abbas S. Gildaſii de menute, 188 m
Henricus Angliæ Rex, 309
Henricus Imperator Eccleſiæ malis medetur, 452 a
Henricus Abbas S. Quintini de monte prope Peronam, 523 a, n
Heibernus ex Abbate Majoris-Monaſterii Epiſc. Turonenſis, 469, 470
Herbertus Soiſacenſis dominus, de Suliy, 363 a
Herbertus ſeu Heribertus Comes Viromandenſis, 359 m, 524 a
Herbertus Comes, 506 m
Herchenaldus Solacenſis dominus, 363 a
Heribaldus Epiſcopus Autiſiodorenſis, 250 m
Heribertus. V. Herbertus.
Heribertus Vvibergenſis Epiſcopos, 485 a
Heribertus Epiſcopus Autiſſiodorenſis, 574 a
Heridach Presbyter à Carolo Magno miſſus ad converſionem Septemtrionalium, 87 m
Herienſes inſulæ prope Maſſiliam, 598 a
Herifridus Epiſcopus Autiſiodorenſis, 577 a
Herigarius Byrcæ Præfectus piiſſimus, 86 m, 91 a, 92 a, m
Herigerus ex Abbate Fuldenſi Epiſcopus Moguntinus, 87 m, 122 m
Herigerus Abbas Laobienſis eſt Anonymus Cellotianus, 592 m
Herimannus, malè Herimaulus, Epiſcopus Nivernenſis, 250 m
Herimarus Abbas S. Remigii Remenſis, 585 m
Heriticus Abbas Curbionenſis, 250 a, 253 m
Herlebertus Choreſpiſcupus & Abbas S. Beatgni, 359 m
Herleſiedus Monachus vir Dei, 322 m
Hermena mater S. Jacobi Eremitæ, 144 m
Hermengardis Duciſſa Britanniæ Rotoni Sanctimonialis, 188 m
Hermengardis uxor Manaſſis Ducis, 482 a
Hermenfridus Conſul ſeu Comes Ambianenſis, 487 m
Hermentrudis Abbatiſſa Jotrenſis, 578 a
Hermos Epiſcopus, 202 a
Herpelanus Presbyter, frater S. Jacobi Eremitæ, 144, 145
Herpuinus Silvanectenſis Epiſcopus, 250 m
Herveus vir nobilis Vvlfuinæ frater, 179 m
Hetto Trevirenſis Epiſcopus, 89 m, 122 m
Hieremias auctor Monaſterii Tabanenſis, Martyr, 584 a, & ſeqq.
Hieronymus Cordubæ Diaconus primarius, 48 m
Higlac Monachus Lindisfarnenſis, Doctor & Lector, 320 m, n
Hilarius ex Monacho Caſinenſi Epiſcopus Teatinus, 464 m
Hildebertus Comes Marchiæ, 355
Hildebertus filius Boſonis Comitis Petragoricenſis, 379 m
Hildebertus ſeu Hiltibertus Epiſcopus Moguntinus, 490 a
Hildebrandus Sagienſis Epiſcopus, 182 a, n, 151 m
Hildegardis Ludovici Germaniæ Regis filia, Abbatiſſa Fravvens-Monaſterii, 66 o. ſeu Chemiſien Tiguri, 589 m
Hildegarius nobilis Argentomagenſis, 377 a
Hildemannus Epiſcopus Bellovacenſis, 250 m
Hildi Virdunenſis Epiſcopus, 361 m
Hildineshemenſes Epiſcopi, Altfridus, 259 & ſeqq. Guntharius, 260 a. Reinbernus, 260 m. Marquardus, 262 a
Hilduinus Canonicus Abbas Sithienſis, 224 m
Hilduinus Cancellarius Theobaldi Comitis Blezenſis, 249 m
Hilmeradus Ambianenſis Epiſcopus, 126 a
Hilsvvinus Abbas, 19 m
Hincantus filius Illuc, prædo Armoricus, 198 a
Hincmarus Remenſis Epiſcopus, 31 m, 137 m, 158 a, 250 m
Hirmingardis uxor Boſonis Provinciæ Regis, 504 m
Hiſembardus Gaſtaldio, 464 a
Hiſpanici ferri pondus, 270 m
Hodemaurus Hoſticenſis Epiſcopus, 251 a
Honoratus Epiſcopus Andianenſis, 489 a
Honorinæ Virginis & Martyris Tranſlatio Conflucorium in pago Pariſienſi, 586 & ſeqq.
Horicus Rex Danorum, 97 a Interficitur, 104 10. Signum ejus an monogramma, 100 a
Horicus Junior Danorum Rex, 105 a
Hurict ſeu Osredos Rex Anglorum, 305 m, n
Hoſticenſis Epiſcopus Hodemaurus, 251 a
Hovi Comes Scleſvvig infenſus Chriſtianis, 104 m
Hucbertus Epiſcopus Meldenſis, 251 a
Hucbertus Vicecomes, 254 m
Hugo de Porcolo Philippo Regi rebellis, 466 a, m
Hugo Bruciæ caſtri dominus, 375 a, 377, 378
Hugo Gargilleiæ caſtri dominus, 376 m
Hugo Drogonis filius, Epiſcopus Rotomagenſis, 36 a, n
Hugo Abbas Conradi Comitis & Adelcidis filius, 357 m, n
Hugo de Buciaco miles, 377 a
Hugo Abbas S. Germani in Selesbi in Anglia, 299 m
Hugo Abbas Floriacenſis, 392 a, o, 394 m, 414
Hugo Dux ſeu Princeps ſub Lothario Rege rerum moderator, 383 a, 486 m, 506 m

Hugo Rex, 213 m. Noviomi coronatus, 371 m. Rotberrum filium regni conſortem creat, *ibid.* quot annis regnavit, 380 a
Hugo Comes Viromandenſis, filius Henrici Regis, 405 m
Hugo Abbas, 258 a
Hugo Abbas S. Germani apud Autiſiodorum, 576 m
Hugo Abbas Tyernenſis, 257 m
Hugo Sueſſionenſis Epiſcopus, 214 m, 155
Hugo Comes Trecenſis, frater Stephani Comitis Palatini, 155 m, 156 a
Hugo Abbas S. Launomari, 249 a
Hugo caſtri *Huben* in territorio Nivernenſi dominus, 413 m
Hugo Antiſiodorenſis Epiſcopus, Lamberti Comitis Cabilonenſis filius, 416 n, 574 a
Hugo Epiſcopus Autiſiodorenſis, 574 a
Hugo de Pontiniaco Epiſcopus Autiſiodorenſis, 574 a
Hugo Bidulfus, miles Patriciacenſis, 488 a
Hugo Nothus Caroli Magni filius, 588 m
Hugo dominus de *Mauçac*, Domicellus, 258 a
Hugo filius Gaufridi Vicecomitis Caſtridunenſis, 506 a
Humbaldus Præpoſitus Almericurtis, 307 a
Humbertus Epiſcopus Vvirziburgi, 14 m, 15 a, 17 a, 33 a, 37 m
Humbertus Abbas S. Petri de monte Catalaunenſi, 155 m
Hunfridus Marchio Gotiæ, 47 a, 50 m, 51 m
Hunfridus ſeu Huntfridus Epiſcopus Tarvennenſis, 215 *& ſeqq.*
Hypotemii ſeu Apothemii Epiſcopi Andegavenſis tranſlatio in Monaſterium Rotonenſe, 218 *& ſeqq.*

I

JACOB Cormaricenſis Abbas, 171 a
Jacobi Monachi & Eremitæ Vita, 142 *& ſeqq.*
Jacobus Abbas S. Vincentii ad Vulturnum, 466 a
Januarius Guinizzonis diſcipulus *magnæ obedientiæ* Monachus, 429 m
Jarento Abbas S. Benigni vigilantiſſimus, 548 m
Jatræus ſeu Aitcus Auguſtodunenſis Epiſcopus, 250 m
Ictor propinquus Aureliani Lugdunenſis Epiſcopi, 498 m
Igumarus. *V.* Hincmarus.
Illoc Aremoricus prædo, 194 a, 197 m
Imma Parthenonis Sueſſionenſis Abbatiſſa, 131 m, 132 a
Immena ſeu Emenana filia Rodulfi Comitis Caturcorum S. Geneſii apud Sarraſiacum Abbatiſſa, 157 a
Immo Tornacenſis, Virmandenſis & Noviomenſis Epiſcopus, 151 a
Imo Comes Petragoricenſis, 73 a
Indictum Remenſe, 148 m
Ingelardus ſeu Ingelarius Abbas Bonævallis apud Carnutes, 497 m, 505 a, m
Ingelardus Abbas Centulenſis, 542 m
Ingelberga uxor Vvillelmi Comitis, 248 m. Soror Ludovici II Imperatoris, 254 m
Ingelbertus Abbas Foſſatenſis, 166 a, 172
Ingelboronus nobilis affinis Aureliani Epiſcopi Lugdunenſis, 498 m,
Ingelgerius Conſul ſeu Comes Andegavenſis, 469 m. Hugonis Burgundiæ Ducis nepos, 470 a
Ingelramnus Chorepiſcopus & Abbas Benignianus, 339 m
Ingelramnus Abbas Bonævallis apud Carnutes, 506 a
Ingerandus de Bova nobilis, 586 m
Ingo Abbas S. Benigni, 341 a, 342 a
Ingrannus miles Petverienſis domini, 394 m
Innocentiæ Martyris reliquiarum pars Virginibus Altimonaſterii data, 68 m
Innocentii reliquiæ in Monaſterium Gandershemenſe tranſlatæ, 161 a
Johannes Patriarcha Conſtantinopolitanus, 147 m, a
Johannes Comes, 151 a
Johannes Bituricenſis Eccleſiæ Præpoſitus, 160 a
Johannes Abbas Belliloci, 163 m
Johannes Abbas S. Sulpicii Bituricenſis, 248 m
Johannis Papæ VIII diploma, 154 m
Johannes Abbas S. Illidii Claromontenſis, 258 a
Johannes Bromeo Abbas Jornalenſis, 323 m
Johannes Monachus auctor Chronici Benigniani, alius à Chronographo Beſuenſi, 54 a, m
Johannes Abbas S. Cæciliæ in Catalania, Floriaci poſtea Monachus, 423 a
Johannes ex Decano Caſinenſi Abbas Lucenſis, 418 a, 0
Johannes Abbas S. Vincentii ad Vulturnum, 429 m
Johannes Eremita prope Caſinum, vir pius, 430 m
Johannes ex Archidiacono Beneventano Abbas Caſinenſis, 436 a, a, 437 a, m
Johannes Abbas Caſinenſis, tum Eremita, 438 a, 441 m, 442 a
Johannes Veneticus Monachus Caſinenſis, ſanctiſſimus, 440 m
Johannes Capuanus Monachus pietate inſignis, 442 a
Johannes S. Liberatoris prope Teanum Monachus, vir pietate inſignis, 447 m
Johannes Sabinenſis Epiſcopus ſeu Silveſter III Antipapa, 451 m, n
Johannes Archipreſbyter Antipapa Gregorii nomine, 452 a, n
Johannes Gualbertus Vallis Umbroſæ Abbas, 456 *& ſeqq.*
Johannes Bircatenſis Epiſcopus, 485 m
Johannis Abbatis Æ...cangiæ Elogium hiſtoricum, 506 *& ſeqq.*
Johannes Scotus ſeu Erigena, 506 m *& ſeqq.* non Monachus, 510
Johannes Sophiſta Malmeſburienſis, 506 m
Johannes Magnopolitanus Epiſcopus & Martyr, 513 m
Johannes de Gildingen Abbas S. Affræ prope Auguſtam, 544 m
Jonas Auguſtodunenſis Epiſcopus, 339 a, 436 a, a, 437 a, n
Joicerandus Abbas Floriacenſis, 409 a, n
Jouſredus Epiſcopus Pariſienſis, 527 a
Irmingardis filia Ludovici Regis Germaniæ, Sanctimonialis, 589 m
Iſaac Lingonenſis Epiſcopus Catalauni mortuus, Remis ſepultus, Divionem tranſlatus, 340 a, 104 a
Iſaac Monachus Tabanenſis, Martyr, 584 a
Iſara, Iſſere, flumen in Provincia Viennenſi, 565 m
Iſidorus Monachus Hiſpanus Martyr, 585 a
Itcrius Monachus Apocriſiarius Floriacenſis, 419 m, a
Jucundiacum, Joac, palatium in territorio Lemovicenſi, 200 m, n, 317 a, n
Judith Auguſta à Rabano laudata, 41 m, 43 a
Judith filia Balduini Flandrienſium Comitis, Toſti Comitis uxor, 587 m
Jutland, Dania ciſmarina, 78 m
Juniofrecus Comes, 413 n
Ivo Comes Bellimontenſis, 526 m, 527 m
Ivo Corbeienſis Monachus diſcidiorum auctor, 525 m
Juſtinus Landevenecenſis Abbas, 188 m
Juſtus & Paſtor Complutı martyres, 50 a
Juſtus Viennenſis Epiſcopus, 566 a

K

KENTIBRATAM in Germania, 4. 5

L

LAMBERTUS Abbas Floriacenſis, 349 a, 559 a, 560 m, n
Lambertus nobilis Neuſtraſius, 357 m
Lambertus Comes Caſtridnoi, 505 a
Lambertus Comes Cabilonenſis, 574 a
Landebertus Comes, 218 a
Landenulfus Epiſcopus Capuanus, 466 a
Landulfus Epiſcopus Capuanus, 466 a
Lantfradus Vvintonienſis Monachus, ſcriptor Tranſlationis & miraculorum S. Svvithuni Epiſcopi, 69 a
Laudunenſes Epiſcopi, Symeon, 251 a. Anſelmus, 515 m. Robertus, 515 m
Launomari Abbatis Curbionenſis Tranſlatio in oppidum Bleſas, & miracula, 245 & ſeqq.
Launus Epiſcopus & Abbas, 162 m
Lateranenſe Conſiſtorium, 295 a
Leda fluvius, *le Loir*, in pago Dunenſi, 497 m
Legobertus Abbas Curbionenſis, 245 m
Lehuhemelus Rotonenſis Præpoſitus, 198 m
Leidradus Lugdunenſis Epiſcopus, 562 m, 564 m, 572 a
Lemuſa Comitiſſa Perticenſis, 493 m
Lemovicenſes Epiſcopi, Stodilus, 162 m. Euſtorgius, 164 m. Audacar, 251 a
Lenſe caſtrum, *Lens*, in Atrebatibus, 542 n. huc Tranſlatæ S. Vulganii reliquiæ, *ibid.*
Leo Papa IX, antea Bruno, Tullenſis Epiſcopus, 455 & ſeqq. virtutes ejus & miracula, *ibid.*
Leo Abbas S. Pauli Romæ, 450 a
Leo Marſicanus, Auctor Chronici Caſinenſis, 548 a
Leo Abbas SS Trinitatis de Cava, 459 a, o
Leo V Armenus Imperator, 144 m, o
Leofleda Leofrici Comitis uxor, 325 m
Leofricus Comes Anglus, 325 m
Leomanſis ſeu Leomenſis pagus in diœceſi Senonica, 400 a
Leonienſes Epiſcopi, Paulus, 582 m, o. Mabbo, 583 a, n
Leotbertus vir potens, 400 a
Leovigildus Abadſalomes nobilis Cordubenſis, 48 m
Lesterda Cornubiæ fluvius, 525 m
Letboldus nobilis Burgundio, 336 m
Leudericus ſeu Leudricus Bremenſis Epiſc. 77 m
Leutrudis Ebroini uxor, 144 m
Levvigildus Monachus SS. Juſti & Paſtoris prope Cordubam, Martyr, 584 m
Levvina *Anolveſberi* domina, 357 m
Lexovienſis Epiſcopus Herculfus, 251 a
Liberalis Oximenſis Epiſcopus, 202 n
Liberius Ratvvili nobilis Britonis filius, 195 m
Libertus Præpoſitus cujuſdam Monaſterii in Belgio, 582 m
Libo Epiſcopus Cardinalis Romæ, 148 m
Ligeris exundatio, 381 & ſeqq.
Limodia ſeu Lemovicarum civitas, 200 a, n
Lindisfarne inſula, Terra-Sancta, 507 a. *V.* Monaſt.
Lindisfarnenſes Epiſcopi, Cuthbertus, 275 & ſeqq. Aidanus, 286 a, 296 m. Eardulfus, 279 m, 281 m. Eadbertus, Eadfridus, Ethevvoldus, 296 m, Egbertus, 302 m. Ecgfridus, 307 a, n
Lindisfarnenſis Epiſcopatus Cunceceaſtrum, dein Dunhelmum tranſlatus, 281 a, n
Lingonenſes Epiſcopi, Tubaldus ſeu Teutbaldus, 250 m, 339 m, 504 a. Albericus, 339 m. Iſaac, 340 a, 504 a. Ardegrimus ſeu Argrimus, 341 m, 504 a. Gotlelinus, 342 m. Egilo, 504 a
Liris fluvius Campaniam à Latio diſtinguens, 426 a, n, 427 a, 465 m
Lieuboinus ſeu Leuboinus Abbas, propinquus Aureliani Lugdunenſis Epiſcopi, 498 m, 499 a
Liudolfus Corbeiæ novæ Monachus, Epiſcopus Hildeneſheimenſis deſignatus, 262 a
Liudolfus Dux Saxoniæ, 265 a
Liutardus aut Liudhardus Paderbornenſis Epiſcopus, 562 a, 478 a, 479
Liudbertus ſeu Liutpertus Epiſcopus Moguntinus, 478 a, 479 m, 489 m
Liutgarda Regis Ottonis filia apud S. Albanum ſepulta, 60 m
Liutvvardus Epiſcopus Vercellenſis, 581 m
Lotharii Imperatoris annus primus, 157 m, 164 a. Diploma pro Morbacenſi Cœnobio, 553 m. Monachus Prumiæ, 587 m
Lotharius Ludovici Pii geminus frater, Caſſinogili ſepultus, 558 m
Lotharius Caroli Calvi filius, Abbas S. Germani apud Autiſſiodorum, 576 m, 588 m, 589 a
Lotharii Regis anni, 562 a
Lotharius ſeu Chlotharius Rex, 506 m
Louhemel Monachus Rotonenſis ad Nominoium legatus, 193 m
Lubricatus fluviolus in Catalaunia, an Rubricatus, 425 n
Luca, *Lothes*, caſtrum munitiſſimum, 251 m, n
Ludovici Bajoariæ Regis in Franciam impetus, 53 a. Zelus in rem Chriſtianam, 97, 99, 100. Ludovici regnum, Germania, 51 m, 121 a. Anni regni quando incepti, 68 m. Caroli fratris præcepto pro Curbione ſubſcribit, 251 m, 477 m, 482 m, o
Ludovicus Pius Aquitaniæ Rex magnificus, 560 m, n. Herioldi Regis patrinus, 85 a. Ejus ſtudium in rem Chriſtianam, 85 m & ſeqq. 259 m & ſeqq. 472 a. Præceptum pro miſſione S. Anſcharii, 121 m. Aliud pro Monaſterio S. Germani Autiſſiodorenſis, 576
Ludovicus II Imperator in Montem Caſinum beneficus, 459 m, 465 m. Rex dictus à Synodo, 500 m
Ludovicus Caroli Calvi filius cur *nihil feciſſe* dicitur, 557 m
Ludovicus ſtirpis Carolinæ poſtremus Rex, 571 a
Ludovicus filius Theobaldi Comitis Bleſenſis, 249 a
Ludovicus Abbas Dionyſianus, 251 m
Ludovicus Tranſmarinus ab Hugone Magno ſeu Duce revocatus in ſolium, 562 a. A Tetbbaldo Carnotenſi Comite capitur, *ibid.*
Ludovicus Lodovici Germaniæ Regis filius, 482 m
Ludovicus Rotrudis filius, Abbas Dionyſianus, 588 m
Ludovicus Provinciæ Rex, Boſonis filius, 504 m
Lugdunum Clavatum, *Laön*, 144 m, 541 m
Lugdunenſes Epiſcopi, Amolo, 59 m, 339 m. Aurelianus, 166 m. Remigius, 265 m, 498 a, 499 a. Alinardus, 542 m. Leidradus, 562 m, 564 m, 572 a. Agobardus, 564 m, 565 a
Luitbertus Abbas Hirſaugienſis primus, 28 m
Lupicinus Preſbyter Ambiani, 489 a
Lupus Catalaunenſis Epiſcopus, 251 a
Lupus Abbas Ferrarienſis, 151 m. Ejus epiſtolæ, 265 m, 467 m, 468 a
Lupus Epiſcopus Andegavenſis, 470 m
Luteveuſes, Epiſcopi. Petrus, 556 m. Fulcrandus, 558 m, o, 559 m

M

MABBO Leonienſis Epiſcopus, 583 a
Macarius Monachus an idem cum Gilda, 20 a, 23 m
Madegeſili Eremitæ in Pontivo vita, 537 & ſeqq.
Magenciacenſis Cœnobii conditor Vvilelmus Comes, 248 m. Ejus loci Chronicon, 254 & ſeqq.
Magnebertus S. Vodoali diſcipulus, 545 m, 547 m, 549 m
Magnentius an dictus Rabanus, 20 m
Magnopolitanus Epiſcopus Johannes Martyr, 525 m
Magnus Vvendelenſis Epiſcopus, 485 a
Mahomath Rex Cordubæ, 48, 49 a

Majani Confeſſoris Tranſlatio in Monaſterium Cogneneſe, 590 m
Mainardus Abbas Stradenſis & Nivernenſis, 228 m, 229 a, 250 m
Mainoldus Epiſcopus Cenomannenſis, 470 m
Maio Abbas S. Vincentii ad Vulturnum, 465 a, m
Majoris Monaſterii Monachi à Normannis cæſi, 469 m
Manaſſes Abbas Corbiniacenſis, 240 m
Manaſſes Dux Vergiaci Monaſterioli conditor, 489 a
Mancio Caroli Calvi Legatus, 47 a
Manno Præpoſitus S. Augendi, 270 a
S. Marcelli Martyris corpus Argentomagi, 589 m, n
Marcellus ſeu Moengal Scottus Monachus & Scholæ S. Galli Magiſter, 461 & ſeqq.
Marcellini Papæ & Mart. reliquiæ Rotomum tranſlatæ, 188 a, 213 m
Marcomus Dux Britanniæ, 188 a, 189 m
Marculſi Abbatis Tranſlatio Corbiniacum, 514 & ſeqq. in alia loca, 529 & ſeqq.
Marcus Poëta miracula à S. Benedicto edita deſcripſit, 357 a
Marcus Epiſcopus Scottigena apud S. Gallum, tum Sueſſione Monachus, 467 & ſeqq.
Mariæ Virginis Deiparæ Aſſumtionis feſtivitas ſæculo I X apud Morinos needum præcepto celebrata, 224 a
Marquardus Epiſcopus Hildinesheimenſis, 261 a
Martinus Abbas Tabanenſis, 482, 584 a
Martini Epiſcopi Turonenſis reliquiæ in Burgundiam delatæ, 469 & ſeqq.
Maſſinus Epiſcopus Genuenſis, 249 a
Mathilda Abbatiſſa Zellingæ, 84 m
Mathildis Regina, uxor Henrici Francorum Regis, 405 m
Matthæus Comes de Bellomonte, 527 a
Mauricii Prioris de Magenciaco litteræ homine Antipapæ notatæ, 257 a, m
Mauri & Frotgentii ſeu Frongentii Martyrum corpora Floriaci, 370 m, n, 404
Maurus. V. Rabanus.
Mauri Abbatis tranſlatio in Foſſatenſe Cœnobium, 165 & ſeqq. Reliquiæ aliquot Caſini, 444 m
Maximi corpus Plebelamii ſepultum, 192 m
Maximus illuſtris Romanus civis. 455 m
Medo Abbas Floriacenſis, 344 m
Megenfridus nobilis puer Deo apud Sithienſes oblatus, 224 m
Meginfridus Monachus Fuldæ, 8 a
Meginradi Eremitæ & Martyris Vita, 63 & ſeqq.
Meldenſis Epiſcopus Humbertus, 251 a
Menelaus Miles, 306 a
Merchdorf ex nobili Anglo Lindisfarnenſis Monachus, 311 m
Merolilanus Scottus à latronibus occiſus, 461, 462 m
Metenſis Epiſcopus Drogo, 19 m, n, 87 m
Mindenſis Epiſcopus, Thiadricus, 477 m, 478 a
Minio fluviolus non longè à Caſtro Porciani, 391 a
Moguntini Epiſcopi, Rabanus, 1 & ſeqq. Otgarius, 6 m, 7 m, 30 m, 61 m, 87 m, 122 m. Carolus, 126 a, 489 m. Regimbaldus Chorepiſcopus, 7 m. Luidbertus, 478 a, 489 m. Sunzo ſeu Sunderoldus, 489 & ſeqq. Hatto ſeu Otto, 490 a. Herigerus, Hillibertus ſeu Hildebertus & Fridericus, *ibid.*
Moguntina Synodus apud S. Albanum, 31 a, m, 32 a, n
Monachi ſæculi I X Martyres, 580 & ſeqq.

Monasteria.

Monaſt. Abandunenſe, 71 a. Abbates, Orgarus & Vvlfgarus, *ibid.*
Monaſt. S. Aciſcli prope Cordubam, 584 a
Monaſt. Æthelingienſe. Abbas Johannes loci conditor, 506 & ſeqq.
Monaſt. S. Affiæ prope Auguſtam, 553 m. Abbates Simpertus, *ibid.* Johannes de Giltlingen, 554 m
Monaſt. S. Albani Moguntiæ, 31 a, 32 a, m, 58 m, 60, 62
Monaſt. S. Albani in Anglia. Abbates, Richardus, 291 m, 301 a. Paulus, 318 n, 579 Vvlfgarus, *ibid.* Eadfridus ſeu Earfrithus, 579 & ſeqq. Ulſinus ſeu Ulſigus, Vvillegodus, Eadricus, Vvlnothus, *ibid.* Ulfus Præpoſitus, *ibid.*
Monaſt Monaſterium Altum Moguntiæ, 63 a
Monaſt. Altvillarenſe in diœceſi Remenſi. Abbas Notcherus, 154 a, m. Huc tranſlatæ SS. Helenæ, Polycarpi & Sindulſi reliquiæ, 153 & ſeqq.
Monaſt. Amerbacenſe. Richardus Abbas, 543 m, 550 a
Monaſt. Andelacum ubi Richarda Imperatrix Sanctimonialis, 189 m
Monaſt. S. Andreæ Romæ poſitum, Exavilum dictum, 58 a
Monaſt. Antrenſe, cujus Monachi à Danis cæſi, 580 m, 581 a
Monaſt. Armilatenſe S. Zoili prope Cordubam, 584 m
Monaſt. Aſnedi puellare, 261 a
Monaſt. Aſternacum ſeu S. Vvillibrordi, ubi Carlomannus receptus eſt, 589 a
Monaſt. Athanacum, 491 a & ſeqq. Aurelianus Abbas, 494 & ſeqq. 498, 501, 503 m
Monaſt. Augienſe, 63 m. Abbates, Berno, *ibid.* Hatto, 65 a
Monaſt. Balma, 381 a, n, 600 m
Monaſt. S. Baſoli. Abbates, Adſo, 137 m. Odolcus, *ibid.* Benedictus, 139 a. Spernus, *ibid.* Burchardus, 155 m. Adam, 525 m
Monaſt. Belliloci in Lemovicibus, olim *Vellinum* dictum, 157 m, 160 & ſeqq. Abbates, Garulfus, 161 & ſeqq. Rainulfus, Guerno, Geraldus, Bernardus, Adalgiſus, Rodulfus, Johannes, Boſo, *ibid.*
Monaſt. Bellilocenſe ſeu Bellogienſe, Vaſlovienſe ſeu Varloginum in Argonnâ, 531 & ſeqq. Abbates, Rodingus, *ibid.* Stephanus, 535 m
Monaſt. S. Benedicti Floriacenſe. V. Floriac.
Monaſt. S. Benedicti Saxiacenſe. V. Saxiacum.
Monaſt. S. Benedicti in Catalonia, 413 m
Monaſt. S. Benigni Divionenſe. Abbates, Bertilo Chorepiſcopus, 338 & ſeqq. Eoſtadius, *ibid.* Aridius, Erlebertus & Ingelramnus Chorepiſcopi, 339 m, Saro, 341 a, 342 a. Ingo, *ibid.* Halinardus, 342 a. Albericus, 342 m. Vvillelmus & Jarento, *ibid.*
Monaſt. Beraingenſe puellarum prope Londinum, 581 m.
Monaſt. Beſuenſe. Abbas Vvaldalenus, 582 a. Martyres, *ibid.*
Monaſt. Bodeminenſe ſeu Boſminum, 338 a
Monaſt. Bonævallis apud Carnutenſes, 494 & ſeqq. Illuc tranſlatæ SS. Florentini & Hilarii reliquiæ, 491, 497 m. Abbates, Ingelarius ſeu Ingelardus, Tetfridus, Gautmarus, Arnaldus ſeu Ernaldus, *ibid.* Fulco loci conditor, *ibid.* 505 a. Ingelramnus, 506 a. Vvaldricus, 508 a. Chronicon, 504 & ſeqq.
Monaſt. Briocenſe in ſedem Epiſcopalem mutatum, 268 m
Monaſt. Brixienſe S. Salvatoris puellare, ubi Giſla Lotharii Imperatoris filia Abbatiſſa, 189 m. & Engilberga uxor Ludovici I I Imperatoris, *ibid.*
Monaſt. S. Cæciliæ in Catalania. Abbas Johannes, 424 a
Monaſt. Cæſarionis. V. S. Tyberii.
Monaſt. Caugonenſe, 591 a
Monaſt. Caradignenſe in Hiſpania, ubi ducenti Monachi Martyres, 585 a
Monaſt. Carmonenſe in Hiſpania, ubi Theodemirus Martyr, 584 m
Monaſt. Caſinenſe. Abbates, Deſiderius, 348 m, 425

& ſeqq. Apollinaris, 426 a, 463 *& ſeqq.* Baſſanus, 427 a, n, 466 a. Johannes, 436 a, n, 437 a, n. Item Johannes, 458 a, 441 m, 442 a. Athenulfos, 448 a, n. Deuſdedit, 463 *& ſeqq.* Theobaldus, 441 a, m. Bertharius, 465 *& ſeqq.* Angelarius, 466, 467
Monaſt. S. Caſtoris apud Confluentes Rheni, 574 m
Monaſt. Cavenſe S S. Trinitatis. Abbates, Alferius, 458 m, n. Leo, 459 a, n
Monaſt. Caunenſe ſeu Celtonenſe. Abbas Anianus, 600 m
Monaſt. Cellenſe ſeu Cella Bovini aut Bobini, 245 m. Abbas Adelhingus, 224 a
Monaſt. Centulenſe, 537 *& ſeqq.* Abbates, Gervinus, *ibid.* Auſcherus, 557 m, 545 m, 544 a. Angilrannus ſeu Ingelramnus, 557 m. Ingelardus, 542 m. Ricbodo, 588 m
Monaſt. Chlodinghamenſe, 284
Monaſt. Cognenſe diœceſis Biterrenſis, 590 m. Iſtuc Tranſlatio S. Majani, *ibid.*
Monaſt. S. Columbæ Senonis. Abbates Richardus Princeps, 577 m. Heraclius, *ibid.*
Monaſt. Corbeienſe in Gallia, 509 m. Abbates, Adhalardus, 99 m, 124 m, 567 m, 569 a. Vvala, *ibid.* Heddo & Iſaac, 125 a, 568 n. Paſchaſius Radbertus, *n.* 122 *& ſeqq.* 567, *& ſeqq.* Odo, 127 m. Franco, 486, 487, 488. Fulco, 569 m
Monaſt. Corbeienſe in Saxonia. Abbates, Vvarinus, qui & Placidius, 134 a, 135 m. Adalgarius, 262 a, 447 m. Bovo, 471 a
Monaſt. Corbiniacenſe, 340 m. Huc tranſlatum S. Marculfi corpus, 514 *& ſeqq.* Thomas Prior, *ibid.* Andreas, 519, 520
Monaſt. Cormaricenſe. Abbas Jacob, 171 a
Monaſt. Craſſenſe. Abbas Nebridius, 600 m
Monaſt. Creca in Scotia, 281 a, n. Abbas Geve, *ibid.*
Monaſt. S. Crucis apud Pictavos, ubi Rotrudis Caroli Calvi filia Abbatiſſa, 589 m
Monaſt. Crulandenſe ſeu Croylandenſe. Abbas Oſcetulus, 358 a
Monaſt. Curbionenſe. Abbates, Ragnobertus, 245 m. Legobertus, *ibid.* Frodoinus, 246 a, 252 m. Guarno, *ibid. & ſeqq.* Salmo vel Simon, *ibid.* 247 m. Henricus, 250 a, 251 m
Monaſt. Cuteclarenſe in Hiſpania duplex. Ibi Maria Sanctimonialis Martyr, 534 m. Aurea ibidem Martyr, 585 a
Monaſt. Dacotenſe. Abbas Suidbertus, 276 m
Monaſt. Dedentium puellare, 55 a
Monaſt. S. Dionyſii in agro Pariſino. Abbates, Ludovicus, 151 a, 582 m. Gauzlinus, *ibid.*
Monaſt. Dolcnſe. Abbo Princeps ejus conditor, 230 m
Monaſt. Doverenſe, 158 m. Vitſionenſi unitum, 160. Abbates, Aimericus, 158 m. Athnatius, 159 a
Monaſt. Emſidlenſe apud Helvetios, 64 a. Abbates, Eberhardus & Gregorius, *ibid.* Ab Eberhardo Eberhardi cella, uti à S. Meginrado Meginradi cella dicitur, *ibid.*
Monaſt. Eleemoſynæ. Abbas Raginaudus, 249 a
Monaſt. Elienſe in Anglia. Abbas Brithmodus, 383 m
Monaſt. Exavilum S. Andreæ Romæ poſitum, 28 a
Monaſt. S. Faræ. Abbatiſſa Eadburga uxor Beortrici Regis Vveſtſaxonum, 589 m
Monaſt. Ferrarienſe. Abbates, Lupus, 251 m, 468. Gauzbertus, 398 a, n. Sigulfus, 491 m
Monaſt. Flaviniacenſe, 238 *& ſeqq.* Abbates, Manaſſes, 240. Vvideradus, 241 a
Monaſt. Floriacenſe, 352 *& ſeqq.* Abbates, Medo, 344 m, 424 a. Theotbertus, 348 m, 349 a. Girbertus, 349 a. Lambertus, *ibid.* 350 a, 360 m. Gauzlinus, 356 a, 409 a, 585 n. Odo, 361 n, n. Archembaldus ſeu Ercamboldus, 360 m, n, 362 a. Vvlfaldus, 361 a, 363 a. Richardus, 363 a *& ſeqq.* Mummolus, 355 n. Amalbertus, 378 m. Oiboldus, 369 a, n. Abbo, 372 m, 382 m. Guillelmus, 395 a, 407 a. Rainerius, 404 m. Odilo 407 a. Joſcerandus, 409 a, n. Simon, 409 n. Rigomarus, Leodardus, Ido, Auderamnus, Harbertus, Adalbertus, Galo, Rodulſus, Magulfus ſeu Magdulfus, Fulradus, Theodulfus, 424 a
Monaſt. Foſſatenſe S. Mauri dictum ob tranſlatas ibidem ejus reliquias, 165 *& ſeqq.* Abbates, Benedictus, 166 a, 571. Ingelbertus, *ibid. & ſeqq.* Odo, *ibid.* Rainaldus ſecularis, 167 a. Godefredus, 167 m, 177 m, n
Frauvenſmunſter ſeu Chemiſſen Tiguri puellarum Cœnobium, ubi Abbatiſſa Hildegardis Ludovici Germaniæ Regis filia, 66 n, 389 m
Monaſt. Fuldenſe, 2. *& ſeqq.* Rabanus Abbas, *ibid.* Reliquiæ iſtuc tranſlatæ, 4 *& ſeqq.* Ratgarius Abbas, 25 m. Hatto, Hiltibertus & Fridericus, 490 a
Monaſt. S. Galli. Grimaldus Abbas, 273 m, 467 m. Othmarus, 491 m
Monaſt. Gandersheimenſe puellarum, in quo ſanctorum Anaſtaſii & Innocentii reliquiæ collocatæ, 261 a. Abbatiſſæ, Hathmoda, 261 a. Gerberga, Chriſtina, Roſvvinda, Vvendelgarda, *ibid.*
Monaſt. Gellonenſe, ubi Vvillelmi conditoris miracula, 556 *& ſeqq.* Abbates, Raymundus, 556 m. Geraldus, 559 a
Monaſt. Glannafolienſe S. Mauri, 165 *& ſeqq.* Foſſatenſi ſubditum, 167 a. Abbates, Odo, 166 *& ſeqq.* Gauzlinus, 168 a, 174 a, 175 a, 177 a, 179 a, 218 m, n. Bertingus ſecularis, 172 m. Hebroinus, 173. Theodradus, 168 a, 179 m. Agelvvinus, *ibid.*
Monaſt. Gemeticenſe an Unnedica, 25 a
Monaſt. S. Geneſii puellare apud Sarraſiacum. Abbatiſſa Immena ſeu Emenana filia Rodulfi Caturcorum Comitis, 156 m, 157 a
Monaſt. S. Genulfi. *V.* Stradenſe.
Monaſt. S. Germani Pariſienſe, 45 *& ſeqq.* Abbas Hilduinus II, 46 m
Monaſt. S. Germani in Seleſbi. Abbas Hugo, 299 m
Monaſt. S. Germani apud Autiſiodorum, 573 m. Abbates, Abbo, 575 m. Chriſtianus, 576 m. Anſis Epiſcopus Autiſiodorenſis, *ibid.* Deuſdedit, 576 a. Carolus Calvus, 576 m. Conradus Comes, 576 m. Hugo, *ibid.* Lotharius Caroli Calvi filius, 578 m, 588 m, 589 a
Monaſt. S. Gildaſii de Nemore. Abbas Helogon, 188 m
Monaſt. Girvenſe in Anglia, 286 m, n
Monaſt. Glaſtonienſe. Abbas Dunſtanus, 315 n
Monaſt. Grandiſvallis in Sebuſianis, 598 m
Monaſt. S. Grati de Paredo, 416 a, n
Monaſt. Guillonenſe. *V.* Gellonenſe.
Monaſt. Hardaſpalenſe prope Vaxonam, 585 m
Monaſt. Haſſarodi, 10 m
Monaſt. S. Heraclii Autiſiodori. Abbas Betto, 578 a
Monaſt. Hereſi puellare, nunc Hereſia nova *Neuherſe* prope Paderburnam, 479 m. Ibi neptis Liuthardi Epiſcopi Monialis, *ibid.*
Monaſt. Holakircha, 9 m, 25 m, 14 a, 15 a
Monaſt. Hirſaugienſe, 28 m. Abbates, Liutbertus, *ibid.* Hatto Bonoſus dictus, *ibid.*
Monaſt. Humolarienſe, 523 m
Monaſt. Indenſe, cui Cella HRodnace tributa, 122 a
Monaſt. Jornalenſe in Anglia. Abbas Johannes Brompton, 323 m
Monaſt. Jotrenſe, ubi tranſlatæ S. Potentiani reliquiæ ſub Hermentrude Abbatiſſa, 238 a
Monaſt. SS. Juſti & Paſtoris prope Cordubam, ubi Levvigildus Monachus Martyr, 584 m
Monaſt. Landevenecenſe. Abbas Juſtinus, 188 m
Monaſt. Latiniacum. Abbas Arnulfus, 494 a
Monaſt. Laubienſe. Abbas Herigerus, 567 m

Monaſt. S. Launomari. Abbates, Salomon, 246 a. Hugo, 249 a. Richerius, 256 a, m. Robertus, Sargalo, Benedictus, 256 m. Guido, 257 a
Monaſt. Legerenſe in Hiſpania, 583 m
Monaſt. Leonenſe. Ibi Britoc Monachus nobilis, 216 10
Monaſt. S. Liberatoris prope Teanum, 446, 447
Monaſt. Lindisfarnenſe. Abbas Eadredus, 279 m, o. Diripitur, 262 m. V. Monaſt. S. Petri.
Monaſt. Lucenſe in Italia. Abbas Johannes, 428 a, n
Monaſt. Magenciacum, 248 & ſeqq. Abbas Gaubertus, 254 a
Monaſt. Majus Turonenſe. Adalardus Abbas, 252 a. Herbernus, 469, 470
Monaſt. Mailroſenſe. Abbates, Eata, 303 a. Edilvaldus, 312 m
Monaſt. Malaſtenſe ſeu Montis-olivi. Abbas Olemondus, 600 m
Monaſt. S. Mariæ Eboracenſis. Stephanus Abbas, 299 m
Monaſt. S. Mariæ Sueſſion. 544 & ſeqq. Abbatiſſæ, Theodrada, 130 m, 568 a, 132 m. Imma, 131 m, 132 a. Adalgardis, 544 & ſeqq.
Monaſt. S Martialis. Dodo ſive Odo Abbas, 162 m
Monaſt. S. Martini de Roiana, ubi Chriſtophorus Monachus Martyr, 584 m
Monaſt. Maſciacum. Abbas Abbo, 163 a
Monaſt. S Mauri. V. Foſſat. & Glannafol.
Monaſt. Medardenſe, 126 m. Ibi Pippinus Aquitaniæ Rex retruſus, ibid.
Monaſt. S. Michaëlis in monte Tumba. Abbas Bernardus, 518 a
Monaſt. S. Michaëlis in Teoraſcia. Abbas Guilleſmus, 385 m
Monaſt. Mons-clarus in Provincia Namnetica ſuper Ligerim, 215 m
Monaſt. Monsfalconis. Abbas Baldericus, 531 m
Monaſt Morbacenſe ſeu Vivarium peregrinorum, 555 a. Abbates, Pirminius, 554 m, 555 a. Sigimarus, 555 m
Monaſt. Nantenſe. Marculfus Abbas Corbiniacum tranſlatus, 514 & ſeqq.
Monaſt. Nantenſe in Septimania, 599 a
Monaſt. Nantuacum, 492 a. Abbas Raymundus, 556 m
Monaſt. Nivernenſe S. Petri Stradenſi ſubjectum, 229 a. Abbas Mainardus, ibid. & ſeqq.
Monaſt. Orbacenſe. Abbas Petrus, 135 m
Monaſt S Pauli Romæ Abbas Leo, 430 a
Mon. Pennamellare ſeu Pinnamellare in Hiſpania, 46 a, 49 a. Abbas Samſon 48 m, 49 a. Martyres Fandila Monachus, 584 m. Digna Monacha, ibid.
Monaſt. S. Petri de monte Catalaunenſi. Abbas Humbertus, 235 m
Monaſt. S. Petri in inſula Lindisfarnenſi, 302 & ſeqq. Abbates, Eandmundus, 303 a, 306 a, m & ſeqq. Guthfridus, Tilheld, Eorpuinus, 303 a, 313 m. Alduinus, 303 a, 313 m. Sigbaldus, 303 a, 314. Segvvinus, 303 a, 314 m. Vvlfigus, 303, 316 a
Monaſt. S. Petri puellare apud Beneventum. Abbatiſſa Offa, 439 m, n
Monaſt. S Polycarpi. Abbas Attala, 600 m
Monaſt. S. Petri de Polengiaco puellarum, 598 m
Monaſt. S. Petri Vivi Senonenſis. Abbates, Aquila, 245 a. Didomedicus, 266 m. Anaſtaſios, 578 a
Monaſt. Piſcarienſe. Abbas Romanus, 464 m
Monaſt. Pontelevienſe. Abbas Reginaudus, 249 a
Monaſt. Prumienſe. Abbates, Anſpaldus ſeu Anſbaldus & Anſboldus, 238 a, 467 & ſeqq. Eigil, 257 & ſeqq. 468 a. Marevvardus, 265 m, 266 m. Cæſarius, 468 m. Farabertus, 429 a
Monaſt. Poltarienſe. Abbas Guido, 494 a
Monaſt. Quimperlegienſe. Abbas Garlochius, 188 m
Monaſt. S. Quintini de Monte prope Peronam. Abbas Henricus, 523 a, m
Monaſt. S. Rabutnali in Trecorenſem mutatur Epiſcopatum, 168 m
Monaſt. S. Remigii Remenſis. Abbates, Herimarus & Petrus, 515 m. Simon, 518 n. Archimonaſterium, 519 a, n
Monaſt. S. Remigii in pago Autiſiodorenſi, 573 a
Monaſt Reomaenſe. Abbas Bernardus, 251 a. Carlomannus Caroli Calvi filius, ibi Monachus, 588 m, 589 a
Monaſt Reſbacenſe. Abbas Philippus, 133 m
Monaſt. HRippenſe à S. Vvilfrido ædificatum, 551 m
Monaſt. Rivipollenſe in Catalania, 425 a, n. Abbas Enneco, ibid.
Monaſt. Romanenſe, 563, 565 m. Abbas Barnardus, ibid. & ſeqq.
Monaſt. Romanum in Comitatu Valdenſe, diœceſi Lauſanenſi, 598
Monaſt. Rotonenſe, 148 & ſeqq. Abbates, Convvoio. ibid. Rueandus, 192 m. Sancti Rotonenſes, 193 & ſeqq.
Monaſt. S. Sabæ, 43 m. Abbas David, ibid.
Monaſt. Saligenſtadenſe, 261 a
Monaſt. S. Salvatoris prope Pinnamellare, ubi Pompoſa Martyr, 585 a
Monaſt. Saraſienſe in Hiſpania, 383 m
Monaſt. S. Savini Pictavenſis. Abbas Dodo, 251 m
Monaſt. Saxiacum ad Rhodanum. Abbas Badilo, 163 m, 491 m, 498 & ſeqq. 500 a. Ubi recepti Monachi Foſſatenſes profugi, 501 & ſeqq.
Monaſt. S. Severi in Italia, 61 a
Monaſt. Sithienſe ſeu S. Bertini. Abbas Hilduinus, 224 m
Monaſt. Sollemniacenſe, 197 m. Abbas Chunibertus, 161 a
Monaſt. S. Sophiæ Beneventi, 460 m, n, 465 m
Monaſt. Stradenſe ſeu S. Genulfi, 225 & ſeqq. Abbates, Elias, 223 m, 231, 232, 233 a. Rotbertus, 225, 236, 237. Dodo, 227, 228. Mainardus, 228 m, 229 a, 230 m. Amalricus, 231 m. Aimo, ibid. Aëricus, ibid.
Monaſt S. Sulpicii ſeu Navenſe prope Bituriga. Abbas Johannes, 248 m
Monaſt. Tabanenſe prope Cordubam, 45 m, 584. Abbas Martinos, 46 a. Iſaac Martyr & Hieremias loci auctor cum uxore Heliſabeta, 584. Columba ſoror Martini, Martyr, 585 a
Monaſt. Tabuletum ſeu Theologienſe. Abbas Chroduinus, 532 m
Monaſt. Trenorchienſe. Abbas Egilo ſeu Geilo, 504 a
Monaſt. S. Tyberii ſeu Cæſarionis. Abbas Attilo, 600 m
Monaſt. Tyernenſe, 137 m. Abbas Silvius, 138 a, m
Monaſt. Vaſlogium ſeu Varlogium. V. Bellilocenſe.
Monaſt. Vetus S. Petri Eccleſia Cathedralis apud Vvintoniam, 69 m
Monaſt. Villæ magnæ ſeu Majani & Cognenſe, 590 m, 591 a. Abbas Verecandus, 590 m
Monaſt. S. Vincentii ad Vvlturnum. Abbates Maio, 425 a. Jacobus, 466 a
Monaſt. Virzionenſe, 160. V. Doverenſe.
Monaſt. Uticenſe ſeu S. Ebrulfi. Abbas Rotbertus, 346 m
Monaſt. Vvldenſe, 13 m, n. V. Foldenſe.
Monaſt. Zellingenſe in Germania, 14 m. Abbatiſſa Mathilda, ibid.
Monaſt. S. Zoili Armilatenſe in Hiſpania, 584 a. Sabinianos & Vviſtremundus ejus loci Monachi Martyres, ibid.
Mons S. Mariæ ad Baſilicas in pago Sueſſionico, in quo habita Synodus 534 m
Monstroldus ſeu Monaſteriolus ad Alteiam, *Monſtrolet*, 340 m, n
Mons S. Agathæ prope Capuam, 431 m, o, 432 m

Montanus ſolitarius ſeu reclnſus, 29 a
Morinorum Epiſcopus Girardus, 154 m
Mumboli reliquiæ Calmaci, 599 a
Mumma ſeu Mummolus Abbas Floriacenſis, 365 n

N

NAMNATENSES Epiſcopi, Giſlardus invaſor, 159 a. Gunthardus, 502 n
Narbonenſes Epiſcopi, Arnaldus, 556 m. Theodardus, 590 m
Nathaliæ aliàs Sabigothonæ Martyris Tranſlatio Pariſios, 45 & ſeqq.
Nazareus Epiſcopus Genuenſis, 149 m
Nebridius Abbas Craſſæ, 600 m
Neoti Abbatis Anglici Vita, 323 & ſeqq.
Neoteſtovv Cella S. Neoti, 323 m
Nevelo Corbeienſis Monachus, Martyrologii auctor, 486 m, 495 a
Neuſtriæ fines antiqui, 385 a, n
Nithardi prænobilis viri donatio an. Prumiæ facta, 468 m
Nithardus Gauzberti Epiſcopi nepos, Martyr apud Sueones, 90 a
Nivardus Remenſis Epiſcopus, 257 m
Nivelongus ſeu Nibelungus Comes, 549 a
Nivernenſis Epiſcopus Herimannus, 218 m
Nominoe Ludovici Pii miſſus, 185 m. Dux ſive Rex Britanniæ minoris, 186 & ſeqq.
Noreſridus Presbyter ab Anſchario directus ad Nicolaum Papam, 96 m
Normanni à Carolo Calvo oppugnati, 53 a. Pariſios vaſtant & incendunt, 128 m. Gallias infeſtant, 139 m, 151 m, 557 & ſeqq. Puniuntur, 449 a, 467 a, m, 580 & ſeqq.
Norrvvida in Friſia Chriſtiani Danos ethnicos ſuperant, 475 a
Norvvegenſis Epiſcopus Sivardus, 485 a
Notarii regiis ſcribendis capitularibus adhibiti, 565 a
Notcherus Abbas Abivillarenſis, 154 a, m
Notis ſeu per notas ſcripti codices, 507 m
Noto Aurelianenſis Epiſcopus, 250 m
Noviomenſis Epiſcopus Immo, 251 a

O

OCARIUS vir clariſſimus, 254 m
Oda uxor Vvicfredi Comitis, 151 m, 226 a
Oda uxor Liudolfi Ducis Saxoniæ, 561 a
Odelricus Archiepiſcopus & ſummus Cancellarius, 506 m
Oderiſius vir potens in Italia, 449 m
Odilmannus Monachus Corbeienſis, *157 a. Alio nomine Severus, 530 m, 152
Odilo Abbas Floriacenſis, 407 a
Odo Bellovacenſis Epiſcopus, 127 m
Odo Abbas Glannafolienſis & Foſſatenſis, 166 & ſeqq.
Odo filius Rotberti tutor Caroli Simplicis, deinde Rex, 55
S. Odo Abbas Floriacenſis, 560 m, n
Odo frater Henrici Regis Francorum, 590 m
Odo Dux Burgundiæ, 406 a
Odo Sulmeriaci Cellæ Præpoſitus, 455 a
Odo Rex Francorum, 487 a
Odo Comes Bleſenſis, filius Theobaldi, 506 a, m
Odo filius Odonis Comitis, 506 m
Odo de Sarecio nobilis Monachus Remigianus, 518 n
Offa Abbatiſſa S. Petri apud Beneventum eximia, 439 m, 450 a
Offa Rex Anglorum, 579 m
Oiboldus Abbas Floriacenſis, 369 a, n
Olef Rex Sueonum, 100 a, 103 a
Olemundus Abbas S. Johannis de Caſtro Malaſti ſeu Montis Olivi, 600 m
Onalafbal nobilis paganus à S. Cuthberto ob ſcelera punitus, 282 a
Onlicitfelda locus S. Vvilfrido donatus in regione Metciorum, 550 m
Ooliba Comes, 423 a
Oſa, Hueſſant, Oceani maris inſula, 382 m
Oſketulus Abbas Crulandæ, 318 a
Oſaitellus Dacorum Rex, 535 n
Oſnabrugenſis Epiſcopus Gozbertus, 32 m
Oſvvaldus Rex Lindiſfarnenſis Epiſcopatus auctor, 286 a, 296 a. Caput ejus S. Cutberti capiti in tumulo adjunctum, 292 a
Oſvvini Regis oſſa è tumulo levata, 286 m
Otgarius Epiſc. Moguntinus, 6 m, 7 m, 30 m. ad Lotharium miſſus, 61 m, 87 m, 122 m
Otgarius Abbas Abandunenſis, 72 a
Otgerius Cadilonis Comitis affinis, 182 m
Otgerus ſeu Ogerus Ambianenſis Epiſcopus, 485 m, 487, 488
Othersus Caput-cervii dominus, 375 m. an idem cum Aothario, 374 m, n
Othmarus Abbas S. Galli, 411 m
Othtannus Epiſcopus Viennenſis, 275 a
Otto Ripenſis Epiſcopus, 485 a
Otulfus ſtrenuæ probitatis Monachus Dionyſianus, 183 a
Otulfus Trecenſis Epiſcopus, 544 m
Oximenſis Epiſcopus Liberalis, 205 a
Oxonienſis Academia à quo condita, 523 m, & ſeq.

P

PADERBORNENSIS Epiſcopus Liutardus, 265 a, b, 418 a, 419
Palatinæ dignitatis Præſul, 322 m. Ejus ſacra providentia reſervata à Romano Pontifice Sacerdotum conſecratio apud infideles, * 121 m
Palladius Epiſcopus Autiſſiodorenſis, 574 a
Pampilonenſis Epiſcopus Vvilleſindus, 583 m
Pandulfus Princeps Capuanus, 451 m, n. Abjicitur, 452 m
Pandulfus Capuanus prædo, 435 m
Pandulfus Gualæ filius, 435 a
Pantaleo Epiſcopus Corſicanus, 148 m
Pariſienſes Epiſcopi, Rainaldus, 166 m. Abbo, 167 a. Æneas, 168 m, 548 m, n. Erchenradus, 551 a. Jonfredus, 527 a
Pariſienſis Synodus, 125 a
Paſchalis Papæ epiſtola ad Barnardum Viennenſem, 561 a, 566 m
Paſchaſius Epiſcopus Viennenſis, 566 a
Paſchaſii Radberti Corbeiæ Abbatis Elogium hiſtoricum, * 125 & ſeqq. Vita ejus, 567 & ſeqq. Tractatus Euchariſticus adverſus eum, 595 & ſeqq.
Patriciacus Cella S. Benedicto tributa ab Eccardo Comite, 346 m, 348 m, 585 m, n, 586, 587, 416 & ſeqq.
Patricliacus villa pagi Abrincatini, 546 m, 547 m
Paulinus Epiſcopus Eboracenſis, 551 a
Paulus Monachus Hiſpanus Martyr, 585 a
Paulus Diaconus Caſinenſia miracula à S. Benedicto edita ſcripſit, 557 a
Paulus Virdunenſis Epiſcopus, 535 a, 533 a
Paulus Aurelianus inſulæ Oiæ in finibus occiduis Britanniæ minoris Eremita, tum Epiſcopus Leonenſis, 382 m, n. Corpus ejus Floriacum transfertur, 385 a
Paulus Abbas S. Albani in Anglia, 518 n, 579 a
Paulus Monachus Caſinenſis, vir pius, 441 a, m
Perfectus Presbyter & Martyr Cordubenſis, 584 a
Perminius ſeu Pirminius Epiſcopus & Abbas Morbacenſis, 114 m, 555 a
Peronam delatæ S. Marculfi reliquiæ, 318 m, & ſeqq. Urbis ejus deſcriptio, 581 a. S. Furſei corpus Peronæ, 539
Perronilla conſanguinea Nazarei Epiſcopi Genuenſis, 149 m
Petrus Lutevenſis Epiſcopus, 556 m

Petrus Abbas Orbaceníis, 155 m
Petrus Sacerdos Martyr Cordubæ, 584 a, 585 a
Petrus Diaconus Caſinenſis ſcriptor, 348 a
Petrus Monachus Caſinenſis pietate inſignis, 439 m, o
Petrus Florentinus Epiſcopus pœnitentiâ ductus fit Monachus, 456, 457 m, n
Petrus Aldobrandinus Monachus & Presbyter Vallumbroſanus per ignem tranſit illæſus, unde *Igneus* dictus, poſtea Albanenſis Epiſcopus, 457 m, n
Petrus Abbas S. Remigii Remenſis, 315 m
Petrus de Schanmberg Epiſcopus Auguſtanus, 554 a, m
Philippus Epiſcopus Catalaunenſis Stephani Comitis Palatini frater, 154 m, 155
Philippi Francorum Regis regni initium, 405 m, n. Is in extremis Monachus, 586 m
Pictavenſis Epiſcopus Hebroinus, 165 m, 178, 250 m
Pipimiſium, Poiſſy, ad Maternam prope Meldos, 598 a
Pippinus Caroli Magni filius Prumiæ Monachus, 586 m, 587 a
Pippinus Aquitaniæ Rex. Litteræ ejus cùm Ludovici Auguſti patris ſui, tum propriis regni annis notatæ, 287 a, m
Pippinus Pippini Aquitaniæ Regis filius apud S. Medardum Monachus repugnans effectus, 126 m, 587 m
Pippinus Caroli Calvi filius, 588 m
Piſtenſis Synodus, 232 m
Placidia Auguſta, 574 m
Placidius ſeu Vvarinus Abbas Corbeiæ novæ, 135 m
Plebelanium, Plelan in Aremorica, ubi Ducum aula, 192 m
Pleimundus Archiepiſcopus, 507 a
Pompoſa Monacha S. Salvatoris prope Pinnamellaic, Martyr, 585 a
Potentiani Martyris Tranſlatio in Jotrenſe Monaſterium, 378
Primus Princeps Sardiniæ, 146 m
PRIORATUS, Suolenbus, 8 m, 9 m. *Ratesdorf*, 26 m. Vvinzella, 32 m. Alnenſis cella ſeu Brivaciacum, 72 & ſeqq. *Turholt* in Belgio, 88 a, 89 a. Anſchario eripitur, 95 a, 97 a. *HRodnan* cella Indenſi Cœnobio attributa, 122 a. Cella ſeu Capella Gilonis & Saciacum, 141 m, 153 m. Cella S. Genulfi olim Cella dæmonis, 229 m, n. S. Genulfi in pago Vvaſtinenſi, 231 m. Cella domni Bovini, 243 m. S. Launomarus de Magentiaco, 248 & ſeqq. *Neoteſtovv* S. Neoti cella, 323 m Patriciacus, 346 m, 348 m, 383 m, n, 380, 387, 418 & ſeqq. Barcinonenſis cella S. P. Benedicto ſacra, 349 m. Diacum Floriacenſis Cœnobii cella, 360 a, n, 404 m. Salenſe Monaſterium, *S. Benoiſt du Sault*, 367 m. Arvinicurtis ſeu Hervinicurtis, *Arnicourt*, 368 m, 392 m, n. Villa Abbatis cella Floriaco ſubjecta, 380 m. Almericurtis item, 397. Item S. Benedicti cella ſuper Sequanam in territorio Trecenſi, 397 a. *Pontons* item cella in Aginenſi Epiſcopatu, 404 a, 405 a, n. Evera item, *Yevre le Chateau*, 306 a, n. Vitriacum item in ſilva Aurelianenſi, 408 a, n. Item Caſtellum ſuper Lupam, 413 a, n, 414 m. Sulmeriacus cella Patriciaco ſubjecta, 422 a. Amanſum in Burgundia, 489 a. Vergiacum in Diœceſi Æduenſi, 489 a. Corbiniacum in pago Laudunenſi, 240 m, 514 & ſeqq. S. Honorina ad Confluentium Becco ſubjectum, 526 m
Probi Presbyteri & Monachi ad S. Albanum Elogium hiſtoricum, 58 & ſeqq.
Premea fluvius unde Prumienſe Monaſterium, 265 m
Prudentius, qui & Galindo, Trecenſis Epiſcopus, 243 m
Pſeudunum in pago Duſinenſi & finibus Æduorum, ubi Florentinus & Hilarius Martyres necati ſunt, 492 & ſeqq.
Puteolum caſtrum à Philippo Rege fruſtra oppugnatum, 486 m

Q

QUINTILIANUS Epiſcopus Autiſſiodorenſis, 574 a
Quirinus Siſcienſis Epiſcopus & Martyr tranſlatus Fuldam, 82 m

R

RABANI Epiſcopi Vita, 2 & ſeqq. An dictus Magnentius, 20 m, 575 a. Epiſtola ad Egilonem, 591 & ſeqq.
Radulfus ex Abbate Sagienſi Cantuarienſis Archiepiſcopus, 298 m
Radulfus Rex Burgundiæ, 231 a. *V.* Rodulfus.
Radulfus Epiſcopus Bituricenſis. *V.* Rodulfus.
Raganefridus Epiſcopus Viennenſis, 275 a
Ragenardus Vicecomes Autiſſiodorenſis, 332 n
Ragenoldus Berthari Abbatis Caſinenſis Diaconus, 465 a
Raginarius Ambianenſis Epiſcopus, 250 n
Raginarius ſeu Raginaldus Venetenſis Epiſcopus, qui & Romarius & Keimarius, 185 m, 189 m, 190 m, n, 191 a, 200, 202 n
Raginaudus Abbas Pontelevii, 249 a
Raginaudus Abbas Eleemuſynæ, 249 a
Raginoldus Epiſcopus Remenſis, 134 m
Ragnobertus Abbas Curbionenſis, 245 m
Raimundus Comes, 162 m
Rainaldus Pariſienſis Epiſcopus, 166 m
Rainaldus Abbas Foſſatenſis, 166 m. Adelaidis Reginæ conſanguineus, 167 a
Rainaldus Dux Normannorum, 358 m. Ejus capitis effigies Floriaci ſervata, 359 m
Rainarius Abbas Senonenſis an Ferrarienſis, 372 m, n
Rainerius ex Præpoſito Diaci Abbas Floriacenſis, 404 m
Rainerius Monachus Caſinenſis occiditur, 449 m
Raino Epiſcopus Aurelianenſis, 470 m
Rainulfus nobilis Neuſtraſius, 357 m
Ramerus an Rainerus Præpoſitus Belliloci, 165 m
Rampo Vicecomes Caſtridunenſis, 505 m
Ramſola prope Hammaburgum, 77 m
Rarbaudo Abbas, 231 a
Ratbertus. *V.* Paſchaſius.
Ratbertus nobilis frater Aureliani Epiſcopi Lugdunenſis, 498 m
Ratgarii Abbatis ferocitas, 25 m, 250 m
Ratiponenſis Epiſcopus Batheum, 250 m
Ratoldus Epiſcopus, miſſus Ludovici Imperatoris, 88 a, n, * 121 a
Ratolfus Sclevvicenſis Epiſcopus, 485 a
Ratramni Monachi Corbeienſis ſcripta, 125 m, 126 a
Ratvvilus Brito nobilis, 185 a, 295 m
Raymundus Abbas Gellonenſis, 556 m
Raymundus Abbas Nantenſis, 556 m
Recaffredus Epiſcopus Cordubenſis, 584 a
Redonenſes Epiſcopi, Guarinus, 202 n. Electramnus, 220 m. Vvurius, 251 a
Regibus militia & dona reddi ſolita, 122 m. in Natali Domini, 135 a. Alio tempore cera data, 202 a, o
Regiæ perſonæ ſub Regula S. Benedicti ſæculo IX in Gallia, 586 & ſeqq.
Regimbaldus Chorepiſcopus Moguntinus ſeu Regimboldus & Reginarius, 7 m, 12 a, 17 m, 19, 62 a, 63 a
Regimbertus Anſcharii Epiſcopi Presbyter, 105 m
Regimundus Comes, 164 a
Reginæ Virginis & Martyris reliquiæ Flaviniacum tranſlatæ, 238 & ſeqq.
Reginarius Cellæ *Turholt* poſſeſſor, 95 a, 97 a, 109 m, 110 a
Reginarius Epiſcopus *V.* Regimbaldus.

Reginwaldus

Reginvvaldus Danorum Rex paganus, 281 m
Reinbernus Epiſcopus Hildineſheimenſis, 260 m
Rembertus Epiſcopus Hammaburgenſis & Bremenſis, 75 m, 268 a. Vita ejus, 471 & ſeqq.
Remenſes Epiſcopi Hincmarus, 31 m, 105, m, 181 m, 122 m, 137 m, 138 a, 250 m. Ebo, 87 m, 88 m. Nivardus, 139 m. Rodulfus, 142 m Ragnoldus, 154, 155. Fulco, 585 m
Remenſe Indictum, 142 m
Remigius Lugdunenſis Epiſcopus, 263 m, 498 a, 499 a
Rethre Sclavorum metropolis, 523
Ricbodo Abbas Centulenſis, 588 m
Richarda Caroli Craſſi uxor, Andelaci Monacha, 580 m
Richardus Abbas Amerbacenſis, 343 m, 350 a
Richardus Abbas Floriacenſis, 363 a, 365 m, 364 a, m
Richardus Epiſcopus Autiſiodorenſis, 574 a
Richardus Abbas S. Albani in Anglia, 299 m, 301 a
Richardus Primerps Abbas S. Columbæ, 577 m
Richardus filius Giſleberti Comitis Angli, 323 m
Richardus Abbas S. Vitoni, auctor Vitæ S. Rodingi, 531
Richeldis uxor Eccardi Comitis, 548 m
Richerius Abbas Caſinenſis, 450 m, n
Richerus Senonenſis Epiſcopus, 555 a
Rictrudis Caroli Magni filia, Sanctimonialis, 589 m
Rieſſe rivulus in Argonna, 534 a
Rimbertus Preſbyter ad Danorum converſionem ordinatus, 305 m, n
Rimbertus. V. Rembertus.
Rinoſcandus, non pater, ſed frater Aredii Abbatis, 198 a
Rioyvinus Comes Pictavenſis, 200 a, n
Ripa urbs epiſcopalis, 77 a. Otto Epiſcopus, 485 a
Riuvveten prædo Armoricus, 198 m
Rivalinus Aletenſis Epiſcopus, 192 a
Rivveonus ſeu Riovvenus Monachus Rotonenſis paſſimas, 205 a
Robertus Comes clariſſimus, 158 a, n, 152 a
Robertus Epiſcopus Abrincatenſis, 247 m
Robertus Comes Arvernorum, 256 m
Robertus Abbas S. Launomari, 256 m
Robertus Epiſcopus Autiſiodorenſis, 574 a
Robertus ſtrenuiſſimus miles, 256 m
Robertus Laudunenſis Epiſcopus, 515 m
Robertus ædituus Carbonacenſis, 517 m
Robertus. V. Rotbertus.
Rodbertus cognomento *Cumm*, Comes Nordhanimbrorum, 290 a
Rodingi ſeu Chrodingi & Chraudingi Abbatis Bellilocí in Argonna Vita, 537 & ſeqq.
Rodinus Rodingi nepos, Abbas Tabulcienſis, 532 m
Rodulfus ſeu Ruodolfus Monachus Fuldæ, 1
Rodulfus ſeu Radulfus Burgundus, Franciæ Rex, 238 m, 320 a
Rodulfus Remenſis Archiepiſcopus, 142 m, n
Rodolfus ſeu Radulfus Bituricenſis Epiſcopus, 152 m. Elogium ejus hiſtoricum, 156 & ſeqq. 250 m
Rodulfus Turonenſis Epiſcopus, 154 m
Rodulfus Tortarius auctor Tranſlationis & miraculorum S. P. Benedicti, 344 a
Rodulfus Comes Caturcorum, 156 m & ſeqq 164 a
Rodulfus filius Godafredi Comitis, 157 a
Rodulfus Abbas Belliloci, 123 m
Rodulfus miles, vaſſus dominicus Caroli Regis, 146 m, 148 a
Roëſia matrona nobilis in Anglia, 323 m
Rogellus Monachus Martyr, 586 m
Roianum caſtrum in diœceſi Biterrenſi, 590 m
Rollo Normannorum Dux Gallias infeſtat, 345 m & ſeqq. 469 m
Romaldus Carnotenſis punitur, 364 a
Romani S. P. Benedicti nutritoris feſtum, 387 a, n
Ronvvalon nobilis Brito, 209 m
Rorgo, 194 a
Rorico, Comes, 588 m
Rorigo Comes Glannafolis inſtaurator, 165 m, 168, 170 & ſeqq. 194 m
Rorgonus de Verteſione, 255 m
Roſvvita Sanctimonialis Gandersheimenſis, Poëtria, 261 a
Rotaldus Sueſſionenſis Epiſcopus, 258 m
Rotbertus Odonis Regis frater, 358. Regnum invadit, 359 m
Rotbertus frater Henrici Regis Dux Burgundiæ, 390 m
Rotbertus Abbas Utiçenſis, 346 m
Rotbertus Comes Andegavenſis genere Saxo, 357 m
Rotbertus Cellæ Patriciaci Præpoſitus, 386 m, 387 m
Rotbertus caſtri S. Briccii dominus, 413 m, 414 a
Rotbertus filius Rodulfi Comitis Caturcorum, 156 m
Rotbertus Abbas Stradenſis, 285 m
Rotfridus S. Remigii Monachus, vir doctus, 269 a
Rothildis Caroli Calvi filia, Abbatiſſa Calenſis, 589 m
Rotomagenſes Epiſcopi, Gumeldus ſeu Gumbaldus, 250 m. Hugo, 366 a, n. Guido ſeu Vvito, 514 m
Rotom nominis origo, 396 m
Rotrocus Comes, 506 m
Rotrudis Caroli Calvi filia, Abbatiſſa S. Crucis apud Pictavos, 589 m
Rotſvvinda Abbatiſſa Gandersheimenſis, 261 a
Rucandus Abbas Rotonenſis, 192 m
Ruodvvaldus nobilis, 224 m
Ruthardus an Rabani pater, 21 8
Rypa. V. Ripa.

S

SABIOOTHA ſeu Nathália Martyr Pariſios tranſlata, 45 & ſeqq.
Sabinenſis Epiſcopus Johannes, 451 m, a
Sabinianus Monachus Armilatenſis Martyr, 584 m
Sagienſes Epiſcopi, Hildebrannus ſeu Hildebrandus, 182 a, n, 231 m. Saxobaudus aut Saxobonus, 250 m
Saimo ſeu Simon Abbas S. Launomari, 246 a
Salaco ſeu Saloco Aletenſis Epiſcopus, 186 m, 187 m, 208 a. dictus Dolenſis, 239 & ſeqq. 243 a
Salenſe caſtrum, *S. Benoiſt du Sault*, 367 a, o, 377
Saldra minor, *la petite Saudre*, amniculus in Biturigibus, 143 m, 151 a
Salomon Epiſcopus Conſtantienſis, ad Romanam ſedem legatus, 96 m, 97 a
Salomon Rex Britonum, 188 m. Cæcatus à Francis, 193 a
Salomon Abbas S. Launomari, 246 a
Samſon Abbas Cordubæ, 48 m, 49 a
Samuel Vvormatienſis Epiſcopus, 23 m
Sancius Navarræ Rex, 585 a
Sancius Comes Vaſconiæ, 587 m
Sanctandreanus Epiſcopus, Turgotus, 276 a, 295 a, n
Sanctus Viennenſis Diaconus Martyr, 566 a
Santharatus Præpoſitus cellæ Suolenhus, 8 m, 13 m
Saracenorum in Italiam impetus, 426 m. Eorum clades, 427, 464 m, 465, 466 m
Sargalo Abbas S. Launomari, 256 m
Saro Abbas S. Beorgni, 341 a, 342 a
Savinianus, Potentianus, Altinus, Eodalus, Serotinus Martyres Senonenſes, 578 a
Saxiacenſis ager in pago Lugdunenſi, 499 a
Saxobodus aut Saxobonus Sagienſis Epiſcopus, 250 m

Scalternoldenſes Epiſcopi, Adalvvardus, 485 a. Ecilinus, *ibid.*

Scliaſvvig. *V.* Sliaſvvig.

Scotti Aſtrologiæ periti, 533 m

Scula nobilis Danus, 281 m

Sedunum pro Pleuduno ſumtum, 492 m, 493 a

Seeburg urbs in Ducatu Curlandiæ, 503 a

Seguinus unus è primoribus Caſtellionis ſuper Lupam, 399 a

Segvvious Abbas Lindisfarnenſis, 303 a, 304 m

Senior Cæſaraugustanus Epiſcopus, 47 a, 30 a

Senletenſis urbs, *Silvanectum*, 253 m

Senonenſes Epiſcopi, Ricarius ſeu Richerus, 235 a. Egil, 257 & *ſeqq.* Vvenilo, 250 m, 265 m, 578 a. Eviardus, 485 & *ſeqq.* Anſegiſus & Vvaltheeus ſeu Vvaltharius, *ibid.* Aldricus, 494 a

Seodanus Rex Saracenorum Italiam diripit, 464 m, 483 a, m

Sergios Papa ante Pontificatum Conſtantinopolim legatus, 145 a, m, 149 a, m

Servus-Dei Monachus Hiſpanus Martyr, 584 m

Severi, Vincentiæ & Innocentiæ tranſlatio reliquiarum, 60 m, 61 a, m

Severini, Exſuperii & Feliciani Martyrum Tranſlatio in Monaſterium *Romanum*, 363 m, 363 m, 366 a

Sico ſeu Sicardus Princeps Beneventanus, 463 a, 464 a

Sictunenſes Epiſcopi, Adalbardus, 485 a. Theodulfus, 485 a

Sidon an duplex, 26 m

Sidric vel Sidroc Nortmannorum Dux, 228 m, o

Sigbaldus Abbas Lindisfarnenſis, 303 a, 304 a

Sigebertus Auſtraſiæ Rex, 538 m, a

Sigebertus Saxonum in Britannia Rex, 558 m, o

Sigeburg an ſoror Aureliani Lugdunenſis Epiſcopi, 498 m

Sigibertus frater Aureliani Epiſcopi Lugdunenſis, 498 m

Siginarius Abbas Morbacenſis, 555 m

Sigiſmundus Monachus auctor Chronici Auguſtani, 355 m, 554 m

Siguiſus Abbas Ferrarienſis, 491 m

Silvacum Palatium regium, 127 a

Silvanectenſis Epiſcopus Herpuinus, 250 m

Silvius conſobrinus an frater Aureliani Lugdunenſis Epiſcopi, 498 m

Simeo Abbas Floriacenſis, 409 n

Simon Abbas S. Remigii, 518 n

Simon Epiſcopus. *V.* Gauzbertus.

Simon Bituricenſis Epiſcopus, 284 m, 258 & *ſeqq.*

Simon Halſinodenſis Epiſcopus, 485 a

Simpertus Epiſcopus Auguſtanus, 353 & *ſeqq.*

Sindloch Preſbyter, id eſt Comes, 64 m

Sindulfi Eremitæ Tranſlatio in Altuvillarenſe Monaſterium, 133 & *ſeqq.*

Siſcienſis Epiſcopus Quirinus, 12 m

Siſtericenſis Synodus, 500 m

Sivardus Epiſcopus Norvegenſis, 481 a

Sivolis, *la Sioule*, fluvius in Burbonenſibus, 193 a

Slepo Epiſcopus Scalternoldenſis, 485 a

Sliam fretum Daniæ, 77 a

Sliavvig aliter Heidiba, vulgo *Sleſvvic* in Dania, 77 a, 97 m, 481 m. Epiſcopus Sclevvicenſis Ratolfus, 485 a

Solіacenſis agri, *Sully*, domini Herbertus & Herchenaldus, 363 a, 590 m

Spernus Abbas S. Baſoli, 139 a

Stephanus Abbas Belliloci in Argonna, 535 m

Stephanus Comes Palatinus, 154 m, 155, 150 a

Stephanus Abbas S. Mariæ Eboracenſis, 299 m

Stephanus equeſtris ordinis vir, 411, m

Stephanus prius Caſinenſis Monachus, 440 a

Stephanus de Conrio, vir doctus, Monachus Corbeienſis, 316 a

Stodilus Epiſcopus Lemovicenſis, 562 m

Subianous qui & Suſannus, Venetenſis Epiſcopus, 186 m, 195 a, m, 252 m, 282 m

Sueſſio Veſona dicta, 131 a

Sueſſionenſes Epiſcopi, Angilmodus ſeu Engelmodus, *825 a, 132 m. Hugo, 254 m, 255. Rotaldus, 251 m

Suidbertus Abbas Dacorenſis, 276 m

Sunifridus nobilis Barcino, 47 m, 48 m, 50 m

Sunzo ſeu Sunderoldus Epiſcopus Moguntinus, 489 & *ſeqq.*

Suſannus. *V.* Subſannus.

Sutrina Synodus, 452 m, n

Svvithuni Epiſcopi Vvintonienſis tranſlatio, 69 & *ſeqq.*

Syagrius Auguſtodunenſis Epiſcopus, 470 a

Symeon Epiſcopus Laudunenſis, 252 a

S. Symeonis ſepulcrum in pago Autiſſiodorenſi, 572 m, n

Symphoriana an mater Simperti Epiſcopi, 355 m

Synodi Moguntina, 51 a, 2, 32 a, m, 565 a. Germanicæ duæ, 91 m. Vvormatienſis, 96 a. Pariſienſis, 125 a. Cariſiacenſis, *ibid.* Piſtenſis, 152 m. In monte ſanctæ Mariæ ſeu Baſilicis, 154 m. Claromontana, 155 a. Turonenſis plenaria, 167 a, 565 a. Venetenſis generalis Principum & Epiſcoporum, 190 a, n. Germiniacenſis, 249 m. Viennenſis ſub Adone, 269 & *ſeqq.* Sutrina, 452 m, n. Siſtericenſis, 500 m. Cabilonenſis, 565 a. Remenſis, Arelatenſis, 565 a. Cloveshovienſis, 583 a. Apud S. Tyberium, 590 m. Agathenſis, 590 m

T

Tarvannenses Epiſcopus Hunfridus, 283 & *ſeqq.*

Teatini Epiſcopi, Arnulfus, 458 n. Atto, *ibid.* Hilarios, 464. Angelarius, 467 a

Teleſia ſeu S. Agathæ civitas in Italia, 464 a, m

Tertius Subdiaconus Viennenſis, 565 m

Teſa fluvius, *Tees*, in finibus Eboracenſis provinciæ ad auſtrum, 292 m, n

Teicelinus Petvetenſis dominus, *Petewort*, 394 m

Tetbaldus Carnotenſis Comes, Ludovicum Ultramarinum Regem capit, 362 a

Tetfridus Abbas Bonævallis in Carnutenſibus, 497 m

Tetgiſus Preſbyter Remenſis, corporis S. Helenæ delator, 554 a

Tetricus Autiſſiodorenſis Epiſcopus, 575 m, 574 a

Tetvvinus Monachus Rotonenſis ſanctiſſimus, 209 a

Teutbaldus ſeu Teotboldus Lingonenſis Epiſcopus, 250 m, 539 m, 504 a

Teutelmus Abbas & Diaconus, 270 m

Theobaldus I Comes Bleſenſis, 506 a

Theobaldus Comes Bleſenſis, Franciæ Seneſcallus, 249 a

Theobaldus Cancellarius an Comes Palatii Theoderici Francorum Regis, 355 a

Theobaldus Comes, 398 m

Theobaldus Abbas Caſinenſis, 441 a, m

Theodardus de Bolione, vir potens, 235 m

Theodardus Narbonenſis Epiſcopus, 590 m

Theodata ſeu Theodrada Romualdi Ducis uxor, 459 o

Theodatus Abbas, 60 a m

Theodebaudus ſeu Theobaudus Comes Bituricenſis, 560 m

Theodemirus Carmonenſis Monachus Martyr, 584 m

Thedericus Comes Patriciacum S. Benedicto reſtituit, 546 m

Theodericus frater Eccardi Comitis, 348 m, 349 a

Theodericus Cameracenſis Epiſcopus, 551 m

Theodericus Præpoſitus Cellæ Villæ-Abbatis, 389 m

Theoderici Francorum Regis diploma pro Morbacenſi Cœnobio, 554 m

Theodoricus Monachus Caſinenſis, 444 a
Theodoricus Epiſcopus, 162 a
Theodrada filia Caroli Magni Argentogili Abbatiſſa, 589 m
Theodradus Abbas Glannafolienſis, 168 a, 179 m
Theophylactus Notarius & Scriniarius Paſchalis Papæ, 566 m
Theotardus filius Vuillelmi Tyernenſis Principis, 257 m
Theobertus Abbas Floriacenſis, 548 m, 349 a
Theotbertus Abbas, 598 m
Theotmarus Preſbyter & Monachus Fuldenſis, 6 m
Theutrannus de Salſis Miles, 360 m
Thiadricus Epiſcopus Mindenſis, 477 m, 478 a
Thiodulfus Sictunenſis Epiſcopus, 485 a
Thiota pſeudoprophetiſſa in Concilio flagellis cæſa, 31 m
Thomas de Monte-Acoto, vir nefarius, 519 m, 525 m
Thomas Prior Corbiniaci, 315 m
Thomas de Marla nobilis, 516 m
Tithed Abbas Lindistarnenſis, 303 a
Tornacenſis Epiſcopus Immo, 151 a
Tornenſis ſeu *Turnenſis* pagus, *de Turene*, 74 m
Torolfus Bibactalis Epiſcopus, 485 a
Toſtius Comes Northanhumbrorum, 175 m, 288 a
Trajecti ad Rhenum Epiſcopus Hildulfus, 41 a, 581 a
TRANSLATIONES reliquiarum, Roma, 4 & ſeqq. Georgii Monachi, Aurelii & Nathaliæ Martyrum translatio Pariſios, 43 & ſeqq. Severi, Vincentiæ & Innocentiæ ad Monaſterium S. Albani, tum S. Severi caput Heriphetsfurt, 60 m, 61 a, m. Svvithuni Epiſcopi Vvintonienſis, 69 & ſeqq. Fauſtæ Virginis & Martyris in Cellam Alnenſem ſeu Bivaciacum, 72 & ſeqq. Batoli Confeſſoris, 137 & ſeqq. Sindulfi Preſbyteri in Altvillarenſe Cœnobium, 153 & ſeqq. Helenæ Imperatricis in idem Monaſterium, *ibid.* S. Polycarpi in idem Cœnobium, 154 m. S. Marcellini Papæ & Martyris Rotomum, 188 a, 213 m. Apothemii ſeu Hypothemii eumdem in locum, 218 & ſeqq. S. Genulfo Nivernum, 230 m. Lucas, 231 m. Reginæ Virginis & Martyris Alexia Flaviniacum, 238 & ſeqq. S. Frodoberti Abbatis Trecas, 243. S. Launomari Bleſas, 245 & ſeqq. SS. Anaſtaſii & Innocentii in Gandershemenſe Cœnobium, 261 a. Cuthberti Epiſcopi Lindisfarnenſis in varia loca, 275 & ſeqq. S. Patris Benedicti, 343 & ſeqq. Pauli Epiſcopi Leonenſis Floriacum, 385 a. S. Mauri Martyris in eumdem locum, 404. S. P. Benedicti præſente Ludovico Rege, 422 a. S. Martini in Burgundiam & Turonos relatio, 469 & ſeqq. Gentiani Martyris in Corbeienſe Monaſterium, 486 & ſeqq. Victorici Martyris Auguſtam Viromanduorum, 487 m. Viventii Amaufum, deinde Vergiacum, 489 a. Florentini & Hilarii Martyrum Athanacum, ad Bonam-Vallem, Latiniacum & Puitarias, 494 & ſeqq. 505 & ſeqq. Honorinæ Virginis & Martyris Confluentium, 526 & ſeqq. Severini, Exſuperii & Feliciani Martyrum, Brenniaco in Monaſterium *Romanum*, 563 m, 565 m, 566 a. Potentiani Martyris Jotrum, 578 a. Majani Confeſſoris in Monaſterium Cogneote ſeu Villemagnæ, 590 m
Tranſlationis reliquiarum ritus ſæculo IX, 174 m
Trebellius Bulgarorum Rex Monachus, 590 a
Trecenſes Epiſcopi, Prudentius qui & Galindo, 143 m. Otulfus, 144 m. Adalbertus, 151 a. Domnolus, 470 m
Tredoc prædo Aremoricus, 199 a
Trevirenſes Epiſcopi, Hetti, 87 m, 122 m. Bertulfus, 169 a
Tubaldus ſeu Teutbaldus Lingonenſis Epiſcopus, 250 m
Turonenſes Epiſcopi, Rodulfus, 154 m. Coſmarus ſeu Urſmarus, 175 a, 150 m. Archembaldus, 563 a. Herbernus, 469, 470. Adalaudus, 470 m. Martinus, 469
Turonenſe Concilium plenarium, 167 a
Turgotus Prior Dunelmi, tum Epiſcopus ſanct-Andreanus, 176 a, 295 a, h
Turholt cella Hammaburgenſi ſedi unita, 88 a, 89 a. Ab ea ſejuncta, 93 a, 97 a, 475 a, h
Tuviſco fluvius Germaniæ, 5 a, n
Tutinus Rabani frater, 21 m

V

VALENTINENSIS Epiſcopus Doctrannus, 564 a
Ubba Dux Freſonum, 277 a
Uchtredus Comes Northanhimbrorum, 286 a
Udalricus Epiſcopus Auguſtanus, 554 a
Vellava civitas diſtincta ab Anicio, 600 m
S. Venantii reliquiæ in Germania, 8 m
Venerandus Abbas S. Majani, 590 m
Venetenſis generalis Synodus Principum & Epiſcoporum, 190 a, h
Venetenſes Epiſcopi, Raginarius ſeu Raginaldus aut Romarius, 95 m, 190 m, n, 191 a, 201 a. Subſannus ſeu Suſannus, 180 m, 192 a, m, 211 m, 212 m
Veranus rector an Parochus Floriaci, 407 m
Vercellenſes Epiſcopi Euſebius & Liutvvardus, 581 m
Vermandis villa, *Vermand*, non longè ab oppido S. Quintini, 525 m
Verumpaci villa, ubi ſita? 253 m
Veſona, Sueſſio, 131 a
Veſontionenſis Epiſcopus, Arduicus ſeu Ardvicus, 231 m
Ugo Albienſis Epiſcopus, 556 a
Victor Papa II, 454 m, n
Victorici Martyris corpus Auguſtam Viromanduorum tranſlatum, 487 m
Vidula, *Veſle*, amnis in pago Remenſi & Sueſſionico, 139 m
Vincentiæ Martyris tranſlatio, 60 & ſeqq.
Viennenſes Epiſcopi, Agilmarus, 152 a, 168 a, 275 a. Ado, 262 & ſeqq. Deſiderius, 271 a. Urſus, 274 m. Ultraja ſeu Vvolferius, 274 m. Barnardus, *ibid.* 561 & ſeqq. Othrannus, 275 a. Barnoinus, 275 a. Raganfridus, *ibid.* Juſtus, 366 a. Paſchaſius, 506 a
Viennenſis Synodus ſub Adone, 269 & ſeqq.
Villa Godonis, ad Agnerem fluvium, 232 a
Vviltunenſis Epiſcopus Aitvvoldus, 71 m
Virdunenſes Epiſcopi, Hildi, 61 m. Dado, 531 m. Paulus, 532 a, 533 a. Giſloaldus, Gerebertus, Armonius, Agrebertus, 532 a
Viſnonia Aremoricæ fluvius, 189 m
Vitriacum palatium regium, in ſilva Aurelianenſi, 408 a, n
Vivarium peregrinorum Morbacenſe Cœnobium, 515 a
Viventii Confeſſoris tranſlatio Amaufum in Burgundia, deinde Vergiacum, 481 a
Vlda ſeu Huldo Aremoricæ fluvius, 189 n, 190 n, 191 a
Ulfos Præpoſitus S. Albani apud Anglos, 579 & ſeqq.
Ulſinus ſeu Ulfigius Abbas S. Albani apud Anglos, 578 & ſeqq.
Ultanus ſcriptor vitæ S. Brigidæ Virginis, 303 m, 304 a, 309 m, n
Ultanus Epiſcopus in Media Hiberniæ regione, 303 m
Ultanus Peronæ Abbas, 303 m, 308 m
Ultraja ſeu Vvolferius Epiſcopus Viennenſis, 274 m
Unfredus Abbas, 251 m
Unnedica an Gemeticenſe Monaſterium, 23 a, 581 m

Vodoali, cognomento Benedicti, Confeſſoris Vita, 544 & ſeqq.
Urſmarus Turonenſis Epiſcopus, 175 a, 150 a
Urſus Epiſcopus Viennenſis, 274 m
Uſuardus S. Germani Pariſ. Monachus, 47 m, 57 m
Vuernenſis terra, *le pais d'Ornois*, inter Moſam & Maternam, 598 m
Vuagri Slavorum populi, 77 a
Vvala Abbas Corbeienſis, 85 a
Vvala Epiſcopus Autiſiodorenſis, 377 a
Vvalabonſus Diaconus Martyr Cordobæ, 584 a
Valafridus Epiſcopus Uzecienſis, 74 a
Vvalcherus primus ex Lindisfarnenſibus & Dunelmenſibus Epiſcopis, qui Monachus non fuerit, 292 m. Occiditur, 293 m, n
Vvaldalenus Abbas Beſuenſis, 582 a
Vvaldegarius Ferdenſis Epiſcopus, 93 m
Vvaldricus Abbas Bonævallis, 526 a
Vvaltarius Lothario Regi à ſecretis, 268 m
Vvalterus Abbas Augienſis, 68 m, n
Vvaltharius ſeu Vvaltherius Senonenſis Epiſcopus, 486 a
Vvandali, id eſt Hungari, Gallias infeſtant, 159 m, n
Vvarinus Comes Legatus ad Lothariom, 68 m
Vvarinus Corbeiæ Gallicæ Monachus, tum Saxnicæ Abbas, 124 a. Placidius dictus, 135 m
Vvarinus Dux Toloſanus, 288 m
Vaſlogium locus in Argonna, ubi nunc Bellilocenſe Monaſterium, 533 a
Vvalannus, Vvedel, locus ultra Albiam, 88 m
Vvellandus, nobilis Danus, 166 a
Vvendelenſes Epiſcopi Magnus & Albericus, 485 a
Vvendelgarda Abbatiſſa Gandersheimenſis, 281 a
Vvenilo Senonenſis Epiſcopus, 250 m, 265 m, 578 a
Vvenarius Aletenſis Epiſcopus, 187 m
Vvibaldus Epiſcopus Autiſiodorenſis, 47 a m. Male Uribaldus, optimè Vvigbaldus, 577 a
Vvibergenſis Epiſcopus Heribertus, 486 a
Vvicfridus ſeu Vvicfredus Comes Bituricenſis, 852 a. V. Vviſredus.
Vvideradi Abbatis Flaviniacenſis Teſtamentum, 241 a
Vvido Ambianenſis Epiſcopus, 233 a
Vvido Comes, 194 m
Vvido Guillelmus Dux Aquitaniæ, Comes Pictavorum, 256 m
Vvido filius Vvillelmi Tyernenſis Principis, 257 m
Vvido. V. Guido.
Vviſredus Bituricenſium Comes, 166 a
Vviſredus Comes Ceritaniæ, Monachus Canigonenſis, 598 a
Vviſredus Comes, 433 m
Vvilfridi Epiſcopi Eboracenſis Vitæ fragmenta duo, auctore Eddio Stephano, 550 & ſeqq.
Vvillegodus Abbas S. Albani, 579 m
Vvillehelmus Epiſcopus Vvendelenſis, 485 a
Vvillelmus Comes Arvernorum & Dux Aquitanorum, 250 a
Vvillelmus Comes Pictavenſis, 234 a, 567 m, 575 a
Vvillelmus Dux Aquitanorum & Comes Pictavorum, 255 m, 567 m, 575 a, 579 m
Vvillelmus Bonus Dux Aquitaniæ, 256 a, m
Vvillelmus Epiſcopus Engoliſmenſis, 255 m
Vvillelmus Epiſcopus Claromontenſis, 257 a
Vvillelmus Tyernenſis Princeps, 257 a, m
Vvillelmus filius Vvillelmi Tyernenſis Principis, 257 m
Vvillelmus Rex Anglorum, 290 a, m, 298 m
Villelmus Epiſcopus Dunelmenſis, 294 m
Vvillelmus Cantuariorum Epiſcopus, 299 m
Vvillelmus Abbas S. Benigni piſſimus, 542 m
Vvillelmus Autiſiodorenſis Epiſcopus, 550 a
Vvillelmi Ducis ac Monachi Gellonenſis miracula, 556 & ſeqq.
Vvillelmus. V. Guillelmus.
Vvillericus Bremenſis Epiſcopus, 77 m, 88 a, 122 m
Vvilleſindus Epiſcopus Pampilonenſis, 583 m
Vviltunenſis Epiſcopus Alfvvoldus, 71 m
Vviacalon nobilis Monachus Rotonenſis, 294 m
Vviocbaudus Autiſiodorenſis Epiſcopus, 574 a
Vviurfridus probatæ vitæ Monachus Lindisfarnæ, 517 a
Vvintonienſes Epiſcopi, Svvithunus, 69 & ſeqq. Helmſtanus, 69 m. Adelvvoldus, 325 m
Vviomarchus Britanniæ minoris Rex, 285 a, 288 a
Vvirziburgenſis Epiſcopus Humbertus, 14 m, 15 a, 27 a, 33 a, 37 m
Vviſtremundus Monachus Armilatenſis, Martyr, 584 m
Vvitbaldus affinis Aureliani Epiſcopi Lugdunenſis, 498 m
Vvitcherius nobilis, 278 m
Vvitmarus ſcholæ puerorum Corbeienſi præfectus, 82 m, 86 a
Vvnarius Redonenſis Epiſcopus, 252 a
Vvoretveu Preſbyter Venetenſis clariſſimus, 293 a
Vvormatienſis Synodus, 96 a
Vvorvvoret Miſſus Nominoe Principis Britonum, 282 m, a
Vvldraca ſeu Vvldraga fluviolus in diœceſi Æduenſi, *l'Oudrac*, 421 a, n
Vvlfaldus Abbas Floriacenſis, tum Carnotenſis Epiſcopus, 361 a, n, 385 a
Vvlfarius Rex Merciorum, 550, m
Vvlfgarus Abbas Abandunenſis, 78 a
Vvlganius Monachus Cantuariorum Epiſcopus præelectus, 542 a, n. Ejus reliquiæ in Lenenſe caſtrum apud Atrebates tranſlatæ, *ibid.*
Vvlſigus Abbas Lindisfarnenſis, 303 a, 326 a
Vvlnothus Abbas S. Albani apud Anglos, 579 m
Vvltnacus, Euſſi, prope Meldos, 598 a
Uzecienſis Epiſcopus Vvalafridus, 74 a

Z

S. ZOILI apud Cordubam eccleſia, 385 m

INDEX MORALIS
PARTIS SECUNDÆ
SÆCULI QUARTI BENEDICTINI.

A

ABBATIS Coadjutor, 163 m. Diaconus, 465 a. Abbas in nocturnis vigiliis duodecimam lectionem recitare solitus, 177 a. Abbas Clericum facit, 595 m. Monachos ſuos deſerit ob eorum mores incorrectos, 217 a, 398 a. Abbatis religioſi teſtamentum, 241 m. Abbates à Synodis abſentes privilegio poſtea ſubſcribebant, 250 m. Abbates Diaconi, 270 m. in capitulo Fratrum ſepulti, 467 a. Abbatis dotes, 491 m

Abbatia *irregulariter* retenta ab Archiepiſcopo, 157 m. Abbatiæ nomen Monaſterio tributum ſæculo IX, 166 m. Abbatia in beneficium data, 172 m. proprietatis jure, 174

Abſtinentia in extremo morbo, 460 a

Adventus tempore jejunium in Orientali & Occidentali Eccleſia ſervatum, 350 a, n

Advocati Monaſteriorum, 352 m. Illis infeſti, 367, 384 m, 392 m

Altaris portatilis uſus apoſtolico viro Aoſchario, 121 a. Altari profanum quid imponere vetitum, 262 m. Altaria ob furtum nudata & flagellata, 393 a, n. à Sanctimoniali thurificata, 460 a, n. Altaris vaſa in redemtionem captivorum vendita, 481 m. Altare purpurâ auro tectâ indutum in conſecratione, 551 m

Anulus fidem ſignificat, 484 m

Aquæ judicium ſive probatio, 154 m

Arca continendis ſacris reliquiis ad inſtar arcæ fœderis, 8 a

Atula ad caput defuncti erecta ſæculo VI ob reliquias ibidem collocatas, 174 m

B

BENEDICTUS. Monaſteria ipſius nomine inſignita Floriacum, 347 & *ſeqq.* Patriciacum, 348. Barcinonenſis cella, 349. Salenſe Monaſterium, *S. Benoiſt du Sault*, 367 a, n, 377. S. Benedicti cella ſuper Sequanam in territorio Trecenſi, 397 a. Saxiaci, 499 a, 510 m. S. Benedicti auxilio innumeræ paganorum fuſæ phalanges, 357 m. Vexillum ejus in bello adhibitum, 367 m. Monachum ab omnibus derelictum ſanat, 385 a. Reliquiæ ejus Patriciacum, Salenſem in cellam & Argentomagum delatæ, 385. Suorum adverſarios ac prædatores punit, 386 m, 392 m. Item feſti violatores, 396 & *ſeqq.* Miraculorum ejus libri, 343 & *ſeqq.* Peſtem comprimit S. Benedictus, 402. Tumulatio ejus tempore Adventus celebrata, 412 a. Reliquiæ ejus præſente Ludovico Rege tranſlatæ, 422 n. Sanat ægrotos, 440 m. S. Benedicti Regula ad Eccleſias Angliæ *meliorandas* adhibita, 552 m. recepta in Hiſpania, 585 a

Beneficiarium jus, 172 m. Beneficiatis ſacramento adacti, 361 a, 393 m

Bona pro dotatione Monaſteriorum à fundatoribus deſtinata, quo pacto tradita, 187 m, 498 a, 499 a, 563 a

C

CALIX aureus defuncti manu oblatus, 414 m

Campana argentea Monaſterio data, 558 m

Canonicorum conſenſus ad firmanda quæ Epiſcopus Eccleſiæ ſuæ bona aliis impertitur, 370 a

Capella regia cum Rege venante allata, ut inter venandum Miſſa celebretur, 160 a

Cappa habitus Anſcharii Epiſcopi, 89 m

Cardinales dicti fratres, 562 m

Caſtitatis fulcimentum humilitas, 480

Catechumenorum non ſuſcepto baptiſmo defunctorum ſtatus, 44 m

Catenâ pœnitentes circumdari, 219 m

Catholicum vale, 49 m

Chartæ. *V.* Diplomata.

Cereus Paſchalis in eccleſia ſervatus, 590 m

CHRISTUS paganis ſe invocantibus auxiliatur, 103 m

Cineres Sanctorum fidelibus cauſa ſalutis, 2 m

Clericalis corona pueris ſæculo IX collata, 183 a.

Clerici Notarii, 35 m

Clerico in patrimonii titulum prædia à parentibus oblata, 157, a, m. Clericus ab Abbate factus, 193 m. Clerici ambrati, 411 a, n

Cœmeterii immunitas crucibus notata, 400 a

Communionis die non licet operari, 445 a

Compotationes in amorem Sanctorum, 376 m, n

Confeſſio ſacramentalis, 4 m, 6 a, 12 a, 16 a. Ejus utilitas, 82 a. Non differenda, 597 m

Corona Clericalis, 183 a. item monaſtica, 599 m

Crucis ſignum ori impreſſum oboſcitante, 72 a. Eccleſiæ vel Cœmeterii immunitatis ſignum, 400 a. Crux poſita in loco, ubi Sanctorum reliquiæ reſederunt, 525 a. Crucis Dominicæ miracula, 526 & *ſeqq.* Crucis ſalutiferæ benedictio quotidiana, 557 m. Crux dicta ſignum Domini, 558 m

D

DECIMÆ eccleſiarum Monaſterio datæ ſæculo VIII ineunte, 58 m. Bremæ à S. Aoſchario datæ pauperibus, 508 a, 565 m, 261 a

Diplomata igne conſumta aut deperdita novo jure à Rege ratihabita, 252 m. Teſtis donator ipſe, 255 m. Capuæ in nomine Romani Pontificis exarata, 466 m. Diplomatibus regiis in gratiam Monachorum conſentiunt & ſubſcribunt Epiſcopi ſæculo VII in Anglia, 551 m

Dominica die ordinari Sacerdotes, 106 m. Dominica dies Reſurrectionis dicta, 235 m. Ejus violator punitus, *ibid.* ab illuceſcente Sabbati veſpera incipit, 235 m

Donatio facta per manus Epiſcopi, 498 a, 499 a, 563 a

Duellum in cauſa Monachorum, 595 m, n

E

ECCLESIÆ conſecratio nonniſi ejectis corporibus ibidem ſepultis peracta, 243 m. Eccleſia re-

fugium reis, 188 m. Eccleſiæ neglectæ pœna, 391 m, 406 m. in calamitatibus ſpinis occluſæ eccleſiæ portæ, nudata & flagellata altaria, 393 a, n. Eccleſiæ & Cœmeterii immunitas Crucibus notata, 400 a
Eleemoſynæ pro defunctis, 28 a. Eleemoſyna à paganis data in honorem Chriſti, 304 a. Eleemoſynæ inſigne exemplum & præmium, 277 m, 278 m. Eleemoſynæ à Monachis factæ, 499 m
Epiſcopi electio ſæculo VIII, 35 m. ſæculo IX, 126 a. Mutatum nomen in ordinatione, 99 a. Dotes ejus & munia, * 121 m. Epiſcopus Turonenſis vocatus *ſummus Pontifex*, 173 m. Epiſcopus poſt alios teſtes chartæ ſubſcribit, 185 m. Epiſcoporum dejectio in Synodo, 168 m. Nonniſi à duodecim Epiſcopis fiat, 187 m. Epiſcopi ſigillum ſæculo IX, 191 a. An perſecutionis tempore ſedem deſerere debeat, 223 m. Epiſcopus ex eccleſia aliena olim ægrè admiſſus, 242 a. Epiſcoporum in privilegiis ſynodicis excommunicationes & imprecationes, 249 m, 321, 303. Subſcriptiones auctoritate regia factæ, 301 m. Abſentes rogantur privilegio ſubſcribere, 250 m, 301, 303. Epiſcopi legata reſcinduntur eo quòd Canonicorum conſenſus abfuiſſet, 270 a. Epiſcopi Monachi, 291. Epiſcopi cum ſacerdotalibus ornamentis & miniſteriis tumulati, 297 m. Epiſcopus Presbyter dictus, 324 m. Epiſcopi ſimoniaci, 451 m, n, 458. Uxorati, 431 a, n. Epiſcoporum inveſtitura per baculum paſtoralem, 477 m, n. Epiſcopus retento Epiſcopatu fit Monachus ex voto, 478 m. monaſticis veſtibus utitur, *ibid.* Archiepiſcopi Suffraganeis deſtituti conſecratio relicta Palatinæ providentiæ, 478 a. Epiſcopus per manus acceptionem fit homo Regis, 483 a. ex humilitate ſepeliri vult extra eccleſiam; 484 a. Epiſcopalis annuli ſignificatio, 484 m. Epiſcoporum in rem monaſticam pietas ac religio, 500 m. Epiſcopi Monachi cum habitu monaſtico ſepulti, 575 m
Evangeliorum textus cum S. Cuthberti corpore in loculo depoſitus, 398 a
Euchariſtia, Viaticum ſubutraque ſpecie, 93 m, n, 94 m. In extremis, 398 a, Oratio ante ejus ſumtionem, 336 m, 363 m
Eulogiæ militibus prœlium ſubituris datæ, eos victores efficiunt, 378 a. Poculus ligneus Papæ datus, 433 m
Excommunicatio quando adhibenda, 129 m, 181 m. In privilegiis Romanorum Pontificum adhibita, 255 m. Alibi, 256 a, 340 m. Lata in prædones, 398 m. cum multâ conjuncta à fundatore Monaſterii, 459 m
Exorciſmi libellus ſæculo IX, 62 m

F

FALSARIUS punitus, 454 m, n
Feminæ à Monaſterio Fuldenſi extorres, 28 m. à S. Cuthberti eccleſiis & cœmeteriis, 283 a, 285 a
Femina geſtandis ſacris reliquiis adhibita, 10 a
Ferri candentis probatio, 71 m. Ferrei cinguli geſtatio pro pœnitentia, 72 a
Feſti violatores puniti, 16 a, 110 m, 235 m, 394 m, 396
Feſti dies rite celebrandi, 224 a, 245 a
Fraternitatis charta pro ſocietate ſuffragiorum, * 121 m

H & I

HOMO Regis fit Epiſcopus per manus acceptionem, 483 a
Humilitatis tenendæ præcepta, 480
Hymnus *Veni creator* in ſupplicatione decantatus, 322 m
Jejunium à paganis in honorem Chriſti ſuſceptum, 164 a
Jejunium Adventûs ab Orientalibus & Occidentalibus ſervatum, 352 a, n
Ignis ſacer, 394 m. Ignis probatio ad detegendam Epiſcopi ſimoniam, 457 a, n
Imagines ſacræ in calamitatibus abjectæ & ſpinis obſitæ, 393 n
Imago Salvatoris argento radiante veſtita, 41 a. Dicitur imago Dominicæ recordationis, 431 m
Imprecationes in litteris Romani Pontificis, 88 m. Epiſcoporum in ſynodicis privilegiis, 249 m. Alibi, 256 a, 340 m
Infirmis Monachis Horæ recitatæ, 447 a
Interdicti tempore nudata altaria, dijectæ imagines, ſpinis recluſus eccleſiæ aditus, 393 a
Inveſtitura Epiſcoporum per baculum paſtoralem, ſæculo IX, 477 m, n
Judex cur ſervus & non liber? 163 m. Judicis ſervi veſtes & arma, *ibid.*
Judicium per ferrum candens, 71 m. Per chalybem ignitum, *ibid.* Per aquam, 154 a. Per ignem, 457 m
Juramentum coram reliquiis ſacris præſtitum, 404 m

L

LAVACRA manuum Epiſcopo uſitatus, 108 a
Lampades plures ante Sancti ſepulcrum, 366 m, 484 m. Ante corpus Dominicum, 318 m
Latrones ſevera lege puniti, 72 a, 140 m, 197 a, 289 m, 293 m, 413 m, 433 a, 557, 558, 580 a
Laus perennis Centulæ, 542 a, n. *V. Præfationem à num.* 204
Librorum raritas ſæculo VIII, 33 m. Libri ſacri auro deſcripti in purpureâ membrana, auro & gemmis veſtiti, 552 a
Litteræ Antipapæ nomine notatæ, 257 a, m. Aliæ ſic notatæ, *Actum Philippo Rege humano & Chriſto Rege ſuperno*, 257 m
Litaniæ majores Idibus Maii in Germaniâ celebratæ, 12 a. In calamitatibus domeſticis recitatæ, 175 m. Indictæ ante ſepulcri apertionem, 239 a
Lunæ defectus clamores olim in vulgo excitabat, 34 m

M

MARTINIANÆ compotationes, 376 n
Martyr quis dicendus? 512 m & ſeqq. Monachi Martyres, 580 & ſeqq.
Memoriæ Dominicæ Paſſionis, Crux, liber Evangeliorum, brandea, &c. 32 m. Memoria Sancti, baculus ejus, 248 a
Miniſteria ſacerdotalia, veſtes eccleſiaſticæ ſeu ſacra ſupellex, 84 m, 181 a. Altare argenteum, corporalia, patena cum calice, pecten eburneum, forcipes cùm defuncti Epiſcopi corpore recondita, 297 m
Miſſæ plures & pſalteria pro regiæ familiæ incolumitate, in Synodo Moguntina inſtitutæ, 30 m. Miſſa ſub veſperam ſæculo IX ex more celebrata, 67 a. Miſſæ & officia pro defunctis, 142 a. Miſſa coram Rege venationem exercente celebrata in obvio commodo loco, 160 a. In Miſſa recitata eorum nomina pro quibus offertur, 428 m. Poſt Miſſam Sacerdotes manus lavare ſoliti, 234 m, 429 a, n. Miſſa matutinalis, 357 m
Monachi in cellis ſeu Præpoſituris poſiti, 4 a
Monachi peregrini ſtabilitatem in alieno Monaſterio ſacramento duntaxat firmant, 61 a
Monachi in Bremenſi eccleſia Cathedrali, 77 m. Hi poſtea habitu uſi canonico regulam tenebant monaſticam, 78 a, 107 m, n
Monachorum ſchola, 81 m, 461. Monachi Septemtrionalium populorum Apoſtoli, 84 & ſeqq. 89 a. Ex iis viri & feminæ in Saxonia anachoreſim ſectantur, 168 m. Pueros in litteris cùm huma-

nioribus tum divinis erudiat ad converſionem gentium, 109 m. Monachis trium qui conceſſum, 224 a. Ut obſervantiæ tenaces Corbeiæ, 226 a, m. Præbendæ Monachorum in Cathedralibus eccleſiis, 166 m. Nocturni ſilentii apud Monachos religioſa obſervatio, 181 m. Scriptor devota ſtabilitate & converſione morum in Cœnobio Monachorum nondum Monachus, 209 a. Monachi veſtes ſacras cantando in nocturnis vigiliis Evangelio adhibeor, 216 a. Apud Monachos pueri nobiles Deo oblati, 234 m. Monachi in Cellis ad nutum Abbatis revocabiles, 241 m. Peregrinantes litteras ab Epiſcopis accipiunt, 265 m. Infirmi Horæ recitatæ, 447 a. Ut probandi in Cœnobio Monachi antequam anachoreſim ſubeant, 361 a. Pauperes numero duodecim ex antiqua traditione nutriunt, 366 a. *In ordine vicis ſua gerunt officia*, 366 m. Monachorum eulogiæ, 379 m. Monachorum ſervi, 494. Duella ab ipſis ſuſcepta, 395 m, n. Monachis Cellæ ſeu Præpoſituræ qui commiſſæ, 397 m, 422 a. Præpoſitorum eorum fiebat electio à Capitulo Monaſterii principalis, 397 m. Poſt refectionem in eccleſiam tendunt gratias Deo acturi, 419 m. Cucullus in capite Monacho proficuus, 439 a. Monachi loculos prodit dæmon, 445 m. Monachi Recluſi, 444 m. Monachi in extremis, 466 m. cæſi à barbaris, 469 m. Monachum profitetur ex voto Epiſcopus poſt conſecrationem, 478 m. Monachorum in Anglia penuria, 507 m, 519 m, n. Monachorum ſupplicationes nudis pedibus inſtitutæ, 523 m. Monachi ſæculo IX Martyres, 580 & ſeqq.

Monaſterium, eccleſiæ Cathedralis Hammaburgenſis, 522 m

Monaſterii everſores ac prædatores puniti, 170, 178 m & ſeqq. 181 a. Excommunicati, 540 m, 362 m, 381 m, 400 m, 421 a

Monaſteriis legata à fundatoribus quo modo tradita antiquitus, 227 m. Cellæ ex Monaſteriis reditibus dotatæ, 241 m. Decimæ Monaſteriis conceſſæ, 58 m, 165 m, 162 a. Feminis interdictus acceſſus ad Monaſteria virorum, 28 m, 184, 285 a. Monaſterium duplex virorum & Virginum, 182 a, 285 a. Monaſteriorum Advocati, 352 m, 367, 354 m, 392. Servi etiam nobiles, 189. Arma gentilitia, 409 a, m. Societates mutuis viſitationibus firmatæ, 464 m. Monaſteria duplicia in Hiſpania, 184 a, 181 m

Monaſticus Ordo ſacer dictus, 327 m. Apoſtolicæ perfectioni congruens, 249 m. Vicinior, 500 m. Ejus ob bella inteſtina tepor ac deſtructio, *ibid.* 500 m

Monaſtica Epiſcopi profeſſio in quantum munus Pontificale permittit, 478 m

Monaſticis veſtibus uſus Epiſcopus ex voto Monachus poſt conſecrationem, 478 m. Monaſticus habitus quando tributus, 587 m

Moniales. *V.* Sanctimoniales.

N

NOBILIUM propriæ veſtes, 163 m

Notarii Epiſcopis adjuncti in Concilio, 31 m. Notarii ſimul cum dictantibus adhibiti in analectis conſarcinandis, 33 a. Notarii Clerici, 31 m. à Rege coràm acciti ut privilegium ſcribant, 225 m

Novitii probatio inſignis, 360 m

Nummi Capuæ figurati in nomine Romani Pontificis, 466 m

O

OBEDIENTIA Monachi miraculis illuſtrata, 449 m

Oblationes vellus lanæ, 11 a. Modus ſingularis, 15. Candela ad menſuram hominis, 51 a. Faſium argenteum ſuſpenſum in memoriam ſepulturæ, 60 m. Cerei magni, 112 m. Triticum in uſum ſacrificii, 151 m. Boiæ, 526 m

Oblationes factæ Monaſterio, 165 m

Oblata Regibus munera, 122 m, 135 a, 202 a, n

Officia divina. Annuale, pſalmus & oratio quotidie in Miſſa recitanda pro donatione, 155 m

Oratoriola à nobilibus in itinere ſæculo IX conſtructa, ut ibi divinas laudes recitarent, 172 m

Ordo monaſticus, *ſacer* dictus, 227 m

Ordo, regularis obſervantia, 465 a, 565 m, 576 m

P

POENITENTIA parricidæ aliorumque ferreis circulis oneratorum, 72 a, 215 a, 219 & ſeqq. 401 m, n, 590 m

Pœnitentiæ ſacramentalis modus, 129 m, 210 a

Pœnitentibus indicta à Synodo pœna, 219 m

Pœnitentiæ causâ diuturna lotio in fonte facta, 330 a

Pallii uſus Archiepiſcopo ad Miſſarum ſollemnia conceſſus à Papa, * 121 m, 225

Papa dictus Patriarcha, 228 a. Vicarius S. Petri, 229 m, 250 m. Licentia prædicandi Evangelii neceſſariò ab eo petita, 221 a. Ad imponendum reluctanti Epiſcopatum auctoritas adhibita, 561 a. Corona aurea ipſi oblata, 191 a, 212 m. Caſula ipſi propria data pro munere, 213 m. Pœnitentia ab eo Romæ quæſita, 215 a. Chartæ ejus nomine exaratæ, nummi item Capuæ figurati, 460 m

Parricidæ pœnitentia, 72 a. Lex, 215 a, 219 & ſeqq

Pauperes duodecim ex antiqua traditione in Monaſteriis aliti, 366 a

Peregrinatio Romana ad pœnitentiam à Pontifice petendam, 215 a

Potatio. *V.* Compotatio.

Præbenda Monacho data in eccleſia Cathedrali ſæculo IX, 166 m

Prædeſtinatio Dei, 225 m. *Vide Præfationem à num.* 139

Presbyteri ad infidelium converſionem, 105 m, n. Dominica die ordinati, 206 a. Presbyter uxoratus, 287 m. *V.* Sacerdos.

Privilegia apoſtolica, 122, 255 a. Sæculo VII data Monaſteriis, 534 m. Plures ab Anſcharto deſcripta, 112 a, n. Ante S. Petri corpus & confeſſionem firmata, * 121 m, 255 a

Privilegia regia, 128 a

Privilegia ſynodica, 125 a. Iis ſubſcribebant abſentes Epiſcopi & Abbates, 250 m

Probatio per ferrum candens, 71 m. Per geſtationem chalybis igniti, *ibid.* Per aquam, 154 m. Per ignem, 457 m, n

Proceſſio eccleſiæ Pariſienſis ad S. Maurum ſæculo IX, 166 m

Proſtratio religioſa in modum Crucis, 176 a

Purgatorii locus, 80 m, 120 m, 230. Purgatorio liberat jejunium quadraginta dierum, 475 m, 480

Q & R

QUADRAGESIMÆ tempore etiam conjugati caſtitatem ſervare debent, 462 a

Regis inſigne circulus aureus cum purpura, 191 m

Reliquiarum nundinationes, 42, 82. & ſeqq. quo ritu ornatæ, 17 & ſeqq. Cibotii forma, 18 a. Femina gerendis reliquiis adhibita, 20 a. Reliquiæ in ſupplicationibus geſtatæ, 10 m, 28 a, 154 a. Lectuli aurei ſacris reliquiis impoſitis, 61 a. Regum in eas veneratio, 172, 183 a, 260 a. Ab Epiſcopis in humeros delatæ, 268 m. Tranſlationis reliquiarum ritus ſæculo IX, 174 m. Patrocinia dictæ reliquiæ in arcula reconditæ, 274 m. Reliquiæ adverſus prædatores delatæ, 178 m, 370 a, 386 a. Vino lotæ, 235 m, 247 m, 403 m, 407 a, 419 a. Suſpenſæ in arbore & ſeipſis

ſurſum clatæ, 260 a. pro remuneratione conceſſæ, 386 a. Abjectæ & conſpurcatæ in calamitatibus, 393 a, n. præſtitum coram ipſis juramentum, 404 m. delatæ ad reſarcienda eccleſiarum damna, 520 a, 524 m. Cinctoria ipſis applicita, 526 a
Romanæ Eccleſiæ Vicarius, Legatus, 269 m

S

SACERDOTIS quàm caſta eſſe vita debeat, 287 m
Sacerdotes uxorati, 451 a, n
Sacramentum Unctionis extremæ Viatico præmiſſum, & quotidie repetitum uſque ad ægrotantis mortem, 483 m, a
Sacrificii oblatio cotidiana pro fundatoris peste anno DCCCXLI, 58 m. petita prædia pro ſacrificio offerendo in gratiam defuncti, 164 a
Sanctorum oſſa in pulvinis condita, 7 m. Sancti Regum ac regnorum defenſores, 278 m. Lampades ante Sanctorum ſepulcra, 566 m. potationes in eorum honorem, 576 m, n
Sanctimoniali prædia in dotem oblata tempore Ludovici Pii, 257 a, m. Monacha juxta Eccleſiam Clericorum recluſa, 440 a. Altaria à Sanctimoniali thurificata, 460 a, n.
Sanctorum patrocinia improperando petita, 393 a, n festivitates celebrandæ, 445 a
Sanctum Sabbatum dicta in Ramis palmarum, 215 m
Sepultus extra Eccleſiam Epiſcopus ex humilitate, 484 a
Sepulturæ jus in Monaſterio, anno DCCCXXXV, 165 m
Servus Vicarius, ſervus judex inſtitutus, cur non liber, 165 m. Servi Monaſteriorum etiam nobiles, 389 m. filiorum illorumque conditio, ibid. 394 m. Jure beneficii aliis donati, 393 a. Sacramento adacto, 393 m
Silentium nocturnum à Monachis religioſè obſervatum, 182 m
Simoniaca peſtis in Gallia, 229 a, 458 m, n. in Britannia minore, 286 & ſeqq. 212 & ſeqq. In Italia, 451 m, n
Solarium in ſuperiori ſtega, 399 m, n
Solidi valor major nummi valore, 398 a
Sortes in uſu apud Danos & Suecones paganos, 92 m, 93 a, 101 m, 103 m
Stola ad benedictionem impertiendam adhibita, 461 m
Strumæ cur morbus regius dictæ, 515 m, 516 m, 517 m, a
Supplicationes nudis pedibus inſtitutæ, 402 a, 523 m

T

TESTAMENTA, donationum litteræ, 169 m, 173 m, 174, 226 m, 227 m, 238 m, 241 m, 254 m, 409 m, 501, 503 m
Teſtamentum religioſi Abbatis, 241 m, 498 m, 502 a
Teſtis donator ipſe, 255 m
Tonſura eccleſiaſtica puero impoſita, 473 m
Traditionis inſtrumenta, oſtium, ceſpes, Andelanc, 270 m. Vrantu, 374 m, n
Tranſlatio corporum Monaſterii auctorum ab infima parte eccleſiæ ad dexteram lævamque altaris ob grati animi teſtificationem, non beatifici cultûs indicium, 228 a

V

VENATORIS cornu appenſum in eccleſia, 350 a
Veſtes eccleſiaſticæ, 182 a. Veſtes ſacræ cantando in nocturnis vigiliis Evangelio à Monachis adhibitæ, 236 a. Calix cum patena *de auro cocto*, 270 m
Veſtes ſciſſæ antè & retro nobilium propriæ, 163 m
Vinum ſanctum ex tactis reliquiis, 255 m. Ægris proficuum, 403, 405 a, 419 a. *V.* Compotationes.
Ultionis divinæ funeſta ex exempla, 90 m, 438 a
Unctione olei ſanati ægri, 335 m, a
Unctionis extremæ Sacramentum Viatico præmiſſum, & quotidie uſque ad ægrotantis mortem repetitum, 483 m, n
Votum candelæ ad menſuram hominis, 358 a, 382 m, 335 m. *V.* Oblatio. Per circuitum ararum, 322 m
Votum à paganis Deo factum, 228 m. Votum, triticum in uſum ſacrificii, 838 m. Aves, 326 a. cereus ad menſuram pavonis, 392 m

INDEX ONOMASTICUS
VOCUM BARBARARUM ET EXOTICARUM
PARTIS SECUNDÆ
SÆCULI QUARTI BENEDICTINI.

A

ADMISSAS, crimen, 423 m
Altrinſecus, invicem, * 828 m alio ſenſu, 146 a. circumquaque, 156 a
Andelanc, traditionis inſtrumentum, 270 m
Apocriſarius, æditus baſilicæ, 419 m, n
Apodix, meretrix, 201 a
Archarius, æditus, 177 m
Aſſignatio alicujus pro inſcriptione ad aliquem, 49 m

B

BERBICIA, prædia, 812 m
Beneficiare, dare in beneficium, 278 a, 340 m
Beus, beatus, 387 a
Bibliotheca, Biblia ſacra, 89 m, 353 a
Boiæ, catenæ, 516 m
Bucula clypei, *la boucle*, 395 m
Bullata pagina juxta morem Eccleſiæ Romanæ, privilegium, 96 m
Buſtum, tumulus, 180, a
Buxtula, pyxis, 147 m

CALFACTUM,

C

CALFACTUM, *chauffage*, 157 a
Calfagium, *chauffage*, 149 a
Calumnia, quælibet injuria, 91 m
Carderum, an locus carduis conſitus? 13 a
Caſa dominicaria, 158 a
Caſtrum, urbs, 47 m
Caucus, patera, 378 a, n
Canticum quid? 507 a
Cella Monaſterii, ideſt Prioratus, 491 m, 442 a
Cenaticum, cenſus piſcium, 179 a, n
Cicendelus, lampas vitrea, 349 m, n
Clavipotens frater, Bibliothecarius, 23 m
Clauſus, ſeptum,
Clepsare horas, furari, 307 m, n
Clocca, campana, 474 m
Coëllentia, præſentia, 552 m
Colitare, colere, 304 m
Colonieta, viculus, 241 m
Comitiſſæ vocabulum, VIII ſæculo, 304 m
Compœtentia, 35 a
Con preſſare, comprimere, 52 a
Conatus, anxius, 156 a
Confluentia, frequentia, 238 a
Conſul, Comes, 487 m
Cooperator, Epiſcopi Coadjutor, 13 m
Corycaus, pirata, 248 m
Curia, Conventus, 191 m

D

DEPOAMATUS, ſcriptus, 87 a
Dependere, ſuſpenſum ſolvere, 248 m
Devotatio, imprecatio, 393 m
Devotus, pius, 195 m
Dieta, refectio, 39 a
Diverſus, divertens, 441 a
Dour an Tour, vas æneum in quo reliquiæ ſacræ habentur, 258 a, m
Dapſilis, magnificus, 314 m
Dumtaxat, pro ſcilicet, 121 a
Dunum, mons apud veteres Gallos, 493 m

E

EALD, antiqui, 508
Edictum, diploma, 354 m
Emerſus, emergens, 231 a
Eſpero, calcar, 263 m

F

FAMIGERATISSIMUS, celeberrimus, 150 a
Faſces, dominium, 261 m
Favillare, cremare, 335 m
Feriæ ſollemnes, pro diebus ſollemnibus, 16 m
Filtrum, veſtis filtro compacta, 68 a
Fore, eſſe, 395 m, 420 a, 481 m, *& paſſim.*
Forticulus, tantiſper validus, 150 a
Fratres, Cardinales, 561 m

G

GASTALDIO, urbis Præfectus, 464 m
Geneæ ſeu Ganzæ, Anſeres agreſtes, 236 a, n
Gillomichaël, puer michaelis, 291 a, m
Gleba, loculus, 185 a
Gloſſæ, analecta, 25 m
Graſſari jurgia, lites intentare, 119 m
Gronnoſa loca, paluſtria, 313 o, 507 a, 508 m
Groſſeſcere, tumeſcere, 302 n
Gurpimentum, ceſſio, 256 a

H

HONOR, dominium, 237 m
Hymnizare, 32 a

I

INANTEA, ultra, 86 m
Induvium, indumentum, 326 m
Ingenium, artificium, 454 a
Judex pro Duce, 73 m

L

LATRO à latendo, 129 a
Lector, doctor apud Monachos, 320 n
Leofwinus, Anglicè, carus amicus, 295 m
Levigare, lexivio lavare, 224 a
Limbus Galliæ, ora maritima, 210 m
Liti homines, ſervi, 122 m
Lyridæ, panis genus, 333 m

M

MAOIS ſeu Magides, vaſorum genus, 247 m
Manſitatio, ædicula, 327 m
Mappula, ſudarium, 437 m, n
Medieſtinus, medius, 148 a
Meditatorium, locus in quo ſedebant veteres ad legendum & ſcribendum, 33 m
Memoria cultus ſeu tumulus, 229 a, Sancti baculus, 248 a. Eccleſia, 373 m, 418 m
Merges, manipulus ſegetis, 235 m, n
Meta, tritici genus, *Meteil*, 364 a
Metatio ſeu metatus hoſpitium, 362 a, 380 m. Metare, 403 a, 406 a. Metare, hoſpitari, 373 m
Miniſteria eccleſiaſtica ſacra ſuppellex, 84 m, n, 297 m
Miſcere, potum dare, 108 m, n
Miſſa, feſtum, 343 m
Miſſaticum, legatio, 128 m
Monaſterium, Eccleſia Monaſterii, 398 a, n
Morabitinus, monetæ genus in Hiſpania receptum, 399 n

N

NEOPTOLAMUS, novus miles, 327 m
Nubilus, cæcus, 56 m
Nudipedalia exercere, nudis incedere pedibus, 151 m
Nutatus, turbatus, 100 m

O

OBEDIENTIA, res juſſa, 204 m, 205 a, 209 a
Occare, præcidere, 131 a
Odare, canere, 316 m
Officinum, oſtium, 144 a
Orbis, tractus ſeu pagus, 161 m
Ordo eccleſiaſticus, pro ritibus, 336 a
Oroma, viſum, 181 m, 396

P

PALLA, corporale, 365 a
Palatinorum poteſtates, magnates, 333 a
Palatinæ dignitatis Præſul, Archicapellanus, 122 a
Palificare, palam facere, 350 a
Pancharta, diploma pro renovatione chartarum Monaſterii, 232 m
Paraphoniſta, cantor, 232 a, m
Parens, propinquus, 498 m
Pariſius, Pariſienſis ager, 389 a, n
Patriarcha, Papa, 118 a
Patrocinium, reliquiæ, 274 m, 386 a: locus in quo ſervatæ reliquiæ, 389 a
Paulium, an pallium, 527 a
Peregrinatio, egreſſio è Monaſterio ad procurandam infidelium converſionem, 82 m
Peribolum, archivum, 269 m

Periperaſma, velum, 177
Pigmenta, orationes ad Dei amorem excitatoriæ, 107 m, n
Plagatus, vulneratus, 67 m
Plebs, vicus, 194 m, 196 a, 199 m, 201 m, 222 a, 223 a, 218 m
Plebicula, viculus, 403 a
Pompare an extrahere? 314 m
Porpriſa, clauſtrum, 249 a, m
Poteſtas, locus ab alio dependens, 194 m
Præbenda, cibus, 68 a. Præbendaria, inops mulier cui ſtatuta eleemoſyna, 522 m
Præſes, Comes, 254 m
Presbyter Abbatis, Capellanus, 8 m. Epiſcopi, 14 m
Presbyteri ſimpliciter dicti Monachi, 4 m, n
Presbyter, ſenior ſeu Comes, 64 m
Primas, Vice-Comes, 50 m. Dominus caſtri, 233 m
Puteal quid? 159 a

Q & R

Quiliaat, quidam, 524 m
Quinquendialis mora, quinque dierum, 149 m
Raſtri nomen à raptore deductum, 234 m, n
Regmen, regimen, 527 a, 311 m
Regulares litteræ, obedientiales, 167 m
Reſtes, cenſus, 179 m
Reſurrectionis, dies, dies quælibet Dominica, 215
Romani, Galli, 598 a
Ruere activo modo ſumtum, 382 a

S

Sabbatum ſanctum in Ramis palmarum, 215 m
Sagæ, ſaga, 276 m, n
Salergia, vadum an tugurium, 506 a
Scamela, fulcra reptantium, 14 m, n
Scandile, ſcala, 379 a, m
Scara, familia, 226 a
Scena, locus ad colloquium in campo diſpoſitus, 91 a
Secretarium, ſacriſtia, 222 m
Secretarius, Æditaus, 327 a
Seminiverbius, præco, 407 m
Sempetæ, fratres antiquiores, 512 a
Senior, dominus, 95 a, 508 m
Senioratus, dominatio ſeu principatus, 224 m
Sennenſis, Senonenſis, 142 a
Servimen, ſervitium, 261 a
Sophiſta, ſapiens, 30 a
Spanga, fibula aurea, 10 m
Sparus vel ſparum teli genus, 59 a
Spata, enſis, 362 m
Squilla, anguilla, aliis lucius, 252 a, n
Suburbium, territorium urbis, 525 m
Supplementum, proventus, 122 a, m
Syllabæ, litteræ ſeu epiſtola, 567 a
Symplegades verborum, ambages & circuitus, 153 m

T

Temporshs, citiùs, 265 a
Teſtamentum, præceptum, 173 m, 174 a, 409 a. Notitia, 256 m
Titulus monumenti, epitaphium ſeu ſcriptura, 58 a
Toëlla, mappa, 258 m
Tonna, vas vinarium, 58 a
Tricare an contingere? 512 a

V

Verbocare, garrire, 250 m
Veſona, Sueſſio, 131 a
Veſtitio, inveſtitura, 263 m
Veſtitura, paſtus annuus, 271 a
Vicaria, territorium, 157 a, 178 m, 161 m, *& alibi*.
Vicaria villæ, 506 a
Vicarius, Judex, 163 a. Vicarius vici, major, 378 a

PARISIIS, Excudebat Gabriel Martinus, viâ Jacobæâ, ſub Sole aureo.

M DC LXXX.

205 201 1471059
7 908 5

SUMMA PRIVILEGII.

CHRISTIANISSIMI Francorum Regis LUDOVICI XIV Privilegio VII Kalend. Martii anni M DC LX conceſſo, & ejuſdem menſis ejuſdem anni V Non. in Typographiæ Pariſienſis Codicem relato, cautum eſt, ut Congregationis S. Mauri R. P. SUPERIOR GENERALIS Libros ab ejuſdem Congregationis Monachis compoſitos, per quem maluerit Typographum, néve alius citra ejus conſenſum, edat, uti uberiùs Diploma ipſum explicat.

Idem R. P. Superior Generalis facultatem dedit Ludovico Billaine Typographo Bibliopolæ Pariſienſi, imprimendi Sæculum quartum Actor. Ordinis S. Benedicti, *die* 1 *Junii* 1677.

Petrus Abbas Orbacenſis, 355 m
Petrus Sacerdos Martyr Cordobæ, 384 a, 385 a
Petrus Diaconus Caſinenſis ſcriptor, 348 a
Petrus Monachus Caſinenſis pietate inſignis, 439 m, n
Petrus Florentinus Epiſcopus pœnitentiâ ductus fit Monachus, 456, 457 m, n
Petrus Aldobrandinus Monachus & Preſbyter Vallumbroſanus per ignem tranſit illæſus, unde *Igneus* dictus, poſtea Albanenſis Epiſcopus, 457 m, n
Petrus Abbas S. Remigii Remenſis, 315 m
Petrus de Schaumberg Epiſcopus Auguſtanus, 534 a, m
Philippus Epiſcopus Catalaunenſis Stephani Comitis Palatini frater, 154 m, 155
Philippi Francorum Regis regni initium, 405 m, n. Is in extremis Monachus, 586 m
Pictavenſis Epiſcopus Hebroinus, 163 m, 178, 230 m
Pipmiſium, Pom[illegible], ad Maternam prope Meldos, 598 a
Pippinus Caroli Magni filius Prumiæ Monachus, 386 m, 587 a
Pippinus Aquitaniæ Rex. Litteræ ejus cùm Ludovici Auguſti patris ſui, tum propriis regni annis notatæ, 587 a, m
Pippinus Pippini Aquitaniæ Regis filius apud S. Medardum Monachus repugnans effectus, 126 m, 587 m
Pippinus Caroli Calvi filius, 588 m
Piſtoſis Synodus, 332 m
Placidia Auguſta, 574 m
Placidius ſeu Vvarinus Abbas Corbeiæ novæ, 135 m
Plebelamium, Plelan in Aremorica, ubi Ducum aula, 392 m
Pleimundus Archiepiſcopus, 507 a
Pompoſa Monacha S. Salvatoris prope Pinnamellare, Martyr, 385 a
Potentiani Martyris Tranſlatio in Jotrenſe Monaſterium, 578
Primus Princeps Sardiniæ, 346 m
PRIORATUS, Suolenhus, 8 m, 9 m. *Rateſtorf*, 16 m. Vviozella, 36 m. Ainenſis cella ſeu Brivaciacum, 72 & *ſeqq.* *Turbolt* in Belgio, 88 a, 89 a. Aoſchario eripitur, 95 a, 97 a. *HRodnan* cella Indenſi Cœnobio attributa, 122 a. Cella ſeu Capella Gilonis & Saciacum, 145 m, 233 m. Cella S. Genulfi olim Cella dæmonis, 229 m, n. S. Genulfi in pago Vvaſtinenſi, 331 m. Cella domini Bovini, 243 m. S Launomarus de Magentiaco, 248 & *ſeqq.* *Neotsſtovv* S. Neots cella, 333 m. Patriciacus, 346 m, 348 m, 385 m, n, 386, 387, 416 & *ſeqq.* Barcinonenſis cella S. P. Benedicto ſacra, 349 m. Diacum Floriacenſis Cœnobii cella, 360 a, n, 404 m. Salenſe Monaſterium, *S. Benoiſt du Sault*, 367 m. Arvinicurtis ſeu Hervinicurtis, *Arvicourt*, 368 m, 392 m, n. Villa Abbatis cella Floriaco ſubjecta, 380 m. Almericurtis item, 397. Item S Benedicti cella ſuper Sequanam in territorio Trecenſi, 397 a. *Pontems* item cella in Aginenſi Epiſcopatu, 404 a, 405 a, n. Evem item, *Yevre le Chateau*, 306 a, n. Vitriacum item in ſilva Aurelianenſi, 408 a, n. Item Caſtellio ſuper Lopam, 413 a, n, 414 m. Sulmeriacus cella Patriciaco ſubjecta, 422 a. Ainauſum in Burgundia, 489 a. Vergiacum in Diœceſi Æduenſi, 489 a. Corbiniacum in pago Laudunenſi, 240 m, 514 & *ſeqq.* S. Honorina ad Confluentium Becco ſubjectum, 526 m
Probi Preſbyteri & Monachi ad S. Albanum Elogium hiſtoricum, 58 & *ſeqq.*
Pronea fluvius unde Prumienſe Monaſterium, 265 m
Prudentius, qui & Galindo, Trecenſis Epiſcopus, 243 m
Pſenannum in pago Duſmenſi & finibus Æduorum, ubi Florentinus & Hilarius Martyres necati ſunt, 492 & *ſeqq.*
Puteolum caſtrum à Philippo Rege fruſtra oppugnatum, 406 m

Q

QUINTILIANUS Epiſcopus Autiſiodorenſis, 574 a
Quirinus Siſcienſis Epiſcopus & Martyr tranſlatus Fuldam, 32 m

R

RABANI Epiſcopi Vita, 1 & *ſeqq.* An dictus Magnentius, 20 m, 575 a. Epiſtola ad Egilonem, 591 & *ſeqq.*
Radulfus ex Abbate Sagienſi Cantuarienſis Archiepiſcopus, 298 m
Radulfus Rex Burgundiæ, 231 a. *V.* Rodulfus.
Radulfus Epiſcopus Bituricenſis. *V.* Rodulfus.
Raganefridus Epiſcopus Viennenſis, 275 a
Ragenardus Vicecomes Autiſiodorenſis, 352 n
Ragenoldus Berharii Abbatis Caſinenſis Diaconus, 465 a
Raginarius Ambianenſis Epiſcopus, 250 a
Raginarius ſeu Raginaldus Venetenſis Epiſcopus, qui & Romarius & Kermarius, 185 m, 189 m, 190 m, n, 191 a, 200, 202 n
Raginaudus Abbas Pontelevii, 249 a
Raginaudus Abbas Eleemoſynæ, 249 a
Raginoldus Epiſcopus Remenſis, 334 m
Ragnobertus Abbas Curbionenſis, 245 m
Raimundus Comes, 365 m
Rainaldus Pariſienſis Epiſcopus, 366 m
Rainaldus Abbas Foſſatenſis, 366 m. Adeleidis Reginæ conſanguineus, 367 a
Rainaldus Dux Normannorum, 358 m. Ejus capitis effigies Floriaci ſervata, 359 m
Rainarius Abbas Senonenſis an Ferrarienſis, 372 m, n
Rainerius ex Præpoſito Diaci Abbas Floriacenſis, 404 m
Rainerius Monachus Caſinenſis occiditur, 449 m
Raino Epiſcopus Aurelianenſis, 470 m
Rainulfus nobilis Neuſtrius, 357 m
Ramerus an Rainerus Præpoſitus Bellilοci, 163 m
Rampo Vicecomes Caſtridunenſis, 305 m
Ramſola prope Hammaburgum, 77 m
Ratbaudo Abbas, 231 a
Ratbertus. *V.* Paſchaſius.
Ratbertus nobilis frater Aureliani Epiſcopi Lugdunenſis, 498 m
Ratgarii Abbatis ferocitas, 25 m, 350 m
Ratiſponenſis Epiſcopus Batheum, 250 m
Ratoldus Epiſcopus, miſſus Ludovici Imperatoris, 88 a, o, 121 a
Ratolfus Selevvicenſis Epiſcopus, 485 a
Ratramni Monachi Corbeienſis ſcripta, 125 m, 126 a
Ratvvilus Brito nobilis, 183 a, 395 m
Raymundus Abbas Gellonenſis, 556 m
Raymundus Abbas Nantenſis, 556 m
Recaffredus Epiſcopus Cordubenſis, 384 a
Redonenſes Epiſcopi, Guarinus, 202 n. Electramnus, 220 m. Vvnarius, 251 a
Regibus militia & dona reddi ſolita, 122 m. in Natali Domini, 133 a. Alio tempore cera data, 202 a, o
Regiæ perſonæ ſub Regula S Benedicti ſæculo ix in Gallia, 586 & *ſeqq.*
Regimbaldus Chorepiſcopus Moguntinus ſeu Regimboldus & Regnarius, 7 o, 12 a, 17 m, 19, 62 a, 63 a
Regimbertus Auſcharii Epiſcopi Preſbyter, 105 m
Reginaudus Comes, 164 a
Reginæ Virginis & Martyris reliquiæ Flaviniacum tranſlatæ, 238 & *ſeqq.*
Reginarius Cellæ *Turbolt* poſſeſſor, 95 a, 97 a, 109 m, 180 a
Reginarius Epiſcopus *V.* Regimbaldus.

Reginvvaldus Danorum Rex paganus, 281 m
Reinbernus Epiſcopus Hildineshemenſis, 260 m
Rembertus Epiſcopus Hammaburgenſis & Bremenſis, 75 m, 262 a. Vita ejus, 471 & ſeqq.
Remenſes Epiſcopi Hincmarus, 31 m, 105, m, 111 m, 122 m, 137 m, 138 a, 140 m. Ebo, 87 m, 88 m. Nivardus, 139 m. Rodulfus, 142 m. Ragenoldus, 154, 155. Fulco, 581 m
Remenſe Indictum, 142 m
Remigius Lugdunenſis Epiſcopus, 163 m, 498 a, 499 a
Rethre Sclavorum metropolis, 515
Ricbodo Abbas Centulenſis, 588 m
Richarda Caroli Craſſi uxor, Andelaci Monacha, 580 m
Richardus Abbas Amerbacenſis, 348 m, 350 a
Richardus Abbas Floriacenſis, 363 a, 365 m, 366 a, m
Richardus Epiſcopus Autiſiodorenſis, 576 a
Richardus Abbas S. Albani in Anglia, 299 m, 301 a
Richardus Princeps Abbas S. Columbæ, 577 m
Richardus filius Giſleberti Comitis Angli, 123 m
Richardus Abbas S. Vitoni, auctor Vitæ S. Rodingi, 551
Richeldis uxor Eccardi Comitis, 348 m
Richerius Abbas Caſinenſis, 430 m, n
Richerus Senonenſis Epiſcopus, 155 a
Richrudis Caroli Magni filia, Sanctimonialis, 589 m
Riesſo rivulus in Argonna, 534 a
Rimbertus Preſbyter ad Danorum converſionem ordinatus, 105 m, n
Rimbertus. *V.* Rembertus.
Rinaſcendus, non pater, ſed frater Aredii Abbatis, 598 a
Riovvinus Comes Pictavenſis, 290 a, n
Ripa urbs epiſcopalis, 77 a. Otto Epiſcopus, 485 a
Riuvvetea prædo Armoricus, 198 m
Rivalinus Aletenſis Epiſcopus, 192 a
Rivvenus ſeu Riovvenus Monachus Rotonenſis piiſſimus, 205 a
Robertus Comes clariſſimus, 158 a, n, 152 a
Robertus Epiſcopus Abrincatenſis, 247 m
Robertus Comes Arvernorum, 256 m
Robertus Abbas S. Launomari, 256 m
Robertus Epiſcopus Autiſiodorenſis, 576 a
Robertus ſtrenuiſſimus miles, 256 m
Robertus Laudunenſis Epiſcopus, 515 m
Robertus æditnus Corbinacenſis, 517 m
Robertus. *V.* Rotbertus.
Rodbertus cognomento *Camus*, Comes Nordhanimbrorum, 290 a
Rodingi ſeu Chrodingi & Chraudingi Abbatis Belliloci in Argonna Vita, 537 & ſeqq.
Rodoinus Rodingi nepos, Abbas Tabulcienſis, 532 m
Rodulfus ſeu Ruodolfus Monachus Fuldæ, 1
Rodulfus ſeu Radulfus Burgundius, Franciæ Rex, 251 m, 360 a
Rodulfus Remenſis Archiepiſcopus, 142 m, n
Rodulfus ſeu Radulfus Bituricenſis Epiſcopus, 152 m. Elogium ejus hiſtoricum, 156 & ſeqq. 250 m
Rodulfus Turonenſis Epiſcopus, 154 m
Rodulfus Tortarius auctor Tranſlationis & miraculorum S. P. Benedicti, 344 a
Rodulfus Comes Caturcorum, 156 m & ſeqq 164 a
Rodulfus filius Godafredi Comitis, 157 a
Rodulfus Abbas Belliloci, 163 m
Rodulfus miles, vaſſus dominicus Caroli Regis, 146 m, 148 a
Roëſia matrona nobilis in Anglia, 323 m
Rogellus Monachus Martyr, 584 m
Rocanum caſtrum in diœceſi Biterrenſi, 590 m
Rollo Normannorum Dux Gallias infeſtat, 345 m & ſeqq. 469 m
Romaldus Carnotenſis punitur, 364 a
Romani S. P. Benedicti nutritoris feſtum, 387 a, n
Ronvvalon nobilis Brito, 109 m
Rorgo, 194 a
Rorico Comes, 588 m
Rorigo Comes Glannafolii inſtaurator, 165 m, 168, 170 & ſeqq. 194 m
Rorgonus de Verteſione, 255 m
Roſvvita Sanctimonialis Gandershеimenſis, Poëtria, 261 a
Rotaldus Suesſionenſis Epiſcopus, 258 m
Rotbertus Odonis Regis frater, 358. Regnum invadit, 359 m
Rotbertus frater Henrici Regis Dux Burgundiæ, 390 m
Rotbertus Abbas Uticenſis, 346 m
Rotbertus Comes Andegavenſis genere Saxo, 357 m
Rotbertus Cellæ Patriciaci Præpoſitus, 386 m, 387 m
Rotbertus caſtri S. Bricii dominus, 413 m, 414 a
Rotbertus filius Rodulfi Comitis Caturcorum, 156 m
Rotbertus Abbas Stradenſis, 225 m
Rotfridus S. Remigii Monachus, vir doctus, 269 a
Rothildis Caroli Calvi filia, Abbatiſſa Calenſis, 589 m
Rotomagenſes Epiſcopi, Gumeldus ſeu Gumbaldus, 250 m. Hugo, 366 a, n. Guido ſeu Vvito, 514 m
Rotom nominis origo, 196 m
Rotrocus Comes, 506 m
Rotrudis Caroli Calvi filia, Abbatiſſa S. Crucis apud Pictavos, 589 m
Rotſvvinda Abbatiſſa Gandersheimenſis, 263 a
Rucandus Abbas Rotonenſis, 192 m
Ruodvvaldus nobilis, 224 m
Ruthardus an Rabani pater, 21 a
Rypa. V. Ripa.

S

SABIGOTHA ſeu Nathalia Martyr Pariſios tranſlata, 45 & ſeqq.
Sabinenſis Epiſcopus Johannes, 451 m, n
Sabinianus Monachus Armilatenſis Martyr, 584 m
Sagienſes Epiſcopi, Hildebrannus ſeu Hildebrandus, 182 a, n, 231 m. Saxobaudus aut Saxobonus, 250 m
Saimo ſeu Simon Abbas S. Launomari, 246 a
Salaco ſeu Salocco Aletenſis Epiſcopus, 186 m, 187 m, 202 n. dictus Dolenſis, 239 & ſeqq. 243 a
Salenſe caſtrum, *S. Benoiſt du Sault*, 367 a, o, 377
Salera minor, *la petite Saudre*, amnieulus in Biturigibus, 143 m, 152 a
Salomon Epiſcopus Conſtantienſis, ad Romanam ſedem legatus, 96 m, 97 a
Salomon Rex Britonum, 188 m. Cæcatus à Francis, 193 a
Salomon Abbas S. Launomari, 246 a
Samſon Abbas Cordubæ, 48 m, 49 a
Samuel Vvormatienſis Epiſcopus, 23 m
Sancius Navarræ Rex, 585 a
Sancius Comes Vaſconiæ, 587 m
Sanctandreanus Epiſcopus, Turgotus, 276 a, 295 a, n
Sanctus Viennenſis Diaconus Martyr, 566 a
Sancharatus Præpoſitus cellæ Suolenhus, 8 m, 23 m
Saracenorum in Italiam impetus, 426 m. Eorum clades, 427, 464 m, 465, 466 m
Sargalo Abbas S. Launomari, 256 m
Saro Abbas S. Benigni, 341 a, 342 a
Savinianus, Potentianus, Altinus, Eodalus, Serotinus Martyres Senonenſes, 578 a
Saxiacenſis ager in pago Lugdunenſi, 499 a
Saxobodus aut Saxobonus Sagienſis Epiſcopus, 250 m

Scalternoldenſes Epiſcopi, Adalvvardus, 485 a. Ecilinus, *ibid.*
Scliaſvvig. *V.* Sliaſvvig.
Scotti Aſtrologiæ periti, 535 m
Seula nobilis Danus, 281 m
Sedunum pro Pleuduno ſumtum, 492 m, 493 a
Seeburg urbs in Ducatu Curlandiæ, 103 a
Seguinus unus è primoribus Caſtellionis ſuper Lupam, 399 a
Segvvinus Abbas Lindisfarnenſis, 303 a, 304 m
Senior Cæſaraugustanus Epiſcopus, 47 a, 50 a
Senletenſis urbs, *Silvanectum*, 133 m
Senonenſes Epiſcopi, Ricarius ſeu Richerus, 135 a. Egil, 237 & *ſeqq.* Vvenilo, 250 m, 363 m, 378 a. Evrardus, 485 & *ſeqq.* Anſegiſus & Vvaltharus ſeu Vvaltharius, *ibid.* Aldricus, 494 a
Seodanus Rex Saracenorum Italiam diripit, 464 m, 463 a, m
Sergius Papa ante Pontificatum Conſtantinopolim legatus, 145 a, m, 149 a, m
Servus-Dei Monachus Hiſpanus Martyr, 584 m
Severi, Vincentiæ & Innocentiæ tranſlatio reliquiarum, 60 m, 61 a, m
Severini, Exſuperii & Feliciani Martyrum Tranſlatio in Monaſterium *Romanis*, 563 m, 563 m, 566 a
Sico ſeu Sicardus Princeps Beneventanus, 463 a, 464 a
Sictunenſes Epiſcopi, Adalbardus, 483 a. Theodulfus, 485 a
Sidon an duplex, 26 m
Sidric vel Sidroc Nortmannorum Dux, 215 m, n
Sigbaldus Abbas Lindisfarnenſis, 303 a, 314 a
Sigebertus Auſtraſiæ Rex, 538 m, n
Sigebertus Saxonum in Britannia Rex, 538 m, n
Sigeburg an ſoror Aureliani Lugdunenſis Epiſcopi, 498 m
Sigibertus frater Aureliani Epiſcopi Lugdunenſis, 498 m
Sigimarus Abbas Morbacenſis, 555 m
Sigiſmundus Monachus auctor Chronici Auguſtani, 333 m, 554 m
Siguifus Abbas Ferrarienſis, 491 m
Silvacum Palatium regium, 127 a
Silvanectenſis Epiſcopus Herpuinus, 250 m
Silvius conſobrinus an frater Aureliani Lugdunenſis Epiſcopi, 498 m
Simon Abbas Floriacenſis, 409 o
Simon Abbas S. Remigii, 318 a
Simon Epiſcopus. *V.* Gauzbertus.
Simon Biturícenſis Epiſcopus, 184 m, 258 & *ſeqq.*
Simon Halſinodenſis Epiſcopus, 485 a
Simpertus Epiſcopus Auguſtanus, 553 & *ſeqq.*
Sindloch Presbyter, id eſt Comes, 64 m
Sindulfi Eremitæ Tranſlatio in Altuvillarenſe Monaſterium, 133 & *ſeqq.*
Siſcienſis Epiſcopus Quirinus, 11 m
Siſtericenſis Synodus, 500 m
Sivardus Epiſcopus Norvegenſis, 481 a
Sivolis, *la Sioule*, fluvius in Burbonenſibus, 198 a
Sleyn Epiſcopus Scalternoldenſis, 485 a
Slium fretum Daniæ, 77 a
Sliasvvig aliter Heidiba, vulgo *Sclesvvic* in Dania, 77 a, 97 m, 481 m. Epiſcopus Scleſvvicenſis Ratolfus, 485 a
Soliacenſis agri, *Sully*, domini Herbertus & Herchenaldus, 363 a, 390 m
Spernus Abbas S. Baſoli, 159 a
Stephanus Abbas Bellilucí in Argonna, 535 m
Stephanus Comes Palatinus, 154 m, 155, 150 a
Stephanus Abbas S. Mariæ Eboracenſis, 299 m
Stephanus equeſtris ordinis vir, 411, m
Stephanus pius Caſinenſis Monachus, 440 a
Stephanus de Contio, vir doctus, Monachus Corbeienſis, 586 a
Stodilus Epiſcopus Lemovicenſis, 162 m
Sublannus qui & Suſannus, Venetenſis Epiſcopus, 186 m, 191 a, m, 212 m, 212 m
Sueſſio Veſona dicta, 131 a
Sueſſionenſes Epiſcopi, Angilmodus ſeu Engelmodus, 122 a, 132 m. Hugo, 154 m, 155. Rotaldus, 251 m
Suidbertus Abbas Dacorenſis, 276 m
Sunifridus nobilis Barcino, 47 m, 48 m, 50 m
Sunzo ſeu Sunderoldus Epiſcopus Moguntinus, 489 & *ſeqq.*
Suſannus. *V.* Subſannus.
Sutrina Synodus, 452 m, n
Svvithuni Epiſcopi Vvintonienſis tranſlatio, 69 & *ſeqq.*
Syagrius Auguſtodunenſis Epiſcopus, 470 a
Symeon Epiſcopus Laudunenſis, 251 a
S. Symeonis ſepulcrum in pago Autiſiodorenſi, 372 m, n
Symphoriana an mater Simperti Epiſcopi, 553 m
Synodi. Moguntina, 31 a, n, 32 a, m, 365 a. Germanicæ duæ, 95 m. Vvormatienſis, 96 a. Pariſienſis, 125 a. Cariſiacenſis, *ibid.* Piſtenſis, 132 m In monte ſanctæ Mariæ ſeu Baſilicis, 154 m. Claromontana, 155 a. Toronenſis plenaria, 167 a, 565 a. Venetenſis generalis Principum & Epiſcoporum, 190 a, n. Germiniacenſis, 249 m. Vicanenſis ſub Adone, 269 & *ſeqq.* Sutrina, 451 m, n Siſtericenſis, 500 m. Cabilonenſis, 565 a Remenſis, Arelatenſis, 563 a. Cloveshovienſis, 583 a. Apud S. Tyberium, 590 m. Agathenſis, 590 m

T

TARVENNANSES Epiſcopus Hunfridus, 113 & *ſeqq.*
Teatini Epiſcopi, Arnulfus, 438 o. Atto, *ibid.* Hilarius, 464. Angelarius, 467 a
Teleſia ſeu S. Agathæ civitas in Italia, 464 a, m
Tetrius Subdiaconus Viennenſis, 563 m
Teſa fluvius, *Tees*, in finibus Eboracenſis provinciæ ad auſtrum, 292 m, n
Teſcelinus Petverenſis dominus, *Petrevers*, 394 m
Tetbaldus Carnotenſis Comes, Ludovicum Ultramarinum Regem capit, 362 a
Tetfridus Abbas bonævallis in Carnutenſibus, 497 m
Tetgiſus Presbyter Remenſis, corporis S. Helenæ delator, 154 a
Tetricus Autiſiodorenſis Epiſcopus, 573 m, 574 a
Tetvvinus Monachus Rotonenſis ſanctiſſimus, 209 a
Teutbaldus ſeu Teutboldus Lingonenſis Epiſcopus, 250 m, 339 m, 504 a
Teutelmus Abbas & Diaconus, 270 m
Theobaldus I Comes Bleſenſis, 306 a
Theobaldus Comes Bleſenſis, Franciæ Seneſcallus, 249 a
Theobaldus Cancellarius an Comes Palatii Theodorici Francorum Regis, 355 a
Theobaldus Comes, 398 m
Theobaldus Abbas Caſinenſis, 441 a, m
Theodardus de Bulione, vir potens, 253 m
Theodardus Narbonenſis Epiſcopus, 590 m
Theodata ſeu Theodrada Romualdi Ducis uxor, 419 o
Theodatus Abbas, 600 m
Theodebaudus ſeu Theobaudus Comes Bituricenſis, 160 m
Theodemirus Carmonenſis Monachus Martyr, 584 m
Theodericus Comes Patriciacum S. Benedicto reſtituit, 346 m
Theodericus frater Eccardi Comitis, 348 m, 349 a
Theodericus Cameracenſis Epiſcopus, 251 m
Theodericus Præpoſitus Cellæ Villæ-Abbatis, 389 m
Theodorici Francorum Regis diploma pro Morbacenſi Cœnobio, 554 m

Theodoricus Monachus Caſinenſis, 444 a
Theodoricus Epiſcopus, 162 a
Theodrada filia Caroli Magni Argenrogili Abbatiſſa, 589 m
Theodradus Abbas Glannafolienſis, 168 a, 179 m
Theophylactus Notarius & Scriniarius Paſchalis Papæ, 566 m
Theotardus filius Vvillelmi Tyernenſis Principis, 237 m
Theotbertus Abbas Floriacenſis, 548 m, 549 a
Theotbertus Abbas, 598 m
Theotmarus Presbyter & Monachus Fuldenſis, 6 m.
Theutrannus de Salſis Miles, 362 m
Thiadricus Epiſcopus Mindenſis, 477 m, 478 a
Thiodulfus Sicluſenſis Epiſcopus, 485 a
Thiota pſeudoprophetiſſa in Concilio flagellis cæſa, 31 m
Thomas de Monte-Acuto, vir nefarius, 319 m, 325 m
Thomas Prior Corbiniaci, 315 m
Thomas de Marla nobilis, 316 m
Tilhed Abbas Lindiſtarnenſis, 303 a
Tornarenſis Epiſcopus ſummo, 251 a
Tornenſis ſeu Tornenſis pagus, de Turene, 74 m
Torolfus Blaſcelis Epiſcopus, 485 a
Toſtius Comes Nordanhumbrorum, 275 m, 288 a
Trajecti ad Rhenum Epiſcopus Hildurinus, 41 a, 582 a
TRANSLATIONES reliquiarum, Romæ, 4 & ſeqq. Georgii Monachi, Aurelii & Nathaliæ Martyrum tranſlatio Pariſios, 45 & ſeqq. Severi, Vincentiæ & Innocentiæ ad Monaſterium S. Albani, cum S. Severi caput Heripheiſtum, 60 m, 62 a, m Svvithuni Epiſcopi Vvintonienſis, 69 & ſeqq. Fauſtæ Virginis & Martyris in Cellam Alſcenſem ſeu Brivaciacum, 72 & ſeqq. Baboli Confeſſoris, 137 & ſeqq. Sindulfi Presbyteri in Altivillarenſe Cœnobium, 153 & ſeqq. Helenæ Imperatricis in idem Monaſterium, ibid. S. Polycarpi in idem Cœnobium, 154 m. S Marcellini Papæ & Martyris Rotonum, 188 a, 213 m. Apothemii ſeu Hypothemii eumdem in locum, 211 & ſeqq. S. Genulfi Nivernum, 230 m. Lucas, 251 m. Reginæ Virginis & Martyris Alexia Flaviniacum, 258 & ſeqq. S. Frodoberti Abbatis Trecas, 245. S. Launomari Bleſas, 245 & ſeqq. SS. Anaſtaſii & Innocentii in Gandersheimenſe Cœnobium, 262 a. Cuthberti Epiſcopi Lindiſfarnenſis in varia loca, 273 & ſeqq. S. Patris Benedicti, 345 & ſeqq. Pauli Epiſcopi Leonenſis Floriacum, 383 a. S. Mauri Martyris in eumdem locum, 404. S. P. Benedicti præſente Ludovico Rege, 422 a S. Martini in Burgundiam & Turonos refectio, 469 & ſeqq. Gentiani Martyris in Corbeienſe Monaſterium, 486 & ſeqq. Victorici Martyris Auguſtam Viromanduorum, 487 m. Viventii Amausum, deinde Vergiacum, 489 a. Florentini & Hilarii Martyrum Athanacum, ad Bonam-Vallem, Latiniacum & Puitarias, 494 & ſeqq. 505 & ſeqq. Honorinæ Virginis & Martyris Confluentium, 526 & ſeqq. Severini, Exuperii & Feliciani Martyrum, Brenniaco in Monaſterium Romanus, 563 m, 565 m, 562 a. Potentiani Martyris Jotrum, 578 a. Majani Confeſſoris in Monaſterium Cognenſe ſeu Villæmagnæ, 590 m
Tranſlationis reliquiarum ritus ſæculo IX, 174 m
Trebellius Bulgarorum Rex Monachus, 590 a
Trecenſes Epiſcopi, Prudentius qui & Galindo, 243 m. Otulfus, 244 m. Adabertus, 252 a. Domnolus, 470 m
Tredoc prædo Aremoricus, 199 a
Trevirenſes Epiſcopi, Hetti, 87 m, 122 m. Bertulfus, 269 a
Tubaldus ſeu Teutbaldus Lingonenſis Epiſcopus, 250 m
Turonenſes Epiſcopi, Rodulfus, 154 m. Coſmarus ſeu Ursmarus, 175 a, 250 m. Archembaldus, 563 a. Herbernus, 429, 470. Adalaudus, 470 m. Martinus, 469
Turonenſe Concilium plenarium, 167 a
Turgotus Prior Dunelmi, tum Epiſcopus ſanct-Andreanus, 276 a, 295 a, h
Turholt cella Hammaburgenſi ſedi unita, 88 a, 89 a. Ab ea ſejuncta, 93 a, 97 a, 473 a, h
Turiſſa fluvius Germaniæ, 5 a, n
Tutinus Rabani frater, 21 m

V

VALANTINIANENSIS Epiſcopus Doctrannus, 564 a
Ubba Dux Freſonum, 277 a
Uchtredus Comes Northanhimbrorum; 286 a
Udalricus Epiſcopus Auguſtanus; 554 a
Vellava civitas diſtincta ab Anicio, 600 m
S. Venantii reliquiæ in Germania; 8 m
Venerandus Abbas S. Majani, 390 m
Venetenſis generalis Synodus Principum & Epiſcoporum, 190 a, h
Venetenſes Epiſcopi, Raginarius ſeu Raginaldus dit Romarius, 95 m, 192 m, n, 191 a, 212 a. Subſannus ſeu Suſannus, 180 m, 191 a, m, 211 m, 212 m
Veranus rector an Parochus Florisci, 407 m
Vercellenſes Epiſcopi Euſebius & Liuevvardus, 581 m
Vermandu villa; Vermand, non longè ab oppido S. Quintini, 325 m
Verumpaci villa; ubi ſita? 233 m
Veſona, Sueſſio, 151 a
Veſontionenſis Epiſcopus, Arduicus ſeu Ardvicus, 251 m
Ugo Albienſis Epiſcopus, 556 a
Victor Papa II, 454 m, n
Victorici Martyris corpus Auguſtam Viromanduorum tranſlatum, 487 m
Vidula, Veſle, amnis in pago Remenſi & Sueſſionico, 159 m
Vincentiæ Martyris tranſlatio, 60 & ſeqq.
Viennenſes Epiſcopi, Agilmarus, 252 a, 228 a, 275 a. Ado, 222 & ſeqq. Deſiderius, 271 a. Urſus, 474 m. Ultraja ſeu Vvolferius, 274 m. Barnardus, ibid. 321 & ſeqq. Othrannus, 273 a. Barnoinus, 275 a. Ragamfridus, ibid. Juſtus, 566 a. Paſchaſius, 506 a
Viennenſis Synodus ſub Adone, 269 & ſeqq.
Villa Godonis, ad Agnerem fluvium, 252 a
Vvilrunenſis Epiſcopus Aitvvuldus, 72 m
Virdunenſes Epiſcopi, Hildt, 61 m. Dado, 531 m. Paulus, 552 a, 533 a. Giſloaldus, Gerbertus, Armorius, Agrebertus, 532 a
Viſnonia Aremoricæ fluvius, 189 m
Vitriacum palatium regium, in ſilva Aurelianenſi, 408 a, n
Vivarium peregrinorum Mothacenſe Cœnobium, 555 a
Viventii Confeſſoris tranſlatio Amauſum in Burgundia, deinde Vergiacum, 481 a
Vilia ſeu Huldo Aremoricæ fluvius, 189 n, 190 n, 191 a
Ulſius Præpoſitus S. Albani apud Anglos, 579 & ſeqq.
Ulſinus ſeu Ulſigus Abbas S. Albani apud Anglos, 573 & ſeqq.
Ultanus ſcriptor vitæ S. Brigidæ Virginis, 505 m, 304 a, 509 m, n
Ultanus Epiſcopus in Media Hiberniæ regione, 503 m
Ultanus Peronæ Abbas; 303 m, 308 m
Ultraja ſeu Vvolferius Epiſcopus Viennenſis, 274 m
Unfredus Abbas, 251 m
Unnedica an Gemeticenſe Monaſterium, 25 a, 581 m

Vodoali, cognomento Benedicti, Confeſſoris Vita, 544 *& ſeqq.*
Urſmarus Turonenſis Epiſcopus, 375 a, 250 a
Urſus Epiſcopus Viennenſis, 274 m
Uſuardus S. Germani Pariſ. Monachus, 47 m, 57 m
Vternenſis terra, *le pais d'Ornou*, inter Moſam & Maternam, 598 m
Vuagri Slavorum populi, 77 a
Vvala Abbas Corbeienſis, 83 a
Vvala Epiſcopus Autiſiodorenſis, 577 a
Vvalabonſus Diaconus Martyr Cordubæ, 584 a
Valafridus Epiſcopus Uzecienſis, 74 a
Vvalcherus primus ex Lindisfarnenſibus & Dunelmenſibus Epiſcopis, qui Monachus non fuerit, 292 m. Occiditur, 293 m, n
Vvaldalenus Abbas Beſuenſis, 582 a
Vvaldegarius Ferdenſis Epiſcopus, 95 m
Vvaldricus Abbas Bonævallis, 306 a
Vvaltarius Lothario Regi à ſecretis, 268 m
Vvalterus Abbas Augienſis, 68 m, n
Vvaltharius ſeu Vvaltherius Senonenſis Epiſcopus, 486 a
Vvandali, id eſt Hungari, Gallias infeſtant, 159 m, n
Vvarinus Comes Legatus ad Lotharium, 61 m
Vvarinus Corbeiæ Gallicæ Monachus, tum Saxonicæ Abbas, 154 a. Placidius dictus, 155 m
Vvarinus Dux Toloſanus, 228 m
Vaſogium locus in Argonna, ubi nunc Bellilocenſe Monaſterium, 533 a
Vvelanaus, Vvedel, locus ultra Albiam, 88 m
Vvellandus, nobilis Danus, 164 a
Vvendelenſes Epiſcopi Magnus & Albericus, 485 a
Vvendelgarda Abbatiſſa Gandersheimenſis, 261 a
Vvenilo Senonenſis Epiſcopus, 250 m, 265 m, 578 a
Vvenarius Aletenſis Epiſcopus, 187 m
Vvibaldus Epiſcopus Autiſiodorenſis, 470 m. Male Uribaldus, optimè Vvigbaldus, 577 a
Vvibergenſis Epiſcopus Heribertus, 426 a
Vvicfridus ſeu Vvicfredus Comes Bituricenſis, 158 a. *V.* Vvifredus.
Vvideradi Abbatis Flaviniacenſis Taſtamentum, 541 a
Vvido Ambianenſis Epiſcopus, 333 a
Vvido Comes, 294 m
Vvido Guillelmus Dux Aquitaniæ, Comes Pictavorum, 256 m
Vvido filius Vvillelmi Tyernenſis Principis, 257 m
Vvido. *V.* Guido.
Vvifredus Bituricenſium Comes, 266 a
Vvifredus Comes Ceritaniæ, Monachus Canigonenſis, 591 a
Vvifredus Comes, 425 m
Vvilfridi Epiſcopi Eboracenſis Vitæ fragmenta duo, auctore Eddio Stephano, 550 *& ſeqq.*
Vviliegodus Abbas S Albani, 579 m.
Vvillehelmus Epiſcopus Vvendelenſis, 485 a
Vvillelmus Comes Arvernorum & Dux Aquitanorum, 630 a
Vvillelmus Comes Pictavenſis, 234 a, 367 m, 373 a
Vvillelmus Dux Aquitanorum & Comes Pictavorum, 255 m, 327 m, 375 a, 379 m
Vvillelmus Bonus Dux Aquitaniæ, 256 a, m
Vvillelmus Epiſcopus Engoliſmenſis, 255 m
Vvillelmus Epiſcopus Claromontenſis, 257 a
Vvillelmus Tyernenſis Princeps, 257 a, m
Vvillelmus filius Vvillelmi Tyernenſis Principis, 257 m
Vvillelmus Rex Anglorum, 290 a, m, 292 m
Villelmus Epiſcopus Dunelmenſis, 294 m
Vvillelmus Cantuariorum Epiſcopus, 299 m
Vvillelmus Abbas S. Benigni piiſſimus, 342 m
Vvillelmus Autiſiodorenſis Epiſcopus, 350 n
Vvillelmi Ducis ac Monachi Gellonenſis miracula, 356 *& ſeqq.*
Vvillelmus. *V.* Guillelmus.
Vvillericus Bremenſis Epiſcopus, 77 m, 88 a, 122 m
Vvillefindus Epiſcopus Pampilonenſis, 583 m
Vvilmnenſis Epiſcopus Alfvvoldus, 71 m
Vvincalon nobilis Monachus Rotonenſis, 194 m
Vvinebaudus Autiſiodorenſis Epiſcopus, 574 a
Vviatfridus probatæ vitæ Monachus Lindisfarnæ, 357 a
Vvintonienſes Epiſcopi, Svvithunus, 69 *& ſeqq.* Helmſtanus, 69 m. Adelvvoldus, 325 m
Vviomarchus Britanniæ minoris Rex, 185 a, 188 a
Vvirziburgenſis Epiſcopus Humbertus, 14 m, 15 a, 17 a, 33 a, 37 m
Vviſtremundus Monachus Armilatenſis, Martyr, 584 m
Vvitbaldus affinis Aureliani Epiſcopi Lugdunenſis, 498 m
Vvitcheritus nobilis, 178 m
Vvitmarus ſcholæ puerorum Corbeienſi præfectus, 82 m, 86 a
Vvnarius Redonenſis Epiſcopus, 251 a
Vvoretveu Preſbyter Venetenſis clariſſimus, 195 a
Vvormatienſis Synodus, 96 a
Vvorvvoret Miſſus Nominoe Principis Britonum, 201 m, a
Vuldraca ſeu Vuldraga fluviolus in diœceſi Æduenſi, *l'Oudrac*, 421 a, n
Vulfaldus Abbas Floriacenſis, tum Carnotenſis Epiſcopus, 381 a, n, 383 a
Vulfatius Rex Merciorum, 550, m
Vulfgarus Abbas Abandunenſis, 72 a
Vulganius Monachus Cantuariorum Epiſcopus præelectus, 541 a, n. Ejus reliquiæ in Lenenſe caſtrum apud Atrebates tranſlatæ, *ibid.*
Vulſigus Abbas Lindisfarnenſis, 303 a, 316 a
Vulnothus Abbas S. Albani apud Anglos, 579 m
Vultracus, Euſſi, prope Meldos, 591 a
Uzecienſis Epiſcopus Vvalafridus, 74 a

Z

S. ZOILI apud Cordubam eccleſia, 585 m

INDEX MORALIS
PARTIS SECUNDÆ
SÆCULI QUARTI BENEDICTINI.

A

ABBATIS Coadjutor, 163 m. Diaconus, 465 a. Abbas in nocturnis vigiliis duodecimam lectionem recitare ſolitus; 17 a. Abbas Clericum facit; 195 m. Monachos ſuos deſerit ob eorum mores incorrectos, 217 a, 398 a. Abbatis religioſi teſtamentum, 241 m. Abbates à Synodis abſentes privilegio poſtea ſubſcribebant, 250 m. Abbates Diaconi, 270 m. in capitulo Fratrum ſepulti, 467 a. Abbatis dotes, 491 m

Abbatia *irregulariter* retenta ab Archiepiſcopo, 157 m. Abbatiæ nomen Monaſterio tributum ſæculo IX, 166 m. Abbatia in beneficium data, 172 m. proprietatis jure, 174

Abſtinentia in extremo morbo, 460 a

Adventus tempore jejunium in Orientali & Occidentali Eccleſia ſervatum, 350 a, n

Advocati Monaſteriorum, 352 m. illis infeſti, 367, 384 m, 392 m

Altaris portatilis uſus apoſtolico viro Anſchario, 121 a. Altari profanum quid imponere vetitum, 261 m. Altaria ob furtum nodata & flagellata, 393 a, n. à Sanctimoniali theſificata, 460 a, n. Altaris vaſa in redemtionem captivorum vendita, 481 m. Altare purpurâ auro tectâ indutum in conſecratione, 551 m

Anulus fidem ſignificat, 484 m

Aquæ judicium ſive probatio, 154 m

Arca continendis ſacris reliquiis ad inſtar arcæ fœderis, 8 a

Aiula ad caput defuncti erecta ſæculo VI ob reliquias ibidem collocatas. 174 m

B

BENEDICTUS. Monaſteria ipſius nomine inſignita Floriacum, 347 & *ſeqq.* Patriciacum, 348. Barcinonenſis cella, 349. Salenſe Monaſterium, *S. Benoiſt du Sault*, 367 a, n, 377. S. Benedicti cella ſuper Sequanam in territorio Tiececoſi, 397 a. Saxiaci, 499 a, 500 m. S. Benedicti auxilio innumeræ paganorum fuſæ phalanges, 357 m. Vexillum ejus in bello adhibitum, 367 m. Monachum ab omnibus derelictum ſanat, 385 a. Reliquiæ ejus Patriciacum, Salenſem in cellam & Argentomagum delatæ, 385. Suorum adverſarios ac prædatores punit, 386 m, 392 m. Item feſti violatores, 396 & *ſeqq.* Miraculorum ejus libri, 143 & *ſeqq.* Peſtem comprimit S. Benedictus, 402. Tumulario ejus tempore Adventus celebrata; 412 a. Reliquiæ ejus præſente Ludovico Rege tranſlatæ, 422 n. Sanat ægrotos, 440 m. S. Benedicti Regula ad Eccleſias Angliæ *meliorandas* adhibita, 552 m. recepta in Hiſpania, 585 a

Beneficiarium jus, 172 m. Beneficiarii ſacramento adacti, 561 a, 393 m

Bona pro dotatione Monaſteriorum à fundatoribus deſtinata, quo pacto tradita, 227 m, 498 a, 499 a, 563 a

C

CALIX aureus defuncti manu oblatus, 414 m

Campana argentea Monaſterio data, 558 m

Canonicorum conſenſus ad firmanda quæ Epiſcopus Eccleſiæ ſuæ bona aliis impertitur, 270 a

Capella regia cum Rege venante allata, ut inter venandum Miſſa celebretur, 260 a

Cappa habitus Anſcharii Epiſcopi, 89 m

Cardinales dicti fratres, 562 m

Caſtitatis ſulcimentum humilitas, 480

Catechumenorum non ſuſcepto baptiſmo defunctorum ſtatus, 44 m

Catenâ pœnitentes circumdati, 819 m

Catholicum vale, 49 m

Chartæ. *V.* Diplomata.

Cereus Paſchalis in eccleſia ſervatus, 390 m

CHRISTUS paganis ſe invocantibus auxiliatur, 103 m

Cineres Sanctorum fidelibus cauſa ſalutis, 8 m

Clericalis corona pueris ſæculo IX collata, 123 a.

Clerici Notarii, 51 m

Clerico in patrimonii titulum prædia à parentibus oblata; 157, a, m. Clericus ab Abbate factus, 195 m. Clerici uxorati, 451 a, n

Cœmeterii immunitas crucibus notata, 400 a

Communionis die non licet operari, 445 a

Compotationes in amorem Sanctorum; 576 m, n

Confeſſio ſacramentalis, 4 m, 6 a, 11 a, 16 a. Ejus utilitas, 82 a. Non differenda; 397 m

Corona Clericalis, 123 a. item monaſtica, 599 m

Crucis ſignum ori impreſſum ab oſcitante, 72 a Eccleſiæ vel Cœmeterii immunitatis ſignum, 400 a. Crux poſita in loco, ubi Sanctorum reliquiæ reſederant, 525 a. Crucis Dominicæ miracula, 516 & *ſeqq.* Crucis ſalutiferæ benedictio quotidiana, 557 m. Crux dicta ſignum Domini, 558 m

D

DECIMÆ eccleſiarum Monaſterio datæ ſæculo VIII ineunte, 58 m. Bremæ à S. Anſchario datæ pauperibus, 108 a, 165 m, 261 a

Diplomata igne conſumta aut deperdita novo jure à Rege ratihabita, 252 m. Teſtis donator ipſe, 255 m. Capuæ in nomine Romani Pontificis exarata, 466 m. Diplomatibus regiis in gratiam Monachorum conſentiunt & ſubſcribunt Epiſcopi ſæculo VII in Anglia, 551 m

Dominica die ordinati Sacerdotes, 206 m. Dominica dies Reſurrectionis dicta, 235 m. Ejus violator punitus, *ibid.* ab illuceſcente Sabbati veſpera incipit, 255 m

Donatio facta per manus Epiſcopi, 498 a, 499 a, 563 a

Duellum in cauſa Monachorum, 395 m, n

E

ECCLESIÆ conſecratio nonniſi ejectis corporibus ibidem ſepultis peracta, 243 m. Eccleſia re-

fugium reis, 188 m. Eccleſiæ neglectæ portæ, 391 m, 406 m. in calamitatibus ſpinis occluſæ eccleſiæ portæ, nudata & flagellata altaria, 393 a, n. Eccleſiæ & Cœmeterii immunitas Crucibus notata, 400 a

Eleemoſynæ pro defunctis, 28 a. Eleemoſyna à paganis data in honorem Chriſti, 104 a. Eleemoſynæ inſigne exemplum & præmium, 277 m, 278 m. Eleemoſynæ à Monachis factæ, 499 m

Epiſcopi electio ſæculo VIII, 35 m. ſæculo IX, 126 a. Mutatum nomen in ordinatione, 59 a. Dotes ejus & munia, * 121 m. Epiſcopus Turonenſis vocatus *ſummus Pontifex*, 175 m. Epiſcopus poſt alios teſtes chartæ ſubſcribit, 185 m. Epiſcoporum dejectio in Synodo, 168 m. Nonniſi à duodecim Epiſcopis fiat, 187 m. Epiſcopi ſigillum ſæculo IX, 191 a. An perſecutionis tempore ſedem deſerere debeat, 223 m. Epiſcopus ex eccleſia aliena olim ægrè admiſſus, 242 a. Epiſcoporum in privilegiis ſynodicis excommunicationes & imprecationes, 249 m, 501, 503. Subſcriptiones auctoritate regia factæ, 501 m. Abſentes rogantur privilegio ſubſcribere, 250 m, 501, 503. Epiſcopi legata reſcinduntur eo quòd Canonicorum conſenſus abfuiſſet, 270 a. Epiſcopi Monachi, 291. Epiſcopi cum ſacerdotalibus ornamentis & miniſteriis tumulati, 297 m. Epiſcopus Presbyter dictus, 304 m. Epiſcopi ſimoniaci, 451 m, n, 458. Uxorati, 451 a, n. Epiſcoporum inveſtitura per baculum paſtoralem, 477 m, n. Epiſcopus retento Epiſcopatu fit Monachus ex voto, 478 m. monaſticis veſtibus utitur, *ibid.* Archiepiſcopi Suffraganeis deſtituti conſecratio relicta Palatinæ providentiæ, 478 a. Epiſcopus per manus acceptionem fit homo Regis, 483 a. ex humilitate ſepeliri vult extra eccleſiam, 484 a Epiſcopalis annuli ſignificatio, 484 m. Epiſcoporum in rem monaſticam pietas ac religio, 500 m. Epiſcopi Monachi cum habitu monaſtico ſepulti, 575 m

Evangeliorum textus cum S. Cuthberti corpore in loculo depoſitus, 298 a

Euchariſtia, Viaticum ſubutraque ſpecie, 93 m, n, 94 m. In extremis, 598 a, Oratio ante ejus ſumtionem, 136 m, 563 m

Eulogiæ militibus prœlium ſubituris datæ, eos victores efficiunt, 378 a. Poculus ligneus Papæ datus, 453 m

Excommunicatio quando adbibenda, 129 m, 182 m. In privilegiis Romanorum Pontificum adhibita, 255 m. Alibi, 256 a, 340 m. Lata in prædones, 398 m. cum multa conjuncta à fundatore Monaſterii, 459 m

Exorciſmi libellus ſæculo IX, 62 m

F

FALSARIAS punitus, 454 m, n

Feminæ à Monaſterio Fuldenſi extorres, 18 m. à S. Cuthberti eccleſiis & cœmeteriis, 283 a, 285 a

Femina geſtandis ſacris reliquiis adhibita, 10 a

Ferri candentis probatio, 71 m. Ferrei cinguli geſtatio pro pœnitentia, 72 a

Feſti violatores puniti, 16 a, 110 m, 235 m, 394 m, 396

Feſti dies rite celebrandi, 224 a, 241 a

Fraternitatis charta pro ſocietate ſuffragiorum, *121 m

H & I

HOMO Regis fit Epiſcopus per manus acceptionem, 483 a

Humilitatis retendæ præcepta, 480

Hymnus *Veni creator* in ſupplicatione decantatus, 522 m

Jejunium à paganis in honorem Chriſti ſuſceptum, 164 a

Jejunium Adventûs ab Orientalibus & Occidentalibus ſervatum, 350 a, n

Ignis ſacer, 394 m. Ignis probatio ad detegendam Epiſcopi ſimoniam, 457 a, n

Imagines ſacræ in calamitatibus abjectæ & ſpinis obſitæ, 393 n

Imago Salvatoris argento radiante veſtita, 41 a. Dicitur imago Dominicæ recordationis, 451 m

Imprecationes in litteris Romani Pontificis, 88 m. Epiſcoporum in ſynodicis privilegiis, 249 m. Alibi, 256 a, 340 m

Infirmis Monachis Horæ recitatæ, 447 a

Interdicti tempore nudata altaria, disjectæ imagines, ſpinis reclusus eccleſiæ aditus, 393 a

Inveſtitura Epiſcoporum per baculum paſtoralem, ſæculo IX, 477 m, n

Judex cur ſervus & non liber? 165 m. Judicis ſervi veſtes & arma, *ibid.*

Judicium per ferrum candens, 71 m. Per chalybem ignitum, *ibid.* Per aquam, 154 a. Per ignem, 457 m

Juramentum coram reliquiis ſacris præſtitum, 404 m

L

LABOR manuum Epiſcopo uſitatus, 108 a

Lampades plures ante Sancti ſepulcrum, 566 m, 414 m. Ante corpus Dominicum, 518 m

Latrones ſevera lege puniti, 71 a, 140 m, 197 a, 289 m, 293 m, 413 m, 453 a, 557, 558, 560 a

Laus perennis Centulæ, 542 a, n. *V. Præfationem à num.* 204

Librorum raritas ſæculo VIII, 33 m. Libri ſacri auro deſcripti in purpurea membrana, auro & gemmis veſtiti, 552 a

Litteræ Antipapæ nomine notatæ, 257 a, m. Aliæ ſic notatæ, *Actum Philippo Rege humano & Chriſto Rege ſuperno*, 257 m

Litaniæ majores Idibus Maii in Germania celebratæ, 12 a In calamitatibus domeſticis recitatæ, 175 m. Indictæ ante ſepulcri apertionem, 239 a

Lunæ defectus clamores olim in vulgo excitabat, 34 m

M

MARTINIANÆ compotationes, 376 a

Martyr qui dicendus? 512 m *& ſeqq.* Monachi Martyres, 580 *& ſeqq.*

Memoriæ Dominicæ Paſſionis, Crux, liber Evangeliorum, brandea, &c. 52 m. Memoria Sancti, baculus ejus, 548 a

Miniſteria ſacerdotalia, veſtes eccleſiaſticæ ſeu ſacra ſupellex, 84 m, 182 a. Altare argenteum, corporalia, patena cum calice, pecten eburneum, forcipes cum defuncti Epiſcopi corpore recondita, 297 m

Miſſæ plures & pſalteria pro regiæ familiæ incolumitate, in Synodo Moguntina inſtitutæ, 30 m. Miſſa ſub veſperam ſæculo IX ex more celebrata, 67 a. Miſſæ & officia pro defunctis, 242 a. Miſſa coram Rege venationem exercente celebrata in obvio commodo loco, 160 a. In Miſſa recitata eorum nomina pro quibus offertur, 438 m. Poſt Miſſam Sacerdotes manus lavare ſoliti, 234 m, 439 a, n Miſſa matutinalis, 357 m

Monachi in cellis ſeu Præpoſituris poſiti, 4 a

Monachi peregrini ſtabilitatem in alieno Monaſterio ſacramento dumtaxat firmant, 61 a

Monachi in Bremenſi eccleſia Cathedrali, 77 m. Hi poſtea habitu uſi canonico regulam tenebant monaſticam, 78 a, 107 m, n

Monachorum ſchola, 81 m, 461. Monachi Septentrionalium populorum Apoſtoli, 84 *& ſeqq.* 85 a. Ex iis viri & feminæ in Saxonia anachoreſim ſectantur, 168 m. Pueros in litteris cum huma-

nioribus tum divinis erudiunt ad converſionem gentium, 109 m. Monachis ntium qui conceſſum, 124 a. Ut obſervantiæ tenaces Corbeiæ, 126 a, m. Præbendæ Monachorum in Cathedralibus eccleſiis, 166 m. Nocturni ſilentii apud Monachos religioſa obſervatio, 181 m. Scriptor devota ſtabilitate & converſione morum in Cœnobio Monachorum nondum Monachus, 229 a. Monachi veſtes ſacras cantando in nocturnis vigiliis Evangelio adhibent, 216 a. Apud Monachos pueri nobiles Deo oblati, 224 m. Monachi in Cellis ad nutum Abbatis revocabiles, 241 m. Peregrinantes litteras ab Epiſcopis accipiunt, 265 m. Infirmis Horæ recitatæ, 447 a. Ut probandi in Cœnobio Monachi antequam anachoreſim ſubeant, 361 a. Pauperes numero duodecim ex antiqua traditione nutriunt, 366 a. *In ordine vices ſua gerunt officia*, 366 m. Monachorum eulogiæ, 379 m. Monachorum ſervi, 494. Duella ab ipſis ſuſcepta, 195 m, a. Monachis Cellæ ſeu Præpoſituræ qui committiæ, 197 m, 422 a. Præpoſitorum eorum fiebat electio à Capitulo Monaſterii principalis, 397 m. Poſt refectionem in eccleſiam tendunt gratias Deo acturi, 419 m. Cucullus in capite Monacho profitenti, 419 a. Monachi loculos prodit dæmon, 445 m. Monachi Recluſi, 444 m. Monachi in extremis, 466 m. caſi à barbaris, 469 m. Monachum profitetur ex voto Epiſcopus poſt conſecrationem, 478 m. Monachorum in Anglia penuria, 517 m, 519 m, n. Monachorum ſupplicationes nudis pedibus inſtitutæ, 523 m. Monachi ſæculo IX Martyres, 580 & ſeqq.

Monaſterium, eccleſia Cathedralis Hammaburgenſis, 122 m

Monaſterii everſores ac prædatores puniti, 170, 178 m & ſeqq. 363 a. Excommunicati, 340 m, 362 m, 382 m, 400 m, 428 a

Monaſteriis legata à fundatoribus quo modo tradita antiquitus, 227 m. Cellæ ex Monaſteriis reditibus dotatæ, 141 m. Decimæ Monaſteriis conceſſæ, 38 m, 165 m, 402 a. Feminis interdictus acceſſus ad Monaſteria virorum, 28 m, 164, 283 a. Monaſterium duplex virorum & Virginum, 284 a, 285 a. Monaſteriorum Advocati, 352 m, 367, 384 m, 392. Servientiam nobiles, 369. Arma gentilitia, 409 a, m. Societates mutuis viſitationibus firmatæ, 464 m. Monaſteria duplicia in Hiſpania, 584 a, 585 m

Monaſticus Ordo ſacer dictus, 317 m. Apoſtolicæ perfectioni congruens, 249 m. Vicinior, 300 m. Ejus ob bella inteſtina tepor ac deſtructio, *ibid.* 300 m

Monaſtica Epiſcopi profeſſio in quantum munus Pontificale permittit, 476 m

Monaſticis veſtibus uſus Epiſcopus ex voto Monachus poſt conſecrationem, 478 m. Monaſticus habitus quando tributus, 587 m

Moniales. *V.* Sanctimoniales.

N

NOBILIUM propriæ veſtes, 163 m

Notarii Epiſcopis adjuncti in Concilio, 31 m. Notarii ſimul cum dictatoribus adhibiti in analectis conſarcinandis, 33 a. Notarii Clerici, 38 m. à Rege coràm acciti ut privilegium ſcribant, 123 m

Novitii probatio inſignis, 360 m

Nummi Capuæ figurati in nomine Romani Pontificis, 466 m

O

OBEDIENTIA Monachi miraculis illuſtrata, 449 m

Oblationes vellus lanæ, 18 a. Modus ſingularis, 15. Candela ad menſuram hominis, 51 a. fuſum argenteum ſuſpenſum in memoriam ſepulturæ, 60 m. Cerei magni, 112 m. Triticum in uſum ſacrificii, 231 m. Boiæ, 526 m

Oblationes factæ Monaſterio, 165 m

Oblata Regibus munera, 122 m, 135 a, 202 a, 0

Officia divina. Annuale, pſalmus & oratio quotidie in Miſſa recitanda pro donatione, 253 m

Oratoriola à nobilibus in itinere ſæculo IX conſtructa, ut ibi divinas laudes recitarent, 178 m

Ordo monaſticus, *ſacer* dictus, 227 m

Ordo, regularis obſervantia, 465 a, 565 m, 576 m

P

POENITENTIA parricidæ aliorumque ferreis circulis oneratorum, 72 a, 215 a, 219 & ſeqq. 401 m, 0, 590 m

Pœnitentiæ ſacramentalis modus, 139 m, 118 a

Pœnitentibus indicta à Synodo pœna, 219 m

Pœnitentiæ causâ diuturna ſocio in fonte facta, 330 a

Pallii uſus Archiepiſcopo ad Miſſarum ſollemnia conceſſus à Papa, * 121 m, 215

Papa dictus Patriarcha, 118 a. Vicarius S. Petri, 219 m, 230 m. Licentia prædicandi Evangelii neceſſariò ab eo petita, 121 a. Ad imponendum reluctanti Epiſcopatum auctoritas adhibita, 362 a. Corona aurea ipſi oblata, 191 a, 212 m. Caſula ipſi propria data pro munere, 213 m. Pœnitentia ab eo Romæ quæſita, 215 a. Chartæ ejus nomine exaratæ, nummi item Capuæ figurati, 466 m

Parricidæ pœnitentia, 72 a. Lex, 215 a, 219 & ſeqq

Pauperes duodecim ex antiqua traditione in Monaſteriis aliti, 366 a

Peregrinatio Romana ad pœnitentiam à Pontifice petendam, 215 a

Potatio. *V.* Compotatio.

Præbenda Monacho data in eccleſia Cathedrali ſæculo IX, 166 m

Prædeſtinatio Dei, 125 m. *Vide Præfationem à num.* 139

Presbyteri ad infidelium converſionem, 105 m, n. Dominica die ordinati, 106 a. Presbyter uxoratus, 187 m. *V.* Sacerdos.

Privilegia apoſtolica, 121, 255 a. Sæculo VII data Monaſteriis, 534 m. Plures ab Anſchario deſcripta, 121 a, n. Ante S. Petri corpus & confeſſionem firmata, * 121 m, 255 a

Privilegia regia, 122 a

Privilegia ſynodica, 125 a. Eis ſubſcribebant abſentes Epiſcopi & Abbates, 250 m

Probatio per ferrum candens, 71 m. Per geſtationem chalybis igniti, *ibid.* Per aquam, 154 m. Per ignem, 457 m, n

Proceſſio eccleſiæ Pariſienſis ad S. Maurum ſæculo IX, 166 m

Proſtratio religioſa in modum Crucis, 176 a

Purgatorii locus, 80 m, 150 m, 232. Purgatorio liberat jejunium quadraginta dierum, 475 m, 480

Q & R

QUADRAGESIMÆ tempore etiam conjugati caſtitatem ſervare debent, 462 a

Regis inſigne circulus aureus cum purpura, 192 m

Reliquiarum nundinationes, 4 a, 8 a. & ſeqq. quo ritu ornatæ, 17 & ſeqq. Ciborii forma, 18 a. Femina gerendis reliquiis adhibita, 10 a. Reliquiæ in ſupplicationibus geſtatæ, 10 m, 12 a, 154 a. Lectuli aurei ſacris reliquiis impoſiti, 61 a. Regum in eas veneratio, 57 a, 183 a, 260 a. Ab Epiſcopis in humeros delatæ, 168 m. Tranſlationis reliquiarum ritus ſæculo IX, 174 m. Patrocinia dictæ reliquiæ in arcula reconditæ, 174 m. Reliquiæ adverſus prædatores delatæ, 179 m, 370 a, 366 a. Vino lotæ, 235 m, 237 m, 401 m, 407 a, 419 a. Suſpenſæ in arbore & ſeipſis

ſurſum elatæ, 260 a. pro remuneratione conceſſæ, 386 a. Abjectæ & conſpurcatæ in calamitatibus, 393 a, n. præſtitum coram ipſis juramentum, 404 m. delatæ ad reſarcienda eccleſiarum damna, 520 a, 524 m. Cinctoria ipſis applicata, 526 a
Romanæ Eccleſiæ Vicarius, Legatus, 169 m

S

SACERDOTIS quàm caſta eſſe vita debeat, 287 m
Sacerdotes uxorati, 451 a, o
Sacramentum Unctionis extremæ Viatico præmiſſum, & quotidie repetitum uſque ad ægrotantis mortem, 485 m, o
Sacrificii oblatio cotidiana pro fundatoris patre anno DCCCXXI, 58 m. petita prædia pro ſacrificio offerendo in gratiam defuncti, 164 a
Sanctorum oſſa in pulvinis condita, 7 m. Sancti Regum ac regnorum defenſores, 278 m. Lampades ante Sanctorum ſepulcra, 366 m potationes in eorum honorem, 376 m, n
Sanctimoniali prædia in dotem oblata tempore Ludovici Pii, 157 a, m Monacha juxta Eccleſiam Clericorum recluſa, 440 a. Altaria à Sanctimoniali thurificata, 460 a, n.
Sanctorum patrocinia improperando petita, 393 a, n feſtivitates celebrandæ, 445 a
Sanctum Sabbatum dies in Ramis palmarum, 215 m
Sepultus extra Eccleſiam Epiſcopus ex humilitate, 484 a
Sepulturæ jus in Monaſterio, anno DCCCXXXV, 165 m
Servus Vicarius, ſervus judex inſtitutus, cur non liber, 163 m. Servi Monaſteriorum etiam nobiles, 389 m. filiorum illorumque conditio, *ibid.* 394 m. Jure beneficii aliis donati, 395 a. Sacramento adacto, 395 m
Silentium nocturnum à Monachis religioſè obſervatum, 182 m
Simoniaca peſtis in Gallia, 129 a, 458 m, n. in Britannia minore, 186 *& ſeqq.* 211 *& ſeqq.* In Italia, 451 m, n
Solarium in ſuperiori ſtega, 399 m, n
Solidi valor major nummi valore, 298 a
Sortes in uſu apud Danos & Suecones paganos, 92 m, 93 a, 101 m, 103 m
Stola ad benedictionem impertiendam adhibita, 461 m
Strumæ cur morbus regius dictæ, 515 m, 516 m, 517 m, o
Supplicationes nudis pedibus inſtitutæ, 402 a, 525 m

T

TESTAMENTA, donationum litteræ, 169 m, 173 m, 174, 226 m, 227 m, 231 m, 241 m, 254 m, 409 m, 501, 503 m
Teſtamentum religioſi Abbatis, 241 m, 498 m, 502 a
Teſtis donator ipſe, 255 m
Tonſura eccleſiaſtica puero impoſita, 473 m
Traditionis inſtrumenta, oſtium, caſpes, Andelanc, 170 m. Vuanti, 374 m, n
Tranſlatio corporum Monaſterii auctorum ab infima parte eccleſiæ ad dexteram lævamque altaris ob grati animi teſtificationem, non beatifici cultûs indicium, 228 a

V

VENATORIS cornu appenſum in eccleſia, 330 a
Veſtes eccleſiaſticæ, 181 a. Veſtes ſacræ cantando in nocturnis vigiliis Evangelio à Monachis adhibitæ, 256 a. Calix cum patena *de auro cocto*, 272 m
Veſtes ſciſſæ antè & retro nobilium propriæ, 263 m
Vinum ſanctum ex ſacris reliquiis, 235 m. Ægris proficuum, 403, 425 a, 429 a. *V.* Compotationes.
Ultionis divinæ funeſta ex exempla, 90 m, 438 a
Unctione olei ſanati ægri, 333 m, a
Unctionis extremæ Sacramentum Viatico præmiſſum, & quotidie uſque ad ægrotantis mortem repetitum, 485 m, n
Votum candelæ ad menſuram hominis, 55 a, 112 m, 135 m. *V.* Oblatio. Per circuitum altarium, 212 m
Votum à paganis Deo factum, 218 m. Votum, triticum in uſum ſacrificii, 232 m. Aves, 326 a. cereus ad menſuram pavonis, 392 m

INDEX ONOMASTICUS

VOCUM BARBARARUM ET EXOTICARUM

PARTIS SECUNDÆ

SÆCULI QUARTI BENEDICTINI.

A

ADMISSIO, crimen, 433 m
Altrinſecus, invicem, 121 m. alto ſeaſa, 146 a. circumquaque, 136 a
Andelanc, traditionis inſtrumentum, 270 m
Apocriſarius, æditus baſilicæ, 419 m, n
Apodix, meretrix, 201 a
Aicharius, æditus, 177 m
Aſſignatio alicujus pro inſcriptione ad aliquem, 49 m

B

BENEFICIA, prædia, 112 m
Beneficiare, dare in beneficium, 171 a, 340 m
Bens, beatus, 317 a
Bibliotheca, Biblia ſacra, 89 m, 553 a
Boiæ, catenæ, 516 m
Bucula clypei, *la boucle*, 595 m
Bullata pagina juxta morem Eccleſiæ Romanæ, privilegium, 96 m
Buſtum, tumulus, 180 a
Buxula, pyxis, 147 m

CALFACTUM,

C

CALEFACTUM, *chauffage*, 257 a
Calfagium, *chauffage*, 249 a
Calamnia, quælibet injuria, 92 m
Carderum, an locus carduis conſitus? 13 a
Caſa dominicaria, 258 a
Caſtrum, urbs, 47 m
Caucus, patera, 318 a, o
Cauticum quid? 507 n
Cella Monaſterii, id eſt Prioratus, 492 m, 442 a
Cenaticum, cenſus piſcium, 179 a, n
Cicendelus, lampas vitrea, 549 m, n
Clavipotens frater, Bibliothecarius, 25 m
Clauſus, ſeptum,
Cleptare horas, furari, 307 m, n
Clocca, campana, 474 m
Codilentia, prætentia, 352 m
Colitare, colere, 304 m
Coloneta, viculus, 241 m
Comitiſſæ vocabulum, VIII ſæculo, 304 m
Compotentia, 332 a
Comprellare, comprimere, 52 n
Conatus, anxius, 236 a
Conſuetutia, frequentia, 238 a
Conſul, Comes, 487 m
Cooperator, Epiſcopi Coadjutor, 13 m
Coryceaus, pitaia, 248 m
Curia, Conventus, 291 m

D

DEFORMATUS, ſcriptus, 87 a
Dependere, ſuſpenſum ſolvere, 248 m
Devotatio, imprecatio, 393 m
Devotus, pius, 293 m
Dieta, refectio, 598
Diverſus, divertens, 441 a
Dour an Tour, vas aneum in quo reliquiæ ſacræ habentur, 258 a, m
Dapſilis, magnificus, 314 m
Dumtaxat, pro ſcilicet, 121 a
Dunum, mons apud veteres Gallos, 493 m

E

EALD, antiqui, 508.
Edictum, diploma, 354 m
Emerſus, emergens, 252 a
Eſpero, calcar, 203 m

F

FAMIGERATISSIMUS, celeberrimus, 250 a
Faſces, dominium, 261 m
Favillare, cremare, 353 m
Feriæ ſollemnes, pro diebus ſollemnibus, 16 m
Filtrum, veſtis filtro compacta, 68 a
Fore, eſſe, 395 m, 480 a, 481 m, & paſſim.
Forticulus, tantiſper validus, 250 a
Fratres, Cardinales, 562 m

G

GASTALDIO, urbis Præfectus, 464 m
Gentæ ſeu Gantæ, Anſeres agreſtes, 236 a, n
Gillomichaël, puer michaelis, 292 a, m
Gleba, loculus, 282 a
Gloſſæ, analecta, 25 m
Graſſari jurgia, lites intentare, 229 m
Gronnoſa loca, paluſtria, 333 n, 507 a, 508 m
Groſſeſcere, tumeſcere, 302 a
Gurpimentum, ceſſio, 256 a

H

HONOR, dominium, 157 m
Hymnizare, 52 a

I

INANTEA, ultra, 86 m
Induvium, indumentum, 326 m
Ingenium, artificium, 454 a
Judex pro Duce, 73 m

L

LATRO à latendo, 229 a
Lector, doctor apud Monachos, 320 n
Leofwinus, Anglicè, carus amicus, 295 m
Levigare, lixivio lavare, 224 a
Limbus Galliæ, ora maritima, 230 m
Liti homines, ſervi, 282 m
Lyridæ, panis genus, 333 m

M

MAGIS ſeu Magides, vaſorum genus, 147 m
Manſitatio, ædicula, 327 m
Mappula, ſudarium, 457 m, n
Mediaſtinus, medius, 248 n
Meditatorium, locus in quo ſedebant veteres ad legendum & ſcribendum, 33 m
Memoria cultus ſeu tumulus, 229 a, Sancti baculus, 248 a. Eccleſia, 373 m, 418 m
Merges, manipulus ſegetis, 235 m, n
Meta, tritici genus, *Meteil*, 364 a
Metatio ſeu metatus hoſpitium, 362 n, 380 m. Metare, 405 a, 408 a. Metare, hoſpitari, 375 m
Miniſteria eccleſiaſtica ſacra ſuppellex, 84 m, n, 297 m
Miſcere, potum dare, 208 m, n
Miſſa, feſtum, 343 m
Miſſaticum, legatio, 218 m
Monaſterium, Eccleſia Monaſterii, 398 a, n
Morabitinus, monetæ genus in Hiſpania receptum, 599 n

N

NEOPTOLEMUS, novus miles, 327 m
Nubilus, cæcus, 36 m
Nudipedalia exercere, nudis incedere pedibus, 231 m
Nutatus, turbatus, 200 m

O

OBEDIENTIA, res juſſa, 204 m, 205 a, 209 a
Occare, præcidere? 231 a
Odare, canere, 316 m
Officium, officium, 244 a
Orbis, tractus ſeu pagus, 261 m
Ordo eccleſiaſticus, pro ritibus, 536 n
Oroma, viſum, 281 m, 395

P

PALLA, corporale, 365 a
Palatinorum poteſtates, magnates, 333 a
Palatinæ dignitatis Præſul, Archicapellanus, 122 a
Paliſicare, palam facere, 350 a
Pancharta, diploma pro renovatione chartarum Monaſterii, 232 m
Paraphoniſta, cantor, 231 a, m
Parens, propinquus, 498 m
Pariſius, Pariſienſis ager, 389 a, n
Patriarcha, Papa, 218 a
Patrocinium, reliquiæ, 274 m, 386 a: locus in quo ſervatæ reliquiæ, 389 a
Paulium, an pallium, 527 a
Peregrinatio, egreſſio è Monaſterio ad procurandam infidelium converſionem, 82 m
Perbolum, archivum, 269 m

Periperaſma, velum, 177
Pigmenta, orationes ad Dei amorem excitatoriæ, 107 m, n
Plagatus, vulneratus, 67 m
Pleba, vicus, 194 m, 196 a, 199 m, 201 m, 202 a, 203 a, 218 m
Plebicula, viculus, 203 a
Pompare an extrahere ? 314 m
Porpriſa, clauſtrum, 349 a, m
Poteſtas, locus ab alio dependens, 194 m
Præbenda, cibus, 68 a. Præbendaria, inops mulier cui ſtatuta eleemoſyna, 522 m
Præſea, Comes, 254 m
Preſbyter Abbatis, Capellanus, 8 m. Epiſcopi, 14 m
Preſbyteri ſimpliciter dicti Monachi, 4 m, n
Preſbyter, ſenior ſeu Comes, 64 m
Primas, Vice-Comes, 50 m. Dominus caſtri, 133 m
Puteal quid ? 139 a

Q & R

QUILIBET, quidam, 524 m
Quinquendialis mora, quinque dierum, 149 m
Raſtri nomen à raptore deductum, 234 m, n
Regmen, regimen, 307 a, 511 m
Regulares litteræ, obedientiales, 167 m
Reſtea, cenſus, 179 m
Reſurrectionis, dies, dies quælibet Dominica, 215
Romani, Galli, 398 a
Ruere activo modo ſumtum, 382 a

S

SABBATUM ſanctum in Ramis palmarum, 215 m
Sagæ, ſaga, 276 m, n
Salergia, vadum an tugurium, 506 a
Scamela, fulcra repentium, 14 m, n
Scandile, ſcala, 579 a, m
Scara, familia, 226 a
Scena, locus ad colloquium in campo diſpoſitus, 91 a
Secretarium, ſacriſtia, 222 m
Secretarius, Æditiuus, 327 a
Seminiverbius, præco, 407 m
Sempetæ, fratres antiquiores, 151 a
Senior, dominus; 95 a, 508 m
Senioratus, dominatio ſeu principatus, 224 m
Sennenſis, Sconenſis, 142 a
Servimen, ſervitium, 261 a
Sophiſta, ſapiens, 50 a
Spanga, fibula aurea, 10 m
Sparus vel ſparum teli genus, 59 a
Spata, enſis, 562 m
Squilla, anguilla, aliis lucius, 231 a, n
Suburbium, territorium urbis, 525 m
Supplementum, proventus, 122 a, m
Syllabæ, litteræ ſeu epiſtola, 567 a
Symplegades verborum, ambages & circuitus, 153 m

T

TEMPORIUS, citiùs; 265 a
Teſtamentum, præceptum, 173 m, 174 a, 409 a. Notitia, 256 m
Titulus monumenti, epitaphium ſeu ſcriptura, 58 a
Toëlla, mappa, 258 m
Tonna, vas vinarium, 58 a
Tricare an contingere ? 512 a

V

VERBOCARI, garrire; 250 m
Veſona, Sueſſio, 151 a
Veſtitio, inveſtitura, 263 m
Veſtitura, paſtus annuus, 271 a
Vicaria, territorium, 257 a, 278 m, 262 m, & *alibi.*
Vicaria villæ, 506 a
Vicarius, Judex, 263 a. Vicarius vici, major, 578 a

PARISIIS, Excudebat GABRIEL MARTINUS, viâ Jacobæâ, ſub Sole aureo.

M DC LXXX.

AOX 1471059

SUMMA PRIVILEGII.

CHRISTIANISSIMI Francorum Regis LUDOVICI XIV Privilegio VII Kalend. Martii anni M DC LX conceſſo, & ejuſdem menſis ejuſdem anni V Non. in Typographiæ Pariſienſis Codicem relato, cautum eſt, ut Congregationis S. Mauri R. P. SUPERIOR GENERALIS Libros ab ejuſdem Congregationis Monachis compoſitos, per quem maluerit Typographum, néve alius citra ejus conſenſum, edat, uti uberiùs Diploma ipſum explicat.

Idem R. P. Superior Generalis facultatem dedit Ludovico Billaine Typographo Bibliopolæ Pariſienſi, imprimendi Sæculum quartum Actor. Ordinis S. Benedicti, *die* 1 *Junii* 1677.

Digitized by Google

Digitized by Google

K 36.

Digitized by Google